A



IOANNIS DALLÆI
DE
CVLTIBVS
RELIGIOSIS LATINORVM
LIBRI NOVEM.

I. *De* BAPTISMI Cærimoniis. II *De* CONFIRMATIONE.
Reliqui VII *de* EVCHARISTIÆ Ritibus.

QVIBVS DEMONSTRATVR NOVITAS CÆRIMONIARVM, quæ ad duo Sacramenta à Christo instituta, præsertim ad Eucharistiam, in Communione Romana adjectæ sunt.

OPVS POSTHVMVM.

Cum CATALOGO SCRIPTORVM *hactenus ab* AVTORE *editorum.*



GENEVÆ,
Sumpt. Ioannis Ant. & Samuelis DE TOVRNES.
M. DC. LXXI.



CATALOGVS SCRIPTORVM HACTENVS EDITORVM

Clarissimi Viri

IOANNIS DALLÆI

τοῦ μακαρίτου, Ecclesiæ Reformatæ Parisiensis, *qua* Carentone *Cœtus suos habet*, Pastoris.

DE Patrum Vsu, Tractatus. *Genevæ* 1632. *in* 8. *Gallicè.*

Idem, *Anglicè*, per Thomam Smith. *Londini*, 1651. *in* 4.

Idem, *Latinè*, per I. Metaierium, ab Autore ipso recensitus & auctus. *Genevæ, apud P.* Chouët 1656. *in* 4.

Apologia Ecclesiarum Reformatarum. *Paris.* 1633. *in* 8. *Gallicè.*

Eadem, *Anglicè*, per Thomam Smith. 1653. *in* 8.

Eadem, *Latinè*, ex Versione Autoris; *Cum* Appendicibus. *Amstelodami, apud* Iansonium. *in* 8.

Epistola ad Monglatium, quâ I. Caumontii Observationibus in prædictam Apologiam respondetur. *Paris.* 1634. *in* 8. *Gallicè.*

Observationes in Discursum Pacificum I. Caumontii. *Sedani* 1634. *in* 12. *Gallicè.*

Fides ex S. Scripturis demonstrata. *Parisiis* 1634. *in* 8. *Gallicè.*

Eadem, *Latinè*, ex Versione Autoris. *Genevæ, apud Fratres* De Tournes, 1660. *in* 8.

Epistola ad Amicum super Querelis adversus ipsum & Collegas. 1636. *in* 8. *Gallicè.*

Examen Sententiæ Theoph. Bracheti Milleterii super Conciliatione Controversiarum Relig. *Paris.* 1637. *in* 8. *Gallicè* & *Latinè.*

De Patrum Fide circa Imagines. *Genev.* 1641. *apud* De Tournes. *in* 8. *Gallicè.*

Idem, *Latinè*, ex Versione Autoris. *Leidæ, apud* Elzevir 1642. *in* 8.

De Pœnis & Satisfactionibus Humanis. *Amstelod. apud* Blaeu. 1649. *in* 4.

Pseudepigrapha Apostolica, de VIII libris Constitutionum Apost. *Hardervici*, 653. *in* 8.

De Iejuniis & Quadragesimâ. *Daventriæ*, 1654. *in* 8.

Pro *Duabus* Synodis Alenson. & Carenton. Apologia. *Amstelod apud* Ravenstein. 1655 *in* 8.

De Confirmatione & Extrema Vnctione. *Genevæ, apud* De Tournes. 1659. *in* 4.

De Confessione Auriculari. *Genevæ, apud* De Tournes. *in* 4. 1661.

Epistola ad Talonerium, super defectione S. Cottibii. 1660. *in* 8. *Gallicè.*

Responsio ad Libros Adami *Iesuitæ*, & S. Cottibii. *Genevæ*, 1661. *in* 4. Iterum, 1669. *apud* De Tournes. *Gallicè.*

Adversus

Adversus Latinorum Traditionem de Cultus Religiosi Objecto, Disputatio. *Genev.* 1664. *apud* De Tournes. *in* 4.

De Scriptis quæ sub Dionysii Areopag. & Ignatii nominibus circumferuntur. *Ibidem.* 1666. *apud* De Tournes. *in* 4.

De Cultibus Latinorum Religiosis, *Libri* IX. *Ibidem,* 1671. *apud* De Tournes. *in* 4.

Conciones in Epistolam ad Philippenses. Duobus Voll. 1644. *Paris.* posteà *Genevæ, apud* Chouët. *in* 8. *Gallicè.*

Conciones in Epist. ad Colossenses, tribus Voll. *Paris.* 1648. postea *Genev. apud* Chouët. *in* 8. *Gallicè.*

Conciones in Epist. ad Titum. *Paris.* 1655. *in* 8. *Gallicè.*

Conciones in I Epist. ad Timotheum 2. Voll. *Genev.* 1661. *apud* De Tournes. *in* 8. *Gallicè.*

Conciones in II Epist. ad Timoth. 2. Voll. *Ibidem,* 1659. *apud* De Tournes. *in* 8. *Gallicè.*

De Nativitate, Morte, Ascensione, Resurrectione, *&c.* Domini Nostri. *Paris.* 1651. Iterum *Genevæ*, *apud* De Tournes 1664. *in* 8. *Gallicè.*

Conciones XX, habitæ diebus S. Synaxeos. *Genevæ,* 165 . *apud* Chouët. *in* 8. *Gallicè.*

Conciones XV, habitæ cùm Rupellam profectus est. *Salmurii,* 1655. Iterum *Genevæ, apud* De Tournes. 1669. *in* 8. *Gallicè.*

Conciones XX, in certos Anni Dies. *Genevæ*, 1658. *apud* Chouët. *in* 8. *Gallicè.*

Conciones Miscellaneæ. 2 Vol. *Amstel. apud* Ravenstein. Iterum *Genevæ*, 1666. *apud* De Tournes. *in* 8. *Gallicè.*

Conciones in Institutionem S. Cœnæ. I. Cor. XI. *Genevæ*, 1664. *apud* De Tournes *in* 8. *Gallicè*.

Conciones in Iohann. III. *&* in alia Themata. *Ibidem* 1665. *apud* De Tournes. *in* 8. *Gallicè*.

Conciones in I. ad Corinth. x. *Ibidem* 1667, *apud* De Tournes. *in* 8. *Gallicè*.

Conciones Duæ, quas postremas ante Obitum habuit. 6 & 10 Aprilis, 1670. *Cum* adjunctâ AVTORIS Vitâ. *Ibidem* 1671. *apud* De Tournes. *in* 8. *Gallicè*.

Conciones in Hebr. XII, propediem lucem videbunt. *Apud* De Tournes. *in* 8. *Gallicè*.

ELENCHVS OPERIS DE CVLTIBVS LATINORVM RELIGIOSIS

LIBER PRIMVS, QVI DE BAPTISMO EST.

esse.

LIBER II.

Qui est de CONFIRMATIONE.

LIBER III.

De Cultibus Latinorvm Religiosis: Qui est de Evcharistia Primus.

Locum

LIBER IV.

De Cultibus LATINORVM RELIGIOSIS: Qui de EVCHARISTIA Secundus est.

ex

LIBER V.

De Cultibus LATINORVM RELIGIOSIS: Qui de EVCHARISTIA Tertius est.

LIBER

LIBER VI.

De Cultibus LATINORVM RELIGIOSIS: Qui de EVCHARISTIA Quartus est.

Nazianzeno

LIBER VII.

De Cultibus LATINORVM RELIGIOSIS: Qui de EVCHARISTIA Quintus est.

DE EVCHARISTIÆ ADORATIONE.

CAPVT

vero plurimum abhorret ab ea religione, qua nunc Latini Eucharistiam prosequuntur, eoque est apud eos ab XI. seculo, quo illa religio primum suscepta esse videtur, plane penitusque inauditum. Pagina 954

LIBER VIII.

DE RELIGIOSIS LATINORUM CULTIBUS. Qui de EUCHARISTIA Sextus est.

CAPVT

**** CAPVT

gorio

LIBER IX.

De Religiosis Latinorvm Cvltibvs. Qui de Evcharistia Septimus est.

CAPVT VI. *III. Litaniam,* Kyrie eleison &c. *novam esse, & ad Quartum seculum ignotam; imo non multo ante an. Dom. 529. receptam videri ex Conc. Vasensi. 2. Bellarmini de illa Synodo Parachronismus. Repetitionem Litaniæ, ut novies diceretur, à Gregorio I. inventam videri post an. Dom. 590. Augustini authoritatem pro lingua Peregrinæ in sacris usu frustra hic à Latinis obiici.* Pagina 1194

VII. *IV. Hymnum Angelicum* Gloria in excelsis &c. *Latini media antiquitatis à Telesphoro Papa in Missam immissum fuisse volunt, vel Pontificalis Damasini, vel certe Epistolæ Telesphori authoritate freti. Vtriusque scriptoris dubiam esse, etiam penes Latinos, fidem. Pontificale hoc ipso loco quatuor quædam præter omnem veri speciem tradere. Iejunium 7. hebdomadum, de quo locus in Chronico Eusebij subdititius. V. Quæ in hymno sequuntur,* Laudamus te, *esse etiam multo recentiora.* 1196

VIII. *VI. Novum esse, ut aliter Sacerdos, aliter Episcopus plebem salutet. Novum item, ut quis plurali numero salutet, cum vel solus, vel cum uno celebrat. VII. Collectarum hodiernarum usum non esse antiquum, sed à Gelasio P. R. I. cœpisse, à Gregorio primo circa an. Dom. 600. perfectum esse. VIII. Novum quoque esse ut certa quadam ex Apostolicis, etiam recentius, ut ex Propheticis scripturis, lectiones in hoc sacro fiant. IX. Ne Versiculorum quidem admixtionem antiquæ esse, vel certa originis. X. Lectionem Evangelij in hoc sacro incertæ quoque esse originis. XI. Novum esse cantari in Eucharistia Symbolum, neque in Occidente ante an. Dom. 855. usurpatum.* 1204

IX. *De Offertorio. Id totum esse novum. Quinque Orationes quæ in eo habentur, nondum dictas fuisse ineunte seculo Decimo tertio. Apostolo repugnare, quod hic plebs respondet* Amen, *iis quæ ne audiuit quidem, ne dum ut intellexerit. Antiquum quidem esse, sed à præsenti Latinorum fide alienum, quod hic monentur,* sursum habere cor. *Novum esse, neque ante an. Dom. 577. receptum, quod hic dicitur,* Gratias agamus Domino Deo nostro. *Canticum* Sanctus, Sanctus, Sanctus *&c. Eius apud Veteres nullam ante an. Dom. 529. mentionem occurrere videri.* 1208

X. *De Canone. Petrum non fuiße eius authorem demonstratur contra Bellarminum & Isidorum Hispalensem. Notatur illius vafrities in exponenda sua sententia, & æquivocatio explicatur. I. Petrus Canonem non mandavit litteris, quem si condidisset, mandaturus erat; quod utrumque probatur; atque inde demonstratur suppositītias eas esse Liturgias, quæ nunc Petri, Iacobi, & Marci nomine circumferuntur.* 1211

XI. *Non fuisse Canonem Missalem à Petro institutum, probatur II. duobus Gregorij Rom. testimoniis; uno, quo ait Apostolos ad Eucharistiæ Consecrationem non aliam orationem, quam Dominicam adhibuisse; Altero, quo precem tradit, quæ super oblationem suo avo dicebatur, non à Petro, sed à Scholastico compositam fuisse. Refellitur Bellarmini ad prius argumentum cavillatio. Eiusdem, precem pro mortuis Eucharistiæ Liturgiæ ab Apostolis adjectam esse ex Chrysostomi testimonio concludentis, paralogismus coarguitur. Patres ea nonnunquam Apostolis perperam tribuere, quæ vel iis ab authoribus suppositis tribui legebant, vel ubique passim observari videbant, vel ipsi ex scriptura colligi posse, tametsi falso putabant, vel denique à majoribus in singulis Provinciis tradita cernebant, idque probatur adductis Epiphanij, Augustini, Leonis, & Hieronymi exemplis.* 1217

XII. *Alterum Gregorij de Canonis novitate testimonium vindicatur à duplici Bellarmini sophistica solutione.* Scholasticus *quid sit Gregorio, & aliis scriptoribus sacris & profanis.*

DE CVLTI-



DE CVLTIBVS LATINORVM RELIGIOSIS

LIBER PRIMVS, QVI DE BAPTISMO EST.

CAPVT PRIMVM.

Adultorum solennis apud Latinos Baptismus. *Ejus cærimoniæ* XXII. *Totus ritus describitur, & quod ad eum adhibetur, Oleum & Chrisma.*

SIMPLICISSIMVM fuisse Sacri Baptismi à Domino Christo instituti apud Apostolicam Ecclesiam ritum, Scripturæ Evangelicæ satis clamant; Eundem nunc apud Latinos multiplici cærimoniarum pompa peragi, & nos videmus, & ipsi fuse docent. Fateor Tridentinam Synodum proprium de hac cultus parte decretum nullum edidisse, satisque habuisse doctrinam de huius sacramenti vi atque effectis suam aliquot anathematismis in genere sancire; *a* quibus ipsum actibus ritibusve constet ad hoc, ut legitimum sit, nusquam quod meminerim, definivisse. Sed quod hi Patres prætermiserunt, id & Theologorum in scholis diligentia accuratissime explanavit, & solennis ac publicus Latinarum Ecclesiarum usus abunde confirmat. Bellarminus præter ipsam in nomine Patris, Filij, ac Spiritus Sancti tinctionem, qua baptismus proprie censetur, alios non paucos ritus enumerat, *b* eosque in tres ordines digerit; Quosdam tinctionem antecedere, quosdam comitari, cæteros sequi. Primi census cærimonias edit duodecim, secundi quinque, ac tertii totidem: quæ universæ ad duas & viginti exsurgunt. Plærasque ab ipsis Apostolis repetit; Omnes antiquissimas esse ex veterum quæ breviter indicat, testimoniis contendit. Nos missis

a Conc. Trid. Sess. 7. Canonib. de Bapt.

b Bell. de Ba c. 25. 26. 27

Caput I. quæ ex quarto & secutis ad nos usque Christianismi seculis afferuntur; id unum ex instituti nostri ratione considerabimus, num hi omnes, qui nunc apud Latinos obtinent in administrando baptismo ritus, ij apud trium seculorum Ecclesiam, quæ à Christo nato prima ad quartum fluxerunt, noti & in hoc conferendo Sacramento vulgo usurpati fuerint.

Quod ut intelligatur, ante omnia edendus est baptismi Latinorum solennis ordo ex ipsis eorum Ritualibus libris, quo loco adultorum baptismum exsequuntur; quod is scilicet primis illis Christianismi seculis creber ac frequens esset, cum ex Iudæorum & Gentilium populis multi quotidie, Christo nomen dantes in Ecclesiam admitterentur. Latinus ergo Sacerdos postquam adultum aliquem sacrum lavacrum expetentem, Satanæ & omnibus operibus, ac pompis ejus abrenuntiare jussit, deque fidei symbolo rite interrogavit, tum vero in faciem hominis *ter exsufflat*, c semel dicens, *Exi ab eo Spiritus immunde, & da locum Spiritui Sancto Paracleto; & in modum crucis halat in faciem ipsius*, cum hoc solenni carmine, *Accipe Spiritum bonum per istam insufflationem, & Dei benedictionem. Pax tibi.* Inde in eius fronte & pectore crucem pollice ducit, dicens, *Accipe signum crucis*; & cætera, in quibus hominem jubet secta, ex qua migrat, errores & falsos cultus respuere, atque inhorrescere. Hic hominis frontem, aures, oculos, nares, pectus, & scapulas totidem sigillatim crucis signis consignat; *frontem*, ut suscipiat crucem Christi; *aures*, ut audiat divina præcepta; *oculos*, ut videat claritatem Dei, *nares*, ut odorem suavitatis Christi sentiat; *os*, ut loquatur verba vitæ; *pectus*, ut credat in Deum; *scapulas*, ut suscipiat jugum servitutis eius; ac denique totum corpus his verbis ter signat; *Signo te totum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ut habeas vitam æternam, & vivas in secula seculorum. Amen.* Tum baptizandum manibus eius capiti impositis Deo concepta oratione commendat; & his peractis sali benedicit; *Exorcizo te creatura salis, in nomine Patris omnipotentis, & in caritate Domini nostri Iesu Christi, & in virtute Spiritus Sancti. Exorcizo te per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, per Deum, qui te ad tutelam humana generis procreavit, & populi venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit, ut in nomine sanctæ trinitatis efficiaris salutare Sacramentum, ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices, & benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medecina, permanens in visceribus eorum, in nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.* De hoc ita consecrato sale micas paucas accipit, pollice & indice, & immittit in os baptizandi, &, *Accipe* (inquit) *Sal sapientiæ Propitiatio tibi sit in vitam æternam. Amen.* Tum Sacerdos cruce baptizandi fronti denuo impressa ad exorcismum pergit; *Maledicte* (inquit) *Diabole, recognosce sententiam tuam & da honorem*

c Rit. Rom. de bapt. ad ult. p. 65. & seqq.

honorem Deo vivo, & vero. Da honorem Iesu Christo Filio ejus, & Spiritui Sancto, & recede ab hoc famulo Dei N. quia istum sibi Deus, & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam, fontemque baptismatis vocare dignatus est; & hoc signum sanctæ crucis † quod nos fronti ejus damus, tu maledicte Diabole, nunquam audeas violare. Hoc & uno atque altero exorcismo purgatum hominem in Ecclesiam inducit, ac in genua primum procumbentem, mox in pedes erectum imposita eius capiti manu Symbolum Apostolorum, & orationem Dominicam recitare jubet; & repetito alio superioris gemino exorcismo probe riteque hominem de integro purgat, eiusque aures & nares oris sui saliva tangit. Ac aures quidem dum tangit, simul dicit. *Ephpheta*, quod est adaperire. Sic & nares tangens, *In odorem* (inquit) *suavitatis*. Hic vero veluti superiorum repente oblitus iterum rogat, quod sit ei nomen, & an non abrenunciet Satanæ, & eius pompis? Atque ita deinceps oleo quodam rite consecrato baptizandi primum pectus, mox scapulas in crucem inungit, simul occinens, *Ego te linio oleo salutis in Christo Iesu Domino nostro in vitam æternam.* Atque hic hominem de nomine & fide iam tertio interrogatum trina aquæ in caput eius effusione in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti baptizat. Necdum finis. Idem enim Sacerdos dextro pollice verticem tincti hominis chrismate in modum crucis inungit, dicens, *Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat chrismate salutis in eodem Christo Iesu Domino nostro, in vitam æternam.* Amen. Tum eius capiti linteolum candidum imponit, quod chrismale vocant, & dat illi vestem candidam; *Accipe* (inquit) *vestem candidam, & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, ut habeas vitam æternam. Amen.* Quibus auditis baptizatus induitur novis vestibus albi coloris, vel saltem exteriore cādida, quam à Sacerdote accepit. Sic ornato Sacerdos postremo dat cereum, seu candelam accensam manu dextra usque in finem gestandam, dicens. *Accipe lampadem ardentem, & irreprehensibilis custodi baptismum tuum, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei in aula cœlesti in vitam æternam. Amen.*

Præterea observandum est, & aquam, qua tingitur baptizatus, & oleum, quo linitur, & chrisma, quo inungitur, omnia certis quibusdam ritibus, suisque singula temporibus ante fuisse consecrata, quam ad hunc baptismi usum adhibeantur. Aquam sibi Sabbato Sancto Presbyter in fontem, ut vocant, effusam in hunc maxime modum conficit. Primo Deum fonti adstans multis precibus veneratur, d *ut fons eius imperiosumat Unigeniti gratiam de Spiritu Sancto.* Tū extensa in fontem manu aquam in modum crucis dividit, ac linteo extergit, precans, *ut eam regenerandis hominibus præparatam Spiritus Sancti arcana sui numinis admixtione fœcundet; ut sanctificatione concepta ab immaculato divini fontis utero, in novam renata creaturam progenies cœlestis emergat, & quos*

d Miss. Rom. in Sabb. S in benedict. font. p. 270.

Caput I. *aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore omnes in unam pariat gratia mater infantiam.* Tum conversa in adversarias potestates oratione, *Procul ergo hinc* (inquit) *jubente te Domine, omnis spiritus immundus abscedat; Procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat.* Mox paulo post; *Sit hæc sancta & innocens creatura ab omni impugnatoris incursu, & totius nequitiæ purgata discessu. Sit fons vivus; aqua regenerans, unda purificans;* & cætera in eandem sententiam comprecatus fontem cruce ter signat; & *Benedico te* (inquit) *creatura aquæ per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, per Deum, qui te in principio verbo separavit ab arida; cuius Spiritus super te ferebatur, qui te de Paradiso manare fecit &c. Benedico te & per Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum, qui te in Cana Galilææ signo admirabili sua potentia convertit in vinum &c.* Mox halans in aquam in modum crucis, Deum rogat, ut aquas illas suo ore benedicat, *ut* (inquit) *præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces.* Hæc fatus cereum in aquam paulum immittit: &, *Descendat* (inquit) *in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus Sancti.* Deinde extractum cereum de aqua iterum profundius mergit, idem illud carmen, *Descendat in hanc &c.* aliquando clarius repetens. Tertiò eundem cereum extractum ad fundum fontis immergens eadem verba, etiam quam antea clarius, canit, *Descendat in hanc &c.* Tum sufflans in aquam secundum hanc figuram † cœptum de Spiritus virtute carmen his tandem verbis absolvit, *totamque huius aquæ substantiam regenerandi fœcundet effectu.*; & elato de aqua cereo pergens, *Hic omnium* (inquit) *peccatorum maculæ deleantur; Hic natura ad imaginem suam condita, & ad honorem sui reformata principij cunctis vetustatis squaloribus emundetur, ut omnis homo sacramentum hoc regenerationis ingressus, in vera innocentia infantiam renascatur;* & cætera, quibus dictis, alij qui adsunt Sacerdotes aqua illa benedicta plebem adstantem conspergunt; unus vero ex Ecclesiæ ministris vas quoddam eadem aqua replet; quæ ad hoc servatur, ut ea si quando usus fuerit, domus & alia loca aspergantur. His peractis Sacerdos oleum Catechumenorum in aquam ad crucis modum infundit, clara voce occinens, *Sanctificetur & fœcundetur fons iste oleo salutis renascentibus* ex eo in vitam æternam. Chrisma eodem modo continenter in fontem mittit; *Infusio chrismatis Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus Sancti Paracleti fiat in nomine sanctæ Trinitatis.* Sed & oleum illud & illud chrisma, quæ seorsum in aquam miserat, de ampullis ambabus simul in fontem in modum crucis infundit, dicens, *Commixtio chrismatis sanctificationis, & olei unctionis & aquæ baptismatis pariter fiat in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* Denique ipsum oleum *miscet cum aqua, & spargit manu sua per omnem fontem.* Atque ita quidem à Latinis conficitur aqua baptismalis. Neque apud eos fas est in baptismo quidem solenni aquam, nisi his ritibus consecratam adhibere. Hanc itaque vel Paschæ, vel Pentecostes

Sabbato.

Sabbato rite consecratam summa cura atque diligentia in anni labentis usus conservant, *e* caventes ne loci, vel vasis vitio, vel alia, ut fit, de caussa corrumpatur. Qui enim baptismus ex aqua corrupta fit, eum illi pro irrito, ac ut loquuntur, pro nullo habent: Quod si quando accidat, ut aqua illa solennis casu aliquo corrupta computrescat; tum Sacerdos novam de integro ad sacros usus conficit; quod pæne iisdem ritibus fit, quos nuper descripsimus; nisi quod antequam oleum in aquam mittat, fontem incenso thure in hoc sacro lustrat; quod in superiori factum nusquam observo. CAPVT I. *e* Rit. Rom. p. 57.

Sed ut Latini baptismi ritus plane intelligatur, nunc quoque pandenda sunt Chrismatis, & olei, ut vocant, Catechumenorum mysteria; quod utriusque in baptismo, ut supra ostendimus, plurimus sit apud eos usus. Vtriusque Sacramenti hoc inprimis est præcipuum, quod cum aqua baptismalis etiam à Presbytero rite confici possit, chrisma & oleum Catechumenorum, non ab alio quam à principe sacerdote, id est ab Episcopo confici fas putant. Mitto quo comitatu, quibus & ipse & comites vestibus, quibus ornamentis, quo apparatu, qua denique pompa hoc opus aggrediatur feria Paschalis hebdomadis quinta, huius sacri propria. Vbi ergo infulatus inter Presbyteros non pauciores quam duodecim, medius in sacrario consedit, adstante à tergo Diaconorum & Subdiaconorum manu, *f* afferuntur ampullæ duæ, olei altera, altera vero balsami, magna procedentium pompa, lætoque psallentium cantu invectæ. Ad hæc surgit Pontifex, positaque mitra conversus ad altare balsamum concepta ad Deum prece benedicit, *ut odoriferam sicci corticis lacrymam, quæ*, inquit, *fælicis virga profluendo sudorem sacerdotali nos opimat unguento, acceptabilem suis præstet mysteriis, & concessa benedictione sanctificet*. Sed & altera continenter prece rei origines à Mosaïcis usque sacris repetens, divinam clementiam poscit, *ut huic* (inquit) *unguento, quod radix produxit stirpea, spiritualem gratiam largiendo plenitudinem sanctificationis infundat. Sit nobis Domine fidei hilaritate conditum, sit sacerdotalis unguenti chrisma perpetuum; sit ad cœlestis vexilli impressionem dignissimum, ut quicumque baptismate sacro renati isto fuerint liquore peruncti, corporum atque animarum benedictionem plenissimam consequantur, & beata fidei collato munere perenniter amplientur*. Adhuc sumpta mitra balsamum cum modico olei permiscens, Deum iterum adorat, & quædam in rem præsentem apud eum præfatus petit, *ut illos ex diversis creaturarum speciebus liquores creatos sanctæ Trinitatis perfectione benedicat, & benedicendo sanctificet, concedatque ut permisti unum fiant; & quicumque exterius inde perunctus fuerit, ita interius liniatur, quod omnibus sordibus corporalis materiæ carens se participem regni cœlestis effici gratuletur*. Tum residens mitratus ter halat in modum crucis in os ampullæ chrismalis; quo exemplo duodecim qui ei adsunt Presbyteri suo quoque halitu ampullam consecrant. Inde Antistes horrendum in adversarias potestates exorcismorum carmen intonat,

f Pont. Rom. p. 3. de offic. in Cœn. Do. p. 413. 414. ad 423.

Caput I. nat, *& creaturam olei omnipotentis Patris, rerum universarum Creatoris nomine* conveniens ac compellans, disertissime edicit, *ut omnis virtus adversarij, omnis Exercitus diaboli, omnisque incursio, & omne*(inquit) *Satanæ phantasma eradicetur, & effugetur à te; ut fias omnibus, qui ex te ungendi sunt, in adoptionem filiorum per Spiritum Sanctum.* Deinde posita mitra longum Deo canticum exorditur, quo multas ei gratias agit, *quod ex terra ligna fructifera eduxerit, olivas inprimis pinguissimi liquoris ministras, quarum fructus sacro chrismati deserviret.* Eo quædam refert ex Davidis oraculis, & illum nuntium pacis ramum à columba olim ad Noë in arcam allatum. Hac nunc unctione *vultus suos jucundos effici & serenos. De sacerdotio Aaroni per unguentum collato, ac de Christo Iordanicis undis loto* pauca indé philosophatus, Dominum æternum ac omnipotentem Patrem deprecatur, *ut illam oleo pinguedinem Sanctificare sua benedictione dignetur, eique sancti Spiritus admiscere virtutem, ut spiritualis lavacri baptismo renovandis creaturam chrismatis in sacramentum perfectæ salutis, vitæque confirmet; ut Sanctificatione unctionis infusa, corruptione primæ nativitatis absorpta, sanctum uniuscujusque templum acceptabilis vitæ innocentiæ odore redolescat; ut secundum divinæ constitutionis sacramentum Regio, & Sacerdotali Propheticoque honore perfusi, vestimento incorrupti muneris induantur; Vt sit baptizatis chrisma salutis, eosque æternæ vitæ participes, & cœlestis gloriæ facias esse consortes.* Hæc precatus oleum cum balsamo commiscet, &, *Hæc* (inquit) *commixtio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis propitiatio, & custodia salutaris in secula seculorum. Amen.* Peracta consecratione ampullam chrismalem in albo serico candentem Pontifex mitra posita, capite inclinato his verbis semel, iterum, & tertio repetitis salutat; *Ave sanctum chrisma*, tandemque ampullæ osculum labio reverenter figit. Nec mora. Post Antistitem accedunt Presbyteri suo singuli ordine, benedictæque illi ampullæ omnino eandem venerationem exhibent.

Superest oleum, quod dicitur Catechumenorum. Ergo in huius olei ampullam, simul atque in medio ante Pontificem collocata est, g tum ipse princeps, tum qui adsunt Presbyteri suo quisque ordine halant; planè, ut in chrismate fecisse eos intelleximus. Hinc Pontifex mitratus tingit, & oleum his verbis purgat; *Exorcizo te creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Iesu Christi, & Spiritus Sancti; ut in hac invocatione individuæ Trinitatis, atque unius virtute Deitatis, omnis nequissima virtus adversarij, omnis inveterata malitia diaboli, omnis violenta incursio, omne confusum & cæcum phantasma eradicetur, & effugetur, & discedat à te; ut divinis sacramentis, purificata fias in adoptionem carnis Spiritus eis, qui ex te ungendi sunt, in remissionem omnium peccatorum; ut efficiantur eorum corpora ad omnem gratiam spiritualem accipiendam sanctificata.* Tum conversa ad Deum oratione, petit, *ut emittere dignetur suam benedictionem super istud oleum, & venturis ad beatæ regenerationis lavacrum tribuas per unctionem illius creaturæ purgationem mentis & corporis;*

g Pontif. Rom. ibid. p. 413. ad 426.

poris; ut si qua illis adversantium spirituum inhæsere macula ad tactum sanctificati olei abscedant; & cætera in eandem sententiam; quæ nihil necesse est describere. Postremo oleum tum Pontifex, tum duodecim ex ordine Presbyteri reverenter salutant, his verbis ter repetitis, *Ave sanctum oleum*; & ipsius postremo os ampullæ osculantur. Siquid vel olei vel chrismatis priore anno confecti in ampullis remanserit, id in lampadibus ante sacramentum ardentibus ponitur ac consumitur? Siquid in pyxidibus vel capsulis reliquum superest, *b* id vero cum bombyce igni comburitur; & novum cum nova bombyce in pyxidibus sive capsulis imponitur. Nam hoc & oleo & chrismate ultra annum, quo sunt à Pontifice confecta, ad sacra uti nefas putant. Vtrumque liquorem argenteis, vel certe stanneis vasculis, accurate clausis & obturatis, suo alterum ab altero pittacio distinctum recondunt. Oleum autem utrumque Presbyter vel ipse defert, vel certe Clerico, neque alii quam Clerico deferendum committit; neutrius vero copiam ulli mortalium facit.

b Rit. Rom. de Sacr. Bapt. p. 13.

CAPVT II.

Recensentur ex Bellarmino 22. Baptismi cærimoniæ. Ex iis quædam hinc excluduntur; quæ scriptura nituntur. 2. quæ vere non sunt baptismi cærimoniæ, sed ei aliis de caussis accidunt. 3. quæ nunquam in usu fuisse apud veteres, videntur; ut baptizati osculum.

HÆc hodie est Latinorum praxis in administrando adultis solenni baptismo. Vt autem hunc rerum tam multarum acervum excutiamus, eum ordinem sequemur, quo Bellarminus baptismales cærimonias recensuit; quas omnes in tres, ut diximus, classes distribuit. In prima eas censet, quæ baptismum præcedunt, numero XII. Prima est, qua sua apud Ecclesiam nomina edunt baptismi candidati, inde *competentes* veteribus dicti. 2. est scrutinium. 3. abrenuntiatio Satanæ & operum eius. 4. Fidei confessio. 5. signum crucis in fronte & pectore. 6. Exorcismus. 7. exsufflatio. 8. gustus salis. 9 Saliva nares & aures baptizandi contingere, dicendo *Ephpheta*, id est *adaperire*. 10. Impositio manuum & benedictio. 11. unctio ex oleo. 12. Abstinentia vini & carnium, & rei uxoriæ. Altera cerimoniarum classis, earum est, quæ in ipso baptismo adhibentur. Prima huius ordinis est nominis impositio. 2. Susceptorum in elevandis de fonte neophytis opera. 3. aquæ consecratio. 4. trina mersio. 5 tempus administrationis; Pascha scilicet & Pentecoste. Tertia classis earum est, quæ baptismum sequuntur. 1. est osculum pacis. 2. unctio chrismatis in vertice. 3. Cerei accensi gestatio. 4. vestis cādida. 5. Delibatio lactis & mellis. Hæc Bellarmino est cærimoniarum baptismalium Sylva; in quam ille multa obsoleta cum usitatis, ἴδχαρα cum ἀχάρους permiscens, quæ iam huic ab earum rerum censu

Caput II. aliena conjecit, de quibus hic disputare instituimus.

Principio enim nonnulla ex istis Bellarminianis animadverto, quæ non tam baptismi cærimoniæ, quam legitimæ ac necessariæ sunt ad eum præparationes. Cum enim non quosvis homines adultos ad baptismum temerè ac promiscuè, sed aliquos tantum certa quadam lege ac conditione ab Ecclesiæ ministris admitti, & Christus præceperit, & Apostoli docuerint; omnes vident clarissima ex Scripturis auctoritate niti, quod Ministri ad se baptismi suscipiendi gratia accedentes probant, interrogant, atque explorant, an ii revera sint, quibus Domini Sacramentum tutò ac legitimè concedi possit. Quæ ergo ad hoc examen necessariò pertinent, ea dummodo honestè ac decorè, & ex Christianismi ingenio fiant, absit ut negemus Christi & Apostolorum auctoritate niti. Catechismus Tridentinus quæ sunt hujusmodi, ea ad ipsam Domini de baptismo legem merito refert. Nam cum eos, qui Christianis sacris initiari volunt, primum dixisset Christiana doctrina, quam in baptismo professuri sunt, imbui debere, idque catechismo effici; *cujus* (inquit) *i institutionis morem à Domini Salvatoris præcepto manaße, nemo dubitare poteſt*, cum ipse Apostolis jusserit, Ire in mundū universum, & docete omnes gentes, baptizantes eos &c. *Ex quo licet cognoscere baptismum non esse administrandum priusquam summa saltem religionis nostræ capita exponantur.* Hactenus Tridentini Catechetæ; rectè profectò ac prudenter. Cum enim Christus adultum doceri, quæ ipse mandavit, antequam tingatur, clarè disertèque præceperit; insanum fuerit ab eo præceptam negare baptizandorum catechesin. Iam cum quæ Christus mandavit in duplici rerum genere versentur (quædam enim credi, quædam vero fieri, ac observari mandavit) illis fides, his vita & mores Christianorum constituuntur; qui omnia quæ mandavit, doceri initiandos præcipit Christus, idem quoque clarè ac necessariò præcipere intelligitur, ut ii utroque mandatorum genere imbuantur, hoc est ut de fide, & de moribus Christianismi doceantur. Sed quoniam hæ duæ Christianæ disciplinæ partes necessario ac indivulso inter se nexu conjunctæ sunt; hinc fit, ut sacri scriptores uno alterius nomine utramque complectantur. Ita Philippus, dum Æthiopi baptisma poscenti, *Si credis* (inquit) *k ex toto corde, licet*. Uno licet *credendi* vocabulo, non fidem modo quæ hoc proprie vocabulo significatur, sed & vitæ ad traditam à Christo normam emendationem complectitur. Itidem & altera ex parte Petrus quærentibus Iudæis, quid facerent, *Pœnitentiam* (inquit) *l agite, & baptizetur unusquisque vestrûm.* Non est dubitandum, quin pœnitentiæ, *μετανοίας*, id est emendationis vitæ vocabulo eam quoque, unde ipsa est, fidem contineri ac significari voluerit. Christi ergo præceptum est in Scripturis traditum, debere, qui baptizandi sunt, & de fide mysteriorum Evangelicorum doceri, & abdicata prioris vitæ, quam absque Christo in vitiis degebant forma, sanctimoniæ à Christo traditæ ac mandatæ studium capescere. Iam cum

i Catec. Trident. tit. de bapt.

k Act. 8. 37.

l Act. 2. 38.

cum qui in sacro Christianorum conventu baptizantur adulti, Ecclesiæ ad ædificationem & consolationem suam plurimùm intersit scire, qui qualesque ij sint, ac num ea rerum divinarum cognitione, vitæque probitate ac innocentia præditi, qua præditos esse tanti Sacramenti candidatos decet; clarum est, ex eodem Domini Christi præcepto fas esse; imo expedire, ut postquam competentes de suo in his profectu apud Episcopum atque Presbyteros abundè testati sunt, earundem rerum, antequam tingantur, breve specimen apud totam Ecclesiam edant. Quæ ergo huc pertinent, modo quod diximus graviter, atque honestè fiant, ea nos procul ab earum cærimoniarum censu amovemus, quas velut inanes & primis Christianis ignotas, hinc amolimur. CAPUT II.

His ita præstructis nunc illum, sanè prolixum Bellarmini catalogum, recenseamus. Istic primo loco editur, *m* quod singuli baptizandi nomen suum darent. Credo. Non enim de nomine ignotos Præpositis eos esse decuit, qui Ecclesiæ cives esse, & in eius albo adscribi vellent. Hanc verò unam esse ex proprijs baptismi cærimoniis nemo, ut opinor, sanus dixerit.

m Bell. L. de Bapt. cap. 25.

Secundo loco Bellarminus ponit *Scrutinium*; quod, si ut vox sonat, examen significat, quo Catechumenorum fides ac vita exploratur & probatur; quis Christum neget hoc baptizandorum scrutinium eo ipso præcepisse, quod aqua sua non alios tingi concessit, quam qui suum Evangelium docti essent? Neque enim hoc baptismatis ministri aliter, quam instituto aliquo scrutinio explorare possunt. Siquid verò hominum κακοεργία vitij saluberrimo & necessario officio attulit, id rei ipsius vel originem, vel utilitatem non lædit, Philippus rectè Eunuchum, Petrus Iudæos, & suum postea Centurionem scrutati sunt, antequam tingerent. Neque dubitandum est, quin Paulus de Lydia & cæteris, quos Christo per baptismum aggregavit, idem quoque instituerit.

Tertiam Bellarminus habet baptismi cærimoniam *abrenuntiationem Satanæ, & operum eius*, quam magno molimine notatis & indicatis multorum Patrum testimoniis confirmat; quasi quisquam sit adeo stultus, ut neget, qui Christo nomen dat, eum Satanæ nuntium mittere debere. Hæc vero, ut omnes vident, illius pœnitentiæ pars est, quam Petri autoritate à baptizandis requiri ostendimus; ut eam nulla ratio sit ritibus accensendi, qui non divinis Scripturæ litteris, sed sola ἀγράφῳ traditione accepti sunt. Ac licet ille actus omnium esse debeat; qui ad Christi disciplinam initiantur, Paganos tamen præ cæteris renunciare decuit dæmonibus, & eorum principi Satanæ, quibus scilicet antea servierant.

Iam quod ijdem de fide interrogati, symbolum recitabant, quam Bellarminus quartam numerat baptismi cærimoniam, hoc ut ostendimus, liquido pertinebat ad constitutam à Christo disciplinam; ex qua nemo ad baptismum admittitur, nisi qui Christianismi elementa didicerit.

Caput II. cerit. Neque ratione vacat, quod hæc apud Ecclesiam compendio profitebantur; quam scilicet non decuit nescire, an recte & ex Domini canone fierent, quæ apud eam gerebantur.

Ad eandem quoque institutionis, & in fide suscepta confirmationis caussam pertinet decima quarta Bellarmini cærimonia, *susceptorum* scilicet, sive *Patrinorum* (ut vulgo vocant) officium; quorum curæ committitur, qui Christo initiatur. Iam hoc in usu fuisse apud Christianos secundi seculi exeuntis docet Tertullianus, qui *sponsores* vocat; n utilissimum maxime infantibus, institutum, si modo vere ac serio res agatur; neque, quod nimium quam sæpe accidit, in meram abeat cærimoniam. Cæterum non video, cur caritatis ac pietatis Christianæ in neophytos opus inter baptismi cærimonias censeatur.

n Tertull de Bapt. cap. 18. p. 264. 4.

Fuisse manus olim baptizatis impositas jam à Tertulliani o ævo (quæ decima Bellarmino est baptismi cærimonia) confiteor; fuisse hunc morem apud veteres qui eum factitabant, pro mystica aliqua cærimonia baptismi habitum, non concedo; neque sane ulla ratio id vincit. Quibus enim *manus impositio* nihil aliud teste ac auctore Augustino, p fuit, nisi *oratio super hominem*, eos non est absurdum, vel incredibile, quos Christo rite suscepto baptismo initiatos, Deo precibus suis enixe commendabant; (quod illo maxime temporis articulo fieri decebat) ijs veteri à Patriarchis ducto, & ab Apostolis crebro in multis extra consuetum rerum ordinem occurrentibus causis usurpato more, manus imposuisse. Certe idem eos æque fecisse in plurimis alijs extra baptismum satis superque constat; Apostolos quidem in morborum & infirmitatum curationibus, a in benedictionibus, b in ordinationibus; c sequentium vero seculorum Patres & in ordinationibus, & in pœnitentiam reconciliatione, & in nuptiarum benedictione, & fere in cæteris Ecclesiæ negotiis, quæ gravia essent & solennia. Nihil ergo est, quod quam tam multis tam diversi ingenij rebus impendebant, manus impositionem, eam vel miremur ab ijsdem in baptismo quoque fuisse adhibitam, vel putemus hoc loco aliud fuisse, quam in cæteris, orationem scilicet super hominem.

o Id. ibid. c. 8. p. 258. c

p Aug. l. 3 de Bapt. contr. Donat. c. 16.

a Mat. 16. 18 Act. 9. 5. 12. 17. & 28. 8.

b Act. 13. 8.

c 1. Ti. 5. 6 2. Tim. 4. 14. & 5. 22.

Abstinentia vini & carnium, & rei etiam uxoriæ Bellarmino est duodecima baptizandorum cærimonia. Illi quidem sic libuit rem eloqui. Ego vero respondeo primum nescire me, an hanc Latini legem adultis ad baptismum apud se suscipiendum accedentibus ferant; De ea certe nullum in Catechismo Tridentino verbum reperio; neque quod meminerim, in multis de illorum apud Paganos rebus, historijs & Annalibus, in quibus plurimi adultorum ex illis gentibus baptismi referuntur. Iam ut ad eos Christianos veniam, de quibus proprie instituta est nostra hæc disputatio, id est ad eos, qui post Christi ascensionem ad a. D. 300. vixerunt, fateor in usu apud eos fuisse aliquam, huic quam Bellarminus dicit, cærimoniæ respondentem, sed ab ea tamen reapse diversam disciplinam. Si dixisset apud illius ævi Ecclesiam, consuevisse eos, qui baptismum poscerent, jejunare antequam tingerentur, neque ipsos solum, sed & pene totum una cum ijs piorum cœtum, in quo

baptismum accipiebant; concederem equidem; Id enim vel unus à nobis infra describendus Iustini *d* de hoc Sacramento locus abunde probat; sed negarem primo eam legem rectè à Latinis objici, quam ipsi jam pridem antiquarunt, substituta in veteris jejunij locum sua illa, *non quidem vini*, sed carnium abstinentia. Secundo responderem illam *jejunij* à vetustissimis Christianis, antequam baptizarentur, servari optimam ac laudatissimam legem, ritibus ἀγράφοις male falsoque accenseri, quæ disertissimo Scripturæ testimonio nititur. Est enim jejunium illius pœnitentiæ pars appositissima, quam Petrus suis baptismi candidatis in Actis Apostolicis indicit. *Pœnitentiam agite* (inquit) *& baptizetur unusquisque vestrûm.* Cum ergo ex hac baptismi lege omnes baptizandi ad pœnitentiam agendam obstringantur; quam verò singuli agunt, ejus nullum jejunio clarius aut solennius indicium exhibere possint Ecclesiæ apud quam baptismum suscepturi sunt; apparet & Scripturæ autoritate, & ratione evidentissima niti hunc illis jejunandi morem à vetustissimis olim Christianis commendatum. Neque verò baptismale hoc jejunium post Iustini avum desiisse putes. Mansisse adhuc tertio, quarto, & quinto seculo testantur Patres. Tertullianus prolixe commendat ac defendit; *e Ingressuros* (inquit) *baptismum orationibus crebris, IEIVNIIS, & geniculationibus crebris & pervigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retrò delictorum.* Cyrilli Hierosolymitani. *f* Augustini, *g* Leonis *h* & aliorum de secutis temporibus testimonia describere supervacaneum est: quod res controversia careat. Neque aliter illis seculis fieri potuit, quibus post a. D. 300. in Ecclesia vigebat novitium quadragesimæ institutum, quod Paschali nocte, quæ quadragesimam excipiebat, solennis baptismus ministraretur. Imo propter ipsos potissimum baptizandos, institutam primum fuisse quadragesimam, ego quidem nullus dubito. Nam ex indicato Iustini loco constat, (cujus tempore nondum extitisse apparet ullam vel de quadragesima, vel de Paschali baptismi ministratione legem) jam tamen nostris solenne fuisse, ut exteri ejus Ecclesiæ fideles, in qua baptizandus erat aliquis Catechumenus, una cum illo orarent & jejunarent. *Iejunare* (inquit) *i docentur* (baptizandi scilicet) *NOBIS una cum illis & orantibus & IEIVNANTIBVS.* ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς. Cum ergo postea placuisset baptismum Paschali potissimum nocte celebrari, pronum ac facile fuit dies, qui id tempus antecedebant, jejuniis ubique impendi, quod ubique Catechumeni sese hujusmodi exercitiis ad baptismum præpararent.

CAP. II.
d Iustin. Apolog 2. p. 71. lin. 30.
e Tertull. de Bapt. c. 20. p. 264. D.
f Cyrill. Hieros. Catech. 1. Illumin.
g Aug. de fid. & op. c. 6.
h Leo ep. 4. c. 6.
i Iustin. Apol. 2. p. 83. lin. 32.

Sed neque video, cur *nominis impositionem* necesse sit inter baptismi cærimonias censeri, quarum in numero est apud Bellarminum XIII. Fateor infantibus nomina nunc imponi cum baptizantur. Quid-ni? Certe aliquo tempore imponi necesse est. Sed neque ullum aliud in toto vitæ humanæ curriculo tempus facile reperias aptius atque opportunius, quo homo recens in carne natus Christo in Ecclesia renascitur.

CAP. II. Id ergo per accidens ita fit, quod eo ipso tempore nomen imponi deceat & expediat, quo nunc confertur baptismus, in ipso scilicet vitæ ac infantiæ limine. Quæ ratio quoque fuit, cur Hebræi suis liberis nomen in ipso circumcisionis sacro imponerent; ut ex Baptistæ apud

k Luc. 1. 59. Lucam *k* historia discimus; non quod illius sacri ulla cærimonia esset nominis impositio; sed quod eo tempore circumcideretur infans, quo & nomen eum sortiri erat opportunum; quod vel inde manifestum est, quod nullum iis nomen imponebatur, qui extra hæc vitæ initia circumcidebantur; ut adulti, ex Ethnicismo ad Iudaïsmum conversi, quibus pristina, quæ retro apud Paganos adepti erant, nomina etiam circumcisis manebant; nulla quod equidem sciam, alia imponebantur. Apud nostros eadem quoque ratio servata est; idque Bellarminus intelligere vel ex eo patuit, quod ipse observat, qui olim baptizabantur, eos nomina in baptismo minime mutasse; *ut apparet* (inquit) *de Saulo*

l Act. 9. & 10. *Act. 9. & de Cornelio Act. 10. l & de Ambrosio, Augustino, & aliis.* Id ipsum ex Harma & Apollo patet. Hæc enim sunt merè Paganica nomina; quæ adeo cum ante susceptum Christianismum nati essent viri illi, etiam post baptismum retinuerunt. Atque hinc patet nominis impositionem nullam esse baptismi cærimoniam; quæ si eo loco ac numero habita esset, tam in adultorum, quam in parvulorum initiatione adhibita esset. Sed neque antiquum esse hunc Latinorum morem, manifestum est. In primæ quidem ad a. D. 300. Ecclesiæ monumentis nihil occurrit, quo constare possit, id iam apud nostros factitatum esse, quod hodie fit Sed ne secutis quidem temporibus hunc usum obtinuisse fusè docuit Hugo Menardus, Monachus Benedictinus, multis argumentis

m Menard. Not. in L. Sacr. Greg. p. 98. demonstrans *m nomina olim non in ipso baptismo, sed ante eum fuisse infantibus à nostris imposita*; primo ex ipso Gregoriano Sacramentorum libro, in quem eruditissimas notas scripsit. In eo enim baptizandus interrogatur, *qui vocetur*? Stulte, ut omnes vident, si nomen quo vocaretur, nullum domo attulerat, id in sacro primum lavacro accepturus. Siqui vero apud veteres nomina in baptismo sortiti memorentur, ut

n Greg. Hist. l. 2. & 10. apud Gregorium Turonensem *n* Innomer & Clodomer. Clodovæi Regis, & Clotarius Chilperici filij, id Hugo extra solennem ordinem contigisse affirmat, quod illi (inquit) *extra solemnia baptismi tempora, non multo post natalium suorum diem sacris tincti sint aquis.* Idem inde

a Au. de cur. pro mart c. 10. Es de fid. & op. c. 6. quoque confirmat, quod ut ex disertis Augustini, *a* Cyrilli Hierosolymitani, *b* Gregorij Nysseni, *c* Concilij Carthaginensis IV., *d* lesse Ambianensis *e* & aliorum testimoniis patet, ac ut ipse Bellarminus

b Cyrill. Hier Præfat. observat competentes olim *sua nomina aliquot ante baptismum diebus in*

c Greg. Nys. Orat. in eos qui bapt. differ. *matriculam referenda dare solerent*; quæ adeo ante sacrum baptisma nacti erant; non autem in eo primum sortiebantur. Quæ vero Bellarminus & alij pro hodierni moris antiquitate afferunt, ea Hugo breviter

d Conc. Carth. 4. c. 85. ac dilucide solvit. Ad illud, quod Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *f* scribit *ex fidelium liberis multos Pauli & Petri nominibus appella-*

tos

CAP. II.

tes passim videri; ille, quod verum est, respondet, hoc quidem tradere Dionysium, sed quod quæritur istos scilicet Petri & Pauli nomina in baptismo demum non autem antea accepisse, id inquam neque Dionysium, neque Eusebium, neque illius memoriæ quemquam alium scriptorem docere. Pseud Areopagitam *g* vero, cum in loco à Bellarmino objecto dicit *sacerdotem è Scripto, baptizandum & susceptorem proclamare*, de nomine loqui à competente paulo ante ex veteri, ut diximus, more, dato & matriculæ Ecclesiasticæ, ex qua recitabatur inscripto; de nomine in ipso primum baptismate dato nihil vel aperte vel obscure significare. Nicænos denique Canones *h* à Turriano, avidissimo talium quisquiliarum homine ex Arabia in nostrum orbem primum convectatos, quorum tricesimum Bellarminus in hac caussa afferre non dubitavit, Hugo veluti *dubiæ fidei* nec dum vulgo recepto testes merito repudiat. Itaque hanc nominis impositionem quæ neque ad baptismum proprie ac per se pertinet, neque ullam habet ex antiquitate auctoritatem; melius consultiusque erat in cærimoniarum baptismalium catalogo indictam prætermittere.

e Ier. Amb. ep. de bapt.
f Euf. Hist. L. 7. c. 25. (Lat. 20)
g Dion. Areop. Hier. Eccl. c. 2.
h Con Nic. ex Arab. c. 30.

Sed multo etiam minus in harum rerum censum admittenda erat illa, quæ à Bellarmino prima post baptismum recensetur *osculi* cærimonia. Atqui hæc neque apud Latinos hodie in usu est, neque apud veteres olim fuisse cernitur; tametsi & Bellarminus *i* vehementer, & Vicecomes *k* etiam vehementius antiquam esse contendant. Incredibile enim est ritum adeo singularem, si revera, quod isti affirmant, in usu apud veteres, & quidem quod vult Vicecomes, diu ante Augustini tempora fuisset, novo aliquem memoratum fuisse de tam multis illorum seculorum scriptoribus, quorum ad nos monumenta pervenerunt; ex iis præsertim, qui totum baptismi ordinem tam diligenter, tamque copiose, ac ut sic dicam, anxie litteris mandarunt, quales habemus ex vetustissimis Tertullianum, ex quarto & quinto & sexto seculo Pseudo-Clementem, Pseud Ambrosium, & Pseudo-Dionysium, in iis operibus, quæ vel proprie de baptismo, ut Tertullianus, vel etiam de universis sacramentis, legitimaque eorum administratione, ut tres illi quos diximus, accuratissime scripserunt. Atqui ne levissimum quidem hujus moris vestigium vel in his, vel in aliis sive antiquissimorum, sive iis paulo recentiorum monumentis extat. Osculum quidem, quod fideles mutuo inter se post Eucharistiam dabant, nemo fere istorum tacet. De baptismi osculo, altum ubique silentium: eo (si Vicecomitis quidem placita admittimus) admirabilius atque flagitiosius, quod hic non in ore, ut moris est, sed in imò baptizati pede à ministro, qui eum tinxerat, figi solitum illud osculum nobis serio narrat. Nam cum hic osculandi modus, non Ecclesiæ tantum, sed omnibus, quod equidem sciam, gentibus ignotus sit & inusitatus: profecto necesse erat, idque ad scriptorum officium maxime pertinebat, rem adeo novam ac peregrinam dici, ejusque ita instituendæ rationes

i Bell. de Bapt. c. 27.
k Vicec. de Rit. bapt. L. 5. c. 1.

Cap. II. posteris tradi. Quid ad hæc Bellarminus? quid Vicecomes? Plane nihil. Tantum obtendunt quemdam Cypriani locum, quem ita clarum & ad hanc rem disertum esse confidunt, ut nemo contra ne hiscere quidem aut mutire ausurus sit. Fidus, ad quem scribit Cyprianus, negabat quemquam ante octavum à quo natus sit, diem *baptizandum, & sacrificandum*. Hunc istius errorem Cyprianus consutat, & colores, quos Fidus obtendebat, discutit: quorum hic unus erat: infantes ante diem à partu octavum ab ea proluvie, in qua nascimur, adhuc recentes immundiores, sordidioresque esse, quam ut eos quisquam osculari sine aliquo horrore valeat. Quorsum hæc (inquit Vicecomes) nisi puerum baptizatum osculandi consuetudo fuisset receptissima? Bellarmini eadem quoque mens fuit, & Vasquis, quo loco illud osculum ipse quoque inter veteres baptismi ritus admittit, tametsi confiteatur se ejus factam ab alio auctore mentionem non legisse. Sed eos decebat animadvertere hunc Fidum parvulos nondum octo dies natos non baptismo tantum, sed etiam Eucharistia necessariò exclusisse: quæ nemini nisi baptizato datur. Diserta sunt Cypriani de illo verba: *Intra octavum diem, eum qui natus est, baptizandum & sacrificandum non putabat*: non modò *baptizandum*, sed etiam *sacrificandum* negabat, id est quod omnes consentiunt communicandum, & Eucharistico sacro participandum. Neque hoc etiamsi non dixisset Cyprianus, obscurum futurum erat. Cum enim mos vetus fuerit quotquot infantes baptizabantur, iisdem statim Eucharistiam communicari: profectò non potuit eos Fidus baptismo excludere, quin & Eucharistia fraudaret, unaque iis omnibus, quæ Eucharistiam consequebantur. Horum unum fuisse osculum, neque Bellarminum, neque Vicecomitem, neque quemquam eruditorum latet. Cum ergo ex antiquo disciplina nunquam baptismus solennis præiret, quin Eucharistia statim sequeretur, baptismo excludi eum necesse erat, qui Eucharistiæ particeps idem esse non posset. Eucharistiæ parvulum ante octavum diem participem esse non posse, Fidus eo argumentabatur, quod recens nato & à nativitatis sordibus immundo nemo osculum post communionem solenne daturus esset. Nemo (inquit) Eucharistiæ fit particeps, quin pacis osculum communicatus à fidelibus accipiat. Infantes à partu adhuc sordidos nemo ad osculum admiserit. Ergo neque parvulorum quisquam, antequam eum octavus ab ortu dies mundaverit, ad Eucharistiam, neque adeo ad baptismum (quem illa scilicet necessariò tunc temporis sequebatur) admittendus. Ex quibus omnes vident, quam futilis fuerit Bellarmini, Vicecomitis & Vasquis argutia, qua hinc se confecisse putarunt morem illum baptizatos statim osculandi in Ecclesia fuisse Cypriani temporibus solennem. Augustini locum ex L. 4. contra epistol. Pelagii, c. 8. à Vicecomite descriptum, nihil hic necesse est seorsum ac propriè considerare, quod ille totus in Cypriani verbis hæreat, neque quicquam exhibeat, præter ea quæ ipse habet Cyprianus.

l Cypr. epist. 59 p. 108.

m Vasq. in 3. Thom quæ. 71. disp. 166. c. 6. §. 72. 73.

CAPUT III.

CAPUT III.

De variis solemnis baptismi temporibus. Pascha & Pentecostes vigilias ei Romæ primum deputatas; etiam Epiphaniam ab Orientalibus, ab Afris, ab Hispanis; à Gallis etiam Natalem & Domini & Baptistæ; à nonnullis etiam quædam Martyrum festa; ab aliis contra, solum Pascha. Tandem circa noni seculi initia Caroli Magni auctoritate, & Episcoporum assensu recepta in Gallijs & alibi Leonis & Siricii ea de re lex; ipsa circa seculi decimi tertii abrogata & paulatim sepulta.

SEd apud veteres quidam sanè fuerant baptismi ἄγραφοι sine Dei verbo traditi, quos Ecclesia Romana recentior antiquavit, vel ideo commemorandi, quod ex ijs manifestum sit falso Latinos de religionis suæ cum antiqua conformitate gloriari; quos ex his exemplis videmus non solùm multa majorum suorum disciplinæ nova adjecisse, sed etiam non pauca eorum instituta securè abrogasse. Qualis illa est inprimis, sanè antiquissima de solennibus baptismi temporibus lex; ut non alijs toto anno diebus (si nulla quidem necessitas urgeret) quam Paschæ & Pentecostes vigilijs baptizarent. Hæc Bellarmino est quinta baptismi, (certè non sui, sed antiqui) cærimonia. Vasques *n* acutior; qui baptismi, non *cærimoniam* sed *circumstantiam* dici vult: ut & eam quæ de *baptisterio* est; quod hæc ad locum, illa ad tempus baptismi pertineat. Vtcumque sit, solennem baptismum his duobus diebus jam olim sub finem secundi seculi ministratum fuisse luculentissimus testis est Tertullianus; *Diem* (inquit) *baptismo solenniorem Pascha præstat, cum & passio Domini, in quam tinguimur, adimpleta est.* Et paucis interjectis; *Exinde* (inquit) *Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia Spiritus Sancti dedicata.* Denique totum locum ita concludit; *Cæterum omnis dies Domini. Omnis hora, omne tempus habile baptismo. Si de solennitate interest; de gratia nihil refert.* Sapienter ille quidem, ac planè ex Paulo, omne tempus Deo vindicat; Nihil Dominicæ disciplinæ interesse, quo die eius instituta serventur; Paschæ adeo & Pentecostes ad baptismum privilegium ad dierum solemnitatem ac pompam, non ad rei necessitatem pertinere. Tantumdem enim esse ad *gratiam* quovis quam vel hoc vel illo die tingi. Episcoporum Romanorum quarto & deinceps seculo longe alia mens fuit, qui hunc, quem simpliciter à majoribus acceperant ritum, ipsi non simpliciter, sed veluti necessarium habuerunt, subjectisque sibi Ecclesiis commendaverunt; non aliter de eo philosophantes, quam si capitale aliquod Christianismi dogma actum esset. Audi Siricium, qui Romæ a. D. 384 sedere cœpit. Indignatur *p* quosdam aliis, quam his diebus, solennem baptismum celebrare;

n Vasq. in 3. Thom. Dis. 166. cap. 2. §. 4.

o Tertull. de bapt. ca. 19.

p Siric. ep. 1.

Cap. III. celebrare; id ab ipsis, quod ipse dicit, *suis consacerdotibus improbabili & emendanda confusione, sola temeritate præsumi.* Ipse exserte pronuntiat *his duobus solis per annum diebus ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi convenire Sacramenta.* Postremò quod hactenus erratum erat condonans; *Nunc* (inquit) *præfatam regulam omnes teneant, Sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ petræ, supra quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli.* Leo, qui ab a. D 440. ad an. 461. eandem sedem tenuit, hanc caussam, etiam quam Siricius, commotior egit a. D. 447. Siculos, qui præter illa duo festa, Epiphaniæ insuper diem solennis baptismatis celebrationi tribuebant, graviter ac facundè reprehendit; *q* hoc eos *ab Apostolicæ institutionis consuetudine discrepare* dictitans; *irrationabilem novitatem usurpare; in hanc culpam incidisse, quod totius observantiæ legem, Ecclesiasticamque rationem à magistra Petri sede non sumpsissent;* quod apud Leonem credo, crimen erat omnium longè gravissimum. Tum *r* suam illam de his duobus diebus traditionem *ex Apostolica auctoritate servari* pugnat, argumento ex sacris litteris, ut ipse quidem ait, *manifestissimo*, vt verò pace viri tanti dicam, quod sentio, inanissimo. His & aliis haud quaquam ad hanc rem firmioribus disputatis concludit *s omni ambiguitate submota evidenter agnosci duo tantum tempora*, id est Pascha & Pentecosten, esse servanda. Hæc Siculis indicit, Minatur *inultum post hac esse non posse, si quisquam Apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.* Idem *se* alibi *t magna indignatione commoveri, & multo dolore contristari* scribit, quod quosdam ex Episcopis per Campaniam, Samnium & Picenum constitutis *comperisset ita esse Apostolicæ* (scilicet hujus suæ) *traditionis oblitos, ut aliis præter hos duos, diebus sola indisciplinati arbitrii libertate jus baptismatis vindicare audeant.* Iubet eos *ab hac præsumptione cessare. Siquis post hoc suum interdictum in eadem fuerit usurpatione detectus, dignam* (inquit) *pertinaciæ suæ incidet ultionem, quoniam ostendit se turpe potius lucrum, quam religionis cultum esse sectatum.* Gelasius ejusdem sedis eodem illo quinto, sed jam præcipiti seculo Antistes eadem quoque Lucanis breviter præcipit. *v* Mansisse hanc Romanis ad ann. D. 723. mentem ac legem docent hæc Gregorii secundi ad Thuringos verba; *x Sacrosancti baptismi Sacramentum, nonnisi in Paschali festivitate & Pentecoste noverit* (Bonifacius istorum Episcopus) *esse præbendum; exceptis iis, quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis subvenire.* Atque hæc quidem fuerunt istorum de hac re scita ac decreta; Romanæ gravitatis, Papalisque magna nimietatis plena; quæ plæraque nobis Bellarminus indicavit. *y* Sed dissimulare non debuit, quod Goar ipse hac in parte candidior confitetur, *z* hæc Paparum decreta *minus novisse Orientales, ut morem baptismi in Epiphania celebrandi diu receptum repudiarent. Illum enim* (inquit) *jam Gregorii Theologi tempestate viguisse noverant ex ejus verbis in oratione εἰς τὰ φῶτα.* Sane ibi Gregorius in Theophaniis baptizandos alloquens; *a Christus* (inquit) *illuminatur;*

Simus

Marginal notes: ad Himer. Tarrac. ca. 2. T. 1. Concil. gen. p. 689. — *q* Leo ep. 4. cap. 1. — *r* Ibid. ca. 4. cot. ca. 5. in. — *s* Ibid. ca. 6. extr. — *t* Id. epist. 80. — *v* Gelas. epi. ad Epi. Luc. cap. 10. — *x* Gregor 2. epist. 4. T. 1. concil. Gall. pag. 514. — *y* Bellar. de Bapt. ca. 16. — *z* Goar Not. ad Euchol. pag. 467. §. 1. — *a* Greg. Naz.

Simul fulgeamus. Christus baptizatur; Descendamus cum eo, ut una quoque cum eo adscendamus. χριστὸς φωτίζεται. συναναστράψωμεν. χριστὸς βαπτίζεται. συγκατέλθωμεν, ἵνα καὶ συνανέλθωμεν. Idem tria solennis apud Græcos baptismi tempora disertè signat oratione sequenti, ubi has hominum baptisma de die in diem differentium excusationes, sive caussificationes memorat; *b Hoc & illud* (inquit) *caussaris atque excusas excusationes in peccatis. Diem luminum exspecto. Paschates festum pluris facio; Pentecosten exspectabo. Cum Christo baptizari præstat; cum Christo in resurrectionis die ad vitam redire, Spiritus adventum honorare.* τὸ καὶ τὸ σκήπτῃ, καὶ προφασίζῃ προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις. μένω τὰ φῶτα. τὸ πάσχα μοι τιμιώτερον. τὴν πεντηκοστὴν ἀναδέξομαι. χριστῷ συμφωτισθῆναι βέλτιον. χριστῷ συναναστῆναι κατὰ τὴν ἀναστάσιμον ἡμέραν. τὸ πνεῦματος τιμῆσαι τὴν ἐπιφάνειαν. Huc accedit ipse gentis usus, qui perpetuus fuisse videtur; quo pertinet Grætis Herculorum Regis exemplum, quem cum se Christianum fieri velle Iustiniano testatus esset, Constantinopoli ab Imperatore è baptismali fonte susceptũ ipso Theophaniorum *c* die tradunt Theophanes *d* & Paulus Diaconus. Sed quid ego Græcos & Orientales memoro? Africanã Ecclesiam, olim nobilissimam Latinæ partẽ ex Victore Vitensi *e* discimus circa a. D. 484. non modo Paschæ & Pentecostes, sed etiam Epiphaniæ die solennem baptismum ipsam quoque Græco more celebrasse. Siculos idem quoque ad ann. 447. factitasse patet ex Leonis ipso illo anno data ad eos epistola, de qua paulo ante diximus; non ex aliqua novitate, ut Leo iratus judicabat, sed quod multo est probabilius, ex veteri majorum suorum usu ac more. Erant enim Siculi ortu & lingua Græci. Idem de Hispanis dictum velim, quos Siricius temere quoque præsumptionis ideo arguit, quod præter Pascha & Pentecosten, alio insuper die baptizarent. Nam & hi ex Patrum sibi tradita consuetudine potius, quam ex ulla *præsumptione* ita instituisse videntur. Ac Siculi quidem an à Leone moniti pristinum morem mutarint, incertum est. Hispanos vero, ad quos Siricii epistola ad Tarraconensem Episcopum scripta haud dubie pervenerat, ex Valafrido constat spreta illa Papali sententia, præter Pascha, Natali quoque Dominico an. D. 517. solennem baptismum celebrasse. *Tempora* (inquit Valafridus *f baptizandi legitima Pascha & Pentecoste præfiguntur secundum decreta Siricii, Leonis, vel Gelasii Episcoporum, quamvis in Concilio Gerundensi Natalis Domini & Pascha ponantur.* Vnde doctissimus Launoius *g* observat hunc Concilii Gerundensis canonem, quem nunc præferunt libri illius Synodi vulgati, fuisse à recentioribus Librariis & Canonum collectoribus interpolatum, qui scilicet jubet Catechumenos, non *Natali Domini & Paschate*, quod ibi legebat olim Valafridus, sed *in Paschali solennitate, vel Pentecoste*. Nimirum, ut Launoius sapienter monet, antiqui collectores in Conciliorum canonibus ea sæpe resecant & immutant, quæ vel obsoleta, & inutilia judicant, vel ab ævi sui moribus aliena. *Hoc autem* (inquit) *qui animadvertere negligunt, ex Conciliis id sæpe probant, cujus oppositum Concilia ipsa decreverant,*

CAP. III.
Orat. 39. pag. 632.
b Id. Or. 40. ibi. p. 654. A.
c Theoph. in Chron.
d Paul. Diac. Hist. Lib. 16. ad ann. 520.
e Victor. Vitens. Lib. 2. de pers. Vandal. pag. 30.
f Valafr. de reb. eccles. c. 26. T. 10. Bibl. Patr. p. 691. D.
g Launo. de temp. bapt. c. 9. pa. 184.
h Conc. Gerund. ca. 4. T. 3. Concil. gen. p. 806.

Cap. III. *decreverant.* Neque tu solos Hispanos ita instituisse putes. Etiam Gallos nostros baptizasse Natali illo Dominico docet illustrissimum apud hanc gentem Clodovæi Francorum Regis baptisma, quod illo ipso die celebratum fuisse & clarissime testatur Alcimus Avitus, *i* & ex eo validissime contra Fredegartum & Hincmarum demonstravit idem ille Launoius, merito celeberrimus. Morem hunc jam à Constantii temporibus in Galliis fuisse Menardus prius, & novissime Launoius ex Gregorio Turonico docuerunt, quo is loco de Marcellino Ebredunensem Episcopatum Constantiani imperii temporibus regente verba faciens; *Hic* (inquit) *fecisse dicitur lavacrum ad baptizandum, in quo in NATALI die Domini, & Dominica Cœna aqua dicitur divinitus exoriri; de quo etiam ad aliud lavacrum in quo prisca consuetudo baptizari instituit, aqua defertur. m* Est & alter ejusdem insignis ad eam rem, locus, in quo postquam Simplicii Augustodunensis, sive Ædni Episcopi ab uxore continentiam Dominico NATALI per miraculum probatam narrat. Vixit autem Simplicius circa annum Dom. 346. Hanc ergo historiam Gregorius exsecutus, ita pergit; *n Hoc* (inquit) *miraculo populus, qui tunc erat incredulus, credidit. Et inter septem dies, amplius quam mille homines sacri innovatione lavacri sunt renati; quos suscipiens Ecclesia gaudens cœlesti regno per hos milites copulavit.* Ex his illud quoque discimus, quod in Paschate fiebat nono seculo, ut usque ad octavum diem baptismus celebraretur, id ipsum in Domini Natali apud nostros jam quarto seculo fuisse factitatum; ut & Natali ipso, & octavo ab eo die solennis ministraretur baptismus. Illud quidem de Paschate ex Triburiensi Synodo habita ann. Dom. 895. constat; *Usque ad octavum diem* (inquit) *regeneratio sacra ab omni populo Christiano celebrabitur; quia resurrectio Domini octo diebus colitur;* cui testimonio concinit Berno Augiensis de baptismatis Paschæ & Pentecostes; *p Utraque* (inquit) *per octo dies celebrantur.* Hoc vero alterum de Natali docet in descripto loco Gregorius, cum ait mille & amplius homines baptizatos esse *inter septem illos dies,* qui à Natali scilicet ad octavum fluxerunt. Quo luculentius firmatur ductum à doctissimo Launoio ex Triburiensi Concilio corollarium, *Quod in veterum q* (inquit) *scriptis baptizari quis dicatur nunc in Sabbato sancto, nunc in Paschate, nunc in nocte Pentecostes, aut in Pentecoste, in Natali die Christi, in Epiphania, vel in ejus pervigilio, aut in OCTAVA, omnia hæc spectant ad idem tempus baptismatis.* Sed & tertium ex eodem Gregorio locum Launoius idem valde laudabilem attulit; qui præter Natalem & Pascha, Ioannis quoque Baptistæ festum baptismo solenni à nostris Gallis fuisse olim dicatum demonstrat. *Post hæc* (inquit) *r Rex* (Guntchramnus) *Parisius venit, & coram omnibus loqui cœpit, dicens, Germanus meus Chilpericus moriens dicitur filium reliquisse, cujus nutritores matre deprecante petierunt, ut eum de sancto lavacro in Dominici Natalis solennitate deberem excipere: & non venerunt. Rogaverunt deinceps, ut ad sanctum Pascha baptizaretur: Sed nec tunc al-*

i Avitus epi. 41. ad Clod.
k Men. Not. in Lib. Sacr. Greg. p. 160.
l Launo. ubi sup. Coroll. 8. pag. 217.
m Greg. Caron. de glor. Confess. ca. 65.
n Id. ibidem cap. 12.
o Conc. Tribur. cap. 12.
p Berno de reb. Miss. c. 3. T. 10. Co. p. 702. C.
q Launo. de temp. Bapt. cor. 15. pag. 218.
r Greg. Tur. Hist. Lib. 8. cap. 9. p. 397. A.

latus est infans. Deprecati sunt autem tertio, ut ad festivitatem S. Ioannis exhiberetur; sed nec tunc venit. Ex his Gallos nostros Baptistæ quoque natali die baptizasse clarum est; quod eorum proprium fuisse videtur. Hibernos quidem secunda Patritij Synodus indicat *f* in Epiphania cum Græcis baptizasse; *Octavo* (inquit) *die Catechumeni sunt postea solemnitatibus Domini baptizantur, id est Pascha, Pentecoste & Epiphania.* Quin & Anglos ab Augustino, Romanæ licet Ecclesiæ discipulo, Gregorio ipso referente neque culpante, natali Dominico tinctos legimus; *In solennitate* (inquit) *t Dominicæ nativitatis plusquam decem mille Angli ab eodē nuntiati sunt Fratre & coëpiscopo nostro* (Augustino scilicet) *baptizati.* Hinc intelligimus Gregorium multo de his ritibus modestius, ac sapientius, quam Siricium & Leonem judicasse, fervidi & elati animi viros, qui nihil nisi quod ipsi faciebant, rectum putabant, siquid diversū esset, continuo exsibilabant. Mitto, quod observavit Launoius, *u* quorundam singularem fuisse in his rebus morem, ut Thessalorum, qui apud Socratem *x* non alio quam Paschatis festo baptizant; quorum sententiæ accedere videntur Autissiodorensis, *y* & Matisconensis *z* Synodi, olim in Gallia habitæ an. D. illa quidem 578. hęc vero 585. Vtriusque idem est sensus his verbis in priore expressus; *Non licet absque Pascha solennitate ullo tempore baptizare, nisi illos quibus mors vicina est, quos grabbatarios dicunt.* Sed ex his canonibus id quoque discimus, quod à Siricio *a* & Leone *b* in epistolis supra memoratis denotatum erat, fuisse per illa tempora, *qui pene per singulos dies ac natales Martyrum filios suos baptizarent.* Atque ita satis ni fallor, jam liquet, morem solis Paschæ & Pentecostes diebus baptizandi, primis illis octo fere seculis fuisse quidem in urbe Roma, & vicinis si forte Ecclesiis solennem; in cæteris non modo Orientis, sed etiam Occidentis, Latinæque adeo linguæ gentibus haud quaquam obtinuisse; sed alios etiam dies apud eas varie baptismo fuisse attributos; libereque ab his Epiphaniæ, ab illis Natalis Dominici, à nonnullis Ioannis Baptistæ festa huic solennitati dicata esse: neque defuisse, qui eam ad unum Paschatis diem contraherent atque arctarent. Neque vero quicquam his istorum libere assumptis ritibus id præjudicare censendum est, quod à Bellarmino est studiose observatum *c* pro Paschali baptismo ex Paschasini Episcopi ad Leonem epistola *d* miraculum; fuisse scilicet in quodam Siciliæ monte Ecclesiolam, cujus fons sacer toto quidem reliquo anno aridus fuerit, in Paschatis vero vigilia aquis redundarit, Deo ipso ad baptismum, qui tunc ibi ministrabatur, aquas de suo, non de naturæ sinu mirabiliter suppeditante. Nam & ad baptismum Natali Dominico administrandum idem quoque apud nostros Ebredunenses in S. Marcellini baptisterio fuisse quotannis miraculum narrat Gregorius Turonicus à nobis nuper laudatus. Sic & ad suæ in Epiphania tinctionis auctoritatem haud absimile miraculum Ioannes Moschus tradit *e* quotannis fieri solitum in vico Soruba ad radices ejus

CAP. III.

f Conc. 2. Patrit. c. 19. apud Spelmann. in Conc. Brit. p. 58.

t Greg. l. ep. 30. L. 7.

u Laun. ubi supr. c. 14.

x Socr. Hist. E. l. 5. c. 21.

y Conc. Autiss. c. 18. T. 1. Conc. Gall. p. 364.

z Conc. Mathisc. c. 3. Ibid. p. 383.

a Siric. ep. 1. c. 2.

b Leo ep. 80.

c Bell. L. 1. de bapt. c. 25. §. Quinta.

d Pasch. apud Leon. ep. 64.

e Mosch. in Pr. spir. c. 214. L. 10. Vitar. Patr.

Cap. III. montis sito, in quo erat Cœanensium civitas; *Ibi* (inquit) *baptisterium est, quod in Sanctis Epiphaniis sudat, qui sudor per tres horas continuis incrementis augetur, & post baptisma peractum decrescere incipit, & tribus aliis horis sensim deficit.* Afri quoque suam ad Epiphaniæ jus tuendum symbolum conferunt, Fœlicem quemdam fuisse cęcum, donec Carthaginensem, qui in ipso illo Epiphaniensis baptismo sacro ab Eugenio loci Episcopo oratione & signo crucis illuminatus fuit; ut est à Victore Vitensi *f* perscriptum in opere supra à nobis laudato. Ita utræque partes hactenus quidem pares sunt. Neque suæ vel Domini Natali & Epiphaniç, vel Baptistæ festo rationes desunt; quas apud Launoium *g* & breviter & accuratè explicatas videat, qui volet. Postremo tamen vicit Romanæ Sedis, magna apud omnes Occidentis gentes auctoritas, ut non aliis, quam Paschæ & Pentecostes diebus solennis baptismus ministraretur. Launoius mutationi occasionem dedisse censet ubique per illa tempora receptum Canonum Ecclesiæ Romanæ codicem. *h Nam Occidentales* (inquit) *Ecclesiæ crediderunt, aut potius voluerunt sibi scriptum esse quod Siricius ad Himmerium Tarraconensem Episcopum, quod Leo ad Siculos Episcopos, quod Gelasius ad Lucanos scripserant; & quod ex Romanæ Ecclesiæ moribus promulgabatur, id perinde ac si ex canonibus Spiritu Dei conditis, & totius mundi reverentia consecratis promulgatum esset, ultro acceperunt, quæ tamen duo inter se differunt. Nam major orbis, quam urbis est auctoritas, sicut Hieronymus ad Evagrium scribit.* Recte quidem ille. Sed ad hunc tamen majorum nostrorum errorem accessit Caroli, potentissimi ac augustissimi Imperatoris, summa apud suos auctoritas; qui sive ex quadam rerum Romanarum admiratione, sive ex humano Papam urbicum demerendi studio, nostros urgebat, ut omnia Romano more ac ritu fierent. Quod eum in hac proprie caussa fecisse testatur Concilium Moguntiaci habitum a. D. 813. qui vitæ Carolinæ penultimus fuit. Sic enim ipsum Augustū affantur illi Patres; *i Sacramenta itaque baptismatis volumus* (inquiunt) *ut sicut sancta* VESTRA *fuit admonitio, ita concorditer atque uniformiter in singulis parochiis secundum* ROMANUM *ordinem inter nos celebrentur, jugiterque conserventur.* Tum Leonis ad Siculos decreta recitant, ac illud nominatim, *Duo tempora, id est Pascha & Pentecoste, ad baptizandum à Romano Pontifice legitimè præfixa sint.* Ab illo demum tempore Romana illa lex ubique in Occidente obtinuisse videtur. Certe nullius alterius præter hanc, legis apud illius & sequentium seculorum scriptores de baptismi temporibus mentio occurrit. Ipse Carolus de Paschæ die loquens; *k Hodie* (inquit) *hora nona baptismus celebratur, sicut Pentecoste.* Tum aliis præter hos diebus non licere generaliter baptismum celebrari adducta Leonis auctoritate probat. Sic idem in admonitione ad Presbyteros; *l Ut nullus* (inquit) *baptizare præsumat, nisi in Pascha & Pentecoste.* Consilium Parisiense 6. an. D. 829. Gelasianam ea de re ad Lucaniæ Episcopos legem promulgat & sancit. *m* Herardus Turonensis circa

f Vict. Vit. l. 2. Hist. Vand.

g Laun. ub. supr. Coroll. 5. & 6.

h Id ibid. Carol. 11. p. 223.

i Conc. Mogunt. c. 4. T. 2. Conc. Gall. p. 276.

k Car. M. ep. ad Albin.

l Id adm. ad Presb. T. 2. Conc. Gall. p. 255.

n circa a. D. 858. *Ut certis temporibus Pascha & Pentecostes baptismata fiant, & hoc in vicis, excepta caussa infirmitatis.* Lex in capitulare Caroli & Ludovici Augustorum relata esto; *Ut baptismum non fiat, nisi statutis temporibus, id est Pascha & Pentecoste, nisi infirmitas intercesserit* Iterum in alio ejusdem operis libro: *o Ut baptizare nullus præsumat, nisi per duo tẽpora, id est vigilia Paschæ & Pentecostes: nisi immineat mortis periculum.* Eadem habent Valafridus, Berno, Pseudo Alcuinus, alii multi noni, decimi, & undecimi seculi scriptores. Illud memorabile est, quod anno undecimi seculi 72. Rotomagensis Concilij Patres ipsum Epiphaniæ diem, tametsi vetustioribus in hoc sano familiarem, ipsi diserte cum Leone à baptismo solenni dicatis temporibus diserte excludunt: eo quod hoc quoque nonnullos fortasse ex pristino more baptizare adhuc cernerent: *p In vigilia vel die Epiphaniæ, ut nullus* (inquiunt) *nisi infirmitatis necessitate baptizetur, omnino interdicimus.* Stetisse hanc disciplinam ad duodecimum seculum, & quidem jam adultum & ad extrema *q* vergens, testes sunt Lombardus & Belethus, illius temporis, scriptores. Lombardus: *Agnoscendum est etiam in baptizandis electis duo tempora esse servanda, id est Pascha & Pentecosten &c. Qui verò necessitate mortis, aut periculi urgentur, omni tempore debent baptizari. r* Belethus: *Animadvertendum est quod non debeat celebrari baptismus, nisi in sabbato Paschatis & Pentecostes: fieri tamen potest causa necessitatis:* quam ille triplicem statuit: 1. obsidionis ejus loci, in quo quis degit, 2. ægritudinis, 3. persecutionis. Extra has necessitates, non modo adultorum, sed etiam infantium baptismum ad alterum ex his duobus festis dilatum fuisse, & ex Leonis ad Siculos epistola patet, & Launoius *s* demonstravit. Cæterum hęc ipsa Romana disciplina à Lombardi & Belethi temporibus, id est ab an. D. 1170. nullius vel Concilij vel Papæ decreto, sed tacito hominum consensu, apud hos citius, apud illos serius, ut in talibus fieri solet, paulatim labefactari cæpta postremo in fumos abiit, nihil adeo, ut nunc ejus supersit, apud Latinos, præter quasdam re ipsa sublata, inanes reliquias: has scilicet, quas recenset Launoius, *t* 1. quod aqua, quæ singulis anni diebus sacramento inservit, in Paschate tantum & Pentecoste consecratur: 2. quod idem officium, quod olim stante disciplina illa, de nocte celebrabant, nunc de die celebrent, etiamsi magna pars illius officij nocti, non diei respondeat: quod profectò præpostere & absurde fieri omnes satis intelligunt: 3. denique quod urbis Romæ Ecclesia his temporibus sibi comparat Catechumenos, quos veteri ritu baptizat. Fateor tamen huic mutationi aliquos interdum repugnasse. Narrat enim Matthæus Paris *u* an. D. 1203. post initia seculi 113. habitum esse Londini apud Anglos, præside Ottone Pontificis Romani in illo regno Legato, Concilium, in quo inter cætera decretum est, *ut populus ad solennizandum sabbato ante Pascha & Pentecosten baptismum, ad baptizandos pueros suos studiosius meditentur.* Sed & in ipsa Italia sub initio seculi decimi quarti Ravenates

 baptisma-

CAP. III.
m Con. Par. 6. 7. ibid. p. 487.
n Herard. c. 31. ibid. p. 151.
o Capit. Car. & Lud. L. 1. c. 104. & L. 6. c. 178.
p Conc. Rotomag. apud Orderic. Vital. L. 4. Hist. Eccl. p. 529.
q Lomb. 1. sent. d. 6.
r Beleth. Rat. divin. offic. c. 110.
s Laun. ub. supr. col. 19. p. 242.
t Laun. ibid. Col. 8. p. 238.
u Matth. Par. Hist. sub Hen. 3. ad a. 1237. p. 303. c. 3.

Cap. III, baptismalem Epiphaniæ religionem, jampridem in toto Occidente ex Siricij & Leonis legibus sepultam, ipsi pene sub Papæ oculis retinere, imo etiam Synodali canone sancire ausi sunt x Ea enim Synodi mens esse videtur, *cum mandat de ipsis baptismi verbis, ter in anno populum instrui in octava Epiphaniæ, in Sabbato Pascha & Sabbato Pentecostes.* Cęterum hęc singularia fuere. Nunc & Romæ & apud cæteros omnes Latinos parvuli nullo plane illorum dierum solennium discrimine quo tempore nascuntur eo ipso, vel paulo post baptizantur; idque sapientissimi Latinæ scholæ Magistri, veluti tutissimum, dilationi ad Pascha vel Pentecostes, tametsi apud majores solenni, usque adeo præferendum putarunt, ut etiam lex apud Anglos fuerit, qua cavebatur, ut omnis infans infra novem noctes mature baptizetur sub pœna sex orarum, hac ratione addita, *y quod infans tamdiu sit ethnicus; quamdiu non baptizatus.*

x Conc. Ravenn. 3. c. 14. T. 7. Conc. gen. p. 943.

y Leg. Presb. Northumb. l. 9. Conc. Britann. Spelm. n. 496.

Ex his patet recentissimum esse, & ante seculum duodecimum extremum inusitatum hodiernum latinorum morem, quo spreta Siricij & Leonis z disciplina nullos habent ad solennem baptismum definitos Paschæ & Pentecostes dies; ipsosque adeo ex istorum Papatum decretis *improbabilis confusionis, temeritatis ac præsumptionis, & irrationabilis novitatis reos, & ab Apostolica institutione*, jam per quinque secula, *discrepare, ab Apostolica Petra, supra quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divulsos esse.* Sed & eorum majores à patrum suorum more atque usu nono ineunte seculo discessisse ex supra disputatis liquet, cum illi in Papæ gratiam sive Natalis vel Domini, vel Baptistæ, sive Epiphaniæ dies ad baptismum solennes servare desierunt. Denique illam quoque antiquissimam Paschæ & Pentecostes ad baptismum designationem in Christianismo novum fuisse & Apostolicæ Ecclesiæ ignotam arguit, non solum altum tam in Scripturis divinis, quam apud Iustinum & cæteros Tertulliano vetustiores auctores, ea de re silentium, sed etiam ipsa instituti apud alias atque alias gentes varietas. Nam si is mos esset ab Apostolis, unus idemque apud omnes futurus erat; qui diversus jam à primis quibus memoratur, seculis, fuisse deprehenditur; alius apud Græcos & Ægyptios; alius apud Romanos; alius denique apud Afros, Hispanos, Gallos, Hibernos, Anglos. Apparet nimirum eum post festa in Christianismo instituta exortum esse morem, singulis baptizati die maxime solenni, ex humano quodam affectu expetentibus; eo factum esse, ut Paschæ primum & Pentecostes dies huic officio deputati sint, quæ duo sunt scilicet prima ac vetustissima, extra Dominicam diem, festa; Cum postea, sed serius, Natalis & Epiphaniæ, exindeque Ioannis Baptistæ, & Martyrum dies festos haberi placuisset, hos quoque pari omnes ratione ab aliis atque aliis ad baptismum allectos & assignatos esse. Quæ enim vel è re ipsa, vel è Scripturis Leo & cæteris ad suam rem argumentantur, ea vana sunt & futilia. Vna dierum solennitas hujus disciplinæ caussa atque origo fuit, ut vel ipsa Tertulliani verba, qui primus horum

z Siric. ep. 1 c. 2. Leo ep. 4. tot.

rum dierum meminit, satis superque indicant, *Omnis hora, omne tempus* CAP. IV.
habile baptismo. Si de solemnitate interest; de gratia nihil refert; ut plane mirandum ac miserandum sit Episcopos Romanos ob rem mere humanam; & ad pompam modo & ornatum institutam, quemquam vexasse, ac veluti de præcipuo aliquo Christianismi capite contendisse. Græcorum quidem longè major fuit ac constantior in avitas cærimonias fides, quos suum Epiphaniæ à Patribus dicatum à majoribus baptismo diem suo adhuc tempore dicit Durantus observasse.

His, quæ de baptismi tempore, diximus, non ineptè addi possent ea quæ Bellarminus hic habet de baptizandi *mersione*, in aquam, quarta baptismi cum sit cæremonia, deque lactis & mellis prægustatione, quinta earum, quæ facto baptismo succedunt. Sed quia de istis alius erit infra commodus disputandi locus, nunc illud breviter monere satis est, Bellarminum, qui utramque fateri cogitur, non fuit sed antiqui baptismi facere cærimonias; hoc ipso quod earum meminit, testari quanta Papæ suorumque hominum sit in antiquitatem veneratio; qui ea quæ antiquissimæ, ac nescio an non Apostolicæ originis esse contendit, ea fatetur à Papis ex sua religione ac disciplina jam quidem fuisse exterminata.

CAPVT IV.

Decem cærimoniæ, de quibus præcipua controversia est. Argumenta novitatis earum omnium communia; quibus ostenditur eas non fuisse ab Apostolis institutas. Arg. I. à Christianismi simplicitate, Mosaïcorum rituum multiplicitate opposita. II. arg. inde petitum, quod hæ vel ob materiæ raritatem ac pretium, vel ob indecorum à Christianismi genio alienæ sint. III. arg. Quod eæ frustra divinæ, adeoque absolutissimæ Domini institutioni adiectæ reperiantur. Signorum natura. Cærimonias baptismi signo afficere potius, quam prodesse.

IAm ita expunctis his duodecim actibus, quos Bellarminus in Latinarum baptismi cærimoniarum censu reposuit; superest quærendum de decem reliquis ritibus, an ij vere sint, quod Catechismus Tridentinus, & alij plerique earundem partium Theologi affirmare non dubitarunt, ab Apostolis, Apostolicisque viris traditi. Sunt autem hi ritus, quo eos ordine Bellarminus disponit, I. Signum crucis in fronte & pectore. II. Exorcismus. III. Exsufflatio. IV. Narium & aurium ex Saliva contactus, cum Eppheta. V. Salis gustatio. VI. Vnctio ex oleo in pectore, & scapulis. Atque hi quidem sex primi ritus tinctionem ipsam præcedunt, qua neophyti proprie baptizantur. Qui vero eandem comitatur unicus est, VII. Consecratio aquæ baptismalis. Qui denique ritus iam peracto baptismo

Cap. IV. ptismo fiunt, ij tres omnino sunt. VIII. Unctio chrismatis in vertice. IX. Cereus accensus, qui neophyto gestandus datur. X. denique vestis candidæ indumentum.

Nos vero in hac disputatione ita versabimur, ut hos ritus Apostolicæ non esse originis probemus priùs omnes universim ac confertim simul sumptos; tum singulos seorsum consideremus, & quo quisque post Apostolos seculo exortus sit, quoad quidem id à nobis præstari poterit, haud segniter investigemus.

Ac ut à priori illa parte incipiamus, hanc in primis tam densam confertamque tam multorum, tamque inter se dissimilium rituum, ut sic dicam, Sylvam uni sacramento Apostolos aggessisse, nescio an quisquam, qui Apostolicæ doctrinæ genium vel leviter degustarit, facile sit concessurus. Repugnat primo rerum ipsarum ingenium, & multiplicitas. Ingenium dico; quod cum cultus Ecclesiæ Christianæ sit spiritualis, & quædam Dei in spiritu & veritate adoratio, ac ut sapientissime loquitur Paulus λογικὴ λατρεία *rationabile obsequium*, eoque potissimùm Christianismus à Iudaïsmo discrepet, quod hic in rerum signis plurimum versabatur, absurdum videtur, ut ipse Ecclesiæ aditus tam multis rerum corporearum ac elementarium formis atque simulacris, ut sic dicam, obseptus & obumbratus occurrat, ut in ipsa Mosis disciplina haud facile ritum reperias, pluribus involutum figuris, quam hic est Latinorum baptismus. Sed & multiplicitas rerum tam inter se dissitarum salis, olei, balsami, sputi, & cæterorum, quæ diximus, non parum videtur à Christi Evangelio abhorrere, qui reduntantes apud Mosem ritus resecuit, & pietatem in pauca contraxit, mole quidem exigua, re verò & virtute immensa, nobilemque & expeditam divini cultus rationem suis tradidit; quo nonnulli scriptores illud ex Isaia à Paulo usurpatum referunt, *verbum breviatum fecit Dominus super terram.* *a* In altero certè novi fœderis sacramento duo fateor, sed apta inter se & cohærentia atque ad unum, nempe alimentum spectantia, *panem & vinum* instituit. Augustinus prudenter observavit; *b Scire te volo* (inquit) *Dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, leni jugo suo nos subdidisse, & sarcinæ levi; Unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit; sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur:* Hoc in censu vix est, ut illa cærimoniarum baptismo à Latinis aggestarum moles locum habere possit. Huc & illud accedit, quod species quædam in his adhibeantur Christianismi rationi parum consentaneæ, qui cum esset longè latéque per omnes orbis partes diffundendus, non videtur decuisse balsamum, rem apud plerasque gentes peregrinam, & magni, ut rara esse soleat, pretij: ad nostræ plebis Sacramenta adhiberi. Iudæorum gentis arctis unius Palæstinæ finibus conclusæ, alia ratio fuit. Quorum Sacerdotale unguentum etiam ex balsamo constabat, quod id non quotidie, sed raro, & in

a Rom. 9. 28

b Aug. ep. 118. c. 1

&in uno templo, non in plurimis, & in unius tantum Pontificis, non in omnium fidelium unctione, & sacris usurparetur. Christi vero hic, ut in cæteris, divina sapientia elucet, qui sacramentis Ecclesiæ Catholicæ, id est per universum orbem diffundendæ, ea elementa delegit, quæ ubique obvia & familiaria essent, aquam, panem, & vinum, sic, ut essent ubique, quod decebat, *observatione* (ut ait Augustinus) *facillima*. Iam quædam etiam sunt in his Latinorum cærimoniis, quæ à Sacramentorum ratione aliena esse videntur; quale est, quod saliva nares & aures catechumeni tangunt. Neque si Christus semel atque iterum lutum ac sputum ad curandos miraculo homines duos, cæcum unum, alterum surdum adhibuit; *c* eo fit, ut saliva ad ordinarium, & quotidianum, & omnium fidelium commune Sacramentum transferri decore possit. Potius putaverim ad reverentiam Domini miraculis debitã pertinere, ne res ab eo in illis adhibitas nos in communibus vitæ, vel Ecclesiæ officiis usurpemus. Sui rebus miraculosis usus ac fines servandi, ut qui ad alia adhibet, iis abuti potius, quam uti videatur. Quo & illud pertinet, quod eadem illa voce *Ephphetha, adaperire*, qua Christus surdo auditum repræsentabit, *d* ipsi in his suis cærimoniis catechumenos affantur; & quod Christus dum Apostolis Spiritum Sanctum daret, insufflavisse dicitur, eo ipsi existimarunt sibi quoque quos initiant, in eos esse insufflandum Neque illud sane satis grave, satisve religionis dignitati consentaneum videtur, quod Pontificem & duodecim Presbyteros oleum & chrisma halitu suo veluti fovere atque animare in his sacris videmus. Postremo ista, qualiacunque de cætero sint, institutæ à Domino aquæ & tinctioni, non modo frustra, sed etiam perperam & absurde adjici videntur. Ac frustra quidem. Quæso enim quis istorum in hoc mysterio usus est? An ut ea efficiant atque operentur, quæ piis à Domino in hoc sacro præstari credimus? Sane ea est Latinorum in iis peragendis oratio, eæ preces, ac voces, ut hujus Sacramenti effectus inde pendere, ac in ipsis propemodum totus situs esse videatur. Atqui vel ipsi hanc esse suam de istis fidem strenue negant; dum fructus quicumque ex hoc Sacramento percipiuntur, eos uni baptismo, sive tinctioni tribuunt, *& in nobis baptismi virtute effici* docent ac probant; *e cærimonias* vero tradunt *imaginem & significationem earum rerum præ se ferre, quæ in Sacramento geruntur, eoque fine ex auctorum mente atque instituto adhiberi, ut Sacramentum maiori cum religione ac sanctitate administretur, ac veluti ante oculos ponantur præclara illa & eximia dona, quæ in eo continentur.* Esto ergo quod volunt; cærimoniæ, non ad efficiendum, quod Sacramenti proprium est, sed tantum ad significandum adhiberi credantur. Ne sic quidem fiet, ut non frustra adhibeantur. Quid enim? An non ipsum aquæ traditum à Christo Sacramentum, signum & imago est rerum, quæ eius virtute in baptizatis efficiuntur? Atqui præterquam quod id nos docet *Sacramenti* nomen, quod apud Christianos sacrum signum est; an non res ipsa clare aperteque loquitur? Per baptismum peccato-

 rum

CAP. IV.

c Marc. 7. 34.

d Ioan. 20. 22.

e Catech. Trid. de Bapt. p. 105. a. b.

Cap. IV. rum remissionem, & sanctificam Spiritus gratiam percipimus. Utrumque beneficium aqua, delectum à Domino elementum, ita perspicue significat, ita ut sic dicam, graphice depingit. & ob oculos ponit, ut ne cogitari quidem possit quicquam ad hanc rem aptius, atque appositius. Quis enim nescit aqua & sordes elui in natura, & Spiritum Sanctum significari in Scriptura? Nihil ergo necesse fuit ad significandam vel peccatorum nostrorum purgationem, vel Sancti Spiritus ad nos consolandos & sanctificandos vim atque efficaciam alias prętr aquam, imagines adhibere. Hæc abunde una præstat quicquid hoc in negotio adumbrari nobis & significari utile est. Neque ego satis capio, qui venerit in mentem hominis Christiani suspicari aliquid Christi institutis vel ad rem ipsam, vel ad speciem & ornatum deesse. Si quis præstantissimi alicuius artificis operibus aliquid de suo adjicere aggrediatur; nonne hoc omnes ad eius iniuriam pertinere putabunt? quem scilicet alicujus vel imperitiæ, vel certè socordiæ ac negligentiæ arguit ipsa operis ab eo perfecti emendatio? Quantò magis decebat mortales homunciones à Christi Domini absolutissimis ac divinissimis operibus manum abstinere? Nihil enim iis vel addi, vel detrahi potest sine auctoris contumelia. Fateor aliam fuisse eorum mentem, qui hæc additamenta vel primi invenerunt, vel à primis tradita acceperunt. Sed eorum quodcunque fuisse consilium dixeris; factum certe vix ab aliqua temeritate atque incogitantia defendi, purgarique potest, qui divinis Christi institutis sua assuere non dubitarunt. Quod verò Latini putant Christi hac ratione Sacramentũ *maiori cũ religione ac sanctitate administrari*, in eo, ut mihi quidem videtur, vehementer errant. Non enim cæcus iste animi ad rerum pompam stupentis pavor & inanis admiratio, qualem ferè parit multiplex iste sacrorum apparatus, verè religio est; Verius superstitionem dixeris, vel humanum certe affectum. Vera religio est Domini sui instituta arcte complecti; ea sola amare; in iis conquiescere; nihil exoticum, aut peregrinum desiderare. Quod denique innuunt suis illis cærimoniis lucem iis addi, quæ in ipso Sacramento continentur, eaque hoc modo nobis velut ante oculos poni; rem ego longè aliter, imo plane contra, se habere existimo. His enim additamentis, non modo non ornari aut illustrari, sed etiam obscurari & corrumpi Sacramentum facile perspicies, si modo rem ex veris paulo attentius consideraveris. Signorum hæc omnino vis ac ratio est, ut cuius rei gratia sunt instituta, eam quam clarissimè, quamque facillimè ac expeditissimè significent; ac intuentis animo citissime veluti præsentem sistant. Id verò non aliter commodius præstant, quam si simplicissima sint, & ab omni exotica apparatu libera & absoluta. Ita quibus in scribendo litterarum characteribus utimur, ij quo simpliciores sunt, eo meliores, & ad legendum commodiores sunt: Si aliud eis præter simplicissimas illas, quibus constant, lineolas appinxeris, ac de tuo ingenio formulas, quantumvis elegantes adjeceris, vel interueris; næ tu scripturam, non ornaveris, sed vitiaveris. Stultos

fortasse

fortasse & aliud agentes tuæ illæ artes delectabunt: lectores ad unam, quam agunt, rem attentos molesta mora offenderit. Eadem est Sacramentorum, quæ & ipsa signa sunt, ratio. Quo simpliciora, eo ad rem nostram aptiora sunt. Qui iis de suo alia præterea quæ sunt ab auctore instituta, addunt, eo ipso efficiunt, ut ad significandum ineptiora sint. Aliena animum à veris & genuinis, quibus solis intentos esse nos decet, avocant & avertunt: ad se trahunt, ac tenent. Ita, ne longe abeamus, tuum illud in nostræ initiationis Sacramento oleum, tuum chrisma, sal, exorcismi, cæteræque tuæ rerum adscititiarum pompæ mentes Catechumenorum tuorum feriunt, affixasque sic tenent, ut de aqua Dominica vix cogitent: certe non ea attentione, eoque studio cogitent, quo tantum mysterium dignum erat: cumque ad eam ventum est, obversans adhuc animo tam multorum, quæ illis statim objecta sunt, imago ac species impedit, ne salutare illud Domini symbolum intelligant, neve in eius meditatione, quantum satis est immorentur. CAP. V.

Hæc & alia hujus generis (neque enim omnia commemorare necesse est) efficiunt, ut ab omni veri specie alienum sit, quod Latini fingunt, Apostolos scilicet, viros gravissimos ac sapientissimos, &, quod caput est, divinos, laciniosam illam tam multarum cærimoniarum appendicem, quæ nunc apud Papæ communionem solennis est, baptismi ritui à Domino suo instituto adjecisse; nisi aliud certis ac evidentibus planeque ineluctabilibus argumentis demonstretur. Nullum autem aliunde clarius, aut certius haberi potest ad hanc quæstionem definiendam argumentum, quam ex sacris ac divinitus inspiratis & ipsorum Apostolorum & Evangelistarum libris.

CAPUT V.

Argum. IV. novitatis rituum à Ioannis, V. ab Apostolorum baptismo ductum. VI. à Christi mandato credentes baptizare simpliciter, non autem ungere, sputo contingere &c. præcipientis: quorum nihil baptizandi *vox ex communi Iudæorum usu, sed solam ex aqua tinctionem significabat.*

ILlic in ipso Evangelii limine Ioannis baptismus occurrit in Iordanis aqua ministratus, quo & ipse fidei nostræ princeps Christus tingi voluit. Ad mysterium præter aquam, nulla alia species adhibita est; non sal, non oleum, non balsamum; nihil cæterorum elementorum, quæ sub Moïse in illius gentis sacris erant familiaria. Et erat tamen Ioannes sub lege, quanquam Christo iam de proximo imminens; veluti quoddam crepusculum inter superioris noctis tenebras, & mox exorituri Solis iubar; Moïse fateor, lucidior; Christo tamen obscurior. Qualis ipse, talis quoque eius disciplina; ut Mosaïcâ simplicior; ita Christianâ Spissior. Non ergo Ioannis baptismus nostro purior;

CAP. V. rior, & ab elementis liberior. Atqui nostro longè fuerit liberior, ac ut sic dicam, defæcatior, magisque spiritualis, qui uno aquæ elemento constat scilicet; cum noster, vel ut veriùs loquar, Latinorum, baptismus nescio quot alio desideret, oleum, balsamum, & ex utroque mixtum chrisma, salivam, sal, cereum, candidam; adhæc morosissimas plurium rituum ambages. Ita ne Christus quæ retro subtilia erant, spissavit? quæ lucida, infuscavit? quæ simplicia & solutissima, elementis tot ad unum adiectis implicavit, atque interpolavit?

Neque à Ioannis lavacro Apostolicum discessit, quo Christo in terris versante discipuli ab Apostolis tingebantur; quod ipsum quoque ex aqua mera fuisse constat, mixturæ Latinæ planè expers. An est credibile Spiritum ad hoc è cœlis descendisse, ut Christi disciplinam terræ arctiùs affigeret, & præter aquam illam Ioannis & Apostolorum pristinam, candidatos suos oleum & balsamum & lanam aut linum, & sal & ceras ad initiationem suam emendicare apud hanc terram cogeret? Repugnat Paracleti ingenium; repugnat sedes, unde ad nos delapsus est; non ut terræ immergat, & terrenis affigat, sed ut in cœlum evehat.

Sin est aliter, cedo divinas tabulas. Demonstra ex iis, quod tu facis id ipsum Apostolos post Magistri discessum factitasse. Non potes. Nihil in omnibus novi testamenti libris occurrit, unde appareat oleum & balsamum, & cætera quæ usurpas, fuisse ab Apostolis in hoc administrando Sacramento adhibita. Quod ut clare intelligatur, loca inspiciamus, in quibus baptismi Christiani vel institutio, vel administratio à sacris scriptoribus commemoratur. Christus quadragesimo post resurrectionem die in cœlum discessurus, cum Apostolos iussisset *ire* f Matth. 28. 19. *& docere omnes gentes*, de baptismo ita continenter præcipit, *f baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti.* Baptizare iubet; non iubet oleo & balsamo inungere, vel saliva aures & nares tangere, vel sal gustandum porrigere, vel quicquam eorum, quæ tu præter baptismum facis, facere. Neque est, quod dicas Christum hæc *baptizandi* vocabulo complexum esse; qualiter apud vos in sermone communi solenne est hoc eodem verbo, illa omnia significare. Fateor vos ita usurpare, & merito quidem, quorum scilicet hic antiquus est, & omnibus etiam exteris notus usus, ut hoc Sacramentum non aliter (quatenus quidem licet) quam his adhibitis administretis, vel plene & perfecte in Ecclesia administrari putetis. Cum enim Sacramenti hæc apud vos ratio jam pridem sit, ut id non sola tinctione, sed etiam iis cærimoniis, veluti partibus quibusdam suis, tametsi non essentialibus, constare censeatur, non absurde profecto, sed dogmati vestro consentanee totum ritum, tametsi ex rebus diversissimis, conflatum partis eius, quæ eventialis est & principalis nomine significatis, tropo in Dei & hominum sermone familiari. At res, cum Dominus ista præciperet plane aliter habebat. Illo enim tempore βαπτίζειν de ritu sacro neque dicere,

cere, neque dictam intelligere, quisquam Iudæus aliter poterat, quam de tinctionis, mersionis, aut affusionis actu. Ratio clara est; quod nullus hactenus apud eam gentem ritus vel institutus, vel factitatus, vel fando auditus fuerat, qui alia re, quam mersione aut tinctione constaret. De oleo, de balsamo, de saliva, de cæteris, quæ vos factitatis omnia ad illam diem indicta inauditaque erant. Notus erat Apostolis, utpote Iudæis, baptismus gentis suæ, quo proselytos ex Nationibus ad religionem suam admittebant. Iisdem cognitissimus erat Ioannis baptismus; sed uterque non alio, quam tinctionis actu constans. Sciebant & quem discipulis Christo nomina dantibus ipsi hactenus ministraverant; sed ipsum quoque congenerem, id est quem aqua sola perficiebant. Quæ cum ita sint, absurdum est putare aliud, quam tinctionem vel Christum significasse, vel Apostolos intellexisse, quo tempore hoc ab eo baptizandi præceptum acceperunt. Neque enim fas est suspicari Christum præsertim in gravissimo totius Christianismi negotio, ea verbis quæ præcipiens usurpabat significare voluisse quæ neque ab Apostolis, quos alloquebatur, neque ab vllo mortalium ex vllo eius sermone intelligi possent. Siquid in suo Sacramento proprium ac peculiare fieri ab eo actu diversum, voluisset, quem omnes *baptizandi* verbo significari intelligebant, id profecto clare ac plane esset elocutus. Qualiter ab eo diserte expressam videmus novam illam quam tinctionis hujus suæ edebat, propriam ac peculiarem formam, ut ea scilicet fieret *in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*; quod, ut omnes confitentur, non modo à Iudæorum, sed etiam à Ioannis baptismo abfuit. Oleum ergo & balsamum & salivam, & sal, & cætera, quæ ab illis omnibus superioribus, & notis baptismis æque aberant, si Christus suo addi de novo voluisset, ea profecto non minus diserte expressisset, quam quæ de lavacri Christiani usurpanda deinceps forma præcepit. Cum ergo Christum nihil huiusmodi vel dixisse diserte, vel leviter saltem innuisse videamus, sed simpliciter præcepisse Apostolis, ut quos è gentibus docuissent, eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti baptizarent, omnino constituendum est, proque certo & indubitato habendum nihil eum aliud in baptismo suo ab Apostolis fieri præcepisse, nisi id unum, quod *baptizandi* verbum sensu apud omnes Iudæos recepto ac noto significabat, ut illi scilicet aqua tingerent quoscunque suæ religioni initiarent; de unctione, oleo, balsamo, & cæteris Latinorum ritibus nihil vel edixisse vel etiam cogitasse. Neque aliud in his Christi verbis intelligunt Patres, etiam ii quorum temporibus plura iam irrepserant, quam mera ex aqua tinctio. Hilarius ad hæc Christi verba, g *Primum* (inquit) *docent omnes gentes; deinde doctos intingunt aqua. Non enim fieri potest, ut corpus baptismi recipiat Sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem.* Præceptum hic à Domino baptismi Sacramentum non aliter definit, quam *intingi aqua*, in nomine scilicet Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Hieronymus hæc Hilarii tanti fecit, ut

CAP. V.

g Hilar. in Matth. Can. 33. pag. 602.

Cap. VI. ut ea ne apice quidem ullo immutato in commentarium suum transcripserit. *b* Sic etiam Christianus Druthmarus, homo noni seculi; *i Baptizantes*, inquit, *id est lavantes; quia sicut à foris, ita interius mentem lavat, & ideo cum tali elemento res agitur.* Ne ipsi quidem Latinorum gravissimi quique & celeberrimi interpretes aliter hæc Christi verba accipiant. Maldonatus *k* observat βαπτίζειν *Græcis significare aqua mergere, lavare, abluere, ac ut Tertullianus vertere solet, tingere. Itaque* (inquit) *ipsa verbi proprietate Sacramenti materia declaratur, aqua baptismum confici debere.* Et paucis interjectis rem firmat eo, quod Apostolos constet *nunquam aliter, quam aqua baptizasse.* Ille in hoc uno pedem figit. De oleo, balsamo, sale, & sputo suorum nihil eo loco olfecit, tametsi in nostros & sæpe alias & hoc ipso in loco præter omnem *modum, ac pene ad rabiem sævus & truculentus.*

b Hiders. in Matth. Li. 4. Extr. fol. 40. E. T. 9

i Druthm. in Matth. c. 28. 19.

k Maldon. in Matt. 28. 19.

CAPVT VI.

Argum. VII. à constanti Lucæ in Actis & cæterorum divinorum scriptorum in aliis libris novi testamenti, de his ritibus silentio, ubicumque de baptismo verba faciunt Refellitur Valdensis ad hoc argumentum cavillatio.

ATque hæc quidem Domini Christi de baptismo lex est. Nunc de ejus administratione videamus. Apostoli vero cum Sacramentum credentibus ex hac ipsa lege ministraverint, dubitandum non est, quin quem illa *baptizandi* vocabulo significat, tinctionis ex aqua actum, eum ipsum diligenter usurpaverint, quoties credentes in Christi disciplinam initiabant. Ac tametsi ipsum *baptizandi* verbum & à nobis exposita rerum ex ordine series id satis superque demonstret, non pigebit tamen unum & alterum ex Apostolorum Actibus locum afferre, quo idem luculentissime comprobatur. Narrat enim Lucas *l* Philippum ex singulari Dei providentia ad Eunuchum Reginæ Æthiopum, cum ille Hierosolymis in patriam rediret & in curru sedens iter faceret, accessisse, eumque de Christo Iesu ita diligenter & efficaciter docuisse, ut ad fidem mirabiliter conversus, *cum forte ad aquam quandam venissent*, evestigio sine mora baptizari expeteret; & cum Philippus annuisset, *descendisse utrumque in aquam*; atque ita Æthiopem à Philippo fuisse baptizatum. Alter huius geminus in eodem libro locus occurrit, *m* in quo cum Petrus Cornelium Centurionem, & eius familiam, eo quod Dei Spiritu repente essent afflati, Christo incunctanter esse initiandos definit, *n Numquid aquam* (inquit) *quis perhibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos?* Quorsum unam aquam memorat, si aliorum præter eam in baptismo fuisset usus? Id ipsum Paulus satis innuit, cum Sacramentum, quo initiati sumus in Christum, vocat *lavacrum regenerationis*: *o* ad aquam, qua in baptismo abluimur, apertissime alludens. Idem Petri sensus, quo loco vim illam salutarem

l Actor 8. 36. 37. 38.

m Act. 10. 47.

n Act. 10. 47.

o Tit. 3. 5.

ac vivificam, qua per baptismum salvamur, ab ipso Sacramenti elemento distinguens, negat baptisma, quo salvamur *esse depositionem sordium carnis*: significans frustra nobis aqua baptismali sordes carnis elui, nisi & animorum vitia tollantur divina Spiritus virtute, quæ una cum aqua præsto semper adest Christi baptismum digne suscipientibus. Ex his nemo non intelligit in cæteris omnibus locis in quibus sacri scriptores de credentium in Christum initiatione verba facientes *baptizandi* verbum usurpant, eum omnino actum significare, quo qui initiatur, aqua tingitur, ut cum Petrus credentibus Iudæis, & quid facerent rogantibus, *q* *Baptizetur* (inquit) *unus quisque vestrum in nomine Iesu Christi*: & quod apud Lucam sequitur, *qui sermonem receperunt, baptizatos esse ad tria millia*. Neque deinceps aliter intelligendum, quod idem tradit, *r* Samaritanos viros ac mulieres ad fidem Christi prædicatione Philippi conversos, & inter eos ipsum etiam Simonem fuisse *baptizatos*: & mox capite sequenti Paulum ab Anania *baptizatum*, *s* & alibi in sequentibus *t* Cornelium & familiares Petri jussu fuisse *baptizatos*. Eodem quoque sensu dicit, *Lydiam purpurariam & domum ejus à Paulo esse baptizatam*, & Philippensis carceris custodem ab eodem *baptizatum* una cum omni domo sua, & multos Corinthiorum, cum ad Pauli prædicationem credidissent, fuisse itidem *baptizatos*. Neque aliter capienda Pauli mens, ubi negat *v* quemquam Corinthiorum à se *baptizatum* esse *præter Crispum & Caium, & Stephanæ domum*: & alibi quoties quidem de initiationis in Christum nostræ Sacramento id verbum usurpat: Vt verbi gratia cum nos affirmat *x in Christi morte baptizatos*, & *Christum induisse quicumque baptizati sumus*. Non ergo ex Apostolorum administratione magis quam ex Christi lege apparet ullum aliud præter aquam adhibitum fuisse in Sacramento nostræ initiationis elementum. Aquam enim fuisse, qua credentes vel baptizandi, vel baptizati esse dicuntur, hæ nos Scripturæ, ut demonstravimus, apertissime docent: oleum, balsamum, chrisma, ullum denique aliud symbolum in eo sacro adhibitum fuisse, neque hæc, neque ulla alia divinæ Scripturæ loca uspiam innuunt: nedum ut clare edant, aut significent. Neque hic audiendus Valdensis. Is enim Viclefo istos, quorum exempla attulimus, sine chrismate, oleo & cæteris cærimoniis baptizatos fuisse inde argumentanti, quod in eorum baptismo non legatur apud Scripturas chrisma, vel oleum, vel aliud huiusmodi fuisse adhibitum; is inquam Valdensis respondet *y in baptismatis nomine contenta fuisse singula tunc requisita, sicut & nunc. Nec enim* (inquit) *chrisma, aut renuntiationes, aut interrogationes nunc dicimus, sed cuncta in una appellatione baptismum*. Sed nos huius cavillationis vanitatem iam inde aperuimus, quod sacrorum scriptorum plane alia olim fuerit, quam nunc Latinorum est, ratio. Baptismum enim solennem cum cærimoniis prædictis apud illos administratum fuisse, nequaquam constare: apud hos, nunquam aliter celebrari ex omnibus ipsorum libris æque apud omnes notum compertumque

CAP. VI.
p 1. Pet. 3. 21.
q Acto. 2. 38. 41.
r Acto. 8. 12. 13.
s Ibid. cap. 9. 18.
t Ibid. ca. 10. 47. & cap. 16. 14. 15. 33. & cap. 18. 8.
v 1. Cor. 1. 14. 15.
x Rom. 6. 3. Gal. 3. 27.
y Vald. Doctrin. Lib 6. cap. 45. ann. 46. fol. 106. col. 2.

CAP. VI. tumque esse, ac solem meridie lucere. Itaque non esse mirandum, quod baptismi nomine cærimonias ab illis quoque, tametsi non nominatas, comprehendi omnes facile intelligant; Scriptorum divinorum disparem esse rationem, qui cum observantissimi fuerint legum sibi à Domino traditarum neque vero aliam ab eo de baptismo legem acceperint, quam quæ supra à nobis recitata est de baptizandis aqua credentibus, eos non est credibile aliquid præter eam novasse; multo vero minus tam spissa cærimoniarum congerie summam ritus à Domino instituti simplicitatem violasse; ut exposita supra à nobis ejusdem rei argumenta mittamus. Huc accedit, quod ista apud Latinos solennia, tametsi solo baptismi nomine apud eos sæpe comprehendantur, nonnunquam tamen ab eorum scriptoribus, etiam in ipsis historicis narrationibus diserte memorantur, vel omnia, quod fit rarius, vel certe nonnulla, quod multo crebrius occurrit. Et quæ de hoc genere singulis Christianismi temporibus jam olim in usum recepta erant, non ideo quod essent solennia, nusquam apud scriptores proprie, diserteque nominantur. Imo ne eorum quidem memoria periit, quæ in usu jampridem esse desierunt. Si ergo istæ cærimoniæ, quas nunc Latini in baptismo factitant, jam à principio eodem ab Apostolis loco observabantur; qui quæso, accidit, ut earum nulla, quantumvis tenuis, memoria supersit in tam multis primorum Christi discipulorum libris, qui toti de religione Christiana, eiusque cultu ac ritibus in Canone habentur? Quam multa sunt in iis de rebus multo minoris momenti diligenter, neque uno in loco scripta? ut quæ de virorum & mulierum in sacris conventibus habitu disserit Paulus? de ordine & modo, quo Prophetas verba apud plebem facere deceret? de olei ad valetudinem infirmis restituendam usu? deque aliis nonnullis, quæ nihil necesse est referre? Atqui hæc temporaria erant, neque ultra Apostolorum seculum diu mansura. Suas Latini cærimonias in Ecclesia tamdiu celebratum iri pertendunt, quamdiu hæc in terris superesset. Denique illud quoque hic observandum venit, longe etiam esse eorum scriptorum rationem, qui res longo jampridem usu vel in Ecclesia, vel in Republica constitutas narrant: aliam eorum, qui rerum origines, ipsaque principia, & quidem eo ipso, quo illæ nascuntur tempore, describunt. Illos, qui res tractant omnibus notas, satis est vocabulis usitatis ritus, religiones, & cætera hujusmodi significare: nihil necesse est ea sigillatim operosius describere: Hos vero, qui nova quædam & hominibus antea ignota tractant: quis non videt necessario debere explicare diligentius, quænam ista, & qualia sint? Nam si hæc perinde ut illa, uno tantum verbo indicare, imo ne indicare quidem, sed potius tegere & involvere velint; dici non potest, quantam hæc negligentia caliginem legentibus effundat. Iam sacros novi fœderis scriptores in hoc secundo genere versari, nemo est, qui nesciat. Scribunt enim Christianismi origines; cujus incunabula aureolus Lucæ libellus

libellus complectitur. Ergo fatendum est, si vel hoc unum esset, decuisse eum inprimis vel ad vitandam illam, quam dixi, obscuritatem, ea vocabula explicare ac definire, quo ad significandos recens à Domino Christo institutos ritus in ignoto cæteris illius seculi hominibus sensu usurpare fingitur. *Baptismi* vocabulum & Græcis, & præsertim Iudæis Græcissantibus notissimum erat, apud quos vulgo non aliud significabat, quam religiosæ cujusdam tinctionis ritum; quo qualique & Iudæi jamdudum suos proselytos, & Ioannes nuper suos discipulos initiare solebant. Lucam ergo hoc sensu *baptismi* vocabulum ad rem Christianam transferre nihil vetabat, cujus his usus nullam lectoribus ævi sui allaturus erat obscuritatem. Si vero Lucas, & cæteri novi testamenti scriptores *baptizandi* verbo id significant, quod voluit Valdensis, id est hominem, non aqua tantum tingere, aut mergitare, sed eius in primis frontem & scapulas oleo inungere, aures & nares saliva tangere, & cætera facere quæ nunc à Latinis in baptismo solenni fiunt; fatendum est eos perperam & absurde, locutos esse; ita nimirum, ut ab eorum, qui tum vivebant, nemine possent intelligi. Quis enim sic loquentes eo seculo intelligeret, quo *baptismi* & *baptizandi* vocabula in publico ejus linguæ qua scribebant, sensu solum religiosæ tinctionis ritum significabant? neque ullum præterea istorum actuum, qui nunc apud Latinos obtinent? Cum autem ita scribere, ut à nullo eorum quibuscum vivis, possis intelligi, hominis sit, non prudentis & candidi & sinceri, sed vel stulti, vel certe vafri, versipellis & fraudulenti; nemo non videt necessario statuendum esse Lucam & cæteros novi testamenti divinos scriptores, qui longissime ab his vitiis abfuerunt, plane aliter esse locutos, adeoque illis *baptismi & baptizandi* vocibus, quoties eas de Christianæ initiationis negotio usurpant, solum religiosæ tinctionis ritum ex vulgari & noto apud Iudæos & Græcos sensu, significare: de unctione, chrismatione, & aliis Latinorum illo adhuc seculo ignotis actibus minime cogitasse. Vnde valide concluditur istos actus divinæ scripturæ auctoritate plane penitusque carere: quorum scilicet nusquam alibi in toto novi testamenti volumine facta fuit à sanctissimis scriptoribus mentio. Cur autem illi tam constanter hos actus tacuerint, quoties de baptismo verba faciunt, nulla alia ratio idonea afferri potest, nisi quod eos, qui apud Christianos scilicet nondum in usu erant, nesciverunt. Nam si jam tam in omni credentium in Christum initiatione, perinde ut nunc fit apud Latinos, usurpabantur; & quidem vel ex Christi ipsius, vel certe ex Apostolorum lege, digna res erat, quæ commemoraretur, diserteque explicaretur. Tinctionem quidem, quam vel ipsum baptizandi vocabulum satis per se significabat, describi accuratius nihil admodum necesse erat. Vnctionis ritum, ac ejus quidem, quæ non simpliciter ex oleo, sed ex balsamo cum oleo commixto fieret, nemo negaverit memorandum fuisse; tum ob novitatem, tum ob peregrinitatem. Sed ut cætera mittam, quis non intelligit vereri de-

CAP. VII.

Cap. VII. buisse viros sapientissimos ne suum hoc de tantis mysteriis silentium fraudi esset Ecclesiæ? ne homines scilicet, qui de istis nullam legissent in ipsorum libris syllabam, eo credere cogerentur à Christo quidem institutam, & ab Apostolis factitatem illam credentium religiosam tinctionem, quam unam apud eos invenirent *baptismi* & *baptizandi* vocabulis toties significatam? illa vero alia ex oleo & chrismate ungere, & saliva tangere & sal gustandum præbere, & cætera ejusdem generis, non Christi, non Apostolorum esse, quæ in horum scilicet divinissimis litteris nusquam apparent? Hic metus si vel unus esset, sacros scriptores profecto subegisset, homines & sapientissimos, & nostræ fidei ac salutis studiosissimos, de istis vel ex professo aperte ac diligenter docere, vel certe pauca obiter suis locis inspergere, ne nos ipsorum hac in parte taciturnitas ad aliquid de Christi vel Apostolorum institutis secius existimandum compelleret. Atqui nihil nostri illi auctores simile uspiam fecisse comperiuntur. Lucas nascentis Hierosolymis Ecclesiæ primordia narrat; Ejus inde primo Samariam, mox & Cæsaream, Antiochiam, Philippos, Corinthum, Athenas ad Ethnicos procedentis incrementa describit. In his omnibus credentes *baptizatos*, id est tinctos, constanter dicit; Unctum, chrismatum, sputo tactum, aliquo salis grano conditum istis locis neminem dicit. Quis tantum in scriptore socordiam ferat? Ipsa rem sua novitas dici poscebat. Neque enim in istis Ethnicorum urbibus, imo ne ipsis quidem Hierosolymis tale quid unquam visum fuerat, ut homines in veri Dei Christique disciplinam oleo & balsamo religiosissime ungerentur. Dixisset ergo Lucas, si factum esset. Quid, quod ne illic quidem ritus hujus meminit, ubi tradit nostros Antiochiæ primum appellari cœpisse Christianos? Male factum, quod obviam & expeditam nominis à chrismate, ex Latinorum philosophia rationem nimium, si istis credimus, flagitiose tam opportuno loco dissimulavit. Cæteros mitto, non minus quam Lucam in hac initialis mysterij parte obliviosos. Quod ergo tales viri tam multis locis, ubi de baptismo nostro sermo est, nihil de oleo, & chrismate, & aliis hujus sacramenti cærimoniis dixerunt, id pace Latinorum dixerim, clarum certumque argumentum est, ista sacrorum librorum scriptoribus plane fuisse ignota, neque adeo vel à Domino Christo, vel ab ejus Apostolis Ecclesiæ tradita.

CAPUT VII.

Refellitur quorundam Latinorum sophistice suum oleum apud Paulum 2. *Cor.* 1. 21. *&* 1. *Ioann.* 2. 20. *frustra quærentium.*

Scio quosdam Latinorum, ut suas illas cærimonias, saltem earum aliquas, in divinis novi fœderis litteris extare probent, quædam sa-

cræ

ctæ illius Scripturæ loca ad eas referre; ut verbi gratia ad oleum, vel certè ad chrisma suum, quod ait Paulus *z Deum UNXISSE nos, & SIGNAVISSE*, & quod Ioannes dicit *a nos VNCTIONEM habere à Sancto*; quem locum Arcudius tam esse in rem suam disertum putavit, ut scribere non dubitaverit, *b Ioannem Evangelistam unctionem Latini chrismatis non semel in suis epistolis testari.* Sed illi nobis, dum sic agunt, apertissimè illudunt. Hæc enim viros divinos de Spiritu, quem credentes à Deo in Christo accipiunt, dixisse clarum est; *ungendi & unctionis* vocabulis metaphorice sumptis, non autem propriè & litteraliter pro corporea & materiali aliqua unctione; idque confessum est apud omnes ferè eruditos tum veteris tum recentioris memoriæ interpretes. Paulus quidem id sibi mentis fuisse ipse significat, cum illa, quæ descripsimus elocutus continuo subjicit, *Deum nobis Spiritum dedisse. Qui unxit nos Deus* (inquit) *qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Hinc vero omnes vident, quam ille dicit *unctionem*, quod *sigillum & pignus*, in *corde*, non in *carne* accipi, & *Spiritum* esse à Deo donatum, non *oleum*, aut *unguentum* ab homine illitum. Neque obscuriora sunt Ioannis verba. Quam enim ille unctionem significet, apertissimè ibidem eloquitur, cum paucis post versiculis, ait *eam quam accepimus, unctionem manere in nobis, nosque docere de omnibus*; quæ omnes ni fallor, vident vel de oleo Catechumenorum, vel de chrismate dici nequaquam posse de *Spiritu* verissime & appositissimè dici. Ita Pauli locum interpretantur & veteres, & recentiores, etiam qui iis temporibus vixerunt, quibus jam irrepserat in Ecclesiam unctionis ritus; Chrysostomus, *c* Theodoretus, *d* Theophylactus, *e* Oecumenius, *f* & qui sub falso Ambrosij nomine circumfertur, vetus Pauli interpres Latinus, *g* & Beda, *h* qui vice Augustini est, ex quo uno ille totum suum in Paulum commentarium confecit, & ex recentioribus Latinis Ioannes Gagnæus, *i* Gulielmus Estius, & alij. Ioannis in epistola eadem ratio est. Oecumenius quidem certe hanc ab eo memoratam unctionem de Spiritu Sancto accipit. * Siqui vero veteres hæc vel Pauli, vel Ioannis loca ad externam unctionem referunt, quæ suo tempore erat in usu, eo nihil aliud volunt, nisi quæ his verbis significata est ab Apostolis Spiritus Sancti gratia, eam ipsam quoque illo unctionis visibilis ritu significari, qui suo tempore in baptismo adhibebatur; Apostolos ritum in animo dum hæc ita scriberent, habuisse, nequaquam adfirmant, & siqui ita senserunt, ij vehementer falsi sunt. Tertullianus quidem, qui hujus olei primus ex Patribus meminit, si id putasset ab Apostolis esse traditum, non erat tantos auctores præter missurus. Atqui non modo eos omittit, sed & aliunde quam ab Apostolis profectam esse istam unctionem disertè docet; *k* nimirum *de pristina* (inquit) *disciplina; qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant, ex quo Aaron à Moyse unctus est.* Mosaïcam disciplinam intelligi omnes vident. Quid inde opus erat unctionem istam accessere, si ejus auctores norat Apostolos? Certè si rei, qua constat cærimonia,

z 2 Cor. 1. 21 22.
a 1. Ioann. 2. 20. 27.
b Arcud. l. 1 c. 16. p 49. col. 1. A.
c Chrys. Hom 3. in 2. ad Cor. p. 530. d. e. 531. 1.
d Theodoret. in loc. Pauli.
e Theophyl. in loc. P.
f Oecum. in loc P. p. 606. tota
g Ambros. in loc. P. p 1935. D.
h Bed. in loc. p 4 9.
i Gagn & Est in loc. Pauli.
* Oecum. in 1. Ioann. 2. 20 27. p. 574. 575. b.
k Tertull de Bapt. c. 7.

CAP. VII. nomen metaphoricè ab Apostolo usurpari, satis est ad hoc, ut cærimonia non tradita, sed scripta in verbo Dei fuisse censeatur; fatendum est *scriptam*, non ἀγράφως traditam esse veterem illam mellis & lactis ad infantandos neophytos prægustationem; cujus scilicet vocabulum à Petro, sed metaphorice positum in Scriptura occurrit, quo loco *nos* jubet *l rationabile sine dolo lac concupiscere*. Atqui ipse ille Tertullianus hunc ritum, quem primus quoque memorat, negat à Scripturis, ait *m à traditione esse*. Basilius de unctione eadem censet, *n Olei* (inquit) *unctionem quis sermo scriptus docuit?* τὴν δὲ ἐλαίου χρίσιν τίς λόγος γεγραμμένος ἐδίδαξεν; Ex nova Latinorum dialectica facile erat hæc interroganti Basilio, verba illa Pauli ex altera ad Corinthios scripta epistola reponere, *Deus est, qui unxit nos & signavit*. Iacobus de Vitriaco, non ignobilis de seculo XIII. scriptor, tradit *o* Iacobitas, Christianismi sectam longè latéque per terras Orientales sparsam, *hunc servare morem, ut parvulos suos ante baptismum cum ferro calido adurentes, & signantes, in frontibus imprimant cauterium*; *Alios in modum crucis in ambabus genis, seu temporibus infantes suos consignare*; quod Ioannes scilicet apud Matthæum dicat *Christum suos credentes in Spiritu Sancto & igne baptizaturum*. Marcus Paulus Venetus pæne ejusdem temporis scriptor paria de Abyssinis scribit; *p solenne* iis fuisse *parvulos in fronte & in duabus genis ferro candente signare, & hunc alterum iis ex igne baptismum fuisse, post priorem ex aqua*. Idem de Georgianis tradit Petrus Bizarus, quos ait *q* Iacobitarum ritus & fidem sequi; *Candenti* (inquit) *ferro signum crucis frontibus aut genis baptizatorum inurunt*. Ex his patet istos, non quod Bellarminus scribit, *r* ferro loco aquæ usos; sed utrumque in baptismo adhibuisse; sive suos ante (ut Vitriacensis) sive post lavacrum (ut M Paulus & Petrus Bizarus tradunt) candente ferro signaverint. Iam vero hunc istorum ritum necesse erit fateri in Scriptura fundari, adeoque esse in usum recipiendum, si Latinorum valet par pro suo oleo ex Paulo & Ioanne argumentatio. Nam si ex eo, quod hi Apostoli *nos ungi & unctionem accipere* scripserunt, sequitur aliquam apud eos fuisse vel baptizatorum, vel baptizandorum ex oleo materiali unctionem; negari non potest ex alterius Ioannis verbis, *nos igne à Christo baptizatum iri dicentis*, necessario quoque effici nos igne elementari in baptismo signandos esse; ut hanc ferri candentis cærimoniam Latini suis illis XXII. baptismi ritibus addere debeant. Imo si bene rem reputes, Iacobitæ ex Baptistæ verbis pro suo cauterio multo in speciem, quam Latini ex Paulo, & Ioanne pro suo oleo, probabilius ac validius argumentabuntur. Ille enim baptismum disertè memorat, *Spiritu Sancto & igne nos à Christo baptizatum iri affirmans*; Apostoli vero nulla nominatim facta baptismi mentione simpliciter & in genere dicunt *nos à Deo ungi, & unctionem à Sancto accepisse*; non dicunt propriè *in baptismo ungi*. Atqui & Latini & Græci consentiunt nihil istam Iacobitarum ex Baptistæ verbis ratiocinationem valere, quod ea figura Scripturæ familiari significent *ignem*, non istum elementarem in focis nostris

l 1. Pet. 2. 2.
m Tertull. de Coron. c. 3.
n Bas. de Sp. S. c. 27.
o Iac. de Vitriac. Hist. Hieros. c. 75. p 1092. a. b.
p M. Paul. Venet. l. 3. c. 38. fol. 58. D
q Petr. Bizar. rer. Persic. l. 10 p. 281. in.
r Bell. de Bapt c. 2. §. Tertius err.

ſtris notiſſimum, ſed ſpiritualem & myſticum, dona ſcilicet Spiritus, quibus ſuos Chriſtus liberaliſſimè ac copioſiſſime illuminauit, purgavit, ac inflammavit; idque inde confirmant, quod ad baptiſmum aquam quidem ſemper, ignem vero materialem nunquam adhiberi videmus in divinis & Eccleſiaſticis vetuſtiſſimi Chriſtianiſmi libris. Ergo neque Latini negare poſſunt, quin illa ratiocinatio, qua ſuum ex Paulo & Ioanne oleum extundere conantur, vana quoque & frivola ſit; quod *ungendi & unctionis*, quæ apud eos occurrunt, vocabula de myſtica & ſpirituali unctione facile commodéque poſſint; de materiali intelligi, nihil, ut liquet neceſſe ſit. Id vero efficaciſſimè ex iis confirmatur. Quæ modo demonſtravimus, in omnibus ſcilicet novi Teſtamenti locis, in quibus baptiſmi vel inſtitutio, vel adminiſtratio memoratur, non magis oleum Latinum, quam ignem aut ferrum Iacobiticum uſpiam inveniri. CAP. VIII.

CAPVT VIII.

Arg. VIII. novitatis rituum, qui à Latinis in baptiſmo ſolenni adhibentur, ductum ex ſcriptorum antiquiſſimorum perpetuo de iis ſilentio, præſertim Iuſtini in eo loco, ubi baptiſmum deſcribit.

HVc accedit conſtans primi ac vere Apoſtolici Chriſtianiſmi de illo oleo, ac cæteris ejuſdem generis cærimoniis, ſilentium. Nam in veris ac indubitatis vetuſtiſſimæ ad a.D. pæne ducenteſimum Eccleſiæ libris plane nihil de iſtis occurrit; nihil de oleo, & chriſmate, quo nunc Latini ſuos neophytos ante & poſt baptiſmum inungunt, vel de ſaliva, qua tangunt, de ſale, quo condiunt, de exorciſmis, quibus purgant; nihil de cæteris, certè de plæriſque ejuſdem cenſus cærimoniis, quas in hoc adminiſtrando Sacramento uſurpare ſolent. Extant non paucæ illius ævi lucubrationes; ut Clementis ad Corinthios epiſtola; ut Hermæ, ſive Paſtoris apocryphum quidem, ſed tamen antiquiſſimum volumen; ut Iuſtini, Athenagoræ, Theophili Antiocheni, Tatiani, Irenæi, Minutij Fœlicis opera; ut Polycarpi & Lugdunenſium acta, & nonnulla parium auctorum, ut Ariſtidis, Dionyſij Corinthij, & aliorum fragmenta. Iam ab omni veri ſpecie abhorret, ut in tam multis monumentis, quæ omnia de religione Chriſtiana, ejuſque dogmatis ac ritibus compoſita ſunt atque edita, nulla fuerit rei tam nobilis facta mentio, quæ ad ipſam fidelium in Chriſtum initiationem pertinet. Si quid legitimo & Apoſtolico baptiſmi ritui ab hominibus poſtea adjectum eſt (& multa paulatim adjecta eſſe confitemur) id ab ejus temporis, quo apud nos obtinuit, ſcriptoribus non ſemel, ſed crebro, neque ab uno, ſed plærunque à pluribus memoratum, ſæpe etiam inculcatum videmus. Si eadem in Eccleſia antiquiorum Patrum ævo jam extitiſſent, nihil eſt, quod eos dubitemus poſteris ſuis ſegniores, aut parciores futuros fuiſſe in illis quoque commendandis. Cum ergo apud duorum pene ſeculorum auctores, quæ

Cap. VIII. Christianismi prima fuerunt, de istis initiationis nostræ additamentis altum & constans ubique sit silentium; nulla ratio est, cur suspicemur ista jam primis Ecclesiæ temporibus in usu fuisse. Vnde apparet primam illam Apostolorum in baptismo ministrando simplicissimam disciplinam ad alterum à Christo nato seculum pene extremum integram ac inviolatam mansisse.

Id ipsum verò etiam multo luculentius patet ex illustrissimo quodam Iustini loco. Is enim scriptor, quem eruditi putant martyrium pro Christi fide ann. Dom. 163. fecisse, in Apologia secunda, quam Augusto & Senatui Romano pro Christiana religione inscripsit, ne quid nostrorum mysteriorum dolo occultare existimaretur, accurate enarrat totum baptismi & Eucharistiæ solennem apud nostros ordinem. Ac de baptismo quidem in hunc maxime modum docet: s *Quo vero modo* (inquit) *Deo quoque nos dicaverimus per Christum renovati, jam exponemus, ne si hoc prætereamus, maligne quicquam & dissimulanter agere in hac oratione videamur. Quicunque persuasi fuerint & crediderint vera esse, quæ à nobis traduntur & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint, orare jejunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis una cum illis & orantibus & jejunantibus. Deinde eo adducuntur à nobis, ubi aqua est atque eo regenerationis modo regenerantur, quo ipsi regenerati sumus. Nam in nomine rerum cunctarum parentis, & Domini Dei & Servatoris nostri Iesu Christi, & Spiritus Sancti in aqua tam lavantur.* ὃν τρόπον δὲ καὶ ἀνεθήκαμεν ἑαυτοὺς τῷ θεῷ καινοποιηθέντες διὰ τοῦ χριστοῦ, ἐξηγησόμεθα. ὅπως μὴ τοῦτο παραλιπόντες δόξωμεν πονηρεύειν τι ἐν τῇ ἐξηγήσει. ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι. καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς. ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως, ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀνεγεννήθημεν ἀναγεννῶνται. ἐπ' ὀνόματος γὰρ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων, καὶ δεσπότου θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ πνεύματος ἁγίου τὸ ἐν ὕδατι τότε λουτρὸν ποιοῦνται. Tum postquam è Scripturis rem confirmavit, ejusque rationem ab Apostolis acceptam paucis exposuit, concludens *nos in aqua ante commissorum peccatorum remissionem consequi*, ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, ὧν προημάρτομεν, τυχεῖν ἐν τῷ ὕδατι, postremo ad initiationis sacrum, unde digressus erat, rediens; *Super eo* (inquit) *qui renascendum sibi esse statuerit, atque per pœnitentiam ab admissis delictis resipuerit, parentis rerum omnium & Domini Dei nomen nominatur, atque id ipsum solum lavaturi istum ad lavacrum ducentes invocamus. Nomen enim ineloquibile Deo dicere nemo potest; si quis autem ei nomen indere audeat, prodiga prorsus luxuriantique insanit insania. Vocatur autem lavacrum hoc illuminatio, quod eorum qui hæc discunt, mentes illuminantur. In nomine autem etiam Iesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, atque in nomine Spiritus Sancti, qui per sacros Prophetas prænuntiavit res Christi omnes, abluitur is qui illuminatur*, ἐπονομάζεται τῷ ἑλομένῳ ἀναγεννηθῆναι καὶ μετανοήσαντι ἐπὶ τοῖς ἡμαρτημένοις τὸ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου θεοῦ ὄνομα. αὐτὸ τοῦτο

s Iustin Apo. 2. pa. 78 lin. 14.

Ibid. pag. 74 lin. 7.

μόνον

μόνον ἐπιλέγοντες, τοῦτον λουόμενον ἄγοντες, ἐπὶ τὸ λουτρόν. ὄνομα γὰρ τῷ ἀρρήτῳ θεῷ οὐδεὶς ἔχει εἰπεῖν. εἰ δέ τις τολμήσειεν εἶναι λέγειν, μέμηνε τὴν ἄσωτον μανίαν. καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμὸς, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων. καὶ ἐπ' ὀνόματος δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ ἐπ' ὀνόματος πνεύματος ἁγίου, ὃ διὰ τῶν προφητῶν προεκήρυξε τὰ κατὰ τὸν Ἰησοῦν πάντα, ὁ φωτιζόμενος λούεται. Hæc Iuſtinus; in quibus, dū præfatur ſe modū ac rationem initiationis in Chriſtum noſtræ ſincere expoſiturum, atque ita ut nemo ſuſpicari poſſit *ipſum quicquam maligne & diſſimulanter agere*, dum ſic inquam, loquitur, eo ipſo nihil ſe eorum prætermiſſurum ſignificat, quæ in illo actu fieri tum apud Eccleſiam ſolerent. Iam vero ſic præfatus nullum alium baptiſmi noſtri ritum memorat, præter unam in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti tinctionem, ſive lotionem, diſertiſſime à Chriſto præceptam ac inſtitutam; De oleo, de ſaliva, de chriſmate, de cæteris, quæ nunc Latini in ſolenni baptiſmo adhibent, nullum verbum facit. Ergo ad ann. Dom. 150. quo hæc Apologia à Iuſtino ſcripta eſt, baptiſmus apud noſtros ſola tinctione ſive lotione conſtabat, neque ulla adhuc erat ex oleo & chriſmate unctione, ulliſve aliis ſimilibus additamentis amplificatus. Vnde certiſſime id concluditur, quod nos ſupra ex divinis Scripturis demonſtravimus, nihil iſtorum ſcilicet fuiſſe vel Apoſtolis à Chriſto Domino traditum, vel ab ipſis Apoſtolis poſt Domini aſcenſionem inventum. Nemo enim dixerit hos proximos Apoſtolorum de ſecundo Chriſtianiſmi ſeculo ſucceſſores ſuorum præceptorum inſtituta minus accurate vel ſciviſſe vel obſervaſſe, quam eorum poſteros.

CAP. IX.

CAPUT IX.

Argum. IX. novitatis rituum ex ipſa traditionis ratione petitum. Argum. X. ex conſenſu doctorum virorum Valafridi, Hieremiæ Patriarchæ Cypriani Viclefi, Taboritarum, Eraſmi, Rigaltii, Grotii.

SEd quod ex hac Scripturæ, & primæ ac Apoſtolorum proximæ Eccleſiæ auctoritate demonſtratum eſt, non fuiſſe ſcilicet has baptiſmi cærimonias ab Apoſtolis præceptas, vel inſtitutas, id ipſa earum penitius inſpecta traditio liquido confirmat. Quæ enim hujus cenſus verè ſunt, id eſt quæ certo & indubitato vel ab ipſo Chriſto vel ab ejus Apoſtolis tradita ſunt, ea ſtatim apud omnes extant, & quidem ubique eadem; ut aqua in baptiſmo, panis & vinum in Euchariſtia; quæ apud omnes Chriſtianos in horum Sacramentorum adminiſtratione ſtatim ab ipſis rei Chriſtianæ initiis inveniuntur, & deinceps apud poſteros ad noſtra uſque tempora manſerunt. Quæ vero poſt Apoſtolos à viris Eccleſiaſticis reperta ſunt, earum diſpar hac in parte ratio fuit. Hæc enim neque ab ipſis ſuis initiis pariter apud omnes extant, quod

Cap. IX. uno scilicet loco primum edita hinc in alias Christianismi partes propagari necesse sit; quod momento fieri nequit; etsi id interdum brevi ac repente fiat, sive ob rerum ipsarum speciem ac probabilitatem, sive ob auctorum dignitatem, vel sanctitatem, aut famam; Qualiter olim Rogationum ritum ex Viennensi ad Rhodanum Ecclesia, in qua paulo ante a. D. 500. à Mamerto Episcopo primum institutæ sunt, pronis omnium animis ac studiis susceptum paucis annis in universas Galliæ Ecclesias diffusum olim fuisse accepimus. t Huc & aliud, ut innuimus, discrimen accedit, quod nimirum, quæ Apostolica sunt, ea ob summam omnium in auctores reverentiam, fere eadem apud omnes sunt; Quæ vero postea ab alijs addita sunt, ea plærumque apud alios alia, neque ubique, neque semper eadem, sed nonnihil fere diversa, ut vel locorum, vel temporum, in quæ incidunt, ingenium, status, atque conditio fuit. Vt ipsæ illæ à nobis memoratæ Rogationes, tametsi ab omnibus magno studio receptæ, non tamen ubique plane eodem, quo institutæ erant modo, u sed à diversis diverse, à quibusdam eodem, ab aliis alio die celebratæ. Iam quo primum tempore extitisse apud Christianos hi baptismi ritus comperiuntur, longe diversos extitisse ab iis, quos nunc Latini celebrant; imo neque olim ipsis vetustissimis temporibus, eosdem ubique fuisse, sed pro locis ac temporibus varie auctos, ornatos, immutatosque ex iis, quæ de singulis disputaturi sumus, clarissime patebit. Res adeo manifesta est, ut adversarios vix repugnaturos putem. Ergo hinc quoque id, quod præstruximus, conficitur, non fuisse baptismales istas cærimonias ab Apostolis vel institutas, vel traditas. Qualiter Socrates Paschatis festum non fuisse ab Apostolis traditum recte, siquid judico, ex ea diversitate colligit, x q. ç inter festi hujus observatores seculo secundo extremo, totoque tertio ad Constantini Augusti tempora fuisse perspicitur, aliis decimaquarta Luna cum Iudæis, alijs aliter festum illud celebrantibus.

t Alcim. Avit. Hom. de Rogat. p. 55. & Sirm. Not. ad eum loc. p. 60.

u Alcim. ibid. p. 158.

x Socrat. Hist. e. 5. c. 21.

Neque hoc postremo omiserim, quod hæc Latinarum in ministrando baptismo cærimoniarum novitas tam est ex divinis, atque Ecclesiasticis litteris manifesta, ut eam non modo nuper nostri homines, sed etiam jam antea gravissimi ac celeberrimi scriptores viderint, atque observarint; quorum judicium non nos soli, sed quidam etiam ex ipsa Latinorum communione viri eruditissimi hac in parte sequuntur. Valafridus Strabo, noni seculi scriptor laudatissimus docet y baptismum initio *simplicissime olim celebrari solitum*; post Apostolos ab aliis addita fuisse cætera, quibus nunc Latini utuntur. *Sciendum autem* (inquit) *primo simpliciter in fluviis vel fontibus baptizatos credentes* (quod ex Ioannis & Christi primo baptismis, tum etiam ex Philippi Evangelistæ exemplo probat) *& sicut cæterarum institutionum Ecclesiasticarum decus; ita & hujus mystici lavacri gradatim per temporum augmenta celebrationē in majus crevisse. Addiderunt* (inquit) *alij chrismatis unctionem, quam ex veteri sumptam consuetudine* (Mosaïcam autem dicit, quam & Tertullianus,

y Valafr. Str. de reb. Eccl. c 26. p. 6 o. c. D. T. 10. Bibl. Patr.

CAP. III.

tullianus, cujus verba hic usurpat) *nemo est qui dubitet; cumprimis temporibus impositione manuum baptismum confirmari soleret, quod in Samaria fecisse Petrum legitur, & Ioannem.* Et post aliquam multa de confirmatione interposita; *Alij* (inquit) *addiderunt in baptismatis sacramento exorcismos; alij consecrationem fontis; alij salis, vel saliva infusionem; alij Catechumenorum ordinabilem instructionem; alij scrutinia diligentissima ad sanum mysterium preparationis statuerunt. Sed & multa alia, que & exemplis divinorum actuum vel dictorum inventa, & congruentissimis spiritualium profectuum significationibus plena noscuntur.* Paria cum Strabone de his baptismi cæremoniis sensit parentum nostrorum memoria Hieremias, Patriarcha Constantinopolitanus. Certe de chrismatione, quæ omnium illarum cærimoniarum præcipua ac nobilissima censetur ita scribit; z *Quod vero* (inquit) *in baptismis quorum mentionem facitis* (eos dicit, qui in sacris litteris traduntur) *chrismatis mentio non fit, nolite mirari. Ecclesia enim Christi ejus gratia proficiens divinis dictis & fundamentis multa adinvenit ornatu quodam vestiens.* μὴ θαυμάζετε δὲ, ὅτι ἐν τοῖς βαπτισμάτων, οἷς ἐχρήσατε, μνεία οὐ γίνεται χρίσματος. ἡ γὰρ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησία τῇ χάριτι αὐτοῦ προκόπτουσα ἐπὶ θείοις ῥήμασι καὶ θεμελίοις πολλὰ ἐξεῦρε καὶ κατεκόσμησεν. Sic & in prima collatione confessus erat a *divini chrismatis mysterium minime haberi in divina Scriptura; ceterum traditum fuisse à verbi discipulis* τὸ δὲ τοῦ θείου μύρου μυστήριον μὴ ἐμφαίνεσθαι ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ. παραδέδοται δὲ μὲν ὑπὸ τῶν μαθητῶν τοῦ λόγου. Significat chrisma non à Domino, neque ab ejus Apostolis (quorum actus in Scriptura continentur) esse institutum; esse tamen ab Ecclesia post Apostolos inventum ac traditum. Hæc illi; quos fateor eo largiter falli, quod putant Apostolicæ traditionis simplicitati aliquid ex istis additamentis, decoris, vel *ornatus*, aut *plenitudinis* accessisse. Plane contra est. Illam hæc quantumvis carni & puerili ejus sensui speciosa non parum corruperunt; veluti si quis valenti, & suis omnibus membris perfectissime instructo corpori partes aliunde aliquas jungere velit. Sed in eo tamen & Strabo, & Hieremias verum viderunt, quod ista cærimoniarum additamenta qualiacumque de cætero sint, nequaquam ab Apostolis, primis rei Christianæ magistris, sed ab aliis, ævo Apostolico recentioribus, fuisse instituta & tradita senserunt.

z Hier. Cypriani Resp. 2. ad Virtem b. p. 240.

a Id. ibid. p. 80.

Ioannem Viclevum, Theologum de XIV. seculo Anglum nobis quoque in hac sententia præivisse fatetur Thomæ Valdensis prolixa de hoc argumento contra Viclevum disputatio a. D. 1426. Marchino P. R. S. ab eo inscripta; b quod quia apud omnes in confesso est, nihil necesse est allatis illius testimoniis confirmare. Bohemos Taboritas, qui Valdenses censentur, eadem cum Viclevo, non modo sensisse ac docuisse, sed etiam in usu suo Ecclesiastico habuisse, Latinorumque cærimonias ex suo baptismo ejecisse, plenissime docet Ioannes Lukavits in eorum Confessione a. D. 1431. scripta, & conventui Praggensi tradita; ex qua operæ pretium est nonnulla describere, quod sint, qui

b Vid. Ia Doctrin. Part. 6 tit. 5. c. 45 6 47. ad c. 54.

 de

Cap. IX. de Valdensium super hoc capite sententia longe alia spargunt. Baptismum ergo illi inprimis definiunt *e ablutionem hominis per aquam factam ab alio verba à Christo præscripta debite proferente, significantem efficaciter ablutionem animæ à peccato, quod expressum in Evangelio habet fundamentum.* Hinc in hoc sacramento tria esse necessaria cum Thoma docent, *formam*, id est verba à Christo præscripta, *Ministrum*, & *ablutionem in aqua. Utilia* circa ipsum profitentur *orationem*, *abrenuntiationem pædagogorum fidelem curam*, & *exhortationem. Cætera vero omnia* (inquiunt) *quæ in ritu baptizandi moderna observat Ecclesia, sunt præter necessaria; non de necessitate, aut substantia, ad sacramentum baptismi requisita, è quibus multi capiunt occasionem erroris & superstitionis.* Illa autem mox recensent, *sal, oleum, chrisma, cereum, chrisinale, salivam, & flatum.* Hos vero ritus affirmant *esse extra fidem scripturæ, ab inimico supra fideles cumulatos.* Denique; *Sacramentum* (inquiunt) *baptismi exercemus aqua simplici secundum formam à Christo præscriptam, cum oratione, abrenuntiatione, fidei interrogatione, & exhortatione; scientes illa circa hoc esse utilia, honesta, licita, & in fide Scripturæ fundabilia*; cujus rei haberi dicunt *Apostolorum exemplum, & Ecclesiæ primitivæ in Christo, & hæc exerceri sine exorcismis, & patrinis, sine chrismate & oleo ab Episcopis prius consecrato, & sine terna immersione in aqua, modo consueto non benedicta, & sine aliis ritibus consuetis à Curia Romana institutis.*

e Lukav. Confess. Taborit. c. 5. toto.

Sed & majorum nostrorum temporibus a. D. 1524. Erasmus ipse, tametsi in communione Latinorum & vixerit, & mortuus sit, non obscure tamen fatetur se eadem de Apostolicorum hominum baptismo sentire in epistola ad Iodocum Gaverum; ubi cum esset locutus de cereo sacro, de signo crucis, & aliis ejusdem census cærimoniis, addit *d sine his baptizatum esse Eunuchum illum Canduces Reginæ, nec aliter* (inquit) *baptizatos arbitror, quos baptizavit Paulus. Num ideo noster baptismus felicior, quia tot cærimoniis peragitur?* Idem alibi cum Paganicos in tironibus ad militiam admittendis ritus enarrasset; *e A veterum igitur* (idest Paganorum) *ritu fluxerunt* (inquit) *hæ cærimoniæ, quibus Christiani in baptismis utimur. Exigitur subinde nomen baptizandi; Dictantur solennia verba; imprimitur nota crucis: abjuratur hostis Christi Diabolus.* Hæc Erasmus; quæ Quiroga prius, & postea etiam Sandeval, Hispanorum Biblomastigum Principes, deleri in Erasmi editionibus jusserunt.

d Erasm. Epist. L. 23. p. 864.
e Id Not. ad c. Hieron. ad Hellod. T. 1. fol. 2. I.

Etiam nuper vir ex Latinis doctissimus ac clarissimus Nicolaus Rigaltius de baptismalium rituum auctore ac origine eadem docet; *f Apostolos tinctionis & tingendi formulæ simplicitatem conservasse, ut ipsorum Acta declarant; At Christianos ævi proxime sequentis addidisse pluscula, idque fateri Tertullianum libro de Corona.* Hic locum à nobis infra describendum exhibet. Tum de unctione, quam Tertullianus alio in loco edit veluti jam suis temporibus apud nostros usitatam; *Hoc vero* inquit Rigaltius) *mandatum à Domino aut ab Apostolis factitatum fuisse*

f Rigalt. ad Cypr. ad 59 p. 86, 87.

fuisse non legimus. Sed paulo post excessum Apostolorum Christiani faciles multa de Iudaicis observationibus nondum obliterata retinuerunt. Addit paulo post *in usum receptas plures unctiones, & distingui cœpisse eam, quæ in fronte fiebat, ab alia, quam in vertice fieri placuit.* Omnia verissime, si modo illud quod ait *paulo post excessum Apostolorum*, benignius de toto illo tempore accipias, quod ab Apostolorum morte ad annum Domini 70. vel etiam fortasse 80. fluxit. A. enim D. 150. adhuc mansisse Apostolicam baptismi simplicitatem docent ea, quæ nuper ex Iustino attulimus.

Rigaltio denique Grotius est adiungendus, vir immensæ eruditionis, qui licet in Latinorum partes pronior, ac nostris pene ubique infensus ac infestus, vere tamen tota hac de re iudicabit: g *Baptismus olim* (inquit) *Christianorum simplex fuit, mersatione sola constans, ut & ille Ioannis Baptistæ, & eo vetustior, quem Iudæi adhibuerant, cum idololatra, aut ad Iudaismum transirent, aut ius hospitii apud ipsos sub lege vivendi secundum præcepta Adamo & Noa data impetrarent. Ostendunt hoc & Acta Apostolica, & epistolæ Apostolorum, & Iustinus Martyr.* Tum aliis paucis interjectis; *Baptismo* (inquit) *accesserunt secundo & deinceps seculis multa rerum imagines ad loca quædam sacrarum litterarum alludentes: ut mos fuit veterum, non verbis tantum, sed & signis conspicuis loqui: ut lactis & mellis gustatio, aliaque passim obvia. Sed maxime placuit talibus signis ostendere, quæ corpore ægrotantibus exhibuerat Christus beneficia, iis paria in animo præstari ab ipso credentibus, & fidem profitentibus: aperiri oculos mentis, patefieri aures, morbos auferri, Satanæ potentiam infringi. Hinc exorcismi, hinc Ephpheta, hinc insputatio: Hinc & oleum, Christo & Apostolis ejus, eorumque adjutoribus circa corporis morbos usitatum: ut Marcus & Iacobus testes sunt. Non satis id visum, nisi & fragrantiori quadam unctione ostenderent Christianos à Deo lectos & Reges, & Sacerdotes.* De iisdem à Cordesio, ad quem utramque epistolam scribit, iterum ut videtur, interrogatus, eadem constanter sequitur; h *Ego* (inquit) *ita habeo: Unctionem baptismi comitem, itidem ut mellis & lactis gustationem, & alia quædam, secundi seculi esse ἐπινοήματα; ex ea nata occasione, quod omnibus modis illorum temporum Christiani imprimenda animis crederent beneficia Dei maxima, quæ per fidem in Christum, cujus possessio in baptismo est, nobis contingunt:* &c. cætera, quæ re eadem sunt cum iis, quæ modo descripta exhibui. Ita quidem ille; acute profecto, ut alia sine numero, & ingeniose. Quod ait de secundo seculo, id de extremo, vel certe vergente ac pæne præcipiti intelligendum esse, monstrat, quod in priori loco indicarat Iustini testimonium. Neque ego dubito, quin hæc ipsa, quæ ab illo affertur, ratio veteribus fuerit baptismum iis, ut sic dicam, signis extruendi & ornandi, qualia sunt, quæ ad eam rem adhibuerunt. De causa quæ eos permovit, ut aquam ad baptismum solennem non sufficere, aliaque præter eam signa adjicienda esse putaverint; alind fateor, sentio (quod postea suo loco dicam,

g Grot. in ep. ist. ad Gall. ep. 146. quæ est ad Cordes. p. 400.

h Id. ibid. ep. 158. p. 432.

Cap. X. i quam quod hic nobis vir summus narrat studium veterum imprimendi suorum animis beneficiorum nobis à Deo per Christum quæsitorum magnitudinem.

i infra c 11 pæne extremo.

Ita dispuncta est institutę disputationis pars prior, ex qua patet, quam temerè fallsoque affirmarit k auctor Catechismi Tridentini baptismales cærimonias suas *ab Apostolis sine controversia institutas fuisse*. Modestius ac verius Valdensis suos Latinos ait hos sacros ritus, sacramentalésque observantias, non simpliciter ab Apostolis, sed *vel ab Apostolis*, vel à succedentibus in eorum sedem Episcopis accepisse. Idem paulo post illorum rituum tres ordines constituit; m *quosdam Christum tradidisse Apostolis observandos; quosdam honeste Apostolos superaddidisse, quosdam demum Patres consequenter addidisse*. Ille vero de duobus primis ordinibus largiter errat. Nihil Christum, nihil Apostolos horum rituum addidisse baptismo, luce meridiana clarius ex ijs quæ hactenus disputabimus, perspicient *quicumque illa absque animi studio expenderint*.

k Catech. Trid. tit. de Bap. 4 p. 105. B.
l Vald. l. 6. Tit 5. c. 47. fol. 127. col. 1.
m Ibid. col. 3.

CAPUT X.

Proprium singularum cærimoniarum argumenta tractantur, quibus earum antiquitatem Latini probare conantur. Nihil eos ad hoc adferre ex Scriptoribus, qui ante secundi seculi exitum floruerunt. Repudiantur aliquot falsi & subdititij nominis teste; Pseudo-Dionysius Areopagita, Pseudo-Clemens Recognitionum, & Constitutionum auctor. Recognitionum opus idem esse cum eo, quod alij Petri Circuitus, *vel* Itinerarium, *dicunt. Epiphanij de eo libro testimonium longè aliud significare, quam quod Bellarminus fingit. Rejiciuntur prætrea Pseudo-Iustinus Quæstionum scriptor, & Auctor Actorum Lini, Quam tati sit furfuris Vicecomitis opus de Baptismi cærimoniis.*

Sed nunc, quod instituimus, absolvamus, & sigillatim videamus, quid Latini pro cujusque ex his decem ritibus antiquitate afferunt. Bellarminus in scrutandis Patrum libris magnam vitæ partem nullo alio consilio consumpsit, quam ut observaret, si quid in iis esset, quod ad caussam Latinam jure, an injuria vel duci, vel trahi ac torqueri posset. Atqui hic tantus veterum librorum helluo nihil reperit in primæ illius antiquitatis ad a. D. 160 monumentis, quod sex ex his ritibus vel in speciem faveret, Exsufflationi scilicet, Sali, Salivæ, Chrismati, Cereo, Albæ vesti. Ex hoc ejus hac in parte silentio, certo licet colligere in omni hac antiquitatis prima, longéque optima ac purissima parte nusquam reperiri ullam istarum baptismi cærimoniarum mentionem. Vidisset Bellarminus, si quæ extarent; & si, vidisset, attulisset. Non attulit, ne ergo dubites

dubites nihil fuisse, quod afferret. Sed de reliquis quatuor, nimirum de Crucis signo, de Exorcismis, de Vnctione, de fontis consecratione, quid obsecro affert ex primo, vel secundo seculo? Dicam; nomina quædam ex optimo illo, sanctissimoque Christianismi climate attulit; Res nullas attulit; quę in toto hoc Ecclesiæ tractu nullæ ad constituendam hanc Latinorum causam reperiuntur. CAP. X.

Ergo ut probet eorum, qui olim initiabantur fronti ac pectori, crucis signum à presbyteris & Clericis mox Latino sæpius fuisse impressum; *Meminit* n (inquit) *huius cærimoniæ Dionysius*. Nempe illum dicit, quem vulgo Areopagitam vocant. Eundem mox de exorcismis citat, o *Ante baptismum* (inquit) *præmitti exorcismos, testatur Dionysius loco notato*. In capite sequenti de consecratione aquæ baptismalis, *Eius* p (inquit) *meminit Dionysius capite de baptismo*; & verba hæc recitat; *Regenerationis aqua sacris invocationibus prius consecratur*. Denique de baptismali candida veste, q *Huius* (inquit) *meminit Dionysius de Hierarchia Ecclesiastica c. de Baptismo*. Scito ergo hunc Bellarmini Dionysium merum esse nomen; cui Latinorum Theologia magnam sui partem debet. Illi orbem diu territarunt hoc grandi nomine, viri Atheniensis domo, antiquissimi ex Areopagita Pauli discipuli, Ecclesiæ Atheniensis primi Episcopi, & gloriosissimi pro Christi fide Martyris; suasque novitates hujus auctoritate fucatas imperitis hominibus in superiorum temporum tenebris commendarunt. Sed magna Christo sit gratia, quod ita tandem diluxerit, ut qui multis seculis sub falsa Dionysij persona humano generi ludos fecerat, is postremo etiam à Latinis, quicumque vera falsis & sincera suppositis antehabent deprehensus sit scriptor a Dionysio longe diversus; homo, non primi, quod ipse mentitur, sed quarti vel quinti, seculi; quod nos quam verum sit proprio de hoc argumento opere non ita pridem demonstravimus. * Ergo si non alium, quam istum Dionysium pro suis mysteriis testem habet Bellarminus, neminem profecto ex purissima illa antiquitate habet, quæ duobus primis Christianismi seculis floruit. Bona verba inquis. Ecce etiam alios præter Dionysium de ipso illo primo seculo testes excitat. Scio, inquam, Clementem ab eo & Iustinum advocari, ut probet Catechumenos jam olim oleo benedicto in pectore & scapulis, antequam tingerentur, unctos fuisse. *Meminit* r (inquit) *huius unctionis Clemens libro tertio* Recognitionum. Tum *Iustinus* (inquit) *quæst.* 107. *quærit, cur bis inungantur Christiani, semel ante baptismum, & iterum post baptismum*. Sed vin scire, qui qualesque sint isti Clemens atque Iustinus? Mera, æque ac Dionysius, nomina sunt, non verus de primo seculo Clemens, Paulo discipulus; non verus de secundo Iustinus, Philosophus & Martyr. Audi Bellarminum de Clemente, & eidem hoc ipso in loco; *Liber est* (inquit) *incertæ fidei quo ad dogmata*; & alibi in proprio de Ecclesiasticis Scriptoribus opere; *Recognitiones* (inquit) s *non esse Clementis probabile existimo, vel idem esse opus cum eo, quod Itinerarium vel Circuitus Petri aliqui vocant*. Iam eorum libororum

n Bell. de bapt c. 25. §. Quint.
o Ibid. §. Quarto ante
p Ibid c. 6. § Tertia.
q Ibid. c. 27. § Quarta.
* l. de oper. Dionys. suppositis.
r Bell. de Bapt. c. 25. § Vndecima.
s Id. l. de script Eccl. in Clem.

Cap. X. brorum testimoniis niti, qui *incertæ fidei sunt, & quos probabile* est ab aliis, quam ab auctoribus, quorum nomina præferunt conscriptos esse, omnes intelligunt cujus sit fidei. At ego, quod iste *probabile* judicat, librum hunc Clementis eundem esse cum eo commentario, qui aliis *Itinerarium* alijs *Circuitus* sive *Periodi Petri*, vocatur; id ego verissimum esse probo: primo quod Origenes in Philocalia locum Clementis satis prolixum describens, qui nostrarum Recognitionum l. 10. fol. 50. totidem verbis legitur, eum ἐκ περιόδων Clementis λόγῳ 14. citat. *t* Vnde patet idem esse utrumque opus. quod alij *Recognitionum*, alij περιόδων Petri libros vocant. Neque movere quemquam debet, quod περιόδων librum 14. dicat Origenes, qui nobis est Recognitionum decimus. Librum enim nos, non ut Origenes græcè dictavit, sed Latine tantum habemus, & quidem ex Ruffini Aquileiensis interpretatione, id est, eius hominis, cui familiare sit alienos quos Interpretatur libros mutata auctoris divisione, pro sua libidine aliter secare ut in Origene fecisse eum videmus, cujus quindecim, vel ut Cassiodorus tradit, *u* XX. libros in Pauli ad Romanos epistolam ad decem contraxit. *Secundo*, quæ nos hodie de Faustiniano Clemētis *x* patre, à Simone in suam ipsius imaginem arte malefica transformato in Recognitionibus legimus, id ipsum Hincmarus olim referens ex Petri *Itinerario* citat. *y* Mansisse apud Latinos Pseudo-Clementis operi hunc titulum ad proavorum nostrorum tempora apparet ex duobus locis, quæ inde descripserunt Ioannes Hussus, & Ioannes Lukavits, ille quidem paulo post initia seculi decimi quinti, hic vero circa a. D. 1433. Prior locus hodie totus legitur quinto libro Recognitionum, & ab his Paganorum suam idololatriā excusantium verbis incipit, *z Nos ad honorem invisibilis Dei imagines visibiles adoramus*, & in hæc desinit, *in his omnibus imago Dei violatur.* Alter locus in primo ejusdem operis libro extat, & sic habet, *a Eorum vero, qui non ad integrum potuerunt explere normam iustitiæ* &c. usque ad illa verba, *pro his, quæ bene gesserunt æterna hæreditate potiantur.* Iam hæc duo loca, non ex *Recognitionibus*, quem titulum hodie id opus præfert, sed priorem quidem locum Hussus citat, *b ex Clemente in Itinerario*: posteriorem vero Lukavits, *c ex iis quæ Petrus ad Clementem l. 1. Itinerarii.* Nulla ergo dubitatio est, quin is Recognitionum liber, quem nunc habemus, idem ipse sit quem veteres alij περίοδοι, id est, *Circuitus*, alij Itinerarium Petri vocabant. Iam cum Itinerarium Bellarminus ibidem ex Athanasij, Gelasij, & Leonis IX. testimonio & auctoritate apocryphum esse confiteatur, verum certumque est idem de Recognitionibus esse judicandum. Vnde consequitur non tantum probabile, quod aiebat Bellarminus, sed verum certumque esse non esse has Recognitiones Clementis opus; præstantissimi Petri discipuli, ac Ecclesiæ Romanæ Episcopi, cujus insignem habemus ad Corinthios epistolam, quam unam Eusebius *d* pro vero & genuino ejus fœtu agnoscit. Neque verum est, quod Bellarminus *ab Epiphanio traditum dicit, Clementem ipsum testari circuitus*

t Orig. Philocal. c. 22. p. 373. 374.
u Cassiod. l. 1. c. 8. Inst. divin.
x Recogn. l. 10. f. 5. 5. K. 556. c
y Hincm. de divort. Lothar. interr. 9. p. 617. T. 1.
z Clem. Recogn. l. 5. ad ult. med. f. 50. K.
a Ibid. l. 1. fo. 7. L.
b I. Hus T. 2. p. 342. extr. l. de imag. ador. & contr.
c Lukav. Cōfess. Taborit. c. 17. extr. p. 59.
d Euseb. Hist. l. 3. c. 32. edit. Christ.

tus Petri à se conscriptos. Dicit, fateor, Epiphanius e *hereticos; qui libro* CAP. X.
illo utuntur, à Clemente omnibus modis redargui ex iis epistolis circularibus, e Epiph.
qua ab eo scripta in sanctis Ecclesiis legebantur, quod scilicet eius fides ac ser- Hær 30. §. 15.
mo alium characterem habeant ab eo, quem praferunt ea, qua ab his hareti- p. 139. b. c.
cis in Circuitibus illis sub eius nomine adulterata extant. αὐτὸς Κλήμης αὐτοὺς κατὰ πάντα ἐλέγχει ἀφ' ὧν ἔγραψεν ἐπιστολῶν ἐγκυκλίων τῶν ἐν ταῖς ἁγίαις Ἐκκλησίαις ἀναγινωσκομένων, ὅτι ἄλλον ἔχει χαρακτῆρα ἡ ἑαυτοῦ πίστις καὶ ὁ λόγος παρὰ τὰ ὑπὸ τούτων εἰς ὄνομα αὐτοῦ ἐν ταῖς Περιόδοις νενοθευμένα. His enim verbis significat Epiphanius, non ipsum Clementem, quod Bellarminus somniavit, alicubi in libris aut epistolis suis nominatim testari *circuitus Petri à se conscriptos esse, & ab hæreticis depravatos fuisse*; sed ex Clementis veris ac genuinis epistolis, quæ apud Ecclesias legebantur eo argui istorum, qui ipsi Circuitus Petri tribuebant, imposturam ac mendacium, quod quæ in his extabat fides atque oratio plane ab iis abhorreret, quæ in veris & probatis ejus epistolis habebantur; quod Epiphanius ipse statim prolatis ex utroque volumine rerum inter se diversarum exemplis demonstrat. De libro Baronius eadem nobiscum censet. *f* Recognitionum enim libros eosdem esse cum his, quos ab aliis *Circuitus* seu Periodos appellatos esse constat, non ut Bellarminus probabile esse ait, sed *nullam esse de eo dubitationem* exserte definit, *meritoque à Patribus, tam Græcis, quam Latinis proscriptos fuisse indicat.* Hic ergo à Bellarmino objectus Clemens non verus, germanusque est Clemens, sed ejus nudum, quod dixi, & sine re nomen; impostor doctus, fateor, & eruditus, sed tamen impostor, qui quas fecit fabulas, eas nobis quo vendibiliores essent, assumpta Clementis persona recitat. Cæterum cum nesciamus quis ille fuerit, vel quo proprie tempore vixerit, nihil valet ejus auctoritas ad demonstrandum, qui fuerint baptismi primo ac secundo seculo apud Ecclesiam ritus. Antiquum esse, non Ruffinus modo, qui ejus opus Latine interpretatus est; sed multo etiam magis Origenes, qui quædam ex eo laudat, & in Philocalia, quod jam diximus, & iterum alibi tractatu in Matthæum 35. Sed eum Origene haud multo vetustiorem fuisse inde conjicio, quod apud eos, qui ante Origenem vixerunt, plane *nulla uspiam* occurrat ejus mentio. Et hic ergo excludendus est è numero testium primi secundique seculi idoneorum. Sed Iustinum (inquis) excludere non potes; quem tute supra laudabas, tanquam testem horum temporum certissimum. Si, quem Bellarminus citat, is est quem laudavi; audiam. Sed ipse alium esse eo satis significat, quod quæstionem ejus laudat 137. Earum enim Quæstionum, quarum hæc 137. est, Iustinus nequaquam auctor est. Si mihi non credis, crede Bellarmino, qui id non modo dicit, sed etiam probat *g* manifesto & invito argumento; *Facile* (inquit) *indicari potest illum* (Quæstionum scilicet 146.) *librum non esse Iustini. Nam q. 82. & 86. citatur Origenes, & vers. 115. citatur Irenæus, & Martyr appellatur, cum tamen Iustinus utroque antiquior fuerit.* Sed sunt alia non pauca, quæ scriptorem Quæstionum arguunt

f Bar. 4. D. 41. §. 10. Vid. etiam a. D. 44. §. 41. a. D. 51. §. 52. 53. & D. 102. § 21. 22.

g B. II. de Script. Eccles. Iust.

Cap. XI. arguunt etiam annis non paucis post Origenem vixisse; Verbi gratia, quod q.17.& 129. voces usurpat, quæ ante Nicænam Synodum nondum erant in Ecclesiæ usu, eo quo iste intelligit sensu, quales sunt ὑπόστασις, & ὁμότιμοι & ὁμοούσιοι; item quod q 24 41.74.126. sic loquitur quasi jam everso suis temporibus Paganismo; quod ne Constantino quidem imperante contigit. Ita demonstratum est nullum ex testibus à Bellarmino ad constituendas suas cærimonias adductis ante annum secundi seculi sexagesimum vixisse. Vicecomes in iis testibus, quos præter istos ad res easdem probandas advocavit, etiam quam Bellarminus multa infelicior fuit: Hic enim etiam Constitutionum Apostolicarum scriptorem pro Clemente adducit, *h* ut demonstret horum rituum vere Apostolicam esse originem, ubi de fontis baptismalis consecratione, deque unctione ex oleo agit, *l* & aliis si forte locis. Nunc vero etiam pueri sciunt illas Constitutiones alterius auctoris esse longe recentioris; quem verisimillimum est suum hoc opus quarto demum seculo conscripsisse. Bellarminus certe rotunde fatetur *k* Constitutiones *in Ecclesia Latina nullum fere nomen habuisse, idemque fere de iis judicium fieri debere, ac de Recognitionibus*; qua de re nihil nos necesse est pluribus hic disputare, qui de harum Constitutionum novitate proprium jampridem volumen emisimus. Præterea Vicecomes, ut crucis signum jam Apostolicis temporibus in baptismo adhibitum fuisse probet, *Lini* de Petri passione acta in medium adducit, quæ utrarumque partium eruditi, ac ut cæteros taceam, inprimis Bellarminus *m* & Baronius *n* magno dudum consensu repudiarunt, quod liber erroribus sit refertus, multaque de Petri actis narret, quæ vel falsa, vel certe dubia & incerta sunt, neque ullum habeat à veteribus testimonium.

h Vicecom. l.1. de antiq. Bapt. rit.c. 14.p.63.
l Ibid. l.2.c. 35.p 387
k Bell. de Scrip. Eccl. *l* de Pseud-Apost.
m Bell. de Script. Eccl. in Lino.
n Bar. a. D. 44 §.45 a.D. 80.§.4:

Denique, ut quod res est, semel dicam, is est Vicecomes, qui nullo vel certe exiguo delectu in citandis auctoribus utitur, veros & falsos, certos & dubios, veteres & recentes promiscue habet; veluti id sibi tantum negotij datum crederet, ut de antiquis Baptismi ritibus crassum nobis, grande ac pingue volumen, multis nugis ac fabulis, multis in nostros, quoties occurrunt, conviciis, lædoriis ac maledictis refertum cuderet.

CAPUT XI.

Nihil de ullo decem rituum baptismi apud Latinos solennium extare apud scriptores a. D 160. anteriores. Unctio ex oleo vetustissima omnium Baptismalium cærimoniarum. Pro eo allatum Theophili Antiocheni testimonium explicatur ac solvitur. Ea unctio secundo demum seculo præcipiti occurrit primo apud Tertullianum; ex cujus loco ostenditur reliquum Latinorum pompam ab illius ævi apud nostros baptismo abfuisse. Unctionem a posteris; non ab Apostolis

stolis traditam, ejusdem esse generis eas traditiones, quæ à Tertulliano in libro de Corona memorantur, id est, humanas, non Apostolicas. Caussa vera, quæ Patres impulit ad eas tradendas, pio consilio, sed infelici eventu.

ITa depulsis falsi nominis testibus, nullum de baptismi controversis ritibus ex tota hac prima Christianismi antiquitate testimonium superest, præter id, quod supra ex sacris divinorum scriptorum libris, tum ex Iustini Apologia repræsentavimus; qui cum nullum alium hujus Sacramenti ritum commemorent, nisi unam in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti tinctionem; jam luce meridiana clarius est hunc solum priscis ad illud tempus Christianis cognitum & usitatum fuisse; adeoque cæteras cærimonias, quæ nunc à Latinis in baptismo adhibentur, omnes secutis demum temporibus à posteris inventas, & paulatim adjectas, tandem ad eum cumulum excrevisse, quem hodie videmus. Nunc ergo Ecclesiam spectemus, quæ deinceps ad seculum Christianismi quartum fuit, quidque toto illo tempore ad primum, eumque simplicissimum baptismi ritum accesserit, sigillatim consideremus.

Omnium cærimoniarum, quæ baptismo ab hominibus adjectæ sunt, antiquissima, ac ut videtur, prima fuit *unctio ex oleo*. Ad eam Vicecomes refert *o* quædam verba Theophili Antiocheni, qui annis circiter triginta post scriptam à Iustino eam, in qua desiimus, Apologiam floruit. Bellarminus maluit *p* ad chrisma confirmationis locum torquere. Sed neuter scopum scriptoris attigit. Ille Paganos Christiani nomen irridentes castigat, *q* ac refellit: demonstrans eorum, quæ vel arte fiunt, vel natura constant, nihil fere utile esse, quod idem quoque unctum non sit, non navem, non domum usui esse, nisi ungatur; infantes natos, athletas certaturos oleo inungi; nullum opus elegans, & ornatum esse, nisi inunctum niteat. ἐὰν μὴ χρισθῇ καὶ στιλβωθῇ. *Præterea* (inquit) *aer quidem, & omnis, quæ sub cælo est, terra lumine & Spiritu quodammodo ungitur.* εἶτα ἀὴρ μὲν καὶ πᾶσα ἡ ὑπ' οὐρανὸν, τρόπῳ τινὶ χρίεται φωτὶ καὶ πνεύματι. Tum hæc ad rem Christianorum applicans, Paganum nostro nomini illudentem sic compellat; *Tu vero oleo Dei inungi non vis? Nos igitur Christiani ideo vocamur, quia Dei oleo ungimur.* σὺ δὲ οὐ βούλει χρισθῆναι ἔλαιον θεοῦ. τοιγαροῦν ἡμεῖς τούτου εἵνεκεν καλούμεθα χριστιανοὶ, ὅτι χριόμεθα ἔλαιον θεοῦ. Hæc ille; quæ Latini de oleo materiali, corporeo ac sensibili, quanquã alio, atque alio Vicecomes de baptismali; Bellarminus de confirmativo acceperunt. Ego de oleo spirituali, deque unctione mystica intelligo, ejusdem cum ea census, qua unctus est Christus; quæ in nos ab illo, nostro capite ac Pontifice diffunditur; à qua est & ipsius, & nostrum per ipsum nomen: De unctione illa cœlesti, absque qua plane inertes, atque inutiles jacemus; non ad certamen, non ad vitam ineundam habiles, omnisque elegantiæ & ornatus expertes; de illa denique unctione, quæ *lumine & spiritu* constat, quæque animam

o Vicecom. Lib. 2. ca. 35. pag. 387.

p Bellarm. de Confirm. ca. 8. §. Tertio probatur.

q Theoph. Ant. L. 1. ad Autol. pa. 110. D. E.

Cap. XI. ut aërem lux & ventus, illuminat, purgat, ac perflat; hoc est, quæ nos, quod scribit r Ioannes, *docet de omnibus*, quæque ut idem loquitur Apostolus, *unctio est, quam habemus à Sancto*; id est, ut uno verbo rem totam complectitur Theophilus, *OLEVM DEI*, ἔλαιον θεοῦ. Nihil hæc vel ad Catechumenorum oleum, vel ad Confirmationis chrisma. Omnia divini illius Spiritus, quo in Domino Christo ungimur, propria sunt.

r 1 Ioann. 2. 27. 20.

Sed hic annis post Theophilum viginti, post scriptam à Iustino Apologiam, circiter quinquaginta, occurrit Tertulliani, viri extra controversiam doctissimi, scriptoris ad miraculum eruditi, acuti, diligentis, copiosi, testis denique rerum sui ævi Ecclesiasticarum locupletissimi, liber de Baptismo luculentissimus, totus de hoc argumento scriptus. Quid ergo ille de baptismo? Docet *s* in primis simplicissimum fuisse, illud sane egregium in genere præfatus, *nihil esse, quod tam obduret mentes hominum, quam simplicitas divinorum operum, quæ in actu videtur, & magnificentia, quæ in effectu repromittitur*; Id in baptismo nominatim accidere dicit, *ut* (inquit) *hic quoque, quoniam tanta simplicitate, sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumptu homo in aqua demissus, & inter pauca verba tinctus, non multo vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consecutio æternitatis. Mentior, si non è contrario idolorum solennia vel arcana de suggestu & apparatu, deque sumptu fidem & auctoritatem exstruunt. Proh! misera incredulitas, quæ denegas Deo proprietates suas, simplicitatem & potestatem.* Hæc Tertullianus, præclara, ut solet, & nescio veriora ne, an disertiora. Hinc quidem patet magna tum adhuc simplicitate ministratum fuisse baptismum; *sine pompa, sine novo aliquo apparatu, sine sumptu; neophytum inter pauca verba in aquam demissum ac tinctum*; plane aliter, quam fiebat in Paganorum mysteriis, *quibus fidem & auctoritatem extruebant suggestus, apparatus, sumptus.* Iam quæro, an ad hanc formam Latinorum baptismus collineet? An ab eo quoque absit illa pompa, ille apparatus, ille suggestus, ille sumptus, quem Tertullianus suo quidem deesse confitetur? in Gentium vero mysteriis abundare affirmat? An apud Latinos qui baptizatur, sine his aqua inter pauca verba tingatur? Ipsa rerum inter se collatio ostendit, quam hæc ab illis discrepent. Memento quæ ex ipsis Latinorum Ritualibus libris initio statim descripsimus: quantus, quam novus ad hodiernum baptismum sit apparatus. Primo ipsum baptisterium magna arte, certa forma, in loco sacro, ex politis, quadratisque lapidibus extructum stata solennique cærimonia consecratum: auro, argento, lapillis pretiosis, pro singularum Ecclesiarum copia, adhæc tabularum, & picturarum sacrarum ornamentis ab interiori parte renidet: cereis ardentibus, quo die sacra fiunt, collucet, purum, nitidum, & efficacissimis denique in miracula, Divorum cœlitum reliquiis instructum. Tum aqua in fontem, qui in illo baptisterio contractus est, immittitur, non extemporanea, sed quæ jam antea Sabbato Paschali, hora definita à Sacerdote

s Tertull. de Bapt. cap. 2. pag. 155. D.

cerdote precibus, crucis signis, potentissimis exorcismis, cereo ter immisso, flatuque ipsius sacri hominis ter in certam figuram emisso infusoque sancto oleo & sanctiori chrismate, per longas multorum mysteriorum ambages ad opus æternitatis consecrata fuerat. Chrisma vero hic adhibetur, quod certa & ipsum anni die non ab alio quam à primi ordinis Sacerdote mitrato, magna inferiorum Sacerdotum ac ministrorum turba stipato, ex balsamo & oleo mixtis conficitur, eo majore, quam aqua, precum, hymnorum, carminum, atque exorcismorum apparatu, quo major est primi quam secundi ordinis Sacerdos: tandemque benedicto sacrorum tredecim virorum halitu, osculo, ac veneratione sanctificatur. Neque oleum baptismi sacro adhibere aliud fas est, quam quod paribus fere ritibus accuratissime consecratum fuerit. Iam cætera ipsius baptismi quid dicam? susceptores baptizandum deducentes, Sacerdotis exsufflationes, multiplices exorcismos, consignationes, salis ad sapientium gustandi consecrationem, sanctam salivam, duplicem unctionem, unam ex oleo ante tinctionem, alteram paulo post eam ex chrismate, candidam vestem, cereum ardentem, omnia mystica, & arcanis divinisque tum significationibus, tum etiam operationibus plena? Tu ne hęc *sine pompa*, *sine apparatu*, *sine sumptu*, *sine suggestu* fieri nobis persuaseris? Si hæc jã tum fuit baptismi apud Christianos forma, Tertullianus profecto nugabatur, cum de sui sibi Sacramenti simplicitate blandiens satis inverecunde mentiebatur hominem, qui apud suos tingebatur, *sine pompa*, *sine apparatu*, sine sumptu, in aquam ad hoc demissum fuisse, ut æternitatem consequeretur; Idem stulte quoque & improvide Ethnicis exprobrabat suorum mysteriorum *suggestum*, *apparatum*, *& sumptum*. Neque enim credo, vel apud eos, vel apud Iudæos ullam cærimoniam facile inveneris, quæ hoc Latinorum baptismo operosius, majorique mole & apparatu, aut *pompatiore* (ut verbo Tertullianeo * utar) *suggestu* peracta fuerit. Cum ergo is scriptor sit Tertullianus, qui nemini nisi deliro, tanti stuporis, tantæque delirationis suspectus esse possit, omnino consequens est, ut omnem hanc hodierni apparatus atque suggestus apud Latinos pompam, à veterum Tertullianei seculi Christianorum baptismo abfuisse concludamus. Sed quid argumentis opus est? Quid de eorum in hoc Sacramento ritu statuendum sit, totus liber clare diserteque loquitur, Nam, si quæ nunc Latini faciunt, ea in Ecclesię Tertullianeę usu jam tum extitissent; plane est incredibile scriptorem longe prudentissimum, & qui quæcunque tractat argumenta, ea solet accuratissime magna ingenii vi evolvere atque enucleare, nullam fuisse facturum in libro, qui totus est hujus argumenti, istorum tam multiplicium, tamque splendidorum, ac mysticorum actuum mentionem. Atqui cum videmus baptismi quidem aquam, spiritum, ministrum, tinctionem, manus impositionem, & ex oleo unctionem, quos jam tum in Ecclesiam irrepserat, sigillatim docere; de baptizandorum ætate & pœnitentia, qua ad hoc

* Tertull. de Spect. c p. 7. pag. 93. A.

Cap. XI. mysterium suscipiendum præparandi sunt, præcipere; quasdam etiam quæstionum minutias persequi; consecrationem vero fontis, olei, chrismatis, salis, exorcismos, salivam, ephpheta, cereum, candidam vestem, & signa sunt alia in Latinorum Sacramento solennia, plane penitusque tacuisse, neque de iis vel unam syllabam in his totis viginti capitibus, quibus opus constat, scripsisse. Atque ita quidem hic Tertulliani liber majorem Latinarum in baptismo cærimoniarum partem evertit. Cæterum non plane eundem, quem ex Iustino intelleximus, baptismum, sed nonnihil iam auctiorem exhibet. Nam unctos post tinctionem fuisse narrat, quod à Iustini baptismo aberat. Sic enim Tertullianus tinctionem à Domino institutam exsecutus, pergit; t *Exinde* (inquit) egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina *disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant; ex quo Aaron à Moyse unctus est. Unde Christus dicitur à chrismate, quod est unctio, quæ Domino nomen accommodavit, facta spiritualis; quia Spiritu unctus est à Deo Patre.* Sed & manus impositionem paulo post memorat; *Dehinc* (inquit) *manus imponitur, per benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum*; quam & ipsam mox de veteris quoque testamenti disciplina venisse monet. *Sed est hoc quoque de veteri* (inquit) *Sacramento, quo nepotes suos ex Ioseph, Ephraim & Manassem Iacob capitibus impositis, & intermutatis manibus benedixit, & quidem ita transversim obliquatis in se, ut Christum deformantes jam tunc portenderent benedictionem in Christum futuram.* Ex his Tertulliani patet jam aliquid sacro baptismi ritui accessisse illo tantillo temporis spatio, quod à Iustini morte ad hunc Tertulliani librum affluxerat; non sic tamen ut pristina Sacramenti simplicitas plane deleretur. Nam manus quidem impositionem priscis nihil aliud fuisse, quam *orationem super hominem*, dignam & opportunam initiationis coronam atque clausulam supra ex Augustino audivimus; & talem hanc fuisse Tertullianeam, *benedictionis*, qua constitisse eam significat, nomen docet. Quid enim aliud *benedictio*, quam oratio super eo, qui benedicitur? Neque alia ut fuerit, efficit quod hic in decussatis Iacobi manibus latuisse jam tum dicit Christi crucifixi mysterii. Mos enim eius & hic & alibi est res novi fœderis in veteris typis ac figuris venari, & alteras cum alteris studiose comparare. Sola ergo illa unctio vere cærimonia fuit, & quidem, quod ipse quoque diserte monet, *ex pristina disciplina*; id est ex veteri, sive Mosaïco instrumento. Sic enim hæc verba capienda esse, non autem ad Christi vel Apostolorum disciplinam referenda, docet quod ea, de qua loquitur disciplina, *ungi oleo de cornu in Sacerdotium solitos* dicit; quæ ad Leviticos ritus pertinere omnes intelligunt; ut & illud quod statim addit, *ex quo Aaron à Moyse unctus est.* Sed idem quoque ex iis apparet, quæ de manus impositione mox sequuntur. *Sed est hoc, QUOQUE* (inquit) *de veteri Sacramento*; quo scilicet Iacob apud Mosem nepotibus benedicit. Particula *quoque* hæc cum præcedentibus connectens id, quod superius.

t Tertullian. ibid. cap. 7.

superius dictum erat (id est unctionem ex oleo) de eadem disciplina, CAP. XI.
id est Mosaïca, intelligi vincit. Aliter si capias, absurda erit oratio. Quod vero baptismalis unctionis originem ducit à Mosaïca disciplina, eo ipso negat hanc à Christo, vel ab ejus Apostolis institutam, qui Mosaïcos ritus adeo non invexerunt in Ecclesiam ad novi fœderis sacramenta, ut etiam eos abrogaverint: resque iis significatas implere ac repræsentare & exhibere satis habuerint. Hæc nimirum unctio post Apostolorum obitum eodem modo in Ecclesiam inducta erat, quo Tertullianus alibi testatur *v* quasdam alias hujus congeneres observationes in usum Christianorum venisse: atque illam inter cæteras, quod *ex baptismo suscepti lactis & mellis concordiam prægustarent*: & quod *ex ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadem abstinerent. Harũ* (inquit) *x & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix. Rationem traditioni & consuetudini & fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexerit disces. Interim nonnullam esse credes, cui debeatur obsequium.* Hæc ille. Nemo porro negaverit de unctione ex oleo idem esse judicandum: cujus æque ac istarum observationum *nullam Scripturarum inveniri legem*, ipsi qui maxime vindicant, confitentur. *Traditio* ejus quoque *autrix, consuetudo confirmatrix* obtenditur. Jam vero eam traditionem, de qua hic Tertullianus, aliorum quam Apostolorum ab ipso intelligi, ipsa ejus oratio clamat. Quam enim significat traditionem, ejus *consuetudo confirmatrix prætenditur*. Hanc quam, dicit traditionem consuetudo confirmat; hęc ex consuetudine defenditur. Non ita Apostolorum traditio: quæ profecto *consuetudine* ad sui firmitatem adeo non eget, ut consuetudinem ipsa confirmet, vel nullam vel certe exiguam apud Christianos vim habituram, nisi eâ ab Apostolis acceptâ esse constet: Quod ubi semel constat, unum ad eam observandam & in usum recipiendam abunde sufficit. Humanis plane hæc longæ consuetudinis præsidia necessaria sunt. Divina, ut Apostolica, per se stant, & ab initio statim valent, neque *vires acquirunt eundo*, quod de fama, re vanissima summus Poëta merito canit. Sed & *rationis patrocinio* indiget Tertullianea ista traditio: ut vix possit consistere, nisi aliquam ejus rationem vel à tuo ingenio, vel ab alieno perspexeris. Et hoc ab Apostolica traditione alienum est: quæ auctoritate, præcipue valet, non tua, vel mea ratione: totaque non *ingenio* humano, sed una Christi auctoris dignitate ac majestate nititur. Quid si, Tertulliane, nullam traditionis tuæ rationem, neque à me perspexero, neque ab alio didicero? *Interim* (inquit) *nonnullam esse credes, cui debeatur obsequium.* Primum hoc de Apostolorum traditione frigidum ac jejunum est, quod iste credere nos jubet *nonnullam* esse eorum, quæ illi tradiderunt, rationem. Si de Apostolica traditione intelligeret, non diceret *non ullam rationem*, diceret *summam* & divina sapientia dignam esse ejus rationem, *credere interim nos debere.* Tum & illud vigilanter

v Tertull. de Cor. c. 3. p. 121.

x Ibid. c. 4. p. 122. A.

Cap. XI. dixit, *cui*, rationi scilicet, *debeatur obsequium*. Clare significat obsequium, quod possit, traditionis, rationi deberi: non deberi ipsi per se traditioni. Atqui hoc humanarum traditionum ingenium est: non est divinarum. Illis enim obstringimur, non tradentium auctoritate, quæ in religione nulla est, sed rerum traditarum ratione, siqua vere nituntur. Divinis præter insitam ipsis rationem, quę sæpe nos latet, imo & quarumdam latebit, quamdiu hic peregrinamur: ipsa etiam tradentis auctoritas nos sic tenet obnoxios, ut eas vel respuere, vel omittere & negligere citra piaculum non liceat. Ergo hæc Tertullianus non de Apostolorum, quæ divinæ sunt. Sed de hominum, qui post eos fuerunt, traditionibus dixit. Denique ipse paulo post apertissime docet se non de Apostolorum, sed de quorumvis fidelium traditionibus loqui; *Si ratione lex constat* (inquit y) *lex erit omne jam, quod ratione constiterit, à QVOCVMQVE productum*: indeque statim cuivis Christiano harum traditionum jus vindicat; *An-non putas* (inquit) *omni fideli licere concipere, & constituere, duntaxat quod Deo congruat, quod disciplinæ conducat, quod saluti proficiat?* idque ex ipsis etiam Scripturis probare satagit. Atqui ne ipse quidem vel olim Montanus, vel nunc Papa condendarum Ecclesiæ traditionum jus quibuslibet concesserunt. Hoc ille solis afflatis Spiritu tribuebat; Hic solis Pontificibus vindicat. Vtcumque sit, quod Tertullianus eo confugit ad tuendam illam, quam illic defendit, traditionem, satis ostendit ipsum de traditionibus, non Apostolorum, quæ hoc præsidio nullæ indigent, sed quorumlibet Christianorum toto hoc in loco egisse. Itaque Rigaltius recte sane & ex Tertulliani mente, quę ille hic de observationibus Ecclesiasticis præter Scripturam habet, capit non de Apostolorum, sed de posterorum traditionibus. Cum enim dixisset Apostolos tinctionis & tinguendi formulæ simplicitatem conservasse, idque ipsorum acta declarare, *At* (inquit) *Christianos ævi sequentis addidisse pluscula fatetur Tertullianus libro de Corona*, eo ipso scilicet loco, in quo nos nunc versamur. Verum nequid salebræ in his locis supersit, quædam animadvertenda sunt. Ac primo quidem Tertullianum in libro de Corona *traditionis* nomine ea etiam complecti, quæ tametsi Scripturis nitantur, & ex iis facile ac certo deducantur, non sunt tamen à divinis scriptoribus proprie ac totidem verbis expressa; sive quæ z (ut ipse alibi loquitur) *non significanter neque nominatim denuntiata sunt servis Dei*; ut siquis Paganicorum spectaculorum abstinentiam in traditionibus reponat; quod, ut idem ait, *in Scripturis plane nusquam invenimus, exserte definitum, Non ibis in circum, non in theatrum: agonem, munus non exspectabis: quemadmodum in iisdem aperte positum est, Non occides: Non idolum coles: Non adulterium, non fraudem admittes*: tametsi alioqui plurima extent in Scripturis documenta, quæ illorum spectaculorum voluptates illicitas, & servis Dei indignas esse demonstrant; ut ipse Tertullianus in libro illius tituli proprio fuse, acute, & erudite disputat. Sunt enim nonnulla

y ibid. C.

z Tertull. de Spect. c. 3.

nonnulla hujus generis inter ea, quæ Tertullianus traditionibus in libro de Corona accenset; ut verbi gratia illa contestatio, *qua aquam adituri ibidem, & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu renuntiabant Diabolo & pompæ & Angelis eius:* Ille item mos, *quo Eucharistiæ sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumebant.* Hæc enim, licet non sint totidem verbis in scripturis expressa, ex iis tamen, quæ apud eas legimus, ita clare atque perspicue pendent, ut sim miraturus, siquis ea affirmet Scripturarum auctoritate carere. Nam profecto earum doctrina est Diabolo & damnatis Angelis, & idolatricis eorum pompis esse renuntiandum, & mortis Dominicæ memoriam omnes fideles sumpto Eucharistiæ sacramento ad finem seculi celebrare debere. De die vel hora fateor nihil esse præcise definitum; sed neque id definire necesse fuit. Tempus enim & locus, & aliæ circumstantiæ Ecclesiæ judicio, prudentiæ ac caritati permissæ sunt, & ad illam generalem Apostoli [a] regulam pertinent, *omnia honeste & secundum ordinem fiant.* Secundo observandum est illam sane ἄγραφον, veri adeo nominis traditionem *de ungendis oleo baptizatis* jam in usum Christianorum ævo Tertulliani receptam ne ipsius quidem regulis satis convenire. Traditiones enim non aliter legitimas putat, *nisi Deo congruant & disciplinæ conducant.* Hæc vero Deo & servatori Christo non congruit. Id enim excitat, quod Christus dejecerat: Mosem ab eo sepultum in lucem reducit: velum, quod ille sciderat, resarcit, & consuit: oleum Leviticum cum cæteris mundi elementis abdicatum Christianis spiritu unctis reponit, ac denique institutæ à Christo aquæ simplicitatem corrumpit, & multiplicis illius *apparatus atque suggestus* rudimentum fuit, cujus pompæ Domini mysterium obumbrarunt: quasi ipsi quoque Christiani *Deo proprietates suas denegatum irent, simplicitatem & potestatem.* Cæterum quæcumque fuerit olei istius Christi aquæ addendi ratio, id certe non ante Tertulliani ævum in usu fuisse Ecclesiæ inde patet, quod neque Iustinus, neque anteriorum temporum quisquam istius traditionis meminerit, quod supra demonstratum est. Grotius hæc secundi, quæ vocat seculi ἐπιφυήματα ex ea occasione nata divinabat, *quod omnibus modis illorum temporum Christiani imprimenda animis crederent beneficia Dei maxima, quæ per fidem in Christum in baptismo nobis contingunt.* Sed hoc ille habet à suo ingenio: non à cujusquam veterum illorum verbis. Neque sane ad hoc necesse erat oleum aquæ adjici, quæ divina illa beneficia satis per se omnia significat, & credentium oculis ingerit: ablutionem peccatorum Christi sanguine quæsitam, Spiritus mundantis ac refrigerantis donum, id est sanctificationem & consolationem nostram, vitiorum depositionem, ac ut Scriptura loquitur, veteris hominis extinctionem, sive mysticam mortem, & in novum hominem regenerationem, morte & resurrectione Domini partam, utramque mersione & emersione repræsentatam.

[a] 1. Cor. 14. 40.

Cap. XI. tam. Verius ut videtur, putaverim aquæ addita fuisse & oleum, & lac cum melle (nam & hæc alibi Tertullianus in baptismo jam tum usurpata fuisse testatur) quo Gentilium fastidio mederentur, quos tanta hujus mysterii simplicitas offendebat, cærimoniarum pompę, & arcanorum apparatui & suggestui assuetos, ut nos ipse supra Tertullianus docebat. Idcirco nostris placuisse videtur aquæ Christianæ (ut sic dicam) pauperiem ac nuditatem hac olei, mellis, lactis adhibita cærimonia veluti vestire, ut hoc super injecto ornamento ab extraneorum contemptu vindicaretur. Pari postea consilio Gregorium Neocæsariensem ab Ethnicismo conversis indulsisse legimus, *b* ut festa, ludos, cærimonias, & alia in Sanctorum natalitiis celebrarent, quæ prius apud suos retro Paganos ad Deorum honores fieri atque usurpari meminerant, ut hac rituū pompa rudes eorum animos demererentur. Quæ res cum prudenter & successu in præsens læto excogitata fuisse videretur, posteris ansam dedit purum ac simplicem Christianismi cultum omni illa rituum ac cærimoniarum pompa vel ornandi, vel ut verius dicam, obruendi ac dehonestandi, quæ sequentibus seculis paulatim à diversis auctoribus invecta, magnam postremo sinceræ in Deum pietati perniciem attulit. Vetustissimi hæc, quæ quo essent evasura, non videbant, securi & inveniebant ipsi, & ab aliis inventa admittebant. Atque eo ipso factum est, ut hæc etsi nova, cum falsa illa, qua arridebant, utilitatis, decorisque ac honesti species hominum animos caperet, passim reciperentur, & brevi longe lateque, ac pene vbique, qua Christianum nomen patebat, invalescerent. Id Rigaltius uno verbo significat, cum nostros illius temporis Christianos *faciles*, appositissimo vocabulo dicit. Iam cum & hominum mentes, & res ipsæ ita comparatos essent, non est, quod multum miremur illam olei traditionem tam parvo tempore invaluisse, ut quæ superiori omni memoria ad Iustini ævum nulla uspiam apud Ecclesiam apparet, ea post annos haud fere plures, quam quadraginta à Tertulliano commemoretur; veluti in Christianorum, si non omnium, certe Romanorum, & Carthaginensium, qui utrique erant ipsi notissimi, usu atque observatione solennis. Dixi supra ex citeriorum seculorum scriptoribus, quam paucis annis omnes Galliarum Ecclesias pervaserit Rogationum repertus à Mamerto ritus. Doctissimus Morinus se in veteribus libris observasse testatur *c* brevi & *deprecatoriam* pænitentes absolvendi formam concidisse, & *indicativam*, sive *Prætoriam*, qua nunc Latini utuntur, tam cito tamque propere invaluisse, ut illa, quæ ante seculum XIII. passim & ubique occurrebat, nusquam fere post elapsos ab illo tempore annos sexaginta, occurrat, hæc vero, quæ ante prius illud tempus nusquam fere reperitur, post exitum seculi XIII. sola ubique obtineat. Non est incredibilius oleum paulo paucioribus annis apud vetustissimos secundi seculi Christianos recipi passim potuisse, quam novam hanc prætoriam absolutionis formam apud decimi tertij seculi homines in usum introduci; præsertim

b Greg Nyss. in vita Greg. Thaumat.

c Morin. l. 4. c. 18. 1. de discipl. in admin. Pænit.

præsertim cum hoc illo difficilius fuisse videatur. Nam illic quidem res nova tantum inducebatur, *oleum* scilicet; vetus nulla antiquabatur; hic verò absolvendi forma & vetus abroganda, & nova invehenda fuit. Cum hoc ergo factum fuisse constet, non est dubitandum, quia illud quoque fieri facile potuerit. CAP. XII.

CAPUT XII.

Latinos Tertulliani locum plerosque non de baptismali, sed de Confirmativa unctione accepisse, frustra falsoque. Vnctionem Tertullianeam non ex chrismate, sed ex simplici oleo, neque in vertice, sed in fronte factam esse. Locorum ex Origene & Cypriano obiectorum eandem esse rationem. Quæ vero ex Clemente asseruntur ea & spuria esse, & ob interpretis Ruffini notam fidem suspecta. Totis tribus primis seculis unam fuisse post baptismum unctionem ex oleo, nullam ex chrismate sive ex balsamo.

Atque hæc quidem nos hactenus ita disputavimus, ut oleum illud Tertullianeum in baptismo adhibitum fuisse statuerimus, ac ut loquuntur, *supposuerimus*. Latini vero longe aliud fuisse illud oleum volunt. Cum enim tres sint apud eos unctiones, duæ baptismales, prior ex oleo ante tinctionem, altera ea chrismate in vertice baptizati post tinctionem; tertia extra baptismum in eo Sacramento, quod *Confirmationem* vocant, ipsa quidem ex chrismate, æque ac baptismalis posterior, sed quæ in fronte, & unius Episcopi, non autem presbyteri, manu fit; Latini hanc, de qua Tertullianus loquitur, de postrema illa sola plærique intelligunt, quæ in Confirmatione usurpatur. Vnde est, quod hunc Tertulliani locum nusquam in hac tota de baptismi cærimoniis disputatione afferant, ad quam alioqui utilissimus videri poterat. Nimirum cum *Confirmativa chrismatio* baptismali multo potior sit, cum illa Sacramentum ipsa sit, hæc Sacramentalis tantum ritus; homines frugi Tertulliani testimonium ad id, quod potius est, constituendum servare & adhibere maluerunt, quam ad id, quod minoris momenti est, retinendum profundere. Nostra quidem haud multum interest, ad quam trium istarum unctionum, quas omnes simul semelque repudiamus, Tertulliani verba referant, id tamen secuti sumus, quod auctoris & consilio & verbis maxime consentaneum esse judicamus. Nam ut Tertullianus de novo isto Latinorum Sacramento, non de re baptismi intellexerit, id vero absurdissimum videtur. Primo, quod libri titulus, qui est de Baptismo, & ipsa rerum omnium, quæ in eo tractantur, series & ingenium non alterius, quam hujus Sacramenti res eo vel constitui, vel explicari significat. Secundo, quod Tertullianea unctio de lavacro egressum statim excipit: *Exinde* (inquit) *egressi de lavacro perungimur*. Apud Latinos vero tincti

CAP. XII. non statim, plærique diu post lavacrum, multi nunquam chrismate confirmantur. III. Oleum Tertulliani continenter sequitur manus impositio; In confirmatione Latinorum nulla est manus impositio. IV. Chrismatis Latinorum Confirmativi non idem est minister, qui baptismi; hunc quivis Presbyter: Illud unus Episcopus ministrat. Apud Tertullianum, qui baptizavit, idem quoque oleo inungit. Neque postea, vbi de Sacramenti, de quo librum scripsit, ministro proprie, & quidem non indiligenter agit, d ungentem à baptizante ulla re discriminat. Hæc nunc breviter delibamus, quod plæraque in alio de Latinorum Confirmatione opere, e fuse sunt sint à nobis explicata. Sed hæc ni fallor satis sunt, ut quivis videat oleum à Tertulliano memoratum aliud esse à Latinæ Confirmationis chrismate. Vnum tantum hic addam iis, quæ sunt illic à nobis allata, ejusdem rei argumentum, ex illustri quodam Tertulliani loco ductum, ubi de Marcionis Deo sic loquitur; f *Sed ille quidem* (inquit) *usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit, nec oleum quo suos ungit, nec mellis & lactis societatem, qua suos infantat, nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat.* Hic utrumque Christianismi Sacramentum habemus; baptismum prius cum suis ritibus; tum & Eucharistiam uno pane significatam. Baptismi autem ritus hoc ordine recenset, tinctionem ex aqua, unctionem ex oleo, infantationem ex lacte & melle. Hanc infantationem ad baptismum pertinuisse, non diversum ab eo Sacramentum per se seorsum fuisse omnes fatentur. Ergo & unctionem ex oleo, quæ eam præcedit, inter aquam & lac media, ipsum quoque baptismi ritum Tertullianeo seculo fuisse necesse est, non diversum, quod Latini diu postea instituerunt Sacramentum. Quid ergo est? Ipse profecto administrationis ordo ostendit, quo loco fuerit hæc unctio apud illius ævi Christianos. Baptizatus statim post tinctionem apud Tertullianum oleo; apud Latinos chrismate ungitur. Ergo quod utrumque eodem in loco est, ne dubites utrumque ejusdem esse officij. Vtrumque scilicet baptismi cærimonia est. Ex ipsis adversariis nobilissimus disputator Vasques hunc Tertulliani ex capite septimo locum de ea unctione accipit, g quæ fit in baptismo; & ad eandem alium quoque jure meritoque refert eiusdem scriptoris ex libro de carnis resurrectione locum, hunc scilicet. h *Caro ungitur, ut anima consecretur*; *Mihi* (inquit Vasques) i *videtur de ea unctione, quæ subsequitur baptismum, & fit cum chrismate, loqui.* Apud suos quidem nunc fit, fateor chrismate. Tertullianus oleum simpliciter nominat; neque aliud uspiam fuisse significat, quam oleum, id quo tincti in baptismo ungebantur. Sed vetustissimorum oleum postea in chrisma, id est in mixturam olei & balsami consecratam profecit. Neque hoc illius olei proprium fuit; sed ejus cum cæteris fere omnibus commune est, quæ ab humano ingenio inventa in religionem invecta sunt. Istorum enim plæraque, cum initio simplicia ac rudia essent, postea posterorum industria veteribus semper aliquid addentium, auctiora facta sunt. Ita quod apud majores simplex oleum,

d Tertull. de Bapt. c. 17.
e L. 2. c. 4. de Confirmat.
f Tertull. l. 1. contr. Marc. c. 14 p. 149. D. edit.
g Vasq. in 3. Thom. q. 71. Disp. 166. c. 6. §. 7.
h Tertull. de Res. carn. c. 8. p. 384. D.
i Vasqu. vbi supra cap 4. num. 61.

oleum erat, apud posteros chrisma factum est. Quo vero tempore id contigit, verisimillimum est, ne accessione novi ritus plebs Christiana veteris jacturam faceret, oleum illud simplex ex postbaptismalibus cæremoniis in anteriorum censum cessisse; atque ita duas unctiones pro una adhiberi cœpisse. Sed hæc diu postea acciderunt. Simplicis olei in baptismo usus diu mansit, & quidem ut videtur, ad tertii seculi suprema.

Huc enim pertinent quæcunque de oleo, vel de iis, quæ præter tinctionem in baptismo fiebant, dicta apud eos Patres occurrunt, qui à Tertulliano ad quarti seculi initium floruerunt, quæ quidem Latini omnia solent, sed perperam, ad fictitium suæ Confirmationis Sacramentum referre. Qualia sunt inprimis duo Origenis loca. Prior locus est; *Donum* (inquit) k *gratia Spiritus per olei imaginem designatur, ut non solum purgationem consequi possit is, qui convertitur à peccato, sed & Spiritu Sancto repleri; quo & recipere priorem stolam & annulum possit, & per omnia reconciliatus Patri in locum Filii reparari.* Alter locus est in homilia sequenti; *omnes* (inquit) l *quicunque unguento sacri chrismatis delibuti sunt, Sacerdotes effecti sunt; sicut & Petrus ad omnem dicit Ecclesiam, Vos autem genus electum, & regale Sacerdotium, gens sancta.* Alibi m ostendimus neutrum locum ad chrismationem, ut vocant, Confirmationis pertinere. Effectus certe vel potius significatio sacerdotalis dignitatis, unctionis est, non Confirmativæ, qua se ad pugillatum instrui putant, sed baptismalis, qua ungi veteres *in sacerdotium* solitos ex Tertulliano in hoc argumento versante didicimus. Itaque interpretem sua verba pro Origenicis hic substituisse suspicor, & *unguentum sacri chrismatis*, quod suo tempore in usu erat dixisse pro eo quod erat in Græco ἐν χρίσει τοῦ ἁγίου ἐλαίου, *& unctione sacri olei.* Interpres enim est Ruffinus: qui etiam in alienis sui potius seculi, quam auctoris more loquitur: ut in propria de eo dissertatione alibi n demonstravimus.

Cypriani eadem cum Origene, ut ætas, ita & ratio est. *Vngi quoque* (inquit) o *necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Hæc Origenis & Cypriani loco de oleo baptismali, non autem de confirmativo (quod Latini pertendunt) accipienda esse alibi p pluribus argumentis demonstravimus in ea disputatione, quam de illo Latinorum Sacramento scripsimus, quæ si quis desideret, inde petat. Cypriani certe locum Vasques, cum à quibusdam pro oleo antebaptismali citari dixisset, eorum errorem corrigens, *Verum* (inquit) q *ibi loquitur de ea unctione, quæ fit chrismate post baptismum.* Iam ab istis auctoribus clarum est oleum illud idem memorari, quo Tertullianus baptizatos statim à sacro lavacro perunctos dixerat: neque aliud præter oleum memoraverat. Vnde & balsamum ab illa unctione & à baptismo cætera, id est sal & sputum & cereum & candidam vestem abfuisse adhuc illo seculo certa fides est. Cur enim hæc tacuerint, qui oleum memorant nulla ratio

k Ori. Hom. 8. in Levit. c. T. 1. p. 150.

l Ibid. Hom. 9 pag. 156.

m Libr. 2. de Confirmat. cap. 7. &

n Libr. 1. de Dionys. & Ignat. suppos. c. 42. 43. 44

o Cypr. epl. 71. (al. 70.) ad Iubaj. pa. 138

p Lib. 2. de Confirmat. cap. 7. & 8.

q Vasques. in 3. Thom. qu. 51. Disputat. 166. cap. 4. 9. 60.

 alia

Cap. XII. alia est, nisi hæc, quod ista nondum essent in Ecclesiæ usum recepta. Cyprianus certe, qui in loco laudato nullum esse hæreticorum baptismum contendit, & in ea dispositione, in qua, ut solet, acer & vehemens est, quæcunque alicui ad eam caussam usui esse possunt, magno studio colligit, baptismaleque inter cætera oleum, & manus impositionem, sive baptizati hominis benedictionem eo rapit, sal & balsamum non erat omissurus, siqua tam ad initiandos credentes adhiberi solita essent. Neque enim ista apud altare minus sanctificantur, quam oleum, ex cujus sanctificatione hic quoque argumentatur. Atqui neque quisquam Afrorum in illo nobili LXX. Episcoporum Concilio, quod de eadem quæstione Carthagine habitum est, istorum ad hanc causam meminit. Vnus ex illis Neuvesianus à Thubunis manus impositionis meminit, r decernens qui ab hæresi ad Ecclesiam veniunt, *utroque Sacramento*, aqua scilicet & manus impositione, non autem hac tantum, *debere eos renasci in Ecclesia Catholica*. Vnde colligere licet illam manus impositionem ad baptismum pertinuisse, adeoque etiam oleum, quod eam præcedebat. Neque enim ex ullo alio præter baptismum Sacramento renascimur.

r Conc. Carthag. 99 Kal. Sept. apud Cyprianum.

Ex his, quod nos concedimus patet, baptizatos ut Tertulliani, sic & Cypriani ævo solenne fuisse inungi oleo, sed mero, nullo balsamo temperato; cujus nulla hactenus apud scriptores mentio; ut suam illam mixturam (id est unguentum ex oleo & balsamo confectum) Latini sequentibus post Cyprianum temporibus debeant. Vtrum autem simplici illo oleo frontem baptizati unxerint, an, ut nunc suo Latini chrismate, verticem, parum liquet; nisi quod de fronte probabilius facit illud Tertulliani, ubi diaboli instituta Sacramentorum divinorum æmula recensens; *Tingit & ipse quosdam* (inquit) *utique credentes, & fideles suos, expositionem delictorum de lavacro repromittit, & si adhuc meminit Mithra signat illic in frontibus milites suos.* Illud prius tinctionem baptismalem apertissime respicit; hoc posterius, etiam Latinis consentientibus, unctionem. Ergo innuit & Christianos signatos, id est unctos, fuisse in frontibus; quando nostrorum æmulator ibidem suos signabat. Certe chrismate, postquam id pro oleo in baptismum inductum, unctam fuisse neophyti frontem Cyrillus Hierosolymitanus, quarti seculi scriptor, locupletissimus testis est, ubi apud neophytos illius chrismatis, quo in baptismo erant peruncti, mysticos sensus enarrans, *Primo* t (inquit) *in fronte ungebamini*, ϗ προῶτον ἐχρίεσθε ἐπὶ τὸ μέτωπον. Deinde aures, quoque & nares & pectus perunctos fuisse docet: quod postea additum vero propius videtur: veteres ævi Tertullianei, solam frontem unxisse. Sed quæ pars corporis post tinctionem uncta fuerit, vel nihil, vel parum, quod dixi, interest. Illud ex superioribus satis constat, unam ad Cypriani ævum unctionem fuisse eamque ex oleo mero, non ante, ut nunc fit apud Latinos, sed post tinctionem adhibitam; illam quæ nunc tinctis in vertice ministratur,

s Tertullian. de Præscript. cap. 40. pag. 247. A.

t Cyr. Hieros. Catech. Mystic. 3. pag. 235. B. C.

 chrismationem

CAP. XII.

chrismationem ex oleo & balsamo permixtis plane penitusque ignotam fuisse. Repugnant Latini, & præter hanc, qua post tinctionem unctos fuisse confessi sumus, quamque ipsi perperam ad suæ Confirmationis sacramentum referunt, illam etiam qua Catechumenos ante tinctionem oleo mero inungunt, veteribus de tertio, etiam de secundo seculo Christianis notam & in usu fuisse contendunt; idque ut probent, præter Constitutiones pseudapostolicas, quas nos supra, ut spurias & apocryphas explosimus, & Pseudo-justinum, veluti tribus primis, de quibus disputamus, Christianismi seculis recentiorem, merita hinc quoque exclusimus; præter istos inquam, hoc Clementis Episcopi Romani testimonium Vicecomes ex epistola tertia advocat: *v Baptizetur* (inquit) *x unusquisque in aquis perennibus nomine trinæ beatitudinis super se invocato, perunctus primum oleo per orationem sanctificato, ut ita demum per hac consecratus possit percipere de sanctis.* Epistola habet, *percipere locum cum sanctis.* Sed ex hac Vicecomitis citatione apparet, quod jam supra monuimus, quam exigui vir iste judicij fuerit in iis libris deligendis, quos ad suorum rituum confirmationem laudat. Hac enim epistola, quam ille nunc nobis obtrudit, ineptus est & inconditus certo ex Recognitionum libris I. II. III. IV. V. VI. VIII. Latine à Ruffino interpretatis, temere & inscite consutis, à Latino aliquo homine diu post Ruffini ævum (qui ad a. D. 410. superfuit) nulla arte, summa imprudentia contextus. Hic autem objectus locus, unus eorum est, quos epistolæ parens ex Recognitionibus furatus est. In his enim, libro operis tertio totidem verbis expressus legitur, *y* nisi quod epistola illud, quod dixi, habet, *ut possit percipere locum cum sanctis*, pro eo quod in Recognitionibus legitur, quodque Vicecomes maluit, *ut possit percipere de sanctis*, id est de sacra Eucharistia, quæ rite baptizatis statim ministrabatur. Epistolam Ioannes Sichardus his rationibus adductus verisimile videri jampridem monuerat *z* ab aliquo Clementis studioso conscriptam potius *quam ab ipso Clemente*; præterquam quod à compluribus, qui inter Latinorum doctissimos habentur, passim omnes illæ in genere epistolæ sugillatæ fuerint, quæ Clementis ad Iacobum nomine circumferuntur. Bellarminus ergo Vicecomite prudentior, hunc locum non ex Clementis epistolis, sed ex Recognitionum libro tertio laudavit. *a* Ego, tametsi liber sit illaudatus, movere tamen, quia vetus est, si exemplar ex quo hęc adducuntur, Græcum ipsius auctoris esset. Nunc non aliud habemus, quam Latinum interpretis Ruffini, cujus in interpretandis Græcorum libris, quam subtesta sit fides, notum perspectumque est ex Iosephi, Eusebij, & Origenis versionibus, quæ ab eo olim elucubratæ etiam hodie supersunt. Hoc ei nominatim solenne ac pene familiare est verba auctorum, quos Latine interpretatur, ad sui seculi sensum, mores, ac dogmata flectere atque accommodare; quod nos aliquot exemplis alibi *b* ostendimus. Cum ergo initio quinti seculi, quo ille vixit, obtineret in Ecclesia mos baptizandos ante

v Vicecomi. ub. supr Lib. 2. cap. 35. pag. 386.
x Clement. epist. 3.
y Clem. Li 3. Recog extr. fol. 24. C.
z Sichard. Argumen. in Clem. epi. 3. fol. 73. E.
a Bellarmin. de Bap. c. 25.
b Libr. 2. de Dionys. & Ignat. supposit ca. 40. & seqq.

Cap. XII. tinctionem oleo, baptizatos vero chrismate perungendi; facile Ruffino fuit solennem sui temporis usum Clementi de suo effingere inserta auctoris orationi una vocula *PRIMUM*; ut pro eo, quod iste fortasse Græce scripserat *perunctus oleo per orationem sanctificato*, ille Latine ederet, *perunctus primum oleo*. Vtrumque sit, periculosum est de Pseudo clementini ævi ritibus uni Ruffino ducentis post annis scribenti, adhæc infido & sæpe in fraude ac mendacijs deprehenso interpreti credere; præsertim cum ea res agatur de qua unus ille affirmat, quamque cæteri inprimis vero Tertullianus & Cyprianus tacent: ille Pseudo-clemente paulo anterior, in libro qui totus est de hoc argumento scriptus: hic Pseudo-Clemente paulo junior in locis non paucis, ubi vel de baptismo simpliciter agit, vel etiam ex eo ratiocinatur. Neque plura Latini ex tertio seculo adferunt. Vnde quivis videt teste eos idoneo carere de oleo, quo suos neophytos ante tinctionem ungunt. Sed etiamsi iis donaverimus, quod contendunt, ne sic quidem suarum cærimoniarum noxam vitabunt. Tres sunt, ut diximus, apud eos unctiones: duæ baptismales, una ex mero oleo ante tinctionem: altera ibidem, sed post tinctionem, in vertice ex chrismate: Tertia in sacramento Confirmationis, ipsa quoque ex chrismate, quod fronti illinunt. De hac accipiunt Tertulliani & Cypriani loca, quæ nos ad secundam baptismalem pertinere probavimus. De oleo ante tinctionem Pseudo-clementem interpretantur. Ergo chrismatio, quæ tinctionem sequitur, omni antiquitatis, quæ ad a. D. 300. fuit, testimonio caret: adeoque nova res est, sero in Ecclesiam post testium seculum inducta. Vicecomes quidem baptismalem illam chrismationem à Silvestro Pontifice Romano a. D. 313. ordinato institutam fuisse non modo confitetur, sed etiam pugnat, *c* & quidem vehementer: multis vetustiorum testimoniis Honorium Augustodunensem, Lindanum, Pamelium, & alios qua *d* veteris, qua recentioris memoriæ scriptores erroris manifesti coarguens, qui hunc ritum ad Clementem Romanum, Apostolorum discipulum, referunt. Neque Bellarminus alium ejus instituti Silvestro antiquiorem auctorem edit.

c Vicecom. de Bapt L 5. cap.3. p 671.
d Bellar. de Bapt. cap.27. § secunda est.

CAPUT XIII.

Crucis signum, quo constat tertia baptismi cærimonia, nullum in baptismo factum cerni apud Christianos ante quartum seculum; neque exorcismorum, quæ baptismi quarta est cærimonia, ijsdem temporibus ullum in baptismo extare vestigium. Refelluntur Bellarmini cavillationes & sophismata. Vicecomitis nugæ & crassa fraus Arnoldum Bonavallensem pro Cypriano obtrudentis Exsufflationis quinta cærimonia nulla apud nostros ante a. D. 300. mentio; neque salis à baptizando gustandi, quæ sexta cærimonia

est;

est; Diluitur & explicatur Origenis de Sale locus inscite à Vicecomite objectus. CAP. XII.

SEd de utraque unctione hæc satis sunt. De cæteris baptismi cærimoniis videamus. A crucis signo ordiemur, quod per totam baptismi administrationem latissime apud Latinos diffundi cernimus. Hic nobis magnam ex sequentium seculorum scriptoribus testium nubem objiciunt; ex tribus primis ne unum quidem. Nam Dionysius, quem laudat Bellarminus, ad sequiora tempora ipse quoque pertinet; quod jam supra diximus, orbi Christiano ad sextum usque seculum ignotus; cujus anno demum 32. ab hæreticis quidem Severianis in Collatione Constantinopolitana, Hypatio & cæteris Catholicis objectus, ab his vero rejectus veluti dubius & incertus scriptor. Fateor illud signum à Christianis jam secundo seculo creberrime usurpatum; sed à singulis in vita privata, *ad omnem progressum, atque promotum; ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque eos conversatio exerceret*, (quę verba sunt Tertulliani, e magna ut mihi quidem videtur animadversione digna. In his enim, qui omnes sunt privatæ singulorum vitæ actus, Christianas *frontem crucis signaculo terere* dicit. Sacros inter hæc Evangelici ministerij actus nullos nominat; in baptismo, in Eucharistia, in prædicatione, in adhortatione fratrum signum hoc usurpari, non Tertullianus vel hic, vel alibi; non quisquam alius eorundem temporum dicit. Quod magno argumento est usum illum non ab Apostolis, vel ab Episcopis institutum fuisse, quem in sacris, si ejus auctores essent, primum & ante omnia erant usurpaturi; sed à privatis hominibus in vita communis periculis, actibus, & caussis primo sponte, nulla lege publica inductum, mox ut fit, latius exemplo serpsisse, paulatim ad omnes postremo manasse. Ritus, ut sic dicam, universalitas posteris persuasit rem ab Apostolis exortam esse; indeque ejus primo religio ac veneratio, tum etiam necessitas credita unde postremo factum est, ut in actibus quoque religionis sacris ac publicis adhiberetur. Sed hæc fortasse alias. Nunc satis est observare illa tam multa, quæ in omnibus Latini baptismi partibus occurrunt crucis signa, omnia à majorum baptismo tribus primis Christianismi seculis abfuisse videri; nullum certe ab adversariis edi, nullum quantum memini apud veros illius ævi scriptores extare documentum, quo demonstretur ea in hoc sacro à vetustissimis illis fidelibus usurpata fuisse.

e Tertull. de Cor. c. 3. p. 121 D.

Exorcismorum in baptismo usum Bellarminus f ut defendat, multis philosophatur Ecclesiam potestatem à Deo accepisse coërcendi dæmones per exorcismos. Ridicule ille quidem. Quid enim hoc ad rem? Nam neque si Christus quibusdam fidelibus hoc dæmones coërcendi, & ex energumenorum corporibus ejiciendi jus largitus est, sequitur vel certam esse ad hoc constitutam apud Christianos artem ac disciplinam,

f Bell. de bapt. c. 25. §. Nam inprimis.

CAP. XII. nam, verbis conceptis & actibus ritibusque definitis constantem: neque si constituta esset (quod non est) à quibuslibet vel clericis, vel laicis exercendam esse, vel ab iis, à quibus exercetur, in quosvis ejus exercendæ jus esse, aut omnino in alios, quam qui sunt energumeni. Etsi enim quicunque sub peccati jugo sunt, omnes Diaboli servi sint, latum tamen est inter peccatorem & energumenum discrimen. In illum dæmon agit efficacia quadam (ut sic dicam) *morali*: in hunc, *physica*, sive *naturali*. Illius animum obiectis ad peccandum illecebris pervertit: Huius corpus & corporis sensus vel interiores, vel etiam exteriores turbat: illum vitiis, hunc morbis subigit: denique illum volentem ac consentientem: hunc invitum, & repugnantem tenet, ac, ut loquimur, *possidet*. Vt ergo omnes sacerdotes totidem quoque sint exorcistæ, non tamen eo fiet, ut quemvis peccatorem, ut alium quam energumenum exorcismis curare debeant. Alia peccatori, alia energumeno comparata sunt remedia. Illius vitiis imbutus animus ratione, exhortatione, verbo denique Evangelico curandus est, huius corpus vi superiori, & dono divinitus dato liberandum. Illius mens errore, anima cupiditate purganda est, quod fit illata veritatis luce, more modoque humano, & advocata precibus Spiritus cœlestis ope: Huius calamitas miraculo depellenda est. Ex quibus patet, quam inepta sit Bellarmini ratiocinatio ex hoc dæmones humanis corporibus exturbandi dono, extraordinario illo, & plane miraculoso, exorcismos in cuiusvis baptismum inducentis: quasi vel omnis Catechumenus idem quoque sit energumenus, vel quivis sacerdos dono illo dæmonia ex obsessis corporibus miraculo eiiciendi, sit præditus. Quod vero subiicit, id neque minus absurdum est, ordinarium esse in Ecclesia officium exorcizandi & coercendi dæmones. Atqui hoc vel sensus & experientia communis refellit. Nam quos isti *exorcistas* pro sua libidine instituunt ac nominant, res vincit non magis esse, qui dicuntur, quam cæteros mortales. Hoc vero Dei unius donum est: non est hominis munus. Res enim est tanta, ut eam unus Deus largiri ac præstare possit. Donat autem eam quando, & quibus ipsi libet: pro suo, non pro hominis arbitrio. Sed tædet tamdiu à disputatione aberrare. Quid enim ista omnia ad baptismum, de quo quæritur? si quis competentium energumenus sit, ad Exorcistas pergito, si quos veros nactus est, re non nomine *Exorcistas*; Non equidem prohibeo. Nulla per me invidia est, Dei dono, si quod adest, frui. Si non est energumenus, sed merus catechumenus, ad baptismi ministrum ito. Nihil ei cum Exorcista negotij est. Sed longe aliud nunc agimus. Non enim quærimus jure-ne, an injuria exorcizetis; Dei-ne verbo & præcepto, adeoque ratione certa ista faciatis, an secus. Hoc unum nunc quidem quærimus, an quod vos factitatis, id quoque ipsum factitarint olim Apostoli; quod vos Catholici scilicet & Apostolici juratis; An id, vel quæ post Apostolos ad a. D. 300. fuit Ecclesia, factitarit. Mitte tuas Bellarmine, de dæmonibus ejiciendis historias, deque [illegible]

huius

huius rei ordinatio, quod tu vis, officio. Ostende mihi tuos in Apostolico, certe in Iustiniano, vel Tertullianeo baptismo exorcismos. Ego quidem sedulo inspexi. Nullum apud istos tuorum exorcismorum vestigium inveni. Tu, quid ais? Lucas Apostolicum baptismum non semel refert; Iustinus suum magna diligentia ac fide exponit. Tertullianus suum toto, neque brevi libro describit. Quod tu tanta cura, tamque sollicite facis, hoc illi, si æque ac tu, in baptismo fecissent; non equidem capio, qui vel cur, ejus in baptismi descriptione nulli meminerint. Ede siquid habes veteris Ecclesiæ in rem tuam testimonij. Ille vero misso Lucæ, misso Iustini ac Tertulliani seculo, ad quartum seculum confugit, multosque nobis nominat; g sed pæne ducentis post Iustinum annis natos, qui nos scilicet melius quam ipse Iustinus, doceant, quid ejus ævo in Ecclesia gereretur. Illum enim falsi nominis Dionysium, quem suis testibus inserit, jam supra ad quintum seculum ablegandum esse ostendimus. Quin & Cyprianum, sed timide, inter istos appellat; *Vide* (inquit) *etiam Cyprianum L. 4 ep. 7.* Hæc epistola, quæ ad Magnum est, in nostris codicibus LXXVI. etiam à Vicecomite citatur; in qua h lego *per exorcistas voce humana & potestate divina flagellari, & uri, & torqueri diabolum, & cum exire se & homines Dei dimittere sæpe dicat, in eo tamen quod dixerit, fallere.* Ex his agnosco hæc olim Cypriani tempore ita gesta esse: cum qui de nostris dono præditi erant, dæmonia ex energumenorum corporibus exire vi divina cogebant; qua de re multi alij illius, vel etiam superioris ævi scriptores testantur, Iustinus, Minutius, Tertullianus. Exorcismos vestris similes in baptismo super catechumenis à presbyteris quibuslibet, etiam nullo dono præditis, jam tum factos fuisse, equidem non lego. Vicecomes hic in Valafridum stilum stringit, quem ait l *interdum nimis propere amplexari solitum quæ sibi in mentem venerant.* Is nimirum (quod supra recitavimus) scripsit baptismum initio simplicissime olim celebrari solitum; post Apostolos additam ab aliis fuisse *chrismationem*; *ab aliis exorcismos.* Vicecomes exclamat *hæc esse alienissima*; ac primo aliquot Tertulliani loca recitat, ex quibus exorcistas olim apud Christianos, quod Strabo non negat, fuisse discimus; exorcismos in baptismo adhibitos fuisse, quod negabat Strabo, non legimus. Ille quidem affirmat loca de baptismi exorcismo intelligenda, & doctissimum scilicet interpretem Pamelium ita sentire dicit. Sed nulla credo, invidia est Straboni potius, quam vel isti, vel Pamelio credere. Plane eadem est eorum ratio, quæ ex ea Cypriani, de qua nuper diximus, ad Magnum epistola, & ex altera ejusdem ad Donatum mox adducit; quibus id ipsum docemur; quod à Tertulliano didicimus tum adhuc viguisse apud nostros charisma, sive donum ejiciendi dæmonia. Exorcizatos fuisse à Presbyteris omnes baptizandos Cyprianus istic non magis dicit, quam Tertullianus in locis citatis. Quanquam ne ista quidem, quæ sibi & Pamelio vera videri narrat Vicecomes, etiamsi vera essent, quicquam adversus Straboncm valerent

CAP. XIII.

g Bell. ubi supr. §. Quarto ante.

h Cypr. ep. 76. p. 178. extr.

l Vicec. de bapt. cærim. l. 2. c. 29. p 361. 362.

Cap. XIII. rent. Is enim exorcismos ait quidem ab aliis post Apostolos baptismo fuisse additos; Nusquam vero negat eos ætate Tertulliani, qui annis post Apostolos centum floruit, jam fuisse additas. Leonem Vicecomes paulo ante adduxerat, quod baptizandos exorcismis scrutarentur, *id secundum Apostolicam regulam fieri affirmantem.* Sed hoc neque Strabonem, neque nos prohibet veriora & magis comperta sequi. Suos enim Pontifices fallit & decipi posse in quæstione de *facto* aliquo, ut loquuntur, qualis hæc nostra est, ipsi etiam Latini concedunt. Hic enim simpliciter quæritur, quid olim fecerint Apostoli, & quo ritu credentes baptizaverint. Vt iam illud mittam, quod leo in huiusmodi rebus admodum est liberalis; qui etiam alia multa, quæcunque ævo suo videbat Romæ in usu esse, Apostolis auctoribus imputare non dubitat; Qualiter eum supra *m* audivimus affirmantem *n Apostolicæ esse institutionis, & ex Apostolica auctoritate servari* suam illam non aliis, quam Paschæ & Pentecostes diebus baptizandi *consuetudinem*; quod sane neque Græcis, neque Afris, neque Hispanis & Gallis sui ævi persuadere potuit. Sed hic Vicecomes apertissime prodit, qui vir ipse fuerit, cum se demonstraturum ex vetustissimis auctoribus professus exorcismum hunc, baptismi scilicet, *Apostolorum tempore in usu fuisse*; *Primo autem loco* (inquit) *o S. Cypriani auctoritas occurrit.* Tum locum recitat ex *Sermone de baptismo Christi & manifestatione Trinitatis.* Is autem (ut iste appellat) *Sermo* eorum *de operibus Christi cardinalibus* tractatuum quartus est, qui vulgo Cypriani nomine circumferuntur. Atqui hos tractatus non modo Bellarminus, Baronius, Possevinus, Rigaltius, & alij agnoscunt non esse Cypriani; sed & ipse Vicecomes de eo in hoc ipso opere *p* dubitat an ille liber sit Cypriani, *& siquis id opus à S. Cypriano conscriptum esse negare voluerit, se nihil habere* profitetur, *quo illi iure succenseat.* Et hunc tamen ipse primo inter vetustissimos auctores loco pro Cypriano obtrudere lectori non dubitat. Hæc autem ejus trans eo turpior ac periculosior censeri debet, quod hic scriptor, non modo Cyprianus non est, vel aliquis ferme ejusdem ætatis auctor quod Baronius temere, ac falso alicubi judicat) *q* sed homo est novem fere post Cyprianum seculis natus; nimirum Arnoldus Carnotensis, Bonævallensis Abbas, Bernardi a. D. 1150. σύγχρονος & amicus; ut est à nobis in alio opere *r* demonstratum. En quos ex antiquitate pro suis novitatibus testes nobis Latini exhibeant?

k Vicec. ubi supr p. 361.
l Leo ep. 4. c. 6.
m c. 3. huius libr.
n Leo ep 4. c. 1. & 4.
o Vicec. ubi supr. p. 59. 360.
p Id. ibid. l. 4. c. 9. p. 619 & l. 5. c 3. p. 673.
q Bar. a D. 3, § 55.
r L. 2 de sup posit. Dion & ign. c. 39.

De exsufflatione, quæ ipsius olim exorcismi pars quædam fuisse videtur, nihil plane ex tribus primis Christianismi seculis objectant Bellarminus & Vicecomes, ut eorum pace concludere liceat, & hanc cærimoniam apud vetustissimos Christianos ignotam & inusitatam fuisse. Nam quod Bellarminus observat *f* Christum apud Ioannem *t insufflavisse in Apostolos*, cum iis Spiritum Sanctum dedit, id, ut omnes vident, nullam ad hoc vim habet, ut credente baptizaturus, in eos exsufflet. Non enim Christus Apostolos baptizabat, cum in eos insufflavit. Ridiculum

f Bell. de Bapt c 25 §. Aug l 6.
t Ioan. 20. 22.

autem est quosvis Domini, etiam miraculosos actus ad Sacramentorum ministros transcribere. Ille Apostolos potius hoc Spiritus dono ad ingens illud munus, quod iis committebat, muniebat. Itaque si hunc eius actum Latini ad aliquam ministerij Ecclesiastici partem trahere volebant, nulla quidem necessitate, maiori tamen veri & rationis specie ordinandas exsufflassent, quam baptizandos; quam illi tamen minime faciunt.

Sal, quod gustandum baptizando in os immittitur, Vicecomes rotunde ab Apostolis præceptum, aut institutum hoc ipso negat, quod id Origenis temporibus cepisse existimat. *Si considerare* (inquit) *u volumus, quando salis usus primo invectus sit, intelligemus circa tempora Origenis incepisse. Nam nec quisquam ætate maior Origene meminisse est visus.* Hæc istius ratiocinatio obiter observanda est. Salis enim usum circa Origenis tempora cæpisse, inde concludit, quod eius ante Origenem nemo meminerit. Nimirum pro vero non absurde sumit scriptores, qui ante eum vixerunt, salis mentionem facturos fuisse, si iam tum obtinuisset eius baptizandis tradendi ritus. Quæ argumentandi ratio, si valet, ut certe valet, actum est de omnibus Latinorum in baptismo à me supra notatis cærimoniis, quarum nemo vetustissimorum Patrum meminit neipse quidem Iustinus. Pari quoque ratione id constituitur, quod nos unctionem ex oleo demonstravimus in baptismo adhiberi cœpisse circa Tertulliani tempora; quando neque *quisquam ætate maior Tertulliano eius meminisse visus est.* Valeret ergo hoc Vicecomitis argumentum, æque ac nostrum, si id quod assumit æque verum esset, ac id, quod est à nobis in hac disputatione constitutum. Sed res plane aliter habet. Falsum enim est, quod ille pro vero assumit, Origenem scilicet testari salis usum in baptismo fuisse suo tempore apud Christianos solennem. Quod ut ostendam, expendendus est locus ad id probandum à Vicecomite allatus. Is extat homilia in Ezechielem sexta, ubi Origenes illa Prophetæ verba exponit, quibus Dominus gentis Iudaïcæ statum, antequam eam sibi fœdere copulasset, plane miserabilem quadam mulieris recens natos imagine describens, z *Quando nata es* (inquit) *in die ortus tui, non est præcisus umbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis.* Hæc Origenes ad Ecclesiam Christianam transfert, & qui, ut Simon, ita baptizati sunt, ut aquam quidem acceperint, Spiritum autem Sanctum non acceperint, eos dicit *non esse lotos ad salutem.* Tum ad verba sequentia adfert Christi dictum, *Vos estis sal terræ*, & Pauli præceptum, *Sermo vester sit semper in gratia sale conditus*, Inde pergit, *Grande* (inquit) *opus est insaliri. Qui sale conditur, gratia plenus est: Nam & in communi proverbio salsus dicitur gratiosus, & è contrario insulsus, qui non habet gratiam. Si igitur gratia nobis à Deo venit, & complemur dono eius, sale salimur.* Tandem ad ultima versiculi verba, *Rursum* (inquit) *peccatrix Hierusalem non est involuta pannis. Observa quod dicimus, anima renascens & primum in lavacro edita involvitur pannis. Ipse Dominus meus*

u Vicec. ubi supr. l. 2. c. 42. p 421.

z Ezech. 16. 4.

y Orig. Hom. 6. in Ezech. p 438. extr. T. 1. Orig.

Cap. XIII. *Iesus pannis involutus est, ut scriptum refertur in Evangelio secundum Lucam. Oportet ergo eum, qui renascitur, atque in Christo renascentem rationabile & sincerum lac desiderare, & priusquam rationabile & sine dolo lac decideret, debet sale saliri & pannorum involucris colligari, ne dicatur ad eum Sale non es salitus, & pannis non es involutus.* Hæc Origenes. *Salis* auditu nomine in hunc locum Latini statim involarunt, suum hic se sal reperisse somniantes; ut eorum, qui magno alicuius rei desiderio tenentur, mos est quæcunque vel levissimam cum ea habent similitudinem, illuc referre. Neque solus Vicecomes falsa hac imagine delusus sal suum hic se invenisse deliravit, Bellarminus eodem quoque Origenem trahit. z Ante utrumque Valdensis iampridem idem fecerat. Melior Vasquis fides, qui cum hunc Origenis locum & alterum item Augustini dixisset aliquos pro hac cærimonia citare, c *Ibi tamen* (inquit) *non meminerunt* (duo illi scriptores) *de hac cærimonia salis pro catechumenis, sed alio sensu de sale divinæ gratiæ loquuntur, ut quisque facile videre poterit.* Augustinum mitto, qui cum quinto seculo vixerit, est extra hujus disputationis metas. Origenem certe clarum est *salis & pannorum* vocabula toto hoc loco, non proprie ac ut loquuntur, *litteraliter* pro rebus, quas in natura ac in communi vitæ usu significant, sed pro Evangelicis quibusdam vitæ Christianæ rebus, quarum illæ imagines sunt, metaphorice & spiritualiter accipere. Ipse *Salis* nomen ita intelligendum monet, cum in libris sacris *Sal* à Christo & Apostolo, imo & in communi hominum sermone pro *gratia* sumi docet, quod sit eius appositissimum quoddam symbolum, *Ego* (inquit) *si credidero Domino meo Iesu Christo ipse me sal faciet, dicetque mihi, Vos estis sal terræ. Si credidero Spiritui, qui in Apostolo locutus est, sale condior, & possum præceptum custodire dicens, sermo vester sit semper in gratia sale conditus.* Nemo est usque adeo insulsus, ut Christum & Paulum in his sententiis putet de sale naturali, & proprie sic dicto loqui. Tum pergit Origenes, & quid salis nomine intelligatur, diserte exponit; Gratiam scilicet eo vocabulo à Christo & Paulo metaphorice dici significat, idque confirmat & illustrat ex vulgari hominum sermone qui *salsum* pro gratioso, *insalsum* pro fatuo & gratiæ experte dicere solent; ut habetur in iis verbis, quæ nuper descripta sunt. Hic ita explicatis, *Si igitur* (inquit) *gratia nobis à Deo venit, & complemur dono eius sale salimur.* Potuit ne clarius demonstrare quid sal illud sit de quo loquitur? esse scilicet eam gratiam, quæ nobis à Deo donatur? Hinc sequentia Prophetæ ad Hierusalem verba ad Ecclesiæ Christianæ cives allegorice accipiens transfert; *Rursus* (inquit) *peccatrix Hierusalem non est involuta pannis, &c.* paulo ante descripta; quæ quid velint, satis clarum est; Nimirum ut infantes recens nati pannis involvuntur, qualiter & Christum ipsum involutum fuisse legimus; ita animam, quæ in Christo renascitur, ipsam quoque suis quibusdam pannis involvi; metaphorice scilicet & allegorice dictis. Hæc haud dubie Origenis mens est. Sed in ejus tamen verbis aliquid deesse videtur, quo

z Bell de Bapt. c. 25. §. Octava.
a Vald. Doctrin. l 6 tit. 5. c. 48. fol. 110. col. 2.
b Aug. Confess. l. 1. c. 11.
c Vasq. in 3. Disput. 1:6. c. 4. n. 52.

CAP. XIII.

quo similitudinis πρότασιν expresserat, idque omissum orationem aliquantulum involvit, & obscuriorem reddit. Hieronymus in hunc Prophetæ locum. Origenem, ut in commentariis fere solet, compilans, rem evolvit atque explanat, cuius verba ne quis dubitet, describenda sunt; d *Et Salvator* (inquit) *pannis est involutus infantiæ, & omnis qui nascitur per involucra pannorum protectione indiget Dei.* Mox pannis corpus ne defluat, involvi, atque ita servari & stringi, ne membra tenerrima facile depraventur; eoque fieri obiter monet, ut corpora barbarorum Romanis corporibus rectiora sint, *quod illi usque ad secundum & tertium annum semper pannis involvantur.* Hos ergo pannos, quibus infantia nostra involvitur, Origenes symbolum esse vult spiritualis Christi gratiæ, qua in eo renati stringimur, ut sic dicam, & firmamur in cœlesti eius vita. Itaque cum paulo post, quæcunque hic edisseruit, concludens, ait, *Oportet ergo eum qui renascitur, utique in Christo renascentem rationabile lac desiderare.* &c. ut supra descripta exhibuimus, nimium profecto tardus est, qui non intelligit sal cum eo ipso sensu, quem ediderat, *gratiam, Christi donum* dicere; *pannos* vero spirituale illud Christi indumentum, e quo nos indui iubet Paulus, ne defluamus, sed adstricti eique arctius adhærentes, ac veluti alligati servemur, ac crescamus in novos homines; sic plane, ut *rationabile illud & sine dolo lac intelligit*, quod nos hic quoque desiderare vult; quo omnes vident cœleste Evangelicæ sapientiæ alimentum, divinum animarum pabulum significari. Frustra ergo suum *sal* hic Latini somniant. Origenes non de alio, quam de spirituali & mystico sale loquitur; neque de aliis, quam de spiritualibus, quos dixi, pannis. Vnde refellitur inverecunda Valdensis argutia, qui in his Origenicis pannis se quoque vestem illam candidam reperisse delirans putat, qua suos neophytos post lavacrum induit. Ego vero ex toto hoc Origenis loco probabilius ni fallor, concluserim ipsi ignotum fuisse & salis, & candidæ vestis in Christianorum baptismo usum. Ille quam norat aquam, diserte nominavit; *Quidam* (inquit) *loti sunt, sed non in salutem; ut qui accipit AQVAM, & non accipit Spiritum Sanctum. Qui lavatur in salutem & AQVAM accipit & Spiritum Sanctum.* Vides, ut aquam baptismi elementarem clare, diserteque distinguat à mystica, id est à Spiritu Sancto? Si ergo sal aliquod proprie ac litteraliter dictum, æque ac aquam elementarem in baptismo nostro scivisset, id à spirituali & mystico diserte quoque distinxisset; plane ut in aqua fecisse eum videmus; & post allata Christi & Pauli de spirituali sale verba, subiecisset eo referri illud Sal, quod in baptismo gustandum catechumenis datur. Neque vero aliter de pannis instituisset. Postquam de mysticis & spiritualibus dixerat, *Animam renascentem, & primum in lavacro editam involvi pannis*, adiecisset *hoc ipsum veste illa candida significari, qua neophytorum caro post tinctionem induitur.* Atqui neutro in loco vel *Salis*, vel *pannorum*, ut sic dicam *litteralium* meminit, quorum nunc in Latinorum baptismo usus est. Non aliud *Sal*, quam allegoricum, neque *pannos*

d Hieron. in Ezech. l. 4. in c 16. fo. 187. E.

e Rom. 13. 14. Gal. 3. 27.

Caput XIV.

alios, quam mysticos memorat, quibus non caro, sed *anima renascens involvitur.* Cur inquam, tam diverse? Cur in his litteram à Spiritu, elementum à mysterio non distinguit, qui alterum ab altero tam accurate in aqua baptismali distinxerat? Quæ ratio tanti, quantum hic apud sapientissimum scriptorem occurrit; in rebus congeneribus tractandis discriminis idonea afferri possit, non equidem video; nisi hoc mecum confitearis Origenem aquæ quidem elementum in Christianorum baptismate scivisse; sal vel indumentum candidum proprie inquam & litteraliter sumptum nullum cognovisse; *Sal & indumentum* in Christiana religione unum tantum scivisse, sed omnino Evangelicum ac spirituale, ideo hoc quidem dixisse; illud sibi ignotum scilicet, non dixisse. Ergo cum nunc constet ne ab Origene quidem ullam factam esse salis istius baptismalis mentionem; necessario confitendum est ex disputandi regulis ab ipso Vicecomite constitutis, hunc salis ante tinctionem gustandi ritum Origenicis temporibus, id est tertio seculo adulto, nondum fuisse inventum, aut traditum; ejusque originem in citerioribus seculis esse quærendam. Quos vero adversarius suæ de salis novitate sententiæ testes adducit Isidorum Hispalensem, & Valafridum Strabonem libenter suscipimus. Non enim tempus quo sal in hoc Sacramento adhiberi cœpit, Origenis seculo definiunt; sed tantum in genere scribunt id non Apostolos, sed alios instituisse. Isidorus; *f Sales in mysterio Catechumenis dandos à PATRIBUS inde est institutum, ut eorum gustu condimentum sapientiæ percipiant.* Valafridus; *g Alij addiderunt in baptismatis sacramento exorcismos &c. alij salis, vel salivæ infusionem.* Ex his liquido arguitur salsæ huius Latinorum cærimoniæ novitas.

f Isidor l. 2. Offic divin. c. 20.
g Valafr de reb Eccl. c 26.

CAPUT XIV.

VII. cærimonia, saliva; nulla apud prima ad ann. Dom. 300. Ecclesiæ Christianos ejus, etiam postquam recepta est, diversitas. VIII. cærimonia Fontis consecratio, nulla iisdem temporibus. Locus Cypriani perperam ad eam detortus explicatur. Cærimonia IX. & X. Cereus & candida baptizati vestis, ignota nostris ad seculum usque quartum.

Hanc salivæ ritus sequitur, qua Catechumenorum nares & aures à Sacerdote, admoto ad dextram auriculam capite, Ephphetha inclamante. Bellarminus satis habet nobis Pseud-Ambrosium objicere suæ huius cærimoniæ originem ex Christi facto repetentem, quem narrat Evangelium *i* hominis quidem unius surdi & muti linguam, alterius vero cæci oculos sputo tetigisse; Quasi vel Christus istos homines, non ad recipiendos illarum partium sensus vi sua divina redditos, sed ad baptismum suscipiendum isto contactu veluti præparatos erexerit; vel homuncio-

h Bell. de bapt. c. 25. §. Nona est.
i Marc. 7. 33. Ioann. 9. 6.

nuncionibus liceat usurpatos à Deo &, Salvatore nostro in patrandis miraculis nutus, actusque ad ordinarios & quotidianas Sacramentorum ritus pro sua libidine absque ullo ejus præcepto transferre. Quamquam Latini neque Christi in his exemplum, quod decebat, si vellent, imitari, accurate expresserint. Christus enim surdi illius hominis, non auribus, vel naribus, sed linguæ, quam isti intactam sinunt, sputum illevisse dicitur, neque sputum merum, sed lutum ex sputo factum super cæci oculos linivisse. Et sane refert atque ex priscis auctoribus demonstrat *k* Vicecomes morem olim fuisse lutum sputo permixtum in hoc Sacramento adhibere; eoque non aures & nares, sed etiam alicubi linguam, alicubi oculos tangere. Miror ab istis tam accuratis, tamque religiosis antiquitatis cultoribus mutatum ritum. Nos vero ista mittamus; de quibus nunc quidem non est disputandi locus. Illud quæramus, quod instituimus, an Apostoli hoc sputi Sacramento initiandorum nares, auresque tangi jusserint? & mysticum illud *Ephphetha* ex lingua barbara, quo sit efficacius, petitum in aurem eorum dexteram insonare? An hoc ita servarit illa vere & absque controversia Apostolica Ecclesia, quæ intra annum trecentesimum sub Christi cruce mundum gloriosissime vicit? Bellarminus nullum inde testem edit; quod ego non modestiæ, sed inopiæ caussa factum puto. Apparet enim nulli ex illorum seculorum scriptoribus dictum aut memoratum fuisse salivarium istud mysterium. Vicecomes quidem magna & præclara minatur; affirmans *l* multa testimonia apud veteres auctores sacros occurrere *ad hæreticos revincendos*, eo scilicet insaniæ prorumpere ausos, ut *negent hujus cærimoniæ usum in veteri Ecclesia fuisse*. Ac ille quidem non pauca de citerioribus seculis recitat; de quibus nulla est, quod sciam controversia: De primis illis tribus, quibus purissima & Apostolis proxima Ecclesia floruit, plane nihil affert præter paucula Tertulliani verba, ad rem, contravertitur, concludendam inutilia. Audiamus ergo Tertulliani pro saliva testimonium, quod noster primum *inter illustriora*, ut vocat, *testimonia* edit. *Dæmones* (inquit ille) *non tantum respuimus, verum & revincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, sicut plurimis notum est*. Vicecomitem mirificum esse hominem fatebor; Si hinc quod cupit, potest vel elicere, vel extundere quo vivebat Tertullianus seculo jam in usu Christianorum solenni fuisse, ut Sacerdotes, quos erant baptizaturi, aures & nares sputo suo tangerent. At (inquit) *respuendi* vocem doctissimus interpres *pro sputo detestari exponit* Esto: Christiani dæmonia non tantum respuerint, sed etiam, si ita libet, consputerint. Quid tum? Ideone presbyterum necesse est eius, quem est baptizaturus, aures & nares saliva tangere? Mira, neque nostri generis est Vicecomitis Dialectica, si hoc ex illo conficit. Mitto, quod Tertullianum, non de baptismo, sed de ejectis miraculo dæmonibus, purgatisque energumenis hic loqui vincunt verba sequentia, *traducimus, de hominibus expellimus*. Vnde liquet eodem pertinere verbum illud

CAP. XIV.

k Vicecom. Lib. 2. c. 28. Pag. 357.

l Idem ibid. pag. 348.

m Tertull ad Scapul. ca 2. Pag. 86. B.

Cap. XIV. illud *respuimus*. Itaque si quod vult doctissimus ille Vicecomitis interpres hic *respuere* est *sputo detestari*, hinc si forte effeceris illos de nostris *exorcistus*, cum dæmonem corpus hominis obsidentem oppugnare aggrediebantur, expuisse, & eo actu dæmonem exsecratos esse; Presbyterum aut Episcopum se ad baptizandum accingentem expuisse, & illo suo sputo aures & nares catechumeni tetigisse, tu vero ne si rumpatis quidem, unquam illinc efficies. Bellarminus verecundius & prudentius totum illud trium seculorum spatium indictum & innominatum transilire maluit, quam edito tam ad rem inefficaci testimonio suorum misericordiam, adversariorum risum provocare. Ergo & ex Bellarmini silentio, & ex irrito Vicecomitis conatu apparet nihil vetustissimis Christianis fuisse cum baptismali Latinorum saliva ad ann. Dom. 300. commercii.

n Bell. de Bapt c.26. §. Tertio.

Cypr. ep. 7[illegible] p.137. extr.

p Id ibid p. 138. init.

Neque vero vel plura, vel meliora sunt, quæ pro morosa illa fontis baptismalis consecratione afferuntur. Bellarminus *n* & Vicecomes Cyprianum objiciunt, apud quem hæc leguntur: *o Oportet mundari & sanctificari aquam prius à sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Sed objectio inanis est, & aberrat à Scopo. Non enim Cyprianus hoc loco aquam seorsum ante ipsam baptismi administrationem sanctificandam, & in fonte ad usus sacros servandam dicit; sed *à sacerdote mundari & sanctificari*, in ipso scilicet sacro debere, ut possit peccata hominis, qui baptizatur, abluere. Nimirum vult aquam ad abluendum hominem à peccatis nullam vim habere, nisi *prius* (id est antequam ea homo linquatur) prece vel benedictione sanctificata fuerit; Id verò fit in ipsa baptismi administratione, quem nemo legitime administrari concesserit, nisi invocato Patris, Filij & Spiritus Sancti nomine. Hæc enim affert Cyprianus, ut probet baptismum ab hæretico homine ministratum vanum esse & irritum; hoc argumento, quod aqua nisi sancta hominem non sanctificat; sancta autem non est, quæ ab hæretico ministratur. Sanctificatur enim aqua sacerdotis prece & invocatione. Porro sacerdotis prece & invocatione nihil sanctificatur, nisi ipse sanctus sit & mundus. *Quomodo enim* (inquit) *p mundare & sanctificare aquam potest, qui ipse immundus est, & apud quem Spiritus Sanctus non est, cum Dominus dicat in Numeris, Et omnia quæ tetigerit immundus, immunda erunt?* ? Ex his argumentantur hæretici, quem alienum, & immundum & Spiritus Sancti expertem esse confessum est, baptismum nullam ad homines sanctificandos vim habere. Ad hoc autem, ut quivis videt, nihil refert, utrum aquæ sanctificatio per Dei invocationem nunc in ipso baptismi actu fiat, an jam antea die definito ante Pascha facta fuerit. Quocunque enim vel tempore vel loco ab hæretico fiat, statuit eam Cyprianus vanam & irritam esse. Aquam vero ex communi fonte, lacu, flumine assumptam verbis Evangelicis à legitimo ministro ex tempore, super homine baptizando pronuntiatis sanctificari neque hic, neque usquam alibi negat. Hoc tantum pugnat ac contendit invocationem

CAP. XIV.

cationem sive his, sive aliis verbis conceptam, nisi fiat à ministro Catholico, aquam sanctificare non posse. Itaque Augustinus, qui ut huic Cypriani sententiæ, sive (ut quod res est dicam sine Martyris tamen contumelia) huic viri sancti errori contradicat, nequaquam dubitare se dicit *q habere baptismum eos, qui ubicumque & à quibuscumque illud verbis Evangelicis consecratum sine sua simulatione & cum aliqua fide acceptassent.* Hic videmus ad aquæ consecrationem verba Evangelica, illa scilicet, quæ formam baptismi constituant, satis esse; quod nisi ita sit, fatendum erit baptismum ex qualibet aqua obvia ob infantis periculum solis illis verbis Evangelicis (*Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*) ministratum inanem esse & irritum; quod ne ipsi quidem Latini dixerint apud quos quotidie hujusmodi baptismata fiunt. Valdensis itaque consecrationem aquæ, etiam cum verbis illis Evangelicis valide fieri ex ipso confitetur, quod *illam in ardua necessitatis casu requiri dicat; r* Gabriel vero Vasques *sola aqua naturali, absque ulla benedictione* (quæ seorsum scilicet extra baptismum ipsum fiat) *verum baptisma fieri posse* definit. *s* Idem locum Cypriani ait, & quidem probat, *t clarissimè intelligendum esse de consecratione aquæ, quæ fit per verba formæ,* idest per verba Evangelica *in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti*; eo ipso sensu, quo nos Cyprianum interpretati sumus. Nihil ergo locus ad benedictionis cærimoniam pertinet. Vicecomes huic loco alium pro una solenni fide adjungit *u* ex libro de *Stella & Magis*. Sed is liber, tertius scilicet ea tractatibus *de Cardinalibus operibus Christi*, non est Cypriani, sed quod iam antea diximus, Arnoldi Bonævallensis, qui seculo duodecimo jam adulto vixit. Clementis Constitutiones, & Dionysij Hierarchiam, quorum idem testimonia citat, non moramur, quod libros istos diu post Apostolos seculo demum quarto, & quinto scriptos fuisse constet. Pamelius fatetur *x* consecratam quidem primum aquam baptismi tempore; ita tamen *ut pro baptizandis in necessitate reservare solitos aquam consecratam in libro aliquo* pertendat, eoque aliquot Patrum testimonia corradat; sed qui omnes post ann. D. 300. vixerunt. Huc accedit, quod Vasques sectatur *y* se in Patribus à Pamelio citatis nihil pro ejus sententia invenire potuisse. Equidem eorum errorem non possum satis mirari, qui vetustissimis ad ann. D. 300. Christianis hunc ritum tribuunt, quos constat in fontibus & fluviis suos catechumenos ut plurimùm, ac pæne semper tinxisse; qualiter Eunuchum illum Æthiopem à Philippo *aqua* ut loquitur Tertullianus *fortuita*, in quam iter facientes inciderant, baptizatum fuisse scimus; quomodo Lydiam quoque, & Philippensis carceris custodem tinctos fuisse volunt, tametsi nihil scriptura ea de re diserte prodiderit. Tertullianus certe Apostolos in fluminibus baptizasse putavit ut ex his ejus verbis liquet, *a Neque quicquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, & Petrus in Tiberi tinxit.* Hunc morem diu apud nostros mansisse Iustini locus supra recitatus demonstrat, ubi postquam de Catechumenorum ad hoc suscipien-

q Aug. l. 7. contr. Donat. c. 6.
r Vald. Doctr. in L. 6. tit. 5. c. 51. fol. 115 col. 3.
s Vasq. in 3. Thom. Disp. 166. c. 2. n. 8.
t Id. ibid. nu. 14.
u Vicec. L. 1. c 14. p 64.
x Pam Ann. 27 in Tertull. de Bapt.
y Vasq. ub. supr. num. 10.
z Act. 8. 36. 37.
a Tertull. de Bapt. c. 4. p. 257 A.

Cap. XIV. dum sacramenti præparatione narravit, *b Deinde* (inquit) *eo adducitur à nobis, ubi aqua est.* Quid alio deduci necesse erat, si aquam presbyteri apud se in eum usum consecratam habebant? Neque aliter factum Tertulliani temporibus illa ostendunt, quæ de baptizatis dicit, *c Nulla* (inquit) *distinctio est mari quis, an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur.* Inde est, quod Recognitionum scriptor, quem paulo post Tertullianum scripsisse probabile est, Petrum suum tingit, quos baptizat, eos fere ad fontes, vel ad mare ducere. Tametsi enim quæ facta narrat, falsa sint, sunt tamen ad communem ac solennem Christianorum ævi sui morem ac ritum efficta. Ita ubi se Clemens à Petro Tripoli Syria baptizatum narrat, *d Ieiunare* (inquit) *me iussit, & post ieiunium in fontibus, qui contigui habentur mari perennis aqua mihi baptismum dedit.* Mox itidem de Tripolitanis Catechumenis, *e Petrus* (inquit) *eos, qui fidem Domini plene receperant, deducens ad fontes, quos mari contiguos supra diximus, baptizavit. & Eucharistiam frangens cum eis.* Idem Petrus Cæsarienses alibi alloquens, *f Baptizabitur* (inquit) *unusquisque vestrûm in aquis perennibus.* Atque hæc de Apostolorum & proximorum post eos Christianorum baptismo, posterorum quoque sententia fuit. *Sciendum g* (inquit) Valafridus *primo simpliciter in fluviis, vel fontibus baptizatos credentes.* Eadem Honorius Augustodunensis; *Sciendum est* (inquit) *quod Apostoli & eorum discipuli in fluviis, vel stagnis, vel fontibus baptizabant.*

b Iustin Ap. lib. 2. pag. 73.
c Tertull. ubi supr.
d Clem. Recogn. l. 6. extr. C.
e Ibid.
f Id L. 3. fol. 24. D.
g Valafr. de reb. Eccles. c. 26.
h Honor. gemm. anim. L. 3. c. 106.

Duæ supersunt, quæ post tinctionem adhibentur cærimoniæ, cereus, & candida vestis. Cerei ritum ipse Vicecomes fatetur. *i non esse ab Apostolis petitum, cum neque ipsi, neque eorum æquales illius meminerint.* Atqui ne cæterarum quidem cærimoniarum, quas Latini in baptismo usurpant, vel hi vel illi meminerunt. Quid ergo dicendum, si tuam hanc ratiocinationem sequimur, nisi te tuosque earum originem frustra, falsoque ab Apostolis repetere? Eadem est candidæ vestis ratio. Neque enim vel huius, vel cerei ulla uspiam occurrit mentio ante quemquam eorum scriptorum, qui ante ann. Dom. 300. in Christianismo floruerunt. Neque ex iis quicquam, quod sit ad rem afferunt Valdensis, Bellarminus, Vasques, Vicecomes, & alii. Areopagitam enim, quem hic ut alibi fere, plurimum in ore habent, jam non semel monuimus scriptorem esse longe recentiorem, sexti vel si forte quinti seculi. Sed Latini veris destituti ad falsa & apocrypha, vel certe dubia & incerta confugiunt; Vicecomes præ cæteris sic gaudet, *k* ut hic nobis Acta Silvestri, & Edictum Constantini, id est putidam & olentem fabulam, ab eruditis etiam suarum partium viris sæpe explosam hic nobis propinare minime dubitaverit; cui, ne sine comite procederet, etiam versus quosdam ex poëmate, quod Venantii Fortunati esse nemo nunc nescit, nisi qui glande post repertas fruges vesci mavult, sub Lactantii Firmiani nomine adjunxit annis pæne trecentis Fortunato vetustioris.

i Vicecom. Lib. 5. c. 20. pag. 765.
k Idem ibid. cap. 6. p. 692.

CAPUT

CAPUT XV.

Superioris disputationis conclusio, omnes baptismi apud Latinos solennis cærimonias abfuisse ab Apostolica, & sequente ad a. D 160. Ecclesia; Unctionem ex oleo irrepsisse secundo seculo præcipiti; Cæteras quarto seculo & sequentibus adjectas esse. Quosdam partim à secundo seculo extremo, partim serius apud veteres usitatos, fuisse vicissim à Latinis antiquatus; Quales sunt infantatio ex lacte & melle; lavacri abstinentia octo à baptismo diebus; terram totidem diebus nudo pede non tangere; statim sisti ante sanctuarium; pedum lotio; communio trina infantium mersio. Latinos itaque de sua in antiquitatem reverentia falsò gloriari.

HIs ita explicatis, nil obstat amplius, quominus id quod ab initio posuimus, plane liquidoque teneamus, nullam harum decem cærimoniarum, quas nunc Latini in solenni suo baptismo adhibent, ab Apostolis fuisse traditam; nullam in prima, quæ eis successit ad ann. D. 160. Ecclesia usitatam aut cognitam; unam ex oleo unctionem paulo post id tempus inventam, & ea veteri Moysis disciplina assumptam, & tinctioni adjectam; novem reliquarum nullam ad ann. D. 300. in veterum, qui toto illo Christianismi tertio seculo vixerunt, monumentis conspici; sed & ipsam illam veterum unctionem non plane eandem fuisse cum ea, quæ nunc apud Latinos obtinet; quippe quæ ex oleo mero fieret, nulla ex balsamo; ut illud quod supra observavi mittam, illam in fronte, non in vertice, pectore aut scapulis factam videri.

Sed ut appareat, quanta sit istarum cærimoniarum infirmitas, quamque nullam Latini in iis usurpandis, antiquitatis, cujus nomine eas maxime commendare solent, rationem habuerint; operæ pretium est quasdam à veteribus quidem olim inventas & observatas, ab ipsis vero Latinis neglectas & abrogatas breviter commemorare. Prima in hoc genere occurrit lactis & mellis post tinctionem & unctionem delibatio. Illa vero una cum oleo statim, vel certe paulo post inventa & baptismo addita est. Ejus enim idem ille Tertullianus meminit, qui oleum primus edit; & in libro de Corona, quæ ex traditione absque scripturis jam tum apud Christianos servabantur, recensens, *Inde* (id est ex aqua baptismali) *suscepti* (inquit) *lactis & mellis concordiam prægustamus.* Iterum ubi enarrat, quæ Creatoris elementa in suis sacris usurparet ac retineret Marcionis Deus; *m Sed ille quidem* (inquit) *usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suas ungit, nec mellis & lactis societatem, qua suos infantat.* Vides, ut cum oleo mel & lac una memorentur, & in eodem gradu collocentur. Cur qui oleum retinuit, & quidem balsamo auctum summus & religiosissimus antiquitatis vindex

l Tertull. de Cor c.3.p. 121.D.

m Idem L.1. contr Marc. c.14.p.440. A.

Cap. XV. Papa, mel & lac aspernatus est, quod ne hæresiarcha quidem Marcio ausus erat? Vel cur qui lac & mel abrogavit, oleum retinendum putavit? Vnde hæc tam dispar in rei tam paris & originis & ingenij religio? Si antiquitatem respicis, utraque ejusdem ævi est; Si auctorem, traditio ritus utriusque eadem auctrix obtenditur; Si rationem, tam digna fuit in hoc initiationis sacro, lacte & melle significari nostra in Christo infantia, quam oleo adumbrari nostra in eodem vel regia, vel sacerdotalis dignitas. Si oleo patrocinatur Moses, præterquam quod idem & lacti mellique favet, Isaias hæc proprie Christi nostri infantiæ deputavit; *n* & sacra ex ingenio commentantibus Petrus haud quaquam parcius suggerit unde lacti Apostoli auctores inscribantur, quam Latinis Scholasticis Paulus, unde oleum suum rem fuisse Apostolicam argumententur. Sed & diu post Tertullianum, etiam Romæ mansisse hanc ex lacte & melle baptizatorum infantationem Susannæ apud Baronium ad ann. Dom. 294. Acta testantur, *o* in quibus *lactis & mellis* diserta fit mentio ubi narratur *baptismus Claudio & familiæ* ministratus. Sed & annis post Tertullianum fere centum perseverasse ritum apud nostros indicat testis etiam locupletior, Synodus ann. Dom. 397. apud Carthaginem habita, *p Primitiæ* (inquit) *seu mel & lac offerantur, ut solent, uno die solenni ad infantium mysterium.* ἀπαρχὴ ἢ εἴτε μέλι εἴτε γάλα, ὡς εἰώθει, προσφερέσθω ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἰδίᾳ εἰς τὸ τῶν νηπίων μυστήριον. *Ad infantium mysterium*, id est ut infantes degustent lac & mel postquam tincti & uncti sunt ad significandam suam in Domino infantiam; ut optime cepit doctissimus Menardus, *q* ac ut per se res satis clara est. Sic & Hieronymus diserte inter τὰ ἄγραφα tradita hoc quoque æque ac Tertullianus edit, *ex sacro lavacro egressas lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem.* Arnobius junior, quem constat certo post Hieronymum vixisse, eundem ritum suo adhuc ævo, id est quinto seculo a lulto, viguisse eo satis innuit, quod baptismum cum pœnitentia comparans, *s Ibi* (in baptismo scilicet) *gustatis* (inquit) *mel & lac hic* (in pœnitentia nimirum) *gustate cinerem.* Quinetiam testatur Menardus in codice quodam ante ann. Dom. 986. manu scripto, quem ipse Ratoldi vocat, *t* in officio Sabbati antepaschalis, extare benedictionem lactis & mellis in hunc modum; *Benedic Domine hanc creaturam lactis & mellis &c. per quem hæc omnia Domine semper bona creas.* Vnde conjicere est adhuc decimo seculo apud Latinos superfuisse veterem illum morem baptizatos lacte & melle *infantandi*, ut Tertullianus loquitur. Notat ibidem Menardus in Ordine mysteriorum Æthiopico Diaconum baptizatis sacro perunctis chrismate dare lac & mel; Sacerdotem dicere; *Lac & mel immaculatum in generationem per Iesum Christum. Amen.* Hæc sane habet ille Æthiopicus Canon in Bibliotheca Patrum; *v* quorum fides penes eos esto, qui canonem ediderunt. Ego me dubitare fateor; quod istius moris apud recentes rerum Æthiopicarum scriptores Franciscum Alvaresium, Godignum, Mendesium, alios

n Is. 7. 15.

o Act. Sus. apud Baron. ann. D. 294. § 9.

p Cod. Can. Eccl. Afric. cap 37. Biblioth. jur. Can. vet. pa. 348.

q Men. Not. ad Greg. Li. Sacram. pag. 147.

r Hier. contr. Lucifer. T. 2. f. 50. H.

s Arnob. in Psalm 74. pag. 195.

t Menard. ub supr.

v T. 6 Bibl. Patr. p. 74 B.

CAP. XV.

alios ex Iesuitico sodalitio non paucos nullam mentionem fieri quantum equidem memini, uspiam viderim. De veteribus vero Latinis certa & indubitabilis ex superioribus fides est apud eos hunc olim ritum diu obtinuisse. Bellarminus negat x *mirum esse, si hæc cærimonia prætermissa tandem fuerit. Quia* (inquit) *non videtur fuisse generalis, cum tantum in Occidente eam viguisse scribat Hieronymus.* Sed primo falsum est, quod iste his verbis statuere videtur à Papa Romano particularia abrogari, generalia retineri. An generale erat totiusque Ecclesiæ commune Pascha alio à Iudæis die celebrari? vel omni Sabbato jejunare, quod obtinuit? An vero particulare & unius vel Occidentis, vel Orientis proprium tota Pentecoste, & omnibus diebus Dominicis stantes Deum orare, vel Eucharistiam baptizatis, etiam parvulis statim dare, quod utrumque jampridem fieri desiit? Imo illud in tota Ecclesiæ historia observare est hanc unam Papæ Latini in hoc rerum genere fuisse rationem, ut quæ ipse, quæ sua Ecclesia, quæ suus Occidens sequeretur, ea ubique recipi, admitti, coli vellet, imperaret, & contenderet; quæ à se suisque alienæ essent, ea dimitti veluti profana, vel certe in mediis, liberisque & ἀδιαφόροις haberi juberet; ut apparet ex iis, quæ Victor de Paschate contra Asianos, & postea Innocentius de Sabbati jejunio contra Græcos, & Siricius ac Leo de Epiphaniæ baptismo contra Orientales, Afros, Hispanos &c. & aliis alii temporibus contra diversos gesserunt. Itaque etiamsi Occidentis propriam, non totius Ecclesiæ communem fuisse constiterit lactis & mellis prægustationem; non ideo mirari desinam, cur qui sua tanto studio curat ac retinet Papa, ritum sui Occidentis proprium ita passim negligi ac in desuetudinem venire passus sit, ut tandem plane penitusque abrogatus nuspiam, quod quidem sciamus in honore aut usu aliquo permanserit. Sed neque id quod Bellarminus assumit, lactis & mellis ritum fuisse Occidentalium proprium, ac peculiarem, plane & usquequaque certum est. Scribit Hieronymus in illud Isaiæ, *Emitte vinum & lac, lacte significari innocentiam parvulorum; qui mos ac* y *typus* (inquit) *in Occidentis Ecclesiis hodie usque servatur, ut renatis in Christo vinum, lacque tribuatur.* Hic autem, ut vides, ritus, quem Occidentis Ecclesiis tribuit, non est omnino idem cum eo, de quo quæritur. Ait enim Hieronymus *vinum & lac renatis in Christo tribui.* Quem vero & ipse, & alibi Tertullianus memorant ritum, is erat non vini, sed lactis & mellis prægustato; quæ, nisi tu *mel* & *vinum* idem esse finxeris, diversa esse necesse est. Sed etsi ista duo unum ritum, fuisse (quod absurdum est) finxeris eum Hieronymi fides suo ævo Ecclesiarum Occidentis peculiarem fuisse efficiet: non efficiet, ut Tertulliani temporibus, qui ducentis ante Hieronymum annis floruit, non fuerit totius Ecclesiæ communis. Certe qui Ponticus erat Marcio, Pontici Episcopi filius, Occidentalis non fuit. Et nunc tamen Tertullianus testatur z *suos lactis & mellis societate infantasse.* Neque is hunc ritum aliter, quam cæteros memorat, quos Latini pro universalis Ecclesiæ communibus accipiunt.

x Bellarm. de Bapt. cap. 27. §. Quinta.

y Hier. Li. 15. in Isai. ca. 55. init. Tom 5. fol. 90. D.

z Tertull. L. 1. contr. Marc. cap. 14.

Cap. XV. Idem Tertullianus alium quoque sui temporis ritum refert, jampridem à Latinis abrogatum; ut neophyti scilicet *ex ea die, qua tincti erant, lavacro quotidiano per totam hebdomadem abstinerent*; Cujus moris ille alter geminus erat, cujus Augustinus meminit, ne terram per eandem illam hebdomadem nudo pede tangerent. Ac hujus quidem tantam fuisse apud nostros religionem non tantum dicit, sed etiam, & quidem merito dolet atque indignatur, *b ut gravius* (inquit) *corriperetur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigisset, quam qui mentem vinolentia sepelivisset.*

a Id. de Cor. c.3. p.121.D.

b August. Ep.119 c.19. p.209 C.

De solennibus baptismi temporibus, Pascha & Pentecostes vigiliæ rigida Siricij & Leonis lege affixis, tandemque Caroli magni auctoritate in toto Occidente susceptis, denique observatis, nunc plane neglectis atque abolitis, supra *c* dicere occupavimus; quæ nihil hic repetere necesse est.

c c 30.

Aliam quandam Christianorum quarti seculi in baptismo cærimoniam ex Gregorio Nazianzeno observat Vasques; nimirum, ut ille quidem refert, ut confertim à baptismi fonte exeuntes ante magnum sacrarium constituerentur, ut futuræ gloriæ speciem intuerentur, ibique hymni cantarentur, quibus significabatur hymnodia, cum qua in gloriam cœlestem recipiendus esset neophytus. Hanc cærimoniam frustra nunc apud Latinos quæras.

d Vasq in 3. Thom. disp.166.

Scriptor de Sacramentis Ambrosio, sub cujus nomine circumfertur, multo ut videtur recentior, natrat *e* post peractos cæteros initiationis ritus, ablutos à Sacerdotibus fuisse baptizatorum pedes; *Succinctus est* (inquit) *Sacerdos* (id est Episcopus) *Licet enim & presbyteri fecerint, tamen exordium ministerij à summo est sacerdote Succinctus inquam, summus sacerdos pedes tibi lavit.* Idem ex quinque illis sermonibus intelligitur, quos Sirmundus cum quadraginta Augustinianis publici juris fecit. Auctor enim sive is sit Augustinus, sive quis alius neophytos sermone tertio sic alloquitur; *f Impletis omnibus sacramentis* (initiationis scilicet) *etiam mundatum vobis exemplo & sermone tradidimus. Lavimus enim singulorum pedes ad imitationem vos nostram, imo ipsius Domini & Servatoris nostri provocantes.* Scio scriptorem de sacramentis Ambrosij nomen, sed falso præferentem tradere non fuisse hanc apud Ecclesiam Romanam consuetudinem, ut pedes lavaret. Sed ille, tametsi testetur *se eius typum in omnibus sequi & formam*, & dicat se cupere *sequi Ecclesiam Romanam*; pugnat tamen retinendum esse hunc ritum. Illa enim quæ dixi, de sua in Romanam Ecclesiam reverentia præfatus, *Sed tamen* (inquit) *& nos homines sensum habemus. Ideo quod alibi rectius servatur & nos recte custodimus. Ipsum sequimur Apostolum Petrum; ipsius inhæremus devotioni. Ad hoc Ecclesia Romano, quid respondet? Utique ipse auctor est nobis huius assertionis Petrus Apostolus, qui Sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ.* Hæc ille; rectius id esse diserte pronuntians, quod Ecclesia Romana aspernabatur; idque *se recte* custodire ait; & Romanos, quod idem

e Ambros. de Sacram. L.3 c 1. pag. 1244. C.

f Serm. 3. in Append. 40. Serm. Aug.

idem ipsi quoque non custodiant, arguit, ac pane ad contendendum provocat. *Ad hoc* (inquit) *Ecclesia Romana, quid respondet*? Quo ille satis, ut mihi quidem videtur, negat se verum esse Ambrosium. Hic enim in hoc rerum genere non solebat esse consentiosus, cujus satis notum est illud ad Augustinum de vario jejunandi ritu quærentem sapiens responsum; g *Cum Romam venio* (inquit) *sabbato jejuno. Sic etiam tu ad quam forte Ecclesiam veneris, eius morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, aut quemquam tibi.* Non est dubitandum, quin vir prudentissimus hanc de pedum lotione in baptismo diversitatem, si in eam incidisset. Hanc eodem modo habiturus fuerit; id est eam vel omissurus, vel usurpaturus pro Ecclesiæ cujusque more; neque verbum cum alia sequentibus ea de re commutaturus. Cæterum ex hujus Pseud Ambrosii disputatione apparet nondum Romam, quo ipse tempore vivebat, omnes Ecclesias ad suum morem transtulisse; fuisse aliquas etiam in Occidente, quæ hanc pedum lotionem in baptismo usurpabant; sed etiam fuisse, & in his Romanam, quæ omittebant; Illas lotionem pro Apostolico ritu habuisse: has aliud de ea censuisse. Nimirum suas quisque traditiones ad Apostolos referebant. Atque hanc quidem Roma, quam respuebat, facile assentietur non fuisse Apostolicam, quicquid iactet Pseud-Ambrosius, Petrum ipsum ritus auctorem ferens. Sed & cæterarum, quas Ecclesiæ vel invenerunt, vel acceperunt, plane eandem esse rationem ex iis, quos diximus, patet.

CAP. XV.

g Aug Epist. 118. c. 2. p. 212. A.

Præterea hunc quoque fuisse universæ olim Ecclesiæ jam ab ipsis Cypriani temporibus morem, apud ipsos quoque Latinos ad duodecimum seculum servatum constat, ut etiam ipsi parvuli post susceptum baptismum, Eucharistiam statim sumerent: quod nos infra * fusius demonstrabimus. Atqui totas ille tanta antiquitate venerabilis usus jam ab aliquot seculis apud Latinos ita obliteratus est, ut siquis eum nunc usurpet, hominem prodigij instar ab omnibus vulgo habitum iri nemo dubitet.

* Infr. Lib. 5. cap. 3. & 4.

Denique trinam mersionem Bellarminus, quam olim fuisse baptismi cærimoniam multis antiquitatis testimoniis probat, g * ipse fatetur nunc libere vel usurpari vel ejus loco unam tantum fieri. Sed ille unam tantum sui ab antiquitate discriminis partem edit: Alteram dissimulat: quam Stephanus Durantus simplicius ac verius profitetur, h hanc nimirum quod qui olim non aliter, quam mersione fiebat solennis baptismus, cum nunc apud suos sola aspersione peragi tradit. Fateor de his nihil esse præcise in divina scriptura definitum. Sed si traditio, quod Latini volunt, sequenda est, nullum quod sciam, apud veteres baptismi solennis exemplum exstat per aspersionem simplicem parati. Quod vero Durantus adfert ex Cypriano i de *perfusis* sive *aspersis*, id non ad solennem & regularem Ecclesiæ, sed ad singularem & extraordinarium *Clinicorum*, sive *Grabbatariorum* baptismum pertinet; quos urgente morbo, neque ut iis solennia adhiberentur permittente, raptim necessario per-

g* Bell. de bapt. c. 26. §. Quarta

h Durant. de ritib. Eccl. L. 1 c 19. §. 17.

i Cypr. Ep. 76. p. 172.

Cap. XV. rio perfundebant, ne absque lavacro morerentur. Hos ergo cum quidam *existimarent nihil consequi, eo quod aqua salutari tantum perfusi essent,* vir sanctus mitius, & profecto verius judicat *illam aquæ aspersionem instar salutaris lavacri obtinuisse; & quando hæc in Ecclesia* (id est apud homines Catholicos, hæreseos & schismatis expertes) *fiunt, ubi sit & dantis & accipientis fides integra, stare omnia & consummari ac perfici posse majestate Domini & fidei veritate.* Cæterum extra has ab aliqua necessitate caussas, non aspersione, sed mersione factum fuisse baptismum apud illius ævi Christianos vel ipse ille Cypriani locus indicat. Nam de hujus generis per solam aspersionem peracto baptismo quasdam dubitasse testatur, num is esset validus atque efficax; quod non contigisset, si is vulgo pro solenni & ordinario habitus esset. Cyprianus non negat solennem mersione fieri; aspersionem vult necessitate excusari; & quoties per eam fit, ne quis mergatur, excipiendam à solenni baptismi canone extraordinariam hanc caussam. Iam nemo nescit exceptione regulam potius firmari quam frangi. Auctor id ipse satis innuit, dum ait in istorum Clinicorum aspersione *omnia,* non simpliciter, sed *majestate Domini & fidei veritate perfici;* quibus verbis significat istorum baptismo per se aliquid defuisse, hominis fide, Deique potentia ac benignitate supplendum. Eadem ejus ratio est, quem Durantus ait à B. Laurentio dum ad mortem duceretur allato urceo baptizatum fuisse legi. Hunc enim illius baptismum, non solennem, sed extraordinarium fuisse, ex necessitate, non ex libero & recepto ordine factum esse, ipsas in rei gestæ tempus clamat. Extra hujusmodi necessarias caussas aspersione vel effusione baptizare non licebat. Ea de re fuit hæc lex apud Anglos initio noni seculi lata, * *Sciant etiam Presbyteri, quando sacrum baptisma ministrant, ut non effundant aquam sanctam super capita infantium; sed semper mergantur in lavacro, sicut exemplum præbuit per semetipsum Dei filius omni credenti, quando esset ter mersus in undis Iordanis. Ita necesse est secundum ordinem servari & haberi.* Negari ergo non potest, quin Latini à sua regula, id est à majorum usu & traditione discesserint, cum ad baptismum solennem solam absque mersione, aspersionem satis esse judicant.

* Synod. sub Vulfred. a. 816. c. 11. apud Spelm.

Quin & de mersione ipsa quæritur; num unam, ut nunc Latini, sic etiam veteres ad hoc sacramentum sufficere putaverint? Certe si Canonum, qui vulgo Apostolici dicuntur, auctoritate standum est, de Latinorum caussa actum est. *Si quis* (inquiunt Canones) k *Episcopus, aut Presbyter non trinam mersionem unius mysterij celebret, sed semel mergat in baptismate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur.* Si ex ea lege cum Latinis sacri baptismi ministris ageretur, rari evaderent. At ne id ab istorum Canonum scriptore præter communem Ecclesiæ morem fictum putes, en tibi de antiquitate pæne ultima testis Latinus Tertullianus; qui de Domino Christo verba faciens, l *Discipulis novissime* (inquit) *mandat, ut tinguerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; non in unum. Nam nec SEMEL, sed TER ad singula nomina in personas singu-*

k Can. Apost. 50.

l Tertull. contr. Prax. c. 26. extr. p. 659. A.

læ

CAP. XV.

lis tingimus. Idem alibi *ter mergitari* in baptiſmo cenſet m inter traditiones non ſcriptas. Hieronymus, plane, ut hic Tertullianus: *Multa* (inquit) *quæ per traditionem in Eccleſiis obſervantur auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt: velut in lavacro ter caput mergitare.* Baſilius: *Iam* (inquit) *ter* (in baptiſmo) *immergi hominem, unde eſt traditum?* Gregorius Baſilij frater, Nyſſenus *hominem qui baptizatur deſcendere in aquam, & ter in eam demitti tradit, eiuſque rei* τῆς εἰς τὸ ὕδωρ καθόδου καὶ τοῦ τρὶς ἐν αὐτῷ γενέσθαι [illegible], myſterium enarrat. p Aſſentiuntur Bellarminus, Vicecomes, alij plærique omnes Latini ita fuiſſe illis temporibus (id eſt tertio, quarto, quinto & ſexto ſeculis (miniſtratum baptiſmum, idque ipſi fuſe probant allatis veterum & iſtorum, & aliorum teſtimoniis, Cyrilli Hieroſolymitani Catecheſi Myſtagogica 2. Chryſoſtomi homilia in Ioannem 24. Auguſtini Sermone de tempore 91. & 201. Pſeud-Ambroſij l.2. de Sacramentis c.7. Pſeudo Dionyſij Hierarchiæ Eccleſiaſticæ capite 2. quibus & alij non pauci addi poſſent: ut verus Ambroſius, cuius hunc verſiculum Alcuinus deſcribit, q *Ter mergendus aqua eſt, cui gratia plena lavacri*; ut illud Leonis de baptiſmo, r *Sepulturam* (Chriſti) *triduanam imitatur trina demerſio.* Sed de re confeſſa nihil eſt opus plura congerere. Itaque Concilium Conſtantinopolitanum I. Eunomianorum baptiſmum reprobat, ſ *qui in unam demerſionem baptizabantur.* Et Theodoretus de Eunomio, t *Ille* (inquit) *Sancti baptiſmatis legem olim à Domino & Apoſtolis traditam evertit & contrarium aperte ſanxit, dicens non oportere ter illum immergere, qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, ſed ſemel baptizare in Chriſti mortem.* Quin & Vicecomes ſcribit fuiſſe Patres, qui trinam merſionem à Chriſto ipſo præceptam eſſe interpretarentur, ubi jubet credentes in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum baptizari. Ita capit illa Chryſoſtomi, x verba: *Omnibus myſteriis veluti ſigillum imponens Dominus in tribus merſionibus aqua unum baptiſma diſcipulis ſuis tradidit.* Pelagius vero Papa ab eodem citatus multo etiam eſt in eam ſententiam diſertior, y *Multi ſunt* (inquit) *qui in nomine ſolummodo Chriſti, una etiam immerſione ſe aſſerunt baptizare. Evangelicum vero præceptum, ipſo Domino ac Salvatore noſtro Ieſu tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis TRINA etiam merſione Sanctum baptiſma unicuique tribuere, dicente Domino diſcipulis ſuis; Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Hæc Pelagij Papæ, ſint ne primi, qui a.D.555. an ſecundi: qui a.D.577. ſedit, nihil refert. Hoc ad rem noſtram ſatis eſt, quod is Papa fuit, qui trinam merſionem non tantum à majoribus traditam, ſed etiam à Domino præceptam, adeoque duplici nomine in baptiſmo neceſſariam eſſe cenſuit. Gregorius vero, qui Pelagio II. a.D. 589. mortuo, anno ſequente ſucceſſit, omnino videtur aliud ſenſiſſe in epiſtola ad Leandrum Hiſpalenſem, z ubi præfatus *in una fide nihil efficere ſancta Eccleſia, conſuetudinem diverſam; Nos* (inquit) *quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus &c. Quod ſi quis etiam pro ſumma Trinitatis veneratione æſtimet*

m Id. de Coron. c.3. p. 121.D.
n Hier. cont. Lucifer. T.2. fol.50. H.
o Baſil. l. de Sp.S. c.27.
p Nyſſ. Catechet. c.35. T.3 p. 97. 97.
q Ambr. apud Alcuin. ep.69. p.1591. C.
r Leo. ep. 4. c.3. p.290. C.
ſ Cõc. Cõſt. 1. c.7
t Theodoret. l.4. Hæret. fab. c.3. T.4. p. 236. D.
u Vicec. ubi ſupr. l.4. c.8. p.611.
x Chryſ. Hom. d fid. in Patr. F. & Sp S.
y Pelag. in Decr. de conſecr. d 4. c.81. Multi ſunt.
z Greg l.1. Epiſt.41.

Cap. XV. *fieri, neque ad hoc obsistit baptizando semel in aquis mergere; quia dum in tribus personis una substantia, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate in aquam vel ter, vel semel immergere; quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari.* Itaque quod in Hispania hæretici infantes tertio mergerent, non censet idem faciendum, *ne* (inquit) *dum mersiones numerant, divinitatem dividant, dumque quod faciebant, faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur.* Hæc ille; quæ videtur nunquam ita fuisse concessurus, si illis Domini verbis, Baptizate *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, etiam trinam in baptismo mersionem præceptam fuisse una cum antecessore suo Pelagio credidisset. Ac ille sane merito hoc illius interpretamentum est aspernatus. Quis enim non intelligit hæc Christi verba docere quidem, id in quo baptizamur, nomen triplex esse? ipsam vero mersionem triplicem quoque esse, nequaquam docere? Sed & hinc Gregorius, ut etiam ex aliis quibusdam exemplis, multo plærisque Papis, etiam se vetustioribus, prudentior fuisse & modestior agnoscitur, qui non, ut illi, apud omnes omnia suo more modoque fieri debere peretendit; neque à sua Sede, veluti hæreticos aut schismaticos divelli putat, quicunque vel in levissimis, ab Ecclesiæ Romanæ consuetudine discesserint; sed aliorum ritus, modo innoxios, tametsi à suis alioqui discrepantes, adeo non damnat, ut etiam adjecto suo calculo apud illos retinendos esse confirmet; Qualiter hic eum videmus unam Hispanorum in baptismo mersionem probare tametsi Romæ trina obtineret; & alibi Sardis presbyteris concedere, ut veteri illius insulæ more baptizatos in fronte chrisment, quod Romæ solis Episcopis licebat; neque id, ut supra docuimus, reprehendisse, quod scripserat Augustinus multos in Anglia mortales Natalis Dominici die baptizatos fuisse, quod Romæ non alio, quam Paschatis & Pentecostes die fieri licebat. Romani Papæ, si omnium eadem fuisset æquitas atque prudentia, minus turbarum in orbe Christiano dedissent, quem non modo iniqua, sed etiam sæpe stulta & intempestiva morositate fluctus, quod dicitur, in simpullo excitantes, non semel exagitarunt, ac tantum non subverterunt. Hispani autem hac Gregorij modestia confirmati, annis post ejus mortem fere triginta, in Concilio Toletano a. D. 633. decreverunt *a* retinendam apud suos omnes *simplam* baptismi mersionem. Cæterum quod Gregorius censuit una mersione baptizare jus fasque esse, non ideo putandum est cum Romæ, & alibi, qua patebat ejus auctoritas, trinam mersionem abrogasse. Nimirum cum caussæ dispares essent, neque ea quæ Hispani metuebant, locum apud cæteros haberent, æquum Gregorius censuit, ut singuli quod sibi utile atque conducibile esset, sequentes, infantes illi quidem semel, cæteri vero ter, quod solebant, in baptismo mergerent. Certe & Romæ, & in cæteris Occidentis (Hispania excepta) provinciis diutissime, etiam post Gregorium, mansisse veterem trinæ mersionis usum ex iis, quæ supersunt illorum temporum monumentis clarum est.

a Conc Tol. 4. c. 5. T. 4. Conc gen. p. 583.

Alcuinus

CAP. XV.

Alcuinus annis post Gregorium fere ducentis eam ita arcte retinendam existimabat, ut Hispanos sua illa simpla adhuc utentes acriter insectetur, eosque hoc nomine schismatis arguat, *b Tertia* (inquit) *nobis de Hispania &c. contra UNIVERSALEM sanctæ Dei Ecclesiæ consuetudinem de baptismo quæstio delata est, affirmantes quidam sub invocatione Sanctæ Trinitatis unam esse mersionem agendam.* Contra istos & rationibus & Patrum testimoniis pugnat baptismum esse trina mersione peragendum; & ex his, sequente epistola, quæ superioris est ὑπομνημάτιον, concludit *hominem exteriorem trina mersione esse abluendum. c* Quin & tanto animi studio id agit, ut qui aliud sequitur, eum à Romanæ Ecclesiæ auctoritate desciscere, non Catholicum, sed schismaticum esse definiat; *d* atque æstu contentionis abreptus Gregorianam illam ad Leandrum, Hispanis faventem epistolam, præter omnem veri speciem veluti supposititiam explodat; *e* se caussatus eam in libro Gregorij epistolari, Roma allato minime invenire, quod quam sit infirmum ad labefactandam epistolæ veritatem, Isidori, & Toletanæ Synodi, ac Ioannis denique Diaconi testimonio, ad hæc omnium codicum quos habemus, consensu confirmatam, docte ac luculente ostendit eruditissimus Hugo Menardus. *f* Sed morem ter in baptismo infantes mergendi illis temporibus solennem fuisse cæteri illius memoriæ scriptores cum Alcuino consentiunt. Rabanus de tinctione baptismi; *g* Catechumenus *in nomine Sanctæ Trinitatis trina submersione baptizatur.* Mox ex Rom. 4. argumentans sic concludit, *Oportet ergo cum invocatione S. Trinitatis sub trina mersione baptismum confici.* Theodulfus Aurelianensis; *h Consepelimur Christo* (inquit) *cum sub invocatione Sanctæ Trinitatis sub trina mersione in fontem lavacri, quasi in sepulcrum descendimus.* Ratramnus; *i Presbyteri, si quos baptizant, eorum frontes unctione sacra non liniunt, num idcirco baptismi gratiam non perficiunt, trinam mersionem per invocationem S. Trinitatis facientes?* Valafridus de Hispanis, de Gregorio, de Toletanis Patribus omnia docte atque enucleate, ut solet, exsequitur. *k* Cæterum Romanam Ecclesiam, etiam tum (id est nono seculo adulto) trinæ immersionis consuetudinem observare dicit, & concludit hunc, quem *antiquiorem* vocat, *usum prævaluisse*; *& rationem supra dictam. Si enim* (inquit) *l omnia deserimus, quæ heretici in suam perversitatem traxerunt, nihil nobis restabit; cum illi in ipso Deo errantes omnia, quæ ad eius cultum pertinere visa sunt, suis erroribus, quasi propria applicarint.* Recte quidem ille ac sapienter, qui cum dicit *trinæ immersionis usum prævaluisse*, apertissime significat suo tempore, & cæteros Christianos in hoc usu perseverare & ipsos tandem Hispanos in eum, proprio abdicato more concessisse; quo refelli videtur id, quod Hincmarus pæne eodem tempore scribens ait *m in quibusdam provinciis baptismum in nomine Trinitatis sub una mersione celebrari.* Fuerat hic mos Hispanis: Nullis videtur Hincmari tempore fuisse amplius. Etiam undecimo seculo trinam fuisse apud Latinos in baptismo mersionem testis est Pseudo-Alcuinus: *n Tridua-*

b Alcuin. ep. 69 p. 1589. C.
c ibid. p. 1591. E.
d ibid. p. 1593. A.
e ibid. B.
f Menard. Not. ad Greg. l. Sacr. p. 101. 102.
g Raban. l. 1. de Instit. Cler. c. 28. init.
h Theodulf. de ord bapt. c.
i Ratr. l. 1. contr. Græc. c. 2. T. 2 Spic Doch p. 3.
k Valafr. de reb. Eccl. c. 26 p. 691 c.
l Ibid p. 692. A.
m Hincm. 'g non trin. Deit. c. 9. Tom. 1. p. 491
n Alcuin. rit. de bapt. Dom. p. 231. B.

Cap.XVI. *nam (Christi scilicet) sepulturam imitatur trina demersio.* Ordo Romanus eodem (ut videtur) seculo contextus eadem docet, *o Baptizant ministri scilicet catechumenos sub trina mersione, tantum S. Trinitatem semel invocantes, ita dicendo: Et ego baptizo te in nomine Patris (& mergit semel) & Filii (& mergit iterum) & Spiritus Sancti (& mergit tertio)* Ita quoque trinam mersionem in baptismi ordine legi testatur Menardus in Rhemensi & Ratadino missis codicibus vetustissimis Gregoriani Sacramentorum libri, & apud Iesse Ambianensem. Sed & seculo duodecimo ter mersos fuisse in baptismo infantes docent Rupertus Tuitiensis, *q* & Hugo de Sancto Victore, *r* qui initio istius seculi floruerunt. Mansisse & suo, id est decimo tertio eundem usum loquitur Honorius Augustodunensis, *s* trinæque illius mersionis plures, & quidem inter se diversissimas rationes mysticas in medium adducit. Denique circa initia seculi decimiquinti Gregorius Hieromonachus, Græcanicæ Ecclesiæ desertor, in Apologia Concilij Florentini contra Marcum Ephesium, *t Esse (inquit) necessariam trinam immersionem patet, Nam & à Sanctis hoc traditum est, &c. Et Ritualia Latinorum ita observandum docent.* ἀναγκαῖον ἐστὶ τὸ διὰ τριῶν καταδύνειν. Ex his manifestum est sive ullam esse traditionem hac vel antiquiorem, vel universaliorem, vel constantiorem, quam à secundi seculi exitu in Orientali & Occidentali Ecclesia viguisse: in hac nominatim ad seculum decimum quintum mansisse, nusquam nisi apud unam Hispaniam, sero neque diu, & ob propriam quandam causam interruptam, demonstravimus. Atqui hanc ipsam Latini tot nominibus venerabilem, adeo contempserunt, ut ne semel quidem quos baptizant, plærique vulgo mergant & aqua aspergere, satis habeant. Hoc exemplum si vel unum esset, nos satis doceret istos generi humano nimium secure illudere, cum se summos antiquitatis veneratores & cultores, suaque omnia antiqua, nihil apud se novum nihil recens inveniri glorientur.

o Ord. Rom. de c. Sabb. pag. 82 D.
p Menard Not. ad Greg. Libr. Sacr. p. 101.
q Rupert. Tuit. Libr. 7. de div. offic. cap. 14.
r Hug. Vict. Lib. 1. erud. Theolog. de myst Eccles. c. 19. p 1375.
s Honor. gemm. Anim... Lib. 3. cap. 111.
t Greg. Apol. contr. Marc. epist. T. 8. Conc. gen. pag. 991. E.

CAPUT XVI.

Baptismi forma & ritus, seculo quarto ex Constitutionibus Pseud-Apostolicis; quinto ex Pseudo-Dionysio. Brevis Latini baptismi cum utroque comparatio; qua planum fit multa ab iis temporibus ad baptismum cærimonialia accessisse. Cæterorum extra Papæ communionem Christianorum baptismo multa quoque Latinorum ritibus nequaquam deteriora accessisse.

VErùm, ut Apostolos harum baptismi cærimoniarum auctores nequaquam fuisse, etiam liquidius perspiciamus, nunc ea quoque tempora, quæ tertium Christianismi seculum consecuta sunt, breviter attingenda sunt. Nam cum quæ ab eodem auctore profecta sunt, ea ut plurimum eadem apud sectatores esse soleant; siqui ritus baptismales ab Apostolis

Apoſtolis præter tinctionem eſſent inſtituti, iidem profecto apud omnes Apoſtolorum poſteros iidem extitiſſent. Atqui inſpectæ vel veterum, vel etiam recentiorum tabulæ alios atque alios exhibebunt. Fateor quarto *ſeculo* magnam cerni pæne in omnibus Chriſtianiſmi ritibus à ſuperiori ſtatu mutationem; non tamen tantam, quin longe major ſequentibus ad nos uſque temporibus contigerit. Extant Conſtitutiones, *quæ vulgo*, ſed falſo dicuntur Apoſtolicæ, quaſque ſub initio quarti deinum ſeculi ſcriptas fuiſſe ego quidem non dubito, tametſi & ſequentibus interpolatas fatear. In eo opere totus baptiſmi ritus fuſe & accurate non traditur. Primo præcipit ὁ Διαταγεὺς *v* Catechumenum religionis Chriſtianæ & rerum divinarum cognitione diligenter imbui, & præcipua doctrinæ capita recenſet, quæ eum doceri oportet. Inde miſſo Satanæ, & exſecrandis ejus inſtitutis nuncio, Chriſti fidem ac myſteria amplecti. His peractis Epiſcopus oleum benedicit, *x* brevi ac humili prece Deum rogans, ut qui eo inungitur Catechumenus *dignus baptiſmo ſecundum Unigeniti præceptum efficiatur.* Tum *y* ad aquas accedens gratias Deo prolixas agit de Chriſto ad generis humani ſalutem miſſo, eumque poſtremo rogat, *z ut aſpiciat è cœlo & aquam ſanctificet; tribuat autem gratiam & vim, ut qui baptizatur ſecundum mandatum Chriſti cum eo concrucifixus, commortuus, & conreſuſcitatus ſit in adoptionem, quæ in eo fit, ut mortuus quidem ſit peccato, vivat autem juſtitiæ.* κάτιδε ἐξ οὐρανοῦ καὶ ἁγίασον τὸ ὕδωρ τοῦτο· δὸς δὲ χάριν καὶ δύναμιν. ὥστε τὸν βαπτιζόμενον κατ' ἐντολὴν τοῦ χριστοῦ αὐτοῦ συσταυρωθῆναι καὶ συναποθανεῖν καὶ συνταφῆναι καὶ συναναστῆναι εἰς υἱοθεσίαν τὴν ἐν αὐτῷ, τῷ νεκρωθῆναι μὲν τῇ ἁμαρτίᾳ, ζῆσαι δὲ τῇ δικαιοσύνῃ. Hic Catechumenum tingit in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Poſtremo tinctum unguento τῷ μύρῳ inungit, *a* Deum rogans, præſtet *ut illud unguentum in baptizato efficiatur efficax, ut bonus odor Chriſti firmus & omni parte ſanctus in eo maneat, & Chriſto commortuus idem cum eo conreſuſcitetur, & convivificetur.* τοῦτο τὸ μύρον δὸς ἐνεργὲς γενέσθαι ἐπὶ τῷ βαπτιζομένῳ, ὥστε βέβαιον καὶ πάγιον ἐν αὐτῷ τὴν εὐωδίαν μεῖναι τοῦ χριστοῦ σου. καὶ συναποθανόντα αὐτὸν συναναστῆναι καὶ συζῆσαι αὐτῷ. Alibi eadem; ſed brevius: *b* Prima unguendum oleo, tum aqua baptizandum; poſtremo unguento conſignandum. χρίσεις δὲ πρῶτον ἐλαίῳ ἁγίῳ ἔπειτα βαπτίσεις ὕδατι. καὶ τελευταῖον σφραγίσεις δὲ πρῶτον ἐλαίῳ ἁγίῳ. ἔπειτα βαπτίσεις ὕδατι. καὶ τελευταῖον σφραγίσεις μύρῳ. ſed & illud monet, ſi oleum & unguentum deſit, ſatis eſſe aquam tum ad unctionem, tum ad ſigillum. Ibic quoque jubet Catechumenum jejunare antequam baptizetur. Libro ejuſdem operis tertio jam eadem tradiderat. *c* Ac de oleo proprie obſervarat, ſi mulier eſſet baptizanda ejus tantam frontem à Diacono inunctam fuiſſe; Diaconiſſam cætera unctionis peregiſſe. *Nihil enim* (inquit) *opus eſt, ut viri fœminas inſpiciant.* οὐ γὰρ ἀνάγκη τὰς γυναῖκας ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν καθορᾶσθαι. Vnde promptum eſt intelligere & viros ipſos fronte primum unctos fuiſſe: ſecundo præter frontem, vel corpus totum, quod poſtea apud Græcos obtinuit, vel certe aliquas corporis partes, quas in muliere nudas à viris

v Conſtitut. Apoſt. Lib. 7. cap. 40.

x cap. 41. 42.

y cap. 43.

z cap. 44.

Pag. 995. B.

a cap. 45.

b Ibid c. 22. Pag. 975. D.

c Ibid. Lib. 3. c. 15. p. 919. D. & cap. 16.

Cap.XVI. conspici inhonestum sit, & indecorū. Hęc Pseud-Apostolicus ille Διατα-γὺς, ævi sui, id quarti seculi ritus Ecclesiasticos referens; ex quibus primo intelligimus à Tertulliani & Cypriani temporibus nihil ad baptismales ritus adjectum esse aliud, nisi μύρον, id est unguentum ex oleo & balsamo confectum. Cum enim tinctos Tertulliani ævo simplici oleo ungi mos esset, unctionem ex unguento fieri postea placuit, balsamo cum oleo permixto; fortasse, quod Sacerdotes Levitici tali olim unguento inaugurari solerent. Nam & hac unctione Christiani significabant se Sacerdotes Deo per Christum effectos esse. Sed cum neque unctionis, quæ ex mero oleo tradita erat à Patribus jacturam facere vellent, eam in anteriora transferri, & ante tinctionem ministrari instituerunt. Ita pro una, eaque ex simplici oleo, duæ quarto seculo factæ sunt unctiones; una ex oleo simplici ante tinctionem; altera in prioris post tinctionem loco ex chrismate; Sed quod diligenter est observandum, neque lactis & mellis prægustatio, neque morosa illa per totam, quæ baptismum sequebatur, hebdomadem à quotidiano lavacro abstinentia, quæ apud Tertullianum memorantur, uspiam hic apud Constitutionum parentem occurrunt; quod certissimo argumento est utramque à traditione quidem, quod exserte affirmat Tertullianus, profectum esse, sed à traditione humana, non quod nonnulli somniant, Apostolica. Nam si ab Apostolis fuisset, nulla ratio dici potest, cur non apud Græcum hunc Διαταγὴν utraque æque occurrat, ac apud Latinum scriptorem Tertullianum. Sed cum illæ cærimoniæ diversis locis, hic & illic, pro vario hominum Christianorum captu, ex quodam exornandi baptismi studio ederentur; eo factum est, ut varium quoque fuerit earum fatum. Quosdam, quæ probabiles videbantur, vicini primo, mox etiam remotiores, ac postremo omnes suscepere; quod unctioni contigisse cernimus. Aliæ quod minus speciosæ minusve graves essent, non ubique sed iis tantum locis, ubi natæ erant, vel etiam aliis, quibus aliqua eas vel auctorum vel rerum ratio commendabat, recipi ac obtinere potuerunt; quod illi fortasse Tertullianeo lacti & melli vel Hieronymiano lacti & vino accidit. Atque hæc quidem est eius, qui à Constitutionum parente describitur, baptismi à Tertullianeo diversitas: ejusdem vero à Latino quanto majus est discrimen? Nullos apud Constitutiones Catechumenorum, nullos specierum, quarum aliquis in baptismo usus est, exorcismos vides; non certo numero repetita crucis ad singulos pæne actus signa; non Patres elementa vel suo halitu santificantes, vel sanctificata osculo & allocutione venerantes, ut non Catechumenorum exsufflantes: nullum ab eo sal gustari, nullum sputum auribus, vel naribus eius infundi cernis: nullum Ephpheta audis, nullam aquam animadvertis, vel morosissimis mysteriis certa anni die consecrari, vel ad usus conditam servari, vel baptizatum denique cereum accensum manu gestandum accipere vel veste candida indui.

Post

Post Constitutiones circa quarti seculi initia editas, occurrit Pseudo-Dionysii Hierarchia Ecclesiastica, seculo vel quinto præcipiti, vel sexto ineunte efficta & publicata: quo temporis intervallo non est mirandum aliqua baptismi ritibus accrevisse. Apud hunc *d* Catechumenus initiandus ter in Satanam insufflare, eique ter conceptis solennibusque verbis abrenuntiare, & inde converso ad Orientem vultu Christo & traditis à Deo eloquiis assentire jubetur. Mox Pontifex à triplici crucis signo unctionem exorsus, eum à Presbyteris toto corpore *παντελῶς* inungi præcipit. Tum aquam & sacris invocationibus, & trinis unguenti in crucis modum effusionibus sanctificat, & hymnum sacrum, id est ut interpretantur, Psalmum XXVIII. concinit: hominem ter immergit in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Denique veste congrua id est candida, amictum unguento consignat. In his pæne omnia eadem quæ in Constitutionibus: abrenuntiatio, fidei & consensus in Evangelium testificatio unctio ex oleo, immersio, chrismatio, sive consignatio. Pauca præter hæc exhibet tempore, quod à Διαταγῶν ævo fluxerat, adjecta, nimirum crucis signum triplex, aquæ trina chrismatis in crucis formam effusione sanctificationem, ac denique vestem candidam. Sed & aquam observandum est in ipsa baptismi administratione extempore sanctificari prece & vnguento: non diu ante seorsum sanctificatam, quod Latini moris est, aliunde ex locis, in quibus recondita servaretur, haustam adferri. De multiplicibus illis exorcismis, qui nunc à Latinis adhibentur, nihil dicit, nihil de Sacerdotum halitu in elementa, nihil de chrismatis vel olei salutatione & osculo, nihil denique de sale, saliva & cereo. Nam quod Bellarminus hic suos se exorcismos invenisse putat, frustra est. Quod enim apud Dionysium Episcopus initiandum jubet *ter in Satanam insufflare* ἐμφυσῆσαι τρὶς διαλύσαι τῷ Σατανᾷ is nullus est exorcismus, qui siquis esset, ab Episcopo vel Presbytero fieret, non autem ab initiando; sed ad abrenuntiationem pertinet, qua baptizandus manus aversas in Occidentem protendens Diabolum omni nisu, & manu & flatu quam longissime à se propellit in regionem tenebrarum, cujus est Occidens symbolum. Agnovit Vasques *e non exprimi exorcismum per insufflationem istam, quam ipsemet Catechumenus faciebat.* Quod vero & ipse, & ex eo Corderius *f* exorcismum intelligi volunt per precem, *quam ipse Pontifex perficit*; id vero vaticinari est, non Dionysium interpretari, vel ex eo argumentari. Cum enim Dionysius sacram *precationem, quam ab Episcopo fieri, & ab universa cum eo Ecclesia compleri* dicit, nullam ipse hoc loco ediderit, litteris vemandarit, vel quid ea contineret, significarit, aut innerit; unde quæso isti suspicantur eam fuisse ἐξορκιστικὴν, & exorcismos in Diabolum jecisse? Non est totius Ecclesiæ exorcismos facere. Hæc res vel in ipsis Latinorum Ritualibus, non aliorum est, quam sacrorum hominum. At illa Dionysio indicta, nobisque ignota precatio, in quam duo nunc isti Iesuitæ haruspicinam suam exercent, non à solo Episcopo, sed ab universa cum eo Eccle-

CAP. XVI.

d Dionys. Hier. Eccles. cap 2. §. 6. 7.

e Vasq. in 3. Thom q 71. disp. 166. c.

f Corder. ad Dion. Hier. c. 1. myst. §. 6.

Caput XVI.

eo Ecclesia complectur. Nullos ergo illa, quicquid nostri h: ruspices somnient, exorismos continuisse videtur. Neque si Symeon Thessalonicensis g *secundam in baptismi Officio orationem exorcismum fuisse* ait *diabolum repellentem*, eo fit, ut hac Dionysiana oratio, vel ex ipsa fuerit, quam Symeon dicit, vel exorcismos habuerit. Majus est inter utriusque scriptoris tempora seculorum intervallum, quam ut illius Areopagitica ex hujus pæne hesterni Græculi glossis ac meditationibus expendi atque æstimari debeant. Et in Constitutionibus quædam Episcopi pro incitando, antequam abrenuntiet, oratio, h & quidem præclara, quæ tametsi eodem loco, quo hæc nostri Areopagitæ in baptismi ordine occurrat, nullum tamen continet exorcismum. Non negaverim tamen Græcis, quo tempore scripta sunt hæc Areopagitica, jam tum in usu fuisse baptizandorum exorcismos, quorum diserte meminerunt Gregorius Nazianzenus, l & Gryllus Hierosolymitanus, k nequid de Latinis dicam, apud quos hunc morem illis jam temporibus obtinuisse notissimum est. Sed mirari tamen subit, quod ille hierarchiæ & officiorum Ecclesiasticorum interpres Areopagiticus nihil de eo ritu dixerit; quo suspicari sollicitor vel auctori visum esse parum probabilem, neque satis dignum, qui Pauli discipulo in ipsis Christianismi primordiis tribueretur, vel nondum fortasse apud eam Ecclesiam, in qua ille vivebat, invaluisse baptismales istos exorcismos. Vtrumque sit, ex hoc specimine patet illas Latinorum cærimonias instituto à Domino baptismo paulatim diversis temporibus ab aliis atque aliis auctoribus adjectas fuisse; secundo sed jam præcipiti seculo unctionem ex oleo simplici; quarto seculo ineunte, vel paulo ante, alteram ea unguento accessisse; postea crucis signis, & unguenti effusionibus aquam sanctificari placuisse, & ipsum Catechumenum exorcismis purgari, & peccato denique mysterio veste candida indui. Hi omnino apud Græcos quinto seculo, quo jam præcipiti Areopagiticus ille scriptor vixisse videtur, baptismi ritus erant; ut non sit mirandum seculis sequentibus alios non paucos succrevisse, donec ad eam postremo formam pervventum est, quæ apud Orientis & Occidentis Ecclesias hodie cernitur. Ita baptismus ex simplicissimo ritu in sinuosam & laciniosam quandam variarum cærimoniarum molem evasit. Vbi enim semel perruptis divinæ Scripturæ repagulis humanum sibi ingenium indulgere cœpit, nullus fit traditionum & commentorum finis. Ac pro vario gentium & Antistitum captu variæ fere prodeunt rituum & observationum formæ, donec eas tandem his rescissis, illis servatis castigatas vel rectorum auctoritas, vel gentium consensus in unum certumque corpus redigat.

g Symb. Thessal. L. de Eccl. Myst.

h Const. L. 7. cap. 40.

l Greg Naz. Orat 40 p. 657. A

k Grill. Hier Præf. in Catech. ad Illumi ...

Ac tametsi omnium, qui extra Latinorum communionem in Oriente, vel ad Austrum & Septentriones Christi nomen ac religionem profitentur, baptismus multum ab illa à Tertulliano laudata simplicitate desciverit; nulli tamen sunt, quod equidem sciam, qui ab ea longius abierint, quam Latini. Græcorum & Moscovitarum, Armeniorum,

Syrorum

Syrorum, Iacobitarum, Nestorianorum, ac denique Æthiopum baptismus multis fateor, scatet cærimoniis. Sed ut illud mittam, quod nullus istorum est, qui certa anni die oleum & chrisma, extra ipsum initiationis sacramentum consecret, consecrata recondat ac servet; nullus qui oleum & balsamum confecta certis ritibus & verbis veneretur ac salutet; certe apud hos nullam salivam, nullũ ephphera, nullum in baptizati hominis manu cereum, nullum apud plærosquẽ sal reperies. Hæc Latinorum propria sunt. Non nego & apud cæteros vicissim quædam reperiri, quæ apud Latinos desunt: quæ quidem facile est horum libros *l* cum illorum Officiis contendenti deprehendere: hic vero commemorare nihil necesse est. Hoc unum aio Latinos cæteris omnibus palmam in hoc rerum genere præripuisse. Tantam vero ac tam multiplicem rerum diversitatem sive cum antiquis, sive cum recentioribus hodiernos Latinorum ritus compares, vel ab Apostolis profectam esse, vel in prima ab iis condita Ecclesia jam ab initio extitisse, id ab omni, ut mihi quidem videtur, *veri specie plane penitusque abhorret*.

CAPVT. XVII.

l Vid. Buch. l. Græc. Goo-ris p. 333. Arcad. de Gr. Sacr. L. 2. c. 16. 17. Olearium in Itiner. Moscov. p. 143 Fr. Alvar. Viagg. d. Ethiop. c. 22.

CAPVT XVII.

De baptismo parvulorum. Ei perperam & absurde jam olim aptata fuisse, quæ tingendis adultis erant instituta, tametsi ab illius ætatulæ captu & modo aliena. Neque Augustini argutia dilui posse apertissimam rei absurditatem. Catharinæ Franciæ Reginæ, de purgando cærimoniis inanibus baptismo justæ preces superbe à Papa & Tridentinis spretæ, & ab Inquisitoribus, ne qua superesset earum memoria, ex Thuani historiis eradi jussæ.

QVæ hactenus disputavimus, ea omnia ad baptismum adultorum pertinent. Sed cum eodem paucissimis mutatis in parvulorum baptismo fere omnia apud Latinos occurrant, nihil est quod superioribus adjici admodum necesse sit; nisi hoc fortasse unum, quod aucta & pæne duplicata esse videtur rei absurditas, cum quæ eo instituta erant, ut ætatis ad intelligendum & ratione utendum maturæ hominibus administrarentur, ea cum infantibus nondum loqui, ac ne balbutire quidem, aut quicquam mente cogitare idoneis præter omnem veri ac decori speciem geruntur. Quæso enim, quale istud est, quod sacerdos Latinus infantulum hodie, vel nudius tertius natum, statim ab officij limine serio, veluti intelligentem, convenit, *m* & *Quid* (inquit) *petis ab Ecclesia Dei?* & mox, *si igitur vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Multis deinde precibus, atque exorcismis purgatum ac expiatum, jubet in Ecclesiam introire, qui tenerior est, quam ut pedibus ingredi valeat, *Ingredere* (inquit) *n in templum Dei, ut habeas partem cum Christo in vitam æternam. Amen.* A parvulo quærit, *o An abrenuntiet Sa-*

m Rit. Rom. Tit. Bapt. parvul.

n ibid p. 20.
o p. 22.

tate & omnibus operibus eius &c. *An credat* p *in Deum Patrem omnipotentem*, & an in cætera, quæ sigillatim exsequitur, Christianæ fidei capita; Denique, *Vis* (inquit) *baptizari*? Infans ad hoc, ut ad cætera, non sua, quam nullam adhuc distinctam & articulatam habet, sed susceptoris voce respondet, *Volo*. Hęc, quin sint in speciem certe absurdissima, nemo credo rationis compos negaverit. Itaque cum ille noster falsi nominis Dionysius hunc tenellos infantulos in baptismo alloquendi & varie interrogandi ritum Apostolico seculo solennem jam fuisse persuadere suis lectoribus vellet, aliud quod erat huic commento consentaneum, ad purgandam τοῦ κακο-λατρεῖ suspicionem necessario fabulatus est; Finxit nimirum eum nostrorum morem irrisisse Ethnicos; q *Quod infantes* (inquit Timotheum alloquens) *qui per ætatem nequeunt intelligere divina regenerationis, sanctissimorumque divinæ communionis mysteriorum participes fiant, videtur, ut inquis, hominibus profanis non immerito risu dignum, quod Pontifices eos erudiant, qui nequeunt audire, sanctasque traditiones non intelligentibus frustra tradant, & quod etiam magis ridiculum est, alij pro iis abrenunciationes, sacrasque professiones pronuntient*, εἰ τοὺς ἀκοῦσαι μὴ δυναμένους ἐκδιδάσκουσιν οἱ ἱεράρχαι τὰ θεῖα, καὶ τοῖς μὴ νοοῦσιν εἰκῆ παραδιδόασι τὰς ἱερὰς παραδόσεις, καὶ τὸ ἔτι γελοιότερον, ὡς ὑπὲρ αὐτῶν ἕτεροι τὰς ἀποταγὰς φασὶ καὶ τὰς ἱερὰς ὁμολογίας. Ego vero non dubito, quin hæc, si ævo Apostolorũ à nostris ita, ut ille narrat, administrata essent, Ethnici irrisuri fuerint, & quidẽ, ut videtur, non immerito. Quid enim ut infantes fidelium baptizemus, ad has si non ineptias, certe ineptiarum simillimas cærimonias nos devenire cogit? Sed hoc ipsum, quod illã religionis nostræ partem nullis Paganorum sannis primo illo Christianismi ævo exceptam fuisse, vel apud Tertullianum, vel apud Originem, vel apud ullum alium parem scriptorem legimus; hoc, inquam, ipsum satis arguit nostris nondum morem fuisse illas sane perabsurdas sacerdotum cum infantulis, veluti jam rationis compotibus, collocationes, puerili baptisma admiscere. Sed hęc scilicet cum majores ad baptismum adultorum, qui primis illis temporibus frequentissimus erat, instituissent, ea ipsa posteri quadam antiquitatis reverentia, etiam infantulis accommodanda putarunt, quorum baptismus, orbe jam ad Christianismum converso, quotidianus apud nostros erat; quod tametsi factum incautius jam quinto seculo obtinebat, & ad hunc diem in omnium fere Christianorum sacris hęsit, nemine immutare auso, quod ab Apostolis institutum fuisse cæca animi credulitate sibi persuaserant. Iam cum illum Areopagiticorum scriptorem, qui operi suo Dionysij nomen falso præscripsit, sub finem quinti seculi vixisse alibi r demonstraverimus, non est mirandum, quod hic ritus cognitus ei fuerit, quem ex veris constat annis etiam ante illud tempus non paucis in Christianismum irrepsisse. Nam Bonifacium quendam Episcopum Afrum circa quinti seculi initia ritus absurditate commotum ea de re ad Augustinum scripsisse ex ea epistola scimus, qua hic ei interroganti satisfacere conatur. Illa inter Augustini epistolas etiam

p p. 23.

q Dionys. Hier. Eccl. c. 7. Theor. §. 11. p. 260. D.

r L. 1 de Dion. & Ignat. suppositis.

CAPUT XVII.

las etiam hodie extat; qua si vera licet dicere. vir ille alioqui doctissimus ac sanctissimus paucis ac levi brachio propositam difficultatem tractat, & argutia potius eludit, quam ratione solvit. Bonifacius quærebat, cur & qua ratione susceptores fidenter & sine dubitatione *parvulos credere in Deum, & se convertere ad eum* respondeant, cum id, quod illos facere aiunt, illa ætas cogitare non possit, aut si possit, occultum certe id & susceptoribus ignotum atque incertum sit. Nodum ita solvit Augustinus. r ut dicat, *cum respondetur parvulus credere, qui fidei nondum habet affectum, responderi fidem habere propter fidei sacramentum, & convertere se ad Deum propter conversionis sacramentum* Et mox; *Itaque* (inquit) *parvulum, etsi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem facit.* An hęc Bonifacio satisfecerint, nescio. Mihi quidem fateor, mira videntur. Quomodo enim fidem habere parvulus, qui ad baptismum offertur, ideo vere dici potest, quod ejus sacramentum, id est baptismum habeat, quo momento baptismum nondum habet? imo, qui non alia de causa interrogatur, nisi ut baptismum, quo adhuc caret, consequi possit? quasi nemo scilicet baptizari, nisi qui credit, debeat? Parvulus ministro ad baptizandum offertur. Minister veluti nefas putet etiam parvulum baptizare nisi credat, quærit, & quidem à parvulo ipso, quod rei absurditatem auget, an credat? tacite significans scilicet sibi eum, nisi credat, baptizare non licere. Hic susceptor, quo parvulus baptismi compos fiat, respondet tanquam ejus fide dictor, sive fidejussor parvulum *credere.* Dubitanti Bonifacio, qui susceptor id vere certoque affirmare possit; respondet Augustinus posse, etiamsi parvulus fidei affectum nondum habeat; quia cum parvulum credere dicit, significat eum *fidei sacramentum habere.* Non ne bella solutio? Atqui, inquam, illud quod dicis, fidei *sacramentum*, parvulus nondum habet; neque si haberet, eum tibi ad baptizandum offerri necesse fuisset. Ergo & hoc ipso sensu, quem Augustinus affert in medium, susceptor mentitur, cum *credere* (id est sacramentum fidei habere) parvulum respondet, qui nondum est baptizatus. Huc accedit, quod susceptor, si sincerus sit, & verax, eadem mente respondere debet, qua interrogatur. *Ministri vero*, qui rogavit, *an parvulus crederet*, ea mens esse non potuit, ut quæreret, an parvulus *fidei sacramentum* haberet, id est baptismum, quo eum caruisse eo ipso satis per se intellexit, quod is sibi ad baptismum suscipiendum offerretur; Atque eadem est aliorum, de quibus interrogat ratio, *an se parvulus ad Deum convertat* &c. Qui ergo ita interrogatus susceptor, respondet quidem parvulum credere, sed ita ut ex Augustini glossa intelligat eum non quidem fidem ipsam habere, habere tamen fidei sacramentum; eo, præterquam quod, ut jam dixi, mentitur aiens parvulum id habere, quo revera caret, ministrum insuper turpi & illiberali æquivocatione ludificatur, aliud respondens, quam quod erat interrogatus; ac si de alliis, quod est in vulgari proverbio, interrogatus, de *cape* responderet. Itaque quod Augustini pace dictum sit,

r Aug. ist. ep. 23. p. 35 col. 2 D. & p. 368 col. 1. D.

Caput XVII. allata ab eo distinctio Bonifacii nodum non solvit. Sed res per se clara atque expedita est; Nimirum qui hunc baptizandos sic interrogandi morem primi instituerant, cum non aliis instituerant, quam adultis, quos an crederent interrogari, & ad interrogata respondere, ea jam ætate, qua ratione sua vtebantur, nihil absurdi erat; Quod verò eadem ad infantes quoque translata essent, id posterorum errore ac vitio ex quadam antiquitatis cacozelia factum est. Augustino fraudi fuit in sui temporis Ecclesiam aliena culpa inductus, sane perabsurdus ac pæne ridiculus ritus. Hæc enim illius viri fuit (quod etiam ex aliis caussis intelligitur) facilitas, ut quæ reperiret communi apud suos usu recepta, ea tolerare, tametsi haud usquequaque consentaneo mallet, quam reprehendere vel pulsare. In his, quoties deprehenditur, rebus per se absurdis ab ingenio, quod ei erat acutissimum, rationes petit; quas non est mirandum, quod res ipsæ ingenio repugnarent, infeliciter cadere; quod ei in hac à Bonifacio delata quæstione, contigisse videmus. Latinorum plane inexcusabilis error est, qui ritum de cujus manifesta absurditate sæpe admoniti convictique sunt, mordicus adhuc retinent.

Nobis vero nunc quidem satis est, quod nullum hic suo errori in primo ante quartum seculum Christianismo præsidium inveniunt; nullos infantulos, qui de fide sua antequam tingantur, serio interrogentur; nullos fidejussores, qui credere *eos & se ad Deum convertere velle* secure respondeant. Omnis hæc labes sequentium temporum fuit. Sed & ex iis, quæ supra disputata sunt, constat nullam Latinarum cærimoniarum, quas nos ab Apostolis institutas negavimus, apud Christianos cognitam ac usitatam ante a. D. 160. fuisse; seculo demum secundo exeunte cœpisse baptizatos ungi, sed ex oleo mero; cæteras omnes post tertium seculum exortas esse; Inde paulatim, sed magna pro locis ac temporibus varietate ac diversitate receptas; donec postremo eo, quem nunc videmus numero atque ordine Romani Pontificis auctoritate in Occidentali, quæ ei multis artibus mancipata servit, Ecclesiæ constitutæ sunt. Vnde porro quivis intelligere possit, quam justum, quam non modo scripturæ divinæ, sed etiam antiquitatis Ecclesiasticæ rationibus consentaneum fuerit, quod Catharina Medicæa, Franciæ Regina, Caroli Regis mater, ac regni pro tempore *Regens* inter alia non pauca Reformationis capita apud Pium P. R. IV. exposuit prolixis illis literis, quas ad eum ex Ioannis Monlucij Valentini Episcopi ut creditur, consilio a. D. 1561. pridie Non. Sext. dedit, *In baptismo exorcismos, & certas precum formulas, quæ extra ejus institutionem sunt, omitti posse, ac sufficere, ut aqua & verbum tantum juxta Dei præscriptum adhibeantur; sputi in infantuli os iniectionem non solum non necessariam videri, verum etiam non carere periculo.* Hæc vero æquissima Reginæ postulata, Papa & Papalis Curia non modo contempsit, ac nihili fecit, sed etiam omnem eorum memoriam ac famam, ne quando ista ad posteros emanent, damnare, premere, atque extinguere omni adhibita

hibita vi atque arte student. Nam cum eas Catharinæ Reginæ ad Pium litteras vir amplissimus Iacobus Augustus Thuanus, Senatus Parisiensis Præses in Historiarum sui temporis libros summa fide retulisset, ausus est Palatij Papalis Magister F. Ludovicus Ystella semel *t* atque iterum *v* eximium illud viri integerrimi atque clarissimi opus totum simul ac semel proscribere; Postea vero Hispanici Biblomastiges, duce atque auspice Bernardo Sandovallio Cardinale, Toletano Archiepiscopo, ac generali in illis regnis Inquisitore, in eosdem Historiarum libros immaniter grassati, siqua Inquisitorio palato minus saperent, ea omnia deleri iusserunt, *x* ut sigillatim annotata habentur in Indice Expurgatorio, quem a. D. 1612. sane luculentissimum ediderunt; ubi ex Reginæ litteris præter alia non pauca, illa etiam nominatim expungenda esse decernunt, quæ nos de baptismi cærimoniis nuper descripsimus. Ita optimi scilicet Christianæ fidei vindices omnem rerum gestarum memoriam ex hominum libris atque animis eradere satagunt, ne quis unquam rescilcat quæ ipsi probant ac factitant, ea etiam aliis displicuisse, quam iis, quos ipsi infami hæreticorum elogio nullo iure, summa iniuria damnatos omnibus, quatenus quidem in ipsis situm est, invisos atque exsecrabiles reddiderunt. Sed non sinet Deus opt. Max. sceleratissimam fraudem, veritati atque innocentię opprimendæ, fabulæ superstitioni & tyrannidi fovendæ repertam, tam iniqua, tamque temeraria, neque ab ullis unquam, quod sciamus, quantumvis immanibus gigantibus tentata consilia perfecturam. Christus verus ac unicus veritatis Vindex omnes impostorum technas aliquando, quod optamus & speramus, patefaciet, mendacia nudabit, vafritiem, vim, versutias in apertam lucem eductas æterna ignominiæ obruet, ad gloriam nominis sui, & ad generis humani ædificationem. *Amen.*

CAPUT XVII.

s Tuan. Histor. L. 27. extr. T. 2. p. 51.

t Edict. Mag. sacr. Palat. a. D. 1609 d. 9. Nov.

v Aliud edict. eiusd. a. 1610 d. 30. Ian.

x Vid. Ind. expurg. Sand. p. 527. col. 2.



LIBER II.

QVI EST, DE CONFIRMATIONE.

CAPVT I.

Præfatio in hanc Apologeticam de Confirmationis ritibus digressionem. Occasio & necessitas digressionis ex adversario Henr. Hammondi in me libello, cui falso prætexitur nostra in Ecclesiam Anglicanam injuria; qui perhonorificè de ea sentimus. Spatalensem, Calvinum, alios eadem nobiscum nulla invidia de Confirmatione sensisse.



DE Confirmatione, quæ inter septem Latinorum proprie stricteque dicta *Sacramenta* secundum locum sortita est, proprio opere alibi disputavimus, fuseque demonstravimus neque eam à Domino Christo institutam, neque ab Apostolis usurpatam fuisse, vel pro ejus censu quo hodie à Latinis habetur, sacramento traditam; ipsumque illum unctionis, qua constat, ritum Christianis diu ad a. D. 160. plane penitusque ignotum fuisse & inusitatum; emersisse demum paulo post id tempus, sed baptismo adjectum, pro quodam ejus auctario diu fuisse habitum, plane ejus ordinis, quo nunc apud Latinos sunt illæ ipsæ cærimoniæ de quibus nuper diximus; in sacramentorum divinitus à Christo institutorum classem sero relatum. Denique totum hoc argumentum, & quæcumque eo pertinebant ita in illis libris excussimus, atque explanavimus, ut nihil relictũ esse videatur, quod hic tractemus. Illa enim, quę Bellarminus habet de sui hujus Confirmativi sacramenti forma & cærimoniis, nos morari non debent. Nam cũ in illo nostro opere demonstratum fuerit nullum apud primi ac secundi adulti seculi Christianos fuisse huius census ac nominis sacramentum, frustra de ejus rei, quæ nulla adhuc erat, *forma & cærimoniis* quæritur; Vt illud mittam, quod ne ipse quidem Bellarminus auctores ullos proferat

ferat, a nisi recentissimos; De *forma* quidem Eugenianas ad Armenios instructionem, quam ille more suo, pro Synodo Florentina, sed falso, nobis obtrudit; Pontificale Romanum, & Thomam Aquinatem; De cærimoniis vero Amalarium, & alios à Gratiano in *Decretum* relatos, qui omnes non paucis post a. D. 300. seculis vixerunt. Itaque rem totam hoc loco intactam eramus prætermissuri, & studiosum lectorem simpliciter ad opus illud nostrum amandaturi, nisi nos aliter instituere cogeret conscripta adversum nos à doctissimo & apud suos celeberrimo viro H. Hammondo Professore Oxoniensi disputatio, paulo post auctoris mortem ab ejus amicis edita. Perculit me fateor, missum ab homine eadem nobiscum de religione sentiente telum; quem ego ut fratrem in Domino pro eximiis, quibus pollebat dotibus, venerandum semper habueram ac suspexeram. Eo factum est, ut tametsi haud leviter, neque paucis, sed acriter, & quidem integro libro appetitus hactenus tacuerim; privatæque iniuriæ sensum fratris τῷ μακαρίτῃ honori, ac Ecclesiæ paci donaverim. Sed cum me in hunc locum deduxerit disputationis contra communes adversarios institutæ ordo, video me illam viri doctissimi in me velitationem diutius absque flagitio dissimulare non posse. Ergo digressionis veniam præfatus, quam brevissime fieri poterit, & quæ sit hæc mea cum viro fratre caussa, exponam & crimina si qua objicit, purgabo, & de qua expostulat iniuria, satisfaciam, ac denique sententiam meam, quà fas, verumque & ratio sinent, tueri ac propugnare conabor.

CAPUT I.
a Bell. de Confirm. c. 10. & 13.

Causa igitur, quæ mihi cum doctissimo Hammondo fuit, ita habet. Ille in Diatribis de Episcopatu suis quendam locum ex anonymi scriptoris in V. & N. T. Quæstionibus obiter tangit, quo loco scriptor affirmat *in Alexandria & per totam Ægyptum si desit Episcopus, consecrare presbyterum.* b Hammondus veluti rem claram & indubitatam sumit *consecrare* hic de Eucharistiæ confectione dictum esse. Tum *Ex quo* (inquit) *testimonio illud etiam palam fiet*, Davidem Blondellum & Claudium Salmasium *eandem nequid pejus dicam ἀβλεψίαν occupasse, cum in altero Pseud Ambrosij loco in Eph. 4. ab utroque laudato* (Apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus) *per consignationem illam*, aut confirmationem baptizatorum, aut pœnitentium benedictionem, aut ordinandorum consecrationem, *denotari affirment; Quam ex antedicto loco ad solam Eucharistiæ consecrationem pertinere satis constat.* Hactenus Hammondus. Ego aliquot annis post editas eius Diatribas, cum adversus plerosque Latinos contenderem apud Græcos morem jam olim eum fuisse, ut non soli episcopi, sed etiam presbyteri baptizatos rite chrismarent, & præter multa alia hunc Pseud-Ambrosii locum ad eam rem attulissem, videremque & Sirmondum, eruditiss[illegible]m Iesuitici ordinis hominem, & eius adversarium Petrum Aurelium de *consignandi* vocabulo mecum consentire, id pro chrismate esse positum; unum repugnare doctissimum nostrum Hammondum;

b Hamm. Differt. 3. de Episcop. c. 6. § 6. 7. p. 162.

Cap. I. mondum; putavi fateor, eius sententiam à me hoc loco necessario refellendam, ut argumentum quo utebar, valere posset; aliter enim merito magnam viri celeberrimi auctoritatem effecturam, ut meæ interpretationi lectores diffiderent. Feci ergo quod quibusvis in hujusmodi caussis semper licuisse animadvertebam, atque hanc meam adversus Hammondinam Pseud-Ambrosiani testimonii expositionem ita sum ingressus; c *Nuper vir doctus ex Anglia præfracte negavit eam esse auctoris mentem, duobusque summis viris Salmasio & Blondello, qui consignationis numine*, aut confirmationem baptizatorum, &c. denotari *affirmabant*, ἀβλεψίαν *exprobravit, ipse fidenter asseverans eo vocabulo solam Eucharistiæ consecrationem significari, idque ex alterius de Quæstionibus scriptoris loco satis constare dictitans*. Hæc præfatus, quem ego veriorem censui verbi *consignare* apud scriptorem sensum, cum in sequentibus, quantum quidem in me situm fuit, ab objectionibus vindicavi; de quibus postea suo loco dicendum erit. Narrat, qui posthumum Hammondi adversus me librum edidit, τ͂ μακαρίτου, cum hæc à me scripta vidisset, pro summa qua in me fuit benevolentia, causam suam privatim disceptare mecum litteris amicissimis voluisse, easque confecisse, & missurum propediem fuisse; eo enim animo in me fuisse, ut me non solum *in privatis alloquiis debitis semper auxerit encomiis*, sed insuper à Thoma White male habitum *scripto in publicum emisso palam defenderit*, Sed cum postea cum animadvertisset me in id maxime incumbere ut probem Confirmationē merā esse baptismi laciniam & appendicē, mutasse de illis litteris mittēdis cōsilium, & rē novā aggressum esse, & hoc quod extat, opus aduersus meā disputationēconfecisse & ad umbilicū perduxisse, antequam mors, quod paucis post diebus accidit, eum Domino vocante in cœlestem patriam transtulisset. Ego vero magnam optimi ac doctissimi viri manibus ac memoriæ gratiam habeo, qui me vivens sua illa benevolentia tam amice complecti dignatus sit, ut me etiam contra Thomæ Whiti, haud sane candidum, sed atrum & nigerrimis maledictorum ac calumniarum succis penitus tinctum ac imbutum libellum publice defenderit. De τ͂ μακαρίτου in nos propenso ac benevolo animo jam aliquid à Thoma Smithæo Cantabrigiensi Bibliothecario acceperam, quocum mihi dum vixit, amicitia & litterarum usus fuit; Is si superesset, testari posset quam acerbus mihi fuerit allatus de viri magni morte nuntius; De defensione contra Whitum, nihil plane resciveram; neque si in tempore rescivissem, omissurus fui sinceram grati pro eo officio animi significationem. Quæ non ita velim accipi, quasi de eo pulsatus, quod ab eius de Pseudambrosiani loci sententia discesserim, meam amicitiæ qua me dignabatur, ignorationem excusem. Neque enim id amicitiæ jus postulat, ut in omnes amicorum opiniones iuremus. Notum est illud summi Philosophi sapiens profecto verbum, δυοῖν ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. Nulla invidia est quemque ea sequi quæ veriora putat. Neque ego unquam sane existimavi me in doctissimum Hammondum peccare,

e Dall. de Confirm. L. 2. c. 18. p. 220.

care, si, quæ in ejus scriptis non placerent, libere ea dimitterem, etiam refellerem, si causæ quam ego maxime probarem, officerent; eaque nuper libertate sum usus in disputatione de Ignatianis epistolis nostra. Atqui hic (inquit editor) d non Hammondi, sed Anglicanæ, sed veteris purioris que Ecclesiæ causa agitur, cujus tu disciplinam tuis de Confirmatione placitis labefactas. Cohorrui cum hæc primum in epistola ad Lectorem operi Hammondino præfixa legerem. Crevit horror & admiratio, ubi doctissimum ipsum Hammondum perspexi eadem de me suspicari, atque ita mecum agere, quasi librum de *Confirmatione, Latinorum Sacramento*, ea mente ediderim, ut Anglicanam Ecclesiam oppugnarem, & signa in eam infesta inferrem. Certe enim, ad ea quæ scripsi, respondens alibi dicit, *e non in hoc*, quod ego defendo, *fortunas esse Anglorum*, Alibi, *f Nihil certe*, inquit, *nobis* (id est Anglicanæ Ecclesię, ut liquet ex ipso loco) *officiet, si hac in re omnia plane ita ut contendit Dallæus, facilius a credantur.* Alibi cum quendam Hieronymi locum recitaret, *g Ecce* (inquit) *omnia, quæ Hierarchici, ut dicimur, Britanni, de Confirmatione à baptismo divisa, de Spiritu Sancto fidelibus per solam manuum impositionem dato philosophamur.* Sic etiam alibi quasi Hierarchicos oppugnem, *h Quid ex his* (inquit) *contra Hierarchicorum placita concludere potuit?* Est & ubi serio mihi graviterque narrat *i certe Reformatam nec dum deformatam esse Ecclesiam Anglicanam.* Mitto alia ejusdem ingenij toti passim operi inspersa, plane ac si mihi apud suos invidiam, veluti Reformationis Anglicanæ hosti conciliare studeret. Quid enim hæc ad me, si in eo libro, qui ab Hammondo refellitur, *Anglorum* neque *fortunas*, neque *hierarchiam*, neque *Confirmationem*, neque *doctrinam*, neque *disciplinam*, neque *reformationem* uspiam vel recta pulsavi, vel etiam oblique impetivi, vel iis officere tentavi. Denique in ipso disputationis de Confirmatione suæ limine, postquam sententiam de eo argumento meam pro suo arbitrio explicavit, addit k eam *præcipue quidem contra Bellarminum & Aurelium, cæterosque* Papalis *Hierarchiæ propugnatores esse institutam, in multis tamen Prælaticæ seu Episcopalis dignitatis assertores ex æquo premere, adeoque contra Reformatam, necdum deformatam Angliam, reliquosque primævæ antiquitatis & puritatis & simplicitatis indefessos asseclas, aut vindices, qui Episcopalem κατ' ἐξοχήν contra Presbyteranam ἰσοτιμίαν tuendam duxerunt, militare.* Hic profecto debuerat, si qua sint in illa mea disputatione, quæ contra illa, quæ commemorat Anglicanæ doctrinæ capita, æque ac contra Bellarminiana & Aureliana placita revera militent, ea indicare, & libri mei loca in quibus ea reperiuntur annotare. Quod cum non fecerit, satis est hoc loco apud lectores sancte ac sincere testari, nunquam mihi hunc animum, nunquam eam mentem fuisse. Anglicanam ego Ecclesiam, exoticis, pravis, superstitiosis cultibus, erroribusque aut impiis, aut periculosis egregie ex Scripturarum cœlestium norma purgatam, tot tamque illustribus martyriis probatam, pietate in Deum, in homines caritate, laudatissimisque

CAP. I.

d Hamm. de Confirmat. Ep. ad Lect. p. 1. versa.

e Hamm. de Conf. c. 2. §. 13. p. 40.

f Ibid sect. 3. §. 2. p. 44.

g Ibid. c. 6. sect. 5 p. 160.

h Ibid. c. 2. Sect. 5. §. 14.

i Ibid. Sect. 6 §. 7. & 72. Id. habet c. 1. Sect. 2. p. 32.

k Id. ibid. c. 1. Sect. 2. §. 2. p. 32.

Cap. I. bonorum operum exemplis abundantem, lætissimo doctissimorum ac sapientissimorum virorum proventu jam à Reformationis principio ad hodierna usque tempora florentem, equidem eo quo debui, loco ac numero habui hactenus, ac dum vivam, habebo; Ejus honos, nomen, laudes semper apud me manebunt. Testes meæ hujus de præstantissima illa Ecclesia existimationis possem laudare non paucos, neque contemnendos viros; etiam præcipuæ apud eam & virtutis & dignitatis Antistitem. Itaque qui hac mente, qui hoc animo hactenus fui, non potui non judicare, insignem mihi ab iis fieri injuriam. qui mecum sic agunt, quasi de Britannica vel Ecclesia vel Reformatione male sentiam. Mea quidem illa disputatio, unde hujus criminationis occasionem nacti sibi videntur, non alios quam Latinos petit; ut totum librum legenti patet. Quod vero Hammondini in me operis editor eo à nobis *labefactari* suæ Ecclesiæ disciplinam significat, quod *confirmationem* baptismi, ut ille ait, laciniam & *appendicem*, ut ego loqui soleo, *cærimoniam* fuisse contendam; haud equidem satis capio, quî ex hoc illud sit consequens. Marcus Antonius de Dominis, Spatalensis Archiepiscopus, eadem illa, quæ sequor, de Confirmatione quod notum est, defendit; idque doctissimus Hammondus non semel in hac ipsa disputatione memoravit; Quin & eum *sententia Dalleana antesignanum* alicubi dicit. Atqui nemo Anglorum fuit, qui eum hoc nomine pulsatæ suæ disciplinæ reum faceret. Alios mitto, quos infra opportuniori loco dicemus: Ipse ille Calvinus noster, quem libri editor *Ecclesia Anglicana advocatum* dicit, qui *eius caussam strenuè*, inquit, *agit*, & *dum veterem depingit Ecclesiam qualemque restitui optat, nostram ipsam imaginat & refert*, ille ipse inquam Calvinus, & quidem iis ipsis in locis, qui ab editore descripti sunt, non obscure significat se de cōfirmationis loco, & usu id ipsum sensisse, quod in me tā acerbe reprehenditur. Certe hęc Calvini de Confirmatione verba ex Commētario in epistolam ad Hebræos c.6.v.2. apud editorē lego; *Sciamus ergo à primis auctoribus institutum fuisse, ut esset solennis precandi ritus, quemadmodum etiam Augustinus nuncupat. Fidei quidem professionem, quam adolescentes pueritiam egressi edebant, voluerunt approbare hoc symbolo. Sed nihil minus cogitarunt, quam vim baptismi DISCERPERE.* Sed & ante hæc verba alia quædam leguntur hic exhibenda, quæ nollem ab operis Hammondini editore prætermissa: *Hic unus locus*, inquit Calvinus, *abunde testatur huius cærimonia originem fluxisse ab Apostolis; quæ tamen postea in superstitionem versa fuit, ut mundus semper fere ab optimis institutis ad corruptelas degenerat. Fixerunt enim esse Sacramentum, quo Spiritus regenerationis conferatur; quo figmento Baptismum LACERARUNT. Nam quod erat EIUS PROPRIUM. AD IMPOSITIONEM MANUUM TRANSTULERUNT.* Post hæc verba illa addit Calvinus, quæ ab editore descripta, nuper repræsentavimus, *Sciendum ergo*, &c. Si baptismum *lacerarunt, ejusque vim discerpserunt*, qui hanc manus impositionem

Hamm. de Conf. c.2. sect. 2. §.14. p.41.

aliud à baptismo Sacramentum esse fixerunt, clarum est hanc manus impositionem baptismi rem ac partem aliquam fuisse. Non enim *discerpi* vel *lacerari* dicuntur, nisi quæ cum cohærerent, conjunctaque & unita essent, à sese divelluntur. Sed idem etiam disertius docet Calvinus, cum quod ad hanc manus impositionem à Latinis translatum est & per eam fieri creditur, id baptismi proprium esse affirmat. Ergo manus impositionem à baptismo dividi vel divelli non patitur, & quicquid illud est quod fit in Confirmatione, id totum ad baptismum revocat & ad vim virtutemque ejus pertinere judicat. Neque vero quod tempus inter baptismum & manus impositionem intercedit, hanc ideo putandum est à baptismo, qui dudum præcessit, esse alienam. Hæc enim confirmationis dilatio per accidens in hoc negotio, quod alioqui unum est, intervenit. Nimirum quod parvuli qua ætate baptizati sunt, catechismum & institutionem, qua sua natura tinctionem præcedunt, nondum capiebant; eo factum est, ut illa pars qua ad baptismum præparantur, in aliud tempus differretur; quo jam adultiores & judicio ac ratione utentes de sua fide apud Ecclesiæ præpositos testari possent, & ea præstare quæ antehac infantiæ imbecillitate præpediti intelligere non valebant. Quod ipsum quoque Calvinus paulo ante illo, quæ descripsimus, eodem loco observarat; *Vt* (inquit) *Duo erant Catechumenorum ordines, ita duplex erat cærimonia. Nam qui erant extranei, non ante perveniebant ad baptismum, quam edita fidei professione. In illis igitur Catechismus præcedere solebat. At liberi fidelium, quoniam ab utero adoptati erant, & jure promissionis pertinebant ad corpus Ecclesiæ, infantes baptizabantur; transacta vero infantia, postquam instituti erant in fide, se quoque ad Catechesin offerebant, quæ in illis baptismo erat posterior; sed aliud symbolum adhibebatur nempe manuum impositio.* Vtrorumque Catechesin ad baptismum pertinuisse liquido constituit; ac de illa quidem, quæ adultorum erat & tinctionem præcedebat, nemo dubitat. Alteram quæ infantium erat, ejusdem plane fuisse ingenii, una cum adjecto manus impositionis symbolo, si Latini & alii negant, Calvinus quidem hic apertissime confitetur. Si hæc *Ecclesiæ Gallicanæ Advocato* ita sentire impune licuit; si Spatalensi meæ huius sententiæ *antesignanum* esse nulli apud Anglos fraudi fuit; non intelligo, cur me *labefactatæ Anglicanæ disciplinæ* damnari ideo fas ac jus esse putetur, quod confirmationem meram fuisse olim baptismi cærimoniam atque appendicem contra Latinos defendi.

CAPVT II.

Ne Anglicanæ quidem Confirmationis Liturgiam à nostra sententia abhorrere; eaque de caussa Hammondum videri mea sententia non quod decebat, Anglicanæ Ecclesiæ verè reformatæ leges, ac

 publicos

publicos libros sed Semi-Papalia Henrici VIII. Regis de Religione edita & decreta. Ipsum Hammondum pæne confiteri, nihil me in Anglicanæ Confirmationis officio improbare; unde apparet, eum non pro publica Ecclesiæ disciplina, sed pro privata sua sententia adversus me scripsisse.

SEd ipsam illam Anglicanæ disciplinæ partem inspiciamus, quæ est de Confirmatione. Ego illam & antea legeram non indiligenter, & modo etiam accuratius relegi. Nihil in ea reperi, quod vel cum iis pugnet, quæ in libro de Confirmatione contra Latinos disputavi, vel à nostrarũ Ecclesiarum sive fide, sive cõfessione sit alienum. Catechismus *m* illic primo occurrit, quo præcipua ac ad salutem necessaria fidei capita mira brevitate, perspicuitate, atque puritate ex sacris litteris traduntur; Oratio sequitur, quæ tota pietatem spirat; tum altera, qua Episcopus imposita in singulorum puerorum capita manu, Deum precatur ut singulos defendat, quotidieque magis suo Sancto Spiritu augeat, donec ad æternum eius regnum perveniant. Nihil in istis est quod non toto pectore amplectar & exosculer. Sed omnia quantumvis curiose rimatus, nusquam istic vetitum invenies, nequis hanc benedictionem ad baptismum referendam, aut eius quandam appendicem atque *confirmationem* & *perfectionem* ut veteres loquebantur, sive complementum, vel fuisse olim, vel nunc esse existimet. Quid, quod in eodem illo Anglicanarum precum libro, quædam reperi, quæ ab hac sententia adeo non sunt aliena, ut ei potius favere videantur? Certe in Baptismi officio, minister huius Sacramenti ita inter cætera pro baptizandis precatur; *n Concede illis* (inquit) *vim & potestatem vincendi & triumphandi de Satana, mundo, & carne, Amen.* Vnde patet hanc *vim & potestatem* ad baptismũ pertinere, ac inter vera atque legitima eius effecta censendam esse: idque egregie cum eo congruit, quod in Catechismi præfatione constituunt *o infantes baptizatos omnia habere ad salutem necessaria, certoque certius salutem consequi*: etiamsi scilicet ante acceptam confirmationem moriantur. Iam qui hæc ita credunt, illud quoque disertissime docent *p confirmationem illis adhiberi, qui jam baptizati sunt, ut per impositionem manuum & orationem vires & defensionem accipiant contra omnes insultus peccati, mundi & Diaboli.* Cum ergo *hæ vires & hæc defensio* unum sit ex veris & legitimis baptismi effectis: quis inde non intelligit Anglicanam Ecclesiam, quæ hoc utrumque docet, illud tertium, quod ex illis duobus omnino sequi videtur, nimirum Confirmationem ad baptismum referri, quandamque eius esse sequelam & appendicem, potius probare quam refutare? Nonne & hoc ipsum docet totus ille, profecto eximius Catechismus, *q* qui Anglicanæ Confirmationis janua est? Quid enim Catechismus aliud est, quam catechumeni vel ad baptismum suscipiendum præparatio, & unctio quædam, vel de eo jam olim suscepto commemoratio ac commonefactio?

m Libr. prec. publ. Angl. titulo de Confirmat. puer. pa. 153.

n Ibid. tit. de Bapt pa. 153. versa.

o Ibid pag. 158 vers. rect.

p Ibid. p. 158. rect.

q Preces comm. De Confirmat. pag. 159.

nefactio? Certe in eo puerum, qui parvulus tinctus erat, Minister rogat, quid olim ejus nomine susceptores cum baptizaretur promiserint; & his ab eo explicatis, ab eodem deinceps quærit an se ad illa præstanda coram *Deo* devinctum putet. Quo aiente, seque ita Deo adjuvante facturum spondente, tum Minister de singulis illis tribus capitibus eum fusius interrogat, ut experiatur, num ea fide, cuius baptismus sigillum est, satis imbutus instructusque sit. Tum his perfunctus ab Episcopo manus impositione & benedictione confirmatur. Quis non videt hæc omnia ad baptismum pertinere, & eorum quæ puer ob ætatis qua tinctus est, infirmitatem præstare non potuit, quoddam ut sic dicam supplementum? adeoque benedictionem, qua res tota concluditur ac veluti coronatur, eodem quoque esse referendam? Atque hæc ut opinor, caussa fuit, cur Hammondus cum disputationis de Confirmatione in nos suæ fundamenta jaceret, ac illam Anglicanæ Ecclesiæ doctrinam, quam à nobis pulsatam queritur, exhibere vellet, eam non ex hoc *Precum communium* libello, vel ex 39. Confessionis Anglicanæ articulis, quod profecto decebat, sed ex libro ab Henrico VIII. ante Reformationem ann. Dom. 1545. promulgato repeteret. Videbat nimirum vir perspicacissimus in publicis vere Reformatæ ab Anglis Ecclesiæ tabulis nihil de Confirmatione extare, quod à nobis in nostra disputatione pulsatum vel oppugnatum cum aliqua specie dici possit; in illis Henrici Latino fermento corruptis legibus esse, quod mihi contra Latinos pugnanti non immerito posset objici. Ideo hos, tametsi explosas & antiquatas, veris ac genuinis Anglicanæ Reformationis tabulis, nescio quam sincere, prætulit. Ac ut rei inuidiam eximeret, cum hæc Henrici verba, s *Nec igitur Sacramentum hoc Confirmationis à quoquam contemni debere*, &c. durius hoc loco apud Reformatos *Sacramenti* vocabulum, inserta hac de suo glossâ (*nomine, ut diximus, late accepto*) emollire conatus est. Atqui Henricus non late, sed *stricte* sumptum sacramenti nomen *Confirmationi* tribuebat. Et cùm recitato præclaro isto Henrici Regis decreto dixisset, t *Hac certe sic à maioribus nostris accepimus, & ab Henrico VIII. adversus Lutherum defensa & vindicata*, coactus est ipse duo capita excipere; prius de confirmationis ritu inter vera proprieque dicta universales Ecclesiæ Sacramenta censito; alterum de Chrismatis in Confirmatione usu, quem nunc apud Ecclesiam Anglicanam nullum esse omnes sciunt. Facessant ergo illæ Henrici leges, quæ doctrinam exhibent, non Reformatæ postmodum apud Anglos Ecclesiæ veram, meram ac sinceram, sed non paucis ex Latinorum Theologia fæcibus & venenis permixtam. Injuria fit Reformatoribus, si Angli eam quam hodie docent ac tenent fidem, eam non ab ipsis illis eximiis Dei servis, sed ab Henrico Rege & ejus sectatoribus accepisse dicantur. Afferantur in medium non Henrici, sed Reformatorum documenta, decreta, leges. Contra Henricianæ doctrinæ eam partem, quam ex Latinorum lacunis haustam Hammondus retinere

s Ib. §. 7. p. 36.

t Ibid. §. 8.

Cap. III. quam emendare maluit, disputationem nostram pugnare adeo non nego aut erubesco, ut etiam ultro prædicem ac glorier. Contra Reformatoris Ecclesiæ Anglicanæ nihil apud me in eo libro qui arguitur, militare equidem vel depositis pignoribus contenderim, quos ego ex animo, veluti eximios ac fideles Dei servos ea qua par est, reverentia colui semper atque suspexi; & quorum memoria apud me sancta ac benedicta est, eaque porro ut, apud omnes pios in perpetuum permaneat, opto ac spero. Quid, quod nos Hammondus, cuius criminis accusat, ipse alibi non obscure absolvit? Scribit u enim se sperare Dallæum, ut & Latinorum chrismationi infensum, *nihil in officio Confirmationis Anglicano, repertum, quod aut sacra Scriptura adversum, aut ab antiqua & Catholica Ecclesiæ praxi alienum culpetur*, suamque hanc spem ex mea ad quandam Matthæi Galeni definitionem responsione firmat. x Illud quidem & doleo & queror, quod de me id speraret tantum, quod certum & persuasum habere debuit; Sed si hoc quod dicit *speravit*, cur ergo calamum in me velut in hominem de Anglicana Confirmatione secus sentientem stringit? cur in me de hoc uno argumento tam multa commata, cur librum scripsit? Certe quem de sua Confirmatione præclare sentire sperabat, nulla ut videtur, causa fuit, cur velut adversarium tam acri, tam interdum aculeato scripto exciperet Ista ut videtur, non cohærent. Quem enim Hammondus hac mente esse speraret, eum satis erat, ut de injuria, qua affectum se putabat *amicissimis illis litteris* privatim moneret, quas jam confectas paratasque fuisse, ex ipsius amico didicimus. Nihil necesse erat Ecclesiæ Anglicanæ majestatem in causam privatam inducere, & totum de Confirmatione librum scribere, cum de unius apud Sardum Commentatorem voculæ sensu ageretur.

u Id. ibid c 2. sect 6. p. 6.

x Ibid. §. 7.

CAPUT III.

Constituitur verus causæ cum Hammondo meæ status; hic nimirum. An apud veterem Ecclesiam chrismatio & manus impositio baptismi carimoniæ fuerint, quod ego aio; an ab eo diversi, & alieni ritus, quod defendit Hammondus; quæ causa ab Ecclesia Anglicana plane aliena est. Satisfit Hammondo de iniuria qua se affectum queritur I. eo quod Salmasio & Blondello ἀβλεψίαν exprobratam fuisse ægre tulerim. II. quod constare negaverim, quod ille constare dixerat. III. quod Hilarii Sardi locum aliter quam ipse erat interpretatus, acceperim. Eo se Hammondum falso dixisse articulate provocatum ad hanc disputationem. Ille se frustra de ἀβλεψίᾳ magnis viris imputata purgare conatur.

Sed jam rem ipsam ingrediamur, & sigillatim excutiamus. Liber ille meus, qui tam acriter confutatur, pugnat Latinorum confirmationem non esse veri, & proprie strictéque sumpti nominis sacramentum.

Dissentit-

Di sentit-ne Ecclesia Anglicana? Imo eadem docet ipso Hammondo teste; *Nos* (inquit) *nullam hic cum Dallæo litem nectimus; sed binario sacramentorum numero contenti, septenarium aut διχάζειν jubemus, aut Ecclesiæ Romanæ, novorum ut dogmatum, ita Sacramentorum feracissimæ matri lubentes relinquimus.* Liber meus negat Confirmationem à Christo institutam. Negat cum illo Hammondus totaque Anglorum Ecclesia. Liber probat chrismationem, qua constat Græcorum & Latinorum Confirmatio, nusquam in Scripturis reperiri. Scribit Hammondus * unguenti aut chrismatis neque Act 8.17. neque alibi in sacro codice aut volam aut vestigium extare; & † chrisma Apostolorum ævo incognitum sub Tertulliani & Hieronymi secula in quibusdam Ecclesiis obtinuisse. Tota denique Anglicana Ecclesia chrisma, neque in baptismo, neque in Confirmatione usurpat, quo non modo fatetur liberam & Ecclesiæ auctoritate mutabilem esse cærimoniam, sed etiam exemplo suo præjudicat melius eam omitti quam retineri. Quid ergo tandem admisit Dallæus, quo Hammondus suam de Confirmatione disputationem contra eum scribere coegerit? Nimirum ille defendere ausus est chrismationem qua Latini, & manus impositionem qua Angli confirmant, utrumque olim veteribus baptismi cærimoniam fuisse. Atqui ego de Anglica manus impositione non modo hoc, sed ne unum quidem verbum toto si bene memini libro, dixi. At inquit, tu hoc de manus impositione quæ apud veteres Tertulliani ævo & deinceps in usu erat dixisti. Dixi fateor, & quod reor, probavi; An hæc veterum *manus impositio* plane eadem sit cum ea quæ apud Anglicanam Ecclesiam hodie in usu est, an vero aliquatenus ab ea diversa, nuspiam dixi; neque cur dixerim, causam ullam habui, qui de uno Latinorum Sacramento, non de Anglorum Confirmatione, disputarem. Illud ergo vir doctissimus, quod ad suam Anglicanam trahit quicquid de veterum manus impositione scripsi, temere profecto fecit; & mihi quæ sua sunt tribui imprudens quid ego sentirē nesciens. Satis habui in illo opere, contra Latinos quod erat mei instituti, disputare; De fratribus Anglis, ne cogitari quidem: quorum sensus ac ritus à Latinis tota quodajunt diametro discrepat. Nā hi primo chrisma quo Latini utuntur, nullū habent, & quā vicissim habent manuū impositionem, ea Latini carent, ut catechismum Anglicæ manus impositioni prævium, & alia non pauca mittam. Sed & in sententia etiam majus discrimen est. Nam sua Latinis chrismatio verū ac divinitus institutū Ecclesiæ sacramentum est (quod capitalis eorum est error) Suam Angli manus impositionem proprie dictum Sacramentum esse negant. Ritum esse Ecclesiasticum ad quandam Apostolicæ manus impositionis imitationem inductum. Cum ergo Latinorum error quem oppugnandum in illo libro susceperam tam lato limite ab Anglorum de confirmatione sententia dissitus sit, nihil in eo necesse fuit de Anglis, aut de eorum ritu quicquam dicere. Satis fuit veterum quorum auctoritate suum Latini errorem tueri student, sententiam & praxin indagare ac explicare. Sed hic

CAP. III.
Id. ibid. c 2. sect. 2. § 4. p. 14.
Ibid. §. 4. p. 33. & c. 3. sect. 1 § 10.
* Ibid. c 2. sect 2. §. 16. p 42.
† ibid. §. 12. p. 40.

Cap. III. hic scilicet eorum mos est, qui in caussa religionis veterum auctoritati plusculum tribuunt. Nihil de veteribus, eorumque dogmatis & ritibus dici audiunt, quod idem statim de se quoque dici non putent. Ea res doctissimos viros Hammondum & Hammondini operis editorem fefellit. Hi enim sua nihil ab antiquis differre præconcepto mentis judicio rati siquid ego de veterum Confirmatione dixi id de sua dictum à me putarũt, quod aliter est. Ego enim ut clare dicã quod sentio, eam Confirmationẽ qua nunc utitur Ecclesia Anglicana, multo melius ac sapientius, magisque ad Christianismi ingenium, constitutam esse censeo, quam quæ in veterum quarti & deinceps seculi libris olim fuisse deprehenditur. Graviter ergo erravit Hammondus, quod putavit sanctissimam Angliæ Ecclesiam ulla in parte fuisse à nobis illo libro vel læsam vel perstrictam; Gravius vero etiam impegit, quod hæc falsa Anglicanæ Ecclesiæ injuria incensus librum in me ab ea culpa, quam sibi fingit, longissime remotum, acrem profecto & nimis interdum mordacem librum conscripsit. Sed fac me, quod non est, diserte in illa mea disputatione scripsisse, Ecclesiæ Anglicanæ confirmationem baptismi ἀκολούθημα sive consectarium esse, & ad baptismum referri; quid tum eo usque adeo dirum est vel atrox, ut adversario libro statim à fratribus vindicari ac deleri debuerit? Iam supra ostendi in publicis Ecclesiæ Anglicanæ tabulis nihil extare, quod huic sententiæ repugnet; quædam esse, quæ favere potius videantur; ut virorum doctissimorum qui aliud sentiunt, opinionem absque ulla illius Ecclesiæ injuria & mihi & cæteris vel sequi, vel repudiare fuerit liberum.

Ita abunde ni fallor purgato tentatæ, imo *labefactatæ* Anglicanæ disciplinæ, sane invidioso, crimine; nunc doctissimi Hammondi de facta sibi injuria expostulationi, satisfaciendum est. Fateor me quædam ejus in expositione Hilariani de presbyteris in Ægypto consignantibus testimonij dicta partim commemorasse, partim refutasse. Commemoraveram eum *duobus viris summis Salmasio & Blondello ἀβλεψίαν exprobravisse*. Factum Hammondus non negat; y sentiens tamen de his viris ita loqui, paulo durius & incivilius nonnullis fortasse visum iri, ut se merito sic locutum esse probet, negat z *illos licet vere perspicacissimos omnia seu vidisse seu agnovisse*; seque hujusmodi *infinita* in dissertationibus collegisse ab iis vel *celata*, *vel omissa*, neque me ipsum *licet oculatissimum* omnia *perspexisse*, allato cujusdam erroris mei in Firmiliani verbis intelligendis exemplo, demonstrat. Processerit fateor ejus ratio, si illos viros hoc loco dixisset *auctoris sensum*, non vidisse, non perspexisse, non animadvertisse, aut aliud simile. Quod dixit, aliud est, & quidem nisi fallor, aliquanto gravius. Hæc ipsissima sunt ejus verba; *Ex quo*, inquit, *testimonio illud etiam palam fiet Dav. Blondellum & Claud. Salmasium eandem, nequid pejus dicam ἀβλεψίαν occupasse*, Ἀβλεψία. *Cæcitudo*, ut habetur in veteribus Glossis Græco Latinis quæ vulgo *Cyrilli* dicuntur. Ergo quem *occupat ἀβλεψία* (ut loqui amat doctiss. Hammondus) is siquid

y Hamm. c. 1. sect. 3. §. 5. p. 14.

z ibid. n. 6.

sqrid intelligo, cæcus est & Latine dicitur. *Cæcos* autem dicere, qui in litteris sacris, profanis, divinis, Ecclesiasticis tá multa, & complura quidem abditissima, & procul à vulgi oculis remota, viderunt, perspexerunt, rimati sunt, haud satis consentaneum videtur; neque facile credo doctissimum & humanissimum Hammondum de tam eruditis & tam egregie de Rep. omni litteraria meritis viris hæc ita dicturum fuisse, nisi ejus animum cum hæc scriberet aliqua in eos nescio cujus vel iræ, vel contemptus nubecula *occupasset*. Quod vero ait ex libris, quos pro sententia de episcopis Hieronymiana ediderunt, *non exiguos manipulos, sed messem integram* eorum collegisse, quæ illi vel *celaverant* vel *omiserant*; non dubito, quin ipse de his ita ex animi sui sententia judicet, an cæteri idem quoque de iis judicent, non est meum quærere. Posteri procul ab ira & studio positi, tutius judicabunt. Ad præsentem caussam satis est, quod etiamsi illis viris in hoc fortasse argumento versantibus sæpius cæspitare, multa non animadvertisse vere accidisset; non ideo ἀβλεψίᾳ id est *cæcitudine* laborasse dicendi essent. Cæcus enim est, qui nihil videt, non qui quædam, non qui etiam multa non videt. Nam vel Lynceum multa sæpe fugere, quædam etiam latere nihil vetat. Quod me inter eos, quoque censet, qui non omnia vident, jure facit; quod statim post duos illos heroas censet, honorificum deputo, & supra meritum meum. Me enim non ut illos, pauca eaque fere obscurissima fugiunt, sed multa etiam obvia. Itaque doctissimo Hammondo magnam de Firmiliani loco gratiam habebo, si melius ac verius aliquid monstraverit, quam quod de eo scripsi, de quo infra opportunior erit dicendi locus. Illud de quo nihil respondit, mitto, quod non contentus Salmasio & Blondello cæcitatem objecisse, eos suo lectori vitij alicujus etiam *cæcitate* gravioris suspectos facit per eam qua hic usus est, reticentiam, Vtrumque *eadem*, inquit, *nequid peius dicam, ἀβλεψία occupat*. Id vero quid aut quale sit non scrutor, certe quod *cæcitate peius* sit, aliud lectori in mentem venire difficile est, nisi insignem aliquam animi improbitatem & malignitatem; quam honestissimis atque optimis viris, eundemque tecum Christianismum pari fide colentibus imputare, quam sit contumeliosum omnes satis intelligunt. Quod ergo hæc in eos dicta ægre tuli, quos non modo propter eximiam ac plane singularem eruditionem cum pietate & virtute conjunctam colui, sed etiam propter amicitiam, qua me uterque dum vixerunt, dignati sunt, nulla credo, clarissimi Hammondi injuria fuit, præsertim cum hanc ejus in eos inclementiam commemorare satis habuerim; ulcisci, ne uno quidem verbo tentaverim.

Sed illum præterea pupugisse videtur, quod eodem loco scripsi, *mirabile mihi visum esse, quod eam rem satis constare dixerit, quam tamen constare non viderint, non modo Salmasius & Blondellus nostrorum eruditissimi, sed etiam Sirmondus & Aurelius adversariorũ fere coryphæi*. Ad hæc vir doctissimus respondet *se Sirmondum & Aurelium mittere, quibuscum nullum sibi* L. 2. de Confirmat. c. 18. p. 210.

Cap. III. *lum sibi negotium erat*, Salmasium & Blondellum nimis constare non omnia vidisse. Atqui non eo fit, ut non sit mirabile quatuor & quidem diversarum partium, doctissimos viros, ac ut de duobus ipse fatetur, vere *perspicacissimos* eam rem omnes constare non vidisse, quæ satis alioqui constaret. Neque ego intelligo, cur hinc Sirmondum & Aurelium dimitti velit; Rei enim de qua quæritur, miraculum auget, ut videtur, quod eam præter nostros illos duos, etiam hi, præcipuæ inter adversarios famæ & quidem inter se certantis, non magis quam nostri, animadvertere potuerint. Quod vero nullum doctissimo Hammondo cum his negotium fuerit, hoc si quid judico, ejus rei quæ agitur, admirabilitatem adeo non minuit, ut etiam augeat. Nam siquid iis negotij cum Hammondo fuisset, caussæ eos studium videri potuisset à vero videndo avertisse; Nunc cum eorum aciem nihil hujusmodi impedierit, nonne mirandum est tales viros, ingenio, judicio, eruditione præstantes id tamen nequaquam animadvertisse, quod *satis constare* dicitur? & quidem in ea caussa minime animadvertisse, ad quam id animadverti alterius ex his Aurelij plurimum intererat? is enim contra Sirmondum, idem, quod doctissimus Hammondus contra nos defendit, presbyteros Sardi Commentatoris seculo chrismate minime confirmasse.

a Id. ib. sect. 4. §. 3. p. 20. Denique illud quoque vir doctissimus ægre tulisse videtur, *a* quod ego eum loci de quo quæritur, novum interpretem dixerim; cui breviter respondeo me *novum interpretem* dixisse, ante quem neminem scirem locum illum eo quo ipse interpretatus est, sensu accepisse.

Hæc omnino sunt, quæ præter ipsum de loco Hilariano dissensum, doctissimum Hammondum commovisse videntur. De ipsius loci sensu, postea cum bono Deo dicam, suo tempore ac ordine. Nunc æquis lectoribus ex his judicandum relinquo, quam vere se vir doctissimus hac mea actione *articulate in arenam* à me *evocatum fuisse* scripserit.

b Id. Ibid. c. 1. sect. 1. §. 3. *b* Magnificè; fateor. Sed ego tamen neque de *arena*, neque de *pugna* cogitaveram. Quæ veriora putabam, ea in medium protuleram; argui & corrigi paratus, si errarem. Quamquam si & vir doctissimus timuit ne forte; nisi in arenam statim venabulo armatus descenderet, *pugnam detrectare aut ad eam tardius accedere* videretur, neve hinc aliquid detrimenti suæ fortitudinis fama caperet; pugnaret sane, sed non ultra eas lineas ad quas se provocatum interpretatur. De loco Hilarij (neque enim de pluribus lacessitus fuerat) contenderet. Nunc vero eo nomine in omnia mea invadere; res meas susque deque agere; totum librum ob unam voculam aliter quam voluit vir doctissimus, acceptam hostiliter scrutari, & omnes in me Britannias ciere, totosque exercitus explicare, id vero non singulare certamen, neque unius viri cum uno viro pugna, sed bellum est. Sed hæc magnis mentibus condonanda sunt; quæ se resque suas impune tangi non sinunt; neque ullam sibi injuriam fieri posse putant, quæ non magna sit, ferroque, & ejus qui intulit, sanguine expianda. Hinc nimirum *tantæ sunt animis cœlestibus iræ* illæ, quas Poeta

maximus

maximus miratur. Cum hujus census esset divinissimus vir Hammondus, eo æquius fero, quod me dissentire ab ipso ausum, licet alioqui amicissimo, suis illis acutissimis commatis, & aphorismis, quibus omnes eius libri polemio tanquam totidem spiculis ac mucronibus armati horrent, configendum ac punctim concidendum putaverit. CAP. IV.

CAPVT IV.

Quædam quæ mihi affingit Hammondus, à me aliena esse Exigui esse in rem vel meam, vel ipsius, hanc quam in me agit caussam. Mirum videri quod chrismationem, qua Angli carent, ille fusius & diligentius pertractet, quam manus impositionem, qua una utuntur. An chrismationem retinere, vel abolere æque utrumque fas æquumque sit. Frustra & pueriliter nobis obyci, caussæ studium; falso, sententiæ novitatem; quæ ante nos Calvini, Spalatini, Cassandri, Grotij; etiam olim Valafridi fuiße cognoscitur.

NVnc igitur, sed tranquillo ac placido animo consideremus quid ille in nostro De Confirmatione libro cædat & experiamur an plagæ, quas nobis incutit, sint letalis. Id ille potissimum refellendum atque exagitandum sumpsit, quod ego adversus Latinos defenderem ritus, quibus olim constabat confirmatio, chrismationem scilicet & manus impositionem, principio ad baptismum pertinuisse; illa veluti signo ac symbolo quodam Spiritum sanctum quo spiritualiter ungimur, significatum ac adumbratum fuisse; hęc tanquam benedictionis, & orationis adjuncto clausum ac consignatum totius initiationis in Christum nostræ sacramentum. Hæc est sententia illa mea, quam doctissimus Hammondus oppugnat. Quod enim ille mihi tribuit c Confirmationis *ritum prioribus & purioribus seculis plane inauditum fuisse*; item *sequiorum Latinorum figmentum esse*; id inquam sic simpliciter ut posuit, non agnosco. *Ritum utrumque* negavi fateor, apud Christianos primi ad a. D. 160. seculi & siquid excurrit, in usu fuisse; quo loco, quoque fine postea usurpata sunt; Chrismatio enim ad illud tempus, ne extitit quidem apud nostros; secundo demum seculo sed præcipiti, instituta, eique manus impositio adiecta est, quam ex veteris novique testamenti libris ad alia multa adhibitam fuisse nescire non potuerunt qui inter nostros erant in litteris sacris eruditi. Quod vero secundo addit vir doctissimus veluti meæ quoque sententiæ partem, illum scilicet utrumque ritum *sequiorum Latinorum figmentum esse*, veluti delirium plane à me alienum repudio, qui toto passim libro duos illos ritus baptismo Tertulliani temporibus jam accessisse confiteor. Neque in eo loco quem Hammondus notavit, d *Confirmationis* simpliciter *ritum*,

c Hamm. c. 1. sect. 1. §. 1. p. 32.

d Dall. de Conf. l. 2. c. 14. p. 209.

Cap. IV. *tum*, sed *Latina confirmationis ritum* dixi esse *figmentum*; id est ejus Confirmationis, quæ apud Latinos pro diuinitus instituto, Ecclesiæque universali communi Sacramento habetur; qualem ego Confirmationem neque apud vetustissimos Christianos fuisse memini, neque apud Anglos nunc esse scio. Hanc in illis verbis fuisse mentem meam, non autem eam, quam vel consulto, vel imprudenter, certe falso mihi affingit doctissimus meus Censor, illa quæ octo vel novem versiculis præcesserunt clarissime docent, ubi eosdem Latinos sic alloquor; *e Vos enim VESTRVM illud NOVVM SACRAMENTVM chrisma & signaculum & consignationem vocatis.* Ita quidem ego. Hammondus vero crisma duplex iam à Theophili Antiocheni, Tertulliano paulo vetustioris, temporibus fuisse vult; unum, baptismi ritum; alterum, Confirmationis, à baptismo seiunctum ac diversum; plane, ut ab Innocentio I. in Decretali ad Decentium epistola constituitur. Manus impositionem Confirmationis, non baptismi, ritum fuisse; Totam denique Confirmationem & quicquid eius est, procul à baptismo disiungit: perinde ut Latini, à quibus hac quidem in parte non videtur alia re differre, quam quod Confirmationem, non ut hi, sacramentum proprie dictum & ab ipso Christo institutum: sed ritum Ecclesiasticum fuisse censet: an ab Apostolis, an vero à primis & proximis eorum successoribus institutum putet, nescio. Quid enim de hoc sentiat, nusquam quod meminerim, diserte docuit.

e ibid.

In primis profiteor totam hanc, quam mihi intendit litem, exigui ac pæne nullius momenti videri. Cum enim id quod ego præcipuum in hac controversia duco, ultro concedat Confirmationem ritum esse merum, non proprie dictum à Christo institutum sacramentum; nihil opus fuit tam acriter, tamque operose, à me contendere ut quod ego facile ei non invitus donarem, sentiat eam fuisse, scilicet ritum à baptismo sejunctum, non quod ego verius existimo, partem baptismi cærimonialem. Id enim, ut ego quidem sentio, aut nihil, aut certe parum interest ad rei summam; Neque è re quidem vel mea, vel illius est, ut hoc potius quam illud constituatur. Latinorum proprie ea controversia est; qui quæ docent de Confirmatione non aliter tueri possunt, quam si eam quid esse constituam à baptismo plane penitusque diversum. Itaque quod res mihi cum iis in illo meo de Confirmatione volumine esset, eo putavi in hoc diligenter incumbendum, ut demonstrarem Confirmationem ad baptismum pertinere, quo videlicet semel posito, prospiciebam totum Latinorum de suo isto sacramento dogma sponte sua corruere. Sed quando viro doctissimo placuit de re, quæ nobis de præcipuo capite consentientibus videtur de cætero vel nullius vel certe perexigui esse sive momenti, sive usus, librum contra me magno studio conscribere; audiamus & expendamus quid in medium afferat, parati verioribus cedere. Ac de chrismatione quidem prius videndum; altera Confirmationis parte. Hanc vir doctissimus multo

quam

quam manus impositionem, fusius ac diligentius tractavit. Ego illum miratus sum in eo libro, quem Ecclesiæ Anglicanæ defensione desudasse vult videri, plura atque accuratiora de eo ritu dixisse, qui plane ab Anglis est abrogatus: de altero, qui unius ab eis in confirmando retentus est, parcius disputasse. Quin & ita interdum agit, ut chrismati, cui me valde *infensum* esse dicit, *f* ipse plurimum favere videatur. Nam & Henrici 8. quod supra diximus, de Confirmatione legem, in qua Chrismatio æque ac manus impositio retinetur, totam inprimis descripsit; & ubi *nudam & solitariam* χειροθεσίαν *ad Confirmationis ritum peragendum abunde sufficere* dixit illico nequid de chrismate secius judicasse putaretur, hanc epanorthosin addit, *Nec tamen quod necessarium non est, statim inter sacrilegia numeramus, nec ab omni supervacanea cerimoniæ sarcina sic horremus, ut aut in fronte aut in vertice inungi contumelia loco ducamus* (Quasi ego scilicet si quid sit non necessarium, id statim sacrilegium censeam, aut pro contumelia habeam quicquid est supervacaneum) Tum pergit; *g Consignent libere per nos licet, Latini Græcique, inungant liniantque, quibus id moris est: Nihil certe culpamus.* Id quidem moris & Anglis ipsis ante reformationem fuit. Sed quod iis sine culpa ut retinerent concedit suus Hammondus, id ipsi mutare & abrogare maluerunt. Hos equidem potius *laudandos.* putarim, quam illos Hammondi Græcos Latinosque *non culpandos.* Rem enim non necessariam quidem, cæterum huiusmodi qua homines abuti facile possent, abdicare nullum damnum est; retinere vero, nonnullum periculum est; ut qui abdicant, caute prudenterque, qui retinent, incaute & oscitanter agere censendi sint quorum illud citra controversiam laudem meretur; hoc si culpa non est, aliquid certe culpæ proximum est. Doctissimos quidē ac sanctissimos Anglicanę Reformationis auctores aliter quam Hammondū judicasse vel ipsum eorum factum docet, qui chrisma quod ille quibusvis Ecclesiis permittit, quod toto hoc adversū me libello studiosissime, etiam quam ipsam manus impositionē fusius atq; accuratius defendit, ex totis suis Ecclesiis sustulerunt. Cur enim sustulerunt, si probabant? Cur inungendi liniendique ritum apud Anglos, quibus ab annis mille & amplius solennis erat, non retinuerunt; si eos quibus id moris est libere *consignare, inungere & linire* jure censebant? si ita instituentes nihil culpandos putabant? Neque vero abnuo, quod subjicit Hammondus, *nobis non licere aut de umbra, aut de cortice, de cærimonia, vel de vocula litem cuiquam, nedum Christianorum cœtui intendere*; An *umbra* sit & *cortex*, quod Latini faciunt, qui in Christianismum, id est in simplicissimam ac divinissimam disciplinam, oleum & balsamum Mosaici tabernaculi res, invehunt, & pro Sacramentis à Christo Domino institutis haberi ac coli jubent, equidem valde dubito; ut illud jam mittam quod his isti ita uti vel abuti potius satis non habent, rectiora monentes cubito pellunt, imo & anathematismis feriunt, igneque & tormentis in eos sæviunt. Longe aliud censit Ioannes ille Rainoldus Decanus, olim

Marginal: CAP. IV.

f Hamm. c. 2. sect. 6. §. 6. pag. 72.

g Ibid. sect. 2. §. 16. 17.

Cap. IV. olim & Doctor in Anglicana Ecclesia, Hammondo nulla re quod reor, inferior censendus; ille Rainoldus *b doctrinæ & omne genus eruditionis gazaphylacium; qui libros omnes legerat; linguas Theologo dignas, omnes callebat; ingenio acer, judicio gravis & maturus, labore magis quam Adamantius, memoria tam stupenda, ut Bibliotheca vera, & Musæum esset ambulans, in omni disciplinarum genere* mirabiliter versatus; ad hæc *virtute, probitate, integritate, pietate, sanctimonia tam illustri, ut Rainoldum nominasse virtutem ipsam laudasse sit*; & quod apud Hammondum quidem caput fuisse videtur) Rainoldus ille & *judicio & praxi Hierarchicus, non Puritanus*; is vir denique *cujus fama & inter bonos doctosque omnes gloria, Latinis frustra ringentibus in dies clarescet occulto velut arbor ævo* (his enim elogiis Theologũ illum incomparabilem merito ornavit Richardus Crakanthorp, laudatissimus & ipse Theologus Anglus) Ille tamen Rainoldus plurimum abfuisse videtur à doctissimi Hammondi sententia, qui de aqua baptismali locutus; *In baptismo* (inquit) *i etiam oleum postea est adhibitum, ut & multa alia ineptiæ. Oleum* illud Hammondinum *ineptiis* accenset. Idem si illud ex V. T. repetitum oleum ea ratione retinere licet, qua id retinendum putant Latini; retinere quoque circumcisionem licere docet; *Si sacra* (inquit) *k unctio aliud figuret* (quam quod sub V. T. significabat) *non minus aliud figurare posset circumcisio. Ergo si retineatur sacra unctio, eodem jure retineri potest circumcisio.* Hæc ille. Tantum autem virum absurdum est putasse eam unctionem ulli permittendam esse, quam *ineptiam* censet, quamque vix aliter retineri posse autumat nisi eodem jure ipsa quoque circumcisio retineatur. Huc & illud accedit, quod perperam vel inducta vel retenta si modo non letalia, ferre decet, si mutare citra grave aut incommodum aut scandalum non possis; fovere nunquam licet, ac ne retinere quidem, si ea melioribus promutandi facultas est. Cæterum qui tam sancte pacem commendat Hammondus, ut nos cum Latinis ne de oleo quidem aut balsamo, quod in Domini Christi Sacramentum provexerunt, litigare patiatur; eum non possum non mirari mecum de re multo leviori tam cupide, tamque acriter certare, ut etiam interdum invidiam conciliare mihi velle videatur.

b Rich. Crakanthorp. Def. Eccles. Angl. contr. M Ant. de Dom. c. 69. pag. 490. ad 496.

i I. Rainold. De L. Apocr. lut. 178. T 2. pag. 793.

k Id. ibidem lect. 1-9. pag. 928.

Quale est, quod me & alios suos quidem consecraneos, sed tamen ab ipso de quibusdam haud sane capitalibus, dissentientes toto passim libro clamitat, *l ὑποθέσει δουλεύειν, partium studio laborare, hypothesi nostræ sollicitius inservire*, & siquid ei audere videmur, id nos audere non dubitat, vel ut *rem hypothesi nostræ gratam faciamus.* Id vero, quod nobis his & aliis locis velut animi nostri plane conscius objicit, quam turpe sit, quamque non dicam Christiano, sed vel honesto ac liberaliter educato homine indignum, nemo nescit eruditus. Nimirum vir magnus, qua judicaverat, ea ita rata, clara, manifestaque apud omnes esse debere existimabat, ut neminem nisi ex aliquo animi studio ac præter propriæ conscientiæ sensũ, contradicere vel contraniti posse putaret.

l Hamm. pa. 18. 97. 173.

Eodem quoque pertinet quod meam de veterum chrismate sententiam *novitatis* non semel incusat, *m* alibi *novitiam hypothesin* vocans; alibi *chrismationem* affirmans * *paucos ante me merum baptismi ritum astimasse*. Fallitur, nisi latet aliqua in verbis *meri ritus* ambiguitas, quibus nihil ego aliud significavi, nisi chrismationem ad baptismum referri ejusque partem vel appendicem esse cærimonialem; non Sacramentum strictè dictum quod ajunt Latini, vel ritum per se & seorsum ministrandum, neque à baptismo dependentem. Hanc enim sententiam scriptores sequuntur non pauci; plures certe, quam Hammondinam, quæ chrismationem Sacramentum proprie dictum negat, neque tamen baptismo adhærere consentit. Calvini verba supra attulimus, quibus eadem se merum de hoc ritu sentire apertissime testatur. Spalatinum, *insignissimum*, quod ait *n* Hammondus, Archiepiscopum, ipse *antesignanum* manu vocat, & alibi *facem mihi in hac materia prætulisse* dicit; Quanquam hic quidem suæ cum conjecturæ fefellerunt. Hanc enim de veterum chrismate sententiam ex ipsis Patrum libris diu ante hauseram, quam Spalatensis de Rep. Ecclesiastica opus vidissem. Mitto quod supra demonstravi ipsos Anglicanæ Reformationis auctores in eadem quoque fuisse sententia videri; Hammondinam quidem hypothesin nusquam eos in toto Precum communium libro posuisse, clarum certumque est. Sed ut hos mittam, certe Cassender, quem profuse laudat *o* Hammondus, eadem quoque ante me erat secutus. Scribit *p* enim diserte *confirmationem chrismatis, quæ per Episcopum fit auctarium quoddam sacri baptismatis habitam fuisse*; & paulo ante dixerat *unctionem chrismatis baptismo haud aliter fere atque calicem Domini, corporis Dominici Sacramento conjunctam fuisse*. Panis autem & calix Domini non duos credo, diversos & procul à sese sejunctos ritus, sed unum idemque Eucharistiæ sacramentum constituunt. Quid Hugonem Grotium, magnas amici nostri delicias *q* dicam? Locum ejus supra *r* descripti in quo ait *s* secundo & deinceps seculis accessisse *baptismo multos rerum imagines* (ita ritus mysticos appellat) *Hinc* (inquit) *exorcismi, hinc ephphata, hinc insputatio, hinc & oleum*. Tum paucis interjectis, *Non satis id visum posteris, nisi & fragrantiori quadam unctione ostenderent Christianos à Deo lectos & Reges Sacerdotes. Itaque hæc unctio, nec ulla alia subsequens, baptismo accessit, apud Græcos perpetuo, & nunc etiam; in Occidente diu*. Vides unctionem utramque, alteram ex oleo, ex chrismate alteram, & quidem hanc absque ulla alia subsequente seorsum ab Episcopo ministranda; in iis quæ baptismo apud veteres secundo & deinceps seculis accesserunt, æque à Grotio numerari, ac *exorcismos, ephphata & insputationem*. Ergo vel hæc in baptismi cærimoniis non numeravit Grotius, vel in his etiam chrismationem (quod verissimum est) censuit. Idem in alia epistola *t* unctionem non manuum impositionis, sed baptismi comitem, *ITIDEM*, *ut mellis & lactis gustationem & alia*, quæ secundi seculi dicit esse ἐπινοήματα. Quam unctionem negat manus impositionis esse comitem, id est chrismationem,

CAP. IV.
m Id. cap. 3. sect. 1. §. 24. pag. 92.
* Ibid. cap. 3. sect. 4. §. 4. pag. 98.
n Ibid. cap. 5. sect. 2. §. 6. pag. 159.
o Ibid. cap. 6. sect. 1. §. 15. pag. 134.
p Cassand. scholastic. in hymn (ultor Dei &c. pa. 218. med.
q Hammon. Præf Notar. in N. T. Anglic.
r Supr. Li. 1. cap.
s Grot. epist. ad Gall. epi. 146 pa. 400.
t Id. ibidem. p. 158. p. 432.

chrismationem, eandem baptismi comitem esse statuit; & quidem itidem, ut mellis & lactis gustationem, quam omnes in baptismi, nemo in manus impositionis, sive benedictionis cærimoniis censent, æque ac illa alia secundi seculi quæ Grotius addit ἐπιφωνήματα. Id ipsum quoque eum sensisse ex iis validissime conficitur, quæ paulo post de istis ab Ecclesia repertis, adeoque de chrismatione dicit, *ea* scilicet *symbolicis actionibus mandatum Christi habentibus coniungi*. Nam cum manum baptizatis ad confirmandum imponere, actio sit, quæ nullum habet, Hammondo ipso annuente, Christi mandatum; Catechumenum autem baptizare disertissimum habeat Christi mandatum, Grotium necesse est, qui res ab Ecclesia repertas actionibus symbolicis, mandatum Christi habentibus conjungi docet, chrismationem, non quod capit Hammondus, manus impositioni, sed quod ego credidi, baptismo conjungendam esse putasse.

Scriptorum extremæ antiquitatis, id est eorum qui septimo seculo, & deinceps ad undecimum & duodecimum vixerunt, plærorumque eandem fuisse sententiam, nos & in opere de Confirmatione nostro fuse jam ostendimus, *u* & mox paucis inde repetitis breuiter indicabimus. Nunc unum ex eo numero in superiori de baptismi cærimoniis disputatione laudatum, Valafridum Strabonem appellare satis erit, qui chrismationem, qua confirmantur neophyti, ad baptismum pertinere his verbis satis docet, *x* ubi *mystici lavacri* (id est baptismi) *celebrationem in maius gradatim per temporum augmenta crevisse* præfatus, *Addiderunt* (inquit) *alij chrismatis unctionem, quam ex veteri sumptam consuetudine nemo, qui dubitet, cum primis temporibus impositione manuum baptismum confirmari soleret.* Sed nos istorum auctoritatem eo tantum adducimus, ut amico noviciam hanc esse nostram de chrismatione sententiam, paucosque eam ante nos secutos esse objicienti satisfaciamus, & invidiæ, quæ nobis plærumque incumbit, occurramus. Si rem ex superioribus ante noni seculi scriptores, auctoribus aliter se habuisse demonstraverit, cedemus. Quæ autem ex iis attulit, ducto ab antiquissimis initio singulos pro eorum ævo considerabimus. Hunc enim ordinem, quem nos in disputatione de Confirmatione rerum ipsarum ingenio consentaneum, adeoque commodissimum, secuti eramus, cur amicissimus iuxta, & doctissimus Hammondus aspernatus sit, ima summis, & utrisque media passim permiscens, nondum satis intelligimus.

u l.3. de Cōfirm. c.9. & seqq.

x Val. Str. de reb. Eccl. c.26.

CAPUT V.

Refelluntur duo quæ iam Hammondi ad suam causam magni momenti ut loquuntur supposita, quorum prius est chrisma olim aliquot post baptismū annis dilatam fuisse. Asseritur quod verum est, solenne fuisse tinctos statim chrismari, multis Tertulliani, Pseudo-Iustini

Iustini, Cyrilli Hierosolymitani & aliorum ad undecimum seculum Patrum testimoniis. Neque post baptisma dilatum fuisse chrisma, nisi per accidens ob aliquam necessitatem; ut in Clinicis, & iis qui à Diacono vel laïco tincti erant, fieri solebat. CAP. V.

VErum antequam quid quisque scriptor de sui ævi in hoc negotio sensu & usu testetur, sigillatim consideremus, primo duo quædam *evertenda* sunt, quæ doctissimus Hammondus clanculum magna arte passim in diversis disputationis suæ locis serit, ac ut in scholis loquuntur, *supponit* confidenter, nusquam vero demonstrat, imo ne demonstrare quidem quod meminerim, uspiam aggreditur. Quorum hoc prius est, quod narrat nobis veluti sua luce notum, veteres quos baptizabant, non statim post tinctionem vel chrismate vel manus impositione confirmasse; sed interjecto aliquo insigni inter lauacrum & confirmationem temporis spatio; maxime si parvuli essent, necdum ejus ætatis, quæ catecheseos & instructionis esset capax. Alterum vero quod ca llide itidem hic & illic passim velut aliud agens, tanquam per se satis probabile incautis & inexpertis lectoribus credendum propinat, illud est, quod parvulorum longe alia olim, quam adultorum baptizatorum ratio fuerit; Hos statim, illos non post plures à baptismo annos, confirmari solitos. Hæc duo veluti præcipua sui erroris principia passim ponit, repetit, inculcat; Ex his nostras pæne omnes objectiones dissolvit; in his totius causæ arcem ac præsidium collocat; Itaque hæc si semel explicata atque illustrata fuerint, magna omnino lux in totam hanc disputationem nostram inferetur. Vt autem utraque hæc quæstio decidi, & quæ fuerit utriusque illius ritus ratio ac natura pernosci possit, ab ipsa origine repetenda est; id est à Tertulliani temporibus, ante quem plane nulla occurrit in libris vel divinis vel Ecclesiasticis chrismatis aut manus impositionis post baptismum solennis mentio. Iam vero Tertullianus, auctor diligentissimus, in libro de baptismo, statim post tinctionem primo unctos, unctis inde manum continenter impositam tradit. *y* Postquam de ipsa tinctione dixit; *Exinde* (inquit) *egressi de lavacro perungimur benedicta unctione.* Vbi de unctione absolvit, statim, *Dehinc manus* (inquit) *imponitur.* Pseudo Clementis Apostolicæ Constitutiones in baptismi officio, peracto lavacro, *Post hoc* (inquiunt) *z Episcopus baptizatos unguento ungat.* μετὰ τοῦτο ὁ ἐπίσκοπος χριέτω τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ. Iterum alibi Episcopum unaque presbyterum idem scriptor alloquens; *a Unges* (inquit) *prius oleo sancto, deinde baptizabis aqua; postremo signabis unguento,* χρίσεις πρῶτον ἐλαίῳ ἁγίῳ. ἔπειτα βαπτίσεις ὕδατι. καὶ τὸ ὕστερον σφραγίσεις μύρῳ. Denique eadem alio quoque loco inculcat, ita de ministro sacramenti præcipiens sive is Episcopus sive presbyter fuerit, *Postea ubi eum in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti baptizaverit, ungat unguento.* βαπτίσας αὐτὸν ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ

y Tertull. de Bapt. c. 7. 8.

z Const. l. 3. 16.

a Ibid l. 7. c. 28.

Cap. V. ἁγίου πνεύματος, χρίονται μύρῳ. Pseudo - Iustinus; *b Iis quæ ante dicta sunt symbolis in piscina sive in baptisterio peractis, unguento post illa consignamur*, id est non ante sed demum post illa peracta. Hoc enim vult, ut res indicat, τὰ προλεχθέντα ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ τελέσαντες σύμβολα τῷ μύρῳ σφραγιζόμεθα ὕστερον. Cyrillus Hierosolymitanus in Homiliis de horum rituum administratione ex instituto scriptis; *c Vobis ex sacris* (inquit) *lavacri aquis ascendentibus datum est chrisma.* καὶ ὑμῖν ὁμοίως ἀναβεβηκόσιν ἀπὸ τῆς κολυμβήθρας τῶν ἱερῶν ναμάτων ἐδόθη χρῖσμα. Quem verum ordinem cum eo comparat, quo Spiritus sanctus in Christum descendit statim ut è Iordanis lavacro ascenderat; idemque plærique sive omnes Patres secuti sunt, Hilarius, Optatus, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Beda, Theophylactus, &c. quod unum invicte demonstrat hunc verum, legitimum ac ut sic dicam, *naturalem* horum rituum ordinem fuisse ut tinctionem confirmatio statim atque è vestigio exciperet, ut columba in Christum statim post lavacrum advolavit. Hilarius postquam ordinem enarravit quo Christus primo totus, dein advolante in columba Spiritu unctus, postremo Dei Filius de cœlo renuntiatus fuerit, *ait ita DISPOSITI in nos sacramenti imaginem ipsis rerum effectibus à Veritate præfiguratam esse.* Sic etiam Optatus in Christi apud Iordanem baptismo dicit *e* baptismatis nostri mysteria non modo *initiata, & impleta*, sed etiam *ORDINATA* fuisse, & in his mysteriis disertissimè censet *chrismationem & manus impositionem.* Quo ergo *ORDINE* decurrerunt illi ipsi *rerum in Christo effectus*, eodem administrabantur in Ecclesia illa neophytorum mysteria; eadem erat *sacramenti dispositio.* Iam & Evangelistæ narrãt, & Patres tradunt in Christum Dominum simul atque baptismum à Ioanne suscepit, absque mora repræsentatum in columba Spiritum advenisse, statimque vocem de cœlo sonuisse, *Hic est Filius meus, in quo complacui.* Id Matthæus & Marcus diserte significaverunt. *f* Hæc enim Marci verba; Καὶ εὐθέως ἀναβαίνων ἀπὸ τοῦ ὕδατος εἶδε σχιζομένους τοὺς οὐρανοὺς &c. ita sunt accipienda quasi dixisset, Καὶ ἀναβαίνων ἐκ τοῦ ὕδατος εὐθέως εἶδε &c. *Et ascendens de aqua, statim vidit cœlos apertos & Spiritum tanquam columbam descendentem.* Maldonatus ad hæc Matthæi verba, *g Baptizatus Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli*, id ipsum acute profecto hæc vere observavit. *h existimo* (inquit) *traiectionem esse, quales multos in novo præsertim testamento animadvertimus, & illud* statim *aut confestim, non ad verbum ascendit, sed ad id quod sequitur referendum; aut sic esse verba copulanda,* statim *ut baptizatus est, ita ut vix è flumine ascendisset, aperti sunt ei cœli. Hunc esse sensum apparet & Marco.* Et statim, *inquit*, ascendens & aqua, vidit cœlos apertos, *id est statim ut ascendit, vidit. Ratio quoque docet hunc esse sensum. Nam ut diceretur Christum statim post acceptum baptismum à flumine ascendisse, nulla caussa erat. Quis enim dubitasset? aut quid iam baptizatus Christus in flumine fecisset? Ut autem diceretur statim post baptismum & excessionem è fluvio apertos vidisse cœlos, non solum utilis, sed etiam necessaria causa erat. Voluit* enim

---

b Iust. Quæst. & Resp. Q. 137.

c Cyrill. Hier. Catech. 3. Myst.

d Hilar. in Matth. Can. 2. extr.

e Optat. l. 4. p. 81.

f Marc. 1. 10.

g Matth. 3. 16.

h Maldon. in loc.

enim Evangelista docere caleste illud divinumque testimonium ita cum baptismo nulla interposita mora fuisse coniunctum, ut nihil aliud expectasse videatur Deus, ut testimonium de Christo suum exhiberet, nisi ut baptismus & Ioannis praecederet testimonium. Debuit enim hominis Deus, non Dei homo testimonium confirmare. Hæc Maldonatus optime. Evangelistis succinunt Patres; imo id nominatim observant, cum de mysteriorum, quibus neophytos initiabant, ad Christi baptismum ratione verba faciunt. Optatus; *i Lotus* (inquit) *cum in Ioannis manibus haberetur. Secutus est ordo* mysterij &c. *Spiritale oleum STATIM in imagine columbæ descendit.* Hieronymus. *k Statim* (inquit de Christo) *ut caput extulit de fluento Spiritum Sanctum accepit.* Quorum ergo mysteriorum ordinem ac dispositionem Christum his ita gestis præfiguravisse testantur Patres, ea sic disposita atque ordinata fuisse necesse est, ut baptismum *STATIM* exceperit chrismatio & manus impositio. Alioqui fallax fuisset eorum in Christi baptismo observata à Patribus imago; cui scilicet res ipsæ haud quaquam congruerent, sed potius repugnarent, si quod nobis persuasum cupiebat doctissimus Hammondus, lavacrum chrisma, non statim, ut in Christi apud Iordanem gestis expressum erat, sed longo post annos non paucos intervallo secutum esset. Sed age, institutam de horum administratione testimoniorum seriem pertexamus. Post Cyrillum Theodoretus eadem loquitur quæ supra memorati Patres: *In sacra* (inquit) *mystagogia qui initiantur post tyranni abnegationem & Regis confessionem* (adeoque post baptismum) *spiritualis unguenti unctionem suscipiunt.* Hæc ille: quæ tu frustra aliter interpreteris, quam ut unguentum illam Regis confessionem, adeoque baptismum, statim exceperit: non ut in aliud tempus post annos aliquot dilatum fuerit. Res eodem ordine apud magnum illum veteris hierarchiæ Ecclesiasticæ hierophantam Pseudo-Dionysium peraguntur. *m* Baptizatur neophytus. Baptizatum hierarcha *divinissimo unguento consignat*; non in aliud tempus consignandum rejicit. Cæterorum Græcorum eadem plane vox atque ratio est. Ioannes Damascenus chrisma in multos vel etiam in paucos post lavacrum annos adeo non differt, ut *in ipso baptismate oleum assumi* dicat, *n Christos nos efficiens*; quo illud etiam cum cæteris refert, *quod Spiritus Sanctus* specie corporea veluti columba, in Dominum descenderit, *primitias* (inquit) *nostri baptismatis demonstrans.* Occumenius: *o Accepistis* (inquit) *per baptismum unctionem sacram, & per hunc Spiritum, qui in omnem veritatem deducit.* Quo illud quoque pertinet, quod idem alibi dicit *nos in baptismo fieri manuum impositionem & signaculum σφραγῖδα*, id est chrismationem. Qui quæso *in baptismo* vel *per baptismum* hæc fiunt, si multis demum interjectis post eum annis administratur? Photij quin fuerit eadem sententia, dubitari non debet, quem scilicet videmus contra Latinos chrismandi jus presbyteris acerrime vindicantem; *p* ut à quibus baptismus ministratur, ab iisdem ungi statim possent, quoscunque baptizarent. Mansit apud Græcos & sequentibus seculis ad hodiernum diem eadem

CAP. V.

i Opt. l. 4.

k Hier. adv. Lucifer.

l Theodoret.

m Dionys. Hier. Eccl. c. 2.

n Damasc. l. 4. de fid. Orth. c. de bapt.

o Oecum. in 1. Ioan. 2. p. 574. d. Et in Eph. 4. 10. Et in Hebr. 6 p 353.

p Phot. Ep. 2.

Cap. V. eadem traditio, idemque usus. Simeon Thessalonicensis; q *Qui baptizantur fideles* (inquit) *hoc unguento IN BAPTISMATE debent inungi* οἱ βαπτιζόμενοι πιστοὶ τούτῳ ὀφείλουσι χρίεσθαι τῷ μύρῳ ἐν τῷ βαπτίσματι Quin & Latinos nostros graviter ac nominatim reprehendit; *quorum* (inquit) *infantes sine signaculo imperfecti remanent, dum gratiam Spiritus Sancti non consequuntur, neque Christi nota consignantur.* Quinetiam Harmenopulus eo progressus est, ut τὸ μύρον id id confirmationis chrisma, partem esse affirmaverit r *divini baptismatis*; non adeo post baptisma differendum; nisi partem, quod est absurdissimum, extra id, cuius pars est, collocandam putes. In Euchologio, communi totius gentis Rituali, nulla uspiam, nisi statim à baptismo chrismatio occurrit: s quo loco in ipso baptismi officio exhibetur: ubi post expositum lavacrum, de sacerdote loquens pergit, *Et post orationem, baptizatum* (inquit) *sancto unguento* ungit. Qui Græcorum Ecclesias norunt, sciunt earum praxin huic traditioni congruere: neque apud eas quemquam solennem baptismum suscipere, quin idem quoque simul atque sacro lavacro tinctus fuit, chrismate exemplo, nullaque interposita more inungatur. Apud Latinos ut in cæteris religionis partibus, sic & in his ritibus, multa sensim cum tempore mutata fuisse constat: non sic tamen, quin hic chrismatio statim post baptismum conferendi usus ultra annum Dom. 1000. manserit, neque apud eos nisi sero, aboleri potuerit, quo tempore Papæ in Ecclesiam Occidentis potestas eo surrexerat, ut omnia hujus unius voluntate, non ut olim, communibus totius Christianismi legibus, Synodorum-ve decretis ac constitutionibus regerentur. Optati ævo, id est jam adulto quarto seculo, chrisma & manus impositionem baptismo statim & ἀμέσως successisse jam præstruximus. In Romani Episcopi parœcia morem quinto seculo ineunte fuisse, ut non alius quam Episcopus baptizatorum frontem chrismaret, Innocentii epistola ad Decentium docet; sed ita tamen ut eos in alia, præter frontem corporis parte, Presbyteris chrismare liceret; idque à Sylvestro centum ante Innocentium annis jam decretum fuisse tradit libri Pontificalis auctor, cui doctissimus Hammondus parum fidebat. Sed illa lex diu non alibi quam Romæ, & in urbis si forte vicinitate obtinuit; Alibi ut in Gallia, ut in ipsa Sardinia, insula pæne suburbana, neglecta est. Certe Gallos nostros illam à Presbyteris ministratam unctionem eodem loco ac numero habuisse, quo Episcopalis censebatur, inde apparet; quod baptizatos semel tantum chrismari decreverunt; neque alios Episcopum seorsum chrismare jusserunt quam qui quacunque faciente necessitate, à Presbyteris chrisma, dum baptizarentur, minime acceperant. Eandem diu fuisse de presbyterali chrismatione posterorum sententiam patet tum ex Barcinonensi Synodo ann. Dom. 599. habita, quæ neophytos chrismate presbyterali confirmari docet, t quod ipsum quoque diu postea sensisse Valafridum Strabonem inde perspicitur, quod eos solos, qui vel à Diacono, vel quolibet

q Sym. Thessal. apud Arcad. Lib. 2. c. 20. p. 107.

r Harmen. Scholast. in Can. Ap. 47.

s Euchol in off. bapt. pa. 356.

t Syn. Barci cap.

libet alio homine (laïco scilicet) baptizati essent, *confirmatione* carere putaverit; *v* à presbyteris adeo chrismatos pro vere *confirmatis* censuerit. Secundo idem ex Beda constat, qui presbyteralem chrismationem eandem esse cum Episcopali diserte scripsit *x* circa octavi seculi initia. Denique idem vincit aliorum plærorumque opinio de causa, qua Sylvestrum eo adductum fuisse tradunt, ut presbyteris baptizatum chrismare permitteret; nimirum ne quisquam baptizatus *sine Spiritus Sancti participatione*, *alienus à Christo moreretur*; ut apud Rabanum & alios ejusdem seculi & census videre est, à nobis in opere de Confirmatione *y* nostro, laudatos & descriptos. Itaque ne illa quidem sive Sylvestri, sive Innocentii de Confirmatione uni Episcopo, attributa lex prohibuit, ne qui baptizati essent statim post tinctionem iidem chrismarentur, vel ab Episcopo, vel certe ab eodem illo presbytero, à quo tincti erant. Vnde videmus apud veteres Latinos utrumque ritum simul fuisse ministratum, ita ut qui totus erat statim chrismaretur. Auctor libri *de iis, qui initiantur mysteriis*, descripto baptismi ipsius ritu; *z* *Post hac*, inquit, *utique ascendisti ad Sacerdotem. Considera quid secutum sit. Nonne illud, quod ait David Sicut unguentum in capite*, &c. Paria scribit auctor librorum de Sacramentis, qui sub falso Ambrosii nomine circumferuntur. Nam & ipse baptismi ritum exsecutus; *a Ergo* (inquit) *mersisti: Venisti ad Sacerdotem. Quid tibi dixit? Deus, inquit, pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam. Vide ubi unctus es? in vitam* (inquit) *æternam.* Eorundem rituum ordinem diligenter quoque est persecutus auctor sermonum, quos cum XL. Augustinianis Sirmondus edidit; *b Impleto* (inquit ille) *baptismate caput vestrum chrismate, id est oleo sanctificationis infundimus, per quod ostenditur baptizatis regalem, & sacerdotalem conferri à Domino dignitatem.* Eadem Gregorius exhibet in *c* suo Sacramentorum libro, ubi chrismationem & manus impositionem statim post lavacrum à Pontifice ministratam baptizatis videre est. Gregorii æqualis Isidorus Hispalensis: *d Ideo* (inquit) *post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur.* Mox: *Post baptismum datur Spiritus Sanctus cum manuum impositione.* Sed neque ex densa illa scriptorum nube, qui octavo seculo, & deinceps, ritus Ecclesiasticos fuse tradiderunt atque exposuerunt, quemquam facile reperies, qui chrismatis & manus impositionis ritus non statim post baptisma neophytis administratos exhibeat. Ita Theodulphus Episcopus Aurelianensis, in libro de ordine baptismi, de chrismatione & manus impositione sic agit, veluti de *e* *cæteris baptismatis Sacramentis* id est sacris ritibus; neque ullum eius ritum diligentius aut fusius, quam hos duos, explicat, utrumque statim post lavacrum, & vestem candidam tractans. Sic Alcuinus circa eadem tempora; *f Novissime* (id est cæteris baptismi ritibus, quos descripserat, impletis) *per impositionem manuum à summo sacerdote septiformis gratiæ spiritum accipit* (baptizatus scilicet) eademque verba repetit in epistola LXX.

CAP. V.

v Valafri de reb Eccles. cap. 26.

x Bed. in psal. 26.

y Libr. 3. de Confirmat. ca. 13. p. 3, 1. 392. &c.

z Ambro. de iis qui init. myst. cap. 6.

a Id de Sacram. Lib. 2. cap. 7. extr.

b Serm. 2. in Append 40. serm. Aug.

c Sac. Greg. Tit. Sabb. S. hora octava.

d Isid. de off. Eccl. Lib. 2. cap. 25. extr. & 26. in

e Theod. de Bapt. ordin. c. 15. 16. 17.

f Alcuin. ep. ad Oduin. Pag. 1151.

Cap. V. Magnus Senonensis cum cæteris ejusdem provinciæ Episcopis ad Carolum Magnum à Sirmundo ex Ms. Corbeiensi descriptus; *Peractis omnibus baptismatis sacramentis novissime per manus impositionem à summo sacerdote septiformis gratia spiritum accipiunt, ut corroborentur in fide recta per Spiritum Sanctum.* Eadem tradit *h* Amalarius Fortunatus qui de baptismo & inde de confirmatione sub eodem titulo agit: Quia & per *manus impositionem accipere nos* dicit *baptismum ignis.* Neophytum id est recens baptizatum esse cui manus imponitur, ipse capiti præfixus titulus docet, *de impositione manus Episcopi super neophytum.* Neque aliter Rabanus Maurus: *i Postquam* (inquit) *ascenderit baptizatus de fonte, statim signatur de cerebro à presbytero cum sacro chrismate.* Absolutis baptismi ritibus ex neophyto corporis & sanguinis Domini perceptione confirmato, *k Novissime* (inquit) *à summo sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur Spiritus Sanctus.* Et mox: *signatum* quoque *in fonte ab Episcopo* fuisse dicit. Hic vides plane contra veterem disciplinam primo Eucharistiam (quod absurdissimum est) ante manus impositionem & chrismationem dari: secundo eundem hominem bis chrismari, semel à presbytero, iterum ab Episcopo, præter antiquos Ecclesiæ Gallicanæ canones: tertio neophyto Episcopum manum ante imponere, quam chrisma ministrare: chrisma demum post manum impositam conferre: quod ex priscorum moribus perversissimum ac pæne prodigiosum est. Sed illi tametsi tam secure tamque turpiter à majorum institutis descivissent, hoc tamen arcte retinent, quod chrisma, quod manus impositionem statim post baptismum neophytis conferunt. Horum gemina tradit scriptor operis de divinis officiis, Alcuino cui nomen mentitur, annis minimum ducentis junior. Atqui is ipse clarissimum, nobis atque disertissimum testimonium exhibet. Descripto enim baptismo monet postquam infans tinctus fuerit, & à presbytero in vertice unctus, ac denique vestitus, *l Si Episcopus* (inquit) *adest, STATIM confirmari oportet, cum chrismate, & postea communicare: & si Episcopus deest, communicetur à Presbytero, dicente ita, Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam. Amen.* Ordo Romanus, qui liber doctis viris non videtur ante annum Dom. 1000. scriptus, eadem cum pseudo-Alcuino docet. *m* Pontifex enim: qui in eo sacris præsens inducitur neophytos, ubi baptizati sunt, & post tinctionem ibidem à presbytero in vertice chrismati, omnes stola candida, & chrismate & decem siliquis donat: vestitos vero statim imposita primum manu, mox fronte etiam chrismata omnes confirmat: neque eorum quemquam in aliud tempus, confirmandum differre cernitur. Quinimo ambos illos ritus non differri, sed statim post collatum baptismum adhiberi eo ipso satis aperte præcipit, quod eos exsecutus, *Hoc autem* (inquit) *omnino præcavendum est, ut non negligatur; quia tunc omne baptismum legitimum Christianitatis nomine confirmatur.* Idem cavet Isaac Lingonensis; *n Ut omnes* (inquit) *maximam curam habeant, ne sine Confirmatione Episcopi*

g Sirm. Antirrh 2. ca.7. pag. 56.

h Amal. L. 1. de Eccl. off. cap. 27.

i Rab. de instit. Cler. L.1. cap. 28.

k Ibid. c.20.

l Alcuin. de offic. divin. cap. de Sabb. S. T 1. Bibl. PP. p. 257. c.

m Ord. Rom. de div. offic. T. 10. Bibl. Patr. pag 83. A. B.

n Isaac Ling. Tit 11. ca.11.

scopi

scopi quis vitam finiat, animaque periclitetur; Idem in Ansegisi Capitulari *o* habetur. Simile est Aquisgranensium Patrum decretum; *p* *Presbytero curandum nequis sine baptismo moriatur. Post acceptum autem sacrum baptisma sine manus impositione Episcopi non remaneat.* Denique ita illis temporibus etiam apud Latinos solenne erat, ut qui baptizarentur, iis simul quoque manus imponerentur, ut Haimo Halberstatensis scripserit *q* *Spiritus Sancti donum dari in baptismate per impositionem manus Episcoporum.* De chrismate eadem quoque alibi dicit: *r* *Christianum* (inquit) *nomen in sacro baptismate per sacri chrismatis unctionem suscepimus. In baptismate*, inquit. Qui pote, si Christianis & chrisma & manus impositio, non statim post lavacrum, sed multis post id susceptum annis ministrabatur? Ac ne quis hunc morem nono seculo imputet, quo Ecclesia à prisca Christianismi disciplina multum sublapsa erat: apparet eundem fuisse etiam vetustissimorum Patrum usum. Non possunt aliter accipi, quæ quarto seculo adulto decreverat Laodicena Synodus, *s* *Quod eos, qui illuminantur oportet post baptisma ungi cœlesti chrismate & participes esse regni Christi.* Volunt qui initiantur non tangi tantum, sed tinctos statim ungi. Quo & illud Cypriani vetus dictum pertinet: *t* *Ungi quoque NECESSE est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate id est unctione esse unctus Dei & habere in se gratiam Christi possit.* Nimirum ungi eodem, quo baptizati erant, tempore nos, usus & disciplina veteris illius Ecclesiæ erat. Ita Cornelius de Novatiano, qui in lecto ob gravem morbum perfusus tantum erat, cæteris solennibus scilicet baptismi ritibus & Episcopali nominatim consignatione caruerat, ait *v* eum *in lecto, in quo decumbebat, fuisse quidem aqua circumfusum, cætera vero, consecutum non fuisse, quæ secundum Ecclesiæ canonem participare OPORTET neque ab Episcopo consignatum esse.* Ergo jam tum canon Ecclesiæ hic erat, ut qui solenni, legitimoque baptismo initiabantur, simul ac tincti erant, ea quoque quæ illis temporibus solennia erant, susciperent: lac & mel verbi gratia prægustarent, ungerentur, & manu imposita benedicerentur. Denique, ut sit finis, solenne apud nostros quinto seculo fuisse nequis quoad quidem ab illis fieri poterat, baptizaretur qui non idem quoque statim à lavacro chrismaretur, apertissime docet ille Synodi Arausicanæ I. canon secundus, *x* in Arelatensi *y* post annos undecim Synodo iterum promulgatus. *Nullum ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate usquam debere progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem, qui in baptismate, quacunque necessitate faciente non chrismatus fuerit in Confirmatione sacerdos commonebitur.* Hæc illi. Confitetur doctissimus Hammondus quod hinc clarum est, hanc ipsam chrismationem tametsi ab alio quam Episcopo ministratam, eiusdem tamen cum Episcopali ordinis ac census fuisse, hoc est confirmationis, non baptismi partem fuisse. Atqui hanc statim post baptismum ministrari tum solitam, hinc clarissimum est. Quorsum enim, si alius mos erat, tam sollicite cavent illi Patres ne legitimi baptismatis ministri

CAP. V.

o Anseg. Capitul. Lib. 6. cap. 81.
p Concil. Aquisgr. 2. De mor. inf. ord. cap. 5.
q Haimo in Hebr. 13. extr.
r Idem in Lam. Hiero. inter Hier. opera fo. 158.
s Cõc. Laod. cap. 48.
t Cyprian. epist. 70.
v Corn. apud Eus. Histor. L. 9. cap. 43.
x Concil. Arausl. cap. 2.
y Concil. Arelat. an. D. 452. cap. 27.

Cap. V. ministri usquam sine chrismate progrediantur, nisi ut quoscunque baptizabant, eosdem quoque chrismarent? Annon præpostera & insana fuerit istorum qui ita præcipiunt, sapientia si ad baptismum nullo chrismate opus fuit? Sed & qui ita, ut isti, loquuntur, *siquis in baptismate quacunque faciente necessitate non chrismatus fuerit*, ii profecto negant extra aliquam necessitatem ullum baptizatum fuisse, qui non idem chrismaretur; aiunt omnes, qui baptizabantur, nisi aliqua prohiberet necessitas, chrismari quoque statim post baptismum debuisse. Si chrisma solenne erat ad plures post tinctionem annos differri nemo non videt in hoc Patrum sermone, qui *quacunque necessitate faciente in baptismate non fuerit chrismatus*, non modo frustra & inaniter, sed etiam inepte ac ridicule illa verba esse addita, *quacunque necessitate faciente*. Si cum Hammondo sensissent chrismationem & manus impositionem per se & sua natura seorsum à baptismo & post aliquot ab eo suscepto lustra esse administrandas, plane contra quam locuti sunt, dixissent, *De eo autem qui in baptismate, quacunque faciente necessitate, chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdos commonebitur*, ne scilicet eum rechrismaret; quod illi fieri vetabant, qui semel chrismari placere sibi edicunt. Ex his ni fallor satis superque intelligitur hunc fuisse apud veteres jam à Tertullianeis temporibus solennem, perpetuumque ac legitimum usum, ut qui baptizabantur statim, ut erant tincti chrismarentur, atque eis deinceps manus imponeretur; idque etiam nono ac decimo seculo mansisse, tametsi contra priscæ disciplinæ jus ac institutum, chismatio Episcopalis post ipsam Eucharistiæ sumptionem differretur. Id enim minime prohibuisse videmus, quin eodem die quo erant baptizati manus iis imponeret & chrisma ministraret Episcopus, continuato simul ac semel horum trium mysteriorum ordine. Fateor præter statum illum legitimumque morem, quosdam fuisse duntaxat baptizatos; dilata in aliud tempus chrismatione & manus impositione; sed raro, neque absque necessitate id factum ob intercurrentes aliunde causas. Vt cum morbus urgeret, neque pateretur catechumenum vel instrui, vel in eo ritus illos omnes suo quemque ordine solenni more explicari, ac peragi; tum ille subito, ne intinctus moreretur, in lecto perfundebatur absque cæteris ritibus, quos tamen si præter spem evaderet ac superesset ei, postea adhiberi, & quod omissum erat suppleri curabant; quod genus *Clinicos* vocabant: qualis Novatiani, de quo nuper dixi, baptismus fuerat. Sin perfusus moreretur, nequaquam ei fraudi esse putabant omissos tali tempore chrismatis & manus impositionis ritus. Nota est Cypriani de talibus sententia z *aspersionem iis ad salutē satis esse; dantisque & accipientis fide integra stare omnia & consummari ac perfici posse majestate Domini*; *Mea*, inquit, *sententia hæc est, ut Christianus judicetur legitimus, quisquis fuerit in Ecclesia jure & lege fidei divinam gratiam consecutus*. De illis similis quoque sensus Eliberitani Canonis; a *Quod si ante de seculo recesserint, sub fide, qua quis crediderit, poterit esse justus*. Ad hunc quoque

z Cypr. epist. 76. pag. 172.

a Cōc. Elib. can. 77.

quæ locum pertinent, qui instante quocumque periculo compulsi, pro- CAP. V.
perato laici manu officio tincti erant, quorum eadem erat ut omnes vident, cum Clinicis ratio. Ad hanc alia postea accessit à ministro necessitas, in iis locis quibus chrismandi & manus imponendi ius presbyterorum & si forte etiam Diaconorum antea commune, unis Episcopis attribui placuit. Tum enim si quem, tametsi cætera ad suscipiendos illos ritus probe paratum, baptizari à Diacono vel presbytero, absente Episcopo, contingeret, ei ut liquet, ministri penuria necessitatem chrismate & manus impositione, eo quo baptizabatur tempore, carendi afferebant; quæ tum omissa fuerant, illa postea ubi Episcopi, copia erat, resarciebantur, ac explebantur. Extra has causas, antiquum rerum ipsarum jus obtinebat, ut baptismum statim chrisma & manus impositio exciperent. Vnde liquet, quod aliter in paucis illis, de quibus diximus, caussis factum fuit, id non per se & ex rerum natura, primarioque Ecclesiæ antiquæ instituto, sed ut in scholis loquuntur *per accidens* factum esse; adeoque, vehementer falli, & à veteri prisci Christianismi jure immaniter aberrare doctissimum Hammondum, quo loco absque ullo vel auctore vel teste comminiscitur quod baptizati in solennibus Paschæ & Pentecostes vigiliis chrisma & manus impositionem susciperent, id per accidens factum esse, quod istic ob diei solennitatem præsens adesset Episcopus; quem fingit [b] oblata ea occasione *ne sibi*, inquit, *duplex negotium facesseret, aut plebi inferret*, baptizatos insuper eadem opera confirmasse. Commenti absurditatem satis arguunt, quæ supra attulimus Patrum testimonia, baptizatos necessario ungi præcipientium, neque chrisma à baptismo, nisi aliqua faciente necessitate, divellendum esse docentium. Id optime vidit Cassander, vir Hammondo inprimis laudatus ac probatus, qui rem totam paucis perspicue tradidit; [c] *Antiquitus* (inquit) *consuetudo fuit, ut in solenni baptismatis celebratione* (*quæ de nocte in Paschæ & Pentecostes vigiliis peragebatur*) *baptizati MOX à Presbytero in vertice, ac DEINDE ab Episcopo in fronte sacrato chrismate consignarentur, ac tandem corpore & sanguine Domini confirmarentur. Itaque unctio chrismatis Baptismo HAVD ALITER fere atque calix sanguinis Domini, corporis Dominici sacramento conjungebantur. Ita enim sacramenta enumerant Gregorius, Isidorus, Rabanus.* Sunt autem Sacramenta, Baptismum & chrisma, Corpus & sanguis. *Et quemadmodum baptizati chrismate ab Episcopo confirmari; Ita quoque qui corpus Domini acceperant, ab Episcopo, Presbytero vel Diacono calice Sanguinis Domini confirmari dicebantur*; quod ubi paucis ex Ordine Romano docuit, & *Confirmationis* vocabulum utriusque actionis, id est unctionis chrismatis, & dispensationis sanguinis commune fuisse ostendit; *Tametsi autem* (inquit) *chrisma baptismo, item ut sanguinis Sacramentum Saramento corporis jungebatur, id tamen discriminis erat, quod confirmatio sanguinis in solenni & publica Eucharistia administratione statim & semper communicationem corporis consequebatur:*

b Hamm c. 6. sect. 3. §. 16. p. 148.

c Cass. Not. in Hymn. Eccl. ad Hymn. Prudent. Cultor. Dei p. 218.

Cap. VI. *sequebatur; At confirmatio chrismatis, quæ per episcopum fit, quamvis auctarium quoddam sacri baptismatis sit habita, non tamen statim neque immediate, sed aliquot cærimoniis interjectis* (scilicet manus impositionis ritibus) *adhibebatur*; quo loco observat Honorii Augustodunensis tempore baptizatos octavo demum die chrismate ab Episcopo confirmari consuevisse. Tum pergit, *Neque item semper baptismo hæc confirmatio chrismatis coniungebatur, ut cum Episcopi consequendi facultas non erat, præsertim cum extra ordinem infantes in pagis & villis baptizabantur; Chrisma vero, quo baptizati in vertice à Presbytero inunguntur, in omni ordinario baptismo, si tempus ferebat, statim adhibebatur.* Hæc hactenus Cassander, verissime de iis temporibus observavit quibus chrismatio in fronte, presbyterorum antea cum Episcopis communis, his solis à Papis Romanis attributa tandem apud omnes Occidentis Ecclesias obtinuit; quod septimo demum vel octavo seculo contigisse videtur. Ex his autem Cassandræis apparet, chrismationem baptismi perinde ac calicem Eucharisticum panis sacri, adjunctum esse: eoque per se ac natura sua eam non magis à baptismi celebratione se jungendam esse, quam calicis dispensationem à sacri panis administratione. Quod vel hinc intelligitur quod quibus in Ecclesiis legitimus baptismi solennis minister idem quoque chrismandi jus habet, chrismatio cum baptismo semper administrata est: ut ex Græcis apparet, apud quos & olim, & nunc quoque ita fit. Quod ergo apud Latinos aliter postea factum est, id non per se neque ex rei ipsius natura & ingenio factum est, sed plane per accidens, quod baptismo, à presbytero seorsum celebrato nullus adesset Episcopus, cui uni chrismandi potestas ad honorem sacerdotii à Papis attributa erat, quod Cassander diserte notavit, *baptizatis extra ordinem infantibus in pagis & villis, non fuisse adhibitam frontis chrismationem, quod Episcopi consequendi nulla erat facultas.* Denique ex his manifestum est Latinos, & eos secutum Hammondum haud sane sapientius chrismationem, & manus impositionem à baptismo avellere atque seiungere: quam siquis calicem in Eucharistia à pane sacro ita separaret, ut eum alium esse à pane ritum, aliud diversum ab eo sacramentum constitueret. Utinam Hammondus vel ab hoc suo magistro Cassandro rectius hac in parte sapere didicisset!

CAPUT VI.

Refellitur altera Hammondi hypothesis infantes alio quam adultos tempore chrismatos olim fuisse ex re sua fabulantis; & hos aliquando statim, illos semper, diu post baptismum confirmatos fuisse comminiscentis. Plane eandem utrorumque fuisse ad chrisma rationem ex veteribus ostenditur. Hammondi hæc cum laude mutata dicentis confessio; ejusdemque inane effugium sua & Cassandri vota.

vota, Gratianique & Tridentini Catechismi decreta obtrudemus. CAP. VI.
Antiquariorum morbus notatur antiquitatem ea lege laudantium, ut ejus scita ac mores ubi à suis institutis discrepant, emendare *(ut loquuntur) id est mutare sibi liceat.*

IAm de altero capite videamus, an parvulis, qui baptizabantur, unctio quoque & manus impositio administrarentur. Sed inprimis cur de eo dubitemus, ratio nulla est. Siquod enim ea in re inter parvulorum & adultorum baptisma discrimen fuisset, plane est incredibile veteres in tam multis de hoc negotio testimoniis quæ in eorum monumentis habentur, non aliquam ejus discriminis alicubi facturos fuisse mentionem. Atqui nullus apud totam antiquitatem locus occurrit, in quo parvulorum baptismus ab adultorum initiatione hac in re distinguatur. Nullum protulit doctiss. Hammondus; nullum revera quem proferret habuit. Huc accedit, quod ne ulla quidem caussa ex Patrum doctrina atque disciplina affertur, cur illi hac in parte parvulos ab adultis discriminarent. Quos enim infantibus, ipsam Eucharistiam, rerum hujus generis Christianarum summam, communicasse constat; quæ eos obsecro, vel invidia vel religio tenere potuit, quo minus iisdem chrisma & manus impositionem largirentur? Fac Eucharistiam parvulis (quod falsissimum est) negasse; Baptismum certe non negabant. Cur hæc ætas tuo potius chrismate, quam Christi lavacro carere debuit? Aquam & chrisma rerum sacrarum mystica symbola censebant. Parvulos res ipsas à Deo habere ac consequi credebant. Cur quibus res à Deo donari putabant, iis rerum symbola inviderent? Sed non inviderunt. Certum confessumque est aquam parvulis Dominicam veteres concessisse. Tardus est, qui non intelligit non oleum minus quam aquam concedi iis potuisse. Nam de manus impositione, quid dicam? Quam à Domino Christo oblatis Iudæorum infantulis ultro concessisse sciebant; cur ipsi parvulis suorum Christianorum liberis negarent? Atqui eam ipsi nihil aliud esse nos docent, quam *orationem super hominem.* Orare scilicet super adultos licuisse putabant; super parvulos, nefas ducebant. Apage ineptias. Quod ergo veteres nusquam ipsi se inter earum ætatum baptismata ullum hac in re discrimen fecisse docent, nulla ratio est, cur nos putemus aliquod fecisse. Baptismi confessos ritus, etiam quod absurdum in speciem videtur, catechumenatum, & interrogationem de fide, veteres in parvulis adhibuisse, cum eos tingerent, ex Augustino, ex Pseud-areopagita, ex multis aliis clarum, certum, & apud omnes confessum est. Quidni ergo eos chrismaverint, & manu imposita Deo humili prece commendarint? At illa ætas (inquis) pugnæ, ad quam per illos ritus instituimur, nondum est capax. Mitto & alios eorum rituum fines, præter istos, præsertim à vetustissimis afferri. Illud nunc satis est observare, aliud esse *pugnam*; aliud *gratiam*, ex qua pugnare possis, cum ad id locorum veneris, ubi pugnan-

Cap. VI. dum est. Ad pugnam parvulos nondum aptos esse confiteor; ad gratiam ex qua aliquando pugnaturi sint, jam tum suscipiendam, non magis inepti sunt, quam ad cætera dona, quæ vim suam olim ubi adoleverint, exertura nos à benigna Dei manu iam tum in illa ætatula capere eos non minus vere, quam pie credimus. Sed quid ego argumentis, velut in re obscura, utor? Clarum est inquam, tam infantes quam adultos apud veteres fuisse chrismatos & manus impositione confirmatos. Primum omnis Græcorum Ecclesia, quæ Latina neque minor est, neque recentior, neque paternorum rituum negligentior, infantes adultosque nullo discrimine chrismat. Viderint Latini qui his quatuor aut quinque retro seculis aliter instituerant; Eorum certe maiores decimo seculo infantes non modo tinxisse, sed tinctos statim unxisse, unctis è vestigio manus imposuisse diserte docet *d* Ordo ille Romanus, cuius nuper meminimus. Illic ante Pontificem videmus *deportari infantes*, simulatque tincti vestitique fuerint; & ab adultis eo discerni quod illi quidem *in brachiis dextris* (patrinorum scilicet) *tenentur; maiores vero pedem ponunt super pedem patrini sui.* Inde omnes Pontifex pariter & chrismat, & manu imposita confirmat. Ac ne quis de ætate dubitet, præter illud quod dicimus, *e Illud* (inquit) *de parvulis providendum est, ne postquam baptizati fuerint, ullum cibum accipiant, neque lactentur sine summa necessitate antequam communicent sacramento corporis Christi.* Ergo confirmabantur, etiam qui nondum erant ablactati. Eundem morem Gregorij P.R.I. temporibus fuisse in Ecclesia Romana observatum, patet ex ejusdem Pontificis libro sacramentorum ab Hugone Menardo ex antiquissimis codicibus nono minimum seculo scriptis edito; in quo eadem de parvulis occurrunt, quæ in Ordine Romano; cum hac item observatione *f* infantes, quos Pontifex est confirmaturus *non prohiberi lactari ante sacram communionem si necesse fuerit.* Sed & ante Gregorium chrismari infantes & manus impositione confirmari solenne fuisse satis nos docet Gennadius Massiliensis, quo loco de conversis ab hæresi; *g* Si vero (inquit) *parvuli sunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiunt, respondeant pro illis, qui eos offerunt, iuxta morem baptizandi, & sic manus impositione & chrismate communiti Eucharistiæ mysteriis admittantur.* Vides quam nulla fuerit veteribus illis religio etiam parvulos sive infantes tum chrismare, tum manus impositione confirmare: idque & in hæreticorum conversorum liberis in Ecclesiam admittendis & in aliis baptizandis usurpatum esse. Hoc enim non ipsa modo evidens rerum ratio suadet, sed & Gennadius diserte indicat, cum ait, quod in recipiendis hæreticorum parvulis fiebat, id *iuxta morem bapizandi* factum esse. Sed & ab ipsis hujus instituti principiis ita factum esse, abunde ex Cypriano patet, qui datam fuisse jam ævo suo infantibus baptizatis Eucharistiam non semel testatur. Cum enim ex vetustissimæ Ecclesiæ disciplina nulli Eucharistia concederetur, nisi qui factus esset perfecte Christianus, hanc autem Christianismi perfectionem nemini obtingere crederent; nisi qui chrismate

d Ordo Rō. Tit. Ordo in Sabb. S. p. 83.

e Ibid. p. 84. C.

f Sacram. Greg. Tit. Sabb. hora 8. p. 73. 74.

g Genn. de dogm. Eccl. c. 52.

chrismate & manus impositione consecratus esset: ut & alij non pauci, & ipse Cyprianus docent, & observavit *b* inter recentiores Albaspineus: profecto nemo non videt infantes sive parvulos solenni baptismo suscepto statim ipsos quoque utroque illo ritu fuisse perfectos. Hoc ergo statum & immotum maneat, iam inde à tertio seculo ad decimum apud veterem omnem Græcam Latinamque Ecclesiam hunc morem usumque fuisse, ut qui Christianismo solenni ritu initiarentur, baptismo suscepto iidem infantes, æque ac adulti statim sic chrismarentur, ut apud Græcos quidem chrismarentur tantum, apud Latinos vero chrismati etiam manu imposita & prece sive benedictione consecrarentur, sive, ut prisci loquebantur, *perficerentur*. CAP. VI. *b* Albasp in Can.78. Eliberit. p.124.

Ex quibus nunc cuivis facile perspicere licet, quam sint inania, quæ vir doctissimus passim de his temere effutit. Verbi gratia, cum baptizatos, & complete in Ecclesiæ gremium à presbytero receptos *tam notum est* (inquit) *i quam quod notissimum ad Confirmationem & Episcopalium manuum impositionem, non STATIM, sed post lustra aliquot promoveri.* Sic hodie fieri apud Latinos, fateor. Apud veterem ante undecimum seculum Ecclesiam Græcam, latinamque ita factum esse, vel nunc apud Græcam ita fieri; id vero an Hammondo notum fuerit, nescio; mihi quidem adeo notum non est, ut nihil dici potuisse magis alienum à veritate, non modo credam, sed etiam demonstrem; ut ex his quæ proximè disputavi, satis patet. Non est melius, quod alibi ponit parvulos à presbytero, aut forte à Diacono tinctos, tum demum *ad Episcopum perduci cum adolescere cœperint.* De hodiernis Latinis verum; de Græcis, & iis qui apud veteres solenne baptisma susceperant, falsum, ut liquet ex superioribus. Quod vero ibidem apud Hammondum legitur *hoc in Romana Ecclesia minus diligenter observatum esse* (nimirum ut infantes baptizati prius adolescerent quam confirmarentur) id inquam subdole dictum est; quasi non alibi, quam Romæ infantes statim à baptismo chrismarentur, vel manus impositionem acciperent. Atqui neque ut puto, Romana est omnis Græcorum Ecclesia quæ quotquot tingit solenni ritu infantes, eosdem illico chrismat; neque olim, quod demonstravimus, aliter factum in cæteris Ecclesiæ etiam Occidentalis partibus. Sed audiri hic Georgium Cassandrum cupit *m* doctissimus Hammondus, *ut mitissimum & sapientissimum, pietatis non minus, quam pacis amatorem unicum.* Audiamus. *Confirmationis* (inquit ille) *usum ad ætatem paulo adultiorem differri est præter antiqua Ecclesiæ consuetudinem, in qua ad baptismum statim si fieri poterat, confirmatio sacri chrismatis accedebat.* Idem in loco alibi ab Hammondo descripto cum dixisset illam solennem *cum manuum impositione & chrismatis consignatione confirmationem*, tandem *differri nonnunquam cœpisse etiam in adultiorem ætatem quod* (inquit) *antiquitus NON FIEBAT.* Hæc Cassander, suo testimonio nostram sententiam clarissime constituens, neque obscurius ei adversum doctissimi Hammondi errorem refellens. Neque sane aliter de hac quæstione pronuntiare potuit, nisi

i Hamm. c. 2. sect. 6. § 5. p.71.H.

k Id. c.6. sect. 1. §.14 p.134.

l ib. §.15.

m Ibid. ex Cass. Consult. c.9.

n Id c.6. Sect 3. §.17. p.249.

Cap. VI. nisi sua ipse decreta refigeret, qui ut jam observavimus, *chrismatis Confirmationem auctarium quoddam sacri baptismatis habitam fuisse* docet, eiusque *unctionem baptismo haud aliter fere atque calicem Domini corporis Dominici Sacramento, coniunctam fuisse.* Sed hic insurget Censor, se non hæc tantum, sed & alia quæ ille ibidem dicit, audiri voluisse, nimirum *tametsi hac* de Confirmationis apud antiquos usu *ita ut descripsi se habeant, non displiciturum tamen bonis viris si e'us usus ad ætatem paulo adultiorem differatur.* Fatendum est amicum nostrum hic suavem esse hominem; qui Cassandri spes & vota omnibus veterum testimoniis opponit, & à nobis anteferri vult. Vellem & ipsius, & Cassandri gratia, ut mihi liceret de his quæstionibus ita ut volunt, transigere. Sed non sinit Veritas, quæ omnibus non modo Cassandri, sed ipsius etiam Hammondi affectibus una mihi potior est. Atque hic cogor in Censore meo nonnihil in me æquitatis desiderare. Cum enim hic Cassandrum & Chemnitium alibi, mihi objicit, non videtur satis meminisse quam ego caussam agam in illa mea disputatione quam tanto studio refellendam suscepit. Illic enim quæro, non quid Cassander de Confirmationis tempore & ratione judicarit, quid Chemnitius de eius partibus philosophatus sit, quid ipse Hammondus ea de re cogitaturus esset; Ignoscant mihi bonorum virorum manes; Neque eos, neque eorum inventa, diem dũ illa nostra scriberem, in animo habui; Vnum hoc quæsivi, quod adhuc hic quæro, quæ veterum fuerint illæ quæ tam multis apud eos locis occurrunt, chrismatio & manus impositio; quo seculo, quo animo, in quem finem inventæ sint, in quo religionis articulo administratæ fuerint. Noli me huic uni operi intentum objectis Cassandri & aliorum ejusdem census desideriis turbare. Nihil nunc quidem mea refert, quid illo de veterum ritibus fieri optarint; Doceam quinam illi veterum ritus fuerint. Et sane quo ii tempore fierent bene docuit Cassander; quo nomine & ei, & Hammondo, qui hunc mihi egregium profecto testem nihil de eo cogitanti suggessit, magnam gratiam habeo. Cæterum, quid ille in hoc veterum ritu, quem agnoscit, mutandum, & ad præsentia commodius inflectendum putat, non vacat nunc excutere. Alii curent, quibus res est cordi. Ego dolium hoc meum, ut institui, versabo. Eadem ratio eius est, quod ipse Hammondus judicat, *o* illam veteris ritus apud Latinos *mutationem non sine ratione, nec sine laude factam*; & cui alias *p primæ Ecclesiæ antesignani* satis sunt, hic sui oblitus ne Gratianum quidem fastidit, juris Pontificii de ultima seculorum fæce consarcinatorem, quem in quodam suæ disputationis loco laudat, iura cum antiquis recta fronte pugnantia, hæc nimirum dantem. *Confirmandus sit perfectæ ætatis*; Ille *moneatur prius confessionem facere*; *Iejunus esto*, &c. Et Catechismum ipsum Romanum, mulseum legislatorem inducit, veteribus omnibus oppedentem, ac *suadentem annum ætatis duodecimum expectandum* ad suæ Confirmationis suscipiendum sacramentum; & insuper *monentem, non solum fidem & pietatem adferre Confirmandos, sed*

o Hamm. c. 6. sect. 3. §. 17. p. 249
p Id ibid. sect. 1. §. 16. p. 135.

sed graviora etiam peccata ex animo dolere, peccata confiteri, jejunia & CAP. VI.
alia pietatis opera exercere, quæ non nisi ab adultis præstari possunt. Hæc doctissimus Hammondus; quæ si de hodiernis Latinis, quæreretur, rectè & apposite afferrentur, quæ scilicet vincunt ab iis minime confirmari parvulos; quibus ista qui præceperit, merito furere judicabitur. Nunc cum quæratur, quis, non Latinorum, sed *primævæ Ecclesiæ* in chrismatione & manus impositione mos usúsque fuerit, non modo otiosa est omnis Gratiani & Fridentinorum Catechetarum auctoritas: sed etiam Hammondo damnosa: mihi contra quem pugnat, utilis. Nam si illi *primævæ Ecclesiæ antesignani* adultos solos, quod vult Hammondus, proprie ac per se confirmandos esse ut nunc Latini, ita ipsi olim putassent, pares Gratiani scitis leges tulissent; confessionem, & opera pietatis laboriosa quod nunc faciunt Tridentini, suis confirmandis æque suasissent (Neque enim his illos stultiores fuisse dixerit Hammondus) Atqui nullæ apud veteres cernuntur Gratianæis similes leges; nullæ Tridentinarum pares suasoriæ; Omnia apud illos isti Latinorum novello juri contraria; usque adeo ut quosdam inter ipsos non valde vetustos scriptores confirmandos reperiam, quos *lactari* vetant, donec peractum sit mysterium. Quid hinc aliud conclusero, quam quorum tam diversa jura sunt, diversum quoque fuisse morem? veteres adeo à suo chrismate, suaque manus impositione minime repulisse parvulos, quos ab his sacris Latini arcent, donec duodecimum annum attigerent? Sed hic est Latinorum, & Cassandri, & pæne omnium Antiquariorum morbus. Antiquitatem laudant; judicem rerum divinarum statuunt; siquis detrectet, aut aliquid excipiat, in eum velut *Novatorem*, Maiorum contemptorem involant, dirisque hominem devovent; ea tamen lege, ut antiquitatem ipsi ad suos mores quoties libet, effingant; & siquid aliter instituant, vetera eos non mutasse, sed emendasse putemus; idque ab illis cum *ratione & laude* factum consentiamus; quod siquis alius fecerit, cœlum ipsum violasse, & solem de rebus humanis sustulisse judicetur. Vt aliena mittam, Hammondus noster se antiquam Confirmationem defendere ad ravim ubique clamat; mihi, quæ qualisque fuisse visa sit, bona fide explicanti, invidiam facit, quasi vetera pulsem. Vbi ad rem ventum est, quod ego antiquum fuisse defendi, ut etiam infantes chrismarentur, ille mutatum non negat; cum *ratione & laude* mutatum ait: Quasi non aliud sit ab antiquo, quod *mutatum* est; quæcunque mutandi vel caussa vel ratio fuerit. Ergo si vera audiri fas est, in meam ipse sententiam transit; & quos hactenus ejus testes adduxi, iis ipse quoque *q* Hammondus adjiciendus est; qui quem *morem* tandem *obsoletum* fuisse dicit, hoc ipso quod tandem sit *obsoletus*, fuisse aliquando confitetur. Quod enim quem aliquando morem fuisse concedit, ut parvuli scilicet confirmarentur, eum *sub prima antiquitate* ad adultos solos *peculiariter pertinuisse* affirmat, audirem si ita fuisse demonstraret. Ille verò nuspiam hoc probat; Ego planè aliud

q Hammi. c. 6 sect. 3. § 17. p. 149.

Cap. VI. aliud fuisse clare nisi me fallit animus, demonstravi. Cæterum an is mos etiam infantes confirmandi antiquus, recte & cum ratione mutatus sit, nihil quidem ad meam caussam magnopere interest; si tamen quid judicem, requiras, breviter sic habeto. Equidem laudare non possum, quod vetustissimi illi de secundo jam præcipiti seculo Patres baptismalem à Christo traditam absolutissimæ, divinissimæquè simplicitatis disciplinam unctione, aliisque de genere hoc peregrinis ritibus, plebis affectibus nimium indulgentes, augere ac veluti locupletare & exornare præsumpserint. Parum prudens fuisse consilium infœlix eventus arguit. Ex his enim initiis res paulatim in proprie stricteque dictum religionis Christianæ sacramentum apud Latinos desiit, quod ipsi Dominicis institutis magno& pernicioso errore accensent, & pari cum iis dignitate ac majestate habendum decernunt. Si tamen, quod non obscure concedit Hammondus, id Patribus illis jus, eamque potestatem fuisse donaveris, ut iis huius generis ritus in religionem inducere, suisque ac posteris observandos decernere licuerit; non video, qua ratione hoc tu tibi sumas ut eosdem pro tuo arbitrio refingere possis. Neque profecto ulla occurrit vera ratio, cur ii ritus mutati sint. Nam quod supra obiter attigi, si res ad auctores revocetur, nihil repugnabat, quin parvuli infantes tam oleo ungi, quam aqua ablui possent. Omne mutandi consilium, non à ratione, sed ab errore profectum est. Nam quam auctores unctionem baptismo adjunxerant, cu mea paulatim inde avulsa esset, tandem pro peculiari, & à baptismi rebus seiuncto ritu haberi cœpit, & ad proprios quosdam usus finesque referri, qui parvulorum ætati parum congruere cum viderentur, eo denique ventum est, ut parvulis plane penitusque negandus putaretur huius unctionis usus. Atque hoc ipsum ni fallor, doctissimum Hammondum impulit, ut mecum de hac caussa tam acriter contendendum putaret. Itaque ut suus primævæ Ecclesiæ inventis honos servetur, neque ulla in ejus mores absurditas inducatur, necessario illuc redeundum est, ubi res à principio constituta fuit; nimirum, ut quam unctionem Patres statim à baptismo ministrasse, & parvulis infantibus non minus quam adultis concessisse videmus, eam fuisse confiteamur adnexam baptismo cærimoniam. Id enim si admissum fuerit, apparebit nihil in re tota fuisse incommodi, vel à cæteris veterum de religione dogmatis alienum; nullam adeo ejus mutandæ Latinos ex vero, sed ex errore tantum suo rationem habuisse. Mihi quidem, qui in primæ antiquitatis monumentis reperiebam chrismationem & manus impositionem in baptismo solenni omnibus promiscue tinctis, adultis infantibusque nullo discrimine, ministrari; qui in priscæ Ecclesiæ Ritualibus non alibi utrumque hunc ritum tradi videbam, quam in titulis de baptismo; ut apud Tertullianum, Pseudo-Clementem, Pseudo Dionysium, pseudo-Ambrosium, pseudo-Augustinum, Gregorium; apud ipsos quinetiam sequiorum seculorum scriptores Isidorum, Theodulphum, Magnum, Rabanum, Amalarium, PseudoAlcuinum,

cinum, Ordinem Romanum, &c. mihi inquam hæc apud veteris ob- CAP. VII.
servanti nulla vel Spalatini Archiepiscopi face (quod suspicatur Hammondus) vel alterius cujusquam admonitione magnopere opus fuit, ut ad baptismum pertinuisse eos ritus intelligerem, quos & ubique ita adnexos adjunctosque adhærere cernebam, ut quibus locis baptismus quidem describitur, nunquam deessem; neque in iis, unde abest baptismus, ipsi unquam adessent.

CAPUT VII.

An unctio olim fuerit cærimonia à baptismo sejuncta? Hammondi aientis Argumentum I. ex Valentinianorum apud Irenæum Redemptione *sumptum refellitur. Illam* Redemptionis traditionem *fuisse Valentinianis vice baptismi. Inde retorquetur argumentum contra Hammondum. Ejus in loco Irenæi interpretando hallucinatio, putantis præter illam Redemptionis traditionem alium ab ea diversum ex aqua baptismum hæreticis fuisse. Obiter mortuorum apud Valentinianos unctionem non de Iacobi oleo, sed de Paganorum more sumptam videri.*

SEd quando satis nunc purgata videntur duo illa loca, in quæ sua scita, suasque hypotheses doctissimus Hammondus magna arte furtim sed frustra inducere conatus est; nunc ipsam de singulis testibus disputationem ingrediamur, quam ille parum ut videtur, auspicato, ab impurissimis teterrimorum hæreticorum Valentinianorum mysteriis exorsus est. r Eorum diversas, ut ipsi appellabant, *redemptionis* formas, sive r Hamm. c.
rationes, quas quisque eorum pro libitu suo tradebat, referens Irenæus 6. sect. 1 §. 2.
narrat quosdam quos initiant, *ad aquas ducere, atque inter baptizandum* 3. p. 119.
mirificis quibusdam verbis, alios aliis uti, & qui initiatur respondere, s Iren. l. 1. c.
confirmatus & redemptus sum, ac redimo animam meam ab hoc seculo, & ab 18 p 107. B.
omnibus, quæ ab eo sunt in nomine Iao, qui redemit animam suam in redemptionem in Christo vivente, ἐστήριγμαι καὶ λελύτρωμαι καὶ λυτροῦμαι τὴν ψυχήν μου ἀπὸ τοῦ αἰῶνος τούτου καὶ ἀπάντων τῶν παρ' αὐτοῦ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰαὼ &c. Et paucis interjectis de iisdem addit; *Tum autem eum, qui initiatus est, opobalsamo inungunt. Hoc enim unguentum fragrantiæ illius, quæ omnia exsuperat, typum esse aiunt,* ἔπειτα μυρίζουσι τὸν τετελειωμένον τῷ ὀπῷ τῷ ἀπὸ βαλσάμου, τὸ γὰρ μύρον τοῦτο τύπον τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα εὐωδίας εἶναι λέγουσι. Alios vero ex iis dicere, *ad aquam initiandos ducere rem esse supervacaneam*; cæterum hos *aquam oleo mixtam una cum vocibus* superiorum similibus *in caput initiandorum injicere*, & eos ex *balsamo* quoque inungere. Alios denique, ista omnia repudiare, & perfectam redemptionem *in sola cognitione* ἐπιγνώσει vel γνώσει sitam esse putare. Nollem amicum ad istas hæretico-

Cap. VII. rum lacunas confugisse, ut ex iis hypothesin, quam dicit, meam refelleret. Hoc enim eos, quibus non est notus, facile eo adducit, ut suspicentur veris illum & idoneis Patrum orthodoxorum testimoniis carere, qui perditissimorum hæreticorum impia ista, damnataque mysteria in hac disputatione adhibet. Bellarmino quidem ultima illa, qua laborat, testimoniorum ex prima antiquitate de suo balsamo penuria persuadere non potuit, ut tam inhonestum, tamque infame ex damnatissimorum hæreticorum institutis præsidium sibi petendum putaret. Atque hoc mihi mirabile visum esse confiteor, ut hanc Valentinianorum unctionem Latinus quidem sperneret, cui Confirmatio non alio elemento constat, quam unguento ex oleo & opobalsamo confecto; eandem vero homo Anglus avide nunc in hac disputatione arriperet, cui neque olei, neque opobalsami ad suam Confirmationem usus est. Quod argumento est eum, non ex Anglicanæ disciplinæ studio, quod obtendit, sed ex aliqua animi in me commotione librum hunc suum conscripsisse, non profecto ut illam defenderet, sed ut me peteret. Sed inane est quod hic quærit subsidium. *Valentinus*, inquit, *quæ à Catholicis didicerat, ad characterem suum transformavit.* Primo unde scivit hæc ipsius fuisse Valentini? Irenæus hæc non ei, sed quibusdam ejus discipulis tribuit. Nullius autem hæretici sectam à magistri sui norma licentius, & longius discessisse quam Valentinianos docet Tertullianus, usque adeo ut licet frequentissimum esset ejus ævo Valentinianorum collegium, apud unum tamen remanerent integra auctoris dogmata; f *Ita nusquam jam Valentinus* (inquit) *& tamen Valentiniani, qui per Valentinum. Solus ad hodiernum Antiochiæ Axionicus memoriam Valentini integra custodia regularum eius consolatur.* Præterea incertum etiam est an oleum & opobalsamum ij ex Valentianis qui id in suorum initiatione adhibuerunt ab aliis aliquibus acceperint, an vero ipsi per se invenerint & commenti sint. Nihil enim nos de eo docet Irenęus. An quæso, necesse est hęreticos quęcunque habent, ab aliis sumpsisse, nihil ipsos suo Marte excogitasse? Neque hæc si statuamus eos aliunde imitatos esse, ideo putandum est ea ex Ecclesiæ ritibus hausisse. Multa enim illos à Paganis, & à Philosophis, quædam à Magis ipsis esse mutuatos, clarum certumq; est, eoque apertissime referenda sunt verba illa barbara, quibus eos Irenæus usos esse in sua initiatione refert. Sed neque illud certum est, quo præcise tempore hāc ex oleo & balsamo unctionē primū usurparint. Cum enim ex Irenæo habeamus non Valentinum ipsum, sed quosdam ex discipulis qui ab eo Valentiani dicebantur, huius moris auctores fuisse; credibile est hoc ipsis Irenæi temporibus fieri ab iis cœpisse. Itaque cum eo ipso tempore id est circa secundi seculi finem jam olei in baptismo apud Christianos usum fuisse ex Tertulliano constet, quamque unctionem baptismi cærimoniam ipse Hammondus fuisse fatetur; etiamsi illi quod cupit concessum fuerit, nimirum hos Valentinianos morem ex oleo ungendi à Catholicis accepisse; non ideo tamen sequetur quod inde concludit,

f Tertull. contr. Valent. c. 4. p. 291. A.

dudit, Catholicos in baptismo præter oleum, opobalsamum quoque adhibuisse; quod si verum esset, aliqua profecto occurreret eius rei mentio vel apud Irenæum ipsum, vel apud Tertullianum, qui cæteras omnes baptismi cærimonias memorat, vel apud alios sive huius sive sequentis id est tertii seculi scriptores. Atqui olei quidem Tertullianus & alii huius census; balsami vero plane nulli meminerunt. Vnde multo credibilius est hæreticos Catholicorum oleo si hoc ab iis sumpserunt, opobalsamum de suo adjecisse; quo cærimonia esset magnificétior. Quæ causa & ipsos tandem sequentium temporum Catholicos eo impulisse videtur, ut oleo à majoribus suis tradito balsamum admiscerent. Denique quod caput est, ex his ita constitutis nihil tamen habet Hammondus quo unctionem illam colligat non unam fuisse apud Catholicos ex baptismi cærimoniis. Verius inde concludas ad baptismum pertinuisse. Hoc enim exsecrandum hæreticorum mysterium pro Catholicorum baptismo quandamque impiam ejus corruptelam fuisse, ex Irenæo manifestum est. Primo vetustissimus interpres ejus hunc capiti titulum præscribit. *Quot modi apud eos sunt regenerationis.* At *regeneratio* baptismus est; non est quod sciam, seorsum sumptum Confirmationis Sacramentum. Cum ergo illa, quæ hic ab Hammondo affertur, Valentinianorum cærimonia, unus sit ex illis *regenerationis modis*; si valet ex ejus comparatione ductum ad Catholicos argumentum, efficiet, ut quæ apud Catholicos erat unctio, ea ad *regenerationem* pertinuerit, baptismique adeo, qui regenerationis verũ ac unicum Sacramentum est, pars ritusque fuerit; non autem alterius cujusdam à baptismo *procul sejuncti* Sacramenti ritus. Idem Irenæus ipse significat cùm hoc istorum mysterium *redemptionis traditionem* vocat ἀπολυτρώσεως παράδοσιν, eandemque vocem postea non semel eodem sensu usurpat. Nimirum hæretici *redemptionem* appellasse videntur, quæ Catholicis *regeneratio* usitatius fere dicitur; quamquam neque à Catholicis *redemptionis* vocabulo in hoc argumento abhorreant ex illo Pauli ad Colossenses, *in Filio habemus redemptionem, per sanguinem ejus remissionem peccatorum.* Col. 1. 14. Sed & Valentinianos vicissim *regenerationis* quoque vocabulum in hoc interdum argumento usurpasse inde colligo, quod eos ait Irenæus hoc mysterium suis necessarium eo esse dixisse, ut in eam virtutem, quæ supra omnia est, REGENERENTVR, ἵνα εἰς τὴν ὑπὲρ πάντα δύναμιν ὦσιν ἀναγεγεννημένοι. *Redemptionis* ergo traditio id est *remissionis peccatorum*, sive *regenerationis* haud dubie baptismus est. Tum ista apud Irenæum diserta sunt, *hanc* istorum hæreticorum *formam* sive *speciem* (*modum regenerationis* dixerat vetus interpres in capitis titulo) *à Satana suggestam esse ad baptismi nostræ in Deum regenerationis abnegationem*, ὅτι εἰς ἐξάρνησιν τοῦ βαπτίσματος τῆς εἰς θεὸν ἀναγεννήσεως ἡμῶν ὑποβέβληνται τὸ εἶδος τοῦτο ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ. Ex his liquet diabolicam hanc Valentinianorum cærimoniam salutari Catholicorum baptismo respondisse ac è regione fuisse oppositam; adeoque apud nefarios illos prædones eo loco fuisse, quo erat apud nostros baptismus,

Cap. VII. prismus. Cætera omnia eodem collineant; maxime quod quidam eorum aqua ipsa in hoc mysterio suos tingebant, *eos ad aquam ducentes*; quod ipsum Iustinus de Catholicorum baptismo dicit. Cum ergo hi omnes ab Irenæo commemorati Valentinianorum ritus ad *redemptionis*, ut ipsi vocabant mysterium pertinuerint, μυρισμὸν quoque, id est ex oleo & opobalsamo unctionem eodem pertinuisse necesse est; adeoque ex ejus cum Catholicorum sacris, quo Hammondus nititur, parallelismo, jam tum usitatam apud Catholicos ex oleo unctionem ad regenerationis Sacramentum, id est baptismum, referendam esse, ejusque appendicem atque auctarium fuisse; non quod Latini & cum iis Hammondus contendunt, proprium suique generis & ordinis à baptismo diversum ritum. Ita hanc Hammondi sententiam hæretici non modo nihil juvant, Sed etiam liquido pulsant atque labefactant. Neque hilum contrra valent minutæ ejus ad Irenæi locum observatiunculæ. Est inquit, *apud Valentinianos, sicut baptismi, ita & ἀπολυτρώσεως mentio.* Est inquam; sed ut rei quæ illis ritibus perficiebatur. Hanc enim quam dicunt, ἀπολύτρωσιν baptismo itidem ut cæteris ritibus, qui ab Irenæo describuntur, haberi perficique volebant. Sed iis, inquit Hammondus, baptismus quidem *erat ad pœnitentiam*; ἀπολύτρωσις vero, *redemptio ad perfectionem.* Quis inquam, baptismus? Nimirum *baptismus τοῦ φαινομένου Ἰησοῦ, Iesu apparentis*, qui scilicet in carne apud Iordanem apparuit, baptismus *qui à Ioanne ad pœnitentiam annunciatus est*, τὸ ὑπὸ Ἰωάννου καταγγελθὲν εἰς μετάνοιαν βάπτισμα. Hoc scilicet baptismate negabant posse hominem perfici. Aliud vero esse baptisma fatebātur, de quo Christum dixisse volebant, *Baptismo alio habeo baptizari*; & *Potestis baptismo eo baptizari, quo baptizatus sum?* Hic vero *baptismus* est, quem illi ἀπολυτρώσεως redemptionis nomine indigetabant; Priorem *Iesu apparentis*, & Ioannis *ad pœnitentiam* fuisse; ἀπολύτρωσιν *redemptionem* ad perfectioné esse. Illum *animalem*, hunc *spiritualem* esse statuebant. Illum vero à Ioanne annunciatum & ab Iesu apparente susceptum baptismum hi Valentiniani, utpote suo judicio carnalem & animalem, plane penitusque respuebant, eamque fortasse, qui apud Catholicos solennis erat, eiusmodi esse docebant. Illius vero loco alium quendam baptismum à Domino verbis nuper ex Evangelio descriptis significatum scilicet, commendabant & ministrabant; ipsum illum quem *Redemptionis* nomine vulgo appellabant; cujus illa ipsa in aqua lotio, pars erat, quæ à nonnullis eorum in hoc suo mysterio usurpabatur; idque nos disertissime docet Irenæus. Præfatus enim hanc ex ipsorum dogmate, baptismi nomine à Christo significatam & à Paulo sæpe memoratam REDEMPTIONEM *ab ipsis varie differenterque tradi*, variasque illas apud eos usitatās tradendæ huius REDEMPTIONIS rationes ac formas recensens, unam quorundam formam executus, ad alteram statim ita transit; *Alii vero ad aquam ducunt* (iniciandos scilicet ad redemptionem) atque inter baptizandum his verbis utuntur: *In nomen ignoti Patris universorum; in*

veritatem

Veritatem matrem omnium, in eum qui in Iesum descendit, in unionem & REDEMPTIONEM & communionum virtutem, εἰς ὄνομα ἀγνώστου πατρὸς τῶν ὅλων, εἰς ἀλήθειαν μητέρα πάντων, εἰς τὸν κατελθόντα εἰς Ἰησοῦν, εἰς ἕνωσιν καὶ ΑΠΟΛΥΤΡΩΣΙΝ καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων. Et Irenæanæ narrationis series, & ista baptismi istius forma, & ipsum ἀπολυτρώσεως diserte memoratum nomen, invicte demonstrant hanc istos in aqua lotionem non pro psychico, animali Ioannis & Iesu apparentis baptismo habuisse, sed ipsissimam illam Christi qui in Iesum descendit, *REDEMPTIONEM* ab Iesu consequendæ perfectionis caussa allatam censuisse & ab aliis censeri voluisse. Ex quibus intelligere licet toto quod aiunt cœlo ab istorum mente aberrasse amicum nostrum, cum putavit istos Valentinianos, suum ipsorum, quem in isto redemptionis mysterio factitabant, baptismum ad pœnitentiam tantum retulisse; & *redemptioni* ad quam aspirabant, opposuisse. Imo hanc suam lotionem ad *redemptionem* ipsam ex eorum mente pertinuisse, & ejus mysterij quo se ad eum perduci delirabant, partem ritualem fuisse clarum est. Quem vero ad *pœnitentiam* datum esse dicebant *baptismum*, eo non suam aut suorum initiatorum, sed Ioannis Præcursoris tinctionem, intellexisse. Nisi ergo Catholicorum humiliorem & abiectiorem de suo baptismo fuisse sententiam velimus, quam quæ Valentinianorum de sua lotione fuit; necessario fatendum est eos baptismo suo illam quoque *perfectionem* adscripsisse, quam isti suæ redemptioni tribuebant; oleum adeo quo suos ungebant, & quo perfectionem illam contineri vult Hammondus, ad baptismum suum pertinere putasse.

Iam quod idem observat, post hæc apud illos Valentinianos initiatum respondisse, *Confirmatus & redemptus sum* &c. & his dictis opobalsamo inunctum; difficile dictu est, quo id tendat. An quod iste τετελειωμένος *initiatus* vel *perfectus* dicitur, eo ad eius initiationem sive perfectionem nihil defuisse colligit? Colligat per me licet. Nihil enim si rem ipsam spectes, defuit; idque ipse initiatus significat dum clamat, se *confirmatum & redemptum esse*. *Redemptionis* enim nomine summam mysterij significabant. Sed inde non sequitur eum jam hoc ipso momento habere rei ultimum, quod mox statim accipit, symbolum; nimirum unctionem ex opobalsamo, *quod typum esse eius suavitatis sive fragrantiæ dicebant, quæ sit super universa*, τὸ γὰρ μύρον τοῦτο τύπον τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα εὐωδίας εἶναι λέγουσι. Quomodo & in Catholicorum mysterio veteres putasse haud gravate concedam, qui baptizatus erat, eum reipsa initiatum fuisse, & quæ ad salutem ducunt habuisses, tametsi nondum oleo, quo illa perfectio significabatur, perunctus esset. Neque enim ideo necesse est aut Valentinianorum balsamum illius Redemptionis, quam jactabant, aut Catholicorum oleum, ejus baptismi quo suos initiabant, ritum aut cærimoniam non fuisse. Eodem pertinent quæ ex Irenæo subjicit x Hammondus, de aliis quibusdam Valentinianis, qui suos quidem initiandos ad aquam minime ducebant, neque adeo tingebant, quod su-

x Hamm. ubi supr. p. 129.

Cap. VII. perioris fecisse diximus; *super eorum tamen capita oleum & aquam una permixta, cum profanis quibusdam dictionibus mittebant, idque redemptionem esse volebant, eosdem autem & opobalsamo ungebant.* Hic aqua & oleo aspersos video, quod istos ex baptismo Christianorum Tertullianei seculi mutuatos videri posse concedo; Eo meam sententiam everti nego; Potius (si quid hæreticorum instituta valerent) firmari dicerem. Hi enim oleum ab aqua adeo non sejungebant, ut utrumque in unum veluti corpus commiscerent; quo liquido id quod dicimus, constituitur, unctionem ex oleo baptismalis ex aqua tinctionis adjunctum fuisse. Opobalsamum hæreticos de suo adjecisse non dubito, cujus scilicet nulla in nostrorum sacris toto secundo tertioque seculo mentio apud Ecclesiasticos scriptores occurrit, neque si aliter esset, eo fieret, ut unctionem ex oleo à baptismi sacro procul tunc sejunctam fuisse credendum sit. Hic enim Valentinianea ex balsamo unctio aquæ & olei aspersionem statim & ἀμέσως sequitur: veluti sint duæ ejusdem Sacramenti partes. De Confirmationis postremo nomine, quod in his apud Irenæum legitur, frustra sibi blanditur y amicus noster. Fateor hoc esse Latinum ritus ipsius nomen: *Confirmatus sum & redemptus sum* Græcum verbum quo hic usus est Irenæus, longe aliud: ἐστήριγμαι καὶ λελύτρωμαι. Græci *Confirmationis* unctionem σφραγῖδα, σφραγισμὸν & aliis nominibus significant; στηριγμὸν quod equidem meminerim, nunquam vocare solent. Et hic aliud quid à Confirmatione significari patet. Qui hæc enim dicit initiatos, nondum opobalsamo illo confirmatorio unctus erat. Nam paulo postquam hæc recitavit Irenæus, addit; ἔπειτα μυρίζουσι τὸν τετελεσμένον. &c. *Postea initiatum inungunt* &c. Ergo nihil cum illo στηριγμῷ, quem iste se consecutum dicit, commune habere potuit balsamum, quo nondum erat delibutus.

y Ib. p. 130.

Quæ vir doctiss. de oleo aquæ immixto, quod iidem hæretici, in morituri hominis caput injiciebant, dicit, z ea ad præsentem quæstionem non pertinent. Ait palam esse ritum è Iacobo petitum esse. Certè Iacobus de oleo loquitur, quo infirmum ungi præcipit à Presbyteris, ut evadat & convalescat. De aqua oleo immiscenda nihil dicit. Præterea non est certum viventis ne an mortui hominis caput Valentiniani suo illo oleo asperserint. Ambigue est Irenæi oratio; τινὲς δὲ αὐτῶν ἔλαιον ὕδατι μίξαντες ἐπιβάλλουσι τῇ κεφαλῇ τοῦ ἐξελθόντος. Scio Billium hoc ultimum verbum accepisse *de homine ex hac vita iam iamque excessuro.* Sed reclamat vetus interpres; *Alii sunt* (inquit) *qui mortuos redimunt ad finem defunctionis mittentes eorum capitibus oleum & aquam.* Et Theodoretus Ascodrytos suis, sed post mortem hanc quoque medicinam fecisse auctor est. Certe aoristus ἐξελθὼν præteritum potius quam paulo post futurum significare solet. Si hoc sensu acceperim, ego hæreticos ritum istum non à Iacobo, à quo res tota valde aliena est, sed à Gentilibus potius sumpsisse crediderim, quibus familiare fuisse suos mortuos lavare & ungere notum est,

z Id. c. 6 sect 1 §. 6. p. 130.

Tarquinii corpus bona fœmina lavit & unxit.

------corpusque lavant frigentis & ungunt.

Iudæos mitto; apud quos mortuorum corpora lavare & accuratissime aromatis condire solenne fuit. Neque morem Christianos sprevisse ex Pseud' Areopagita apparet, qui ea inter sacra retulit, *& super mortuo oleum à Pontifice fundi tradidit.* Sin de homine adhuc vivente sed suprema agente Irenæum accipere placet, ne sic quidem *palam esse* videtur hoc à Iacobo petivisse Valentinianos. Iacobus enim non moribundum, aut animam agentem, sed *infirmum*, & morbo aliquo laborantem dicit; neque ungi eum præcipit ad præsidium contra obeunda mortuis pericula, sed ad sanitatem homini restituendam. Sed hæc quæ sunt ab instituta disputatione aliena, mittamus.

CAPUT VIII.

Solvitur Hammondi argumentum pro sua opinione II. ex quodam Theodoti Valentiniani apud Clementem Alex. dicto.

ALium amicus noster ex eadem Valentini schola testem suę chrismationi edit, [a] Theodotum, cujus hęc ῥῆσις inter Clementis Alexandrini eclogas legitur; [b] Καὶ ὁ ἄρτος καὶ τὸ ἔλαιον ἁγιάζεται τῇ δυνάμει τοῦ ὀνόματος, ἁ (sic enim legendũ, non οὐ quod vitiosum est, libens viro doctiss. assentior) τὰ αὐτὰ ὄντα κατὰ τὸ φαινόμενον οἷα ἐλήφθη, ἀλλὰ δυνάμει εἰς δύναμιν πνευματικὴν μεταβέβληται. *Panis & oleum, vi nominis sanctificantur, quæ eadẽ quæ accepta erãt secundũ id quod apparet manẽtia, potẽtia tamen in spiritualẽ potentiã transmutantur.* Idemq; de aqua sanctificata sive ab baptismũ, sive ad exorcismum dicit. *Vides hic* (inquit Hammondus) *panem, oleum, aquam, totidem sacrorum rituum elementa, nec magis cum pane oleum, quam cum oleo aquam baptismalem confundi.* Video, inquam; neque miror. Illud miror, qui vir doctus hinc se educturum sperarit unctionem ex oleo ritum esse à baptismo alienum, & alterius seorsum à baptismo census atque ordinis. Hic (inquit) oleum cum aqua baptismali non magis quam cum pane Eucharistico *confunditur.* Certe; neque oleum credo, quisquam quo tingendus inungitur, cum aqua baptismali confundi ab iis putat, qui illud oleum baptismi cærimoniam esse censent. Neque panem Eucharisticum cum poculo Dominico confundit, qui ea ejusdem Sacramenti elementa esse docet. Theodotus hic ista non confudit fateor: sed neque ea divisit, neque definivit an sit eorum nexus inter sese vel aliquis, vel nullus. Quare? Quia hæc à re quam agit, plane erant aliena. Id enim unum hic agit, quædam vi nominis Dominici, tota natura externa immutata, novam quandam spiritualem ac mysticam virtutem accipere. Exempla attulit à ritibus sacris petita: quod satis fuit.

[a] Ibid. §. 8. 9. 10. pag. 131.

[b] Clement. Alexand. in Eclog. Theodot.

Cap. IX. ris fuit. Qui qualesque ritus fuerint, & qua inter se χέσιν quove nexu essent, non dixit: quia nihil id ad eius institutum pertinet. Itaque ex hoc loco de eorum elementorum censu atque ordine nihil in alterutram partem colligi potest. Tantum id legitime inde concluseris, quo tempore iste Theodotus vixit, jam in usu apud Valētinianos fuisse in sacris oleum. Quo autem tempore scriptor iste vixerit, incertum est: imo ne hæc quidem ex eo Clementem excerpsisse, plane affirmare audet Sylburgius. Illud constat, quisquis de cætero fuit, hæreticum fuisse: & quidem Valentinianum in plærisque: adeoque Valentino juniorem, qui cum sub Hadriano circa annum Dom. 138. eruperit, si non omnino certum, certe verisimillimum est eum post illum Christi annum vixisse. Diu-ne post, incertum. Si Clementem hæc excerpsisse, quod libri vulgati præferunt, verum est, probabile est eum ante ann. Dom. 194. vixisse, cujus meminit Clemens in Stromateon opere. Cum autem ex Tertulliano appareat, jam circa illa tempora oleum in baptismo apud Catholicos adhibitum fuisse, concedi potest oleum quosdam illius ævi Valentinianos à Catholicis sumpsisse, & in suæ ἀπολυτρώσεως sacro usurpasse. Id vero oleum apud ipsos Catholicos in baptismi ritibus fuisse ipse Hammondus censet: ut mox audiemus. Ergo & apud Valentinianos (si tamen illi Catholicos in eo imitati sunt) ἀπολυτρώσεως ritus in eodem censu fuit: & revera fuisse, ex Irenæo nuper liquido demonstravimus.

CAPUT IX.

Refellitur Argumentum III. pro unctionis à baptismi ritibus diversitate ex Theophilo Antioch. ductum. Unctio Tertullianea ipso fatente Hammondo, baptismalis ritus est. Solvitur Argumentum IV. Hammondi ex quodam Cornelij Episcopi Romani apud Eusebium loco; ad quem solennis quidam Hammondi dolus detegitur, mihi partes argumentantis, ubi respondeo, tribuentis; & nostra solutio ab adversarij instantiis vindicatur; ostenditurque eo loco nostram sententiam confirmari potius, quam subverti.

SEd ex istis perditissimoruum hæreticorum lustris, obscuris & tenebrosis, in apertam orthodoxorum scriptorum lucem veniamus. Primum ex hoc ordine vir doctissimus testem citat Theophilum Antiochenum: cujus nos verba supra attulimus & solvimus. Eadem etiam in opere de Confirmatione nostro *d* expenderamus, ac mystice de Spiritu Sancto, vera fidelium unctione, à qua nobis Christianismi & res & nomen, interpretati eramus. Id amicus noster vel refellere debuit, vel cur fastidiret, edere. Cum non fecerit, nos pace eius ab interpretatione Theophili nostra non discedemus. Quod enim annotat duplicem inter homines unctionis esse usum: unam recens natis, alteram athletis adhibitam,

c Hamm. ca. 6. sect. 1. §. 12. pag. 52.

d Dall. de Confirmat. Lib. 2 cap. 2. pag. 116.

bitam, fateor istas unctiones memorasse Theophilum: *e* Sed & alias æque memoravit: quas vir doctus dissimulare non debuit, ut *naves ungi, ungi turres & domos, nullum denique opus elegans & ornatum esse, nisi perungatur*; adhæc hunc ipsum *aërem* hanc *terram*, qua sub cœlo patet *lumine & Spiritu quodammodo inungi*; quo loco Paganum objurgans, Christianorum nomen ridentem; *Tu vero*, inquit, *recusas ungi oleo Dei*? *Oleo Dei* dicit, gratiæ scilicet, non naturæ; eadem metaphora qua aërem & terram *lumine & spiritu* inungi dixit. Dei enim spiritum, eundem & nostrum esse lumen, & nostram auram, quæ nos perflat, spirans ubi vult, omnes sciunt. Ex quibus liquet argutari virum doctum, qui ex duabus illis, quas callide solas memorat, nascentium & certantium unctionibus colligit duplex oleum τῶν βαπτιζομένων ἢ τῶν σφραγιζομένων hic à Theophilo intelligi. Ille vero multo plures unctiones, non tantum proprie, sed etiam metaphorice dictas edit; ex quibus in genere vindicat Christiani vocabuli honorem; & quale sit quamque nobile ac gloriosum illud quo ungimur & unde nomen sortimur, oleum, breviter sed signanter ostendit, dum id vocat ἔλαιον Θεοῦ *oleum Dei*: id est illud, quod non naturæ, sed unius Dei munus est, quod omnibus naturæ oleis longe præstantius atque excellentius, denique plane divinum est. Quamquam si vel de oleo visibili & Ecclesiastico loquutum velimus Theophilum (quod ego tamen parum consentaneum arbitror, nil cogit duplex illud oleum ei in animo fuisse, quod hinc vir doctus sane argute & ingeniose extudit. Satis fuerit de oleo illo accipere, quod apud Tertullianum, scriptorem supparem, in baptismo invenimus, de quo sane uno Theophili locum à Vicecomite intelligi supra *f* diximus: Nihil opus est alterum illud extra baptismum oleum pro libitu ex solo ingenio gratis huc inducere: quod neque apud Tertullianum, neque apud ullum verum certumque secundi tertiive seculi scriptorem reperire est.

CAP. IX.

e Theophil. Lib. 1. ad Autolys.

f Supr. L. 1. c.

Hic à Theophilo digressis Tertullianus in proximo occurrit: *g* ex quo vir doctus nihil pro sua ut sic dicã, *extra-baptismali* unctione objicit. Nobilem enim illum eius de unctione locũ, quem & in libro de Cõfirmatione secundo, *h* & in superiori de baptismi cærimoniis tractatu ad baptismum pertinere certis clarisque argumentis vicimus, *i* amicus noster concedit *k de unctione* (ut loquitur) *presbyterorum in baptismo* accipiendum, ut & illum alterum ejusdem scriptoris ex alio opere locum, *l* *Caro ungitur, ut anima consecretur*: verecundius atque honestius quam Latini, qui vel utrumque vel certe priorem præter manifestam rerum lucem ad suæ Confirmationis extra baptisma Sacramentum trahunt.

Post Tertullianum, audiendus est Cornelius, cuius insignem locum Latinis pro suæ Confirmationis Sacramento objicientibus in mea disputatione respondens demonstrare conatus sum nihil eo Latinorum causam juvari: ut patet ex iis quæ ibi scripsi, *m* *Id Cornelii testimonium & Bellarminus & Aurellius & alii omnes adversarii ad sua Confirmationis Sacramentum trahunt. Ego vero &c.* Ex quibus patet doctissimum

g Tertullian. de Bapt. c. 7.

h Libr. 2. de Confirmat. cap. 4.

i Supr. L. 1. c.

k Hamm. c. 2. sect. 2. §. 12. pag. 19.

l Tertull. de Resurr. carnis cap. 8. pag. 384.

m Dall. de Confirmat. Lib. 1. cap. 7. pag. 139.

Cap. VI. dum est. Ad pugnam parvulos nondum aptos esse confiteor; ad gratiam ex qua aliquando pugnaturi sint, jam tum suscipiendam, non magis inepti sunt, quam ad cætera dona, quæ vim suam olim ubi adoleverint, exertura nos à benigna Dei manu iam tum in illa ætatula capere eos non minus vere, quam pie credimus. Sed quid ego argumentis, velut in re obscura, utor? Clarum est inquam, tam infantes quam adultos apud veteres fuisse chrismatos & manus impositione confirmatos. Primum omnis Græcorum Ecclesia, quæ Latina neque minor est, neque recentior, neque paternorum rituum negligentior, infantes adultosque nullo discrimine chrismat. Viderint Latini qui his quatuor aut quinque retro seculis aliter instituerant; Eorum certe maiores decimo seculo infantes non modo tinxisse, sed tinctos statim unxisse, unctis è vestigio manus imposuisse diserte docet *d* Ordo ille Romanus, cuius nuper meminimus. Illic ante Pontificem videmus *deportari infantes*, simulatque tincti vestitique fuerint; & ab adultis eo discerni quod illi quidem *in brachiis dextris* (patrinorum scilicet) *tenentur*; *maiores vero pedem ponunt super pedem patrini sui.* Inde omnes Pontifex pariter & chrismat, & manu imposita confirmat. Ac ne quis de ætate dubitet, præter illud quod dicimus, *e Illud* (inquit) *de parvulis providendum est, ne postquam baptizati fuerint, ullum cibum accipiant, neque lactentur sine summa necessitate antequam communicent sacramento corporis Christi.* Ergo confirmabantur, etiam qui nondum erant ablactati. Eundem morem Gregorij P.R.I. temporibus fuisse in Ecclesia Romana observatum, patet ex ejusdem Pontificis libro sacramentorum ab Hugone Menardo ex antiquissimis codicibus nono minimum seculo scriptis edito; in quo eadem de parvulis occurrunt, quæ in Ordine Romano; cum hac item observatione *f* infantes, quos Pontifex est confirmaturus *non prohiberi lactari ante sacram communionem si necesse fuerit.* Sed & ante Gregorium chrismari infantes & manus impositione confirmari solenne fuisse satis nos docet Gennadius Massiliensis, quo loco de conversis ab hæresi; *g* Si vero (inquit) *parvuli sunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiunt, respondeant pro illis, qui eos offerunt, iuxta morem baptizandi, & sic manus impositione & chrismate communiti Eucharistiæ mysteriis admittantur.* Vides quam nulla fuerit veteribus illis religio etiam parvulos sive infantes tum chrismare, tum manus impositione confirmare: idque & in hæreticorum conversorum liberis in Ecclesiam admittendis & in aliis baptizandis usurpatum esse. Hoc enim non ipsa modo evidens rerum ratio suadet, sed & Gennadius diserte indicat, cum ait, quod in recipiendis hæreticorum parvulis fiebat, id *iuxta morem bapizandi* factum esse. Sed & ab ipsis hujus instituti principiis ita factum esse, abunde ex Cypriano patet, qui datam fuisse jam ævo suo infantibus baptizatis Eucharistiam non semel testatur. Cum enim ex vetustissimæ Ecclesiæ disciplina nulli Eucharistia concederetur, nisi qui factus esset perfecte Christianus, hanc autem Christianismi perfectionem nemini obtingere crederent; nisi qui chrismate

d Ordo Rō. Tit. Ordo in Sabb. S. p. 83.

e Ibid. p. 84. C.

f Sacram. Greg. Tit. Sabb. hora 8. p. 73. 74.

g Genn. de dogm. Eccl. c. 52.

chrismate & manus impositione consecratus esset: ut & alij non pauci, & ipse Cyprianus docent, & observavit *b* inter recentiores Albaspineus: profecto nemo non videt infantes sive parvulos solenni baptismo suscepto statim ipsos quoque utroque illo ritu fuisse perfectos. Hoc ergo statum & immotum maneat, iam inde à tertio seculo ad decimum apud veterem omnem Græcam Latinamque Ecclesiam hunc morem usumque fuisse, ut qui Christianismo solenni ritu initiarentur, baptismo suscepto iidem infantes, æque ac adulti statim sic chrismarentur, ut apud Græcos quidem chrismarentur tantum, apud Latinos vero chrismati etiam manu imposita & prece sive benedictione consecrarentur, sive, ut prisci loquebantur, *perficerentur*.

CAP. VI. *b* Albasp in Can.78. Eliberit. p.224.

Ex quibus nunc cuivis facile perspicere licet, quam sint inania, quæ vir doctissimus passim de his temere effutit. Verbi gratia, cum baptizatos, & complete in Ecclesiæ gremium à presbytero receptos *tam notum est* (inquit) *i quam quod notissimum ad Confirmationem & Episcopalium manuum impositionem, non STATIM, sed post lustra aliquos promoveri.* Sic hodie fieri apud Latinos, fateor. Apud veterem ante undecimum seculum Ecclesiam Græcam, latinamque ita factum esse, vel nunc apud Græcam ita fieri; id vero an Hammondo notum fuerit, nescio; mihi quidem adeo notum non est, ut nihil dici potuisse magis alienum à veritate, non modo credam, sed etiam demonstrem; ut ex his quæ proximè disputavi, satis patet. Non est melius, quod alibi ponit parvulos à presbytero, aut forte à Diacono tinctos, tum demum *ad Episcopum perduci cum adolescere cœperint.* De hodiernis Latinis verum; de Græcis, & iis qui apud veteres solenne baptisma susceperant, falsum, ut liquet ex superioribus. Quod vero ibidem apud Hammondum legitur *hoc in Romana Ecclesia minus diligenter observatum esse* (nimirum ut infantes baptizati prius adolescerent quam confirmarentur) id inquam subdole dictum est; quasi non alibi, quam Romæ infantes statim à baptismo chrismarentur, vel manus impositionem acciperent. Atqui neque ut puto, Romana est omnis Græcorum Ecclesia quæ quotquot tingit solenni ritu infantes, eosdem illico chrismat; neque olim, quod demonstravimus, aliter factum in cæteris Ecclesiæ etiam Occidentalis partibus. Sed audiri hic Georgium Cassandrum cupit *m* doctissimus Hammondus, *ut mitissimum & sapientissimum, pietatis non minus, quam pacis amatorem unicum.* Audiamus. *Confirmationis* (inquit ille) *usum ad ætatem paulo adultiorem differri est præter antiqua Ecclesiæ consuetudinem, in qua ad baptismum statim si fieri poterat, confirmatio sacri chrismatis accedebat.* Idem in loco alibi ab Hammondo descripto cum dixisset illam solennem *cum manuum impositione & chrismatis consignatione confirmationem*, tandem *differri nonnunquam cœpisse etiam in adultiorem ætatem quod* (inquit) *antiquitus NON FIEBAT.* Hæc Cassander, suo testimonio nostram sententiam clarissime constituens, neque obscurius ei adversum doctissimi Hammondi errorem refellens. Neque sane aliter de hac quæstione pronuntiare potuit,

i Hamm. c. 2. sect. 6. § 5. p.71. H.

k Id. c. 6. sect. 1. §. 14 p.134. *l* ib. §. 15.

m Ibid. ex Cass. Consult. c. 9.

n Id c. 6. Sect. 3. §. 17. p.149.

Cap. VI. nisi sua ipse decreta refigeret, qui ut jam observavimus, *chrismatis Confirmationem auctarium quoddam sacri baptismatis habitam fuisse* docet, eiusque *unctionem baptismo haud aliter fere atque calicem Domini corporis Dominici Sacramento, coniunctam fuisse.* Sed hic insurget Censor, se non hæc tantum, sed & alia quæ ille ibidem dicit, audiri voluisse, nimirum *tametsi hæc* de Confirmationis apud antiquos usu *ita ut descripsi se habeant, non displiciturum tamen bonis viris si eius usus ad ætatem paulo adultiorem differatur.* Fatendum est amicum nostrum hic suavem esse hominem; qui Cassandri spes & vota omnibus veterum testimoniis opponit, & à nobis anteferri vult. Vellem & ipsius, & Cassandri gratia, ut mihi liceret de his quæstionibus ita ut volunt, transigere. Sed non sinit Veritas, quæ omnibus non modo Cassandri, sed ipsius etiam Hammondi affectibus una mihi potior est. Atque hic cogor in Censore meo nonnihil in me æquitatis desiderare. Cum enim hic Cassandrum & Chemnitium alibi, mihi objicit, non videtur satis meminisse quam ego caussam agam in illa mea disputatione quam tanto studio refellendam suscepit. Illic enim quæro, non quid Cassander de Confirmationis tempore & ratione judicarit, quid Chemnitius de eius partibus philosophatus sit, quid ipse Hammondus ea de re cogitaturus esset; Ignoscant mihi bonorum virorum manes; Neque eos, neque eorum inventa, diem dū illa nostra scriberem, in animo habui; Vnum hoc quæsivi, quod adhuc hic quæro, quæ veterum fuerint illæ quæ tam multis apud eos locis occurrunt, chrismatio & manus impositio; quo seculo, quo animo, in quem finem inventæ sint, in quo religionis articulo administratæ fuerint. Noli me huic uni operi intentum objectis Cassandri & aliorum ejusdem census desideriis turbare. Nihil nunc quidem mea refert, quid illo de veterum ritibus fieri optarint; Doceam quinam illi veterum ritus fuerint. Et sane quo ii tempore fierent bene docuit Cassander; quo nomine & ei, & Hammondo, qui hunc mihi egregium profecto testem nihil de eo cogitanti suggessit, magnam gratiam habeo. Cæterum, quid ille in hoc veterum ritu, quem agnoscit, mutandum, & ad præsentia commodius inflectendum putat, non vacat nunc excutere. Alii curent, quibus res est cordi. Ego dolium hoc meum, ut institui, versabo. Eadem ratio eius est, quod ipse Hammondus judicat, *o* illam veteris ritus apud Latinos *mutationem non sine ratione, nec sine laude factam*; & cui alias *p prima Ecclesiæ antesignani* satis sunt, hic sui oblitus ne Gratianum quidem fastidit, juris Pontificii de ultima seculorum fæce consarcinatorem, quem in quodam suæ disputationis loco laudat, iura cum antiquis recta fronte pugnantia, hæc nimirum dantem. *Confirmandus sit perfectæ ætatis*; Ille *moneatur prius confessionem facere*; *Iejunus esto*, &c. Et Catechismum ipsum Romanum, multeum legislatorem inducit, veteribus omnibus oppedentem, ac *suadentem annum ætatis duodecimum expectandum* ad suæ Confirmationis suscipiendum sacramentum; & insuper *monentem, non solum fidem & pietatem afferre Confirmandos,*

o Hamm. c. 6. sect. 3. §. 17. p. 249

p Id ibid. sect. 1. §. 16. p. 135.

sed

sed graviora etiam peccata ex animo dolere, peccata confiteri, jejunia & CAP. VI.
alia pietatis opera exercere, quæ non nisi ab adultis præstari possunt. Hæc doctissimus Hammondus; quæ si de hodiernis Latinis, quæreretur, rectè & apposite afferrentur, quæ scilicet vincunt ab iis minime confirmari parvulos; quibus ista qui præceperit, merito furere judicabitur. Nunc cum quæratur, quis, non Latinorum, sed *primævæ Ecclesiæ* in chrismatione & manus impositione mos usúsque fuerit, non modo otiosa est omnis Gratiani & Tridentinorum Catechetarum auctoritas: sed etiam Hammondo damnosa: mihi contra quem pugnat, utilis. Nam si illi *primævæ Ecclesiæ antesignani* adultos solos, quod vult Hammondus, proprie ac per se confirmandos esse ut nunc Latini, ita ipsi olim putassent, pares Gratiani scitis leges tulissent; confessionem, & opera pietatis laboriosa quod nunc faciunt Tridentini, suis confirmandis æque suasissent (Neque enim his illos stultiores fuisse dixerit Hammondus) Atqui nullæ apud veteres cernuntur Gratianæis similes leges; nullæ Tridentinarum pares suasoriæ; Omnia apud illos isti Latinorum novello juri contraria; usque adeo ut quosdam inter ipsos non valde vetustos scriptores confirmandos reperiam, quos *lactari* vetant, donec peractum sit mysterium. Quid hinc aliud conclusero, quam quorum tam diversa jura sunt, diversum quoque fuisse morem? veteres adeo à suo chrismate, suaque manus impositione minime repulisse parvulos, quos ab his sacris Latini arcent, donec duodecimum annum attigerent? Sed hic est Latinorum, & Cassandri, & pæne omnium Antiquariorum morbus. Antiquitatem laudant; judicem rerum divinarum statuunt; siquis detrectet, aut aliquid excipiat, in eum velut *Novatorem*, Maiorum contemptorem involant, dirisque hominem devovent; ea tamen lege, ut antiquitatem ipsi ad suos mores quoties libet, effingant; & siquid aliter instituant, vetera eos non mutasse, sed emendasse putemus; idque ab illis cum *ratione & laude* factum consentiamus; quod siquis alius fecerit, cœlum ipsum violasse, & solem de rebus humanis sustulisse judicetur. Vt aliena mittam, Hammondus noster se antiquam Confirmationem defendere ad ravim ubique clamat; mihi, quæ qualisque fuisse visa sit, bona fide explicanti, invidiam facit, quasi vetera pulsem. Vbi ad rem ventum est, quod ego antiquum fuisse defendi, ut etiam infantes chrismarentur, ille mutatum non negat; cum *ratione & laude* mutatum ait: Quasi non aliud sit ab antiquo, quod *mutatum* est; quæcunque mutandi vel caussa vel ratio fuerit. Ergo si vera audiri fas est, in meam ipse sententiam transit; & quos hactenus ejus testes adduxi, iis ipse quoque *q* Hammondus adjiciendus est; qui quem *morem* tandem *obsoletum* fuisse dicit, hoc ipso quod tandem sit *obsoletus*, fuisse aliquando confitetur. Quod enim quem aliquando morem fuisse concedit, ut parvuli scilicet confirmarentur, cum *sub prima antiquitate* ad adultos solos *peculiariter pertinuisse* affirmat, audirem si ita fuisse demonstraret. Ille verò nusquam hoc probat; Ego planè aliud

q Hamm. c. 6 sect. 3. § 17. p. 149.

Cap. VI. aliud fuisse clare nisi me fallit animus, demonstravi. Cæterum an is mos etiam infantes confirmandi antiquus, recte & cum ratione mutatus sit, nihil quidem ad meam caussam magnopere interest; si tamen quid judicem, requiras, breviter sic habeto. Equidem laudare non possum, quod vetustissimi illi de secundo jam præcipiti seculo Patres baptismalem à Christo traditam absolutissimæ, divinissimæque simplicitatis disciplinam unctione, aliisque de genere hoc peregrinis ritibus, plebis affectibus nimium indulgentes, augere ac veluti locupletare & exornare præsumpserint. Parum prudens fuisse consilium infœlix eventus arguit. Ex his enim initiis res paulatim in proprie strictéque dictum religionis Christianæ sacramentum apud Latinos desiit, quod ipsi Dominicis institutis magno & pernicioso errore accensent, & pari cum iis dignitate ac majestate habendum decernunt. Si tamen, quod non obscure concedit Hammondus, id Patribus illis jus, eamque potestatem fuisse donaveris, ut iis huius generis ritus in religionem inducere, suisque ac posteris observandos decernere licuerit; non video, qua ratione hoc tu tibi sumas ut eosdem pro tuo arbitrio refingere possis. Neque profecto ulla occurrit vera ratio, cur ii ritus mutati sint. Nam quod supra obiter attigi, si res ad auctores revocetur, nihil repugnabat, quin parvuli infantes tam oleo ungi, quam aqua ablui possent. Omne mutandi consilium, non à ratione, sed ab errore profectum est. Nam quam auctores unctionem baptismo adjunxerant, cu mea paulatim inde avulsa esset, tandem pro peculiari, & à baptismi rebus seiuncto ritu haberi cœpit, & ad proprios quosdam usus finesque referri, qui parvulorum ætati parum congruere cum viderentur, eo denique ventum est, ut parvulis plane penitusque negandus putaretur huius unctionis usus. Atque hoc ipsum ni fallor, doctissimum Hammondum impulit, ut mecum de hac caussa tam acriter contendendum putaret. Itaque ut suus primævæ Ecclesiæ inventis honos servetur, neque ulla in ejus mores absurditas inducatur, necessario illuc redeundum est, ubi res à principio constituta fuit; nimirum, ut quam unctionem Patres statim à baptismo ministrasse, & parvulis infantibus non minus quam adultis concessisse videmus, eam fuisse confiteamur adnexam baptismo cærimoniam. Id enim si admissum fuerit, apparebit nihil in re tota fuisse incommodi, vel à cæteris veterum de religione dogmatis alienum; nullam adeo ejus mutandæ Latinos ex vero, sed ex errore tantum suo rationem habuisse. Mihi quidem, qui in primæ antiquitatis monumentis reperiebam chrismationem & manus impositionem in baptismo solenni omnibus promiscue tinctis, adultis infantibusque nullo discrimine, ministrari; qui in priscæ Ecclesiæ Ritualibus non alibi utrumque hunc ritum tradi videbam, quam in titulis de baptismo; ut apud Tertullianum, Pseudo-Clementem, Pseudo Dionysium, pseudo-Ambrosium, pseudo-Augustinum, Gregorium; apud ipsos quinetiam sequiorum seculorum scriptores Isidorum, Theodulphum, Magnum, Rabanum, Amalarium, PseudoAlcuinum,

cuinum, Ordinem Romanum, &c. mihi inquam hæc apud veteris observanti nulla vel Spalatini Archiepiscopi face (quod suspicatur Hammondus) vel alterius cujusquam admonitione magnopere opus fuit, ut ad baptismum pertinuisse eos ritus intelligerem, quos & ubique ita adnexos adjunctosque adhærere cernebam, ut quibus locis baptismus quidem describitur, nunquam deessem; neque in iis, unde abest baptismus, ipsi unquam adessent. CAP. VII.

CAPUT VII.

An unctio olim fuerit cærimonia à baptismo seiuncta? Hammondi aientis Argumentum I. ex Valentinianorum apud Irenæum Redemptione *sumptum refellitur. Illam* Redemptionis traditionem *fuisse Valentinianis vice baptismi. Inde retorquetur argumentum contra Hammondum. Ejus in loco Irenæi interpretando hallucinatio, putantis præter illam Redemptionis traditionem alium ab ea diversum ex aqua baptismum hæreticis fuisse. Obiter mortuorum apud Valentinianos unctionem non de Iacobi oleo, sed de Paganorum more sumptam videri.*

SEd quando satis nunc purgata videntur duo illa loca, in quæ sua scita, suasque hypotheses doctissimus Hammondus magna arte furtim sed frustra inducere conatus est; nunc ipsam de singulis testibus disputationem ingrediamur, quam ille parum ut videtur, auspicato, ab impurissimis teterrimorum hæreticorum Valentinianorum mysteriis exorsus est. r Eorum diversas, ut ipsi appellabant, *redemptionis* formas, sive rationes, quas quisque eorum pro libitu suo tradebat, referens Irenæus narrat quosdam quos initiant, *ad aquas ducere, atque inter baptizandum* mirificis quibusdam verbis, alios aliis uti, & qui initiatur respondere, *confirmatus & redemptus sum, ac redimo animam meam ab hoc seculo, & ab omnibus, quæ ab eo sunt in nomine Iao, qui redemit animam suam in redemptionem in Christo vivente,* ἐστήριγμαι καὶ λελύτρωμαι καὶ λυτροῦμαι τὴν ψυχήν μου ἀπὸ τοῦ αἰῶνος τούτου καὶ ἀπάντων τῶν παρ' αὐτοῦ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰαὼ &c. Et paucis interjectis de iisdem addit; *Tum autem eum, qui initiatus est, opobalsamo inungunt. Hoc enim unguentum fragrantiæ illius, quæ omnia exsuperat, typum esse aiunt,* ἔπειτα μυρίζουσι τὸν τετελεσμένον τῷ ὀπῷ τῷ ἀπὸ βαλσάμου, τὸ γὰρ μύρον τοῦτο τύπον τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα εὐωδίας εἶναι λέγουσι. Alios vero ex iis dicere, *ad aquam initiandos ducere rem esse supervacaneam*; cæterum hos *aquam oleo mixtam una cum vocibus* superiorum similibus *in caput initiandorum injicere*, & eos ex *balsamo* quoque inungere. Alios denique ista omnia repudiare, & perfectam redemptionem *in sola cognitione*, ἐπιγνώσει vel γνώσει sitam esse putare. Nollem amicum ad istas hæretico-

r Hamm. c. 6. sect. 1 §. 2. 3. p. 129. Iren. l. 1. c. 18 p. 107. B.

Cap. VII. rum lacunas confugisse, ut ex iis hypothesin, quam dicit, meam refelleret. Hoc enim eos, quibus non est notus, facile eo adducit, ut suspicentur veris illum & idoneis Patrum orthodoxorum testimoniis carere, qui perditissimorum hæreticorum impia ista, damnataque mysteria in hac disputatione adhibet. Bellarmino quidem ultima illa, qua laborat, testimoniorum ex prima antiquitate de suo balsamo penuria persuadere non potuit, ut tam inhonestum, tamque infame ex damnatissimorum hæreticorum institutis præsidium sibi petendum putaret. Atque hoc mihi mirabile visum esse confiteor, ut hanc Valentinianorum unctionem Latinus quidem sperneret, cui Confirmatio non alio elemento constat, quam unguento ex oleo & opobalsamo confecto; eandem vero homo Anglus avide nunc in hac disputatione arriperet, cui neque olei, neque opobalsami ad suam Confirmationem usus est. Quod argumento est eum, non ex Anglicanæ disciplinæ studio, quod obtendit, sed ex aliqua animi in me commotione librum hunc suum conscripsisse; non profecto ut illam defenderet, sed ut me peteret. Sed inane est quod hic quærit subsidium. *Valentinus*, inquit, *quæ à Catholicis didicerat, ad characterem suum transformavit.* Primo unde scivit hæc ipsius fuisse Valentini? Irenæus hæc non ei, sed quibusdam ejus discipulis tribuit. Nullius autem hæretici sectam à magistri sui norma licentius, & longius discessisse quam Valentinianos docet Tertullianus, usque adeo ut licet frequentissimum esset ejus ævo Valentinianorum collegium, apud unum tamen remanerent integra auctoris dogmata; f *Ita nusquam jam Valentinus (inquit) & tamen Valentiniani, qui per Valentinum. Solus ad hodiernum Antiochiæ Axionicus memoriam Valentini integra custodia regularum ejus consolatur.* Præterea incertum etiam est an oleum & opobalsamum ij ex Valentianis qui id in suorum initiatione adhibuerunt ab aliis aliquibus acceperint, an vero ipsi per se invenerint & commenti sint. Nihil enim nos de eo docet Irenęus. An quæso, necesse est hęreticos quęcunque habent, ab aliis sumpsisse, nihil ipsos suo Marte excogitasse? Neque hæc si statuamus eos aliunde imitatos esse, ideo putandum est ea ex Ecclesiæ ritibus hausisse. Multa enim illos à Paganis, & à Philosophis, quædam à Magis ipsis esse mutuatos, clarum certumq; est, eoque apertissime referenda sunt verba illa barbara, quibus eos Irenæus usos esse in sua initiatione refert. Sed neque illud certum est, quo præcise tempore hāc ex oleo & balsamo unctionē primū usurparint. Cum enim ex Irenæo habeamus non Valentinum ipsum, sed quosdam ex discipulis qui ab eo Valentiani dicebantur, huius moris auctores fuisse; credibile est hoc ipsis Irenæi temporibus fieri ab iis cœpisse. Itaque cum eo ipso tempore id est circa secundi seculi finem jam olei in baptismo apud Christianos usum fuisse ex Tertulliano constet, quamque unctionem baptismi cærimoniam ipse Hammondus fuisse fatetur; etiamsi illi quod cupit concessum fuerit, nimirum hos Valentinianos morem ex oleo ungendi à Catholicis accepisse; non ideo tamen sequetur quod inde concludit,

f Tertull. contr. Valent. c. 4. p. 291. A.

cludit, Catholicos in baptismo præter oleum, opobalsamum quoque adhibuisse; quod si verum esset, aliqua profecto occurreret ejus rei mentio vel apud Irenæum ipsum, vel apud Tertullianum, qui cæteras omnes baptismi cærimonias memorat, vel apud alios sive hujus sive sequentis id est tertii seculi scriptores. Atqui olei quidem Tertullianus & alii hujus census; balsami vero plane nulli meminerunt. Vnde multo credibilius est hæreticos Catholicorum oleo si hoc ab iis sumpserunt, opobalsamum de suo adjecisse; quo cærimonia esset magnificentior. Quæ causa & ipsos tandem sequentium temporum Catholicos eo impulisse videtur, ut oleo à majoribus suis tradito balsamum admiscerent. Denique quod caput est, ex his ita constitutis nihil tamen habet Hammondus quo unctionem illam colligat non unam fuisse apud Catholicos ex baptismi cærimoniis. Verius inde concludas ad baptismum pertinuisse. Hoc enim exsecrandum hæreticorum mysterium pro Catholicorum baptismo quandamque impiam ejus corruptelam fuisse, ex Irenæo manifestum est. Primo vetustissimus interpres ejus hunc capiti titulum præscribit. *Quot modi apud eos sunt regenerationis.* At *regeneratio* baptismus est; non est quod sciam, seorsum sumptum Confirmationis Sacramentum. Cum ergo illa, quæ hic ab Hammondo affertur, Valentinianorum *cærimonia*, unus sit ex illis *regenerationis modis*; si valet ex ejus comparatione ductum ad Catholicos argumentum, efficiet, ut quæ apud Catholicos erat unctio, ea ad *regenerationem* pertinuerit, baptismique adeo, qui regenerationis verũ ac unicum Sacramentum est, pars ritusque fuerit; non autem alterius cujusdam à baptismo *procul sejuncti* Sacramenti ritus. Idem Irenæus ipse significat cùm hoc istorum mysterium *redemptionis traditionem* vocat *ἀπολυτρώσεως παράδοσιν*, eandemque vocem postea non semel eodem sensu usurpat. Nimirum hæretici *redemptionem* appellasse videntur, quæ Catholicis *regeneratio* usitatius fere dicitur; quamquam neque à Catholicis *redemptionis* vocabulo in hoc argumento abhorreant ex illo Pauli ad Colossenses, *v in Filio habemus v redemptionem, per sanguinem ejus remissionem peccatorum.* Sed & Valentinianos vicissim *regenerationis* quoque vocabulum in hoc interdum argumento usurpasse inde colligo, quod eos ait Irenæus hoc mysterium suis necessarium eo esse dixisse, ut in eam virtutem, quæ supra omnia est, REGENERENTVR, *ἵνα εἰς τὴν ὑπὲρ πάντα δύναμιν ὦσιν ἀναγεγεννημένοι.* *Redemptionis* ergo traditio id est *remissionis peccatorum*, sive *regenerationis* haud dubie baptismus est. Tum ista apud Irenæum diserta sunt, *hanc* istorum hæreticorum *formam* sive *speciem* (*modum regenerationis* dixerat vetus interpres in capitis titulo) *à Satana suggestam esse ad baptismi nostræ in Deum regenerationis abnegationem*, *ὅτι εἰς ἐξάρνησιν τοῦ βαπτίσματος τῆς εἰς θεὸν ἀναγεννήσεως ἢ μὴν ὑποβέβληται τὸ εἶδος τῶν ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ.* Ex his liquet diabolicam hanc Valentinianorum cærimoniam salutari Catholicorum baptismo respondisse ac è regione fuisse oppositam; adeoque apud nefarios illos prædones eo loco fuisse, quo erat apud nostros baptismus,

CAP. VII.

Col. 1. 14.

Cap. VII. prismus. Cætera omnia eodem collineant; maxime quod quidam eorum aqua ipsa in hoc mysterio suos tingebant, *eos ad aquam ducentes*; quod ipsum Iustinus de Catholicorum baptismo dicit. Cum ergo hi omnes ab Irenæo commemorati Valentinianorum ritus ad *redemptionis*, ut ipsi vocabant mysterium pertinuerint, μυρισμὸν quoque, id est ex oleo & opobalsamo unctionem eodem pertinuisse necesse est; adeoque ex ejus cum Catholicorum sacris, quo Hammondus nititur, parallelismo, jam tum usitatam apud Catholicos ex oleo unctionem ad regenerationis Sacramentum, id est baptismum, referendam esse, ejusque appendicem atque auctarium fuisse; non quod Latini & cum iis Hammondus contendunt, proprium suique generis & ordinis à baptismo diversum ritum. Ita hanc Hammondi sententiam hæretici non modo nihil juvant, Sed etiam liquido pulsant atque labefactant. Neque hilum contrra valent minutæ ejus ad Irenæi locum observatiunculæ. Est inquit, *apud Valentinianos, sicut baptismi, ita &* ἀπολυτρώσεως *mentio.* Est inquam; sed ut rei quæ illis ritibus perficiebatur. Hanc enim quam dicunt, ἀπολύτρωσιν baptismo itidem ut cæteris ritibus, qui ab Irenæo describuntur, haberi perficique volebant. Sed iis, inquit Hammondus, baptismus quidem *eras ad pœnitentiam*; ἀπολύτρωσις vero, *redemptio ad perfectionem.* Quis inquam, baptismus? Nimirum *baptismus* τοῦ φαινομένου Ἰησοῦ, *Iesu apparentis*, qui scilicet in carne apud Iordanem apparuit, baptismus *qui à Ioanne ad pœnitentiam annunciatus est*, τὸ ὑπὸ Ἰωάννου καταγγελθὲν εἰς μετάνοιαν βάπτισμα. Hoc scilicet baptismate negabant posse hominem perfici. Aliud vero esse baptisma fatebâtur, de quo Christum dixisse volebant, *Baptismo alio habeo baptizari*; & *Potestis baptismo eo baptizari, quo baptizatus sum?* Hic vero *baptismus* est, quem illi ἀπολυτρώσεως redemptionis nomine indigetabant; Priorem *Iesu apparentis*, & Ioannis *ad pœnitentiam* fuisse; ἀπολύτρωσιν *redemptionem* ad perfectioné esse. Illum *animalem*, hunc *spiritualem* esse statuebant. Illum vero à Ioanne annuntiatum & ab Iesu apparente susceptum baptismum hi Valentiniani, utpote suo judicio carnalem & animalem, plane penitusque respuebant, eamque fortasse, qui apud Catholicos solennis erat, ejusmodi esse docebant. Illius vero loco alium quendam baptismum à Domino verbis nuper ex Evangelio descriptis significatum scilicet, commendabant & ministrabant; ipsum illum quem *Redemptionis* nomine vulgo appellabant; cujus illa ipsa in aqua lotio, pars erat, quæ à nonnullis eorum in hoc suo mysterio usurpabatur; idque nos disertissime docet Irenæus. Præfatus enim hanc ex ipsorum dogmate, baptismi nomine à Christo significatam & à Paulo sæpe memoratam REDEMPTIONEM *ab ipsis varie differenterque tradi*, variasque illas apud eos usitatas tradendæ huius REDEMPTIONIS rationes ac formas recensens, unam quorundam formam executus, ad alteram statim ita transit; *Alii vero ad aquam ducunt* (initiandos scilicet ad redemptionem) atque inter baptizandum his verbis utuntur: *In nomen ignoti Patris universorum; in*

[illegible] *veritatem*

Veritatem matrem omnium, in eum qui in Iesum descendit, in unionem & REDEMPTIONEM & communionum virtutem, εἰς ὄνομα ἀγνώστου πατρὸς τῶν ὅλων, εἰς ἀλήθειαν μητέρα πάντων, εἰς τὸν κατελθόντα εἰς Ἰησοῦν, εἰς ἕνωσιν καὶ ΑΠΟΛΥΤΡΩΣΙΝ καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων. Et Irenæanæ narrationis series, & ista baptismi istius forma, & ipsum ἀπολυτρώσεως discerte memoratum nomen, invicte demonstrant hanc istos in aqua lotionem non pro psychico, animali Ioannis & Iesu apparentis baptismo habuisse, sed ipsissimam illam Christi qui in Iesum descendit, *REDEMPTIONEM* ab Iesu consequendæ perfectionis caussa allatam censuisse & ab aliis censeri voluisse. Ex quibus intelligere licet toto quod aiunt cœlo ab istorum mente aberrasse amicum nostrum, cum putavit istos Valentinianos, suum ipsorum, quem in isto redemptionis mysterio factitabant, baptismum ad pœnitentiam tantum retulisse; & *redemptioni* ad quam aspirabant, opposuisse. Imo hanc suam lotionem ad *redemptionem* ipsam ex eorum mente pertinuisse, & ejus mysterij quo se ad eum perduci delirabant, partem ritualem fuisse clarum est. Quem vero ad *pœnitentiam* datum esse dicebant *baptismum*, eo non suam aut suorum initiatorum, sed Ioannis Præcursoris tinctionem, intellexisse. Nisi ergo Catholicorum humiliorem & abiectiorem de suo baptismo fuisse sententiam velimus, quam quæ Valentinianorum de sua lotione fuit; necessario fatendum est eos baptismo suo illam quoque *perfectionem* adscripsisse, quam isti suæ redemptioni tribuebant; oleum adeo quo suos ungebant, & quo perfectionem illam contineri vult Hammondus, ad baptismum suum pertinere putasse.

Iam quod idem observat, post hæc apud illos Valentinianos initiatum respondisse, *Confirmatus & redemptus sum* &c. & his dictis opobalsamo inunctum; difficile dictu est, quo id tendat. An quod iste τετελειωμένος *initiatus* vel *perfectus* dicitur, eo ad eius initiationem sive perfectionem nihil defuisse colligit? Colligat per me licet. Nihil enim si rem ipsam spectes, defuit; idque ipse initiatus significat dum clamat, se *confirmatum & redemptum esse*. *Redemptionis* enim nomine summam mysterij significabant. Sed inde non sequitur eum jam hoc ipso momento habere rei ultimum, quod mox statim accipit, symbolum; nimirum unctionem ex opobalsamo, *quod typum esse eius suavitatis sive fragrantiæ dicebant, quæ sit super universa*, τὸ γὰρ μύρον τοῦτο τύπον τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα εὐωδίας εἶναι λέγουσι. Quomodo & in Catholicorum mysterio veteres putasse haud gravate concedam, qui baptizatus erat, eum reipsa initiatum fuisse, & quæ ad salutem ducunt habuisses, tametsi nondum oleo, quo illa perfectio significabatur, perunctus esset. Neque enim ideo necesse est aut Valentinianorum balsamum illius Redemptionis, quam jactabant, aut Catholicorum oleum, ejus baptismi quo suos initiabant, ritum aut cærimoniam non fuisse. Eodem pertinent quæ ex Irenæo subjicit [x] Hammondus, de aliis quibusdam Valentinianis, qui suos quidem initiandos ad aquam minime ducebant, neque adeo tingebant, quod superioris

CAP. VII.

[x] Hamm. ubi supr. p. 129.

Cap. VII. perioris fecisse diximus; *super eorum tamen capita oleum & aquam una permixta, cum profanis quibusdam dictionibus mittebant, idque redemptionem esse volebant, eosdem autem & opobalsamo ungebant.* Hic aqua & oleo aspersos video, quod istos ex baptismo Christianorum Tertullianei seculi mutuatos videri posse concedo; Eo meam sententiam everti nego; Potius (si quid hæreticorum instituta valerent) firmari dicerem. Hi enim oleum ab aqua adeo non sejungebant, ut utrumque in unum veluti corpus commiscerent; quo liquido id quod dicimus, constituitur, unctionem ex oleo baptismalis ex aqua tinctionis adjunctum fuisse. Opobalsamum hæreticos de suo adjecisse non dubito, cujus scilicet nulla in nostrorum sacris toto secundo tertioque seculo mentio apud Ecclesiasticos scriptores occurrit, neque si aliter esset, eo fieret, ut unctionem ex oleo à baptismi sacro procul tunc sejunctam fuisse credendum sit. Hic enim Valentinianea ex balsamo unctio aquæ & olei aspersionem statim & ἀμέσως sequitur: veluti sint duæ ejusdem Sacramenti partes. De Confirmationis postremo nomine, quod in his apud Irenæum legitur, frustra sibi blanditur y amicus noster. Fateor hoc esse Latinum ritus ipsius nomen: *Confirmatus sum & redemptus sum* Græcum verbum quo hic usus est Irenæus, longe aliud: ἐστήριγμαι ϗ λελύτρωμαι. Græci *Confirmationis* unctionem σφραγῖδα, σφραγισμὸν & aliis nominibus significant; στηριγμὸν quod equidem meminerim, nunquam vocare solent. Et hic aliud quid à Confirmatione significari patet. Qui hæc enim dicit initiatos, nondum opobalsamo illo confirmatorio unctus erat. Nam paulo postquam hæc recitavit Irenæus, addit; ἔπειτα μυρίζουσι τὸ τετελεσμένον. &c. *Postea initiatum inungunt* &c. Ergo nihil cum illo στηριγμῷ, quem iste se consecutum dicit, commune habere potuit balsamum, quo nondum erat delibutus.

y Ib. p. 130.

Quæ vir doctiss. de oleo aquæ immixto, quod iidem hæretici, in morituri hominis caput injiciebant, dicit, z ea ad præsentem quæstionem non pertinent. Ait palam esse ritum è Iacobo petitum esse. Certè Iacobus de oleo loquitur, quo infirmum ungi præcipit à Presbyteris, ut evadat & convalescat. De aqua oleo immiscenda nihil dicit. Præterea non est certum viventis ne an mortui hominis caput Valentiniani suo illo oleo asperserint. Ambigue est Irenæi oratio; τινὲς δὲ αὐτῶν ἔλαιον ὕδατι μίξαντες ἐπιβάλλουσι τῇ κεφαλῇ τοῦ ἐξελθόντος. Scio Billium hoc ultimum verbum accepisse *de homine ex hac vita iam iamque excessuro.* Sed reclamat vetus interpres; *Alii sunt* (inquit) *qui mortuos rediment ad finem defunctionis mittentes eorum capitibus oleum & aquam.* Et Theodoretus Ascodrytos suis, sed post mortem hanc quoque medicinam fecisse auctor est. Certe aoristus ἐξελθὼν præteritum potius quam paulo post futurum significare solet. Si hoc sensu acceperim, ego hæreticos ritum istum non à Iacobo, à quo res tota valde aliena est, sed à Gentilibus potius sumpsisse crediderim, quibus familiare fuisse suos mortuos lavare & ungere notum est.

z Id. c. 6 sect. 1 §. 6. p. 130.

Tarquinii

Tarquinii corpus bona fœmina lavit & unxit.

------corpusque lavant frigentis & ungunt.

Iudæos mitto; apud quos mortuorum corpora lavare & accuratissime aromatis condire solenne fuit. Neque morem Christianos sprevisse ex Pseud' Areopagita apparet, qui ea inter sacra retulit, *& super mortuo oleum à Pontifice fundi tradidit.* Sin de homine adhuc vivente sed suprema agente Irenæum accipere placet, ne sic quidem *palam esse* videtur hoc à Iacobo petivisse Valentinianos. Iacobus enim non moribundum, aut animam agentem, sed *infirmum*, & morbo aliquo laborantem dicit; neque ungi eum præcipit ad præsidium contra obeunda mortuis pericula, sed ad sanitatem homini restituendam. Sed hæc quæ sunt ab instituta disputatione aliena, mittamus.

CAPUT VIII.

Solvitur Hammondi argumentum pro sua opinione II. ex quodam Theodoti Valentiniani apud Clementem Alex. dicto.

ALium amicus noster ex eadem Valentini schola testem suę chrismationi edit, *a* Theodotum, cujus hęc ῥῆσις inter Clementis Alexandrini eclogas legitur; *b* Καὶ ὁ ἄρτος καὶ τὸ ἔλαιον ἁγιάζεται τῇ δυνάμει τοῦ ὀνόματος, ἃ (sic enim legendũ, non οὐ quod vitiosum est, libens viro doctiss. assentior) τὰ αὐτὰ ὄντα κατὰ τὸ φαινόμενον οἷα ἐλήφθη, ἀλλὰ δυνάμει εἰς δύναμιν πνευματικὴν μεταβέβληται. *Panis & oleum, vi nominis sanctificantur, quæ eadē quæ accepta erãt secundũ id quod apparet manẽtia, potẽtia tamen in spiritualē potentiã transmutantur.* Idemq; de aqua sanctificata sive ab baptismũ, sive ad exorcismum dicit. *Vides hic* (inquit Hammondus) *panem, oleum, aquam, totidem sacrorum rituum elementa, nec magis cum pane oleum, quam cum oleo aquam baptismalem confundi.* Video, inquam; neque miror, Illud miror, qui vir doctus hinc se educturum sperarit unctionem ex oleo ritum esse à baptismo alienum, & alterius seorsum à baptismo census atque ordinis. Hic (inquit) oleum cum aqua baptismali non magis quam cum pane Eucharistico *confunditur.* Certe; neque oleum credo, quisquam quo tingendus inungitur, cum aqua baptismali confundi ab iis putat, qui illud oleum baptismi cærimoniam esse censent. Neque panem Eucharisticum cum poculo Dominico confundit, qui ea ejusdem Sacramenti elementa esse docet. Theodotus hic ista non confudit fateor: sed neque ea divisit, neque definivit an sit eorum nexus inter sese vel aliquis, vel nullus. Quare? Quia hæc à re quam agit, plane erant aliena. Id enim unum hic agit, quædam vi nominis Dominici, tota natura externa immutata, novam quandam spiritualem ac mysticam virtutem accipere. Exempla attulit à ritibus sacris petita: quod satis fuit.

a Ibid. §. 8. 9. 10. pag. 131.

b Clemens. Alexand. in Eclog. Theodot.

tis fuit. Qui qualesque ritus fuerint, & qua inter se τάξει quove nexu essent, non dixit: quia nihil id ad eius institutum pertinet. Itaque ex hoc loco de eorum elementorum censu atque ordine nihil in alterutram partem colligi potest. Tantum id legitime inde concluseris, quo tempore iste Theodotus vixit, jam in usu apud Valentinianos fuisse in sacris oleum. Quo autem tempore scriptor iste vixerit, incertum est: imo ne hæc quidem ex eo Clementem excerpsisse, plane affirmare audet Sylburgius. Illud constat, quisquis de cætero fuit, hæreticum fuisse: & quidem Valentinianum in plærisque: adeoque Valentino juniorem, qui cum sub Hadriano circa annum Dom. 138. eruperit, si non omnino certum, certe verisimillimum est eum post illum Christi annum vixisse. Diu ne post, incertum. Si Clementem hæc excerpsisse, quod libri vulgati præferunt, verum est, probabile est eum ante ann. Dom. 194. vixisse, cujus meminit Clemens in Stromateon opere. Cum autem ex Tertulliano appareat, jam circa illa tempora oleum in baptismo apud Catholicos adhibitum fuisse, concedi potest oleum quosdam illius ævi Valentinianos à Catholicis sumpsisse, & in suæ ἀπολυτρώσεως sacro usurpasse. Id vero oleum apud ipsos Catholicos in baptismi ritibus fuisse ipse Hammondus censet: ut mox audiemus. Ergo & apud Valentinianos (si tamen illi Catholicos in eo imitati sunt) ἀπολυτρώσεως ritus in eodem censu fuit: & revera fuisse, ex Irenæo nuper liquido demonstravimus.

CAPUT IX.

Refellitur Argumentum III. pro unctionis à baptismi ritibus diversitate ex Theophilo Antioch. ductum. Unctio Tertullianea ipso fatente Hammondo, baptismalis ritus est. Solvitur Argumentum IV. Hammondi ex quodam Cornelij Episcopi Romani apud Eusebium loco; ad quem solennis quidam Hammondi dolus detegitur, mihi partes argumentantis, ubi respondeo, tribuentis; & nostra solutio ab adversarij instantiis vindicatur; ostenditurque eo loco nostram sententiam confirmari potius, quam subverti.

SEd ex istis perditissimoruum hæreticorum lustris, obscuris & tenebrosis, in apertam orthodoxorum scriptorum lucem veniamus. Primum ex hoc ordine vir doctissimus testem citat Theophilum Antiochenum: cujus nos verba supra attulimus & solvimus. Eadem etiam in opere de Confirmatione nostro *d* expenderamus, ac mystice de Spiritu Sancto, vera fidelium unctione, à qua nobis Christianismi & res & nomen, interpretati eramus. Id amicus noster vel refellere debuit, vel cur fastidiret, edere. Cum non fecerit, nos pace eius ab interpretatione Theophili nostra non discedemus. Quod enim annotat duplicem inter homines unctionis esse usum: unam recens natis, alteram athletis adhibitam,

c Hamm. ca. 6. sect. 1. §. 11. pag. 152.
d Dall. de Confirmat. Lib. 2. cap. 2. pag. 116.

bitam, fateor istas unctiones memorasse Theophilum: *e* Sed & alias aeque memoravit: quas vir doctus dissimulare non debuit, ut *naves ungi, ungi turres & domos, nullum denique opus elegans & ornatum esse, nisi perungatur*; adhaec hunc ipsum *aërem* hanc *terram*, qua sub coelo patet *lumine & Spiritu quodammodo inungi*; quo loco Paganum objurgans, Christianorum nomen ridentem; *Tu vero*, inquit, *recusas ungi oleo Dei*? *Oleo Dei* dicit, gratiae scilicet, non naturae; eadem metaphora qua aërem & terram *lumine & spiritu* inungi dixit. Dei enim spiritum, eundem & nostrum esse lumen, & nostram auram, quae nos perflat, spirans ubi vult, omnes sciunt. Ex quibus liquet argutari virum doctum, qui ex duabus illis, quas callide solas memorat, nascentium & certantium unctionibus colligit duplex oleum τῶν βαπτιζομένων καὶ τῶν σφραγιζομένων hic à Theophilo intelligi. Ille vero multo plures unctiones, non tantum proprie, sed etiam metaphorice dictas edit; ex quibus in genere vindicat Christiani vocabuli honorem; & quale sit quamque nobile ac gloriosum illud quo ungimur & unde nomen sortimur, oleum, breviter sed signanter ostendit, dum id vocat ἔλαιον θεοῦ *oleum Dei*: id est illud, quod non naturae, sed unius Dei munus est, quod omnibus naturae oleis longe praestantius atque excellentius, denique plane divinum est. Quamquam si vel de oleo visibili & Ecclesiastico loquutum velimus Theophilum (quod ego tamen parum consentaneum arbitror, nil cogit duplex illud oleum ei in animo fuisse, quod hinc vir doctus sane argute & ingeniose extudit. Satis fuerit de oleo illo accipere, quod apud Tertullianum, scriptorem supparem, in baptismo invenimus, de quo sane uno Theophili locum à Vicecomite intelligi supra *f* diximus: Nihil opus est alterum illud extra baptismum oleum pro libitu ex solo ingenio gratis huc inducere: quod neque apud Tertullianum, neque apud ullum verum certumque secundi tertiive seculi scriptorem reperire est.

e Theophil. Lib. 1. ad Autolyc.

f Supr. L. 1. c.

Hic à Theophilo digressis Tertullianus in proximo occurrit: ex quo *g* vir doctus nihil pro sua ut sic dicã, *extra-baptismali* unctione objicit. Nobilem enim illum eius de unctione locũ, quem & in libro de Cõfirmatione secundo, *h* & in superiori de baptismi caerimoniis tractatu ad baptismum pertinere certis clarisque argumentis vicimus, *i* amicus noster concedit *k* *de unctione* (ut loquitur) *presbyterorum in baptismo* accipiendum, ut & illum alterum ejusdem scriptoris ex alio opere locum, *l* *Caro ungitur, ut anima consecretur*: verecundius atque honestius quam Latini, qui vel utrumque vel certe priorem praeter manifestam rerum lucem ad suae Confirmationis extra baptisma Sacramentum trahunt.

g Tertullian. de Bapt. c. 7.

h Libr. 2. de Confirmat. cap. 4.

i Supr. L. 1. c.

k Hamm c. 2. sect 2. §. 12. pag 19.

l Tertull. de Resurr. carnis cap. 8. pag. 384.

Post Tertullianum, audiendus est Cornelius, cuius insignem locum Latinis pro suae Confirmationis Sacramento objicientibus in mea disputatione respondens demonstrare conatus sum nihil eo Latinorum caussam juvari: ut patet ex iis quae ibi scripsi, *m* *Id Cornelii testimonium & Bellarminus & Aurelius & alii omnes adversarii ad sua Confirmationis Sacramentum trahunt. Ego vero &c.* Ex quibus patet doctissimum

m Dall. de Confirmat Lib. 2. cap. 7. pag. 139.

Cap. IX. Hammondum mihi perperam non respondentis, quas revera ago, sed probantis sive demonstrantis partes hic & alibi fere in tota disputatione tribuere: mecumque ipsam pæne perpetuo sic agere: quasi ipsi hoc tantũ a in hac disputatione incumbat, ut me argumentis κατασκευαστικοῖς ea quæ sequor constituentem audiat, & argumenta à me allata solvat; ipsum interim feriari neque de suis firmandis & stabiliendis, ac ut sic dicam fundandis hilum laborare necesse sit. Atqui plane aliter res habet. Cum enim eam, quam extra baptismum locat, chrismationem neque iure divino neque usu Apostolico constitutam esse fateatur; eamque ex oleo unctionem quæ apud Tertullianum centum post Apostolorum mortem annis diserte memorata reperitur, ultro agnoscat ad baptismum pertinuisse eiusque ritum fuisse. profecto si mihi, quod cupit, persuadere vult, fuisse scilicet iam tum apud Christianos non quidem ab Apostolis, sed tamen ab Ecclesiæ præpositis inductam unctionem aliquam præter eam, quam in baptismo tum adhiberi cœptam, fateor; necesse est ut ex Patrum, qui illis temporibus vixerunt libris testimonia mihi afferat, quæ clare alteram illam unctionem extra baptismum, omnesque baptismi cærimonias, suo seorsum ordine fidelibus iam plene initiatis administratam illo seculo fuisse. Mihi audiendi sunt testes quos adducit; eorum voces expendendæ, quæ si ad unctionem illam Tertullianeam baptismalem, de qua inter nos consentimus, referri possint, neque ulla ratio afferatur, cur de ea non possint intelligi: apparet virum doctum nihil causæ habiturum, cur me reprehendat, quod nondum credam suam illam extra baptismalem unctionem iam tum extitisse apud Christianos. Neque enim æquum est te à quoquam postulare, ut iis assentiatur, quorum tu veritatem nullus ei demonstras. Itaque pro iis, quæ adversus me ita dicit Vir doctissimus, *Duo adhuc palmaria sunt, quibus præcipue hypothesin suam contra omnem ictum stabiliri putat Dallæus*; dicere potius debuerat, *Nostra adhuc supersunt ex Cornelio, & aliis palmaria argumenta, quæ Dallæus frustra diluere conatur.* Hæc vera est meæ cum doctissimo Hammondo caussę constitutio. Quid ergo pro sua extra-baptismali chrismatione affert ex Cornelio Romano Episcopo? Is nimirum in Epistola ad Fabium Antiochenum sua, Novatianum exagitans, ita de eo scribit; b *In morbum* (inquit) *gravissimum collapsus, tum iam iamque moriturus creditur, in ipso, in quo iacebat lectulo perfusus baptismum suscepit; si tamen huiuscemodi baptismum suscepisse dicendus est. Sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit, quæ iuxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandẽ modo Spiritum Sanctũ potuit accipere?* Νόσῳ περιπεσὼν χαλεπῇ, καὶ ἀποθανεῖσθαι ὅσον οὐδέπω νομιζόμενος, ἐν αὐτῇ τῇ κλίνῃ ᾗ ἔκειτο, περιχυθεὶς ἔλαβεν. εἴγε χρὴ λέγειν τὸν τοιοῦτον εἰληφέναι. οὐ μὴν οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε διαφυγὼν τὴν νόσον. ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα. τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. τούτου δὲ μὴ τυχὼν, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε; Græca repræsentamus ex castigatissima

a Hamm c. 4. sect. 1. §. 1.

b Cornel. apud Euseb. Hist. L. 6. c. 43. p. 144. C.

[illegible]

castigatissima clarissimi viri Henrici Valesii editione, Latina ex eiusdem interpretatione. In Græcis illud ipsum τοῦτι σφραγισθῆναι, pro οὐδ' quod antehac in vulgatis legebatur, repositum est, quod cupiebat Hammondus. Ille vero hoc testimonium *illustre* vocat: *p in eo omnia esse luce ipsa clariora.* Aliud enim esse τὸ σφραγισθῆναι, *consignationem: aliud* τὰ λοιπὰ, *reliqua.* Vult nimirum illa reliqua, quæ Novationi tinctioni sive baptismo deerant, ritus baptismi perfectivos: ut mellis forte & lactis prægustationem, & si quæ aliæ tum erant Romę solennes baptismi cærimoniæ. Consignationem ritum esse ab his divisum, diversi adeo à baptismo census atque ordinis: quia extra illa reliqua ponitur: *reliqua* (inquit Cornelius) non perceperat Novatianus, nec consignationem Episcopalem. Ego vero respondeo *consignationem* ritum esse revera alium ab iis, quæ tametsi non nominata intelligit Cornelius: idque ex eius verbis probe concludi: Consignationem alterius esse, quam ista alia generis atque ordinis, hoc est ritum non baptismalem, quales illæ aliæ sunt non nominatæ cærimoniæ, id vero nego: nego ex Cornelii verbis haberi. Λοιπὰ reliqua illa, quæ dicit, ea sunt, ut ipse definit, quæ *iuxta Ecclesiasticam regulam* percipi debent ab eo qui baptizatus est, ad hoc ne eius initiatio mutila, & imperfecta sit, qualis reputabatur, illa Clinicorum lotio, qua perfusus erat Novatianus. Atqui *consignari ab Episcopo*, unum est & quidem præcipuum, ex his quæ ad hoc requiruntur. Ergo consignari est unum ex illis reliquis, quæ Novatiano defuisse obiicit Cornelius. At si in illorum reliquorum censu consignatio est: quid (inquies) necesse fuit eam proprie nominari? Nominari eam fateor non fuit necesse: sed neque nefas fuit. Ad perspicuitatem aliquid ex iis dici utile fuit: ad exaggerationem Novatianeæ labis, & quidem id quod in eo ordine excellentissimum fuit, nominari operæ pretium fuit. Qualis est haud dubie consignatio, totius initiationis finis ac corona. Talium exemplorum plenus est hominum sermo. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione* (inquit Lucas) *q cum mulieribus & Maria matre Iesu. Dicite* (inquit Marcus) *r discipulis eius, & Petro.* Nemo ex his collegerit vel Mariam non fuisse mulierem, & quidem earum unam, quas Evangelista significat; vel Petrum non fuisse unum ex illis Domini discipulis, de quibus Marcus loquitur. Non est felicior amici nostri ratiocinatio consignationem unum ex *istis reliquis*, quæ Cornelius intelligit fuisse ideo negantis, quod Cornelius dicat Novatianum neque *illa reliqua*, neque *τὸ consignari ab Episcopo*, percepisse, vel consecutum esse. Vt ex duobus primis hoc tantum recte concluseris & Mariam præ istis mulieribus communi tantum nomine censitis, & Petrum præ illis quibus conjungitur Iesu discipulis aliquid eximii & præcellentis habuisse, ita & ex tertio, *τὸ consignari* inter reliquas baptismi cærimonias excelluisse non male ut opinor, concluseris; non fuisse ipsum consignari, unam ex istis cærimoniis inde concludenti, non equidem ausculto. Aliis argumentis opus erat, si me volebat Hammondus

CAP. IX.

p Hamm. c. 4. sect. 1 §. 8. & §. 6. 7 p. 109. 110.

q Act. 1. 14.
r Marc. 16. 7.

Cap. IX. mondus in suam sententiam tahere. Mitto, quod de chrismate, etsi nulla ejus esset præ cæteris ritibus ὑπεροχὴ, potuit tamen Cornelius nulla meæ sententiæ fraude sic loqui, ut diceret Novatianum non percepisse eliqua *quæ ex canone Ecclesiastico percipi debent, neque consignationem*. Nimirum in his dicendi formis ellipsi in omni sermone familiarissima supprimitur nomen *alia*; τὰ λοιπὰ *reliqua*, pro *reliqua alia*. Itaque hæc Cornelij significant Novatiano defuisse *reliqua* alia, *& consignationem*; id est non modo cætera alia, quæ canon Ecclesiasticus adhiberi vult, sed etiam consignationem; quo consignatio adeo ex baptismalium rituum censu non excluditur, sed eo apertissime includitur. Quod vero τούτου δὲ μὴ τυχὼν, *neque id adeptus ut chrismaretur* scilicet, in unius numero dictum vexat, [s] negans hoc ad τὰ λοιπὰ, quod est in numero plurium sine fœdo solecismo referri posse, id inquam, perleve est. Nam si hoc ad τὰ λοιπὰ referre placet, commodùm ecce adsunt, ut aures Grãmaticas placemus, manuscripti libri tres, Mazarinæus, Medicæus, & Fuketanus, in quibus vir optimæ fidei H. Valesius ὁ πάνυ testatur constanter legi in numero plurium, τούτων δὲ μὴ τυχὼν, non in singulari, τούτου δὲ μὴ τυχών. *Hæc vero* (non *hoc vero*) non adeptus, Sed esto, nihil mutemus; & hoc quod dicit Cornelius, non ad reliquos solennis baptismi omissos in clinicis ritus, sed ad unam consignationem referamus; id factum ideo dicam, non quod ea sit extra baptismi ritus, sed quod inter omnes baptismi cærimonias hæc maxima Spiritus dona & suo oleo repræsentat & sua benedictione aduocat. Nihil ergo est in hoc *tam illustri* Cornelij testimonio, quod consignationem à baptismo divellere nos cogat. Itaque cum eam Tertullianus in baptismi cærimoniis, etiam fatente Hammondo collocet, neque quicquam in ea apud Christianos à Tertulliani ævo ad Cornelium mutatum fuisse appareat; cum bona Hammondinæ sententiæ venia, nos eam, quam Cornelius memorat *consignationem* eodem in loco manere patiemur, neque de illa, quam Cornelij posteri excogitarunt, sancti Episcopi verba capiemus. Cætera quæ à me ad Cornelij locum dicta erant, cum ex propriis Latinorum hypothesibus procedere Hammondus probe intellexerit, ea contra Latinos solos allata esse, non autem contra Anglos, qui illas hypotheses repudiant, satis inde patere videbat. Sed eum tanta libido mei reprehendendi incessebat, ut hæc, quæ ipse nihil ad se pertinere confitetur, vellicare tamen ac perstringere voluerit. Quod ergo ait à Clero & populo Romano intercedente, quominus Novatianus in clerum à Fabiano allegeretur, unum hoc objectum esse, quod in lecto baptizatus esset; id ego nusquam negavi; & tamen ita mecum agit amicissimus ille meus Censor, quasi id negaverim; eoque ni fallor, verborum meorum ex quibus hanc mei criminandi occasionem arripuit, partem tantum descripsit; cætera ex quibus mens mea perspici poterat, omisit. In his enim non dixi, Fabianum, si Novatianum (quod in ejus baptismo factum non erat) chrismasset, ita erepturum Clero & plebi omnem querendi causam, vel hominem in clerum

s Hamm. c. 4. sect. 1. §. 17. p. 110.

t H. Valesf. ad loc. Euseb.

clerum canonice allecturum fuisse. Dixi tantum, Fabianum ea ratione videri *invidiam illam mitigaturum fuisse, qua apud Clerum & plebis magnam partem flagrare intelligebat suum illud consilium de homine Clinico in Clerum provehendo. Mitigare enim invidiam* est eam *minuere*; non est plane penitusque tollere. Nam aliquid hinc in Novatiani ordinationem *invidiæ* eo accessisse, quod in lecto lotus cætera minime percepisset, quę Ecclesiastici usus erat postea à Clericis si convalescerent percipi; inde colligi potest, quod Cornelius ad hanc ejus in presbyterum promotionem exagitandam, id ipsum exprobravit, ἐν αὐτῇ τῇ κλίνῃ ᾗ ἔκειτο περιχυθεὶς, οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε, διαφυγὼν τὴν νόσον, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. Imo hoc Novatiano maxime vel objectum esse vel objici potuisse ne in clerum allegeretur, ostendunt illa Cornelii quæ deinceps sequuntur verba; τούτου δὲ μὴ τυχὼν, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε; Quid enim indignius est, quam hominem Spiritus Sancti exsortem in Clerum allegi? vel certe aliqua saltem ejus donorum parte sua culpa fraudatum, quibus eum quàm copiosissime fieri potest, locupletatum esse decebat? Si ergo consignatio aliud à baptismo sacramentum apud Christianos illius ævi habita esset; omnino quod posui, probabile videtur, Fabianum ut huic potentissimæ objectioni occurreret, hominem ante consignaturum fuisse, quam vel de eo in presbyterum allegendo cogitaret, idque apud Clerum & plebem excusaturum fuisse. Neque hodie credo apud Latinos hominem, qui non est Confirmatus, facile in Clerum à prudentibus Episcopis allegi. Atqui nihil huiusmodi vel fecisse vel dixisse Fabianum legimus, sed postulasse tantum ab Ecclesia sua, *ut hunc solum ordinari à se paterentur.* Vnde patet nos merito ex his esse argumentatos consignationem tum nostris non proprium per se seorsum sacramentum fuisse, sed sacramenti duntaxat (scilicet baptismi) cærimonialem ritum. Frustra ergo concludit amicus noster *omnia hic esse dilucida.* Quis negat? Quæritur, an hic illa luceat extra baptismalis Hammondi consignatio. Atqui ne eam quidem ille in totis suis undecim commatis apud Cornelium nobis monstrare potuit. Frustra sibi plaudens negat *y in hoc celebri facto quicquam restare, quod hic consignationem Episcopalem cum baptismo confundat, aut hypothesi Dallaana favisse videatur.* Quasi vero qui consignationem baptismi cærimoniam facit, eam cum baptismo confundat; quod toties dici à viro acuto miror. Si hanc *hypothesin Dallaanam* fuisse putavit, certum est ei non modo Cornelium, aut cæteros illorum & sequentium temporum scriptores, sed ne ipsum quidem Dallæum unquam lavisse; cujus ego cogitationes, studia, opiniones multo melius ac certius perspexisse me quam Hammondum, ne ipse quidem credo, si viveret, Hammondus negaturus esset. Illud mihi satis est, quod hanc memoratam à Cornelio consignationem, nihil in tota ejus epistola extare docuimus ac defendimus, quod eam ex baptismi ritibus ejicere nos cogat; nihil adeo esse, quod aliam esse putemus ab ea, quam Tertullia-

CAP. IX.
u Dall. de Confirm. l. 2. c. 6 p. 139.
x Cornel. apud Euseb. ubi supr. p. 245. A.
y Hamm. c. 4 sect. 1. §. 11 p. 113.

Cap. X. nus, fatente ipso Hammondo, in baptismi cærimoniis locavit, cujusque una cum baptismo administrandæ jus Episcopo primum deinde & presbytero tribuit, neque uspiam vel minimo verbo significavit episcopalem à presbyterali specie differre; quæ sequentium seculorum commenta fuerunt, Cornelianis temporibus apud Christianos ignota.

CAPUT X.

Argumentum Hammondi V. ex aliquot Cypriani locis ductum, quæ sigillatim explicantur. Prior disputationis pars, quæ est de unctione apud Christianos ante an. D. 300. usitata concluditur.

z Hamm. ib. c. 6 Sect 2. §. 1. p. 136.

a Cypr. ep. 1. quæ est ad Donat.

Cornelij Romani σύγχρονος sequitur Cyprianus Carthaginensis Episcopus & Martyr, ex quo amicus noster primo quædam describit z ex epistola ad Donatum; *Quantus hic*, inquit, *animi potentatus, quanta vis est? non tantum ipsum esse subtractum perniciosis contractibus mundi, ut quis expiatus & purus* (clare hæc inquit amicus noster, *ad baptismum respiciunt*) *nulla incursantis animi labe capiatur, sed & adhuc majorem & fortiorem viribus fieri* (in Confirmatione scilicet inquit idem amicus) *ut in omnem adversarij grassantem exercitum imperioso iure dominetur*? Bene est, quod amicus monuit, hæc ultima *de Confirmatione* esse accipienda. Aliter illa crederem ad eam vim, quam qui apud Christianos erant eo dono prædití in dæmones exercebant, quos cogebant de humanis corporibus recedere. Cum enim Cyprianus in proxime præcedentibus dæmones ab his recedere, minis increpantibus cæsisque & surdis inflictis verberibus coactos magnifice describat; quis non putet eum nunc eodem respicere, cum statim subjicit, *Quantus hic animi potentatus, &c. ut in omnem adversarij grassantem exercitum imperioso iure dominetur*? Sed nolo cum amico summo jure agere. Quando ita jubent ejus glossæ, illa Cyprianus de *baptismo*, hæc de *Confirmatione* dixerit. Quid tum? Certe nihil aliud inde colligere licebit, nisi illam sacramenti initiatorij *aquam*, & illud *oleum*, ista quæ dicit auctor significare, & suo quodam modo præstare; Aquam & oleum diversi generis, procul inter sese dissitos ritus esse (quod vult amicus) ex illis Cypriani verbis nondum intelligo. *Sed ad hunc* (inquit) *Confirmationis ritum, ut à baptismo divisum respexisse videtur.* Ad utrumq; ritum respexisse, quando ita vis, dabo; ad *alterum* respexisse, ut *ab altero divisum*, si de genere ritus intelligis, concedere nō possum. Illud quidē, quod jam dixi, confiteor aliud esse oleum, quam aquā; aliud lotionē, aliud unctionē; Non posse duo elemēta, duosve actus in unum sacramentum sociari & coire, demonstrandum erat, non postulandum. Sed ipse ista se *in præcursum posuisse*, id est ni fallor istis prælusisse nos monet. Nos vero amici amoto ludo, seria videamus. Sed profecto præcursu non est felicior ejus cursus. Hæc enim deinceps

ex eodem,

ex eodem Martyre recitat; *Vngi quoq; necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia, & unde baptizati unguntur, oleum in altari sanctificatur. Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec Ecclesiam. Vnde nec unctio spiritalis apud hæreticos potest esse, quando constet oleum sanctificari, & Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse.* Quibus descriptis, *Vides* (inquit Hammondus) *chrismationem à baptismo, ut Eucharistiam ab utroque seiungi.* Sejungi hæc alterum ab altero fateor. Neque enim baptismus unctio est, aut Eucharistia, neque Eucharistia, unctio aut baptismus. Vnctionem à baptismo æque distare ac ab Eucharistia, nego. Neque contra quicquam dicit Cyprianus. Ex his tribus sigillatim argumentatur. Non ideo fit, ut unctionem non putarit baptismo propiorem quam Eucharistiam. Quid si ista unctio illa ipsa sit, quam Tertullianus ejus magister, non uno loco dicit, quamque amicus noster baptismi cærimoniam fuisse concedit? Ex ea certe tam licuit Cypriano argumentari, quam ex hac quæ amico nostro alterius fuisse generis videtur. Si fecisset, baptismi, ni fallor, olei, & Eucharistiæ vocabula seorsum singula æque ac nunc alia ab aliis sejunxisset. Inde tamen ne amicus quidem noster concluderet unctionem ritum esse diversi à baptismo generis, & procul ab eo sejunctum. Sed & aliud est quod totam nostri machinam subvertit ac disjicit. Rigaltius hunc de Eucharistia locum in mendo cubare putat; c eumque pro eo qui vulgo legitur, ita ex Manutiana editione, duobusque insuper mss. codicibus Veronensi & Thuanæo constituendum docet, *Porro autem eucharistia est, unde baptizati unguntur oleum, in altari sanctificatum*, & sic emendatum interpretatur, ut *eucharistia* hic sit non Dominicæ cænæ sacramentū (cujus sane mentio nihil ad loci argumentum facit) *sed benedictio*; quo sensu eucharistia in libris sacris pro εὐλογία & εὐλογεῖν pro εὐχαριστεῖν sumitur; & vicissim quæ cæteris vulgo Eucharistia est, ea Cyrillo Alexandrino pæne semper Eulogia est. Sic accepto Eucharistiæ nomine pro eulogia sive benedictione, & hic & paulo post ubi dicit eucharistiam id est benedictionem, apud hæreticos fieri non posse, Cyprianum his verbis significare *oleum per ἔντευξιν hoc est interpellationem sive invocationem divini numinis per laudes Deo fusas & nuncupatas benedictum.* Hæc Rigaltius; Quæ si ex veterum librorum auctoritate, ut decet, admittantur, nihil istic supererit, quod Hammondi Dialectica ex sacramenti Eucharistici & olei ad aquam baptismalem ratione arguetur.

CAP. X.
b Cypr. ep. 70. p. 138.
c Rigalt. Not. ad Cypr. ep. 70. p. 110. cxu.

Hæc ille ex Christianismi antiquissimi supra quartum seculum scriptoribus pro sua illa Confirmativa chrismatione attulit; ex quibus illa, de quibus in alio opere fusius disseruimus, clarissime certissiméque intelliguntur; Primo nullam totis illis tribus primis Ecclesiæ Christianæ seculis chrismationem eo quo hodie loquuntur sensu, apud nostros extitisse, id est vnguentum ex oleo & opobalsamo permixtis confectum; aliquid simile secundo ex eunte seculo memorari, sed apud vnam

tantum

Cap. XI. tantum ex Valentinianorum perditissimorum hæreticorum sectis. Secundò, ne simplicem quidem ex mero oleo vnctionem cerni apud Catholicos in priori ac majori huius temporis parte, primum enim eam occurrere apud Tertullianum circa secundi seculi extrema, tertij vero initia. Tertio denique novitiam illam, ac post duo pæne integra Christianismi secula inventam vnctionem, quo primum loco reperitur, id est apud Tertullianum, in media baptismi administratione deprehendi, non ut aliquem sui seorsum generis, nullo cum baptismo nexu conjunctum ritum, sed plane ut meram veramque baptismi cærimoniam, etiam ipso confitente Hammondo. Neque vllum ex sequentibus ad a. D.300. temporibus vel ab ipso, vel etiam à Latinis aut Græcis afferri perspicuum, liquidumque testimonium, quo ingenium mutasse & ex baptismali effectam esse singularem, ac ut sic dicam αὐτοκέφαλον, suique seorsum ordinis ritum, vel certe ad eam alia aliqua huius naturæ accessisse. Quod nisi factum esse idoneis scriptorum illius temporis testimoniis probatum dederint Hammondinarum partium eruditi; frustra mihi quidem videntur loca quæ in isto temporum tractu de vnctione occurrunt de sua illa extra-baptismali vnctione intelligere, cuius nos in totis istis seculis nullum hactenus vestigium animadvertere potuimus; cum promptum sit & obvium, ea de baptismali vnctione accipere, cui Tertullianus tam disertum tamque illustre testimonium perhibuit. Quæso enim nonne facilitati ac credulitati nostræ magni viri apertissime illudunt, qui omnibus modis extorquere à nobis conantur, vt veterum illorum de vnctione dicta ad nescio quam aliam vnctionem referamus, quæ nullis eorum tempore Christianis audita vel vsitata fuisse cognoscitur; de ea vero accipienda negemus, quæ apud eos Tertulliani ævo apparet, atque in vsu fuisse cernitur inter meras baptismi cærimonias? Sed hæc de vnctione causa & supra *d* obiter, & consulto in opere de Confirmatione nostro ita acta est, vt nihil necesse sit plura de ea dicere.

d Supr. l.1.

CAPUT XI.

Altera pars disputationis, quæ est de manus-impositione apud Christianos ante a. D 300. vsitata. Detegitur & arguitur Hammondi dolus, se simulantis, quo fortius disputare videatur, ex Scripturis ipsis ea argumenta ducere, quæ revera ex Patribus ducit. Expenduntur quæ ille 1. ex Tertulliano de manus impositione neophytorum attulit, & ex illis ipsis ostenditur ea vnam fuisse vnam de baptismi cærimoniis. Expenduntur & refelluntur quæcumque ex hoc scriptore Hammondus vel pro se adduxit, vel contra nos excepit.

VEnio ergo ad alterum Confirmationis ritum, nempe manus impositionem; quam Hammondus, æque ac chrismationem vult fuisse

fuisse ritus illius Confirmativi partem, eamque vt videtur præcipuam. Me vero, haud segnius quidem quam supra refutat ac refellit, qui eam in baptismalium cærimoniarum numero, & quidem vltimo post chrismationem loco, tanquam summam totius operis coronidem collocaveram. Ac primo quidem ille quæstionis statum sic proponit, ut inter ea de quibus me *gnaviter* contendere affirmat, duo quædam mihi plane à mea mente aliena tribuat; prius quidem, *e Illam manuum impositionem, qua neophyti benedicebantur, ab initiationis lavacro, nullatenus fuisse distinctam.* Ego-ne vero hoc vnquam prodigium, non dico *gnaviter*, magna *contentione* defendi, quod mihi meus amicus imputat, sed vel scripsi, vel per somnium cogitavi? Ego-ne *manus impositionem* idem esse quod *lavacrum*, imo esse *lavacrum* putavi? Nam quæ *nullatenus* sunt inter se *distincta*, ea ni fallor necesse est esse eadem. Atqui quod *manus impositionem* baptismi, id est *lavacri initiationis* nostræ *meram cærimoniam* esse dixi, hoc ipso inquam, aliud esse lavacrum, aliud manus impositionem statui. Nam ut scribit *f* accuratissimus verborum & sermonis censor Tertullianus, *Nulla res alicuius, ipsa est, cuius est.* Quid amico isti meo feceris, qui quod pueri sciunt, noluit intelligere, austarium rei à re aliquatenus distingui, neque cærimoniam plane idem esse cum eo cuius est cærimonia? Alterum quod mihi de suo affingit, hoc est, *impositionem hanc manuum inter universos Christianos ab ipsius Ecclesiæ primordiis meram baptismi cærimoniam semper habitam fuisse.* Atqui eam ego ab initio fuisse constanter negavi, & nunc quoque nego; neque in vllo ante Tertullianum scriptore antiquo inveniri. Qui fieri potuit, ut quam in Ecclesiæ ad Tertullianum primordiis extitisse non puto, eam ipso illo tempore pro baptismi cærimonia habitam fuisse crediderim? Amicus me plane stipitem credidit, cui talia monstra vere imputari posse arbitratus est. Ego quo tempore hæc cærimonia in vsum recepta est, inde pro baptismali ritu habitam esse & sensi, & defendi. Eo loco habitam, quo ipso tempore nondum erat, absit ut vnquam vel somniarim.

CAP. XI.

e Hammon. c.3. sect.1.§.1. p.77.

f Tertullian. contr. Prax. c.26. p.658. B.

Doctissimus Hammondus hanc à Scripturis disputationem orditur, *g* suam manus impositionem Petrum & Ioannem in Samaritanis primum imbuisse, & Paulum in duodecim apud Ephesum discipulis vsurpare ex Actibus *h* Apostolorum repetens, & hanc à baptismo in epistola ad Hebræos *i* distingui affirmans; quasi quisquam eam à baptismo distinctam fuisse neget. Sed hic ambigue rem sic gerit, ut nescias utrum suam in his locis extare manus impositionem asserat, an vero à Patribus inde constitutam fuisse nobis obiiciat. Certe postquam nude ac simpliciter narravit Scripturas istos confirmatos testari Samaritanos à Petro, à Paulo duodecim apud Ephesum discipulos, & distinctam in epistola ad Hebræos à baptismo manus impositionem, his dictis se repente proripit, ne hoc quidem explicans suam ne an aliam aliquam fuisse existimet illam scripturarum manus impositionem. Patres statim

g Hamm c.3. sect. 1. §.2. p.77.

h Act. 8. & 19 4.

i Hebr. 6.2.

Cap. XI. nobis inducit *k* Chrysostomum, Cyprianum, Augustinum, *in hanc sententiam illa sacri codicis commata interpretantes.* Quo ego modo amicum vultus mutantem tenebo? Si scripturæ auctoritate pugnat, cur non ipse in aciem prodit? Cur non suam esse, quam Scripturæ loquuntur, manus impositionem, demonstrare aggreditur, quod à nobis negari nescire profecto non potuit? Sin vna Patrum quos nominat, auctoritate nititur, cur Scripturas ostentat, veluti rem ex iis gesturus? Nos vero ad vtrumque illud tum ex Scripturis tum ex Patribus certamen jam stetimus, & quæcumque in manus impositionis gratiam vel ex his vel ex illis colliguntur expendimus ac repulimus in opere de Confirmatione nostro. *l* Ostendimus enim illam à Scripturis memoratam manus impositionem longe aliam fuisse, quam quæ postea à Patribus in baptismo post unctionem administrata est; illa spiritum prophetiæ & linguarum collatum fuisse; hac spiritum gratiæ sanctificantis advocari; illam ad effectum referri miraculosum, neque vltra nascentis & adolescentis Ecclesiæ tempora mansurum; huic effectum tribui Evangelici ministerij communem ac vt loquuntur ordinarium, & ad finem seculi in Ecclesia perpetuo duraturum; Quorum rituum tam diversi fuisse cognoscuntur & effectus & fines, eos absurde & immeritò censeri eosdem; adeoque Scripturas, quæ Apostolicam manus-impositionem memorant ad hunc alterum baptismo à Patribus adjectum ritum falso & inefficaciter accommodari: eamque ad rem duo illa, ex Actuum octavo, & decimonono capite loca, & tertium ex Epistola ad Hebræos, singula fusè & quoad quidem fieri à nobis potuit, accurate explicavimus: *m* quæ omnia nescio cur amicus, cum illam meam disputationem refellendam suscepisset, intacta relinquenda, planeque ita dissimulanda, putaverit, ac si nihil vspiam de iis dixissem. Sed quæcumque cum ratio sic mecum agere compulerit, me certe piget ac tædet actum agere. Itaque qui meas ad imbellem hanc amici objectionem solutiones desideraverit, eum rogo ut illam nostram disputationem adeat; quæcumque sunt huius argumenti, ea fusè ac copiosa istic à nobis tractata inventurus. De Patrum, qui hic à doctiss. Hammondo citati sunt, & auctoritate, & sensu, antea quoque in eodem opere satis diximus, ad quæ ille nihil reposuit, & infra vbi ad singulorum tempora ventum erit, tantum repetemus, quantum susceptæ defensionis ratio postulare videbitur.

k Hamm. ibid. §. 3. p. 78.

l L. 1. de Cõfirmat.

m Libr. 1. de Confirm. c. 9. p. 61. & seqq. c. 10. c. 11. Ib. p. 73.

Missa ergo illa ad pompam potius, quam ad pugnam simulata ex Scripturis disputatione, ad Patres veniamus, qui post Apostolorum tempora floruerunt. Ex eo censu nemo ante Tertullianum occurrit, qui huius manus impositionis ritum memoraverit. Apud hunc vero insignis de ea habetur locus, in libro de Baptismo, quem non omisit amicissimus censor meus; *n Tertullianus o (inquit) vbi post mentionem benedictæ vnctionis, qua egressi de lavacro perungimur, aliaque de baptismo adjecta capite VII. initio capitis octavi sequitur, De hinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum.* Ego quoque locum.

n Hamm. c. 6 sect. 1. § 13 p. 133.

o Tertull. de Bapt. c. 8,

locum in meo de Confirmatione opere attuleram; *p* & quædam obser- varam, quæ eam manus impositionem baptismi æque ac vnctionem, ritum & auctarium fuisse indicant. Primum ipsam orationis seriem, quæ baptismali ex aqua tinctioni *vtrumque illum ritum continenter nullo interposito spatio adnectit.* De vnctione non resistit, credo, Hammondus, quam & ipse baptismi cærimoniam fuisse confitetur. De manus impositione fortiter reclamat; *Ista* (inquit) *distincte & separatim ponuntur, prius in 7. posterius in 8. capite, certe non* continenter & vno Spiritu, *vt tradit Dallæus.* Atqui distincte separatimque poni, etiam quæ continenter dicuntur, adeo nihil vetet, vt etiam necesse sit. Neque enim quæ plura sunt, tametsi conjunctissima, ea simul semelque vel eodem momento dici vel eodem loco poni possunt. Illud de diversis capitibus frivolum est. Vnde enim certo scit Tertullianum opera sua in ea quæ hodie habemus, capita ipsum secuisse? Sed fac eum divisionis huius (quod non est verisimile) auctorem fuisse. Quid vetat ea *continenter* posita dici, quorum prius vno capite, alterum proxime sequenti nulla alia re interjecta dicuntur? Iam verissimum esse, quod ego scripsi, hoc apud Tertullianum loco, post explicatam vnctionem, statim & continenter memorari manus impositionem, inspectus lectusque codex docebit. Quicquid enim habetur capite septimo, totum ad vnctionem pertinet: eam de pristina esse disciplina, ex qua Aaron olim vnctus; & ipse quoque Dominus spiritaliter, eoque Christum à Chrismate dictum esse, quod ex Actis Apostolorum confirmat. Sic & in nobis carnaliter quidem currere, sed spiritaliter proficere; plane eadem ratione qua & carne in aquam mergimur, & spiritu delictis liberamur. Hæc capite septimo continentur, quorũ vt vides nihil est quod nõ ad vnctionem pertineat. Tũ sic pergit auctor; *Dehinc manus imponitur,* &c. Ergo ista, quicquid amicus reclamet, continenter posita sunt: Idque ipsũ ostendit particula *dehinc* sequentia cum præcedentibus connectens. Quid enim est, *dehinc,* nisi post perfectam unctionem uncto statim manum imponi? Plane ut tinctioni unctionem continuaverat; *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione.* Sic nunc, *Dehinc manus imponitur;* id est *ex inde benedicta unctione perunctis manus imponitur.* Sed (inquit) *q nullum de identitate argumentum duci potest ex eo quod simul adhiberentur* (tinctio scilicet, unctio, manus impositio) *ni etiam Eucharistia sacramentum, quoties recens baptizatis communicabatur cum baptismo confundi, aut ejus seu cærimoniam, seu partem fuisse credamus.* Ego pace amici dixerim; nihil inter ista simile video. Eucharistiam & Evangelia & Epistolæ Apostolicæ, & pæne quicquid est scriptorum Ecclesiasticorum, & ipse utriusque rei finis, effectus, usus, ad hæc institutionis diversa tempora, satis superque alterum ab altero ritum secernunt, ut tametsi statim communicari apud veteres videamus quicumque rite baptizati sunt, eo nequaquam credere sollicitemur unum esse utrumque ritum. Hoc enim quisquis vel leviter de utriusque natura instructus est,

CAP. XI.

p Libr. 2. de Confirm. c. 4. p. 129. 131.

q Hamm. ub. supr.

Cap. XI. ne tenuiter quidem unquam suspicari poterit. In hac de qua quærimus, manus impositione alia omnia. Nam eam ne à Christo quidem usquam institutam videmus; non ab Apostolis explicatam aut commendatam; non à proximis eorum successoribus vel leviter memoratam. Primo quo occurrit loco hoc scilicet Tertullianeo, in media baptismi administratione una cum unctione, indubitata baptismi cærimonia, occurrit; neque apud scriptores sequentes alibi quam vel in baptismi sacro, vel in libris de baptismo. Eucharistia fateor, in extremis baptismi descriptionibus strictim & uno verbo non semel memoratur; quo lector monetur eam baptismum statim excepisse. Sed quam multis seorsum, extra has caussas, locis, nonnullis etiam de uno hoc argumento libris integris explicatam atque inculcatam cernimus? De impositione manus nemo opinor veterum seorsum à baptismo locutus est. Huc accedit ipsa materiæ sive elementorum diversitas; in baptismo aqua; in eucharistia, panis & vinum; formæ item ac finis; ut hanc nemo nisi insigniter fatuus illius partem esse aut cærimoniam suspicari possit. In manus impositione longe aliter est. Nullum enim in ea elementum est. Actus est simplicissimus; ac juxta Augustinum, *oratio super homine*; & hæc quidem Spiritum Sanctum, quod ait Tertullianus, in neophytum advocans & invitans. Ipsa profecto rei species eo videntis aut legentis animum ducit, ut eam ad baptismum, cui cohæret, pertinere, & totius baptismi coronidem esse putemus; qualiter solent omnia fere sacra, quæ ab his illisve hominibus suscipiuntur, benedictione concludi. Denique hoc quoque interest, quod Eucharistia, non uno illo post baptismum loco sumitur; Multo sæpius, imo sæpissime per totam fidelium vitam usurpatur, locis & temporibus longissime à baptismo remotis. Manus ad confirmandum semel tantum singulis imponebatur, & quidem nisi aliqua necessitas prohiberet, nunquam nisi cum baptismo, statim postquam neophyti tincti & chrismati erant. Itaque vana est omnis amici de Eucharistia cavillatio. Quæ neque seorsum à baptismo nisi ob invictam aliquam necessitatem ministrata, neque in aliis quam de baptismo libris, tractatibus, & Ritualibus tradita aut exposita apud vetustissimos illos Patres reperitur manus impositio, eam ad baptismum pertinere necesse est; neque alia ratio illius inter utrumque ritum conjunctionis afferri potest. Respice Latinos, qui Confirmationem sui seorsum ordinis ac generis, diversum à baptismo sacramentum esse volunt. Certe utrumque sacrum locis & temporibus clarissime inter se distinguunt; nunquam alterum cum altero miscent. Lege eorum de novi Testamenti sacramentis disputationes, tum Scholasticas, tum polemicas; institutiones Catecheticas; Quæstiones, &c. baptismus ubique, ubique Confirmatio suos seorsum titulos, suos libros, sua capita, suas quæstiones habent, atque occupant, plane ut cætera apud eos sacramenta, Eucharistia, Pœnitentia, Ordinatio, Matrimonium, Extrema unctio. Nemo tam est apud eos crassus, aut

pinguis,

pinguis, qui res diversorum generum sub unum titulum cogat. Patres, CAP. XI. quorum credo sapientia nulla re nostris vel ingeniis, vel doctrinis & studiis inferior fuit, non dubito, quin de baptismo & de Confirmatione eodem plane ordine eademque methodo acturi fuerint; si idem de iis cum Latinis & Hammondo sensissent. Illud vero non est temere factum, quod de Confirmatione cum baptismo semper; cum Eucharistia nunquam agunt, aut disputant. Atqui casus si illud effecisset, hoc quoque interdum effecturus erat. Nam Hammondo judice tam à baptismo distat Confirmatio, quam ab Eucharistia. Cur ergo illius administratio & expositio nunquam apud Patres seorsum à baptismo procedit; apud eosdem nunquam cum Eucharistia conjungitur? Profecto necesse fuisse in rebus ipsis aliquam hujus tam constantis eventus rationem fuit, quæ alia esse non potest, quam Confirmationis cum baptismo nexus ac cognatio: ejusdemque ab Eucharistia totius generis differentia atque diversitas. Præterea addideram, r librum ipsum r Dall. ubi supr. p. 129. Tertulliani idem nos docere, qui *de baptismo scilicet inscribitur*, non etiam de alio aliquo sacramento: in quo auctor ipse & hæc & alia exsecutus quæ sint de quibus disputavit ita enarrat; *Diximus* (inquit) *quantum mediocritati nostræ licuit, de universis quæ baptismi religionem struant.* Hinc *unctionem* & manus impositionem, eorum scilicet de quibus dixit, partem, ad baptismum pertinere concluseram. Sed & duo alia tetigeram, s quæ Tertullianeam manus impositionem baptismo s Ibid. p. 131. 132. vindicare omnino videntur. Prius inde petitum est, quod ille nos hoc loco Spiritum Sanctum consequi aquis negat: ait t *in manus impositione* t Tertull. de Bapt. c. 6. p. 258. A. *consequi, quæ is per benedictionem advocetur & invitetur.* Idem alibi verbis disertis constituit u *baptismum consecutionem esse Spiritus Sancti.* Rogo u Tertull. L. 1. contr. Marc. c. 28. te, quî ista inter se aliter conciliari possunt, quam si dicamus illam manus impositionem, quæ Spiritum in nos advocat, ipsam quoque baptismi partem esse: adeo ut baptismo recte imputentur, quæ per eam impetramus? Alterum est, quod hoc ipse videtur apertissime nos docere, dum credentem, qui baptizatur, organo hydraulico comparat, in quo ad unum effectum aqua & Spiritus manu modulante concorporantur: *Sane* (inquit) *humano ingenio licebit spiritum in aquam arcessere, & concorporatione eorum accommodatis desuper manibus alio spiritu tantæ claritatis animare: Deo autem in suo organo non licebit per manus sanctas sublimitatem modulari spiritualem?* x Id. de bapt c. 8 D. Hic vides spiritum in aquam arcessi, & alterum cum altero concorporari. Vt comparationis ἀπόδοσις τῇ προτάσει respondeat, confitendum est, Spiritum, quem in illo baptismi sacramento percipimus, *in aquam arcessi* & eorum *concorporationem* fieri. Atqui si ita est, ut est sane ex Tertulliani quidem mente: clarum certumque est illam manus impositionem, qua spiritus in aquas arcessitur, una cum aquis agere ac operari, adeoque partem esse baptismi ritualem scilicet & cærimonialem. Hammondus ad hæc nostra nihil reposuit, sive quod ea contemneret, sive quod brevitati paulo

 impensius

Cap. XI. impensius studeret. Tantum duo quædam hic proponit; quorum prius

y Hamm. ca. 6. Sect. 1. §. 13. pag. 133.

efficere putat, y ut *nulla probabilitas suadeat ea, quæ Tertullianus de manus impositione hic dicit ad unicum baptismum referri.* Non satis capio cur baptismum hic *unicum* dicat; quasi ista referri possint vel ad duo baptismata vel ad aliquid aliud præter baptismum, qui unicus est. Vtcumque sit, audiamus cur manuum impositio hic à Tertulliano memorata, baptismi ritus censeri non possit (hoc enim verbis illis amicum meum significare voluisse puto) *quia manuum impositio* (inquit) *columba ex arca dimissa hic comparatur, quæ post aquas diluvii, post baptismam mundi pacem terris annuntiavit.* Quid ergo? Nullos ne ritus baptismi esse potest, nisi qui peragitur, dum neophytum aquæ vel tegunt, vel abluunt? Hac lege, ne illa quidem lactis & mellis prægustatio, quæ & ipsa fit post aquas salutaris illius diluvii, baptismi cærimonia veteribus fuerit. Hac lege, Latini & candidam, qua neophytum induunt; & cereum quo illuminant, & sacrum siquod aliud tinctioni adjecerunt, ex cærimoniarum baptismalium censu expungere debebunt. Hammondum ipsum sua lex damnabit. Ipse quoque ex sua lege illam Tertulliani benedictam unctionem quam alibi baptismi ritibus nobiscum adnumerabat, retractare & ad ritus illos singulares & ἀυτοτελεῖς una cum manus impositione amandare cogetur, quippe quo egressus de lavacro perungebatur. Quin & neophytorum ex aqua in lucem emersio, tametsi baptismo ab omnibus Christianis attributa, de loco suo ejici hac lege periclitabitur; quæ scilicet aquas sequitur non comitatur. Sed neque hac lege satis tuto consistent tam multæ tum à veteribus, tum à recentioribus inventæ, celebratæque in baptismi sacro, sed ante tinctionem cærimoniæ. Tam enim extra aquas sunt, quæ ante eas, quam quæ post eas fiunt; ut hæc non sit justius quam illa ex rituum baptismaliũ censu excludi. Ego vero cærimoniam baptismi dici putaveram, quicquid in eius administratione sive ante sive post tinctionem ex Ecclesiæ instituto fieri solenne est; quo quidem aliquid de baptismi gratia vel symbolice repræsentatur, vel saltem significatur, vel certe advocatur. Benedictione autem & manus impositione Spiritus gratiam invitari & advocari, quam à baptismo alienam nemo dixerit, ipse Tertullianus scribit. Nil ergo obstat rigidæ illæ amici nostri leges, quin ea benedictio inter baptismi ritus locum eum habere possit, quem nos ei vindicamus. Sequitur altera doctissimi Hammondi vel objectio, vel cautio, z veri videri simile *hic sermonem esse de adultorum per Episcopum baptizatione, aut saltem per Presbyterum, aut Diaconum in præsentia ejus.* Sed cum totus liber de baptismo in genere disputet, neque ullum inter baptizatorum ætates discrimen observat exceptionem hanc admittere non possumus, nisi prius demonstratum fuerit jam Tertulliani temporibus obtinuisse eam legem, quam quarto & quinto seculo observatam in multis Ecclesiis fuisse confitemur, ut presbyteri quos baptizabant eos Episcopo vel ungendos, vel certe manus impositione benedicendos servarent. Satis

z Ibidem.

[illegible] nunc

nunc est à Tertulliano didicisse manus impositionem, qua post tinctionem benedicebatur neophytus, Sacramenti initiatorii ritum fuisse. Iam supra confutavimus hanc doctissimi Hammondi exceptionem, & probavimus nihil ea in re fuisse inter adultorum & infantium baptisma discriminis, neque ritus naturam ejus in aliud tempus ob caussas interdum extrinsecus occurrentes & incidentes dilatione mutatum fuisse. Eodem quoque loco satis disseruimus de eo quod hic amicus subjicit, aliam adultorum, aliam in infantia baptizatorum esse rationem; ostendimusque quantacunque fingatur hæc utriusque ætatis diversitas, ea non modo non fuisse deterritos veteres, ne infantes æque ac adultos baptizarent, chrismarentque, & manus impositione confirmarent; sed neque si rem ad eorum principia & doctrinam ut par est, non ad nostras animo præceptas opiniones, exigamus atque metiamur, quicquam eos ut aliter instituerunt, commovere debuisse. Cap. XI.

Sed ne cui hic aqua hæreat, aut dubitandi locus subsit, ad alia (inquit a Hammondus) *ejusdem Tertulliani dicta progredior*; & tria statim ejus loca citat. Ex iis sane quæ diximus, satis ni fallor apparet, nullum dubitandi locum subesse, quin Tertulliano manus impositio æque ac unctio, baptismalis administrationis pars fuerit. Neque eorum, quæ nunc tria afferuntur, ullum est, quod aliud suadeat. Primus ex tribus locis sic habet; b *Scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Hunc ego locum in meo de Confirmatione opere descripseram, c à Bellarmino & aliis Latinis objectum, fuseque expenderam, & solveram. Qui nunc mea convellit Hammondus, debuerat vel solutionem refellere; vel certe objectionem omittere, quod multo satius fuisset. At (inquit) *distincte proponuntur hæc tria*; *Baptismus*, in carnis scilicet ablutione, unctione, signatione in manus impositione, *Confirmatio*; in corporis Dominici esu, *Eucharistia*. Imo, inquam, *distincte proponuntur*, non *tria*, quod ait; meus Censor, sed si bene rationes pono, quinque *Sacramenta*, si late hoc vocabulum sumas, id est sacri ritus. Hi ritus sint-ne omnes unius ejusdemque ordinis ac census, an trium, an duorum tantum, non definit auctor. Merito; qui eo loco longe aliud agit. Nimirum hoc unum illic agit, ut etiam carni suas esse in salutis negotiis operas, ut suas eidem in mercede quoque futuras partes, contra hæreticos carnis resurrectionem negantes concludat. Quid ad hoc pertinebat salutis negotia, in quibus carnis aliqua est opera, suo quæque ordine morositate Dialectica accurate repræsentari? Itaque nihil minus quam hoc cogitans singula, ut in mentem veniebant, deprompsit, de eorum ordine securus. Fateor tamen cætera satis ordinate digessisse; quæ ad baptismum primo, inde quæ ad Eucharistiam pertinebant. Vna est *signatio*, quam istis interseruit, aliunde ut puto, sumptam. Nam neque in baptismo cruce neophytos

a Hamm. ca. 6. sect. 1 §. 17. pag. 135.

b Tertull. L. de resurrect. carn. cap 8. pag. 384.

c Libr. 2. de Confirm. ca. 5. Pag. 133.

CAP. XI. phytos signari, vel ipse in toto opere quod de hoc argumento edidit; vel Iustinus, quo loco Christianorum initiationem describit, neque quisquam ejusdem ævi verus auctor docuit. Neque in Eucharistia usurpatum fuisse id signum vel isti, vel alii ante Tertullianum tradunt. Hic quidem quo loco multa in Eucharistiæ administratione suo ævo servata extra Scripturarum legem memorat, in his crucis signum nullus memorat; tametsi ibidem id in plærisque sed privatis & communibus vitæ humanæ actibus usurpari non taceat: Quo fit ut de eodem hic quoque capiendum putem, quod ait *carnem signari*, in illis scilicet vitæ humanæ quotidianis actibus, ut *anima muniatur*, scilicet contra ubique occurrentes Diaboli tentationes. *Tinctionem*, *& unctionem* ad baptismum pertinere fateor, quia ex ipsius Tertulliani libro de baptismo didici. *Manus impositionem* nequaquam eo pertinere, unde habet Hammondus? Non certe ex hoc Tertulliani loco; qui non nominat; quo pertineat, non dicit. Itaque tres istos ritus *ablutionem*, *unctionem*, *manus impositionem* tam mihi de baptismi unius ritibus accipere licet, quam Hammondo duos tantum priores eo referre; tertium ad illum alterius generis ritum, quem *Confirmationem* à Christianis postea dictum scio, sed etiam ab iis, qui cum ipsi baptismo adnectebant; ut infra audiemus. Ergo nihil est in hoc loco, quod de opinione Hammondi dubitantes sustinere, aut fulcire, in ea possit. Locus alter sequitur, in quo de Ecclesia Romana verba faciens, *Fidem*, inquit, *e aqua signat*, *Sancto Spiritu vestit*, *Eucharistia pascit.* Hic quoque tres ritus video, *signare aqua*, *Spiritu vestire*, *Eucharistia pascere.* Plura quam duo Sacramenta non video, *baptismum & Eucharistiam.* Cur Hammondus Spiritus vestem, à baptismo sejungat, plane nihil video, ac ne ipse quidem edit. *Vestiendi* vocabulum aperte ad baptismum referendum potius monet. Nam Christo *vestiri* nos in baptismo, adeoque & Spiritu, qui nunquam à Christo divellitur, omnes fatentur. Merito; cum utrumque luculentissime doceat Paulus; *Quicunque in Christo*, inquit, *f baptizati estis*, *Christum induistis*; Tum alibi; *Siquis*, inquit, *g Spiritum Christi non habet*, *hic non est ejus.* Vnde postea novus ritus, ut neophyti vestem candidam post lavacrum induerent; quam Hammondus credo, suo illi solitario ac *ἀνωνύμῳ* Confirmationis Sacramento non vindicabat, neque baptismi unus contra omnes esse negabat. Tertius locus est, in quo de Diabolo de instituta Dei æmulante; *h Tingit & ipse quosdã, utique credentes & fideles suos, expositionem delictorum de lavacro repromittit, & si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus milites suos celebrat & panis oblationem.* Sic enim locus legendus est, ut ex Agobardi codice restituit Rigaltius; atque ita locum ipse ex eo descripseram, *i* & explicaveram. Si mea non fastidisset Hammondus, hoc certe lucrifecisset, quod locum emendatiorem nobis descripsisset, absque iis vitiis, quibus in prioribus editionibus deformatus habetur. Tertullianus *tinctionem*, sive *lavacrum*, *signationem in fronte*, id est ut ego quidem interpretor, unctionem ex oleo, sive consignationem

d Tertull. de Libr. de cor. c.3. pag.122.

e Id. de Præscript ca.36. pag. 245 C.

f Gal. 3. 27.

g Rom. 8. 9.

h Tertull. de Præscr. c. 40. p. 247.

i L. 2 de Confirm c. 5. p. 135.

cõnsignationem (qui uterque ritus etiam annuente Hammondo, k baptismi censetur) & panis oblationem *Eucharisticam* scilicet, edit; id est duo tantum, non plura Sacramenta; quod Hammondus quoque hic observat. Ergo, ne hic quidem locus tertium illum singularem benedictionis ritum exstruit; unde clarum est tam *aquam* nobis de illius sententia, post hæc lecta tria Tertulliani loca *hærere*, quam *hærebat* antea.

Cap. XII. k Hamm. c. 6. sect. 1. § 17. pag. 136.

CAPVT XII.

II. Argumentum Hammondi ex Apostolica neophytorum manus impositione & Patrum in eam glossis ductum, refellitur. Cypriani ea de re locus explicatur, & ex eo ductus dissolvitur Hammondi paralogismus, baptismum Ecclesiasticum legitimumque cum pleno & perfecto præter Cypriani doctrinam & suam imprudenter confundentis. Obiter reiiciuntur quædam mihi ab eo afficta.

HIs ita disputatis nunc apparet manus impositionem Tertulliani tempore quo primum orta videtur, meram baptismi cærimoniam fuisse, qua tota neophytorum initiatio, benedictione & prece pro iis adhibita, claudebatur. Neque abhinc ad tertii seculi finem alio à Christianis loco habita aut censita est. Repugnat *l* tamen amicus noster & ex Cypriano rem se liquido ac invicte demonstraturum confidit. Ac primo quidem dicit Cyprianum & alios Patres docere *hunc in Ecclesia ritum ad Apostolorum exemplar amussitatum præsumi.* Exemplar autem Apostolorum intelligit, id quod Lucas Act. 8. & 19. narrat eos baptizatis manus imposuisse ad hoc ut Spiritum Sanctum acciperent. Inde porro argumentatur, certe videtur argumentari, cum illa manus Apostolorum impositio ritus fuerit toto genere à baptismo divisus, manus impositionem Ecclesiasticam, utpote eandem cum illa Apostolica, baptismi non cærimoniam, quod ego defendo, sed ritum esse ab eo (quod ipse sentit) plane diversum. Ego breviter respondeo manus impositionem Apostolicam plane aliam fuisse, quam Ecclesiasticam illam, quæ circa Tertulliani tempora neophytis adhibita primum cernitur, quæque deinceps magno passim in usu apud Christianos fuit. Primo enim hæc Ecclesiastica omnibus baptizatis, & quidem statim post tinctionem, nisi aliqua necessitas prohiberet, adhibebatur. De Apostolica nihil tale legimus. Apud Lucam certe in Actis multi baptizati commemorantur; Nulli, quibus Apostoli manum imposuerint, præter Samaritanos illos, Actorum capite octavo, & discipulos apud Ephesum quosdam, quorum historia habetur ejusdem libri c XIX. Quod magno argumento est, non fuisse illum ritum in Ecclesia solennem & ordinarium, omnium fidelium communem, vel apud Christianos ad mundi suprema mansurum. Huc accedit, quod non aliis quam Apostolis, id est eminentissimis,

l Hamm. ca. 2. sect. 6. § 7.

Cap. XII. planeque extraordinariis Christi Ministris, ac totius reipublicæ Christianæ fundatoribus hæc manus neophytis imponendæ (de qua hic quæritur) potestas data fuisse cognoscatur, Fateor, quod alibi dicit doctiss. Hammondus, Apostolis successisse Episcopos, sed in genere, non in specie ministerij Ecclesiastici; nimirum quatenus Ecclesiam, ut illi, sic etiam hi, verbo, exemplo, disciplina regunt atque ædificant. Cæterum diversissima est utriusque ministerij natura ac species; sive muneris Apostolici amplitudinem, sive eximiam donorum excellentiam, sive missorum auctoritatem, sive missionis denique formam spectemus; quibus in rebus nullos homines Apostolis vel successisse unquam, vel olim successuros clarum atque liquidum est. Ad hanc autem partem, ad Apostolicæ scilicet auctoritatis ὑπεροχὴν pertinuit hæc plane stupenda potestas, ut quibus neophytis illi manus imponerent in eos statim Spiritus Sanctus descenderet, seque descendisse apertissimis & in sensus incurrentibus argumentis proderet; quod nullis præter Apostolos, mortalibus donatum unquam fuisse auditum est. Certe erant ipsis Apostolorum temporibus multi apud Christianos Episcopi; &, si Hammondo quidem credimus, quicunque in libris sacris memorantur Christianorum Presbyteri, ij totidem fuerunt veri nominis Episcopi, etiam ij qui nullis præerant presbyteris. Nullum tamen ex istis manum neophytis imposuisse ad Spiritum in eos evocandum legimus. Hoc scilicet Apostolorum, τὸ διδόναι, quod dicit Chrysostomus, προνόμιον ac privilegium fuit; ita eorum proprium, ut nullius cum iis commune esset. Denique quod caput est, res ipsa clamat, utriusque manus impositionis, Apostolicæ scilicet & Ecclesiasticæ, maximum fuisse atque essentiale (ut loquuntur) discrimen. Nam manum Episcopi baptizatis imponebant ad Spiritum advocandum. Quem? Fidei, spei, caritatis, sanctimoniæ, fortitudinis, & si qua est alia gratia ad salutem necessaria. At Apostoli quibus manum neophytis imponebant, iis non hujus sed alterius census spiritum conferebant, nimirum spiritum Prophetiæ & linguarum; ut patet ex Actorum duobus laudatis locis. Ergo Apostolica manus impositio ad illius *gratiæ* spiritum pertinet, quam vulgo Scholæ *gratis datam*; Ecclesiastica vero ad ejus *gratiæ* spiritum refertur, quæ *gratia* dicitur *gratum faciens*. Iam cum symbola & ritus eo maxime ac proprie fine ad quem referuntur, eoque usu ac effectu ad quem vel significandum vel etiam edendum adhibentur, censeri atque æstimari oporteat; apparet Ecclesiasticam quidem manus impositionem rem baptismi esse censendam quæ scilicet ad ejus finem, atque effectum vel producendum vel certe significandum adhibetur. Nam ille gratiæ sanctificantis, fidei, & fortitudinis spiritus ad quem diximus hanc manus impositionem referri, baptismi idem quoque finis est, atque effectus. Neque quicquam contra hoc valet, quod doctiss. Hammondus illam manus impositionem, non tam ad gratiæ hujus initia, quam *incrementa* vult pertinere; quasi quæ baptismo primum data est, ea manu & prece Episcopi augea-

tur,

tur, ac confirmetur. Nam præter quā quod hoc non videtur veterū Confirmationi convenire, quæ ut plurimum, ac nisi causa aliqua necessaria intercederet, baptizatis, & adultis & infantibus, statim post tinctionem dabatur, ut comitari baptismi effectum, non insigni aliquo intervallo eum sequi videretur; gratiæ sive initia dixeris, sive incrementa, res eodem recidit. Neque enim gradus rei speciem mutant. Itaque & quæ primulum incipit, & quæ jam adulta est gratia, eadem utraque est; ejusdem ingenii adeoque & census, quo fit ut qui ritus ad gratiam vel ineūtem, vel adultam refertur, uterque ad eundem ordinem pertineat. Ergo sive ad gratiam ineuntem, quod videntur sensisse Patres, sive ad adultam, quo videtur propendere Hammondus, manus impositio referatur; merito baptismi ritibus accensetur, quæ ad eam gratiam, quæ baptismi propria est, refertur. Manus vero impositio Apostolica, quæ gratiam plane penitusque à baptismali diversam conferebat, eam scilicet quæ gratis data dicitur, ipsa à baptismo procul sejungenda atque dividenda est. Sed de his in illo nostro de Confirmatione opere latissime disputavimus, *mm* multisque demonstravimus Spiritum miraculosum fuisse, eum quem Apostoli suæ manus impositione baptizatis conferebant, neque ad eum disputationis nostræ locum quicquam doctiss. Hammondus reposuit. Cum ergo ex *his quæ hic* attigimus pateat diversissimam fuisse ab Ecclesiastica Apostolicam manus impositionem, apparet quod hæc à baptismo procul divisa fuerit, inde minime sequi, quod vult Hammondus, illam quoque extra baptismi ritus censendam esse. Iam quod ad Patres attinet; possem ad eam auctoritatem respondere non esse tanti faciendam Patrum in Scripturæ quibusdam locis ad causas, quas tractant; flectendis atque accommodandis sive industriam, sive facilitatem, ut nos ipsorum in talibus auctoritas cogat veritatem, vel ex Dei litteris, vel ex ipsa rerum ratione perspectam deserere. Nota non minus quam vera est eruditissimi Rigaltii de his censura, *n Sæpenumero quidem* (inquit) *noster Cyprianus & alii Patres accipiunt de Scripturis quicquid vel solo verborum sono facere ad propositum videtur, etsi longe alio sit audiendum sensu.* Cuius rei luculentum eo ipso loco ad quem hæc dicit, habetur exemplum. Ibi enim Cyprianus, *o* ut & alibi Quietus à Baruch *p* illud Syracidis, *q Qui baptizatur à mortuo*, &c. trahunt ad baptismum ab hæretico datum; cum auctoris sensus sit frustra se lavare, qui à mortui contactu pollutus ita se lavat ad immunditiem eluendam, ut lotus mortuum rursus contingat. Qui ita in hoc loco ad causam illam de baptismo hæreticorum torquendo erravit, eum non esset mirandum in eadem causa in Lucæ ex Actis loco peccasse. Sed nunc quidem nihil necesse est eo confugere. Nam ne ipse quidem Hammondus videtur certum constitutumque habuisse Apostolicam illam manus impositionem eandem fuisse cum veterum Ecclesiastica Confirmatione. Patres hanc describit ad illam referentes; Dicit *r hanc in Ecclesia ritum ad hoc Apostolorum exemplar, si quid Patres viderint, amussitandum præsumi.* Ipse ita se rem habere,

CAP. XII.

mm Vide l. operis l. c. 9. 10. 11.

n Rigalt. in Cypr. ep. 71. p. 112.

o Cypr. ep. 71. p. 159.

p Quiet. in Conc. Cypr. p. 358.

q Ecclesiastic. 34. 26.

r Hamm. c. 2. sect. 6. §. 7. p. 79.

Ib. p. 78. 79.

Cap. XII. habere, & Patres verum in ea vidisse nusquam; quod meminerim, simpliciter affirmat. Sed neque ipsi fortasse Patres, dum suam neophytorum manus impositionem ad Apostolicam referunt, id ita intellexerunt, ut hæc eadem cum illa fuerit, ejusdemque plane census atque ordinis ritus; qualiter Eucharistia Apostolorum cum nostra eadem fuisse censetur. Chrysostomus quidem & Theophylactus, ab Hammondo citati, diserte agnoscunt *Spiritum signorum* ab Apostolis *datum fuisse per manus impositionem*, à se, neophytis, quibus manus imponebant, dari non opinor, putabant, neque adeo eandem fuisse hanc & illam manus impositionem credebant. Huiusmodi enim ritus, non tam ab actu quo constant, quam à fine ad quem spectant, & ab effectu, quem edunt, proprie censentur; ut quorum rituum diversus finis & effectus est, ij non possint iidem recte vereque censeri. Quod ut perspiciatur, describendus est ipse Cypriani locus ab Hammondo allatus. Cyprianum Iubajanus monuerat quosdam ab eo de hæreticorum baptismo dissentientes ex Actis Apostolorum objicere Samaritanis, cum fuissent antea baptizati, impositam quidem fuisse manum, baptismum non fuisse iterum ministratum. Vnde isti colligebant ita quoque agendum cum iis, qui ab hæreticis baptizati ad Ecclesiam transibant; satis esse manum iis imponere; nihil necesse esse eos, quod pertendebat Cyprianus, denuo baptizare. Ad hanc sane crassam & futilem objectionem, ita ille respondet, s *Locum istum, frater carissime, ad præsentem causam videmus non omnino pertinere. Illi enim, qui in Samaria crediderant, fide vera crediderant & intus in Ecclesia, quæ una est, & cui soli gratiam baptismi dare & peccata solvere permissum est, à Philippo Diacono, quem iidem Apostoli miserant, & iccirco quia legitimum & Ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id à Petro & Ioanne factum est, ut oratione pro eis habita invocaretur & infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Hæc hactenus Cyprianus; ex quibus sua ut extundat doctissimus Hammondus inprimis præstruit Cyprianum affirmare Confirmationis ritum in Ecclesiam ab ista Apostolorum praxi deductum esse, eumque, & manuum impositione, & consignatione celebrari solitam fuisse. Ego vero respondeo hæc, quibus tota viri doctissimi demonstratio nititur, ambigue dicta esse. Vel enim significant Ecclesiasticam manus impositionem factam esse ab Apostolis & ad posteros propagatam, vel ab exemplo Apostolicæ manus impositionis, tametsi ad finem & effectum diversum per quandam imitationem à Patribus post Apostolorum obitum fuisse institutam. Hæc si priori sensu dixit Hammondus, nego; si posteriori, admitto. Neque enim ut in priorem sensum eamus, illa Cypriani cogunt, cum recitato ex Actis Apostolorum facto addit, *Quod nunc quoque apud nos geritur*. Certe neque ipse

s Cypr. ep. 73. p. 145.

Hammondus hæc verba sic simpliciter accepisset, ut quod fiebat à Cypriano & Collegis id plane ac per omnia idem fuisse significent cum eo quod gestum esse ab Apostolis narrat Lucas. Ait enim Hammondus, idque ex hoc ipso loco constituit, Afros Cypriani ævo neophytis non tantum manum in confirmatione apposuisse, sed etiam eos consignasse; *Confirmationis* (inquit) *ritum affirmat Cyprianus manuum impositione & consignatione celebrari solitum fuisse.* Atqui idem Hammondus alibi docet, neque semel neminem Apostolos consignasse id est oleo unxisse in Confirmatione; sola manus impositione confirmasse. Ergo ne ipse quidem negaturus fuit aliud gestum fuisse ab Afris ævi Cyprianei, quam quod factum narrat Lucas ab Apostolis. Vt illud taceam, quod supra jam attuli, *spiritum signorum* contulisse Apostolos sua manus *impositione*; quod à se geri ne ipse quidem dicturus fuerit Cyprianus. Quid ergo hæc ejus verba sibi volunt? Illa vero non sunt vexanda, neque ultra caussam, quæ ibi agitur, extendenda. Vt allatam dissentientium objectionem solvat, dicit eorum, quibus impositæ sunt ab Apostolis manus, legitimum fuisse atque Ecclesiasticum baptismum; eo redintegrari & de novo iterari nihil necesse fuisse, sed id tantum quod ipsis deesset manu imposita addendum. Cum ergo his continenter subjicit, *Quod nunc quoque apud nos geritur*, hoc unis his verbis significat, eandem quoque nunc apud se & suos regulam observari, ita ut neque ipsi eos, quorum fuit legitimus & Ecclesiasticus baptismus, denuo baptizent; & siquid iis desit, id manuum impositione, non autem rebaptizatione, perficiant. Hæc omnino est Cypriani mens; quæ tria quædam horum de quibus loquitur, cum Samaritanis similia constituit; primum quod utrorumque baptismus legitimus sit & Ecclesiasticus; secundum quod utrisque aliquid desit; tertium denique quod utrisque id quod deest manus impositione additur. Hactenus Cyprianus suum & Collegarum factum cum Apostolorum exemplo contendit, quod ad solvendam adversariorum objectionem satis est; quippe cum ex his pateat frustra præterque omnem rationem illud Samaritanorum exemplum ad hæreticos trahi, quorum neque Ecclesiasticus neque legitimus sit baptismus. Cæterum, an eorum quos inter se comparat Samaritanos, & sui ævi neophytos, an utrorumque inquam baptismus ut legitimus & Ecclesiasticus, ita & iisdem plane ritibus administratus fuerit, nec ne, non dicit hic Cyprianus; Neque vel ipse Hammondus plane eundem utrorumque fuisse dixerit, qui ex Tertulliano fatetur illis temporibus oleo unctos fuisse qui plene baptizabantur; unctos Apostolorum ævo fuisse negat qui baptizabantur. Iam neque illud his verbis docet Cyprianus; an plane idem ejusdemque ordinis fuerit Spiritus ille, quem utrisque datum dicit. Eundem autem plane fuisse neque Cyprianus, credo, neque Hammondus dixissent, cum notum sit ab Apostolis signorum, à Patribus sanctificationis spiritum collatum esse. Atque hinc denique constat, neque illud hic decidere Cyprianum, an illa Apostolorum, &

Cap. XII. Episcoporum manus impositio, quam memorat, utrorumque plane idem fuerit, ejusdemque census atque ordinis ritus; hoc unum in genere affirmare, utrosque manum imposuisse iis, quibus id quod deerat addere cupiebant. Unde postremo patet quam vana sit omnis doctiss. *t* Hammondi de hoc Cypriani loco gloriatio: Sic enim eum ostentat, quasi in eo radiis solaribus scriptum sit *Ecclesiasticam* veterum manus impositionem ritum fuisse procul à baptismo sejunctum: cum bene rem reputanti nihil plane in alterutram partem de illo ritu toto illo loco decretum esse appareat. Sed jam ejus ad Cypriani verba ratiocinationes audiamus: Sunt autem illæ (quod sine doctissimi atque optimi viri injuria dictum sit) admodum implicatæ & involutæ. Itaque eas ut evolvamus, ad duos ordines revocabimus: quorum prior ea continebit, quæ ad Samaritanos, priorem Cyprianeæ comparationis partem: alter, ea quæ ad Cyprianei ævi neophytos, alteram ejusdem comparationis partem pertinent: quas duas partes vir doctissimus consultone ac de industria, an imprudens, non dixerim, certe ita permiscuit, ut nullum inter eas discrimen statuisse videatur. Ergo ut à priori ordine incipiam, de Samaritanis credentibus primum dicit Cyprianus *eos legitimum ac Ecclesiasticum baptismum habuisse: quippe qui in Ecclesia à Diacono ab Apostolis misso baptismum consecuti erant.* Nemo negat: neque id quod idem inde concludit, *baptizari eos ultra non oportuisse.* Secundo ait Cyprianus iisdem *aliquid* tamen *defuisse.* Quid autem illud fuerit quod ipsis *deesset*, quæritur. Sed ne de eo quidem ulla vere est inter me & Hammondum controversia. Ille ait *benedictionem Apostolicam per manus impositionem defuisse.* Egone id negavi? Absit, ut negarim quod ipse Cyprianus *explicite* (ut ait *p* Hammondus) *pronuntiavit, nempe ut oratione pro iis habita, & manu imposita invocaretur & infunderetur super eos Spiritus Sanctus.* Sed ait *q* Hammondus Samaritanos illos, quibus hoc deerat, *fuisse* tamen *in genere baptismi perfectos*, id est, ut patet, eos fuisse à Philippo plene perfecteque baptizatos. Hoc vero me alicubi negasse videri vult Hammondus. Sed vel fallitur, vel fallit. Quæ enim ex meis recitat, illa ego non de *Samaritanis*, sed de neophytis dixi, qui præpositis Cypriani ævo confirmandi sive perficiendi offerebantur, ut ex inspecto loco patet. *r* Samaritanos vero baptismum non modo *legitimum atque Ecclesiasticum*, quod ait Cyprianus, sed etiam *plenum atque perfectum*, quod addit Hammondus à Philippo consecutos fuisse confiteor, id est ipso definiente Hammondo, *cui nihil, quod leges Ecclesiasticæ ad baptismum rite celebrandum præcipiunt, deest.* Apostolorum enim temporibus leges Ecclesiasticæ ad baptismum rite celebrandum nihil aliud requirebant, nisi ut qui crediderant, aqua in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti ex Christi Domini præcepto tingerentur. Tinctos ungi & manu imposita benedici ad hoc ut baptismus sit perfectus, Ecclesia non Apostolica, sed sequentis id est secundi circa Tertulliani tempora seculi præcepit; quod nos & supra in tractatu de baptismi cærimoniis, & diu antea in opere de Confirmatione

t Hamm. c. 2. sect. 6 §. 7. & c. 6 sect. 1. § 2. 3 &c. ad 9. p. 137.

p Id. ibid. §. 7.

q ibid. §. 6. p. 158.

r Dall. de Confirm p. 157.

s Hamm. 11. ub. supr.

mation demonstravimus: neque Hammondus, quod quidem meminerim, aliter docuit. Itaque qui hoc sentio, absit ut quod credentibus à Philippo baptizatis defuit, id aliquid fuisse putem, quod ad baptismum perficiendum adhiberi Ecclesiasticæ illius, id est Apostolici temporis leges præciperent. Ergo frustra sunt illa omnia, quibus doctiss. Hammondus tam belle sibi videtur hoc loco probare Apostolicam manus impositionem non fuisse Samaritanis eo adhibitam, ut eorum baptismus hoc ritu, veluti aliqua sui parte, perficeretur. Id vero etiam mirificum est, quod à me videtur *t* velle affirmatum *nusquam ab Apostolis, nisi in baptismo* impositas fidelibus manus, ut aliquam iis Spiritus gratiam prece impetratam conferrent. Nam hæc tam sunt à me aliena ut ne somniando quidem de iis cogitarim. In his ut puto, consentimus. Vnum est, sed aliud, in quo dissentimus, nempe an benedictio illa Apostolica eadem, id est ejusdem speciei atque ordinis, fuerit cum Ecclesiastica, quæ neophytis Tertulliani & Cypriani tẽporibus ab Episcopis adhibebatur. Hoc enim fateor negavi, ac ut spero validis argumẽtis cõfutavi in opere de Confirmatione meo. Hanc nostræ disputationis partẽ petere debuerat doctissimus Hammondus; si mihi persuadere cupiebat, quod contendit Ecclesiasticam manus impositionem ritum fuisse seorsum ac per se extra baptismi ritus consistentem. Sed ille hoc omisso, quod rei caput est, frustra se in iis probandis jactavit, de quibus nulla inter nos lis est. Cum ergo *manus impositionem Ecclesiasticam* ritum ab Apostolicà plane diversum fuisse ex utriusque diverso fine & effectu supra ostensum sit, jam satis patet ex iis quæ de Apostolica sivé Cyprianus dixit, sive nos assensi sumus, nihil pro Ecclesiastica concludi posse.

CAP. XII.

t Hamm. c. 6. sect. 2. §. 7. p. 139.

Iam ea spectemus, quæ Cyprianus de iis neophytis dicit, quos hactenus cum Samaritanis illis comparat, ut neutros re baptizatos fuisse concedat. Eos autem neophytos intelligit, qui cum in Ecclesia vel à diaconis, vel si forte à laïcis, vel etiam sed præsente Episcopo à presbyteris, baptizati essent, deinceps *Ecclesiæ præpositis offerebantur*, ut oratione & manus impositione ab iis Spiritum Sanctum consequerentur. De hoc, ex ipsius Cypriani verbis satis inter nos constat. Hos ergo Cyprianus primo etsi non dicat, apertissime tamen ponit ac intelligit *legitimum & Ecclesiasticum baptismum fuisse consecutos*. Secundo aliquid eis defuisse eo etiam evidenter significat, quod post acceptum illum Ecclesiasticum baptismum, nihilominus Ecclesiæ præpositis offerrentur, aliquid ab iis accepturi. Neque de eo opinor doctiss. Hammondus controversiam mihi fecisset. Tertio quid sit illud, quod istis deesset, satis docet, cum ait eos *Præpositorum oratione & manu Spiritum Sanctum consequi*. Id vero nihil aliud fuit, quam Ecclesiastica benedictio sive manus impositio; unum litis, quam doctissimus Hammondus mihi intendit, argumentum. Quarto denique istos dicit Cyprianus *signaculo Dominico consummari*; Vnde liquet Ecclesiasticum licet baptismum consecutos, nondum tamen *consummatos* fuisse, antequam iis manum Præpositi Ecclesię imposuissent.

Cap. XII. imposuissent. Hæc utrimque ni fallor, confessa. Aliud controvertitur, utrum illa benedictio quæ manus impositione baptizatis conferebatur, ritus esset baptismalis, an sui seorsum generis? Ego illud, doctissimus Hammondus hoc sentit; atque hinc etiam valido sibi videtur argumento suam sententiam confirmare, meam convellere. Nullus enim baptismi ritus iis deest quorum baptismus legitimus fuit atque Ecclesiasticus. Atqui istis, qui post baptismum offerebantur Præpositis Ecclesiæ, *deerat manus impositio & benedictio Ecclesiastica*; ut ex Cypriano planum est. Ergo nullus baptismi ritus est Ecclesiastica illa manus impositio & benedictio. Hæc valde dilucida doctissimo Hammondo visa sunt; u imo ipsa luce clariora. Ego vero adhuc hæreo; quod majorem illam Achillis Hammondini propositionem nondum videam apud veteres certam & indubitatam fuisse. Eam tamen Hammondus constituere conatur; x quod *is sit* (inquit) *legitimus baptismus, cui nihil deest, quod leges Ecclesiasticæ ad baptismum rite celebrandum præcipiunt.* Ego vero respondeo doctissimum virum (si hæc universaliter, ut debet, de omni baptismo legitimo, intelligit) apertissime errare, & à Cyprianea, imo & à sua ipsum doctrina discedere. Distinguendus enim baptismus *perfectus* ab Ecclesiastico & legitimo. *Perfectus* is dicitur, qui ex Ecclesiæ regula & canone administratus est, cum omnibus iis ritibus, quorum solennis est usus; Ecclesiasticus, quicumq; in Ecclesia & à legitimis ejus ministris confertur. Itaque nil vetat *Ecclesiasticum ac legitimum* dici etiam eum qui perfectus non est, id est cui aliquot ex ritibus in Ecclesia solennibus desunt, modo à ministro legitimo, formaque tinctionis legitima conferatur, veraque fide & detur & accipiatur. Ita ipse Hammondus alicubi distinxit, y ubi agnoscit baptismum quemdam *legitime quidem, non tamen plene administratum.* Quomodo eum vel *legitime administratum* ait, si *legitimum* negat? vel *plene administratum* negat, si *nihil ei defuit*: Nihil ergo vel Hammondo judice vetat, quin etiam legitimo baptismo aliquid deesse possit. Quo fit, ut nisi sua ipse decreta refigere velit, plane vel delere, vel certe restringere debeat suam illam nimis profecto confidenter latam legem; qua definivit z *nullum alium pro legitimo habendum baptismum, nisi cui nihil deest, quod leges Ecclesiasticæ ad baptismum rite celebrandum præcipiunt.* Eo autem minus hoc loco valere debet ista lex, quod res ipsæ quas tractat Cyprianus satis nos monent eum in hac disputatione baptismum *Ecclesiasticum ac legitimum* opponere, non mutilo aut imperfecto, sed *hæretico* & extra Ecclesiam ab hæreticis dato, quem ipse *nullum* atque *irritum* esse contendebat; Qui vero in Ecclesia legitime datus erat, etiamsi sola tinctione, absque cæteris ab Ecclesia adjectis ritibus, constaret, nusquam *nullum & irritum* pronuntiat. Eo fit, ut hoc loco baptismum repeti, illum quidem jubeat, hunc vero vetet. Hanc autem perpetuam ac constantem esse Cypriani doctrinam luculentissime docet epistola ejus ad Magnum. Nam Clinicorum baptismum, cui de Ecclesiasticis & solennibus baptismi ritibus

u p. 79. & 138.

x Id. c. 6. sect. 2. §. 6. p. 138.

y Id c 3. sect. 6. §. 15. p. 68.

z Id. c. 6. sect 2. §. 6. p. 138.

tibus non pauca defuisse doctissimus Hammondus neque nescivit neque negavit, Cyprianus in illa epistola Ecclesiasticum censet, & qui sic baptizatus est, pro *legitimo Christiano* habet; [a] *Mea* (inquit) *sententia hæc est, ut Christianus judicetur legitimus, quisquis fuerit in Ecclesia lege & jure fidei divinam gratiam consecutus.* De Clinicis eum loqui docent, quæ sequuntur, *Aut si aliquis* (inquit) *existimat eos nihil consecutos eo, quod aqua salutari tantum perfusi sunt* &c. Mox de iisdem; *Si autem baptizari non possunt, qui jam baptismo Ecclesiastico sanctificati sunt, cur in fide sua & Domini indulgentia scandalizentur?* Et paulo ante; *Apparet* (inquit) *aspersionem quoque aquæ instar salutaris lavacri obtinere; Et quando hæc in Ecclesia fiunt, ubi sit & dantis, & accipientis fides integra, stare omnia & consummari ac perfici posse maiestate Domini, & fidei veritate.* Hactenus Cyprianus; qui cum ipsorum Clinicorum baptismum modo in Ecclesia cum dantis & accipientis fide conferatur, ECCLESIASTICVM ac LEGITIMVM censeat, eoque stare, consummari; perfici posse omnia, Dei majestate & fidei veritate; quanto magis eodem quoque loco eorum baptismum censuisse putandus est, qui vel à presbytero (in Episcopi præsentia) vel à Diacono vel etiam à Laïco tincti erant, cum Clinicis plura certe non pauciora, quam his defuisse sciamus? Male ergo doctissimus Hammondus illi baptismo de quo quæritur, nihil defuisse inde conclusit, quod eum legitimum atque Ecclesiasticum Cyprianus dixerit. Vnde illud quoque clarum est ex eo quod hujusmodi baptismum consecutis manus ab Ecclesiæ præpositis imponeretur, non posse confici non fuisse hanc manus impositionem unam ex baptismi cærimoniis. Quidni enim ritus baptismi solennis fuerit, etiamsi interdum Ecclesiasticis & legitimis baptismi, defuerit, quando baptismis Clinicorũ, quos in legitimorum & Ecclesiasticorum numero censet Cyprianus, aliquot baptismi solennis cærimonias defuisse apud omnes in confesso est? Atque hinc illud quoque intelligitur falso me ab Hammondo perstringi, [b] quasi hic τὸ ἐν ἀρχῇ ζητούμενον postulem. Neque enim hoc flagitium alii admittunt, quam qui cum agant probantis partes ad suam thesim demonstrandam ea ipsa assumunt, de quibus quæritur; quod est valde vitiosum ac plane nugatorium. Ego vero hic longe aliud ago. Objectionem enim ex his Cypriani verbis petitam solvo; quo loco nihil me vetat respondere eam manus impositionem, quæ hic ab Episcopis data dicitur, fuisse ipsum baptismi ritum, de quo contendo. Adversarii est id quod ego pono, refellere, ac vincere rem ita se habere non posse. Atque id quidem doctissimus Hammondus conatus est, sed plane, quod nuper ostendimus, infœliciter. Denique quod idem clamitat iis, quæ [c] ipse ponit, neminem repugnaturum, imo ne de iis quidem dubitaturum, *nisi qui prejudicio aliquo abreptus, vel partium studiis addictus, rem ipsam ab origine recensuerit*, solens quidem id facit, sed nulla, ut nunc apparet, ratione.

CAP. XII.

[a] Cypr. ep. 66. p. 172.

[b] Hamm. c. 6. sect. 2. §. p. 139.

[c] Idem. Ibid. §. 8 pag 140. init.

CAPUT XIII.

Manus impositionem ex tribus locis Cypriani demonstratur ejus ævo baptismi cærimoniam censitã esse. Refellitur inanis Hammondi exceptio, verba Martyris ad eam manus impositionem parum verecunde torquentis qua fiebant Catechumeni. Diluuntur ea, quæ ad hoc constituendum erant ab eo allata. Nostra sententia ex Nemesiani in Concilio Carthaginensi dictis, & aliis tribus argumentis confirmatur, ex aliis tum ejusdem Nemesiani, tum Cypriani, & aliorum de Afrorum caussa dictis. Sensus verborum Firmiliani à me allatus vindicatur ab Hammondi reprehensione.

CYpriani enim æque ac Tertulliani seculo, illam manus impositionem inter solennes baptismi cærimonias censitam esse, clarissime ex alio quodam ejus scriptoris testimonio probavimus, *d* in quo ait eos, qui extra Ecclesiam tincti fuerunt *tunc demum plene sanctificari & esse filios Dei posse, si Sacramento utroque nascantur*; *e* baptismum autem & manus impositionem intelligit. Cui loco alterum Nemesiani à Thubunis plane geminum adjunxeram, quo ille Episcopus sententiam in Synodo Carthaginensi de hac ipsa quæstione dicens *manifestum esse* ait *f ab hæresi venientes utroque sacramento debere renasci in Ecclesia Catholica*. Ex his ita eram argumentatus; *Ex quocunque Sacramento in Ecclesia nascimur*, vel, ut loquitur Nemesianus, *renascimur*, id baptismi mysterium est, *Atqui ex utroque illo Sacramento renascimur in Ecclesia* juxta illorum quidem Patrum sententiam; Ergo utrumque illud Sacramentum, tinctio scilicet & manus impositio, sunt baptismi mysterium. Major apud omnes confessa est, & quidem proprie apud Cyprianum; *Nativitas* (inquit) *g Christianorum in baptismo fit*. Latinorum ad hanc demonstrationem strophas & cavillationes satis ibidem confutavimus. Singularis est, & plane unius Hammondi propria ad eam solutio, nimirum ad baptismum pertinere, eoque censeri concedit omnem ritum ex quo in Ecclesia nascimur, Id certe nusquam quod animadverterim, negat. Neque vero illud alterum quod nos assumpsimus, inficiatur, *manus* scilicet *impositionem* alterum esse ex duobus illis Sacramentis sive ritibus ex quibus illi Patres in Ecclesia renasci nos testantur. Sed quod nemo ante eum negaverat, hanc quam hi duo testes intelligunt, manus impositionem, esse ipsam illam, qua tincti demum confirmabantur ipse præfracte negat. Sentiens enim credo, quanta esset ad omnes ejus elidendas conjecturas, & ratiunculas hujus argumenti vis, nullam eius mentionem facit; sed ei tamen tacite occurrens, per ambages lectorem ducit, & quo tendat strenue dissimulans, optare se inprimis dicit *h quædam distingui, suisque separatim classibus reponi*. Tum nobis narrat.

d Diss. de Cõfirm cap. 8. pag. 140.
e Cypr. epist. 72. pag. 141.
f Conc. Carth. in Cypr. pag. 354.
g Cypr. epist. 74. pag. 154
h Hamm. ca.

rat allatis & veteris memoriæ quibusdam, & recentioris pluribus testimoniis præter eam, de qua nunc quærimus, duas alias manus impositiones in Ecclesia fuisse, unam, ad faciendum Catechumenum, quæ tinctioni baptismali præibat; alteram, *k qua post baptismum perfici dicebatur is, qui privatim aut raptim in periculo mortis baptizatus fuerat.* Priorem cum multis aliis ac postremo Severi Alexandrini testimoniis satis sibi firmaisse visus esset; repente velut hoc aliud agenti subito in mentem venisset, in hæc erumpit; *Et certe quidni* (inquit) *ad hanc classem referri possit Cypriani illud ad Stephanum*, locum quem nos citavimus totum describens, & in eo quædam notans, ex quibus postremo concludit, *eum non incommode de ea manuum impositione, qua baptismum præcessit, intelligi posse.* Hæc ille; quibus vel hoc ipso diffidere debuit, quod ante eum nemo hoc effugium ad solvendum hunc nodum adhibuisset. Sed videtur vir doctus nova, & inexpectata ex levissimis ut plurimũ conjecturis libẽter captasse. Ego vero respondeo nihil opus fuisse tã operosè multis Patrum, præsertim Græcorum testimoniis probare, quandam tàm manus impositionẽ tinctioni initiandorum præivisse. Vtcunque sit, sive hoc apud Afros Cyprianeis temporibus jam in usu fuerit, sive non fuerit, nihil mea refert. Nam utcunque sit, illud certum est. Cyprianum quidem & hic & alibi quoties in hac de hæreticorum baptismo disputatione manus impositionem memorat, eam intelligere quæ non ante, sed post credentium tinctionem adhiberetur; ut non possim non mirari viro in paucis erudito, aliud in mentem venire potuisse. Et is sane sic loquitur, ut ipse non satis huic suæ solutioni confisus esse videatur, quam non pro certa & indubitabili obtendit ut in aliis fere solet, sed timide Cypriani locum ait, *l non incommode de* illa sua baptismum antecedente *manus impositione intelligi posse.* Et cum hunc locum ingreditur, *Et certò* (inquit) *quidni ad hanc classem referri possit illud Cypriani ad Stephanum?* Rationem dabo, & quidem non unam. Primam ab ipsa Cyprianeæ disputationis serie petemus. Nam ad Stephanum urbis Episcopum de rebaptizandis hæreticis scribit, quos ille *per manus impositionem recipiendos putabat*; baptizandos negabat: ut apparet tum ex aliis multis, tum ex Nemesiani in Carthaginensi Synodo sententia. Cyprianus eos *baptizari oportere* contendebat, *eo* inquit, *quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi recipiant & Ecclesiæ baptismum.* Vel sophistice hic agit Cyprianus, quod non est de sanctissimo Martyre credendum, vel eandem illam intelligit manus impositionem, qua Stephanus & Romani ab hæresi ad se venientes recipiebant. At hanc negat *m* ipse Hammondus *cum ea esse confundendam qua baptismo prælusit.* Ergo quam *parum* esse ait Cyprianus ab hac quoque antebaptismali secernenda est, non cum ea confundenda. Scio Hammondo visum esse *n* Cyprianum *utramque confudisse.* Sed absit ut hoc de tanto viro suspicemur. Neque vero idoneæ sunt rationes, quibus amicus noster ad id suspicandum nos conatur adducere. Duas

Cap. XIII. 2. sect. 5. §. 5. pag. 63.
i Ibid. §. 4. 5. & seq.
k Ibid. §. 13. pag. 66.
l Idem ibid. §. 11. pa. 67.
m Ibid. §. 12. pag. 67.
n Ibidem.

Caput XIII.

autem affert. Priorem inde ducit, quod *hic* (inquit) *o videamus poscentem Cyprianum, ut impositioni manuum baptismus adderetur.* Verba autem Cypriani, in quibus hoc videri affirmat, ita habent; Initio epistolæ Stephanum statim docet in Concilio apud se celebrato inter cætera illud inprimis fuisse definitum eos, *qui sint foris extra Ecclesiam tincti, & apud hæreticos & schismaticos profana aqua labe maculati, quando ad nos* (inquit) *atque ad Ecclesiam quæ una est venerint, oportere baptizari.* Hic clare videmus Synodum illam, cujus princeps erat Cyprianus, constituere, ut ab hæresi redeuntes *baptizentur*; non illud poscere, quod amicus noster dicit, *ut impositioni manuum addatur baptismus*, id est ut iis prius manus impositione obumbratis aqua deinceps ministretur qua tingantur. Absurdum est putare Cyprianum a Synodi suæ sententia discessisse. Ad eam ergo exigenda est sententiæ ratio, quam subjicit his verbis, *eo* (inquit) *quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum.* Pace amici dixerim, ne hic quidem video Cyprianum *poscere*, ut ab hæresi; venientibus primo manus imponantur; manus demum impositioni baptismus *addatur.* Hoc unum Martyr *poscit*, ne isti sola manus impositione recipiantur in Ecclesiam quasi hoc unum ad eos sanctificandos satis sit; *Poscit*, ut de integro baptizentur; Ait *parum* esse, hoc est ad eorum sanctificationem *satis non esse*, manum iis, quod unum faciebant Romani, imponere; Ad hoc requiri, ut ipsum Ecclesiæ baptismum suscipiant. Ergo amici nostri ars hæc fuit, quod Cyprianum dixit poscere ut *impositione manuum addatur baptismus.* Illa *additio* tota amici est; Cypriani nulla est. Nimirum hic Cyprianus de rebus ipsis pugnat; Negat sola manus impositione recipiendos hæreticos; Baptizandos quoque contendit. Ni fiat, claudicare eorum receptionem, mutilam & imperfectam esse pronuntiat. Cæterum de utriusque ritus ordine nihil dicit; de quo scilicet nulla ei cum quoquam lis erat; Vtrique enim & Romani & Afri consentiebant quando uterque ritus celebrabatur, præire baptismũ debere, manus impositionem sequi. Tota de rebus ipsis controversia erat: quod quibus recipiendis Stephanus manus impositionem satis esse statuebat, eam Cyprianus *parum esse* censebat: Vtramque necessariam esse definiebat & tinctionem, & manus impositionem. Hoc unum agit Cyprianus. Quo uterque ille ritus ordine ministrandus esset, tinctio-ne, an manus impositio vel præcedere vel sequi deberet, nihil est sollicitus: de quo scilicet apud utrosque constabat ac conveniebat. Neque enim fando unquam auditum Afros de ordine quo administrandi sint hi duo ritus à Romanis aut aliis dissensisse. Neque aliud tinniunt sequentia Martyris verba: *Tunc enim demum* (inquit) *plene sanctificari & esse filij Dei possunt, si sacramento utroque nascantur, cum scriptum sit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non potest introire in regnum Dei. Vtrumque sacramentum*, id est ritum sacrum, tinctionem scilicet & manus impositionem ad istos sanctificandos necessario adhibendum putat: quo ordine

o Id. ibid. §. 11.

dine uterque adhibendus sit, non explicat: quod explicari nihil ad rem pertineret id de quo una erat omnium sententia. Nihil ergo hic fuit quod amicus suspicaretur Martyrem manus impositionem, qua recipiebantur ab hæresi venientes cum illa sua altera confudisse, quam *baptismo prælusisse* dicit. CAPUT XIII.

Eodem vitio laborat altera ejus ratio: inde ducta p quod Cornelij Centurionis & familiarium baptismum Cyprianus statim his verbis adducit; *Invenimus enim etiam* (inquit) q *in Actis Apostolorum hoc esse ab Apostolis custoditum & salutaris fidei veritate servatum, ut cum in domo Cornelij Centurionis super Ethnicos, qui illic aderant, fidei calore ferventes, & in Dominum toto corde credentes, decendisset Spiritus Sanctus, quo adimpleti variis linguis Deum benedicerent, nihilominus tamen B. Apostolum Petrum divini praecepti atque Evangelij memorem pracepisse, ut baptizarentur iidem illi, qui jam fuerant sancto spiritu pleni, ut nihil praetermissum videretur, quo minus per omnia divini pracepti atque Evangelij legem Apostolica magisteria servarent.* Hammondus hic quoque fingit Cyprianum hoc exemplo uti, quo probet *manus impositioni addi debere baptismum.* Sed fallitur. Addi ne baptismo manus impositio, an baptismus manus impositioni, plane est extra causam quam hic agit Cyprianus. Itaque hac de re minime, sollicitus illud unum pugnat baptismo necessario abluendum quisquis in Ecclesiam recipitur; eam esse à Christo Domino fixam legem. Eo ergo non alio spectat allatus ex Actis de Cornelio & ejus familiaribus locus. Nam si unquam probabilis baptismi in tali loco ac tempore omittendi caussa occurrit, hic certe occurrebat, cum Ethnicos illos, qui in domo Cornelii erant, Spiritum Sanctum, id est rem baptismi, jam accepisse palam esset; tingendi officium supervacaneum videri posset; cum ministrorum manum antevertisset Spiritus. Atqui ne istos quidem etsi intus mirabiliter cœlesti dono perfusos, baptismo Ecclesiastico carere voluit Petrus; *Nihilominus tamen* (inquit Cyprianus) *baptizari istos pracepit;* Tum, *ut nihil* (inquit) *praetermissum videretur.* Hinc id unum colligit, nunc ergo multo magis baptizandos qui in Ecclesiam reciperentur; quod in his nulla ut in istis, cœlitus dati Spiritus argumenta cernantur. Absit vero, ut ex hoc plane singulari, & ad suam quandam propriam causam referendo facto, vel Cyprianus vel quisquam sanæ mentis Theologus solennem administrandorum sacramentorum ordinem constituendum putaverit; ut manus Spiritus conciliatrix neophytis prius imponatur quam administretur baptismus. Atqui alibi baptismum Apostolicæ manus impositio sequitur: ut ex Act. 8. & 19. patet. Sed piget in istis immorari, de quibus Cyprianus ne per somnium quidem cogitabat cum hæc scriberet. Clara & obvia est Martyris mens ex iis, quæ diximus. Cum ergo vanæ sint allatæ à doctissimo Hammondo conjecturæ, stat argumentum, quo illam manus impositionem, de qua hic loquitur Cyprianus, aliam ab ante baptismali fuisse inde probavimus, quod quam intelligit Cyprianus

p Hamm. ibid.

q Cyp. ep. 72. ub. supr.

Cap.XIII. nus eadem fuerit cum ea qua ex hæresi venientes Stephanus & Romani recipiebant.

Id ipsum vero inde quoque elucet, quod Cyprianus manus impositionem, quam satis esse negat, eam adhiberi *ad accipiendum Spiritum Sanctum scribit*. Hoc enim est manus impositionis post baptismalis constans ac proprium elogium. Illam alteram antebaptismalem Hammondus *viam baptismo stravisse, ad faciendum catechumenum* usurpatam dicit; Ad accipiendum Spiritum Sanctum adhibitam esse neque ipse neque quod sciam, quisquam veterum dicit.

r Hamm. ubi supr. §.4. p.64.

Tertio idem docet locus ex Ioanne à Cypriano pro ratione suæ sententiæ allatus, *Cũ scriptũ sit* (inquit) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Aqua* baptismum signat. *Spiritum* manus impositio invitat & advocat. Ordinem rerum ipse Dominicorum verborum ordo constituit. Vt hic *aqua Spiritum*, ita illic baptismus manus impositionem præcedit. Alioqui Martyr absurde ex hoc loco colligeret ex utroque sacramento nasci nos oportere ut plene sanctificemur. Huc accedit, quod Cyprianus aliis in locis ubi eandem causam agit, hos ritus constanter ita disponit, ut manus impositio baptismum semper, etiam aliquando unctionem, ut apud Tertullianum, sequatur. Ita in epistola ad Iubajanum; cujus locum proxime expendimus; *Qui in Ecclesia* (inquit) *baptizantur præpositis Ecclesiæ offeruntur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequuntur*. Ad Ianuarium plærosque omnes baptismatis ritus, ex quibus argumentatur, ordine recensens orditur ab aqua, hinc ad *remissam peccatorum*, & symbolum fidei, pergit, inde ad unctionem; in benedictione, quæ manus impositione continetur, desinit; *Sed & baptizato* (inquit) *quam precem potest facere sacerdos sacrilegus & peccator? cum scriptum sit. Deus peccatorem non audit &c. Quis autem potest dare, quod ipse non habeat? aut quomodo potest spiritalia agere, qui ipse amiserit Spiritum Sanctum? Precem facere baptizato est*, quod in superiori dicebat *per orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum baptizato tradere*. Hic ergo manus impositioni præit non modo tinctio, sed etiam unctio. Ordinem hunc à viro doctissimo frustra turbari, inserto post unctionem Dominicæ cœnæ Sacramento, supra ostendimus, & *Eucharistiam* illic ex Rigaltio docuimus pro benedictione sumi qua oleum sanctificatur. Cur quem in his duobus locis servat inter istos ritus ordinem in hoc tertio mutaret, nihil causæ est, ut nuper demonstravimus. Ne ergo dubitaveris quam ad Stephanum memorat manus impositionem, eam ipsam non quam baptizandis, ut præpostere decernit Hammondus, sed quam baptizatis adhiberi solenne erat. Denique in epistola ad Pompeium, Stephani contrariam de eadem causa sententiam oppugnans, disertissime docet eam manus impositionem, qua Spiritus Sanctus traditur, non aliter debere adhiberi, quam post baptismum; *Porro autem* (inquit) *non per manus impositionem quis nascitur quando accipit Spiritum Sanctum, sed in baptis-*

s Cypr. ep. 73.

t Id. ep. 70. p.158.

u Id. ep. 74. p.154.

mo, ut Spiritum jam natus accipiat; Hammondum miror ex hoc loco, quem alibi describit, non vidisse illam toties à Cypriano memoratam manus impositionem, eam necessario esse intelligendam, quæ jam *in baptismo natis*, adeoque baptizatis, ministratur. Ex his ni fallor, satis constat illam manus impositionem, de qua Cyprianus in epistola ad Stephanum & Nemesianus in Concilio Carthaginensi loquuntur, post tinctionem baptismalem ministratam fuisse. Ita exploso doctissimi Hammondi invento, eam baptismo præivisse fingentis, stat ac valet argumentum, quo hanc manus impositionem in baptismi ritibus sive cærimoniis fuisse inde concludimus, quod de ea neque baptismo quem ipsa sequitur, verba facientes Cyprianus & Nemesianus pariter definiunt *utroque Sacramento nasci vel renasci in Ecclesia Catholica debere*, qui ex hæresi veniunt. CAP. XIII. x Hamm. c. 6. sect. 2. §. 10. p. 140.

Sed vir doctiss. eundem illum Cypriani ex epistola 74. locum objicit, ut probet manus impositionem fuisse ritum à baptismo diversum; *Non per manus impositionem quis nascitur* (inquit Cyprianus) *quando accipit Spiritum Sanctum, sed in baptismo, ut Spiritum natus accipiat: sicut in primo homine Adam factum est. Ante enim Deus eum plasmavit, & tunc insufflavit in faciem eius flatum vitæ. Nec enim potest accipi Spiritus, nisi prius fuerit, qui accipiat.* Hæc Cyprianus; quæ sane benigno egent interprete. Nam si summo iure agas, difficile est explicare qui vel homo in natura, vel Christianus in gratia natus dici proprie possit antequam Spiritum acceperit; Difficile hoc ipsum cum eo conciliare quod idem Cyprianus in loco proximo aiebat nos *ex utroque* (baptismi scilicet & manus impositionis) *sacramento nasci*; qua de re quædam à nobis alibi a dicta sunt. Quod vero pertinet ad præsentem objectionem, fatemur manus impositionem actum fuisse à tinctione diversum; ut aliud est nasci, aliud spiritum accipere; ut aliud fuit Adami plasmatio, aliud spiritus in ejus faciens à Deo insufflati perceptio. Inde sequi negamus manus impositionem ad baptismi sacramentum minime pertinuisse, ut ejus ritum, appendicem, & auctarium. Ne amicus quidem noster negauit, unctionem à presbytero post baptismum ministratam unum fuisse de baptismi ritibus; non illam alteram baptismi præviam manus impositionem; quos tamen actus esse à tinctione diuersos omnes confitentur & vident. Nihil enim vetat duos, imo plures alios, ab aliis distinctos actus in unum sacramentum concurrere; ut apparet ex Eucharistia, in qua esus & potus unum sacramentum proprie dictum conficiunt. Neque allatum à Cypriano de Adæ formatione exemplum repugnat. Tametsi enim aliud fuerit ejus *plasmatio*, aliud *flatus vitæ in eius faciem insufflatio*; apparet tamen utroque actu unam Adæ in hominem creationem constitisse; plane ut regeneratio nostra & in nativitate illa mystica, quam tinctioni assignat Cyprianus, sita est, & in spiritus acceptione, quam idem manus impositioni tribuit. Neque enim regeneratus censetur, nisi qui & natus sit & spiritum acceperit; neq; unum horum ab altero divelli potest. y Id. ibid. z Cypr. ep. 74. p. 154. a L. 2. de Confirm. c. 8. p. 152. 153.

Nihil

Cap. XIII. Nihil ergo nos vetat quod posuimus, tenere illam ipsam manus impositionem, quæ baptizatis ministrabatur, Cypriani æque ac Tertulliani temporibus inter ritus baptismalis adhuc censitam fuisse, habitamque pro totius in Christianismum initiationis coronide; quod & alia ex ejusdem ævi monumentis confirmant. Quale est inprimis quod in Nemesiani apud Carthaginense Concilium sententia legimus; ubi cum illa Domini verba recitasset. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei, Hic est* (inquit) *Spiritus, qui ab initio ferebatur super aquam. Neque enim Spiritus sine aqua operari potest, neque aqua sine Spiritu.* Ergo aquæ & spiritus operationes quidem ita coniunctas facit, ut altera ab altera divelli non possit; utriusque vero operationis unum. Idemque opus, sive apotelesma; nimirum nostram in Christo *ἀναγέννησιν*, regenerationem, vel si ita loqui licet, *renascentiam.* Iam gratiæ ut opus unum est, ita & sacramentum unum esse decet, nostræ scilicet initiationis mysterium, quod sane & in uno *aquæ* signo à Christo Domino institutum est. Aqua enim utriusque operationis ad regenerationem nostrã necessariæ symbolum aptum atque appositum est, ablutionis scilicet peccatorum, & sanctificationis animæ nostræ. Cũ vero Patribus secundi seculi placuisset Sancti Spiritus in nobis innovandis operationem aliis præter aquam symbolis repræsentare, oleo scilicet, & manus impositione; clarum est utrumque ad baptismum pertinere; in quo, ut ait Nemesianus, *neque Spiritus sine aqua, neque aqua sine Spiritu* operari potest, sed utrumque simul. At si vel unctionem vel manus impositionem ab aqua separaveris (quod Latini & unà cum iis Hammondus faciunt) sequetur *& aquam sine Spiritu, & Spiritum sine aqua operari.* Ergo & Nemesianus, & Ecclesia ex cujus sensu ac mente loquitur, unctionem & manus impositionem ad baptismum referebant, ejusdemque cum eo sacramenti partes esse censebant, rituales scilicet & cærimoniales. Idem quoque nos docent quæ Nemesianus subjicit. Nam ex iis quæ descripsimus, ista concludit; *Male ergo sibi quidam interpretantur, ut dicant quod per manus impositionem* (*solam* scilicet absque aqua) *Spiritum Sanctum accipiant, & sic recipiantur* (ij scilicet qui ab hæresi ad Catholicam Ecclesiam veniunt) Quid ita? Quia nimirum *Spiritus* (quod supra posuerat) *sine aqua operari non potest.* Vides ut Spiritum illum, quem *manus impositio invitat & advocat,* aquam ad hoc ut operetur, necessario comitari debeat, atque adeo hanc manus impositionem absque aqua ministrari non decere; Vnde nemo non intelligit hanc manus impositionem apud veteres baptismo adhæsisse, ejusque ritum fuisse. Si aliter statueris, iners, absurdaque erit omnis Nemesiani argumentatio. 3. Præterea hoc ipsum inde licet discere, quod Cyprianus Fide presbyteri errorem referens scribit, e istum *intra octavum diem eum qui natus est, baptizandum & sacrificandum* (id est ad Eucharistiam admittendum) *non putasse.* Si unctio ac manus impositio singulares, seorsumque per se ministrandi ritus fuissent, à baptismo, æque ac Eucharistia di-

e Cypr. ep. 59. p. 108.

stia, diversi, Fidus Infantes tam ungendos ac benedicendos, quam sacrificandos ante octavam diem negasset. Ille vero simpliciter *baptizandos & sacrificandos* negat, de unctione & manus impositione, quarum eadem ratio erat, nihil dicit. Quare? Quia scilicet Baptismo utrumque ritum contineri intelligebat, ut partes initiationis Christianæ rituales, eo putavit, se quos baptizandos negavit, eadem quoque opera ungendos ac benedicendos negasse. Si dicas Fidum satis eos unctione & manus impositione exclusisse, eo ipso quod baptizandos negavit, quia scilicet hi ritus, tametsi à baptismo revera diversi, nullis nisi baptizatis ministrarentur; respondeo, Fidum si hanc rationem secutus esset tam Eucharistiam, quam has duas cærimonias taciturum fuisse; cum ab illa, non minus quam ab his excluderentur non baptizati. Sed qui duos illos ritus tacuit, Eucharistiam non tacuit, diserte *sacrificandum* negans, nisi qui octo dies esset natus. Ergo hujus discriminis alia quam quæ affertur ratio fuit. Nulla porro alia esse potest, præter eam quam diximus: quod nimirum baptismi nomine & unctio & manus impositio contineretur: Eucharistia, diversi ab initiatione ordinis sacramentum, non contineretur. Eadem ejus ratio est, quod ipse Cyprianus eos qui ex hæresi veniunt baptizari debere inde probat, d quod *ungi quoque necesse sit eum qui baptizatus sit.* Argumentum ad hoc nihil valebit, si unctio est à baptismi ritibus diversa. Neque enim alioquam baptismi sacramento opus esse putabat Cyprianus, ut quis in Ecclesiæ societatem ingrederetur; Ingresso cætera sacra petere tam ipse, quam Stephanus & Romani consentiebant. Quod vel inde intelligi potest, quod ad recipiendum hæreticum nusquam ut hic unctionem, ita & Eucharistiam necessariam esse dicit. Quare? Quia ea scilicet Ecclesiam non ingressuro, sed jam ingresso dabatur. Itaque si ut Eucharistiæ, ita & unctionis ritus à baptismo divisus fuisset, hæreticum Cyprianus non magis ut recipiatur ungi necesse esse putasset, quam Eucharistia communicari. Atqui illud putavit, hoc nusquam memoravit. Ergo unctionem ad baptismi ritus pertinere, non ab iis, ut Eucharistiam, diversam esse existimavit. Idem ex benedictione argumentari licet, quam hæretico ad hoc ut in Ecclesiam recipiatur, ipse quoque ibidem necessariam putat. *Sed & baptizato quam precem* (inquit) *facere potest sacerdos sacrilegus & peccator?* Vnde sic colligit: *Idcirco baptizandus est & innovandus qui ad Ecclesiam rudis venit, ut intus per sanctos sanctificetur. Innovandum* dicit Spiritu scilicet per benedictionem advocato: ut ita in Ecclesia utroque illo sacramento apud eam accepto sanctificetur. At tingi satis erat, si illa per Spiritum innovatio à baptismi ritibus diversa est. Nam semel baptizatus in Ecclesia est, ut jam ei nemine dissentiente liceat cætera à baptismo diversa sacramenta à sanctis Dei ministris sancta ac vera consequi, quæ retro apud hæreticos nonnisi vana & inania habuerat. Eo factum est, ut Cyprianum omnes & veteres & recentiores non alia de re quam de hæreticorum baptismo à Romanis dissensisse, tradant. At si unctio & per manus impositionem benedictio nihil ad baptismum pertinuissent, de his quoque

CAP. XIII.

d Cypr. epi 70. p. 138.

Cap. XIII. non de solo baptismo ab illis dissensisset. Si enim ita esset, ad hæreticum recipiendum satis esse putasset eum in Ecclesia tingi: neque vel unctionem vel benedictionem ejus rei gratia adhibendas esse pugnasset: Romanis hæreticos absque unctione recipientibus assensus quidem esset; benedictionem vero ab iisdem frustra adhiberi contendisset. Baptismo uno, totam hæreticorum receptionem sive reconciliationem peragendam pugnasset; Vna tinctione rite & legitime ministrata expiatos, *intra esse* id est in Ecclesia; ubi semel constituti à sanctis ministris cæteris sacramentis pro jure jam civium acceptis frui possent. Atqui ille, ut ex loco laudato & aliis non paucis patet, hæreticos non aliter posse recipi contendit, quam si non tantum tingerentur, sed etiam ungerentur, & benedicerentur. Itaque si unctio & benedictio ritus erant à baptismo diversi perperam falsoque dicitur Cyprianus de uno baptismo à Stephano & Romanis dissensisse; quod tamen omnes ita hactenus crediderunt atque tradiderunt. Ergo qui ita locuti sunt eos apparet uno baptismi nomine unctionem quoque & benedictionem veluti partes ejus rituales, comprehendisse, idemque Cyprianum ipsum de iis sensisse.

Atque ita satis ni fallor à doctissimi Hammondi reprehensionibus & elenchis vindicata est nostra de unctione & manus impositione sententia; quas à Tertulliani ævo ad Cyprianum pro baptismi ritibus apud Christianos censitas fuisse demonstravimus. Sed antequam ad sequentia tempora pergamus, hoc loco breviter consideranda venit, commonefactio amici censoris ad ea quæ nos de quibusdam Firmiliani, Cypriani æqualis, verbis scripsimus, tametsi ad eam controversiam, quæ mihi cum illo est, vel nihil, vel certe parum pertinentia. Hæc autem sunt verba Firmiliani; e *In Ecclesia* (inquit) *præsident maiores natu, qui & baptizandi & manum imponendi & ordinandi possident potestatem.* Hic ego obiter observaram Firmilianũ Græce scripsisse videri πρεσβυτέρους, quos Latinus quisquis fuit, interpres *majores natu* dixit. Tum hæc adjeci: *Maiores natu, sive* τοὺς πρεσβυτέρους *dicit, non solos Episcopos, sed una quoque cum iis presbyteros proprie sic dictos.* Ad hæc amicus noster: g *Nec Dallaus ipse* (inquit) *licet oculatissimus, perspexisse videtur in hoc loco id quod cuivis attento constaret, Firmilianum de Episcopis* ἰδίως *locutum.* Tum duo loca ex eadem epistola describit, in quibus Firmilianus Episcopos nominatim dicit, quos majores natu dixerat. Quasi ego negaverim Episcopos hic intelligi: qui non *solos* dixi, sed etiam una cum iis alios, quorum est aliqua in Ecclesia potestas. Locum sic erat exorsus Firmilianus: *Omnis potestas & gratia in Ecclesia constituta est, ubi præsident majores natu.* Si nulla est presbyteri in Ecclesia potestas, nulla gratia, nullum præsidendi, nullum baptizandi, nullum manum imponendi jus: fatebor me presbyteros immerito una cum istis natu majoribus (id est, si vocem spectes, presbyteris) à Firmiliano comprehensos dixisse. Neque mea refert hanc potestatem, hoc jus presbyteri ab Apostolica institutione, an ab Episcoporum concessione & indulgentia (quod ubique inculcat Hammondus,

e Firmil. inter Epist. Cypr. ep. 75.
f L. 2. de Confirm. c. 8. p. 155.
g Hamm. ca. 1. sect. 3. §. 6. pag. 14.

modus) habuerint. Satis est, quod eã potestatẽ, idq; jus habuerint, undequaq; habuerint, ad hoc, ut ii quanquã sub Episcopis, præsedisse in Ecclesia, potestatis & gratiæ aliquid inde habuisse, baptizasse, manũ imposuisse dicantur. Atqui horum nihil, ut puto, negasset Hammondus. De ordinatione nihil dico: quam Episcopalis juris ἰδίως fuisse in Cyprianei seculi Ecclesia confitemur. Sed nihil necesse est à Presbyteris omnia facta esse, quæ hic commemorantur, ad hoc ut ii sub majorum natu nomine comprehendi intelligantur. Sufficit, quod ii una cum Episcopis, quanquam sub Episcopis, suo utrique ordine ac gradu, in Ecclesia præsederint, ejusque potestatis ac gratiæ, quæ in ea est, suam quique partem gesserint atque exercuerint. Itaque amico nostro nulla, ut videtur caussa satis idonea fuit, cur hunc disputationis nostræ locum invaderet, præsertim qui ad litem, quam ille mihi intendit, nihil pertinet.

CAPVT XIV.

Disputationis de sententia quarti seculi & sequentium, prior pars, quæ est de Chrismatione. Eam teste Grotio, apud Græcos semper fuisse, & esse etiam hodie baptismi cærimoniam; quod & in baptismo apud eos, & à Presbytero æque ac ab Episcopo ministretur. Hammondi de recentioribus Græcis confessio.

SEd nos ad institutum redeamus. Cum doctissimus Hammondus nihil hactenus vel ex Tertulliani Cyprianique, vel ex aliorum qui toto illo tempore ad quarti usque seculi initia vixerunt, monumentis afferre potuerit, quod vel unctionem vel manus impositionem ritus fuisse demonstret sui cujusdam ordinis proprios à baptismi ritibus diversos, sejunctosque; plane hic nobis quiescere liceret. Satis enim nobis est utrumque hunc ritum quibus ortus est temporibus & iis quæ ad quartum seculum secuta sunt, baptismo, quod à nobis probatum est, adnexum fuisse, ejus velut appendicem atque auctarium. Quod si constat, ut quidem constare ex superioribus videtur, nihil nostra magnopere interest, quod posteri usum mutarint, & hos à baptismo ritus avulserint, propriumque ex iis diversi à baptismo ordinis sacramentum fecerint. Neque enim id factum negamus. Quo proprie tempore factum sit, nihil refert, dum constet non sic fuisse ab initio. Sed quoniam totam mutationis illius historiam, primordia, occasiones, progressus, atque exitum in opere de Confirmatione nostro sigillatim eramus exsecuti; ne hanc quidem partem hic negligendam putavi, quam doctissimus Hammondus vehementer oppugnavit, multis contendens duos illos ritus à baptismo semper, non sequioribus tantum quod ego ultro concessi temporibus, alienos fuisse. Nos temporum ordinem cœpimus, sequemur; ac de unctione quidem prius; de manus impositione postea dicemus. Sed quia unctionis apud Græcos & cæteros Orientales alia

CAP. XIV. paulo quam apud Latinos ratio fuit; ab illorum usu ac more ordiemur; de Latinis deinceps disputaturi.

h Grot. epist. ad Gal. epist. 346. pa. 400.

De Græcis, si doctissimus Hammondus Grotii sui judicium esset secutus, res acta esset. Vir enim ille, quem noster unice admiratus est tradit *unctionem*, quod jam supra diximus, *baptismo accessisse, in Occidente quidem diu, apud Græcos vero perpetuo & nunc etiam*; neque præter hanc *ullam aliam subsequentem apud eos in usu esse*. Verissimum & quidem ab omni parte de hac re viri magni judicium; ut ex iis, quæ dicemus, patebit. Quod antequam aggrediar, animadvertendum est circiter quarti seculi initia contigisse illud, quod idem quoque observat, *i non satis visum fuisse* veteribus illis fidelibus oleo inungere baptizatos, *nisi & fragrantiori quadam unctione ostenderent Christianos à Deo lectos & Reges & Sacerdotes*. Chrisma autem intelligit; quia non ex oleo solo, sed etiam ex balsamo longe fragrantiori & pretiosiori conficitur. Hactenus quidem, ut ex superioribus patet, non alterius quam ex oleo unctionis meminerunt Patres; Deinceps vero id est post ann. Dom. 400. crebra occurret chrismatio; neque alia quam hæc intelligenda veniet, quoties unctio memorabitur, quæ jam baptizatis adhibetur.

i Idem ibid.

Sed tametsi Hammondus Grotianam illam de Græcorum chrismatione sententiam meo relatam nomine oppugnet, est tamen ubi ea concedit, quæ illam apertissime, ac ut mihi quidem videtur, necessario constituunt. Nam ad disputationem se accingens agnoscit *k suum fuisse in baptismo unguenti & chrismatis usum*; cujus rei ex Græcis aliquot testimonia adducit. Sed observo eum in primo exemplo, quod ex Pseudareopagita adducit *m* vel fallere, vel falli. Nil enim locus ad *unguentum & chrisma* pertinet; qui totus est de oleo, quo baptizandi à presbyteris *πανσώμως toto corpore ungebantur*. Damasceni vero quæ deinceps citat *o* verba, *ἔλαιον ἐν τῷ βαπτίσματι παραλαμβάνεται*, *oleum in baptismate assumitur*, & tota capitis ipsius quod de baptismo est, series id de quo loquitur oleum post tinctionem ministratum fuisse ostendit, & Bellarminus Latinique fere cæteri ad suæ Confirmationis sacramentum referunt. Oecumenius vero ipsum chrisma diserte nominat, & Spiritum qui eo confertur, *Accepistis per baptismum* (inquit) *sacrum chrisma; & per hoc Spiritum, qui in omnem veritatem deducit*, *ἐλάβετε διὰ τοῦ βαπτίσματος τὸ χρῖσμα τὸ ἱερὸν, καὶ διὰ τούτου τὸ εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν ὁδηγοῦν πνεῦμα*. Cui illud quoque congruit, quod idem alibi scribit, *q Deum nos signavisse in baptismo*. *ἐσφράγισεν ὑμᾶς ἐν τῷ βαπτίσματι*. Symeon vero Thessalonicensis disertissime; *r Qui baptizantur fideles* (inquit) *unguento hoc in baptismate debent inungi*; *οἱ βαπτιζόμενοι πιστοὶ τούτῳ ὀφείλουσι χρίεσθαι τῷ μύρῳ ἐν τῷ βαπτίσματι*. Ac ne quis dubitet unguentum se illud ipsum intelligere dicit, quo Latinorum confirmatio constat; cavendum ab eorum more atque usu monens, qui infantes quos baptizant, non statim chrismant. Harmenopuli eadem quoque ratio est, qui unguento ungere, *τῷ μύρῳ χρίειν partem esse* dicit *divini baptismatis*. Memoratum à Græcis

k Hamm. ca. 2. sect. 2. §. 9.
l Ibid. §. 10.
m Dionys. Hier. Eccles. cap. 2.
n Ibidem.
o Damascen. lib. 4 de fid. Orth. ca. 10.
p Oecum. in 1. Ioan. 2. pag. 571. d.
q Id. in Eph. 4. 30. p. 442.
r Sym. Thess. ab Arcud. laudatus L. 2. cap. 20. de Concord. Latin. & Orient. Eccl.
s Harmen. Scholast. in

cis, his omnibus locis μύρον sive chrisma fatetur doctiss. Hammondus in ipso baptismo fuisse ministratum, adeoque unum fuisse ex ejus riti- Cap. XV. ca. Apost. bus. Atqui hoc chrisma eo loco muneroque à Græcis censeri, quo habetur à Latinis suæ Confirmationis chrisma & apertissime significat Symeon Thessalonicensis, & res ipsa loquitur. Græci enim præter hoc unum quo in ipso baptismo consignant, nullum aliud chrisma baptizatis ministrant. Vel ergo fateri debuit doctiss. Hammondus omnem Græcorum Ecclesiam ad hoc usque tempus constanter sensisse chrismationem unum esse de baptismi ritibus, vel certe nos docere aliam aliquam præter hanc apud eos chrismationem fuisse. Sed Græcis ignotas & esse nunc & semper fuisse clarum est duas illas nunc apud Latinos solennes chrismationes, alteram quæ in baptismo fit in vertice, alteram quæ extra baptismum in fronte. Nullam aliam ab iis vel olim usurpatam, vel nunc usurpari lectum vel auditum est, præter illam ipsam, quam Harmenopulus partim esse baptismi, cæteri in baptismo fieri dicunt. Ex his liquet totius Græcæ Ecclesiæ hanc communem fuisse de chrismatione confirmativa sententiam; eam rem esse baptismi, & in baptismo ministrandam: ritum adeo baptismi quod nos contendimus fuisse.

CAPUT XV.

De loco Pseud-Ambrosij, qui huius in me disputationis unicus Hammondo fundus fuit. Frigidus eius jocus. Mea loci interpretatio constituitur; & rationes quibus nititur, vindicantur ab inanibus Hammondi elenchis. Quid sit consignare. Consecrare latius patet quam consignare, diciturque etiam de personis. Valesij consensus; ipsius Hammondi confessio. Futilis eius ad alteram meam rationem evasio præcluditur. Pseud-Ambrosius testis de rebus sui ævi idoneus.

IAm huic Græcorum de sua chrismatione sententiæ clarissimum testimonium perhibet homo Latinus, Sardus ille (ut eum jocans Hammondus vocare solet) auctor Commentariorum in Paulum, qui in Ambrosij quibus vulgo leguntur. Hujus vero hominis verba tametsi præter institutum ordinem, hoc nobis loco expendenda sunt. Doctiss. Hammondus ea ab ipso disputationis suæ limine totis tribus sectionibus agitavit; ita commotus nostra suæ de illis sententiæ reprehensione, ut æstum animi neque diutius differre, neque paucioribus sedare potuerit. Verba Sardi sunt; *t Denique apud Ægyptum Presbyteri consignant, ubi præsens non sit Episcopus.* Consignationem hic pro ea confirmatione sumsi, quæ chrismatione fiebat, & putavi; & scripsi; & ante me sic sumpserant Sirmondus & Aurelius; certe posse sic sumi consenserant Salmasius & Blondellus. Itaque eodem loco doctiss. Hammondi interpretationem t Pseud Ambros. in Eph. 4.

Cap. XV. fidenter asseverantis eo vocabulo *solam Eucharistiæ consecrationem significari*, repudiaveram. Hammondi autem interpretatio altero quodam vetusti apud Augustinum Quæstionum in V. & N. Test. scriptoris loco nitebatur, hoc scilicet, *u in Alexandria & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter.* Nimirum vir doctiss. non dubitat quin consecrare in hoc altero loco sit Eucharistiam facere; Ergo idem quoque in priori esse vult *consignare*. Hanc suam ille sententiam defendit; meam refellit: sane haud perfunctorie. Ac primum quidem multum ille sibi gratulatur, *x* quod ego ipsi concesserim utriusque loci eundem esse sensum, idque & *rerum & verborum germanitatem satis docere; quin & multa suadere eundem esse utriusque loci scriptorem. Nihil retracto.* Hoc tantum moneo, quod eundem esse utriusque loci sensum consensi, eo me nequaquam consensisse ut verbum *consignandi* ex verbo *consecrandi* interpretemur. Contra diserte contendi de *consecrandi* sensu ex *consignandi* verbo judicandum potius ac definiendum esse. Quæ cum ita se habeant, nescio quid in mentem amico nostro venerit, cum ex eo quod scripsi *eundem esse duorum locorum sensum*, me ita constrictum teneri putat, ut necessario fateri cogar quod in priori loco dicitur *consignare presbyteros*, id omnino secum accipiendum esse pro *consecratione Eucharistiæ*. Atqui aliud ipse testatus sum; & professus me posterioris loci consecrationem ex prioris *consignatione* interpretandam esse, non contra. Sed suavis est inprimis & elegans machina qua me vir ingeniosissimus invitum & repugnantem in suas partes transferre nititur. *y* Clariss. Blondelli τῶ μακαρίτου verba primo describit, de illo Sardi dicto, *z In Alexandria & per totam Ægyptum, si desit Episcopus consecrat Presbyter, Id sive* (inquit) *Eucharistiæ confectione, sive de chrismatione sive de ordinationibus sacris interpretari placeat, perinde est.* Tum se eligisse quod placuit Blondelli venia, & consecrationem ibi loci de confectione eucharistiæ exponendam dixisse. Tum progreditur, & *me si non sui, saltem Blondelli clientis mei gratia* (sic enim viro magno libuit & mihi & Blondello jocandi causa illudere) hoc *largiri* jubet; eum scilicet esse illius loci sensum. Si fecero (facturum autem non dubitat) prædicit *necesse fore* ut ego in eandem secum sententiam de altero loco festinem, & *consignationem*, quæ ibi memoratur *de confectione Eucharistiæ interpretandam statuam*: quia scilicet unam esse utriusque loci sententiam concessi. Postremo triumphans canit: *Nullum sane hic, siquid video, effugium patere, nisi illud quod candide & liberaliter, sed ut causa suæ prodesset, largitus est Blondellus*, Consecrationem scilicet pro Eucharistiæ confectione accipi posse, *ex ejusdem denuo causa necessitatibus retractetur & plane negetur: Quod si fiat, agnoscet æquus arbiter hoc esse, siquid aliud, ὑποδύεσθαι ἐκλύειν.* Hi sunt mirabiles amici nostri lusus. Primo quod ille in hoc suo ludicro, Blondelli verba ita accipit, ut putet eum censuisse unius ejusdemque enuntiationis tres esse posse diversissimos, planeque inter se discrepantes, omnes tamen rectos ac geminos, auctorisque menti con-

u Pseud. Aug Q. in V. & N. T. Q. 101.

x Hamm. c. 1. sect. 3 § 2. p. 12, 13.

y Hamm. c. 1. sect 3 § 11. 12.

z Blond. Defens. Hier.

si congruos sensus, eo ni fallor, magnam facit viro doctissimo injuriam, CAP. XV.
cui nullo suo merito tam absurdum, tamque ridiculum delirium tribuit. Neque hoc sane significat, dum ait *perinde esse*, quonam ex his tribus sensibus verba Sardi *interpreteris*. *Perinde esse* dicit, nimirum ad causam quam ipse agit, non autem ad auctoris mentem, ut interdum solemus adversariis quæ ipsis placent donare ac largiri, etiamsi ea minus nobis probentur. Vnde liquet quod Blondellus Hammondo hic largitur, ut illud Sardi dictum de Eucharistiæ confectione si libeat, interpretetur: eo minime effici, ut rectum hunc esse germanumque ejus sensum vel judicaverit ipse Blondellus, vel suum *patronum* necessario ita judicare jusserit, aut decreverit. Itaque pace viri doctissimi dixerim, illa ejus ratiocinatio qua me ex hac Blondelli concessione teneri concludit, ut in suam sententiam descendam, tam est ludicra atque jocularis, quam falsum est elogium, quo virum incomparabilis eruditionis & apud Dominum cum ipse hæc scriberet quiescentem, *clientem meum* vocat. Tum quicquid Blondellus de vero ac genuino hujus loci sensu senserit, ille quidem aperte nobis concedit quam libuerit ex tribus ejus à se propositis interpretationibus sequi. Ergo tam mihi unam ex his, quam Hammondo alteram sequi absque ulla Blondelli iniuria vel offensione licuit, ut nihil causæ fuerit cur me his ejus verbis Hammondus ad eam quam ipse maluit interpretationem amplectendam obstringi putaverit. Denique licet ego Blondellum vivum dilexerim atque suspexerim, & mortuum gratissima memoria colam, nunquam tamen quod sciam, in ejus verba juravi, ut ab eo interdum discedere non mihi liberum esse existimem. Quo major est amicissimi nostri Censoris in me iniquitas, qui me hominem Dei gratia, liberum etiam ei mancipium addicit, quem vult (quamquam falso) meum esse clientem. Nulla alia Hammondo gratia, quam sua, opus erat ad me in suam sententiam ducendum, si rationis jus, si sancta veritatis fides sivisset. Quod denique suo more nos satis molliter neque satis urbano perstringere videtur, veluti homines, quos causæ, cui studemus ac servimus (scilicet) necessitates cogant eadem *largiri* & mox *retractare*, *concedere* ac plane mox *negare*, id ex animo dico, nescio ad quos pertineat. Non enim memini me quicquam unquam scripsisse quod his, quæ de duobus Sardi locis disputata nunc ostendo, sic adversetur, ut ulla mihi sit palinodia vel retractatione opus.

Missis ergo ludicris videamus utra loci interpretatio melior sit ac rationi magis consentanea. Ego meam duobus argumentis firmavi. a a L.2.de Confirm. c.18.p 221.
Prius est, quod de verbi *consecrare* in posteriori loco positi sensu judicandum est, ex verbo *consignare*, quod in priori loco usurpatum est, quia *nimirum potius ac verius est, ut id quod est generalius ex eo interpretemur, quod est specialius, & magis proprium, quam contra, adeoque consecrare de consignatione intelligamus, quam consignationem de Eucharistia confectione.* Ita enim scribendum est, non ut est perperam excusum, *obsignatione* & *obsigna-*

CAP. XV. *obsignationem.* Doctiss. Hammondus frustra in illa menda mysteria quærit. *b* Mendam esse facile videre potuit ex verbis continenter sequentibus, quibus id quod dixeram de utriusque vocabuli sensu ita probatur, *cum consignationem quidem consecrationem & esse & dici omnes confiteantur; Eucharistiæ confectionem dici simpliciter consignationem, nemo ut opinor audiverit.* Hic *consignationem*, de quo verbo quæritur legis; *obsignationem*, quod mendosum est, non legis. Quid ad hos argumentum Hammondus? Ille negat me *aliquid exinde lucrari posse Blondello & Salmasio clientibus meis.* Quasi vero librum hunc non adversus me sed adversus Blondellum & Salmasium scriptum esse Præfatio præfixa docuerit, vel quasi ego istorum causam in opere de Confirmatione meo egerim. Miror viro erudito tantum placere potuisse tam frigidum schema, ut passim ad fastidium modo viros illos præstantissimos *clientes meos*, modo me eorum *patronum* vocet. Tum illud invadit *c* quod dixi, verbum *consignare* de Eucharistiæ confectione simpliciter, ut hoc loco, *esse usurpatum*, nullum sane à doctiss. Hammondo allatum esse hujusmodi locutionis exemplum. Ne nunc quidem ullum affert: Paulo post tamen negat *d* quicquam *prohibere quominus, qui pani in Eucharistia signum crucis, æque ac Catechumenorum fronti in baptismo impresserit, æque itidem & pari vocis proprietate consignare dicatur.* Ego idonei alicujus scriptoris exemplum requirebam, non quid fieri posset, sed quid reapse fieret. Quanquam satis manifestum est inter ea quæ hic pro paribus adducit, discrimen. Catechumenum recte *consignare* dicitur presbyter, quia eo ipso signo, quod ejus fronti imprimitur, consecratur: Eucharistia, non signo pani impresso, sed vel prece, vel ut apud Latinos docent, Domini verbo consecratur. Sed quod exemplum apud eum desideraveram, in quo *consignare* diceretur Episcopus, cum Eucharistiam celebrat, id ille in me retorquet, *e* qui nullum scilicet exemplum adduxerim, in quo *consecrandi* verbum de confirmatione usurpetur. Fateor. Nullum adduxi, quod rem ita perspicuam esse crederem, ut à nullo negatum iri confiderem. An enim non consecratur, qui chrismate vel manus impositione confirmatur? Exemplum tamen & quidem locupletissimi scriptoris, amico poscenti non negabo, *f* (*caro* (inquit Tertullianus) *ungitur, ut anima consecretur.* Ergo inquam & *ungere* sive consignare *consecrare* est. Atque hinc refellitur, quod negat *g* alibi Hammondus *consecrationem* Sardi nostri posse intelligi, quod mihi visum est, de *consecratione personarum*; potius accipi posse volens de *consecratione unguenti.* Atqui quo *anima consecratur*, eo persona ni fallor consecratur. Photius quoque personas unguento, quo consignantur, consecrari satis docet, *h* dum contra Latinos pugnans sacerdotibus *licere eos qui initiantur unguento sanctificare.* ἐξεῖναι τοῖς ἱερεῦσι τοὺς τελουμένους μύρῳ ἁγιάζειν. Et mox iterum: *Quomodo non sanctificat* (sacerdos) *unguenti inunctione eos qui nunc initiantur?* πῶς οὐχ ἁγιάζει μύρῳ χρίων τοὺς νῦν τελουμένους; Nam qui *sanctificari* unguento dicuntur nemo puto negabit, *consecrari unguento* dici posse.

Neque

b Hamm. c. 1. sect. 4. §. 7. p. 22.

c id. ib. §. 5.

d ibid. §. 6. p. 22.

e Id. ibid. §. 3. p. 22. 23.

f Tertull. l. de resurr. carn. c. 8. p. 384

g Ham. c. 2. sect. 3. §. 1. p. 43.

h Phot. ep. 2.

Neque dubito quin M. Antonius de Dominis eos qui chrismantur in hominibus illis censuerit, i quos *chrismate consecrari* dicit *aeque ac Ecclesias, altaria ac calices*; quae *viri doctissimi* verba adeo Hammondo placuerunt, ut ea bis in suo opusculo descripserit. k Tandem negat amicus *consignandi vocem specialiorem aut magis propriam esse, quam sit consecrationis*. Hoccine neget vir doctissimus? Negat disertissime, & quidem sic ut argumentis neget ullis opus esse, rem ex Blondello & Salmasio confici. Quasi vero hi duo viri quamquam iudicio meo maximi, nihil unquam dixerint vel scripserint, quod mihi vice legis esse non debeat. Sed neque profecto verum est tam doctos viros vel pronuntiasse usquam τὸ *consecrare* non patere latius quam τὸ *consignare*, vel aliquid scripsisse unde id quod est portenti simile, legitime concludi possit. Quod enim dicunt *consignationem* apud Sardum perinde esse sive de confirmatione, sive de poenitentium benedictione, sive de ordinandorum consecratione quis accipiat id supra ostendimus nequaquam vim eam habere, quam putat amicus noster, neque si revera haberet, eo fieret ut τὸ *consignare* aeque pateat ac τὸ consecrare. Sed missis praeiudiciis rem ipsam putemus. Certe *consecrantur* quaecumque quovis modo, quavisque ratione Deo dicantur, divinoque cultui addicuntur ac mancipantur; sive res sint, sive personae, quae addicuntur. *Consignantur* quae non omni, sed certo quodam proprioque modo consecrantur; nempe adhibito signo, chrismate scilicet vel manus impositione. Caetera quae vel voto, vel prece mera, soloque verbo consecrantur, ea non est usus, ut opinor, Ecclesiastici *consignata* dicere. Ergo *consecrare* latius patet, quam *consignare*. *Consecrare* genus est. *Consignare* species est ut loquuntur Logici, *consecrationis*. Cum ergo utriusque ex Sardo allati loci eundem esse sensum omnia suadeant, profecto ad eum constituendum multo verius atque appositius est *consecrationem*, quae in uno legitur, ex *consignatione*, quae in altero occurrit, definire ac interpretari, quam contra. Consecrandi enim vox vaga est, & latissimi sensus, omnesque omnino consecrationum species ambitu suo complectitur. Atqui non omnes presbyteris eo loco attribui, sed certum tantum earum ordinem, scriptoris scopus & loci circumstantiae clamant. Nihil ergo promptius est, quam consecrandi nimium patens verbum ad *consignationem* ex altero loco restringere, id est ad confirmationem sive chrismationem neophytorum. Graeci enim de quibus hic sermo est, hac sola, absque manus impositione confirmabant. Nam verbi *consignare* apud scriptores Ecclesiasticos hic fere est frequentissimus, ac communissimus sensus. Innocentius P.R.I. l *De consignandis* (inquit) *infantibus, manifestum est non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere.* Iterum paulo post, *Haec Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum, tradant non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apostolicorum.* Vbi vides soli chrismationi consignationis nomen tribui, seorsum à manus impositione. Synodus Arausicana ritum utrumque consi-

CAP. XV.

i M.Ant. de Dom. l.5. de Rep. Eccl c. 5.§. 8.

k Hamm. p. 41. & 162.

l Inno. I. ep. ad D. cent. c. 3.

gnationem dicit, *m* ubi in mortis discrimine positos jubet, *si desit Episcopus*, à presbytero cum *chrismate & benedictione consignari*. Concilium Toletanum XI. a. D. 675. *n Quicumque deinceps in Ecclesiastico ordine constitutus aut pro baptizandis, consignandisque fidelibus* &c. *pretia qualibet, vel præmia* &c. *susceperit* &c. *Consignandis*, id est chrismate post baptismum confirmandis. Garsias Loyosa ad hunc canonem; *o Consignatio* (inquit) *est confirmatio, munus solius Episcopi. Consignare* vero pro *Eucharistiam celebrare*, inauditum; & pace amici dixerim, portentosum. Ipse quinetiam non aliter, quam de sua *Confirmatione* intelligit, quoties *consignare* dicit. *Confirmationis* (inquit) ritum affirmat Cyprianus manuum impositione & CONSIGNATIONE celebrari solitum fuisse. Nemo ut opinor, risum teneret sermonis Ecclesiastici peritus, si pro *Consignatione*, quam dicit, *consecrationem* hic dixisset. Idem alibi Cornelij apud Eusebium verba tractans, quod in Græco est τὸ σφραγισθῆναι non aliter reddit, *q* quam *consignari & consignationem*. Sensit ipse invitus licet, à me credo, admonitus, interpretationis suæ absurditatem. Itaque alibi tandem meam sententiam præfert, ubi de illo Arausicanæ Synodi loco verba faciens, *r Hic certe* (inquit) *canon, post alia nonnulla, mihi omnino persuasit prædictum Sardi locum (si tandem detur menda vacare) plane de chrismate intelligi debere.* Ego ita eram interpretatus. Hic ergo ille paucis verbis nunc delet quæcumque in me supra iratus effudit. Quod vero hic de *menda* dicit, id effugium est, quo supra erat usus. Cum enim suam illam interpretationem, qua *consignare* positum esse volebat pro Eucharistiam facere, durã & insolentẽ esse mea reprehensione admonitus animadverteret, eo confugit, *s* ut diceret levi Librariorum menda *consignant* in priori *Sardi loco pro consecrant repositum esse*. Sed quam miserũ sit hoc effugium, patet. Primo enim nihil huiusmodi in priori de Episcopatu opere dixerat, sed summis duobus viris ἀβλεψίαν imputaverat, quod non viderent scilicet verbum *consignare* in illo Sardi loco, ubi extat in omnibus libris, *solam Eucharistiæ consecrationem* significari. Adhæc si locus mendosus est, cur emendandi ius sibi uni vindicant? Certe multo melius fuerit *consignandi* verbum in utroque loco legi, sensu plano & cõmodo; quam *consecrandi*, præsertim si id insolenti illo & inusitato sensu sumatur, quem maluerat Hammondus, pro Eucharistiæ *consecratione*. Atque ita sane judicavit vir eruditissimus, ac de litteris optime meritus Henricus Valesius, qui in Notis ad Eusebium suis, cum priorem Sardi locum descripsisset, *t Denique apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non fuerit Episcopus, Eadem habet* (inquit) *auctor Quæstionum Vet. & Novi Testamenti inter Augustini opera editus Quæstione* 101. *Nam in Alexandria & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter. Scribe* (inquit) *consignat Presbyter, ut in supra citato Ambrosii loco.* Hæc Valesius; cujus ad rationes meas suffragium accedere, equidem mihi gratulor.

Sed ad confirmandam nostram illius loci interpretationem aliud insuper

m Conc. Arausi. Can. 2.
n Conc. Tolet. II. c. 8. T. 4. Conc. p. 823 F.
o Loyas ibid. p. 829. col. 2. E.
p Hamm. c. 6. sect. 2. § 5.
q Id. c. 4. sect. 1. § 3. 7.
r Hamm. c. 2. sect. 4. § 1 p. 54.
s Hamm. c. 1. sect 3. § 10. p. 19.
t Henr. Vales. ad Euseb. Hist. l. 6. c. 43. p. 134. D.

super argumentum attuleram, [u] quod presbyteralis illa absente Episcopo consignandi potestas hic ab auctore commemoretur, ut res Ægypti peculiaris. Vnde concludebam nequaquam ea significari Eucharistiæ extra Episcopi præsentiam celebrandæ potestatem; quod ea presbyterorum non Ægyptiorum peculiaris, sed omnium communis fuisse videatur, Romæ ut Alexandriæ, tam apud Latinos quam apud Græcos. Doctissimus Hammondus suæ hic nobis theoremata de unius una Episcopi in Ecclesiasticis potestate narrat; nihil Presbyteros sine eorum jussu & mandato. Atqui nihil hæc ad rem. Non enim de potestatis origine, sed de ejus usu quæritur; *Consignant*, inquit auctor. Fuerit hæc potestas ab Episcopo. Hoc nihil ad me, qui fuisse eam hic lego; unde fuerit, non lego. Potestas ea Presbyterorum in Ægypto fuit, ut absente Episcopo *consignarent*, inquit noster Sardus. Dic sodes, quisquis Hammondina sequeris: Fuit ne Romæ par potestas presbyteris? Consignabant ne absente Episcopo? Atqui ne Hammondus quidem hoc dixerit: apud quem, [y] Innocentium audio disertissime negantem *id ab alio quam ab Episcopo fieri licere*. Ergo presbyter Eucharistiam, & baptismum, & alia tam Romæ & in ejusdem moris Ecclesiis ministrabant, quam in Ægypto & in Grecia: Episcoporum apud utrosque permissu, jussu, nutu, mandato, *γνώμῃ*. Esto: ut vis. Sed ea tamen ita fiebant. Confirmationis ratio longe alia fuit. Illa enim Romæ, & in eiusdem ritus Ecclesiis à presbyteris nunquam fiebat. Illa à presbyteris fieri per Episcopos ubique licebat: Hanc à presbyteris fieri, Romæ per Episcopum non licebat. Nemo nescit, quos in Sardiniam de hac causa Decretales Gregorius Pontifex miserit. Quis istorum Pontificium similes in aliquam Provinciam misit, quod forte audivisset, apud eos, baptismum & eucharistiam à Presbyteris ministrari? Sed hunc Gregorius *veterem fuisse Ecclesiæ suæ* id est Romanæ *usum* testatur, [z] *ne presbyteri chrismate eos in fronte tangerent quos baptizaverant*. Hoc ergo Romanis & aliis Latinis, maxime in Italia, solenne fuit. Eo factum, ut ille Pseudo Ambrosius apud hos educatus, ut rem à communi suorum more alienam observaverit, quod in Ægypto presbyteri consignarent. Vident iam omnes, ni fallor, quam frustra Dallæum Hammondus universæ Ecclesiæ Canones consulere hic iubeat, quam frustra ipse in Canone nescioque Ægyptiis de sua liberalitate procudendo ac commodando sese fatigerit, quo illæso Episcopi jure presbyteri apud eos sacra eucharistica mortuo vel absente Episcopo facerent. Nihil hæc ad rem. Longe aliud est quod agemus, ut ex his patet. Itaque ex scriptoris istius Latini testimonio jam satis patet vera esse quæ supra Græcos ipsos, quorum Ægyptus insignis erat portio, affirmantes audivimus, chrismationem ipsius baptismi ritum fuisse, jam olim in ipso baptismo à presbyteris ministrari solitum.

Scio hunc scriptorem, quo ei non tam de *consignatione* quam de aliis quibusdam ad hierarchiam pertinentibus fides detraheretur, fuisse à

CAP. XV.

[u] L. 2. de Confirm. c. 18. p. 221.

[x] Hamm. c. 1. sect. 5. §. 2. p. 23.

[y] Hamm. c. 2. sect. 3. §. 4. p. 46.

[z] Greg. Rom. epist. L. 3. ep. 9 Item. ep. 26.

Cap.XVI. doctissimo a Hammondo miris modis non perstrictum aut notatum, sed plane lapidatum, ac dilaceratum. Sed non est hujus loci pluribus ea de re disceptare. Satis est ad præsentem disputationem, quod vetustissimus est hic auctor, jampridem ab b Augustino honorifice inter Patres Sancti Hilarij nomine laudatus; à Synodo Parisiensi, Aquisgranensi, ab Hincmaro, Prudentio Tricassino, à Ioanne Erigena nono seculo, ab aliis deinceps Patribus, eorumque posteris pro Ambrosio, ad superius seculum habitus; quicquid de eo in cæteris dixeris, dignus certe qui de rebus sui ævi testis adhibeatur.

a Hamm. c. 1 p. 4. §. 29. & alibi.
b Aug. l. 4. contr. duas ep. Pel. c. 4. l. 2. operis contr. Iul. imp. §. 164.

CAPUT XVI.

Veterum Græcorum de chrismatione testimonia expenduntur. I. testis Constitutionum Apostolicarum scriptor, apud quem eam esse baptismi ritum decem argumentis probatur. Ad ea Hammondi silentium notatur, exceptio reijcitur, & instantia futilis refellitur.

Atque hæc quidem de loco Paulini Commentatoris, quem eruditi Hilarium Ecclesiæ Romanæ Diaconum fuisse plærique consentiunt; qui locus doctissimo Hammondo hujus disputationis contra me scribendæ occasionem dedit. Videamus jam quid ille afferat contra Græcorum de Confirmatione sententiam, & idoneorum eiusdem generis scriptorum, & Latini insuper hominis antiquissimi testimonio constitutam.

Primum huius ordinis excusseram Constitutionum Pseud Apostolicarum parentem, quem Bellarminus inter sui Confirmatorii sacramenti assertores ediderat. m Ego hominis inverecundiam miratus, quod verum putavi, scripsi, n *neminem isto auctore clarius docere chrismationem ævo suo unum quoque ex cærimonialibus baptismi ritibus fuisse.* Doctissimus Hammondus præfatus o Spalatensem eadem affirmare consulenti locum rem negat adeo claram esse. Quasi vero Clementis non *locum*, quod iste dicit, sed *loca* nemo præter ipsum consuluerit. Atqui ista ego non dixeram simpliciter, sed argumentis ex ipso Clementis volumine petitis probaveram; Primo ab ipsius capitis è quo p primum locum desumpsi, q titulo; qui sic habet; *De divina initiatione sancti baptismatis.* Vnde colligebam nisi mentiatur titulus, initiationis baptismalis partem esse Episcopalem baptizatorum ex unguento unctionem, quando illa in isto capite describitur. 2. Id ipsum ex hoc capitis sequentis titulo argumentabar; *Quam causam habeat baptismus in Christum, & propter quid eorum quæ in ipso unumquodque dicatur & fiat.* Iam cum Chrisma eorum unum sit, quorum causam & rationem cur fiant, hoc auctor capite edisserit, negari non posse chrisma eorum quæ in baptismo fiunt

m Bell. de Conf. c. 3. §. Primus
n L. 2. de Confirm. c. 11. p 182.
o Hamm. c. 3. sect. 3. §. 1. p. 93.
p Const. Apost. l. 3. c. 16.
q L. 2. c. 11. ut supr.

fiunt unum esse. 3. Hæc ipsius auctoris in illo capite verba attuleram, r *Baptismus igitur datur in mortem Iesu; aqua vero adhibetur pro sepultura; oleum pro Spiritu S. signaculum pro cruce: chrisma confessionis confirmatio: Patris commemoratio, tanquam causæ & emissoris.* His eum addere rationes, cur Filius quoque & Spiritus Sanctus commemorentur. Ex his ita argumentabar; *Quid istic facit chrisma, si baptismi ritus non est? Si id è baptismo eximere ac deripere licet: licebit & oleum, & Patris Filiique commemorationem: inter quæ medio loco baptismalibus utrimque ritibus veluti stipatum, septum, atque conclusum tenetur.* 4. Præterea locum alterum ex eodē opere descripsi, cujus hic quoque titulus est; s *Constitutio Domini quomodo sit baptizandum*, mature præjudicans quæ continenter sequuntur ea ad baptismi administrationem pertinere, adeoque *chrismationem*, quæ eorum quæ sequuntur unum est. 5. Sic enim rem ipse Διατάξεων exsequitur; *De baptismo autem, ô Episcope, vel Presbyter, jam quidem & antea constituimus, ac nunc rursus dicimus, quod ita baptizabis, ut Dominus constituit nobis &c. Primum unges oleo sancto; deinde baptizabis aqua, postremo signabis unguento.* Hinc concludebam tres istos ritus ad baptismi ministerium pertinere. Vult scilicet baptismum ita peragi, ut oleo primum inungantur competentes; tum aqua tingantur; denique chrismentur unguento. Chrisma profecto à baptismo non magis quam oleum divelli potest, quod Hammondus cum Latinis meram baptismi cærimoniam ipse confitetur. 6. Sed audi quid apud eundem scriptorem sequatur; *Sin autem non fuerit oleum neque unguentum, satis est aqua tum ad unctionem, tum ad signaculum σφραγῖδα & ad confessionem mortui.* Hinc ita ratiocinabar; *Cum falsum & absurdum sit unius sacramenti materiam ad alterum exhibendum sufficere; ut si baptismi aquam quis diceret ad Eucharistiam satis esse si quando panis & vinum desit*; necessario confitendum esse huic scriptori neque unctionem ex oleo, neque consignationem ex chrismate sacramenta fuisse à baptismo alia ac diversa, sed partes fuisse ejus rituales: quod cum de oleo tam Latini confiteantur, quam qui eos hac in parte sequitur Hammondus: manifestum est eos ab hoc scriptore dissentire, dum idem de chrismatione frustra ac perperam negant. 7. Ex his ipsis verbis, quibus ὁ Διατάξεων rituum quibus baptismum contineri scribit, ministrandorum potestatem tum Episcopo, tum Presbytero tribuit, observabam chrisma etiam secundi ordinis sacerdotes administrare. Vnde sequitur doctissimum Hammondum confiteri necessario debuisse, si decreta sua retinere vult, hanc Constitutionum chrismationem meram esse baptismi cærimoniam. Tertium denique locum ex eodem opere laudaveram, v in quo fusissime, & quidem pluribus capitibus tradantur omnes baptismi ritus, Catechumeni institutio, a benedictio, b renuntiatio, c unctio ex oleo, d mersio sive tinctio, e & his verbis consignatio; *Post hæc illum in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti baptizatum ungat unguento dicens, Domine Deus ingenite, &c.* Ex hac rerum serie & iis quæ hac ratione à Domino petuntur in gratiam neophy-

CAP. XVI.

r Const. l. 3. cap. 17.

s Const. l. 7. cap. 23.

t Libr. 2. de Conf. cap. 11. pag. 183.

v Ibi. p. 184.

a Const. Apost. Lib. 7. cap. 40.

b Ibid. ca. 41.

c Ibid. c. 42.

d Ibid. ca. 43.

Cap. XVI. ti, ad baptismum apertissime pertinentia, *ut bonus odor Christi in eo firmus & stabilis fixusque maneat, atque qui cum eo mortuus est, ipse eidem corresuscitetur, & cum eo vivat*; ex his inquam concluseram f a baptismo divelli non posse totam hanc Constitutionum chrismationem. Postremo hæc, quæ ibidem apud Constitutiones sequuntur, descripseram. *Nisi unicuique istorum* (id est oleo, aquæ, unguento) *talis invocatio à pio sacerdote adhibeatur, in solam aquam descendit qui baptizatur, ut Iudæi, ac corporis sordes, non etiam animæ deponit.* Ad hæc ego, quæ non uno errore laborare confessus sum, observabam ea de cætero duo nobis tela contra Latinorum, adeoque & Hammondi, qui hactenus iis assentitur, dogma ministrare. 9. Prius quidem, cum quas exhibuit, invocationes ad illarum specierum (scilicet & olei, & unguenti) consecrationem, eas à sacerdote παρὰ τῶ ἱερέως fieri concedat, istum quisquis est, putavisse etiam presbyterum posse μυρίειν, id est consignare: ex Græcorum scilicet sententia, quam supra diximus, contra Latinos de nono seculo à Photio C. P. Patriarcha, & seculo 13. à Simeone Thessalonicensi Archiepiscopo fuisse defensam, & nunc etiam à tota illa Græcorum Ecclesia retineri: ut Hammondus si decretis de hac re suis stare velit, necesse habent fateri eas, quas Διαταγμὸς à presbyteris fieri concedit chrismationes, totidem baptismi ritus. 10. Alterum quod ex illis Constitutionum verbis eliciebam hoc erat: Cum iste scriptor, nisi chrisma invocatione legitima rite benedictum fuerit, vanum & irritum futurum baptisma pronuntiet: palam esse eum quoque putasse chrismationem ubi rite peragitur, eo conferre, ut baptisma ratum sit atque efficax: quod utrumque non aliter posse consistere, nisi constituatur chrismationem unum esse ex baptismi ritibus. Hæc sunt, quibus adductus sum ut Constitutionum scriptorem putarem *clare docuisse chrismationem* esse baptismi cærimoniam: quæ nescio fastidierit-ne doctissimus Hammondus, an brevitatis studio prætermiserit: certe ita dissimulavit, ut istorum nihil apud me legisse videatur. Vtrumque sit; illud profecto nemo ut opinor, probaverit, quod eam sententiam, cuius argumenta, adeo non refutavit, ut ea ne tangere quidem vel uno verbo perstringere aut commemorare dignatus sit: à se confessam fuisse satis significare voluerit, non istis modo verbis quæ supra retulimus, *At locum consulenti res adeo clara non est*, sed etiam ipso ejus lectionis titulo, in qua de Pseudo-Clemente agit: Nam in istius partis fronte hæc verba leguntur, *Pseudo-Clementis doctrina, ut Dallæo neutiquam faveat.* Quid ergo (inquies) in illa sectione agit? Dicam. Oleum, quo ante tinctionem, ungebantur competentes, quodque est à Pseudo-Clemente memoratum, fatetur in baptismo adhibitum fuisse, & ad baptismum pertinuisse, imo lotioni præcurrisse; idque ex libro 7. cap. 43. probat. Sed hæc quid ad me, qui illud oleum nusquam dissimulavi pro baptismi cærimonia etiam à Latinis haberi? Tantum id, quod verum est, observavi, g hoc primum loco occurrere, illud ante tinctionem oleum nemini vetustissimorum

e Ibid. c. 44.

f Lib. 2. de Confirmat. ca. 11. p. 185.

g Lib. 2. de Conf. cap. 11. pag. 181.

tustissimorum inter baptismales ritus memoratum; illud præterea monui, inemte demum quarto seculo unctionem post baptismalem, non de simplici oleo ut antea, sed ex oleo & balsamo permixtis fieri cœpisse; *quia hujusmodi unguentum significandæ regiæ & sacerdotali dignitati (in quam per baptismum inauguramur) aptius quam simplex oleum esse visum est.* Hic demum evigilat Hammondus, *h* & baptismum de quo Constitutiones agunt, adultorum fuisse dicit, non parvulorum. Sed primo ostendere debuerat parvulorum baptismum aliter fuisse tum temporis administratum, quam adultorum; in illis chrismationem nullam adhibitam, ut in his fieri solebat. Hoc vero merum est doctissimi Hammondi somnium, cujus nullum apud veteres præsertim Græcos apparet vestigium; quodque vel ex ejus gentis his totis proximis retro seculis perpetua praxi refellitur, ex qua nulli parvuli magis quam adulti rite baptizantur qui non illico post tinctionem chrismentur. Sed & ex argumentis superioribus patet, ad baptismum illum, qui in Constitutionibus describitur, quiqui fuerit, sive adultorum sive parvulorum, pertinuisse chrismationem; ejusque partem aliquam, scilicet ritualem fuisse. Denique sic instat doctiss. Hammondus, *Constitutionum scriptori baptismus est, in mortẽ Iesu, unguentũ vero est βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας, professionis* (scilicet baptizati) *confirmatio. Hæc itaque quomodo baptismi pars erit, qui ad mortem Christi dabatur?* Quidni inquam, esse potuerit baptismi pars ritualis? Hoc argumento erat, non interrogatione constituendum. Certe ὁμολογίαν illam ad baptismum pertinuisse notum & confessum est. Ergo & unguentum, quod confessionis confirmatio erat adeo non repugnat, ut etiam consentaneum sit ejusdem baptismi partem fuisse. Profitebatur baptizandus in confessione se esse Christianum. Id ipsum postea dum chrismatur, signo & actu rituali protestatur; *eaque ratione fidem paulo ante editam re & opere ipso ostendit esse veram, id est confirmat*: quod ipsum ego in eodem libro, levissimam hanc objectionem veluti occupans, scripseram. *k* Frustra ergo falsoque negat doctiss. Hammondus adeo dilucide stabilitam à nobis esse nostram ex Pseudo Clemente hypothesin.

CAPUT. XVII.

h Hamm. ca. 3. sect. 3.3.4. pag. 94.

i Idem ibid. §. 5. pag. 95.

k L. 1. de Conf. c. 11. p. 182.

CAPUT XVII.

Testis II. Pseudo-Iustinus, Quæstionum scriptor, cuius duo loca expenduntur. Ex priori tria nostra sententiæ argumenta eruuntur. In altero loco, dolus Hammondi notatur; Ex eo tametsi obiter, allatum pro mea sententia argumentum, ab Hammondi cavillationibus & objectionibus vindicantur. Reconciliatio. Hammondi hallucinatio, de necessitate rei simpliciter accipientis, quæ ego de consecutionis syllogisticæ necessitate dixeram. Pœnitentiæ veteris cum

baptismo

Caput XVII. *baptismo quædam conformitas. Hæretici & pœnitentis reconciliationes diversæ. Alia.*

l L.2.de Confirm.c. 12.p 186. Post Pseudo-Clementem expenderam *l* quæ Bellarminus ex Pseudo-Iustino quarti ut videtur seculi scriptore attulerat. Ex eo locum hunc descripseram; *m* Iust. Quæst.137. *m Si ante sepulturam Maria Dominum unguento unxit; nos autem in baptismo symbola, signaque passionis & resurrectionis eius referentes celebramus: quomodo primum oleo ungimur, ac deinde iis, quæ ante dicta sunt, symbolis in piscina peractis, post illa unguento consignamur? Atque hæc ipsa quomodo non contra quam circa Dominum gesta sint, facere existimamur? Quomodo vero non supervacanea est ea, quæ in baptizandis peragitur, olei unctio, si unguento tantum prope passionem delibutus est Dominus? Resp. Quandoquidem quæ Maria facit, ad sepulturam post mortem ipsius sepulti facit, B. autem Maria ante mortem Dominum unxit, prout scriptum est*, Quod fecit hæc (inquit) ad sepulturam meam fecit. Prævenit enim ut ungeret corpus meum; *ubi verbum hoc* prævenit *dictum est pro eo quod est, Ante iustum tempus unxit corpus meum. Quocirca hoc non fit per repugnantiam: verum id, quod in Domino gestum est ante iustum tempus,* Ibid. *in eis qui baptizantur fit congruenti tempore. Inungimur autem veteri oleo, ut christi unctique fiamus: Vnguento autem ad recordationem eius, qui unguenti unctionem sepulturam suam esse reputavit: ac in typo quidem & figura* *n* ub.supr. p.187. *in præsenti, veritate autem & re ipsa in futuro tempore, ad communicationem passionum simul & gloriæ Salvatoris Christi qui nos vocavit.* Hæc ille; ex quibus probaveram *n* chrismationem, quæ fit post baptismum ad eum pertinuisse. 1. quod hic auctor utramque unctionem, tum priorem ex oleo, tum posteriorem ex unguento plane ejusdem ordinis ac census faciat; ut cum priorem omnes baptismalem ritum esse fateantur, necesse sit & posteriorem in eodem ordine censeri. 2. Quod utramque numeret in baptismi symbolis, ut patet. Nam dicit *nos in baptismo passionis & resurrectionis Christi symbola perficere:* in sequentibus vero chrismationem ad *sepulturam* eius, quæ mortem consecuta est, retulit. 3. Quod ipsa quæstio sive interrogatio id aperte constituat, ex eo dubitans quod consentaneum sit rerum ad Christi mortem pertinentium prout gestæ sunt, ordini nos prius chrismari quam aqua mergi; cum plane contra res in baptismo fiat. 4. Quod ad interrogationem respondens diserte dicat chrismationem fieri congruenti tempore *in iis qui baptizantur* ἐπὶ τῶν βαπτιζομένων. Quomodo si ad baptismum non pertinet, sed alius est ab eo ritus? 5. Postremo, quod illud chrisma ad Domini sepulturam referat: quæ una est ex iis rebus, quæ baptismo nostro significantur & adum- *o* Rom.6.4. Col.c 12. brantur, ut ex Pauli *o* doctrina patet. Hæc omnia amicus noster silentio de more involvit; an ut mihi parceret, an quod solvi posse desperaret, incertum.

p Hamm.c 5.sect.2.§.2. p.100. Illud quidem ex his certo colligi videtur falso eum alibi scripsisse *p* me quo probem veterum unctionem ad baptismum pertinuisse unico

niti

nsti ac confidere testimonio ex ejusdem Pseudo Iustini libro Quæst. 14. Si bene rem putasset, aliter censuisset: cum eius rei argumenta ex hoc quidem uno libro duo, ex aliis vero auctoribus tam multa adduxerim, ut eorum numerus me fugiat. Quinimo adeo pro unico meo sententiæ firmamento hunc locum non habui, ut ne in præcipuis quidem pro ea testimoniis censuerim: quod ex mea disputatione clarum est. Illa enim Pseudo Iustini verba attuli, ut Bellarmini & Petri Aurelij errorem refellerem frustra contendentium ex hæreticis venientes non alios chrismatos fuisse, quam eos, qui nondum fuerant penes hæreticos chrismati. Quod cum demonstrassem, tum ex occasione illa quoque tametsi aliud agens, adjeci: *q Vnde, ut hoc OBITER dicam, & illud quod nos contendimus clarissime probatur, veterum scilicet unctionem ad baptismum pertinuisse, non ad aliud aliquod sacramentum.* Hinc patet, me de hac quæstione, quæ proprie inter me & Hammondum est, illa quæ hic exagitat, obiter tantum observasse & inspersisse. Sed jam rem ipsam spectemus. Pseudo-Iustini locus sic habet; *Hæretici* (inquit) *ad orthodoxiam transeuntis lapsus corrigitur; prava quidem opinionis, mutatione sententia: baptismi vero, sancti unguenti unctione: ordinationis autem, manus impositione: & nihil eorum, quæ antea fuerint, remanet inabolitum.* Ex his ergo sic eram obiter argumentatus; *Vitia hæreticorum oppositis, sed in eodem genere rebus emendabantur: error quidem vera sententia: prava ordinatio recta sanctioris manus impositione. Ut ergo vera sententia in eodem rerum genere est, quo error. Ecclesiastica manus impositio ad idem genus pertinet, ad quod hæretica ordinatio: ita & unctionem in baptismalium rerum censu fuisse necesse est, quæ absurde alioqui & inepte ad baptismi correctionem usurparetur.* In hæc nostra doctiss. Hammondus totis sexdecim commatis pugnat? Ac primo quidem negat *t* constare ordinationem χειροτονίαν hæreticam hoc loco ad idem genus pertinere ad quod Ecclesiastica manus impositio. Itaque manus impositionem, quæ hic memoratur, de ea accipit, quæ lapsis per solennem pœnitentiam reformandis dabatur, imo negat esse quod de eo dubitemus. Sed non videtur vir doctissimus satis cogitasse quid hic agatur, quæque sit tum hæreticorum tum eorum qui *Pœnitentes* apud veteres dicebantur, ratio. Pseudo-Iustinus, ut etiam alij ut plurimum Patres, quoties hoc negotium tractant, per hæreticos in Ecclesiam recipiendos, eos intelligunt, qui primum apud hæreticos erant baptizati. Iam hi baptizandis, quam pœnitentibus erant similiores. Vtrique enim in Ecclesiam primũ ingrediebantur; in qua scilicet retro nunquam fuerant. Pœnitentium alia ratio erat, qui cum in Ecclesia essent lapsi erant; eoque ad eam per pœnitentiam regrediebantur. Eo factum est ut cum Pœnitentibus durius actum fuerit, quam cum hæreticis. Illis enim nonnisi acta exhomologesi; & satisfactione communionis jus reddebatur. Hi statim brevi ritu defuncti admittebantur; plane ut baptizati. Itaque nobis quidem non videtur dubitandum, quin ille quo recipiebantur, ritus

CAPUT XVII.

q L.1.de Conf.c.10. p.177.

r Iust Quæst. ad Orthodox.Q.14.

s Hamm'e. 5. sect.2.§.3. p.121.

t ibid.§.4.p. 123.

Caput XVII.

potius ex baptismi, quam ex Pœnitentium cærimoniis desumptus sit. Illud virum doctum videtur fefellisse, quod sua quædam & ex hæresi venientibus erat pœnitentia; sed ejusdem cum ea ordinis, quæ & ad baptismum requirebatur; diversa ab ejus censu, quæ Pœnitentium proprie dictorum erat. Hos enim duos Pœnitentiæ actus, ejus quæ à baptizandis, & illius quæ à Pœnitentibus agebatur, distinguendos esse patet; neque semel eos distinxit Augustinus, ut erant sane apud veterem Ecclesiam distinctissimi. Quicquid ergo exigebatur ab hæreticis pœnitentiæ, id ejus generis erat cujus baptizandorum pœnitentia; idque non in solo ordinationis, sed & cæterorum omnium σφαλμάτων correctione locum habere debuit. Eos enim omnium quæ apud hæreticos peccaverant, pœnitere decebat. Vnde intelligitur quod auctor ait *ordinationis hæreticæ σφάλμα manus impositione corrigi*, de pœnitentiæ actu intelligi non posse. Pœnitentia enim quæ ab iis flagitabatur communis quædam erat omnium, quibus apud hæreticos maculati erant, σφαλμάτων medicina; quæ ad κακοδοξίας & baptismi, non minus quam ordinationis hæreticæ labe eluendas necessaria erat. Hi vero quos auctor dicit actus, sui singuli σφάλματος propria quædam remedia erant; κακοδοξίας quidem ἡ τοῦ φρονήματος μετάθεσις, baptismi chrismatio: ordinationis manus impositio. Ergo σφάλματος quod ordinationi adhærebat, proprium fuit χειροθεσία remedium. At si pœnitentia est illa χειροθεσία; ad duo alia σφάλματα corrigenda non minus quam ad hoc pertinebit, eoque absurda erit & insulta auctoris oratio: quæ ex nostra interpretatione concinna est & perspicua. Quod vero nobis objicit vir doctissimus *iteratam nos ordinationem* inducere, si ordinatis penes hæresin manum apud Ecclesiam impositam fuisse dicamus: id perperam obiicitur. Vt enim rebaptizatus eo minime censetur hæreticus, quod ei ad Ecclesiam venienti aliquis ex baptismi ritibus administretur: ita neque reordinatus dici debet quod ei una aliqua ex ordinationis cærimoniis adhibita fuerit. Nam neque chrismatio sola baptismus, neque sola manus impositio, ordinatio est: Vtraque unus erat, illa ex baptismi, hæc ex ordinationis ritibus. Etiam fuere apud Latinos Theologi nobilissimi, qui manus impositionem accidentalem tantum ordinationis cærimoniam esse docuerunt; *u* adeo ab eo abfuerunt ut ea una totam ordinationem constare putarent. Ex his cætera quæ vir doctissimus objicit, sponte sua diffluunt. Inprimis quod ex epilogo Concilij Romani affert, *x* ut probet ordinatos apud hæreticos per pœnitentiam susceptos fuisse; *Constituit Sylvester, ut Presbyterum Arianum resipiscentem nemo susciperet nisi Episcopus ejusdem loci eum reconciliaret. Reconciliatio*, inquit, *ad solam pœnitentiam pertinet, non ad baptismum, aut ad Confirmationem, multo minus ad ordinationem* Ego vero tam novi decreti rationem pasco. Quidni enim hæreticum ad Ecclesiam venientem *reconciliari* dixerit ille, quisquis est scriptor? *Reconciliantur* inter se etiam hostes; non amici tantum, quorum gratia cujus offensa rescissa erat. Quin & qui baptismo

u Dominic. à Soto, in 4. d. 21. q. 1. art. 4

x Hamm. c. 5. sect. 2. §. 5. p. 122.

baptismo in Christi corpus inseruntur non absurde ut puto, reconciliari dixeris. Quidni, cum Paulus quosvis homines, etiam à Domino alienissimos, ut Paganos, *Deo reconciliari* jubeat & hortetur? Et hunc *y* esse scriptoris sensum liquet; Loquitur enim de Presbytero Ariano, id est hæretico, non de eo, qui *Pœnitens* trito Ecclesiæ sermone dicebatur. Et per epexegesin quam reconciliationem intelligat, ipse explanat. Postquam enim necesse fuisse dixit, ut *Arianum presbyterum Episcopus reconciliaret*, continuo addit, *& sacrosancto chrismate per Episcopalis manus impositionem Sancti Spiritus gratia, quos ab hæreticis dari non potest, confirmaret.* Plane ut Græcus noster; in hæretico presbytero recipiendo utrumque ritum conjungit; *chrismationem*, qua baptismi hæretici labes; manus impositionem, qua ordinationis hæreticæ σφάλμα corrigeretur. Ergo hactenus stat nostra ex Græci verbis obiter facta observatio, neque quod Censor paulo confidentius dixit, *z omnis eius vis statim in fumos abiit.* Sed ille pergit & ex meis sequi dicit baptismum ab hæreticis datum baptismo à Catholicis dato sanandum fuisse, adeoque qui ex hæresi recipiebantur, rebaptizandos fuisse. Verum id jam à nobis refutatum est. Cyprianus quidem, & ante eum Tertullianus, & una cum eo Firmilianus, aliique non pauci Afri & Asiatici qui ab hæreticis datum baptismum, irritum ac plane nullum senserunt, qui ab iis tincti erant, de integro apud Ecclesiam tingendos censuerunt; Pseudo-Iustinus, melius scilicet sentiens, non baptizandos, sed duntaxat chrismandos dixit; Neque baptismum eorum quo nullo & irrito habet, sed ejus tantum σφάλμα corrigendum monet. Accipit, quod rectum est; quod rei per se bonæ ab hæresi accessit, id eluere ac corrigere satis habet. Ita neque omnem hæretici sententiam (nam etiam hæretici recto de multis sentiunt) sed tantum pravam; neque ordinationem, sed ordinationis tantum σφάλμα corrigit. Ne in ipso quidem baptismo, siquid erat recti, vel in Iudæo, vel in Gentili, id quoque eluitur, aut eraditur, sed illud tantum quod à mala manu vitium Dei operi accesserat. Quod idem Censor rogat, *a* si hæc ita se habent, *quæ tandem sit necessitas, ut non alia quam baptismi cærimonia baptismi vitium corrigatur?* Ego de rei ipsius necessitate nihil dixi. Scio Patres ista ex arbitrio, non ex aliqua necessitate decrevisse. Semel decreta ab omnibus perinde ac si necessaria essent, servabantur; imo & necessario servanda ex decreti scilicet Ecclesiastici hypothesi, aliquando dicebantur. Sed ego nihil minus, quam de ista rerum, vel rituum necessitate hoc loco, quem vexat Hammondus, cogitavi. Necessitatem consecutionis, sive ratiocinationis intellexi, qua ex iis, quæ ab hoc auctore scripta, colligere me valide & necessario putavi, eum chrisma pro baptismi ritu habuisse. Verba clara sunt de hoc Pseudo-Iustini loco; *Ut vera sententia in eodem rerum genere est, quo error; Ecclesiastica manus impositio ad idem genus pertinet, ad quod hæretica ordinatio; ita & unctionem in baptismalium rerum censu fuisse NECESSE est, qua absurde alioqui & inepte ad baptismi correctionem usurparetur,*

CAPUT XVII.

y 2. Cor. 5. 20.

z Hamm. ub. supr. §. 6. Idem ibid. §. 8. pag. 125.

a Idem ibid. §. 9. & 12. pag. 126.

Caput. XVII. *paretur. Necesse* esse dixi, ex eo scilicet ordine, ac modo quo tres istas antitheses scriptor disposuit; Nisi enim chrisma baptismi res fuerit, parum appositam parumque concinnam fore totam hujus auctoris orationem: sic enim in uno ex tribus illis parallelis nullam fore ad duo reliqua rationem. Itaque ut sua scriptori constet elegantia & concinnitas, omnino statuendum esse eum chrisma pro uno ex baptismi ritibus habuisse, eãq; adeo fuisse illius seculi, quo vixit, de hac unctione sententiã. Frustra ergo argumentatur amicus noster, frustra ampullatur negans necesse fuisse hæretici baptismatis *ex una baptismi* Catholici pharetra *transfigendum fuisse*, cum *peccata contra baptismi votum commissa solo pœnitentiæ pharmaco nec eo ex baptismalium rerum censu petito curari mos esset.* Primo quod *pœnitentiam* qua lapsos emendari mos erat, velut rem à baptismo longe alienam separat, perperam ni fallor facit. Pœnitentia enim res est baptismi adeo cognata, ut etiam baptismi nomine non raro à Patribus donetur. *Baptisma enim laboriosum, baptisma lacrymarum* in eorum libris nota sunt. Sane *si pœnitentiam* pro interiori mentis animique mutatione, de commissis dolentis, & ad meliora aspirantis sumas; *pœnitentiam* rem esse baptismi nemo sanus negaverit. Sin pro solenni illo ritu, quo lapsorum crimina procurabantur ad Ecclesiæ pacem consequendam; & manus impositionem, & ex oleo unctionem, & crucis signum & quædam fortasse alia, quæ in Pœnitentium reconciliatione adhibebantur, ne ipse quidem ut credo, Hammondus, si viveret, illa ad baptismum pertinuisse negaturus esset. Nimirum baptismus remissionis peccatorum, quo Pœnitentes aspirant, fons est inexhaustus. Ergo & ex baptismi ritibus nequaquam absurdum est Patres eos decerpsisse putare, quibus suos illos pœnitentes ad peccatorum veniam perducerent; imo apparet ex utriusque disciplinæ baptismalis scilicet & Pœnitentialis collatione hujus multa ex illa hausta esse. 2. Sed neque Censor videtur satis apposité inter se comparasse peccatum, cujus remissio per pœnitentiam quæritur, cum *baptismi hæretici vitio*, quod per *chrismationem* corrigitur. Illud enim à solo peccantis animo est; non ab ullo ministri, qui eum baptizaverat, aut à societatis apud quam eum baptizaverat, defectu aut vitio. Hoc vero ipsius hæretici *baptismi* labem fuisse apparet. Ergo illius remissio cum hujus correctione male comparata est. 3. Quæro, quod-nam sit illud hæretici baptismi σφάλμα, sive ut Hammondus commodissime interpretatur, ὑστέρημα, quod vitium, quis defectus? Ille vero quid ea de re senserit, ex eo clarum est, quod ibidem ait defectum illum per chrismationem eo correctum, suppletum, ac reparatum fuisse, quod hæretici qui ita recipiebantur, *e largioribus quibus indigent, gratiæ divinæ septemplicis (ajunt Patres) Spiritus haustibus proluantur, & sic demum fœlicius in Christo & Spiritu Sancto adolescant.* Magnifice quidem ille, ut in hoc negotio solet. Sed non sensit se, dum ita ampullatur, sua ipsum vineta cædere, & in meam sententiam imprudentem revolvi; quod sic demonstro. Quod illa chrismatione

b Idem ibid. §. 10. p. 224.

c Ibidem.

smatione corrigi, ac suppleri dicitur in hæreticis ad Ecclesiam venien- CAPUT. XVIII.
tibus, id illis penes hæreticos deerat. At illa chrismatione supplentur ex Hammondo *largiores gratiæ* divinæ, septemplicis Spiritus haustus, quibus nunc apud Ecclesiam proluuntur; Ergo illi ipsi haustus his penes hæresin defuerant, isque est defectus, id σφάλμα atque ὑστέρημα, quod hic notat Pseudo Iustinus. Iam vult idem Hammondus *largiores illos Spiritus Sancti haustus*, quibus proluuntur ac inundantur neophyti, non baptismi, quo Spiritus Sancti simpliciter confertur (tenuiori scilicet mensura) effectum esse; sed chrismationis qua abundantior Spiritus copia in animos confirmatorum infunditur. Ergo sicuti deest illa largior copia, ei non per baptismi (cujus hic effectus non est) sed per chrismationis defectum deest; adeoque chrismationis est, non baptismi defectus. Baptismi est Spiritum simpliciter dare; Largiorem ejus copiam adjicere, est chrismationis. Si illud baptismus non præstitit, merito incusatur, & σφάλματος arguitur. Sin te feliciori illa & abundantiori Spiritus copia baptismus minime inundavit, falso & inique de eo quereris; quasi fonticulum indigneris non Euphratem, aut Danubium aliquem, sed exiguum tantum rivum profundere. Omnis hæc culpa, omnis defectus caussa in chrismationem Episcopalem conferenda est, quæ aliquo obice prohibita stetit, nec consuetam illam aquarum cœlestium copiam profudit. Ergo hic defectus non profecto baptismi, sed unius chrismationis hæreticæ defectus ac σφάλμα ex Hammondi quidem decretis vere dici potest; qui scilicet chrisma à baptismate sic sejungit, ut quod illius est hujus effectum non sit. At Pseudo Iustinus ille noster defectum hunc hæretici disertissime τὸ βαπτίσματος σφάλμα *baptismi defectum* seu vitium dicit. Ergo necessario fatendum est hunc vel falso & inepte esse locutum, vel certe sensisse qui chrismationi tribuitur effectus, eum ejus esse cum baptismo communem; imo baptismi potius ac verius esse quam chrismationis, cui non alia de caussa imputatur, quam quod ea baptismi quædam sit appendix & pars cærimonialis; non diversus à baptismo ac per se seorsum ministrandus ritus, quod amicus noster volebat. Patres fateor aliter quam ipsum de his philosophari; sed ita tamen, ut idem ex eorum quoque sententia confirmetur. Illi enim suæ chrismationi, non ut hic noster, *largiores divinæ gratiæ ac Spiritus septemplicis haustus*, quibus confirmatorum viscera non modo recreentur, sed etiam *proluantur*, sed *Spiritum* nude ac simpliciter id est etiam ejus primitias, prima dona, primamque ut sic dicam manum tribuunt. Ac ut cæteros nunc mittam, disertissimus in eam rem est ille ipse Epilogi Romanæ Synodi auctor, nuper à doctissimo Hammondo laudatus. Is enim, ut audivimus, tradit d Sylvestrum P. R. ideo constituisse presbyterum Arianum chrismate & manus impositione recipi, ut is *Sancti Spiritus gratia, quæ ab hæreticis* (inquit) *dari non potest, confirmetur*. Non dicit ut largiorem & auctiorem Spiritus gratiam recipiat, quam ea est, quæ in baptismo datur; Simpliciter dicit, ut *gratia*

d Concil. Rom. T. 1. Concil. pag. 314. E. col. 2.

Caput. XVII. Spiritus confirmetur; eaque illum confirmandum esse ab Episcopo Catholico docet, quod hæc gratia ab hæreticis apud quos retro vixerat, nequaquam dari possit. Cum ergo hoc hæretici non chrismatis, sed baptismi σφάλμα esse dixerit Pseudo-Iustinus, omnino consequens est, ut ad baptismum pertinere, ejusque partem esse illam chrismationem crediderit, qua illa Spiritus gratia confertur. Hoc nos sententiæ nostræ argumentum, eodem illo loco *e* attigeramus, quem hic convellere conatur amicus noster. Sed ille objectionem hanc nostram, ut alia non pauca solet, aure surda præteriit. Fateor quod ait Hammondus, hac Ecclesiastica chrismatione baptismum non argui, velut *spurium, aut fictum, aut vanum*; baptismus enim ubicunque rite ministratur per se Dei donum, & est, & manet, neque humanum vitium jus naturam abolet; Illud unum aio baptismum argui ut inefficacem, ut & effectu suo carentem non quidem per se aut per suum vitium; sed per obicem ei tum à ministrantis, tum à suscipientis pravitate objectum, quominus suam vim ex institutione divina proferat. In Ecclesia, ubi *dantis & accipientis fides integra est* (ut loquitur Cyprianus *f*) res secus habet. Nihil enim baptismi efficaciam prohibet, quo minus ea se in suscipientibus, si vere sint quod profitentur, exerat. Apud hæreticos baptismus non alias datur quam effectu suo cassus; quod & hoc & cætera sacramenta non in alios agant, quam in homines præditos sincera fide, ac caritate quæ desunt apud hæreticorum conventicula. Hoc ergo non baptismi simpliciter, sed *heretici baptismi*, ab hæreticis & dati & accepti, σφάλμα & vitium reparabat à sanctiori manu ministrata, & à meliori animo suscepta chrismatio; quæ adeo res baptismi est; neque enim aliter proximus & immediatus ejus apud hæreticos defectus, baptismi defectus & σφάλμα dici potest. Hic Hammondus ad superiora regreditur, & *manus impositionem qua æque ac chrismate apud Latinos heretici ad Ecclesiam redeuntes recipiebantur*, dicit *ex mea* argumentationis typo confici posse *ad Pœnitentiæ ritum pertinuisse*. Quomodo vero id effici possit, neque ego video, neque ille demonstrat. Siquis Latinorum de manus impositione id dixisset quod Græcus de chrismatione scripsit, per eam corrigi *baptismi vitium σφάλμα*, ego inde concluderem eam quoque ad baptismum (quod sane verissimum est) pertinuisse. Certe unus Latinorum, neque is spernendus scriptor de baptismo ab hæreticis, sed rite dato, loquens, dicit *g* qui *eo baptizatus fuerit non debere rebaptizari, ne invocatio summæ divinitatis annullari videatur; sed chrismate & manus impositione quod imperfectum erat debere perfici*. Vix capi potest, qui quod imperfectum in baptismi administratione fuerat, chrismate & manus impositione perficiatur nisi hi duo ritus ad baptismum pertinuerint. De Vigilij P. R. testimonio *h* scribentis *i hæreticorum reconciliationem non per eam manus impositionem operari, quæ per invocationem Spiritus fit, sed per illam qua pœnitentiæ fructus acquiritur*; bene est quod amicissimus noster Censor iis minime renititur, quæ ad illum

e Libr. 2. de Confirmat. p. 176. extr.

f Cypr. ep. 66. p. 172.

g Valafr. L. de reb. Eccl. c. 26.

h Hamm. c. 5. sect. 2. §. 12. p. 125.

i Vigil ep. 2.

illum locum observaram, *k* Vigilium scilicet istic loqui de iis non qui primum apud hæreticos baptizati sunt, sed qui gratia baptismatis *apud Ecclesiam accepta, apud Arianos iterum baptizati profundæ voraginis erant morte demersi.* Hos mirum non esse pœnitentiæ subjectos fuisse: qui non simpliciter hæresi inquinati, sed gravi in Ecclesiam scelere obligati, emansores ac desertores erant, & quidem singularis in sanctam religionem perfidiæ rei, cujus sacramentum veluti cassum ac irritum despuerant, iidemque mysterium ab impiis Ecclesiæ hostibus quasi sanctius susceperant. Nunc addo cum singularis & in unum tantum certumque ex hæresi venientium ordinem constituta fuerit hæc animadversio, probabiliter inde concludi aliam, longe mitiorem, cæteris apud hæreticos primum baptizatis indictam fuisse reconciliationem; quæ eos non ut istos, pœnitentiæ subjiceret, sed vel per simplicem chrismationem ut apud Græcos vel adjecta etiam ut apud Latinos, manus impositione in Ecclesiam admitteret. Cæterum quod nos monet vir doctissimus non esse argumentis meorum similibus *de antiquorum praxi aut ritibus iudicandum: qui fecerit, eum non facem præferre, sed tenebras offundere; & quæ explicanda & interpretanda susceperit coniecturis ac divinationibus involvere.* Equidem ista graviter esse dicta non abnuo; cur in me dicta sint non video: qui probe mihi sum conscius me veritatem animo libero & candido venari, & quidem via regia, hoc est prælato rationis lumine antiquitatem lustrando. Mea argumenta quæ pro levibus conjecturis traducit, viro clarissimo molesta fuisse equidem jam dudum & sensi & dolui. Minatur *l* me nihil *apud veteres repertu-rum quod novitiam meam hypothesin* (sic enim loquitur) *suffulciat.* Ego mallem ut veritatem suæ sententiæ meæq; novitatem certis argumentis demonstrasset, quam his irati animi indiciis me terruisset. Tum quædam à me ex veteribus de ratione, qua in Ecclesiam ex hæresi venientes recipiantur, collecta describit; negat *m in iis ullum baptismalis cuiusvis cærimoniæ vestigium esse, sed solius Episcopalis confirmationis, communitionis, chrismationis, impositionis manuum expressam mentionem.* O admirabilem demonstrationem! Sic mecum agit quasi illas ipsas quas memorat, *Episcopalem confirmationem, communitionem, chrismationem, manus impositionem*, extra baptismalium cærimoniarum censum fuisse vel ipse vicisset, vel ego veris victus assensus essem. Hoc vero quid aliud est, quam, quod ille mihi supra, sed falsò frustraque objectabat, τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖν? De loco Basilij, quod in postremis duobus hujus sectionis commatis turbat, mox cum ad illius sanctissimi viri tempora ventum erit, videbimus.

Caput XVII. c. 3. T. 4. Conc. p. 160. k L. 2. de Confirm. c. 10. p. 179. l Id. ibid. p. 116. m Id. ibid. §. 14.

CAPUT XVIII.

Tertius Græcorum testis Laodicenorum Patrum conventus. Hammondi ad argumentum pro mea sententia ductum inanes cavilla-

Caput XVIII. *cavillationes & irrisiones discutiuntur. Baptismi vocabulum interdum pro toto initiationis mysterio ex sacra tinctione eique adiectis ritibus constante, sumi; interdum stricte pro sola tinctione, non tantum à Patribus, sed ab ipso etiam Hammondo. Eum falso frustraque me contumelia affecisse. Basilij locus ex ep. Canon. mendosus.*

n Conc. Laodic. can. 48. T. 1. Concil. p. 303.

NVnc quod sequitur, amicum de synodo Laodicena quæ circiter an. D. 363. habita est. disputantem audiamus. Ejus Synodi canon hic est; *n* ὅτι δεῖ τοὺς φωτιζομένους μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι χρίσματι ἐπουρανίῳ, καὶ μετόχους εἶναι τῆς βασιλείας τοῦ χριστοῦ. Quem canonem Dionysius Exiguus ita Latine ad Græca apposite est interpretatus, *Quod oportet eos, qui illuminantur post baptisma inungi super cœlesti chrismate & esse regni Christi participes.* Gentianus quoque Hervetus sic eum exhibet; *Quod oporteat eos, qui baptizantur, post lavacrum chrisma Ecclesiæ accipere, & regni Christi participes inveniri.* Ego ad hunc canonem hæc scripseram; *o Synodus baptismi cerimoniam fuisse chrismationem eo apertissime docet, quod* τοὺς φωτιζομένους, *qui illuminantur, hoc est baptizantur, sive initiantur Christianismo, eos decernit* χρίεσθαι *ungi sacro chrismate. His enim verbis significat* τὸ χρίεσθαι *ungi partem fuisse* τοῦ φωτισμοῦ *illuminationis sive initiationis, ita ut initiatio, quo rite perficeretur, chrismate veluti consignanda ac consummanda esset. Hæc omnino vis verborum istorum est.* Doctiss. Hammondum hæc ita commoverunt, ut in me non secus destomachetur, *p* quam si grande piaculum admisissem. Principio *conclusionem* meam *argutam* vocat, & *mira plane* esse ait *quæ hic post Blondellum sum commentatus.* Negat *in ipso baptismo ungi videri, qui post baptismum ungitur* μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεται. Sed ille Patrum, verba pro sua libidine immutat, & pro eo quod scripserunt, *Eos qui illuminantur oportet post baptisma inungi*, callide præter Græci textus, & Dionysij vetustissimi & laudatissimi interpretis, fidem ipse rescribit, *Illuminatos post baptisma liniendos.* Ego secutus eram Græca & Dionysium; ex quibus ridiculus sit, qui illud quod mihi Hammondus impingit, *in baptismo ungi qui post baptismum ungitur.* Nihil enim aliud ex Patrum verbis collegeris nisi hęc *in illuminatione sive initiatione post baptisma, sive post lavacrum inungi neophytos*; in quo nihil videtur inesse absurdi aut ridiculi. Iam cum illam Hammondi objectionem occupans, quod aiunt Patres eos, qui illuminantur *post baptisma lini*, baptisma istic accepissem non pro toto initiationis ritu, sed præcise pro *tinctione* præcipua & capitali eius parte, quomodo & Hervetus intellexisse videtur, qui μετὰ τὸ βάπτισμα hic, *post lavacrum* est interpretatus, adhæc exclamat *q* amicissimus Hammondus, & pro consueta grandiloquentia, *Videtis (inquit) ad quas incitas redacta, quo demum pharmaco sanitati restituendæ aut sublevandæ, quibus argutiis &* λεπτολογίαις *statuminandæ sunt universa viri optimi fortunæ.* Sed apage cla-

o L. 2. de Conf. c. 12. p. 158r

p Hamm. c. 3. sect. 2. tit. & §. 2. p. 81. §. 3. p. 82.

q Id. ibid. §. 4.

ge clamores, & verborum ampullas. Quid, iste ne quod posui negat, baptismum interdum latius pro tota initiationis administratione, interdum strictius pro sola essentiali ejus parte id est lavacro accipi? Ille vero quid neget, quid affirmet, quid concedat, nescio; ita nos suis rhetoricis strophis ludificatur. Si tamen hoc negat (quod sane ab eo negari causæ quam agit ratio postulat) dicant mihi velim ejus fautores, quid ille sibi voluerit cum in quodam suæ hujus disputationis loco scripsit; *a Fuit certe suus in baptismo unguenti & chrismatis usus*; Et mox, *unctio ex oleo, quam Basilius memorat, in baptismate adhibetur*; Et paulo post, cum ex *b* Hieronymo *c Baptismi chrisma* dicit, & ibidem, *d priorem unctionem*, quæ Presbyterorum, *in baptismo esse*; tum ex Tertulliano, *e in baptismo carnem ungi*? Dicant mihi, quid ille Damascenum intellexisse credidit, cum eum ipse dicentem inducit, *f Unguentum in baptismate accipitur*? quid Oecumenium, quem scripsisse recognoscit *g sacrum chrisma per baptisma accipi*? quid Symeonem Thessalonicensem, cujus hæc verba recitat, *h Unguento liniri debent in baptismo*? quid denique Harmenopulum, quem dixisse non negat, *i chrisma partem esse baptismi videri*? Scire velim, quo isti Patris, quo ipse Hammondus sensu *baptismi* & *baptismatis* nomen in his locutionibus sumpserint? an pro ipso præcise lavacro, sive tinctione, aut mersione, quæ sane propria est & genuina vocabuli notio, an latius pro toto initiationis nostræ mysterio, suis omnibus partibus & omnibus quibus continetur cærimoniis ac ritibus constante? Prius opinor, nemo dixerit. *Chrisma* enim non in *mersione*, sed post *mersionem* dari, neque ullam esse mersionis partem notum est. Ergo necesse est baptismi nomen latius secundo illo sensu sumpserint, & ipse Hammondus & laudati ab eo Patres. Non soli ergo Patres, sed ipse quoque cum iis Hammondus nostram illam nominis baptismi distinctionem, probant, quam nunc iste ut *argutam* traducit; quam argutiis & λεπτολογίαις accenset; quam non ab ipsa rerum veritate expressam, sed *ab incitis*, ad quas nos redactos somniat, id est ab ultima desperatione extortam fingit. Ejus ipse qui accusat ac damnat, auctor est. Ipsi ergo ita me invadenti, *Non videtur in ipso baptismo ungi, qui μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεται*, respondeo, Imo vero iste non modo ungi videtur sed etiam revera ac te quidem teste & auctore, in eo *baptismo* ungitur; cujus tu ex Harmenopulo chrisma partem esse concessisti; in quo ex Symeone *unguento liniri* neophytos, & ex Damasceno *unguentum accipi*, & carnem ungi ex Tertulliano docuisti; in quo denique tu ipse scripsisti *unguenti & chrismatis usum esse*, unctionemque etiam ex chrismate à presbyteris adhiberi. Eidem Zonaram & Cyprianum objicienti, qui *baptizatos* illos ipsos dicunt, qui unguntur; Quid (inquam) Eos ne putas baptizatos dixisse eodem quo tu accipis sensu *chrisma baptismi partem esse*? Si ita sapis, jam unctos fuisse necesse est quos Cyprianus ungi jubet, quosque Patres Laodiceni & ex iis Zonaras chrismate inungendos decernunt. Certe enim nódum baptizatus est, qui baptismi partes omnes nondú percepit; quarum

CAPUT XVIII.

a Hamm. c. 2. sect. 1. §. 9. p. 39.
b ibid. §. 10. p. 38.
c ibid. §. 11.
d ibid. p. 39.
e ibid. §. 12.
f ibid. §. 10. p. 37.
g ibid.
h ibid.
i ibid.

Caput XVIII. quarũ *chrisma* ex Græcis & Hãmondo una est. Qui ergo teste Cypriano & Zonara, *baptizati* erant, eos interprete Hammondo, unctos chrismatosque jam antea fuisse oportet; ut qui eos necessario ungendos chrismandosque decernunt, Cyprianus & Zonaras auctore quidem Hammondo, splendide delirasse censendi sint, qui actum agere iubent, necessarioque faciendum dicunt id quod jam abunde factum est, quodque factum iterari ex Ecclesiæ legibus nefas erat. Ita velit nolit Hammondus has nostras *argutias & λεπτολογίας* scilicet, concedere cogetur. Quibus ita vindicatis iam inconcussa manet nostra ex Synodi Laodicenæ verbis ducta ratio; Eorum enim quod dixi, omnino vis est; *δεῖ τοὺς φωτιζομένους μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι.* Omnino hæc significant primo *baptismum* id est lavacrum; secundo chrisma ad hoc ut quis initietur, requiri, adeoque lavacrum & chrisma perfectæ initiationis esse partes. Ut si quis dixerit domum ædificantes post jacta fundamenta, parietes quoque & tectum construere, nemo est, qui non inde colligat ad domum perficiendam fundamenta, parietes, & tectum requiri, ejusque esse partes. Neque puto similis locutionis exemplum afferri posse, cujus alius esse vel possit, vel debeat sensus; certe ex recto & legitimo sermonis usu. Exemplum ipse nullum attulit Hammondus; qui, si quod nosset, afferre debuerat. Non enim clamoribus & maledictis, sed rationibus & exemplis refelli debent verborum interpretationes si quę ab adversario afferantur legitimæ & appositæ ac necessariæ. Sed & hanc nostram hujus canonis interpretationem quæ in eo sequuntur firmant. Addunt enim Patres *τοὺς φωτιζομένους* debere post lavacrum *chrismari, & esse regni Christi participes.* Nam cum qui *perfecte initiati sunt* & illuminati, ij haud dubie *sint regni Christi participes*; participes autem tum demum sint post chrismatis unctioné; plane consequens est Patres qui hęc loquũtur, chrismationẽ requirere ad hoc ut quis perfecte sit initiatus, vel illuminatus: adeoq; perfectæ eã illuminationis esse partem ritualẽ existimasse. Sed etiamsi hæc, quod verum non est, infirma & invalida esse donaremus, nõ eo tamen, quod vir amicissimus timet, de universis nostris fortunis desperãdum est. *Si Laodiceni* (inquit) k *Patres aut baptizatos intellexerint, cũ φωτιζομένους edixerint, aut initiatos crediderint, de quorũ post baptismum unctione legem exserte tulerint, de Dallæi causa integra conclamatum est.* Hammondus Dallæi causam non satis cognitam habuit, quam à tam tenui filo pendere totam putavit. Fac enim Patres Laodicenos non *intellexisse* tantum, sed etiam diserte dixisse, *Oportet baptizatos, sive illuminatos chrismari*, non autem quod scripserunt, *eos qui illuminantur, vel qui baptizantur.* Si fecissent, habuisset fateor Hammondus colorem cavillandi aliquem, quem nunc, nullum habet; Dallæi caussa vel nullum, vel certe exiguum ex eo detrimentum caperet. Quid enim? Annon hoc in omni sermone vulgare est, ut in quibus res potissimum sita est, rei nomen sortiantur; cætera, quæ tametsi ei adjuncta sunt vel ad ornatum, vel etiam ad aliquem, tametsi non necessarium, conducibilem tamen

k Id c.3 sect. 2.§.4.p.83.

usum, ex rei nomine præ iis quæ eam continent, excludatur? Vt exemplo jam allato iterum utar, si quis dixerit, *Domum* ædificantes post ipsam domum, debere etiam, peristylia, porticus *bibliothecam extruere*; nemo credo, tam erit stulte argutus, ut ideo peristylia, porticus, bibliothecam domus partes esse neget; tametsi non sic necessarias ut absque iis domus dici vel etiam esse non possit, tamen ad ornatum & usus etiam aliquos commodas atque opportunas. Ita se res habet in hoc initiationis nostræ mysterio. Tota nostra initiatio, sive illuminatio una à Domino instituta aquæ in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti tinctione continetur; ut qui hoc habet, nihil ei revera, quod ad sacramentum requiritur, desit. Patribus postea placuit aliquos ritus adjicere, qui paulatim hominibus alios aliis aggerentibus creverunt; eo quidem animo, ut partim ad ornandum & cohonestandum hoc suggestu mysterium, partim etiam ad fidelium animos ædificandos inservirent. Non jam disputo quam sapiens fuerit consilium: Ita factum esse clarum est. Hi ritus, si auctores, si originem, si rem ipsam spectes, à baptismo diversissimi sunt: sed postquam communi pæne totius Ecclesiæ consensu atque favore in usum publicum recepti sunt, coaluerunt in unum veluti cum baptismo corpus: non sic tamen, ut non præcipua semper fuerit aquæ à *Christo institutæ* præ cæteris dignitas. Ex his liquet eos duobus modis considerari posse: priori quidem veluti partes ex quibus totum illud mysterium constat, tametsi inter se dissimilibus, ad unum tamen eundemque initiationis & regenerationis in Christo nostræ finem atque effectum pertinentibus, suoque singulis modo concurrentibus. Atque hac quidem ratione si spectentur, ut unum proprie dictum sacramentum efficiunt, ita omnes uno communi *baptismi, initiationis & illuminationis* nomine continentur. Sed & aliter etiam considerari possunt, quatenus ritus sunt à baptismo, cui hominum instituto & voluntate adnexi sunt diversi. Hoc vero respectu si accipiantur, commune nomen *baptismi, initiationis, illuminationis*, penes principem ac essentialem, ut loquuntur, partem hæret: cæteræ partes non tam ut baptismus, quam ut baptismi vel præparationes, vel comites vel consecratia censentur. Ad priorem modum pertinent illa non pauca quæ nuper ex ipso Hammondo attulimus, in quibus *chrismatio pars baptismi*, & *in baptismo adhiberi* dicitur: cujus generis alia multa apud Patres: ut illud quod nuper ex Pseudo Iustino *l* descripsimus, ubi unctio Domini ad sepulturam fieri dicitur ἐν τοῖς βαπτιζομένοις, *in iis qui baptizantur*, quo etiam referendus est noster hic Laodicenæ Synodi canon, cum ait τοὺς φωτιζομένους χρίεσθαι, *eos qui illuminantur ungi chrismate*. Ad posteriorem ordinem pertinent illa Cypriani; *m Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus est*; item ista, *Super eos qui in Ecclesia baptizati sunt invocatum & infusum fuisse Spiritum Sanctum*; & hoc quoque Laodicenæ Synodi *post baptisma*, quodque pro eo Zonaras scripsit τοὺς βαπτισθέντας, *baptizatos*. In his manifestum est *baptismum* ab adjectis ei ritibus distingui; sed sic

CAPUT XVIII.

l Pseud. Iust. Q. 137.

m Cypr. ep. 70. Id. ep. 78.

Caput XVIII. distingui, ut principem partem ab aliis ad rei non tam essentiam, quam ornatum & lumen institutis; non autem (quod perperam vult amicissimus Hammondus) tanquam à cærimoniis à se alienis, nihilque ad se pertinentibus. Ex istis dum hoc ille colligit, aërem plane verberat. Pari enim ratione unctiones ex oleo & chrismate, quas ipse fatetur ad baptismum pertinere, ab eo dividere ac segregare, & in αὐτοτελεῖς cærimonias sui seorsum procul ab illuminationis nostræ mysterio generis transformare posset; quod eas scilicet non modo scriptores ab eo laudati, sed ipse etiam à baptismo distinguat; ut cum neophyti verbi gratia dicantur vel oleo simplici ante baptismum, vel chrismate post baptismum ungi. Sic & Latinorum plærosque ritus quos ipsi pro totidem baptismi cærimoniis habent, liceret procul à *baptismo* alio abducere; quod ii scilicet partim ante baptismum, partim post baptismum fieri dicantur. Ex quibus, videre est, quantopere fallatur vir doctissimus, qui de caussa mea conclamatum esse pronuntiat si Laodiceni Patres *baptizatos vel initiatos* ungendos esse dixissent. Atqui ne minimam quidem plagam inde accepissem. Tantum si ita locuti essent, aliquid lucis ei rationi defuisset quam ex diversa eorum elocutione contra doctissimi Hammondi opinionem duximus.

Ex his facile refelluntur quæ doctissimus Hammondus ejusdem Laodicenæ synodi canonibus 46. & 47. in me jacit, *n* in quorum priori φωτιζόμενοι dicuntur qui ad *baptismum* veniunt, qui in eo sunt ut baptizentur, qui se ad initiationem accingunt. In sequenti vero canone παραλαμβάνειν φώτισμα est *percipere baptismum.* Nemo enim nescit, quod etiam ipse Iustinus docet, φώτισμα *baptismum* dici. *Integrum* autem fuisse baptismum hunc à decumbentibus in morbo perceptum, nescio unde amicus noster habeat. Ego haud facile crediderim. Quod ex Cypriano affert, si verum esset, magis ad rem esset. Fingit *o* enim, qui baptismum *integrum*, id est cui nihil baptismalium rituum deesset, perceperint eos nihilominus Cyprianum confirmasse chrismate & manu imposita: quod si verum esset hanc certe confirmationem non fuisse unum ex illis ritibus valde probabile esset. Sed nos jam ad Cypriani locum ostendimus *p* virum doctissimum graviter in eo errare, & Cyprianum adeo ab hoc quod ipse assumit abesse (nimirum ei baptismo, *qui idem sit legitimus & Ecclesiasticus* baptismus nihil unquam defuisse rituum baptismalium) ut alibi plane contra eum baptismum, cui hi ritus pæne omnes deerant, *legitimum* tamen & *Ecclesiasticum* appellet atque censeat, si modo in Ecclesia ab hominibus Catholicis & datus & susceptus fuerit. Atque ex his jam quivis intelligit, quam iniqua quamque falsa sit illa contumelia, qua me hoc loco amicus noster, parum profecto amice perfundit, scribens me *fortuitis rationum ponderibus disciplinam & sanctiones Ecclesiasticas motare & circumgyrare, & ex aruspicinis, & auguriis veritatem Theologicam statuminare.* Vtrius nostrum id crimen sit, æqui & periti lectoris esto judicium.

n Hamm. c. 3. sect. 2. § 4. 6. p. 83.

o Ibid. §. 4.

p Supr. ad Cypr. locum ex ep. 73.

Sed

Sed hic de Basilio, q qui paulo post Synodum Laodicenā floruit, quod supra promisi, satisfaciendum est. Fateor in meo Basilianæ ad Amphilochium epistolæ exemplari excusum esse, eos qui ab hæreticis Encratitis veniunt χρίεσθαι ὑπὸ τῶν πιστῶν, quod Latine expressi, *inungi à fidelibus debere*. Notat r autem Hammōdus me pro ὑπὸ scripsisse * ἐπὶ. Notat idē me eadem illa Latine vertisse, *s inungi à fidelibus*; quasi scilicet ὑπὸ legerim, non ἐπί; meamque hanc interpretationem, ut absurdam, rejicit. Merito sane facit. Sed neque eam mihi placuisse satis inde patet, quod Græcæ editionis ex qua expressa est, lectionem mutarim. Cæterum fateor me haud satis scire qui factum sit, ut quæ Latina exhibui ea editioni congruant, à mea ipsius emendatione dissideant. Fortasse cum ὑπὸ primo scripsissem, accidit ut postea locum retractans, & sensus absurditatem animadvertens, Latinosque interpretes aliter locum vertisse comperiens, nimirum *in*, non *pro fidelibus*, conjecerim legendum esse ἐπὶ τῶν πιστῶν, & ita in Græcis, quæ descripseram, correxerim, in Latinis corrigere per incogitantiam, vel ad alia festinans, neglexerim; Vnde accidit, ut typothetæ locum ipsi quoque inemendatum excuderint. Hammondus assentiri videtur, Græca Basilij emendatione egere. Sed rogat an non pro ὑπὸ πιστῶν, quod mendosum est, ὑπὲρ potius quam ἐπὶ πιστῶν rescribendum sit hoc sensu ὑπὲρ πιστῶν id est *pro fidelibus, vel ad modum fidelium*? Mihi quidem non placet. Primo quod proclivius sit ὑπὸ ex ἐπὶ, quā ex ὑπὲρ fuisse corruptum. 2. quod durū sit, ac nisi fallor, apud Græcos insolens ὑπὲρ eo sensu usurpare, pro *ad modum alicuius*. Ὑπὲρ quidem idem fere est quod Latinis *pro* & *super*, quod ipsum inde factum est, aspiratione in litteram sibi lantem mutatæ. *Pro* vero vel *super* Latinis, æque ut videtur ac ὑπὲρ Græcis, inusitatum est dicere, ut significent *instar*, vel *ad modum*. At ἐπὶ cum casu gignendi constructum non infrequenter ut hoc loco, pro *in* usurpatum reperias, idque ipsum secuti sunt interpretes, quos dixi. Balsamon has voculas intactas reliquit, illa tantum in hunc locum scribens, Basilium hic decernere Encratitas & Hydroparastatas μὴ ἀναβαπτίζεσθαι, ἀλλὰ χρίεσθαι τῷ ἁγίῳ μύρῳ, καὶ οὕτω μεταλαμβάνειν τῶν ἁγιασμάτων. Sed hæc, ut Hammondus, ita nos quoque obiter, quæ ad id quod uterque agimus, nihil admodum pertinent.

CAP. XIX.
q Basil. ep. ca on. C. 1. p 918.
r Hamm. c. 5. sect. 2 5. 15. 16. p. 126. 127.
s L. 2. de Confirm. c. 10. p. 171.

CAPVT XIX.

IV. Græc. Testiū, Gregorius Nazianzenus. Eius pro nostra sententia testimonium, recte à me esse confirmatum, Billij auctoritate, & tribus ex ipso Greg. argumentis contra vanos Hammondi elenchos demonstratur. Billius testis in hac causa idoneus. Baptismus, sigillum, & chrisma dicitur.

DEinceps expendenda sunt, quæ ille ad Gregorium Nazianzenum Basilij æqualem, & amicum disputavit. Hujus ego celeberrimi

Cap. XIX. scriptoris locum *t* à Bellarmino pro suæ Confirmationis sacramento allatum solvens dixeram unctionem ab auctore memoratam sacramenti quidem esse, nimirum baptismi; adeoque non esse ipsam per se sacramentum, strictè scilicet, ac ut nunc solet, sumptum. Baptismi autem esse nonnullis argumentis demonstraveram. Hammondus Gregorij verba recitat; *u* & interpretatur ad suam mentem; tum argumenta mea sigillatim excutit, & quantum quidem in se situm est, solvit. Gregorij locus, nequis eum desideret, sic habet; *x Si per baptismum* (Gr. τῇ σφραγῖδι) *te ipsum præmunieris, ac pulcherrimo & firmissimo auxilio tibi in futurum caveris, animum scilicet & corpus unctione & Spiritu consignans* (Greg. σημειούμενος (*quemadmodum olim Israël nocturno illo cruore* (Gr. καὶ χρίσματι, & unctione) *qui primigenios tuebatur; quid tibi accidet? & quod tibi præsidium comparatum erit?* Doctissimus Hammondus mecum & cum Billio illam σφραγῖδα, qua nos præmuniri vult Gregorius, de baptismo accipit; mecum quoque unctionem & Spiritum, de consignatione, sive chrismatione; denique de re ipsa summus, quod ad Gregorium pertinet, inter nos consensus est. Vnum illud quærendum superest, an illa res, quam uterque à Gregorio posterioribus verbis intelligi contendimus, baptismi fuerit, an à baptismo divisa, proprius seorsum ritus, propriumque alterius à baptismo ordinis sacramentum fuerit, (ut veteres hoc sacramenti vocabulum late sumebant.) Quo loco observo & queror quæstionem ab Hammondo aliter quam decuit, constitutam. Ait *y* enim *me baptismum agnoscere, Confirmationem negare, & ut figmentum reycere.* Ego-ne *Confirmationem* nego? Atqui Confirmatio ipsa est illa baptismalis consignatio, quam hic ego à Gregorio intelligi contendo. Ego-ne Confirmationem à Gregorio intellectam ut figmentum rejeci? Planum est me eam quam Latini instituerunt, quamque pro vero & divinitus instituto sacramento censent, *figmentum* dixisse: de Gregoriana, ne per somnium quidem ista cogitasse. Hic certe cogor candorem & fidem in amico nonnihil desiderare, qui quo mihi (ut videtur) invidiam faceret, his ambiguis, & in sequiorem partem *flecti cereis* verbis, sententiam meam expressit: quod profecto non est sinceri, ac benevoli: uniusque veritatis studiosi adversarij. Id ergo unum jam inter nos quæritur (ut ex veris citra omne animi vel odium vel studium quæstionis status aperiatur) an ea unctio, quam hic uterque à Gregorio intelligi communibusque chrismationis, consignationis & confirmationis nominibus vulgo censitam olim fuisse consentimus, an ea inquam unctio ad baptismi sacrum pertinuerit: ejusque ritus fuerit, necne? Hammondus pugnat eam fuisse ab omni baptismi sacro diversam: Definit ritum fuisse sui generis ac ordinis per se seorsum consistentem. Ego hoc nego, & eam unctionem ad baptismum fuisse relatam puto, proque totius baptismalis administrationis corona, ac perfectione ultima, apud veteres habitam esse. Id autem ex hoc Gregorij loco haberi probavi primo testimonio Iacobi Billij, viri apud Latinos ob summam

eruditio-

t L. 2. de Confirm. c. 14. p. 199.

u Hamm. c. 3. Act 2. §. 16. p. 88. 89.

x Greg. Nazi. Orat. 40. in S. Bapt. T. 1. p. 646. C.

y Hamm. c. 3. sect. 2. §. 19.

eruditionem & singularem antiquitatum Ecclesiasticarum peritiam celeberrimi, qui in sua Gregorij editione ad illa, quæ descripsi, verba annotavit *unctionem baptismalem* iis significari. Hammondus auctoritatem viri elevat, z seque dicit mihi æque credere ac Billio. Fateor ejus testimonium non habere eam vim, quam habet demonstratio: neque id à me pro certa & indubitabili veritate allatum est. Sed negari non potest, quin viri doctissimi, citra ullum caussæ studium de re, in qua haud vulgariter versatus & exercitatus est, sententia, magnam vim ad persuadendum habere debeat, & quoddam secum de ea parte quam confirmat præjudicium afferre. Atqui is est in hac causa Billius: ut non possim non mirari doctiss. Hammondi judicium, qui hac de re mihi, id est homini, quem ejus sententiæ quam defendo ardenti quodam, & immodico studio teneri putat, æque credere se dicit ac Billio, viro non jam dicam (quod tamen verum est) tum in Græca, tum in cætera omni litteratura multo me præstantiori, sed adeo nullius in eam partem, quam probat, studij suspecto, ut non sit dubitandum quin ejus animus in adversam sententiam propenderet, verioremque esse optaret: homo scilicet Latinæ religioni addictissimus, cujus non tantum *æque*, sed etiam magis quam Hammondi, intersit unctionem illam Gregorianam non *baptismalem*, quod pronuntiat Billius, sed Confirmatoriam esse: quod mavult Hammondus: idq; vel ex Bellarmino, & cæteris controversiarum scriptoribus apparet. Hi enim fere omnes hunc Gregorianum locum ad suum Confirmationis sacramentum trahunt; eumque ideo pæne ut Hammondus, interpretantur. Vnde apparet quam dispar quamque iniqua sit ea comparatio, quam ille hoc loco instituit a inter Billij de hoc Gregorij, & Christophorsoni de altero Eusebij, sive potius Clementis Alexandrini dicto sententias. Nam sigillum quidem, cujus Clemens meminit, Christophorsonus id est vir Latinarum partium de Latinæ Confirmationis sacramento accepit; Billius plane contra Gregorianam unctionem, non de illa eadem confirmatione, quod res Romana postulabat, sed de baptismali ritu intellexit, quod Latinæ Theologiæ adeo non favet, ut etiam noceat. Itaque quam ille in Clementina interpretatione studij suspectus, tam hic in Gregoriana ab omni studio immunis judicandus est; quo fit ut sperem nos apud æquos rerum æstimatores visum iri jure merito illius quidem contempsisse, hujus vero laudasse sententiam, quicquid præter veri ac rationis lumen neget Hammondus Billio contra Confirmationem Latinam magis fidendum esse, quam Christophorsono pro eadem testimonium dicenti. Quamquam neque Billij auctoritas tametsi in hoc quidem argumento, non levis esse videatur, tanti tamen apud me est, ut si de Gregorij mente veriora hoc ac certiora doceat Hammondus, non simus statim ipsum deserto Billio secuturi. Audiamus ergo quibus ille rationibus sua, quam Billiana veriora esse nobis demonstret. Atqui ille rationes plane nullas adducit. Tantum quas ego pro Billiana sententia attuleram, refutare conatur.

Fac-

CAP. XIX.

z Hamm. c. 3. sect. 3. §. 19. p. 89.

a Ibid. p. 90.

Cap. XIX. Fac refutasse. Si nihil præterea fecerit, res adhuc in æquilibrio erit, inter Billianam, & Hammondinam auctoritatem pendens, donec addito alicujus argumenti momento in hanc vel illam partem præponderet. Expectabimus ergo donec ex Hammondi scriniis aliquis ejus sectator hujus suæ sententiæ rationes, quas ille nobis invidit, in lucem proferat, ac interim quandiu res nuda interpretum auctoritate stabit, in Gregorij verbis intelligendis Billium ab omni partium studio in hac quidem quæstione alienum Hammondo, tametsi cætera venerando, magna tamen nonnulli in hanc causam affectus & studij suspicione laboranti præferre pace bonorum ac doctorum virorum non dubitabimus. Sed experiamur tamen an doctiss. Hammondus ducta è rebus ipsis argumenta felicius solverit, quam citati testis auctoritatem elevavit. Secundo ergo ipsum orationis Gregorianæ titulum attuleram, *b Oratio in sanctum Baptismum*; ipsius Gregorij fidem se de baptismo & beneficio hinc ad nos manante dicturum in ipso statim orationis limine promittentis: Et tituli & promissionis fide affirmari baptismi esse beneficia, quæ ille in allato testimonio deprædicat: alioqui res ipsas neque cum titulo, neque auctoris verbis satis congruere videri. Ad hoc meæ sententiæ argumentum doctiss. Hammondus respondet *c titulum à potiori rectè denominari, nec tamen vetare, quo minus de baptismo dissertationem instituens verba quædam de Cœna aut Pœnitentia, quidni etiam de Confirmatione faceret; Dallæum ipsum in opere de Confirmatione multa de baptismo miscuisse, &c.* Hæc vera quidem, sed nihil argumenti vim infringunt. Dallæum sane, qui illam quam Confirmationem dicunt, baptismi partem ritualem esse contendit, nihil mirum est in prolixo opere de ea disputantem, multa de baptismo admiscuisse, neque enim aliter fieri poterat. Gregorium in brevi de baptismo oratione, scriptorem brevitatis studiosum, & in argumentis suis fere hærentem, parerga & diverticula captasse, de materia per se copiosa & fœcunda dicentem, non est verisimile. Ad hæc solent auctores, qui quidem sapiunt, quoties à re sua digrediuntur, id significare, & in aliena non irrumpere, sed sic illabi, ut eos intelligas à via paululum deflectere, neque id facere temere, sed necessario, ubi causa & ratio cogit. Hic nihil istorum occurrit. Nam cum baptismus ipse multa ad pietatem præsidia per se contineat, de iis, quibus pios munit dicentem nihil necesse erat ad exotica confugere: Neque quicquam dicit unde eum à re baptismali de qua se acturum promiserat, & agere cœperat, digredi intelligas. Si hæc ejus mens esset, baptismatis præsidia præmitteret; Tum adderet aliud quoque præter ista, qui baptizatus fuerit, consecuturum. Eo sacramento aditum sibi aperturum ad aliud; maximæ ipsum quoque utilitatis, *largiores septemplicis Spiritus haustus propinaturum*; vel aliud quid simile monuisset; ne quem in aliena & inexpectata loca subito irruens oratio turbaret. Nihil hic tale apud Gregorium occurrit. Tum si quod ait de unctione à baptismo alienum est; cur non, quod proximum erat, & obvium, de Eucharistia quoque aliquid

b L. 2. de Cōfirm. c. 14. p 199

c Hamm. c. 3. sect. 2. §. 21 p. 90.

aliquid adderet, quæ & ipsa Christianorum adversus hostes mysticos Cap.XIX
egregium & est & habetur à Patribus munimentum? Eo certe invitabat additus Israëlis in Ægypto typus. Nam illi primogenitorum φυλακτικῷ sanguini appositius respondebat Eucharisticus Christi sanguis, apud Patres in hoc loco fere occurrens, quam confirmationis oleum. Nimirum castus & castigatus scriptor, qui quod semel cœpit, in eo pedem figit, à re ab instituto de baptismate sermone aliena abstinuit; *chrisma & spiritum*, sui baptismi res, commemoravit. Denique siqua scriptores à suo argumento diversa attrectant, ea aliena hoc facile esse intelliguntur, quod eadem vel ipsi, vel alij æque locupletes auctores per se ac seorsum sub suis titulis alibi tractant; at Eucharistiam, si hic à Gregorio esset commemorata, nemo ideo putaret unum ex baptismi ritibus fuisse. De hac confirmatoria unctione plane aliter res habet; quam non apud hunc Gregorium, non apud vetustiores Cyprianum, Tertullianum, non apud alios ullos Patres, alibi quam in mediis de baptismo sermonibus reperias. Itaque vani sunt colores quos hic & alibi obtendit Hammondus de auctorum digressionibus & parergis. Frustra suam Confirmationem à baptismo abigere, atque abducere conatur. Cujus lateri, ubicunque occurrit, affixa, indivulsa comes occurrit, ejus se rem esse fatetur; negat se absque plagio, in alterius cujusquam manum trahi vel rapi posse. Sed eum locum Gregorij paulo attentius inspicio, miror Hammondum; Virum in paucis acutum ac eruditum non vidisse, eum ipsum baptismo apertissime asserere, quam memorat vnctionem. Ille hujus vitæ discrimina & casus varios, qui subitam & improvisam mortem & multis afferunt, & quibusvis afferre possunt, disertissime ut solet explicat; ut ostendat quantum, quam immane periculum sit aditurus, quem baptismo nondum expiatum aliquis huiusmodi casus interceperit. Quibus eò perductis ex adverso docet eum qui baptizatus fuerit, in omni vitæ parte tutum ac securum fore; At nihil horum timebis; non vitæ varios casus, non Diaboli insidias, non mortem ipsam, *si* (inquit) *sigillo* (id est baptismo, ut vertit Billius, ac ut assentitur Hammondus) *te ipsum præmunieris, ac pulcherrimo & firmissimo auxilio tibi in futurum caveris animum scilicet & corpus unctione & Spiritu consignatus.* (σημειωθεὶς) Qui *sigillum*, quo *præmuniri* nos jubet, *baptismum* hic intelligit, non equidem capio, qui idem possit τὸ χρίσμα καὶ τὸ πνεῦμα, quæ sequuntur, alterius esse putare, quam baptismi. Baptismus *sigillum* est; Baptismus idem est *pulcherrimum* illud & firmissimum præsidium, quo tibi in futurum cavisti, si baptizatus es. Cohærent ista, neque alterum ab altero divelli potest. *Si te præmunieris, & pulcerrimo auxilio in futurum caveris.* Vtrumque eodem pertinet; ad sigillum, id est ad baptismum. Iam quid sequitur? σημειωθεὶς, inquit, καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα τῷ χρίσματι καὶ τῷ πνεύματι. *consignatus & animam & corpus chrismate & Spiritu.* Et hæc à superioribus pendent. Sunt enim ad eorum exegesin addita, & ostendunt quod sit & qua in re situm illud auxilium, quod nobis à baptismo est. Nimirum in eo situm est, quod cor-

Caput. XIX. pus chrismate, animam spiritu per sigillum illud Dominicum obsignamur; eoque tuti adversus insidias sumus. *Penes enim signata* (quod statim dicet Gregorius) *non facile insidiis appetitur; quæ autem minime signata est à furibus facile capi potest.* Ergo *sigillo se præmunire* nihil aliud est, ut nunc ipse explanat ac definit, quam curare ut mature nobis *corpus & anima chrismate & spiritu consignentur.* Hoc illud ipsum *sigillum* est, quo præmunimur. Ideo in tempore præterito dixit, σημειωθεὶς, consignatus; ut *sigillo* illo non aliter muniri te significet, quam si chrismate & spiritu corpus & animam fueris consignatus. *Si sigillo teipsum præmunieris.* Quomodo? *corpus*, inquit, *& animam obsignatus.* Ergo nemo *sigillum*, idest baptismum habet, qui non fuerit corpore & anima cõsignatus. Ergo inquam, corporis æque ac animæ consignatio, id est chrisma & spiritus, utrumque baptismi est. Si, quod vult Hammondus, seorsum à baptismo alius est, ritus, vel ut Latini, aliud sacramentum, nihil quemquam necesse est chrismari corpus, ad hoc, ut sigillum, id est baptismum, habeat. At *sigillo muniri* Gregorius non alium definit quam qui corpus & animam chrismate & spiritu unctus sive consignatus est. Vel ergo dicat Hammondus *sigillo se præmunire*, aliud esse Gregorio, quam baptizari; vel nobis, si hoc assentitur, illud quoque concedat, necesse est baptismi rem esse chrisma, quod sigillo continetur. Denique nisi quod à consignatione chrismatis & spiritus auxilium est, id baptismi sit, sequetur Gregorium magna & præclara nobis de baptismo pollicitum, nihil tamen quod proprie in eo sit, præsidii nobis porrigere; sed tantum emendicatis ab alio plane diverso sacramento opibus nos munire: neque aliud baptismo tribuere, nisi quod quamvis ipse per se nihil præstet, nobis tamen cœlestis armamentarii, id est Confirmationis & Eucharistiæ, januam aperit: ut inde armemur & muniamur. Nam si auxilium illud præclarissimum & firmissimũ, quod per corporis & animæ consignationem consequimur, ad baptismum non pertinet, sed totum alterius plane diversi à baptismo sacramenti est; profecto clarum est Gregorium nihil hic de illo auxilio, quod proprie à baptismo sit, toto hoc loco dicere; quod cum dictu longe sit absurdissimum, illud demum fatendum est, quam hic ille memorat consignationem, eam revera baptismi esse. 3. Idem quoque inde concluseram, quod Gregorius in hac ipsa oratione inter cætera quæ recenset baptismatis nomina, vocatum fuisse dicit [e] χρίσμα καὶ σφραγίδα. *Chrisma* quidem, *quia sacer & regius est* (*hujusmodi enim ea fuisse quæ ungebantur*) *sigillum vero sive signaculum, quia conservatio est, ac dominationis significatio.* Hammondus respondet [f] baptismum chrisma dici metaphorice, qualiter Christiani omnes, Reges & sacerdotes dici solent; Confirmationem vero *chrisma* dici proprie, pro unctione corporea. Sed ille nobis illudit. Nam neque Confirmationem Latini aut Græci unctionis spiritualis quę metaphorice unctio dicitur, expertem esse volunt: neque baptismum corporea unctione, quæ proprie sic dicitur, carere patiuntur. Ergo tam baptismum quam Confirmationem

d Libr. 2 de Conf. ca. 14. pag. 200.

e Greg. Nazian. or. 40. pag. 638. D. 639. A.

f Hamm. ca. 3. sect. 2. §. 22. pag. 91.

ab

ab utraque *chrisma & sigillum* dici clarum est. Et Latini quidem præter confirmatoriam chrismationem, quam ab Episcopis solis ministrari fas putant, alteram habent à presbyteris, quæ in baptismo neophytorum ipsum quoque corpus ungit. Itaque si is, qui loquitur, scriptor esset Latinus, sine illa suæ Confirmationis fraude, id quod dicit Gregorius, facile per suam illam presbyteralem chrismationem explicaret. Nunc cum ille Græcorum unus sit, & quidem è præstantissimis: neque Hammondus, neque Latini evadere possunt, quod tota Græcorum Ecclesia nullam aliam agnoscat chrismationem, quam baptismalem. Ergo cum ex hoc Gregorio baptismus chrisma sit: neque ullam porro Græci chrismationem aliam norint, quam baptismalem: nemo non videt hanc eam ipsam esse, à qua baptismus *chrisma* dicitur. Neque hilum valet ea ratio, g qua pugnat doctissimus Hammondus, inde ducta quod baptismus *chrisma* à Gregorio dicatur ob regnum & sacerdotium: chrisma vero hoc quo nunc corpus nostrum *consignari* scribit, ad præsidium & munimentum pertineat. Nil enim vetat rem unam ad eandem pro varia ratione, qua consideratur, ad diversa referri. Vnguentum sacrum, quod ea olim Israëlis Reges ritè inaugurarentur, eo apposite refertur, quod per baptismum regnum sacerdotale fiamus Deo. Idem unguentum, qua consignatio est, ad præsidium pertinet; quia *pecus signata*, ut idem dicit Gregorius, ab insidiis tutior est; quod neque omisit. Gregorius, cum ait baptismum, *σφραγῖδα* dici, *ὡς συντήρησιν*, quia quædam nostri conservatio, ac tutela, adeoque præsidium est. Ac utrumque quidem hoc munus, ut baptismi apud Gregorium, ita & chrismationis apud alios, ut nuper apud Laodicenos Patres, h qui neophytos per unctionem consortes regni Christi esse dicebant.

CAPUT XX.

g Ibid. §. 23. Pag. 92.

h Côc. Laodic. can. 48.

Ex his videret jam doctissimus Hammondus, si viveret, quam falso hic gloriatus sit, quasi vicerit *instabilia esse fulcra sententiæ meæ*; quamque ridicule eam vocet *novitiam hypothesin*, qui suæ antiquitatem neque hic neque alibi in toto usquam libro, non dico demonstravit, sed ne demonstrare quidem conatus est; satis habens sine ulla probatione jactitare vera & antiqua & totius Ecclesiæ communia esse quæ defendit; qui vero non sunt magnificis istis verbis creduli, eos cubito pellere, tanquam homines præjudiciis occæcatos, & hypotheseon suarum mancipia.

CAPUT XX.

V. Græc. Testis, Cyrillus Hierosolimitanus. Refellitur argumentum, quo Hammondus ex eo probare studet chrismationem esse à baptismo alienam. Veriora esse ea, quibus probavi Cyrillo chrismationem esse rem baptismo idoneam; neque eo fieri, ut tinctionem & unctionem pro uno eodemque actu habuerim; quod ridicu-

Cap. XX. *le nobis identidem objectat Hammondus. Quidam ab eo Cyrilli locus incommode redditus. Alter Cyrilli locus ab Hammondo objectus explicatur, ostenditurque nobis potius favere quam obesse.*

POst Nazianzenum, veniunt expendenda, quæ ex Cyrillo Hierosolymitano ejus æquali (uterque enim sub Theodosio floruit) contra meam sententiam allata sunt à doctissimo Hammondo. Eadem fere omnia jam pro suæ Confirmationis sacramento Bellarminus, & cæteri Latini objecerant. Primum ergo observat *i* Hammondus Cyrillum in prima catechesi mystagogica alloqui recens baptizatos; secundam de baptismo inscriptam unum hoc præcipue agere, ut neophytos in mortem Christi baptizatos monstret; Tertiam esse de chrismate; quartam de corpore & sanguine Christi. In quinta auctorem dictorum anacephalæosin instituentem sic incipere; *De baptismo, de chrismate, de sumptione corporis & sanguinis Christi satis in superioribus audistis. Omnia* (inquit Hammondus) *distinctissime, & in suas classes disposita, nec magis chrismatio cum baptismo, quam Eucharistia cum utroque confundenda.* Nemo negat: neque quisquam sic insanit, ut chrismationem idem esse statuat, quod baptisma: aut Eucharistiam idem, quod istorum vel utrumque vel alterum. De his Bellarmino jam satisfeceram, *k* Cyrillum neophytos in his homiliis de baptismo docentem de chrismatione perinde ac de unctione ex oleo tinctioni prævia dicere, non quod sint singularia, à baptismo diversa sacramenta, diversi-ve ritus, sed quod utraque baptismi cærimonia sit illa antecedens, hæc subsequens tinctionem sacram, unde cum neque Latini, neque Hammondus colligant unctionem ex oleo ritum esse à baptismo separatum, ludere eos operam, dum hoc uno argumento id de chrismate concludere moliuntur. Cæteras baptismi cærimonias, ut exorcizationem, corporis nudationem, &c. eundem quoque ibidem explicare: neque ideo quemquam aliud hæc esse putasse, quam baptismales ritus. Quod de chrismatione, non prima aut secunda homilia, auctor egerit, id factum quod duas priores homilias alij baptismi ritus exhauserant, ut fuerit ultimi hujus tractatio in diem sequentem differenda. Sic in eodem opere, Eucharistiæ materiam, quia totam homilia quarta complecti non potuerat, quinta demum absolvit. Quid ad hæc Hammondus? Nihil. Ergo ne concedit imbelle & futile hoc esse ex his Cyrilli locis pro sua vel Latinorũ causa argumentum? Nescio. Non enim quid sentiret dixit. Videtur tamen vel omittere debuisse Cyrilli testimonium, si nihil erat, quod in solutione ejus nostra desideraret, vel certe solutionem refellere, si Cyrillum in hac causa testem exhibere cupiebat. Sed disputator delicatus sua constituere operosius putavit, quam aliena vel repellere, vel eludere. Itaque nos nostras suarum demonstrationum solutiones valere securus jubet; quæ ἐκ περιουσίας addideram, ut adductum contra me testem, meis favere potius quam nocere suaderem, invadit. Atqui si hic ei conatus successerit,

i Hamm. c. 3. sect. 4. §. 1. p. 96.

k L. 2. de Confirm. c. 13. p. 190.

succefferit, nihil aliud vicerit nisi Cyrillum nullum mihi dixisse testimonium; pro se dixisse nequaquam demonstrarit; quod nisi agit, nihil agit. Videamus tamen quid ad nostra illa qualiacumque de cætero sint, censor amicissimus dixerit. Primo hæc Cyrilli ad Neophytos verba ex homilia tertia adduxeram; *l In Christum baptizati & Christum induti, conformes facti estis Filio Dei, Deus enim nos, quos prædestinavit in adoptionem filiorum, conformes fecit corpori gloriæ Christi. Participes ergo Christi effecti merito Christi vocamini, & Deus dixit de vobis, nolite tangere unctos meos. Christi vero facti estis suscepto Spiritus Sancti antitypo.* Ex his ita eram argumentatus, * *Cyrillus quicquid isti hactenus susceperant uno vocabulo initio complectitur dum eos dicit baptizatos esse. Ergo & baptismi pars est ea chrismatio, quam acceperant.* Ad hæc Hammondus solennem cantilenam occinit *m me sollicitius hypothesi inservientem non vidisse veritatem*: & mox, *importunam hypothesin me urgere ac durius premere.* Optandum erat virum bonum parcius ista nobis objectare; in una re quæ agitur, pressius hæsisse. Ad rem ergo quid dicit? Cyrillus (inquit) *quos baptizatos dixit, non negavit confirmatos.* Atqui neque me hoc fugerat. Imo id ipsum à Cyrillo dictum esse, non dissimulavi, & chrismatos fuisse quos ille alloquitur neophytos, non minus agnoveram, quam qui me nunc de eo frustra monet. Neque inde argumentabar quod isti nondum essent chrismati, sed quod chrismationis quam susceperant, vim omnem Cyrillus baptismo tribueret, & ab eo derivaret; quod ita demonstraveram verbis proxime sequentibus: *Dicis*, Cyrillus scilicet, *quod isti baptizati essent, Christumque induissent, eo ipso factos conformes Filio Dei, eiusque participes, ac Christos denique.* Sunt autem hæc ipsissima Cyrilli verba, ut legenti patet. Tum sic pergebam: *Vt ergo baptismi est, non alterius seorsum sacramenti: quod Christum induimus: quod ei conformes, eiusque participes facti sumus: Ita & baptismi ex Cyrillo esse necessario fatendum est, quod Christi, id est uncti sumus: Christos autem nos esse & vocari ad chrismationem, ut & res ipsa & Cyrillus docent, refertur. Ergo & ipsa chrismatio baptismi est.* Ad hæc erat respondendum. Sed amicus cavillatur; & narrat nobis *aliam esse baptizationem, aliam chrismationem*; quasi nos utramque idem unumque esse probare voluerimus; quasi non alteram ab altera aliud esse eo ipso professi simus, quod *chrismationem baptismi* esse dixerimus. Neque enim quod baptismi est, id ipsum baptismus est. Dolendum est virum doctissimum nolle intelligere quæ baptismi cærimonia, ritus, appendix, auctarium, pars, ornamentum esse dicitur, eam non ideo affirmari baptismum esse; Dolendum eum plane mecum sic agere, ac si me quod hominis vel oculum partem, vel vestem tegumentum, vel capillos ornamentum esse dicere, eo refelleret, quod neque oculus, neque vestis neque capilli homo sint. Sic enim me hic convenit dum ex Cyrillo argumentantem unctionem esse rem baptismi, eo probe confutatum putat, quod aliam esse perspiciat baptizationem, aliam chrismationem; indeque concludit *neque igitur baptismi partem aut cærimoniam meram fuisse chrismationem*

CAP. XX.

l L. 2. de Confirm. c. 13 p. 191.

* Cyrill. Hieros. Catech. mystag. 3. init.

m Hamm. c. 5. sect. 4. §. 3. p. 97 & §. 4. p. 98.

Cap. XX. *tionem*; quæ amici nostri ratiocinatio non minus profecto acuta est, quam si hominis vel oculum partem, vel vestem amictum, vel capillos ornamentum, vel baptismi cæremoniam, unctionem ex oleo esse ideo negaret, quod oculum & vestem & capillos aliud esse quam hominem, & unctionem ex oleo aliud quam baptismum esse per-
n Id. ibid. § 4. p. 97. 98. spiciat. Inconstantiam porro mihi objicit, *n* quod qui nuper in Laodiceno canone *baptisma* pro solo mersionis, sive tinctionis actu eram interpretatus, nunc idem post unam aut alteram pagellam, vocem *βαπτιζομένους* pro toto initiationis mysterio accipiam, omnes quibus id constat ritus etiam chrismationem continente. Quasi vero inconstantia sit vocabulum ambiguum pro locorum in quibus occurrit, ingenio nunc uno sensu capere, mox alio. Quamquam hic quidem ita sum argumentatus, ut illud Cyrilli *βαπτιζομένους* nihil necesse sit pro tota initiatione accipere. Fac enim eum hac voce uti, ut quos alloquitur, non aliud significet, quam in nomine sacræ Trinitatis esse tinctos, non ideo negabis ipsum affirmare, quod de iis diserte dicit, etiam qui sic baptizati sunt & ideo quod sic baptizati sunt, hoc ipso Christum induisse, eique conformes eiusque participes, ac denique Christos, id est Dei unctos, factos esse; cujus affirmationis veritas facile potest ex Paulo demonstrari. Atqui hoc mihi satis est ad id quod argumẽtor, cõcludendũ. Nam si ex illo uno initiationis actu, qui proprie baptismus est, illa omnia manant, quæ dum rite initiamur, consequimur: nemo non videt, unctionem sive chrismationem, quæ illorum omnium unum est, ipsam quoque unam esse ex baptismi rebus: Neque his repugnat, quod vir doctissimus ex quibusdam Cyrilli locis gratis probat, quod nemo negat, distinctos esse inter se tinctionis sive baptizationis, & chrismationis actus. Quæ enim inter se vel distinctissima sunt, eorum unum nihil vetat ad alterum referri, ut chrismationem ad baptismum, ut ejus cærimoniam, appendicem, partem si vis, ritualem. Fateor aliud esse, ut loquuntur, *formaliter* Christo *concrucifigi, consepeliri, & conresuscitari*; aliud spiritu sive *oleo exultationis inungi*: *Re & subiecto* differre, vel unum horum sine altero esse posse, nego. Quicumque enim Christo commortui conresuscitati sunt iidem spiritu uncti sunt, à quo Christus divelli non potest. Nihilo sunt ad rem efficaciora, quæ Hammondus affert de chrismationis excellentia atque effectis, nescio an non hyperbolice & oratorie magis quam Theologice à Cyrillo dicta. Omnia enim hæc in baptismum, cui chrismatio adhæret, refundenda sunt, ex hac Grotij regula, quem virum utinam amicus noster ut in aliis multis admiratur; ita
o Grot. Epist. ad Gall. ep. 158. p. 433 in his audire voluisset: *o Mystica* (inquit) *loquendi consuetudine symbolis tribui solet; quod toti actioni symbolica debetur.* Cæterum inter ea, quæ
p Hamm. c. 3. sect. 4 §. 5. p. 99. Hammondus ex Cyrillo profert, male ni fallor, interpretatus est *p* locum, in quo de chrismate loquens, est, inquit, *Χριστοῦ χάρισμα καὶ πνεύματος ἁγίου παρουσία τῆς αὐτοῦ θεότητος ἐνεργητικὸν γινόμενον*; quæ noster sic reddit, *Christi charisma, & Spiritus eius præsentia, ipsius quasi divinitatis effectrix.*

Dure

Dure & incommode, à prava Græcorum interpunctione. Meliora sunt, CAPUT. XXI.
ni fallor, quæ ego paulo aliter interpungens, exhibueram; *q* *Est Christi charisma sive donum & Spiritus Sancti; præsentia divinitatis eius efficax factum.* Quæ deinceps duo adducit *r* ex Cyrillo de chrismate mystico loca eo quidem valent, ut chrismationis actum ab actu baptizationis differre ac distingui probent, quod nemo negat, non valent ut probent actum chrismationis non posse referri ad baptismum, eique additum baptismalis ministrationis partem esse ritualem, quod nos defendimus. Sed neque utriusque actus *institutionem*, *s* si authorem spectes, diversam esse negamus, baptismum enim Christus, Chrisma Patres id est homines instituerunt, quo minime fit, ut id auctores, vel baptismi cærimoniam esse noluerint, vel alio animo repererint, quam ut baptismali initiationi inserviret, sive ad baptismi effectus clarius ad distinctius demonstrandos, ponendosque veluti ante oculos, sive ad sacrum illud exornandum atque cohonestandum. Ex quo tamen nequaquam illud consequitur, quod nobis vir doctissimus invidiosius profecto quam verius imputat, chrisma esse *baptismi fortuitam quasi appendicem.* Quam ipse chrismationem (eam scilicet quæ à presbytero fit) baptismi *cærimoniam* esse agnoscit *t* ac docet, non ideo tamen, quod equidem sciam, *fortuitam quasi appendicem* baptismi esse somniat.

q L.2. de Cōfirm. c.13. p.192.
r Hamm. c. 3. sect. 4. §. 7.
s Ibid. §. 6. p. 99.
t ibid. §. 7. p. 100.

Aliud quoque pro mea sentētia adduxeram *u* ex Cyrillo testimonium, *x* ubi is cum Christi baptismo nostrum comparans, postquam Spiritum Sanctum in Dominum ex Iordane ascendentem descendisse dixit, *Sic vobis* (inquit) *similiter ex sacris lavacri aquis ascendentibus datum est chrisma, eius quo Christus unctus est* (id est Spiritus Sancti) *antetypum.* Hæc ille. Atqui ad Christi baptismum pertinuit Spiritus Sancti in eum descensus, & Christi ex eo unctio. Ergo & ad neophytorum quoque baptismum pertinebat illa chrismatio, quam ex lavacro ascendentes suscipiebant. Hammondus non quidem hoc loco, sed alibi, aliud agens, hunc Cyrilli locum affert, *y* & notat Christum hic dici primum in Iordane baptizatum, dein post ascensum ejus ex fluvio, descendisse Spiritum, & sic etiam neophytos prius ascendere ex lavacro, tum ungi. Vnde scilicet vult colligi neque ad Christi baptismum Spiritus Sancti descensum, neque ad neophytorum chrisma pertinuisse. Sed ille frustra vitilitigat. Nam tinctionem quæ sequuntur æque ac quæ præcedunt, nihil vetat ea ad Baptismum referri, ut ex baptismi tum hodiernis, tum priscis cærimoniis apparet. Ac ut sit cavillandi finis, prodeat *z* Chrysostomus enarrans cur in columba Spiritus Sanctus in Christum *baptizatum advolarit, ut & tu disceres,* inquit, *quoniam super te quoque cum BAPTIZARIS Sanctus Spiritus veniat,* ἵνα καὶ σὺ μάθῃς, ὅτι καὶ ἐπὶ σὲ ΒΑΠΤΙΖΟΜΕΝΟΝ τὸ πνεῦμα ἔρχεται. Sic etiam Theophylactus; *a* *Descendit Spiritus in Iesum, ut ex hoc discamus, quod & in nos cum BAPTIZAMUR descendat Spiritus.* Κάτεισι τὸ πνεῦμα ἐπὶ τὸν Ἰησοῦν, ἵνα καὶ ἐκ τούτου μάθωμεν ὅτι καὶ ἡμῖν ΒΑΠΤΙΖΟΜΕΝΟΙΣ ἔπεισι τὸ πνεῦμα. Hic vides Spiritum dici descen-

u L.2 de Conf. c.13. p. 191. 192.
x Cyrill. Hier. Catec. 3. init. p. 234. b.
y Hamm. c. 6. sect. 3. §. 12. p. 146.
z Chrys. in Matth. hom. 12. p. 139. E.
a Theophyl. in Luc. 3. p. 326. D.

descendere εἰς ΒΑΠΤΙΖΟΜΕΝΟΥΣ in neophytos, qui BAPTIZANTVR, vel dum baptizantur, adeoque chrisma, quo Spiritus ex Cyrillo confertur, ad baptismum pertinere.

CAPVT XXI.

V I. Grac. Testis Asterius, qui ab Hammondo, quod esset disertißimus in sententiam nostram injusto silentio præteritus fuisse videtur V I I. Grac. Testis Theodoretus, cujus voces quæ chrismationem baptismo asserunt, vindicantur ab Hammondi objectionibus Spiritum Sanctum in baptismo dari. Chrisma, sigillum regium quo sensu dicatur.

SImili quoque fastidio vir doctissimus excepit, quod nos pro nostra sententia attuleramus Asterii Amasiæ Episcopi, quarto seculo præcipiti una cum Gregorio, & Cyrillo florentis testimonium; in qua scriptum legitur, *In regeneratione per BAPTISMVM esse & stolam* (qua scilicet induimur) *& SIGNACVLVM doni Spiritus.* ἐν τῇ τοῦ βαπτίσματος παλιγγενεσίᾳ καὶ στολὴ καὶ σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Quid potest in rem nostram dici disertius? Fortasse ea ipsa ratio fuit, cur de hoc loco silere maluerit, Poëtæ callidissimi consilio obsecutus,

Quæ desperat tractata nitescere posse relinquit.

Sed de Theodoreto, optimo quinti seculi jam adulti scriptore, nunc satis faciendum est, cujus locum à Petro Aurelio pro Latinæ Confirmationis sacramento adductum solveram, *b* Hammondus hoc dissimulato fingit *c* de more me hunc mihi testem ultro ipsum advocasse, & quidem post Spalatensem: Quin & paulo post Theodoretum inter eos *Tres viros* censet, *quibus me præcipue* niti, ac ut loquitur, *me me stabiliisse videri*, ait. Locus Theodoreti est: *d Fac* (inquit) *ut reminiscaris sacræ mystagogiæ, in qua qui initiantur post tyranni abnegationem & Regis confessionem, spiritualis unguenti unctionem suscipiunt, veluti regium quoddam sigillum, invisibilem Sancti Spiritus gratiam in unguento, tanquam in typo recipientis.* Hunc locum Bellarminus & P. Aurelius pro Latino dogmate attulerant. Respondi Theodoretum, ut cæteros Græcos, per hanc unctionem baptismatis cærimoniam, non Latinæ Confirmationis mysterium intelligere. Hammondi erat, ex rectæ disputationis legibus, si quod respondi non probabat, id refellere, ac demonstrare scriptorem loqui, si non de vero sacramento, quod Latini docent, saltem de ritu singulari, & a baptismi ritibus alieno. Ille vero ne id quidem ostēdere conatur, aut ulla argumēnta in eam rem parare, sed ex consuetis suis artibus me, qui hoc loco adversarii telum depellens respondeo, aggressorem facit, ac ut in scholis loquuntur *opponentem* & sic immutata totius disputationis scena, qui oppugnare debuerat, satis habet tela mea arcere, id est ea, quibus negationem meam firmare studueram. Ego ex Græcorum primo

b Libr. 1. de Conf. cap. 15. pag. 202.
c Hamm. c. 3. sect. 2. §. 11. pag. 86. ibid. §. 24 pa. 92.
d Theodor. in Canticum Canticorum ca. 1. 2. T. 1. pag. 1002.

mo sententia Theodoreti hanc esse quam dixi mentem præscripseram. Noster ad hoc nihil reponit. Atqui vel ille unus Asterius, quem nupertime citavi, vera me locutum probat, qui ex communi suæ gentis praxi & sensu illam σφραγῖδα βασιλικὴν, *regium* illud Theodoreti *sigillum*, id est chrisma diserte testatur esse ἐν τῇ διὰ τοῦ βαπτίσματος παλιγγενεσίᾳ *in regeneratione per baptismũ*. Obsecro te; utri potius credemus Asterio Græco Episcopo, etiã Theodoreto vetustiori, chrismationẽ in baptismali regeneratione esse affirmanti, an Hammondo nudiustertius mille & amplius annis post Theodoretum nato, extra baptismum fuisse contendenti? Si vel hoc unum esset, satis ni fallor esset ad caussæ nostræ præsidium. Sed eodem omnia apud Theodoretum conspirant; sacra mystagogia, τελετὴ initiatio, tyranni id est Satanæ, abrenuntiatio, Regis id est Christi cõfessio; quæ omnes sciãt sacri baptismalis descriptionẽ continere. Cum ergo Theodoretus eos, qui in illa mystagogia (id est in Baptismi liturgia) *initiantur* Christianismo, ait tyranno ejerato Regem confessos, sigillum regium, unguenti spiritualis unctionem suscipere; quis non intelligit istos in iisdem illis initiatoriis sacris ungi, in quibus tyranno abrenuntiarunt & Regem confessi sunt? Id primo significare dixeram participium illud præsentis temporis οἱ τελούμενοι *qui initiantur*, allis quibusdam ritibus perfuncti, unctionem suscipiunt. Ergo illa quoque unctione initiantur, τελοῦνται; Ipsa quoque initiationis pars est. Si post peractam demum initiationem, *ungi* intellexisset Theodoretus; purissimus ac perspicuitatis & proprietatis verborum studiosissimus scriptor dixisset τοὺς τετελεσμένους *ungi*, non τοὺς τελουμένους, *initiatos*; non *qui initiantur*. Idemque observare est in altero eius loco, ubi de Novatianis nullo chrismate suos consignantibus, *e* τοῖς ὑπὸ σφῶν βαπτιζομένοις τὸ πανάγιον οὐ προσφέρουσι χρίσμα, quod Ecclesia nimirum apud se βαπτιζομένοις προσφέρει, τοὺς βαπτιζομένους illic, ut hic τοὺς τελουμένους dixit; non βεβαπτισμένους aut τετελεσμένους. Ergo quos ungit Ecclesia, si nondum sunt initiati, nondum plene perfecteque ex Ecclesiæ canone baptizati: Adhuc initiationis & baptismi ritibus operantur. Vnctio ergo quam in eo statu accipiunt una est ex initiationis sive baptismalibus cærimoniis: non est extra vel ultra eas. Eadem supra ad Pseudo-Iustinum & ad Laodicenos Patres observavimus, qui & ipsi vigilanter de unctionem suscipientibus in præsenti locuti sunt: Ille quidem scribens chrismationem ἐπὶ τῶν βαπτιζομένων fieri: hi vero τοὺς φωτιζομένους ungi decernentes. Negat *f* doctissimus Hammondus quemquam inde collecturum chrisma esse inter initiationis vel baptismi ritus: negat aliud quicquã à Theodoreto innui quam quod præter baptismum à Christo institutum, suus etiam chrismati locus sit. Si addidisset, *in sacro initiationis mysterio*, vel, *ad hoc, ut ὁ τελούμενος plane perfecteque sit initiatus*, equidem assentirer. Alia lege assentiri nos non sinit Theodoretus, qui in eadem illa mystagogia, ungi ait qui initiantur, in qua Satanæ renuntiant, & Dominum Christum confitentur: Hanc autem esse baptismalem sive initiatoriam

CAPUT XXI.

e Theodoret. Li. 3. Hæret. fab. Tit. 5. T. 4. pag. 229.

f Hamm. ca. 3 sect. 2. §. 12. pag. 86.

CAPUT. XXI.

mystagogiam nemo nescit. Ergo & in baptismali suscipiebatur chrisma. Quod vero addit Hammondus, Spiritum Sanctum fidelibus, id est jam baptizatis promitti: verum quidem est, sed nulla ejus veritatis fraude, qua credentibus in ipso baptismo dari eum docemur. Alioqui quomodo baptismus *lavacrum regenerationis*, Christi indumentum, sigillum, &c. diceretur, si spiritum nullum conferret, cum neque regeneratio fiat sine spiritu, neque Christus sine spiritu indui, neque aliter obsignari possimus quam spiritu? *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.* g *Christus nos baptizat in Spiritu Sancto & igni.* h Et quod omnes Patres de baptismo fere intelligunt, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* i Absit ergo à nobis, ut quod Hammondus præter suam ipsius in aliis locis doctrinam hic videtur insinuare, k id admittamus, *remissionem* quidem *peccatorum* baptismi esse; non esse ejusdem Spiritus Sancti dona, sed hæc ad illam extra baptismum confirmationem duntaxat pertinere. Cum ergo Spiritus Sancti gratiam chrismate visibili adumbrari ipse Hammondus communem esse dicat Patrum traditionem, nullo id aptius aut appositius loco, quam in baptismo adhibebitur; in quo revera apud Tertullianum primo occurrit, exhinc apud totam Græcorum Ecclesiam; diu etiam apud Latinos plærasque mansit, donec tandem Romani Pontificis exemplo & auctoritate chrisma inde avulsum, & in novum sui ordinis & census sacramentum transformatum est. Hinc invadit Hammondus aliam quandam rationem, qua confirmationem de qua Theodoretus, ad baptismum pertinere inde conficiebam, quod eam dicat velut sigillum esse, quo tyranni abnegatio, & Domini confessio nostra obsignatur: quæ cum baptismi sit, ut notum est. chrisma quoque ipsum ejusdem esse videri. Ac primo quidem quod vel meo, vel typothetarum errore *ipsa* hoc in libro scriptum erat pro *ipsum*, de re levi inutiliter deliberat, tandemque locum ipse quod facile erat, emendans, negat me quicquam ea ratione proficere, quod quæ in baptismo spondemus, in Cœna Domini, imo & in Pœnitentia obsignentur. Fateor hoc latiori quodam sensu dici posse, neque de his tantum, sed & de omnibus in universum vitæ Christianæ vel piis & sanctis operibus, vel etiam legitimis ob Christum perpessionibus. Sed non reperio tamen quicquam istorum σφραγῖδα *sigillum*, vel baptismi vel eorum quæ in eo spopondimus, dici. Id nomen chrismationis proprium est, quo sensu illud quoque capiendum est, quod hic ex Pseudo-Clemente repetit Hammondus, chrismationem esse *professionis* confirmationem βεβαίωσιν. Vnde liquet proprio quodam sensu eam sic dici velut à Patribus eo maxime institutam, ut sit initiationis nostræ sacrum quoddam & authenticum, ac ut hic vocat Theodoretus, regium sigillum. Cum ergo & diplomatis vel alterius instrumenti, & sigilli, quo id obsignatur, eadem sit ratio, cumque hoc ad illud liquido & referatur & pertineat; Pace Hammondi non videor plane

g 1. Cor. 12. 13.
h Matth. 3. 11.
i Ioan. 3. 5.
k Hamm. c. 3. sect. 5. §. 13. pag. 87.

ne frustra, ac sine profectu argumentatus chrisma ad baptismum ideo pertinere, quod sit ejus *sigillum regium*.

CAPUT XXII.

CAPUT XXII.

VIII. Gr. Testis, Pseudo-Dionysius Areopagiticorum scriptor, Chrismationem baptismo liquido asserit, quod & multis rationibus & Corderij ipsius, licet Iesuitæ, testimonio valide probari demonstratur. Cassi vanique contra tendentis Hammondi conatus discutiuntur, & quem Pseudo-Dionysij locum suis glossis evertere studet, eum id ipsum quod posuimus efficaciter probare. Tertij cuiusdam loci Dionysiani eandem esse mentem, etiam ex Pachymeræ paraphrasi, quem suum falso esse jactabat Hammondus. Eius in alio Pachymeræ dicto triplex erratum. Cur chrismatis confectio dicta sit à Dionysio Eucharistiæ ὁμοταγής.

POst Theodoretum sequitur Pseudo-Dionysius, Areopagiticorum scriptor, cujus scripta sexti seculi anno demum 32. ab hæreticis primum jactari cœpta à Catholicis primo repudiata, sequenti postea seculo à Catholicis plærisque admissa pro sinceris magnam errorum nebulam à Christianismo offuderunt. Ille ergo quisquis est baptismi, quæ qualisque quinto sextoque seculo apud Græcos suos peragebatur, celebrationem nobis describens, chrisma in hoc sacro nequaquam omisit. Bellarminum & alios Latinos eum inter primos testes pro suæ Confirmationis sacramento afferentes refellens, demonstravi. *k* adeo scriptorem hunc ab eorum dogmate abesse, ut chrismationem ipse quoque cum cæteris in baptismi ritibus ac cærimoniis fuisse nos clarissime doceat. Id primum inde probavi, quod chrismationem non alibi exhibeat, quam in eodem illo capite, quo baptismi formam omnem tradit, quodque ideo inscribitur, *l* *De iis quæ in illuminatione sive baptismo peraguntur*, & in cujus limine auctor præfatur id sacramentum de quo dicturus est, esse *introductionem ad supercœlestis mansionis ascensum, traditionem sacræ & divinissimæ nostræ regenerationis*; quibus verbis baptismum intelligi palam est. Vnde consequitur quæ in eo capite traditur chrismatio, eam ad baptismum pertinere, unumque eorum esse, *quæ in baptismo peraguntur*. Titulo res ipsa respondet. Cæteros enim baptismi ritus exsecutus *abrenuntiationem*, Christi professionem, unctionem ex oleo, trinam in aquam mersionem, candidæ vestis indumentum, postremo consignationem ex chrismate edit, totamque demum narrationem ita claudit, *Is* (Episcopus) *virum divinorum efficientissimo unguento consignatum, Eucharistiæ sacrorum perficientissima participem esse pronuntiat.* Hanc Hammondus capitis clausulam arripiens, respondet

k L. 2. de Conf. c. 15 p. 205. 206.

l Dionys. de Hier Eccl. c. 2.

Caput XXII. spondet, m & hoc & cætera nostra argumenta, tam ad Eucharistiam, quam ad chrismationem, pertinere eoque hanc inter baptismi ritus collocandam nequaquam probare; cum confessum sit Eucharistiam sacramentum esse à baptismo plane diversum. Sed ille *tantæ luci se caliginem* (ut ei verba sua reponam) *offundere* posse frustra speravit. Nam quæ hic in extremo capite fit Eucharistiæ mentio plane nihil simile habet cum iis, quæ de chrismatione in eodem capite dicuntur; ut liceat ex illa idem de Eucharistia concludere, quod ex his de chrismatione conclusimus. Nam de Eucharistia hoc unum tantum dicit; Episcopum peracta chrismatione ἀποφαίνειν *declarare*, decernere, pronuntiare, virum consignatum λοιπὸν, *de reliquo, deinceps* μέτοχον τῆς εὐχαριστίας, *participem esse Eucharistiæ*. Hoc vero nihil aliud est, quam docere, absolutum, perfectumque omnibus suis partibus ac numeris esse regenerationis, sive *illuminationis*, id est baptismi sacramentum; ita ut vir sic initiatus deinceps & nunc & in posterum Eucharistiæ, ad quam nisi regeneratis sive *illuminatis* aditus non patet, particeps esse debeat. Tum sequenti capite Eucharistiæ sacramentum seorsum tradit, omnesque ejus ritus sigillatim exsequitur; eodem modo atque ordine quo de baptismo in hoc capite egerat. Stipitem esse oportet, qui Eucharistiæ, de qua ita agit, mysterium non intelligit plane penitusque aliud esse à baptismo; seorsum celebrandum; seorsum exponendum ac explicandum; sua hujus, sua illius esse officia, suos ritus, suum ordinem; perinde ac libri capita, quibus utriusque ratio & forma in hoc libro traditur. Si sic de consignatione initiati egisset Areopagiticus Hierophantes; Si tinctum, si candida vestitum, sibique in eo habitu à Diaconis oblatum Episcopus declararet μέτοχον τῆς τῆ θεουργικωτάτου μύρου σφραγῖδος *de reliquo* consignationis divinissimi unguenti participem fieri debere; si aliud deinceps libri caput exsurgeret, in quo chrismatis primo *mysterium* traderetur, deinde *theoria* explicaretur seorsum à baptismi rebus, ut de eucharistia factum videmus; nemo credo, ambigeret, quin chrismationis æque ac Eucharistiæ ritus Dionysio fuerit singularis, suique proprij seorsum ordinis ac loci à baptismo plane sejunctus ac divisus. Siccine ergo Dionysius in hoc capite obiter tantum & in trãscursu de chrismatione egit? Siccine eam proprio post baptismum capite edisseruit? Ἀλλὰ πολλοῦ γε δεῖ. Ille vero contra omnia, planeque ex adverso tractavit. Mysterium primo videamus; In eo chrismationis formã ipsam describit, ut Episcopus baptizatũ in cãdida veste sibi à sacerdotibus oblatũ *Divinitus sacrato unguẽto cõsignet*. De Eucharistia hoc unum dicit, ejus participem initiatum esse debere. De re ipsa, ne unum quidem γρῦ hic addit: eam suo seorsum capite tractandam reservans. Iam in Theoria hujus capitis, eodem quoque modo se gerit. Enarratis enim cæterorum omnium baptismi rituum significationibus mysticis, chrismationis quoque ipsius allegoriam evolvit: n *Unguenti vero* (inquit) *illa consummans* (τελεστική) *unctio eum qui initiatur odoris suavitate perfundit*; &c. Eucharistiæ vero ritus ut nullos in hujus capitis

m Hamm c. 3. sect. 5 §. 6. p. 102.

n Dio. Hier. Eccl. c. 2. Theor. §. 5.

capitis mysterio tradidit; ita neque ullos *in theoria* enarrat. Idnum reperit, quod jam in mysterio attigerat *qui initiatus est ab Episcopo ad Eucharistiam vocari* & communicari. Ipsius vero Eucharistiæ & mysterium & theoriam, non ut chrismationis hoc capite, sed sequente suo seorsum ordine tradit, Iam cum hæc ita se habeant, cuivis constare potest non modo falsum, sed etiam ab ipsa veri specie plane alienum esse, quod doctissimus Hammondus affirmare ausus est, Eucharistiam & chrismationem *ex hujus auctoris suffragio inter baptismi cærimonias vel utramque collocandam, vel neutram.* Quinimo Eucharistiam, si non aliunde pateret nullum esse ex baptismi ritibus, vel hoc unum Dionysij de baptismo caput id vinceret. Nam cum eo contineantur τὰ ἐν τῷ βαπτίσματι τελούμενα, quæ *in Baptismo peraguntur*, quod ipse titulus præfert; Eucharistiam, quæ in nulla hujus capitis parte, neque in ea quæ mysterij ritus, neque in altera, quæ rituum theoriam complectitur, vel descripta, vel mystice explicata occurrat; hinc omnes profecto intelligunt nullum habere in baptismi ritibus locum. De chrismatione non minus est evidens hujus contraria conclusio. Cum enim ritus, quorum hoc capite vel descriptio, vel mystica explicatio habetur, ii omnes sint baptismi ritus, ut in eodem titulo præscribitur; nemo negare potest chrismationem, cujus & ritus in *mysterio*, & allegorica significatio in theoria non secus quam aliarum baptismi cærimoniarum continetur, omnino esse baptismalis initiationis ritum. Atque hæc duo eo validius hinc concluduntur, quod neophytorum quidem chrismatio nullo alio totius Hierarchiæ titulo descripta enarrataque inveniatur; Eucharistiæ vero & ritus & sensus mystici fusissime narrati atque explicati sequenti statim capite occurrunt, & quidem apud eum auctorem, quo nemo est, vel in iis, quæ proposuit, exsequendis diligentior, vel in argumentis semel susceptis constantior, vel ordinis instituti observantior, vel denique qui ad peregrina & aliena rarius digrediatur. Hoc ipsum inde quoque probaveram, quod auctor post descriptos mysterij ritus, o *Hæc igitur* (inquit) *divinæ generationes initiatio*, id est ut habet Pachymeræ paraphrasis, p *Hoc est sacramentum nostræ regenerationis.* αὕτη μὲν οὖν ἐστὶν ἡ τελετὴ τῆς ἡμετέρας ἀναγεννήσεως. Ergo inquam, qui ultimus proximusque dictus erat in mysterij sive sacramenti descriptione ritus, Chrismatio sacramenti nostræ regenerationis pars fuit. Alioqui falso & absurde post descriptos superiores ritus, concluderet, *Hoc ergo est divinæ nostræ generationis sacramentum.* Quod & hinc apparet. Ritus enim quos descripsit, perspicue ibidem *symbola* esse significat initiationis sive sacramenti nostræ regenerationis, id est baptismi. Atqui chrismatio ex istis ritibus est, ut ex antecedentibus apparet. Ergo ista quoque *baptismi*, sive sacramenti regenerationis nostræ ritus & cærimonia est. Sed & illa adduxeram q quæ iste Dionysius in theoria de chrismate dicit, r sane clarissima; *Illa* (inquit) *unguenti, quæ perficiendi vim habet unctio, initiatum suavitate odoris fragrantem facit, Sacra enim divinæ generationis*

Caput XXII.

o Ibid. 81. p. 218. l.

p Pachym. ad loc. p. 235.

q L. 2. de Confirm. c. 15. p. 205.

r Hier. Eccl. c. 2. Theor. 5. 8. p. 224.

Caput XXII.

generationis initiatio, ea qua initiata sunt vel (initiatos, ut exhibet Hammondus) s *divino Spiritui conjungit.* Quis hunc tam accuratum hierophantam chrismationis mysticum effectum in ea theoria explicaturum fuisse credat, in qua non alios quam baptismales ritus contemplatur, nisi ipsam in eorundem rituum numero censuisset? Quo & illa accedit ratio, qua effectum chrismationi attributum firmat, inde petita, quod regenerationis sacramentum, baptismus scilicet, initiatum cum Spiritu Sancto conjungat. Quid enim ad chrismationem, ille Spiritus, quocum nos baptismus conjungit; si ipsa pars baptismi nulla est? Sed mens auctoris est, ideo hoc odoriferum, & odoratos, qui eo unguntur reddens unguentum in baptismi sacro adhiberi, quod id sacramentum cum Spiritu illo θεαρχικῷ nos conjungit, à quo est omnis illa fragrantissima odoris suavitas, quem spirat regeneratorum vita. Quædam alia ad idem probandum attuleram, quæ illic videat, qui volet. Res adeo manifesta est, ut Balthasar Corderius Latinus ex Iesuitico sodalitio Theologus, consentiat, t & inter cærimonias, quas hinc colligit baptismo adhiberi jam Dionysij temporibus solitas, hanc ipsam ab eo hic commemoratam ex *chrismate unctionem* undecimam recenseat; Bellarmino suo hac in parte verecundior. Doctissimus vero Hammondus, licet noster, reclamat; & his præteritis, quæ pro hac sententia scripseram, quod hic scriptor inter ritus baptismales in ipso de baptismo capite, tum in rituum ejus descriptione, tum in eorum quæ ritibus significabantur, explanatione apertissime collocat chrisma, id noster ex eo loco detrahere ac deripere conatur; sed imbelli sane ac plane futili telo fretus rem tantam aggreditur. Arripit enim quædam ex eo capite, in quo ipsa unguenti hujus confectio ab Areopagitico hierophante traditur; u in quo præfatus *traditionem sacrorum symbolorum ad omnem rei sacræ consecrationem divino uti unguento; Quapropter etiam* (inquit) *divinæ regenerationis donum, & gratia perficiens divinissimi unguenti consecrationibus consumatur. Unde ut opinor, etiam in baptisterium expiatorium, aspersionibus in crucis formam expressis unguentum infundens Pontifex mentalibus oculis sub aspectum ponit, ut ad mortem usque Iesus in cruce pro divina nostra regeneratione demersus divino illo & insuperabili descensu in morte sua baptizatos &c. vindicaret.* Et paucis additis; sic pergit; *Quin etiam ei qui sanctissimo divinæ regenerationis sacro initiatus est, consummans illa unctio divini Spiritus illapsum elargitur.* Hactenus Dionysius. Hinc se vincere sperat Hammondus chrismationem ex ritibus baptismi, in quibus eam Areopagiticus apertissime censuerat, esse ejiciendam. Ego vero ut video, multum fallebar, qui hunc ipsissimum locum pro contraria, quæ mea & Dionysij est, sententia superioribus succenturiaveram. *Divinæ* (inquit ille) *regenerationis gratia perficiens divinissimis unguenti consecrationibus consummatur.* Mirus artifex fuerit, qui hinc chrisma è baptismo exterminatum fuisse excuderit. *Inde est* (inquit) *quod baptisterio unguentum ter in formam crucis infundit Pontifex.* Hic vero

s Hamm. c. 3. sect. 5. §. 5. p. 102.

t Corder. Not. ad Dion. Hier. Eccl. c 2. Part. 2. §. 2. p. 206. col. 2. A.

u Dionys. Hier. Eccl. c. 4 Theor. §. 10. 11. p. 290. 291.

vero chrisma in ipso baptisterio videmus. At ego (inquit Hammondus) CAPUT
x ista hactenus Dalleo libenter concedo de baptismali chrismate intelligen- XXII.
da esse. Quod vero mox sequitur, in baptismi censu reponi nulla ratio x Hamm. c.
passura est. Sed & ei qui sanctissima divinæ generationis initiatio- 3. sect. 3. §. 9.
ne initiatus est, divini spiritus adventum chrismatis unctio perfe- p. 104.
ctiva largitur. Hic ego rationes illas flagito, quæ hæc, à superiorum censu ac consortio ita divellunt, ut non possint utraque eodem referri. Nam hæc ultima cum superioribus cohærent, continenter iis subjecta. Et utraque particulæ illæ ἀλλὰ μὴν, veluti fibulæ, inter se nectunt ac constringunt. Quod vel non cogitavit, vel certe prudenter dissimulavit Hammondus; hic ἀμὰ μὴν, pro ἀλλὰ μὴν, quod habent libri, & rescribens & interpretans, *Sed & ei*; pro eo quod exhibet, interpres Dionysij Latinus, *Quinetiam ei* &c. manifesto sensu, quod sequitur, eodem pertinere, quo quæ præcesserunt referebantur, cum eo tamen discrimine, quod majus sit, & ad rem aptius & mirabilius quod sequitur quam quod præcessit. Pachymeres: *y οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ αὐτῷ τῷ βαπτι-* y Parthym.
σθέντι ἡ τοῦ μύρου χρίσις τὴν ἐπιφοίτησιν δωρεῖται τοῦ πνεύματος. Quin etiam ipsimet in loc.
baptizato unguenti unctio sancti Spiritus illapsum elargitur. Quasi dicat in baptismo non solenni aquam unguento fuisse perfusam, sed etiam inunctum fidelem, qui fuit initiatus. At (inquit Hammondus) z nul- z Hamm.
lum hic *baptismi vestigium.* Mirum est baptismi vestigium in eo sermo- ubi supr.
ne desiderari, qui de eo totus est institutus. Omnis enim hic sermo eo tendit, *ut ipsius etiam baptismi donum & gratia unguenti consecrationibus perfici, consummari*, vel (ut vult Hammondus) peragi intelligatur. Ad id demonstrandum primum attulit baptisterij chrismate in aquam infuso consecrationem; secundo conciliatum per chrisma Spiritus in ipsum baptizatum adventum vel illapsum. An non hoc satis est, ut hæc de baptismo intelligamus? Sin hæc de chrismate accipias, extra baptismum utendo in aliquo alterius ordinis sacramento (qualem suæ Confirmationis ritum esse vult Hammondus) tota hæc secunda ratio plane erit inepta, ac ut loquuntur, extra oleas. Scriptor enim in eo jam versatur, ut ostendat baptismum unguenti consecratione perfici ac peragi. Ad quam rem, nihil valet quod extra baptismum agitur; cum ipsum baptismi donum, sacramentum, ipsam denique gratiam peragi unguenti consecrationibus dixerit Dionysius. Unde necesse est, ut id quod intendit, recte probet, ipsam illam unguenti consecrationem unum esse ex iis actibus; quibus baptismi ipsius sacramentum peragitur ac consummatur. At nulla initiati chrismatio in actibus baptismi erit, si ea tota extra baptismum est, alterius cuiusdam sacramenti toto genere à baptismo divisi proprio, quod Confirmationem vocant. Neque inde sequitur, quod Hammondus paulo post objicit, *a* altare in baptismali quoque censu reponendum esse, quod ipsum quoque Dionysius mox affir- a Ibid. §. 13.
mat chrismatis affusione consecrari. Hoc enim *de chrismatis ad omnem* p. 106.
rei sacræ consecrationem usu, exemplum satis à superiori de chrismatis in

baptismo

Capvt XXII. baptiſmo uſu exemplo dividit & ſeparat ipſe Dionyſius, primo cum de hoc dicturus ita præfatur, *Quapropter etiam divinæ regenerationis donum & gratia perficiens diviniſſimi unguenti conſecrationibus conſummatur*; ſecundo cum expoſito illo duplici chriſmatis ad aquæ baptiſmalis & ad ipſius baptizati ſanctificationem uſu, ad alterius generis exemplum tranſiens ita orditur, *Hoc etiam* (inquit) *ſancte obſerva, ut ſacratiſſimorum illa lex myſteriorum puriſſimis unguenti ſacratiſſimi affuſionibus, altaris quoque divini conſecrationem perficiat.* Hæc ille; quanquam res iſtas ſuum cujuſque ingenium ſatis inter ſe diſcriminet, ut nihil monitore ſit opus, quo quivis intelligat *altare* plane alterius eſſe quam baptiſmum, cenſus & ordinis. Videtur etiam amicus noſter aliquid ſuo errori præſidij inde petiviſſe, quod Dionyſius chriſmationem ſpiritum ei elargiri dixerit, *b qui initiatus eſt*, τῷ τελεσθέντι *in præterito* tempore, non autem τῷ τελουμένῳ *in præſenti*. Hoc enim obſervat, ſic illud participium accipiens, quaſi eum ſignificet, qui jam jam baptizatus eſt, idque Pachymeræ teſtimonio firmat, qui in Paraphraſi pro *regenerationis initiatione initiato*, habet ſimpliciter τῷ βαπτισθέντι baptizato; Quaſi ſcilicet plane penituſque jam initiatum fuiſſe iſtum intelligat, quo tempore chriſmari cœpit. Sed frivola eſt objectio. Significat enim ſcriptor; eum qui initiatus eſt, quem habet Spiritum, eum chriſmatis dono habere; *chriſmatis*, inquit, *unctio Spiritus ei adventum elargitur*; non ſignificat eum chriſma illud non ante accepiſſe, quam plene perfecteque antea initiatus jam fuiſſet; imo ut patet ex iis quæ diximus, intelligit eum cum initiaretur inter cæteros ritus ad plenam initiationem requiſitos, chriſmatum poſtremo fuiſſe. Denique quod dicit *c* Hammondus *nullum in baptiſmo defectum, nullum* ἔλλειμμα *eſſe quod reſarciatur*, id falſo negat, ex ſua hypotheſi. Si enim baptiſmum abſque chriſmate intelligit, ut ſane intelligit, magnus in eo defectus, magnum (ut loquitur) ἔλλειμμα ex Dionyſij quidem hypotheſi fuerit. Nam ille *baptiſmi ſacramento nos cum* θεαρχικῷ *Spiritu conjungi* affirmat, quod eſt ſane veriſſimum. Spiritum autem chriſmate nobis donari idem quoque decernit. Ergo qui ſine chriſmate eſt baptiſmus, eum ille magno defectu laborare cenſebat, carere ſcilicet Spiritu, quo cum regenerationis ſacramento conjungimur; ut neceſſe ſit eum ad hunc defectum evitandum putaſſe initiationis noſtræ ſacramentum non ante plenum perfectumque cenſendum eſſe, quam chriſmatio tinctioni acceſſiſſet. Atque inde porro conſequitur rectum eſſe quod Dallæum notat Hammondus *d chriſma* ex Dionyſio *baptiſmi perfectivum eſſe.* Neque ille profecto aliud ſignificat, cum ſcribit, regenerationis donum ἐν ταῖς τοῦ μύρου τελειωτικαῖς τελειώσεσιν *unguenti conſecrationibus* ſive *conſummari*, ut exhibet Latinus Dionyſij interpres, ſive *peragi*, ut maluit Hammondus; qui hic fruſtra dicit *chriſmationem* τελειωτικὴν perfectam ideo appellari, quod hominem *baptizatum conſummet ac perficiat*. Non enim hoc tantum dicit Dionyſius; Illud præterea paulo ante dixerat θεογενεσίας δωρεὰν καὶ χάριν ἐν ταῖς τοῦ μύρου τελειωτικαῖς τελειώσεσι, *regenerationis donum & gratiam*

b Hamm. ibid. §.10 p. 104.

c ibid. §.11.

d ibid. p. 105.

tiam peragi vel consummari chrismatis consecrationibus. Iam *regenerationis gratia*, haud dubie baptismi est. Ergo quo chrismate hæc perficitur, eodem non baptizatus tantum, sed etiam ipse baptismus perficitur: cui chrisma scilicet Spiritus donum sufficit. Neque hoc ad chrisma fonti baptismi infusum referri potest: cui non aliam vim tribuit Dionysius, quam fidelium mentibus repræsentandi *Iesum in cruce ad mortem usque demersum.* Rem totam idem ipsius baptizati chrismationi apertissime tribuit in capite de Baptismo, cum *ea unctione initiatum suavitate odoris fragrãtem fieri* scribit: *Odore* enim illo *suavissimo Spiritũ Sanctum* intelligi planum est, quo chrismati scilicet perfunduntur. Hoc unum addã ex his quæ disputata sunt, confici Dionysium, cum alibi negat *e* sacerdotem (id est presbyterum) *divinam regenerationem* (id est baptismum) *sine chrismate peragere*; eo non tantũ quod vult Hammondus, *f* ad baptisterij sanctificationem respicere, ad quam scilicet chrismate opus est, sed etiam ad baptizati chrismationẽ quæ sine illo unguento non peragitur, quamque nos baptismalis sacri ritum Dionysio fuisse satis ex aliis ejus locis ostendimus. Atque hæc ipsa ejus verba Pachymeres de baptismali neophytorum chrismatione in sua hujus capitis Paraphrasi interpretatur; *Deinde* (inquit Dionysij locum enarrans) *veluti si quispiam objecisset, quomodo baptismus per Episcopos administratur, dicit quod neque hunc efficaciter administrat, sive absolvit Presbyter. Opus enim erit Episcopo, ut baptizatus chrismate inungatur.* Significat presbyterum chrismate ad inungendum baptizatum necessario indigere; chrisma autem sive Episcopo minime haberi, à quo uno id conficitur; neque adeo ipsum presbyterum sine Episcopi opera, quod posuerat Dionysius, presbyterum perficere posse. Locum in opere nostro descripseramus, *g* & hunc esse verum rectumque ejus sensum contra Arcudij παρερμηνείαν ostenderamus. *h* Vnde videre est quantopere spe sua falsus sit doctissimus Hammondus, dum apud Pachymerem in promptu esse suo errori subsidium somnians sibi persuasit. *i* Eo deceptus est, quod apud Pachymerem legit, Καὶ ἔστιν ὁμοταγὴς ταύτης τοῦ μύρου ἱερὰ τελετή, *Est & alia huic* (Eucharistiæ) *coordinata consecratio.* In quo vir doctissimus tripliciter peccavit; primo quod hæc verba Pachymeræ esse putavit, quæ revera sunt Dionysij, apud quem in Hierarchia Ecclesiastica initio capitis quarti extant; nisi quod Paraphrastes ea enarrans μύρου τελετὴν dixit; pro quo est apud auctorem τελεσιουργία, μύρου τελετὴν αὐτὴν οἱ καθηγεμόνες ἡμῶν ἐπονομάζουσι, *consecratio, quam unguenti mysterium preceptores nostri appellant.* Secundus Hammondi error est, quod hæc à Dionysio & Pachymere dicta esse putat de chrismatione infantium. At longe secus est. Vterque enim illam μύρου τελετὴν *unguenti mysterium* sive *sacramentum*, de episcopali unguenti ipsius sive *chrismatis* confectione vel consecratione intelligunt, quam scriptor Areopagiticus operosissime atque ambitiosissime toto illo capite describit. Tertius ejusdem Censoris error est, quod *unguenti consecrationem* ideo videtur ὁμοταγῆ coordinatam Eucharistiæ

CAPUT XXIII.

e Diõ. Hier. Eccl. c. 5. Part. 1. §. 5. p. 308 D.

f Hamm. c. 3. sect. 5 §. 13. p. 106.

g L. 2. de Conf. c. 16. p 214.

h ibid. c. 18. p. 225 226.

i Hamm c. 3. sect. 5. §. 12. p. 105.

k Diõ. Hier. Eccl. c. 4. §. 1.

Caput XXIII. dictam existimasse, quod sacramentum sit ejusdem cum ea generis; cum Pachymeres & Corderius ideo sic à Dionysio dictam doceant, quod unguentum nonnisi intra Missarum, sive Synaxeon solennia consecrari possit. Vnde postremo patet, quam futilis sit hic amici nostri paralogismus, qui quod chrisma nisi inter Eucharistiæ sacra posset ab Episcopo confici, eo concludit, ejus in neophytis ungendis usum, ritum fuisse singularem, extra baptismum, & à baptismo alienum. Neque vero felicius argumentatur, cum quod *mysterium* hæc unguenti consecratio dicitur, hariolatur ejus in ungendis neophytis usum mysterium quoque esse censendum; Quanquam ne ipsam quidem chrismationem, si mysterium vel sacramentum dicta sit, ideo extra baptismum censitam olim fuisse sequeretur. Certe ut baptisma & chrisma sic corpus & sanguis Domini duo dicuntur à veteribus *sacramenta*. Vnde non magis concluseris chrisma fuisse extra baptismum; quam sanguinem Domini, id est calicem, extra Eucharistiam. Quod chrismationem Spiritum donare apud Dionysium & Pachymerem legit Hammondus, id fateor ad Confirmationem pertinere; confirmatio enim chrismatio est. Eo fieri, ne ad baptismum pertineat, negamus.

l Pachim. & Cord. in loc. Dion.

CAPUT XXIII.

Græcorum tum mediæ, tum infimæ antiquitatis testimonio Chrismationem Baptismi rem esse censendam. IX. Ioannis Damasceni. X. Photij, Patriarchæ Constantinopolitani. XI. Oecumenij. XII. Harmenopuli. XIII. Symeonis Thessalonicensis, Hammondo nihil obloquente. XIV. Publici Græcæ gentis Euchologij, ex quo eadem sententia demonstratur, & Hammondi frustra obnitentis cavillationes & vitilitigationes discutiuntur ac refelluntur. Præter superiora testimonia, tribus argumentis à praxi Græcorum sumptis, veritatem confirmatam esse à nobis, ad quæ nihil reposuisse Hammondum.

HIc nos istis Patrum locis Ioannis Damasceni ex octavo sæculo, Oecumenij, Symeonis Thessalonicensis, & Harmenopuli ex sequentibus Græciæ temporibus disertissima testimonia subjeceramus, m quæ doctissimus Hammondus unctionem ex chrismate in baptismi ritibus censere confitetur; ut hanc de Græcis disputationem ineuntes jam antea monuimus. Cum ergo nullam aliam Græci præter hanc neophytis adhiberi solitam chrismationem agnoverint aut usurparint, clarum est hos eam ipsam non aliam ullam in baptismi ritibus & cærimoniis habuisse. Sed præter hos, Photii de nono Christianismi sæculo, Patriarchæ Constantinopolitani, viri totius Græciæ doctissimi, locum ex epistola

m L. 1. de Conf. c. 16. p. 205.

epistola adversus Latinos encyclica luculentissimum adduxeramus, *n* in quo Presbyteris chrismare neophytos licere, acerrime defendit; eoque ipso negat chrismationem vel sacramentum, vel ritum esse singularem, aut à baptismi administratione divisum. Nam suæ Confirmationis neque Hammondus ritum, neque Latini sacramentum ab alio quam ab Episcopo ministrari fas putant. Sed & Photius chrisma rem esse baptismi eo quoque fatetur apertissime, quod ita contra Latinos, adeoque & contra Hammondum argumentatur; *o Non licet Presbytero eos qui baptizantur, consignare* (hæc sibi ipse Latinorum verba objicit) Ad hoc quid ille? *Igitur* (inquit) *neque omnino baptizare*, licet scilicet Presbyteris. Mitto quod *τοὺς βαπτιζομένους σφραγίζειν consignare eos qui baptizantur* in præsenti tempore, dicit; non in præterito, *τοὺς βεβαπτισμένους, eos qui jam baptizati sunt*; ut etiam paulo ante *τοὺς τελουμένους μύρῳ ἁγιάζειν* dixerat, non *τετελεσμένους*, *unguento sanctificare eos, qui sacro baptismate initiantur*, ut habet Latinus interpres Montacutius; non autem *eos qui sacro baptismate jam sunt initiati.* Sed hæc inquam mitto, me nos Hammondus haruspicinam & auguria consectari putet. Illud unum quæro, quomodo Photius consignare neophytum presbytero licere inde argumentetur, quod eidem baptizare licet; quomodo idem constituat presbytero ne baptizare quidem licere, nisi & consignare liceat; quomodo hæc inquam, ita disputat vir sapientissimus, si consignationem vel ritum cum Hammondo, vel sacramentum cum Latinis esse censuit a baptismo omnibusque ejus cærimoniis plane penitusque divisum? si non eam unum ex baptismi ritibus esse putavit? Sed hæc Hammondus, ut multa alia solet, alto silentio sepelire, quasi cassa & inutilia maluit, quam in lucem protracta excutere, & an animæ vel vitæ aliquid haberent stilo illo suo commatico explorare. Tantum, sed alibi, Photium fatetur chrismandi jus Presbyteris concedere.

Ille vero de hodierno Græcorum Euchologio, quod ego quoque pro mea sententia attuleram, *p* repugnat. Chrismationem apud eos baptismo contineri, partemque ejus esse ritualem inde eram argumentatus quod ejus administratio, non ut apud Latinos, proprio seorsum à baptismate, sub diverso titulo atque officio, sed uno eodemque exhibeatur in illo libro, quod commune ac publicum est totius gentis Rituale. Nam qui sunt diversi ordinis, diversique generis ritus, eos uno simul semelque capite ac titulo contineri; eorum officium unum idemque institui absurdissimum est, & à Græcorum maxime solertia ac elegantia alienissimum. Ergo unius ejudemque sacri partes esse necesse est omnes ritus, qui in uno illo Euchologii capite, titulo & officio traduntur. *q* Id autem Euchologii caput hunc in fronte titulum gerit, *r Ἀκολουθία τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, Ordo* vel *Officium Baptismi.* Atqui chrismatio unus illorũ rituũ est, qui uno illo baptismi officio traduntur. Nemo non videt chrismationem, ergo ex ejus quidem libri auctoritate, ad baptismum pertinere, & baptismalis administrationis partem apud Græcos

 censen-

CAPUT XXIII.

n Ibid. c. 18. p. 228.

o Phot. ep. 2. p. 50. ed. Lond. a. 1651.

p Libr. 2. de Conf. ca. 17, pag. 215.

q Euchol. pag. 350.

r Ibid. p. 355.

Caput XXIII.

censendam esse. Ad hæc doctissimus Hammondus nobis narrat *s* Goarem ad hunc Euchologii locum monere titulum hunc *Officium Sancti baptismatis* deesse in MS. Cryptoseos. Falascæ. Sed non deest in communibus & vulgatis, adeoque authenticis libris; quorum lectionem ipse Goar merito prætulit, & in hac sua Euchologii Græco Latina editione solam exhibuit. Idem dico de iis, quæ aliter in MS. Bessarionis leguntur. Nam librum è privata Bibliotheca manuscriptum, præsertim vero è Bibliotheca Bessarionis (id est hominis Græcorum disertoris & ad Latinos transfugæ) iniquum est non dico præferri, sed vel æquiparari vulgatis, publicisque Græcanicæ Ecclesiæ libris; ex quibus, ut ab ipso Goare edita sunt, argumentamur. Huc accedit quod non est plane eadem chrismationis ministratio, quæ in utroque libro describitur. Quæ in Vulgato ac publico libro habetur, ea est quæ à Presbytero fit passim in baptismo infantium. Quæ in libro Bessarionis, ea est *t* quæ fit ab ipso *Patriarcha, maxime in vespera Sabbati Sancti.* Non est ergo mirum in hac ob ministri amplissimam dignitatem aliquid amplius quam in illa reperiri. In summa rei vel nihil vel parum discriminis. Quod vir doctissimus hic quoque, ut aliquoties, argutatur *v* de eo, quod in hoc Bessarionis libro, Patriarcha se ad chrismandos infantes accingit, μετὰ τὸ βαπτίζειν πάντας, id est (inquit) *post peractum baptismum.* Quasi vestis candidæ indumentum, & cerei ardentis gestamen Latini ideo negent esse baptismi cærimonias, quod *post baptismum usurpari* dicant ipsi & observent. Tum lavatur Patriarcha, & linteum, *atque supermanicalia deponit, quæ* (inquit vir doctissimus) *prius induerat ad baptismi solemnitatem.* Et addit, *Officii finiti non obscura indicia.* Hæc vero est mera haruspicina, merum augurium; ac ut simplicius dicam, mera ariolatio. Vnde enim habet vir doctissimus *illud linteum & illa supermanicalia*, quibus paulo ante Patriarcha circumcinctus fuerat, *ad baptismi solennitatem* assumpta fuisse? Quasi vero obscurum sit, cur his cinctus fuerit, non profecto ad ullam *baptismi solennitatem*, sed ne aquæ, in quas competentes erat singulos mersurus vestem Patriarchalem respergerent, ut fit, & macularent. Itaque futile est, quod hinc divinat vir doctissimus Patriarcham ideo baptismo peracto illa deposuisse, *ut indicaret finitum esse officium.* Palam est deposita esse, quod eorum qui ad commode & decore baptizandum usus fuerat, neophytis omnibus baptizatis, nullus amplius erat. Neque hilo validius est, quod idem observat rogari Deum in oratione, quæ incipit, ὁ εὐλογητὸς εἶ κύριε &c. ut baptizato *largiatur signaculum, & Eucharistia communionem.* Inde fateor bene concluseris nondum istum pro quo hæc poscunt, consignatum aut communicatum esse, sed statim consignatum & chrismatum iri. Cujus ordinis sit unusquisque horum rituum, an uterque, an neuter ad baptismum pertineat, an prior unus pertineat, posterior vero minime; nemo ex hac, ut videtur, prece, valide & evidenter cōcluserit. Pergit Bessarionis liber; *x* *Oratione* (inquit) *hac finita, ornatu Baptismatis exuitur Patriarcha, & assumit*

s Hamm. cap. 4. sect. 2. §. 2. pag. 114.

t Euchology. pag. 357.

v Hamm. c. 4. sect. 2. §. 3. pag. 114.

x Euchology. pa. 114. extr.

assumit eũ, qui liturgiæ inservit, & vadit ad Sanctum Petrũ; Tum consignat baptizatos sancto unguẽto. Ecce hic iterum Hammondi commentarius; y *Patriarcha* (inquit) *stolam & locum mutat.* Tum; *Omnia hic* (inquit) *dilucida; nec quicquam quod consignationem baptismi ritum fuisse magis suadeat, quam consignationis Eucharistiam.* Illud quidem de Eucharistia quod inserit, plane mirificum est. Quis enim Eucharistiam, quam suo officio, suis ritibus administrari, suo proprio capite procul à cæteris sacramentis fusissime ac distinctissime explicari in Euchologio viderit, *Consignationis* cærimoniam esse suspicetur, quæ neque ullum suum caput ac titulum seorsum à baptismo vel in hoc Euchologio, vel in aliis ullis Ritualibus habet, neque denique unquam nisi cum baptismo memoratur? Si hi duo Bessarionici libri versiculi nihil nobis præbent, quo eam baptismi esse cærimoniam doceamur: præbet ecce versiculus continenter sequens: z *Cantore* (inquit) *dicente, Quotquot in Christo baptizati estis, unguento sancto baptizatos ungit* (Patriarcha scilicet) Et statim peracta consignatione, *His dictis cum orphanis concinit, Beati quorum remissæ sunt.* Iam ad baptismum pertinere, & lectionem epistolæ, *Quotquot in Christo baptizati estis*, res ipsa loquitur, & Psalmum, *Beati quorum*, Hammondus paulo ante nos ipse docebat. a Quorsum hæc, quæ baptismi sunt. Consignationi etiam dum peragitur, aptantur, si ea à baptismo aliena, diversique ab eo est ordine? Sed hæc in vulgato publicoque libro multo etiam clariora, ubi Sacerdos cum puero, simulatque eum consignavit, procedens, ter canit, b *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis, Alleluia.* Et simul ex Apostolo legitur, *Fratres, quicunque baptizati sumus in Christo,* &c. ex capite sexto epistolæ ad Rom. ad versum usque duodecimum exclusum: & Matthæi extrema à vers. 16. ad finem *Vndecim discipuli abierunt in Galilæam* &c. quibus duobus locis nihil est in sacris litteris de baptismo disertius. Quorsum hæc, si Consignatio nihil ad baptismum pertinet? Atque ita desinit in Euchologii libro publico illa, quæ in capitis titulo inscribitur, Ἀκολουθία τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, *Officium sancti baptismatis.* Sed etiamsi nullæ hoc loco hærerent hę ritus baptismalis notæ, non ideo tamen sequeretur Consignationem, quę ibi describitur, sacramentũ fuisse à baptismo divisum. Baptismo enim satis eam vindicat, quod totus ejus ritus baptismi officio atque ordine sub uno eodẽque titulo continentur; ut jam initio diximus. Ex his nemo non videt quam vanum sit quod amicissimus Censor cõcludit Baptismũ, *Consignationem, Cœnam Domini tria esse.* Si tres actus intelligit à se invicem distinctos, nemo negat. Si tria, ut Latini volunt, sacramenta proprie strictèque dicta: tresve ut Hammondus mavult, diversi generis atque ordinis ritus: id verò falsum esse nunc satis liquet. Abunde enim probatum est consignationem baptismi esse, non sui cujusdam à baptismo diversi ordinis ritum; adeoque non duo sacramenta, sed unum cum eo sacramentum constituere. Vnde sequitur tria illa quæ Hammondus commemorat, tres quidem actus: non plura tamen, quam duo sacramenta esse:

CAPVT. XXIII.

y Hamm. ca. 4. sect. 2. §. 45. pag. 115.

z Euchlog. pag. 115. init.

a Hamm. ca. 4. sect. 2. §. 3. pa. 114. extr.

b Euchlog. pag. 556.

Caput XXIII. prius quidem Baptismum cum adnexa ei Consignatione: posterius Eucharistiam: quam nescio cur amicus hic inseruerit, quasi ego eam scilicet cum baptismo unum idemque sacramentum esse putarem: quod

Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.

Cæterum quod negat sine prodigio, vel etiam sacrilegio tria ista confundi posse; ita respondeo tria ista pro uno eodemque sacramento, rituve sacro sumere, prodigium esset, fateor; *sacrilegium* vero non tam esset, quam amentia, stupor & insania. Sin aliud vult, & intelligit *prodigium esse & sacrilegium*, consignationem unum cum baptismo veluti ritum ei adnexum sacramentum facere; si hoc inquam intelligit, ipse vehementer errat. *Consignationem* enim baptismi ritum censere non est majus credo, prodigium, quam *oleum* & *chrisma verticis* hoc ipso loco & numero habere, quod facit cum Latinis Hammondus. *Sacrilegij vero* eum accusare, qui ea sentit, quæ veriora sunt, gravissimus error est. Vera autem esse, quæ iste nobis *sacrilegio* pæne deputat, satis demonstratum est. Atque hic in amico eam ipsam modestiam mihi desiderare videor, quam ipse aliis gratis alibi præcipiebat, *c* eam nos tacite flagellans, negaret statim *inter sacrilegia numerandum quod necessarium non esset.* Non puto eum chrisma, quo ipsa sua Ecclesia caret, tanti fecisse, ut ejus usum *necessarium* esse crederet. Cum ergo rem, tametsi non necessariam, absque sacrilegio retineri tamen posse judicaverit, non satis capio qui eos *sacrilegii* damnare potuerit, qui quod multo levius est, existimant rem, quam ipse concedit non esse necessariam, ab iis qui eam olim in usum admiserunt, habitam fuisse in baptismi ritibus.

c Hamm. c. 2. sect. 2. §. 17. p. 42.

Sed ut redeam ad Euchologium, quod doctissimus Hammondus postremo ex libro Bessarionis observat, *d cæteris præter sanctum sabbatum festis, baptismos in parvo baptisterio factos fuisse sed in vestiario recens baptizatos à Patriarcha fuisse consignatos*; *e* id nullam vim habet ad id conficiendum quod ipse cupit, consignationem scilicet non fuisse unum ex baptismi ritibus. Nam in publico Euchologio videmus in uno eodemque loco, scilicet in baptisterio, *f* infantes & baptizari & consignari à sacerdote. Vt ergo loci in quo utrumque peragitur, unitate effici negaret Hammondus, ut utrumque pro uno sacramento habeatur; ita neque concedo, ex locorum in quibus à Patriarcha duo illi actus peraguntur, diversitate sequi, ut consignatio aliud sit diversum à baptismo sacramentum. Actus & ritus, tum eos qui primo ad Prothesin, ut vocant, & qui mox apud altare, vel ut ipsi vocant, *sacram mensam*, diversis utique locis, apud Græcos fiunt, *g* omnes ad unum idemque sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum pertinere, clarum atque confessum est; neque mysterij unitati officere locorum in quibus aliæ atque aliæ ejus partes peraguntur, diversitatem. Nulla ergo ratio est, cur à baptismo dividatur consignationis ritus, quod à Patriarcha, non ut à sacerdote, in baptisterio, sed in *vestiario* ministrata fuerit. Aliqua fuit huius discriminis, licet nobis ignota, propria ac peculiaris causa, quæ rei ipsius naturam

d Id. ib. §.

e Euchol. p. 959.

f Euchol p. 355. 356.

g Vid. Euch. in Missa Chrys. p 60. 63. extr.

naturam & ingenium nihil mutat. Atque hæc quidem ad Euchologium Hammondus observavit, quæ quam tibi infringant, id quod nos ex eodem libro de consignationis cum baptismo in unum sacramentum coniunctione, ac, ut sic dicam, unitione demonstravimus, satis nunc quidem patet. CAPVT XXIV.

Sed præter scriptorum, quæ recensuimus testimonia, idem quoque in opere de Confirmatione nostro aliquot argumentis ostenderamus; quorum primum inde ductum erat, *h* quod Græci neminem ad Eucharistiam nisi chrismate consignatum admittant; cum tamen apud Christianos receptum fuerit neminé, qui rité baptizatus sit à sacra mensa arcendum. Alterum argumentum erat, quod Græci uno eodemque chrismatis ritu & infantes, & ex quacumque hæresi conversos inungunt, Tertium denique ex eo ductum erat, *i* quod apud eos tam presbyteri quam Episcopi consignant; quod & Latini & Hammondus nefas putant. Sed de his ille ut solet, silentio quam disputatione satisfacere satius esse putavit.

h L. 1. de Confirm. c. 17. p. 216. 217.

i Ibid. c. 18.

CAPVT XXIV.

Disputationis de chrismationis & manus impositionis apud Christianos post a. D. 300. statu, Pars altera; quæ est de Latinorum circa utramque sensu & usu. Ac primo circa Chrisma; quod à solo Episcopo & confici, & ministrari paulo post quarti seculi initia decretum est à Sylvestro P. R. sic tamen ut id etiam à presbytero propter occasionem transitus mortis ministraretur ex Pontificali Romano. Refellitur Hammondi triplex in me calumnia. 1. quod ejus libri & Actuum sylvestri veritatem astruxerim. 2. quod scripserim chrisma Romæ, quo tempore nondum erat, fuisse tamen Presbyteri cum Episcopo commune. Denique quod Conc. Carth. canonem 3. falsaverim. Presbyteris ante sylvestrum consignare neophytos licuisse demonstratur ex Pontificali.

ATque ita satis ni fallor, constituta, & ab amici elenchis liberata est sententiæ nostræ veritas, de chrismatione apud Græcos pro baptismali ritu semper habita. Latinorum eandem de ea sententiam fuisse à Tertulliano ad tertium usque Christianismi seculum extremum, abunde supra demonstravimus. Nunc quid & quando mutatum apud eos hac in parte fuerit, dispiciendum venit. Mutationis aliquid accidisse ex Pontificali, & epilogo Concilij Romani sub Sylvestro observaveram. *k* Nam in Pontificali legimus, *l Sylvestrum constituisse chrisma ab Episcopo confici; & privilegium Episcopis contulisse, ut baptizatum consignent propter hæreticam suasionem. Hunc & hoc constituisse, ut liniat Presbyter chrismate levatum de aqua propter occasionem transitus mortis.* Hinc præter cætera,

k L. 1. de Confirm. c. 20. p. 259.

l Pontific. in Sylvestro.

Caput. XXIV.

m ub.supr.p. 241.

n Hamm.c. 2.sect.9 § 3. p.57 & § 7. p 58.

o Ibid.§.6. p.57.

p L.2.de Cōfirm.c.6.p. 240.

cætera, quæ mitto, quia ad nostram cum doctissimo Hammondo controversiam non pertinent, notabam *m* superiorum temporum scriptores Latinos nullius nisi ex oleo unctionis meminisse; hunc primum esse locum in quo Latini *chrisma* memorent; Pseudo Clementem, quem Sylvestro fuisse paulo anteriorē probabile est, chrisma apud Græcos suos jam receptum fuisse testari (quod & supra notavimus) Videri ergo Sylvestrum chrismatis usum vel à Græcis mutuatum, vel à se inventū, primum apud Latinos cōstituisse pro simplici oleo, quod hactenus à nostris ad ungēdos neophytos adhibitum fuisse verisimile est. Vtcumq; sit primas has extare apud Latinos à Sylvestro latas leges, tum de confectione chrismatis, tū de confecti usu solis Episcopis per privilegiū attributo. Adhæc doctissimus Hammondus, *n* se nec Pontificali, nec Sylvestri Actis multū *confidere*, dubitare *an hæc Sylvestri decreta ita se habuerint*, *me autem contendere ea ita se habuisse*. Ego vero nuspiam, quod meminerim, contendi illa decreta ita se habuisse; Vulgata & apud vetustissimum scriptorem extantia retuli; & ex Latinorum sinu & scriniis edita adversus eos disputans nulla me cujusquam invidia posse usurpare putavi. Acta quidem Sylvestri, totamque illam Romanam Synodum scio pessime audire, & merito quidem, quæ fabulis & deliriis scatent. Pontificale longe alio loco ac numero habeo, quod vetustissimum esse obiter contra Bellarminum id esse Anastasij Bibliothecarij opus somniantem defendi. Cæterum, quod multis huius generis libris accidit, huic quoque accidisse non dubito, ut multis in locis à mala manu interpolaretur. Et hanc de decretis Sylvestri narrationem, si quis habet suspectam, omittat per me licet. Non repugnabo, neque hilo deterior erit causa hæc mea. Sed negat *o* tamen doctissimus Hammondus, *quod inde concludi vult Dallæus, conficiendi chrismatis potestatem hic ad Episcopos restrictam, Presbyteris quoque cum iis hactenus fuisse communem, id eum cuiquam persuasurum esse, cum, ut alia* (inquit) *omittam, ipso fatente æque concludi possit ipsius chrismatis usum in Ecclesia Romana antea incognitum; in hoc Sylvestri Concilio primo institutum fuisse, & quidem ita ut eius conficiendi penes Episcopum ius futurum esset.* Tum videre Dallæum jubet, *quam sit prorsus impossibile, ut quod Romæ nondum cœptum supponebatur, id hactenus Presbyteris pariter ac Episcopis commune statuatur.* Hæc ille. Ego vero respondeo Dallæum ista sua facile omnibus esse persuasurum, si nihil aliud vetet, quin ea persuadeat, quam hoc quod unum Hammondus in medium adducit. Falsissimum enim est, quod illum amicus hic fingit scripsisse, aut cogitasse unquam, quod omnino non erat, id ipsum quo tempore non erat, Romæ fuisse. Neque satis mirari possum virum gravem Hammondum ea quæ confutanda suscipit, vel tam oscitanter legere, vel certe tam læve interpretari; ut tantam absurditatem in amici hominis verbis inesse putaverit. Quod ut pateat, lectorem rogo, ut oculos aperiat, & quæ hoc loco scripsi, ea attentius consideret. Legem, qua Sylvester jubet *p chrisma ab Episcopo confici*, scripsi vel *de solo conficiendi chrismatis iure, vel de*

ipso

ipso etiam chrismate intelligi posse. Tum hæc verba addidi. *Priori sensu, ut lex chrisma in Ecclesia Romana iam antea fuisse supponat; Tantum conficiendi eius potestatem, quæ hactenus presbyterorum una cum Episcopis communis fuerat, ad solos Episcopos restringat. Posteriori ut ipsum chrisma, cuius nullus antea in Ecclesia Romana usus fuisset, instituerit, & quidem ita ut eius conficiendi ius sit penes unum Episcopum.* Hæc verba mea sunt. Nonne bellus interpres Hammondus, qui duos à me diserte distinctos & oppositos legis sensus, unum qui supponit chrisma Romæ in usu antea fuisse, alterum qui supponit non fuisse, permiscet? & quod priori stante supposui, *chrisma Romæ ante legem fuisse*, id ipsum eo everso, & altero contrario in eius locum substituto retinere tamen & supponere facit? Sed hoc merum est Hammondi somnium, à quo plane aliena sunt, quæ scripsi. Nam ubi dimisso priori sensu, posteriorem astruo, nusquam ibi dixi chrismatis conficiendi potestatem Romæ, ubi nullum fuisse supposueram, hactenus ante legem latam presbyterorum cum Episcopis fuisse communem. Hoc monstrum totum ab Hammondo confictum est, ut amicum ridiculum faceret. Sed ubi, satis multa de posteriori hoc sensu locutus, ad priorem, quem tantisper seposueram, redeo, ibi vero quod à lege sic accepta supponi dixeram, diserte distincteque largior *q* his verbis; *Sed esto tamen: Fuerit chrisma iam ante Sylvestrum in Ecclesia Romana usu: Non fuisse certe ante eum penes solos Episcopos conficiendi chrismatis potestatem hæc illius lex clarissime ac certissime demonstrat.* Sed piget plura de amici præsertim hominis falsa criminatione dicere. Hæc satis sunt, ut quivis intelligat, me a crasso deliramento, quod ille in me conferre non dubitavit, plane esse immunem. Quæ cum ita sint, illa *alia*, quæ se Hammondus amittere dicit, in medium afferre debuerat, si qua revera haberet, quæ prohiberent ne pro vero accipiatur, quod ego ex hac Sylvestri lege concludebam, fuisse scilicet antea presbyteris liberam chrismatis ipsam etiam confectionem. Quod enim Canonem Africani codicis sextum, quo chrisma à presbyteris confici vetatur, & à prioribus nonnullis Conciliis vetitum fuisse dicitur; *r* cum ille canon a. D. demum 390. conditus fuerit; apparet ad hoc nihil eum valere, ut constet ante Sylvestri tempora, id est ante a. D. 314. presbyteris Romæ non licuisse chrisma conficere. Hammondum decebat si hoc nobis persuadere cupiebat testes Sylvestro anteriores vel certe ejus pares edere. At eorum Latinorum, qui ante Sylvestrum vixerunt, nemo est, qui vel chrismatis meminerit, id est unguenti ex oleo & balsamo confecti, quo adducor, ut credam id plane novitium fuisse apud Latinos ineunte quarto seculo. Sed hic me obiter amicus reprehendit, *s* quod *ex Latino Concilij Carthaginensis II. exemplari minus recte collegerim in Concilio superiore illud idem presbyteris vetitum fuisse ne chrisma conficerent.* Atqui ego non *Canonem sextum Codicis Canonum Africanorum Græci*, citaveram *t* sed canonem tertium Concilij Carthaginensis secundi, ut habetur Tomo Conciliorum primo (pro primo perperam in libri mei margine notatur

CAPUT XXIV.

q Ibid. p. 241.

r Hamm. c. 2. sect. 4. §. 7. p. 58.

s Hamm. Ibid. p. 58.

t L. 2. de Confirm. c. 23. p. 268.

Caput XXIV.

notatur Tom. 3.) pagina 703. editionis Parisiensis a. D. 1636. Neque ego ex eo canone quod ait Censor meus *collegeram in superiore Concilio* non in superioribus Conciliis *statutum fuisse ut chrisma à Presbyteris fieret*; sed id ipsum disertissime ita ibi expressum & legeram, & descripseram; *Memini* (inquit Fortunatus Episcopus) *PRÆTERITO CONCILIO fuisse statutum ut chrisma, vel reconciliatio Pœnitentium &c. à presbyteris non fiant.* Itaque divinare non possum, quid sibi Hammondus voluerit, cùm contra veritatem hanc apertissimam negaret *ullam ibi eius rei extare mentionem.* Affert codicem Africanæ Ecclesiæ Græcum; ubi idem ille Fortunatus scribitur dixisse id constitutum fuisse *in præcedentibus Synodis.* Fateor; neque id usquam negavi. Sed neque fortasse hæc phrasis Latino exemplari fidem derogat, aienti *in præterito Concilio*, non *in præteritis Conciliis.* Nam in huiusmodi rebus, *in pluribus* factum esse dicere solemus, etiam id, quod in uno ex istis pluribus factum est; ut *in præcedentibus Synodis* vetitum id dicat Fortunatus, quod in una earum vetitum fuisse meminerat; qualiter Scripturæ dicunt, w Iephte sepultum fuisse in urbibus Galaad, id est in una ex illis urbibus. Vtcumq; sit, temere, nullaq; ratione nos iubet Hammondus Græcā canonum Africanorum omnium collectionem Latino Carthaginensis ipsius Synodi exemplari anteferre, id est rivum fonte potiorem esse censere. Sed hæc obiter, ut quivis intelligat quanto mei reprehendendi studio amicus meus flagraverit. Nam quod ad rem ipsam attinet, ab instituta inter nos quæstione aliena videtur illa omnis de chrismatis cōfectione disputatio, an ea unius Episcopi propria fuerit, & an semper fuerit, & si non semper, quo demū tēpore ejus propria esse cœperit. Hoc tantum dixerim, rei novitatem eo argui videri, quod tam multæ Synodi, Romana, (si eam admitti placet) Africanæ his, Hispaniensis, Toletana una paucis annis tam multis interdictis opus esse putaverint ad vindicandam uni Episcopo hanc potestatem. Sed quicquid Hammondo statuere libuerit de chrismatis confectione, cujus aliquot paginis causam agit, x id nihil ad nos qui nunc quidem in alio argumento versamur. Fuerit hoc si placet jam ab initio quo chrisma esse apud Christianos cœpit, Episcopi προνόμιον, ut soli chrisma conficere liceret, (quanquam ne Episcopi quidem cujusvis hoc jus jam pridem sit apud Græcos, sed unius Patriarchæ) quid hoc ad id quod agimus, unctionem neophytorum baptismi cærimoniam esse?

w Iud. 12. 7.

x Hamm. p. 57. ad 61.

Illud à nostra disputatione propius abest, quod ego in opere de Confirmatione meo tractavi, an presbyteri ut apud Græcos, ita etiam apud Latinos chrismaverint? Sane si ista admittantur quæ ex Pontificali attulimus, ut chrisma ante Sylvestrum Romæ fuerit; eo presbyteris neophytos ungere ante illa tempora licuerat. *Privilegium* enim *Episcopis à Sylvestro conlatum* dicitur, *ut baptizatum consignarent.* Inepte dictum; si jam antea & quidem soli consignabant. Nihil enim *privilegio* iis opus est, qui jure nituntur. Certe quod utrorumque hactenus, episcoporum & presbyte-

presbyterorum commune jus fuit, id omnino privilegij vox demonstrat à Sylvestro Episcoporum proprium ac privatum factum fuisse. CAPUT XXV.

CAPUT XXV.

Præter priorem de Episcopo Chrismatis ministro legem, alteram Romæ postea factam, ut Episcopus unus frontem, Presbyteri extra frontem baptizatos chrismarent, ab Innocentio I. an. D. 416. promulgatam. Sed neque apud omnes Latinas Ecclesias id obtinuisse, neque presbyteralem ab omnibus Latinis ab Episcopali diversam habitam fuisse. Leges Romanas instituti quidem novitatem arguere; cæterum chrismationem à baptismo minime divellere.

SEd missis istis, quæ sunt Hammondo dubiæ fidei, ut ad citeriora veniamus, constat *y* ex Innocentij P.R.I. ad Decentium epistola, an. D. 416. data, jam tum fuisse Romanæ saltem Ecclesiæ consuetudinem, ut *infantes non ab alio, quam ab Episcopo consignarentur.* Gregorius duobus pæne post Innocentium seculis suæ id est Romanæ Ecclesiæ, hanc veterem fuisse testatur *z* consuetudinem. *Nos (inquit) secundum usum veterem ECCLESIÆ NOSTRÆ fecimus,* Idem quoque ex eo videre est, quod qui hoc jus Episcopis dedit Sylvester. idem constituisse dicitur, *aut presbyter liniat levatum de aqua propter occasionem transitus mortis.* *a* Certe paulo minus quam centum post Sylvestrum annis id ipsum Romæ observabatur; *Presbyteris,* inquit Innocentius, *b seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis.* Huic succinit *c* ducentis annis junior Gregorius ejusdem urbis Episcopus; *Presbyteri (inquit) baptizatos tangant* (chrismate scilicet) *in pectore, ut Episcopi postmodum tangere debeant in fronte;* cumque alibi testatur veterem esse Ecclesiæ suæ, id est Romanæ *d* usum, quod nuper diximus. Hujus in chrismatione novitatis primi, ut hinc liquet, auctores Romani, ut & aliarum fere novitatum, quæ in Christianismum invectæ sunt, quas Romana sedes vel excogitasse ipsa, vel certe ab aliis inventus adoptasse, & sua auctoritate ad cæteras orbis Christiani partes propagasse reperitur. Prima inquam chrismari à solo proprie Episcopo neophytos instituit; ac nequid vel presbyteris juris sui vel laicis suæ sanctificationis eripuisse videretur, callide utrosque eo consolata est, quod presbyteris baptizatos, si quando morbus urgeret, chrismare concessit. Hunc enim fuisse legis à Sylvestro latæ sensum vult *e* doctiss. Hammondus. *Vngit (inquit) in lavacro presbyter,* &c. *idque non alias quam propter occasionem transitus mortis.* Sed paulatim factum est, ut quod in hac tantum caussa presbyteris usurpare concessum

y Iun. l. ep. 1. c. 3.
z Greg. Ep. L. 3. ep. 26. exxr.
a Pontif. Rom. in Sylv.
b Innoc. ep. L. c 3.
c Greg. ep. L. 3 ep. 9.
d Id. ibid ep. 26.
e Hamm. c. 2. sect. 4. 5. 6.

Caput XXV. erat, chrisma ij omnibus vulgo baptizatis adhiberent. Ac primum quidem nullum chrismationis presbyteralis ab Episcopali discrimen aliud fuisse videtur, nisi quod illam presbyter, hanc Episcopus ministrarat. Nullum certe inter utramque aliud discrimen memorat auctor Pontificalis. Sed secutis temporibus etiam à parte corporis, cui chrisma illinebatur, distingui cœperunt. Innocentius enim a. D. 416. frontem chrismare uni concedit Episcopo; quam presbytero corporis partem permitterat, non dicit. Gregorius vero distinctissime frontem, ut Innocentius, Episcopo; Presbytero pectus chrismandum assignat. Quamquam ne hic quidem stetit chrismationis disciplina. Nam nunc apud omnes Latinos, presbyteri non pectus ut præcipiebat Gregorius, sed verticem baptizatorum chrismant. Atque hæc prima mali labes fuit. Primo enim cum Episcopi de gregibus suis plurimos (ut eos à quorum oppidis longius aberant) non baptizarent, inde paulatim cœpit chrismationis administratio à baptismo sejungi ac develli. Ac tametsi presbyteri plures ex iis quos baptizabant, chrismarent, ministrorum discrimen fecit, ut potior videretur episcopalis quam presbyteralis chrismatio. Quæ opinio in majus aucta est, ubi inter ipsas unctiones aliqua diversitas esse cœpit, Episcopo frontem, presbyteris primo pectus, deinde verticem, non frontem chrismantibus. Ita quæ una primo fuerat chrismatio duplex evasit apud Romanos, una ab Episcopo, altera à presbytero ministranda. Sed cum minime efficeret Ministri discrimen, ut chrisma ab Episcopo ministratum aliud esse putaretur, ab eo, quo presbyter baptizatum inunxerat (eucharistia enim à presbytero ministrata idem tamen sacramentum censetur cum ea, quam facit Episcopus) duplicatus est error; cum non eandem partem corporis ab utroque chrismari animadverterent. Ita paulatim in hominum animos irrepsit de Episcopalis chrismationis ut sic dicam singularitate, & divisa à baptismo natura opinio; quæ tandem in hodiernum Latinorum consignationis ritum desiit, quem sic à baptismo sejungunt, ut proprium proprieque ac stricte dictum sui seorsum generis atque ordinis sacramentum esse doceant. Hanc autem, quam ex Sylvestro, Innocentio & Gregorio exposui chrismationis disciplinam, novam fuisse, & Romanorum propriam, primo satis inde intelligitur, quod constet nihil unquam hujusmodi apud Græcos obtinuisse; apud quos nulla plane est ista Episcopi propria chrismatio, sed una tantum, quam tam presbyteri quam Episcopi omnibus, quos rite baptizant, adhibere solent, ut est à nobis in superioribus demonstratum, ut nihil necesse sit, ad doctissimi Hammondi liberalitatem confugere, nobis *hoc libenter concedentis, & neque litem quovis modo intentantis, non solum baptizasse Presbyterum, sed & hoc sensu chrismasse & consignasse*, Photiumque *apud Græcos id extra dubium posuisse confitentis.* Secundo idem ex eo liquido conficitur, quod non modo post Sylvestri, sed etiam post Innocentij, imo & ipsius Gregorij tempora, id est post a. D. 600. in Gallia semel tantum chrismarentur neque

Hamm. c. 2. sect. 4. §. 4. p. 56.

tur neophyti in baptismo à presbyteris, vel si is ritus, quacumque faciente necessitate, in baptismo omissus esset, is postea à sacerdote confirmante illis ministraretur. In Africa, & in Hispania pariter presbyteros vel absente Episcopo, vel etiam præsente, si annueret, consignasse, patet; in Sardinia denique Italiæ vicina eundem quoque usum fuisse, & Gregorio ipso consentiente porro continuatum quæ quia latissime demonstrata sunt ex Galliæ, Africæ, Hispaniæ Synodis, & ex Gregorij Epistola, nihil necesse est hic repetere, cum de his omnibus consentientem habeamus Hammondum. His autem ita constitutis patet unctionem, cum primo in Christianismum inducta est, eo institutam fuisse, ut in ipsa baptismi administratione fieret, ut egressi de lavacro statim ungerentur; quod ex Tertulliano qui primus hujus ritus meminit, supra didicimus; secundo ita observatum ubique fuisse ad quartum seculum, neque quicquam toto illo tempore occurrere, quod aliud suadeat. 3. Quod quarto & quinto seculo chrismatio in Ecclesia Romana dilata fuerit, id novum & proprium ejus Ecclesiæ fuisse, cujus Antistites chrismandi jus solis Episcopis dederunt. Apud cæteras Ecclesias non tantum, Græcam, Ægyptiam, & Orientalem, sed etiam Occidentalis, non quod ait [h] doctissimus Hammondus *particulas*, sed partes nobilissimas Africanam, Hispaniensem, Gallicanam, Sardiniensem ipsam pæne suburbicariarum vetus mos mansit, ut presbyteri quos baptizabant, chrismarent; quod certissimo argumento est, aliter ab initio fuisse institutum, quam quod erat Romani illo tempore usus. Vnde sequitur illam chrismatis à baptismi administratione separationem, quæ ex causis exoticis præter primam institutionem accidit, rei ingenium nequaquam mutasse, neque efficere potuisse, ut quæ baptismi cærimonia & primo, & diu apud omnes, & semper apud multos fuit, ea nunc ritus singularis, & à baptismo plane alienus evaserit. Itaque vanum atque irritum est doctiss. Hammondi argumentum; qui ea quæ diximus confessus, pertendit [i] tamen Confirmationem, id est Consignationem *à baptismate procul disjungi*, quod *hoc etiam à presbytero & diacono ministretur, hac ab Episcopo celebrata sit.* Nam primo ipse concessit etiam à presbyteris celebratam fuisse; tum quod ab utroque, tametsi alio atque alio & jure & ordine celebretur, nil tamen vetat idem revera esse; ut ex Eucharistia videre est, quam Hammondus licet Episcopis, ut & cæteros actus Ecclesiasticos, solis primo & per se ex divino jure vindicet; presbyteris ex Episcoporum tantum dono ac permissione concedat, non negat tamen ab utrisque administratam idem plane esse sacramentum. Neque id quicquam valet, quod argutatur, veluti quod aiunt Patres quæ in baptismate omissa sunt, *ea in confirmatione suppleri*, necessario efficerent Confirmationem ritum fuisse à baptismo *procul seiunctum.* Contra est. Nam quod quæ in Confirmatione supplentur ea in baptismate ex aliqua necessitate omissa erant, eo ipso apparet quæ in Confirmatione fiunt, ea esse baptismatis, & in eo fieri debuisse; sed ob intercurrentem extrinsecus

CAPUT XXV.

[g] Hamm. c. sect 3. § 3. p. 44. 5. sect 4. § 12 p. 54. 5. 3. p. 56.

[h] Id. ibid. 5. 3. p. 44.

[i] Id. ibid. p. 46.

Caput XXVI. aliquam causam, omissa esse. Iam quid fit in confirmatione? Chrismatur neophytus & manus impositione consecratur. Ergo chrismatio & manus impositio in baptismate fieri debent; & si quando seorsum à baptismate fiunt, ita per accidens fiunt, quia necessitas aliqua præter rei ipsius ingenium effecerat, ne in eo fierent, in quo fieri debuerant. Vnde pronum est videre Confirmationem, quæ tota duplici hoc ritu continetur, ipsam baptismi fuisse, partium scilicet ritualium ultimam.

CAPUT XXVI.

***I.** de Latinis testis Optatus, chrismationem in baptismi ritibus apertissime censet. Discutiuntur quæ Hammondus veritatis luci inania offundit. Baptismi mysteria, vel sacramenta Patribus sunt ritus, quibus peragitur solennis baptismi celebratio. Alter Optati locus, frustra ab eodem vexatus.*

HIs ita præmissis de mutatione, quam in chrismationis negotio in Romana Ecclesia his temporibus factam apparet; nunc scriptorum qui quarto seculo & deinceps apud Latinos floruerunt, testimonia sigillatim audiamus.

In his primus occurrit Optatus, qui an. D. 360. vixisse traditur. Hujus locum hunc descripseram, in quo de Christo sic loquitur; *Descendit in aquam, non quia erat, quod in Deo mandaretur; sed venturum oleum aqua debuit antecedere, ad mysteria initianda, & ordinanda, & implenda baptismatis. Lotus, cum in Ioannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterij, & compleuit Pater, quod rogaverat Filius, & quod nuntiaverat Spiritus Sanctus. Apertum est cœlum Deo Patre ungente. Spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, & insedit capiti ejus, & perfudit eum; unde cœpit dici Christus, quando unctus est à Deo Patre.* Quæ sequuntur, mitto, postea in loco de Impositione manuum, ad quam pertinent, ventilanda. Hinc chrisma ad baptismum pertinuisse, deque ejus ritibus unum fuisse, colligebam. Cum enim lavacrum & chrisma & consequentem manus impositionem Optatus inter ea censeat, quæ à Domino apud Iordanem *initiata, ordinata, & impleta sunt*: Quæ autem hic à Domino initiata & ordinata & impleta sunt, ipse ea *mysteria baptismatis* fuisse dicat: non videtur dubitandum, quin *chrisma*, quod istorum à Christo initiatorum & ordinatorum unum fuit, Optato unum ex baptismatis mysteriis fuerit. Doctiss. Hammondus ut hujus tam diserti testimonij vim eluderet, Optati locum mirificis, novis & inauditis glossis totum misere corrupit ac pervertit. Alias alibi excutiemus; Vna hic, quæ ad chrisma pertinet, refellenda est. Quod enim ait Optatus *baptismatis mysteria* à Domino fuisse *in baptismo suo initiata, ordinata & impleta* id totum Hammondus *l respondet ad aquam antecedentem pertinere,*

k L. 2. de Confirm. c. 21. p 245. Opt. 4. l. 4. p. 81.

l Hamm. c. 6. sect. 3. §. 10. p. 145.

pertinere, *non vero ad oleum*, *quod venturum fuit*, *multo minus ad impositionem manuum.* Quoniam vero huic commento repugnare intelligebat, quod hæc à Christo initiata Optatus dicat Baptismatis mysteria, non autem initiatum *baptismatis mysterium*: objectionem occupans, aquam illam baptismi unam plurali numero hic expressam esse, ut apud Paulum Hebr. 2. 2. vocatur διδαχὴ βαπτισμῶν, *doctrina baptismorum*, in numero plurium. Sed ista nihil contra objectionem valent. Primo futile est quod à Paulo suæ glossæ emendicat subsidium. Non enim Optatus *baptismata* in plurali, id, sacramentum dicit de quo loquitur, quemadmodum qui in illo ad Hebræos loco Christianorum baptismum intelligi volunt, Paulum *baptismos* pro *baptismo* dixisse statuunt. Optatus plane contra *baptismatis* in singulari numero dixit; ut nihil necesse fuerit, hoc tropo inducto ejus locutionem ea obscuritate purgare, qua non laborat. Sin regeras Hammondum *mysteria* voluisse hic ab Optato positum pro uno *mysterio*; ne sic quidem Paulinam illam phrasin apposite ad rem suam attulit. Nam in his duabus locutionibus; illa Pauli, *doctrina baptismorum*, & hæc Optati, *mysteria baptismatis*, duo illa membra, quibus utraque constat sibi invicem sic è regione opposita sunt, ut contraria potius quam similia videri debeant. Nominis *baptismi* genitivus qui in utraque locutione est apud Paulum pluralis, apud Optatum singularis est numeri. Res *possessa* ut loquuntur Grammatici, à qua nomen regitur, Paulo in singulari numero *doctrina* dicitur; ab Optato in plurali *mysteria*. Itaque nihil doctissimus Hammondus afferre potuit tam ab eo, quod vult, alienum ac remotum, quam illud è Paulo exemplum. Sed longe absurdissimam atque infectissimam glossam non minus res, quam verba respuunt. Primo enim si *unum unius aquæ mysterium* Optatus per illa quæ dicit *mysteria* intelligere volebat; cur ad ea non tantum *initianda*, sed etiam *ordinanda* illam de Christi baptismo historiam institutam esse observaret? Non *ordinantur* nisi quæ plura sunt. Cum ergo illa quæ Optatus loquitur baptismatis mysteria & *ordinanda* & quidem re vera *ordinata* fuisse diserte dicat, profecto necesse est illa plura mysteria fuisse, non unum; quod præter auctoris & verba & mentem perversissime unus somniavit Hammondus. Denique si vera esset ejus glossa, ridiculus esset Optatus, qui cum baptismi nihil aliud quam aquam Domini baptismo initiatam, ordinatam & impletam vellet; hoc præfatus addit, *Lotus cum in Ioannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterii, & complevit Pater quod rogaverat Filius, & quod nuntiaverat Spiritus Sanctus; Apertum est cœlum Deo Patre VNGENTE; spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, & insedit capiti ejus & perfudit eum* &c. Quorsum hæc de oleo, si nihil oleum ad baptismum pertinet? cujus iste *mysterium* dixit Christi baptismo *ordinatum*? Hoc vero ipsum significat, cum Christo à Ioanne loto, dicit *secutum esse ordinem mysterii*. Cujus quæso *mysterii*? Non alterius certe quam *baptismi*, cujus mysteria hic ordinata fuisse dixit. Quis vero ille mysterij *ordo*? Nimirum

CAPUT XXVI.

Caput XXVI.

Nimirum ut lotis & de lavacro ascendentibus oleum illinatur; quod hic diserte à Spiritu in Christi caput sub columbæ imagine delapso & *initiatum & impletum* vult. Si hoc totum à baptismo alienum est, quod amicus noster fabulatur; necesse est bonum Optatum cum illa sic scriberet, delirasse & aliud egisse. Facessant ergo absurdissimæ illæ amici glossæ; Verbis suum ingenium, suaque vis reddatur; & *baptismatis mysteria* id significent, quod ratio, quod communis rerum usus significare instituerunt, nimirum sacros illos ritus quibus peragi perficique baptismus illis tempestatibus apud Christianos solebat. Hos enim Latini baptismi sacramenta, & quod eodem redit, mysteria vocare solent; ut Beda, *m* cum narrat Osualdum regem *sacramenta baptismatis* suscepisse, id est baptismum ipsum & solennes ejus ritus; *n* ac præcipue *geminam illam unctionem olei & chrismatis, per quam nunc in Ecclesia* homines *Deo initiari* alibi scribit. Magnus Senonensis Episcopus à Sirmondo *o* ex MS. Corbeiensi allatus; *Peractis omnibus baptismi sacramentis.* Theodulphus Aurelianensis, *p* *Cætera baptismatis sacramenta.* Auctor sermonum, quos Sirmondus cum XL. Augustinianis edidit, *q* illa baptismi sacramenta recenset, & dividit plane ut Bellarminus, in tres ordines; *Hucusque* (inquit) *de MYSTERIIS locuti sumus, quæ vel ante baptismatis sacramentum, vel in ipso baptismate celebrantur, Nunc vero de his tractaturi sumus, quæ iam baptizatis sancta institutione complentur.* Prudentius Tricassinus Episcopus, *r* modo *baptismatis sacrosancta mysteria,* modo *baptismatis sacramenta* eodem sensu dicit. Denique Ordo Romanus; *s* *Dilectissimi nobis, accepturi sacramenta baptismatis.* Non est ergo dubitandum, quin Optatus de iisdem solennibus baptismi ritibus intelligat, quæ hic dicit de *baptismatis mysteriis.* Ut autem hos ritus, baptismo Christi apud Ioannem initiatos, ordinatos, impletosque fuisse doceat; primo observat *Christum à Ioanne lotum esse;* tum *secutum mysterii ordinem,* descendisse columbam, Spiritus oleo nostro adumbrati, imaginem, insedisse Christi capiti, eumque perfudisse. Vides ut aquam nostram Christus in Iordane initiaverit: vides ut statim advectus à columba spiritus & ordinem rituum præscripserit, nos scilicet tingendos priusquam ungendos, & chrismatis nostri rem ipsam per Spiritum in columba Christo perfundendo allatum repræsentaverit. Atqui ista *baptismatis mysteria* fuisse dicit. Effugere ergo Hammondus non potest, quin chrismatio unum ex baptismatis mysteriis Optato fuerit: ut & ipsa manus impositio de qua postea suo loco dicemus. Quæ contra affert pluma leviora sunt. Negat *t* ad *aliam quam ad Confirmatoriam unctionem respexisse Optatum.* Quasi vero aliam nos respexisse velimus. Fatemur quam Confirmatoriam vocat Hammondus, hanc respici: sed hanc quam respicit Optatus, quamque *Confirmationem* vocat Hammondus, hanc ipsam ex hoc Optati testimonio unum è baptismatis mysteriis fuisse demonstramus: Neque aliud efficiunt illa hujus olei magnifica apud eundem scriptorem *u* elogia *confectum iam chrisma cutem conscientia* mollire,

m Bed. hist. Angl. L.3. c.1.
n Id. in Ps. 26. T.8. p. 434.
o Sirmond. Antirrhet. 2. c.7. p. 56.
p Theod. de ordin. bapt. Tit. 17.
q Serm. 3. init. T. 10. Aug p. 847. A.
r Prudent. contr. Sect. c.4. p. 261. c. 16. p 453.
s Or. Rom. T.10. Bibl. PP. p. 42. B.
t Hamm. c. 6. Sect. 3. §. 4.5.6. p 143.
u Opt. L. 7.

mollire, animum innovare, sedem Spiritui Sancto parare. Nescio cur putet amicus meus de baptismi ritu hæc dicere Optatum nefas fuisse; quasi non etiam his majora Patres baptismalibus ritibus tribuant; vel quasi de ritu ab hominibus instituto, si singularis & seorsum à baptismo per se ministretur hæc verius & appositius dicantur, quam de eodem, si baptismo adnexus, & ut sic dicam, concorporatus ad unum idemque sacramentum efficiendum cum eo coalescat. Neque nos hic magis ferit quam alibi, ubi nobis hoc ipsum f. ustra falsoq; objicit, x *confundi à nobis cum baptismo chrisma.* Quis vero tam fatuus sit qui chrisma idem esse putet cum baptismate? Sed neque ego eum admodum acutum putem, qui capere non potest, res ullas conjungi, ritus ullos sociari inter se posse, nisi confundantur ac permisceantur. Illa vero quam præclara sunt, y *Christus baptizatus est ab homine, à Ioanne, à Deo Patre ungendus, prius lotus, post unctus, unctus demum cum baptizatus esset; Tum secutus est ordo mysterij, plane ut peracto adultorum baptismate Episcopus ad chrismandum procedit, Pater dictus, & Dei Patris imago seu umbra, dum sic facit.* Quid tum? *Omnes* (inquit) z *baptismi cærimoniæ à Baptista petendæ erant: At unctio, si Optato credimus, à nullo mortalium Christo adhibebatur.* Certe baptismi qui à Ioanne simpliciter petentibus dabatur, cærimoniæ ab ipso petendæ erant, & exspectandæ. Baptismi vero quo Dominus tinctus est, si descensum in eum Spiritus *cærimoniam* dicere placet, quod non dicit Optatus, fateor hanc cærimoniam non à Ioanne, sed à Deo, & expectatam & peractam fuisse. Inde verò non video quomodo efficere possit falsum esse quod affirmatissime scripsit Optatus, baptismi non Ioannis, sed nostri *mysteria* illius Dominici apud Ioannem baptismi actibus, rebus consequentibus fuisse *initiata, ordinata, & impleta.* Quod enim vir doctissimus cavillatur, Christum *lotum priusquam unctum fuisse,* nemo negat: neque neophytos quisquam opinatur prius chrismatos olim fuisse quam *tinctos.* Quod res hoc ordine procederet, eo fieri ut chrisma non sit baptismi ritus, id vero est quod centies explosum est, & negatum: centies ab Hammondo objectum, neque usquam vel semel probatum: usque adeo non probatum, ut quam ipse & ante lavacrum & post lavacrum factam fuisse unctionem fatetur, illam ex oleo, hanc ex chrismate, utramque *baptismi* esse doceat: utramque *in baptismo adhibitam* dicat, utramque inter veteres baptismi ritus cum Latinis censeat. Mitto Patres Latinos, quos nuper edidimus, quique ritus post baptismа celebrari solitos ac inter eos ipsam hanc *chrismationem*, *baptismi* tamen *sacramenta*, ac *mysteria* fuisse profitentur. Satis est quod ipse ille Optatus, ex quo pugnare videri vult Hammondus, ipsam Christi de Spiritu unctionem, quam ex mysterij ordine post lotionem secutam esse narrat, inter ea tamen deputat quibus *baptismatis*, nostri scilicet, *mysteria initiata, ordinata, & impleta* sunt. Ad illam autem Christi de Spiritu unctionem ab Optato referri chrismationem illam neophytorum, quæ Confirmatio dicitur, & fatetur Hammondus, & res sole clarior est. Ergo

CAPUT XXVI.

x ibid. §. 8. p. 144.

y ibid.

z Ibid. §. 9. p. 145.

Caput XXVI. velit nolit Hammondus, necessario confiteri cogitur, illam suam confirmatoriam chrismationem, Optato teste atque auctore, unum fuisse de *baptismatis mysteriis*, sive *sacramentis* hoc est sacris & solennibus baptismi ritibus. His vero Cyrilli Hierosolymitani locum frustra objicit *a* in quo ille baptismum neophytorum cum Domini baptismo comparat, ut jam antea ostendimus. Omnino eadem est illic Cyrilli mens, quæ hic Optati: Nusquam vero ille negat, quod hic affirmat, chrismationem Ecclesiasticam unum esse de baptismatis mysteriis.

a ibid §.12. p.146.

Ejusdem Optati locum & L. 7. alium attuleram *b* unde contra P. Aurelium collegeram, non chrismationi manus impositionem jam Cypriani temporibus præivisse (quod ille somniabat) sed plane contra, eodem quo Tertulliani temporibus ordine chrismationem præmissam fuisse: dein manum impositam. Hæc tametsi nihil ad Hammondum, quod etiam ipse confitetur, vellicat *c* tamen: negans primo inde quicquam *hypothesi meæ emolumenti, aut suæ detrimenti exsurgere*. Quasi scilicet nihil toto hoc in opere agere aut moliri debuerim, nisi contra Hammondum, de quo cum illa scriberem ne cogitabam quidem. Quam iste nunc meam *hypothesin* dicat, quam *suam*, nescio. Illud scio, cum hæc istic contra P. Aurelium disputarem, thesin meam, quam ex Optato conclusi, hanc fuisse, Optati tempore chrismatos fuisse neophytos antequam manus iis imponeretur. An nihil ex his quæ istic argumentor, si ea mihi concedantur, huic sive thesi sive hypothesi meæ *emolumenti exsurgat*; cujusvis modo ne insani judicio permitto. Sed statim idem negat ex hoc Optati loco id quod ego colligi posse concludi. De chrismate hæc sunt Optati verba; *Cutem conscientiæ mollit, exclusa duritia peccatorum, animum innovat lenem, sedem Spiritui sancto parat, ut INVITATUS illic asperitate fugata inhabitare dignetur.* Ad ea verba hæc observavi; *Spiritus manus impositione per benedictionem advocabatur & invitabatur, ut supra ex Tertulliano didicimus. Spiritui autem per manus impositionem invitando chrisma sedem animum hominis leniens, lævigans & innovans parabat. Ergo omnino necesse est præcessisse chrismationem, secutam esse manus impositionem; nisi tu Spiritum fingas prius venisse, prius invitatum esse ut veniret, quam sedes ei parata esset; ubi invitatus advenisset, tum demum de sede ei paranda cogitatum fuisse.* Hæc nostra erant; quæ doctiss. Hamm. uno flatu omnia disjicit. *Verum & illud* (inquit) *adjicio nullum plane ex hoc Optati loco huic observationi locum esse.* Quid ita? *Quia* (inquit) *chrismatio & manus impositio, quatenus ea Confirmatio notatur eiusdem Ecclesiasticæ institutionis diversæ appellationes sunt, ideoque Optatus de chrismatione idem pronuntiasse dicendus est, quod Tertullianus de manuum impositione affirmavit, ea scilicet in Confirmatione adhibita invitari & advocari Spiritum* &c. Hæc sunt doctiss. Hammondi dictata: *Chrismatio* (inquit) *& manus impositio eiusdem Ecclesiasticæ institutionis diversæ appellationes sunt.* Esto. Sunt-ne etiam unius ejusdemque actus appellationes? sic, ut *qui chrismat*, eo ipso manum quoque imponere, & qui

b L.1. de Confirm. c. 21. p. 147.

c Hamm. c. 6. sect. 4. §. 19. 20. p. 150.

manum,

manum, licet pumice aridiorem, imponit, eo ipso tamen chrismate di- CAPUT XXVII.
cendus sit? Si Hammondus ita sapuit, redivivus in eo Petrus Aurelius fuit. Ego vero putaveram unius quidem ejusdemque sacramenti, baptismi scilicet, fuisse & chrismationem & manus impositionem; sic tamen ut eæ rei non nudæ essent appellationes, sed partes à se invicem distinctæ, suo singulæ actu constantes; certo etiam inter se ordine ministratæ; quales memini apud Tertullianum, & apud alios auctores describi. Neque utriusque plane eandem significandi rationem fuisse tum ex eodem Tertulliano, tum ex aliis constat; quorum ne una quidem est de istorum rituum significationibus sententia vel oratio. Hæc ego ex certis auctoribus hausta tantisper Hammondi pace tenebo, donec ejus mihi dictata aliquis veriora esse demonstraverit. Porro quomodo Optatum de chrismatione id ipsum pronuntiasse, quod Tertullianus de manus impositione affirmavit, vere dici possit, equidem non capio, cum id falsum esse utriusque dicta contendens reperiam. Plane aliud est quod de chrismatione dicit Tertullianus, aliud quod de eadem dicit Optatus; Neque quod de manus impositione dixit Tertullianus, id de chrismatione hoc loco dicit Optatus; Non, inquam dicit *eam invitare & advocare Spiritum*; quæ Tertulliani sunt de manus impositione verba; Dicit *eam animum innovare lenem, sedem Spiritui Sancto parare*; Hæc chrismati diserte tribuit. Quorsum? *ut INVITATUS* (inquit) *illic asperitate fugata, libenter inhabitare dignetur.* Spiritum chrismate invitari non dicit; dicit sedem ei chrismate parari; ut exinde benedictione sive manus impositione invitatus libenter in eo corde inhabitet, è quo asperitatem chrismate fugatam reperturus est. Hæc ni fallor, haud paulo clariora rectioraque sunt obscuris & contortis amici nostri glossis.

CAPUT XXVII.

Ab Hammondo me falso accusari veluti citarim librum de Salomone Ambrosio subditum. II. è Latinis testis Pacianus, qui & ipse chrismationem inter baptismi res censet. Vanissima Hammondi ad ejus locum commenta confutantur. Manibus sacerdotum effundere *ei est advolvere sacerdotibus pro adducere ad sacerdotes. Alia glossarum ejus portenta, & antiquitati ignota ampullæ* de liberioribus *Spiritus* fluentis *de Episcoporum* manu manantibus *chrismatosque* inundantibus. *Refellitur quod ex alio quodam Paciani loco nobis frustra objicit.*

EX Ambrosio, Hammondus Dallæum unicum locum ex libro de Salomone adduxisse, bis nos monuit: *d* & quidem adducendum existimasse; qua de re judicium meum reprehendit; quod qui opus de

d Hamm. c. 6. sect. 6. § 1. 2. 8. p. 163. 165.

Caput XXVII. sacramentis adulterinum fœtum esse dixerim à Coco demonstratum, hunc tamen de Salomone librum, tametsi de eo Erasmum dubitasse sciverim adducendum esse ipse existimaverim. Vide quo Hammondum compulerit immodicum amico contradicendi studium. Quod enim non semel affirmat, à me adductum fuisse de Salomone librum, id simpliciter falsum. Liber meus *e* loquitur non à me, sed à Petro Aurelio inductum fuisse in hanc disputationem illum de Salomone librum. Me vero ut de hoc testimonio satisfacerem primo Ambrosiani nominis auctoritatem ei detraxisse, diserte admonentem Erasmum dubitasse an, sit Ambrosii. Tum descripta è libro verba, sic explicavi, ut nihil sententiæ meæ nocerent; nimirum auctorem libri dixisse *Spiritum per chrismatis unctionem à Christo dari*; primo quod Spiritus chrismate significaretur; secundo quod etiam in illo ipso baptismi sacramento cujus chrisma pars est, Spiritus ille daretur. Hammondi erat hanc solutionem refellere; sed eam ille non secus dissimulavit, quam si nulla esset. Tantum dicit *f clarissimum esse auctiora Spiritus dona denotari.* Cum vero clarissimum quoque sit spiritus nomine simpliciter posito multo frequentius dona ejus simpliciter intelligi, quam auctiora tantum significari; probare debuerat Hammondus, non pro imperio sumere, Spiritum hæc hoc loco, non illa significare. Ego qui de istis Spiritus *auctioribus donis, augmentis, incrementis, uberioribus haustibus,* & cæteris hujusmodi quæ ad fastidium ubique crepat Hammondus, nihil uspiam à vetustissimis præsertim Patribus dictum scio; qui ubique apud eos *Spiritum, Spiritus gratiam* &c. per chrismationem conferri lego; Spiritus istic *gratiam* simpliciter, non *auctiorem gratiam*; hanc autem *gratiam Spiritus* in mysterio initiationis Christianæ, id est in baptismo dari, non gratis (quod falsissime dicit *g* Hammondus) sed jure meo ita manifesto postulo, ut nemo qui sit Christianus, id mihi negare ausit. Quod addit Spiritus *auctiora dona in chrismatione adjecta fuisse neophytis*, (præter ea scilicet, quæ jam per baptismum consecuti erant) *aque notum esse ac quod notissimum*; id inquam ego tum admittam, cum ex primæ antiquitatis monumentis demonstratum videro.

e L. 2. de Conf. c. 23. p. 267.

f Hamm. c. 6. sect. 6. §. 8. p. 165.

g ibid. p. 166.

Post Ambrosium sequitur Pacianus, Barcinonensis Episcopus, qui æque ac ille sub Theodosio vixit. Ejus hunc locum ex *sermone de baptismo* descripseram; *h Sic* (inquit) *i generat Christus in Ecclesia per suos sacerdotes: ut idem Apostolus: In Christo autem ego vos genui. Atque ita Christi semen, id est Dei Spiritus, novum hominem, alvo matris agitatum, & partu fontis exceptum, manibus sacerdotis effundit, fide tamen pronuba. Neque enim aut insertus in Ecclesiam videbitur, qui non crediderit, aut genitus à Christo, qui Spiritum ipse non recepit. Credendum est igitur posse nos nasci. Sic enim ait Philippus, si credis potes. Recipiendus est Christus, ut generet, quia sic Ioannes Apostolus dicit, Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Hæc autem compleri alias nequeunt, nisi lavacri, & chrismatis, & Antistitis sacramento. Lavacro enim peccata purgantur:*

h L. 2. de Confirm. c. 21. p. 248.
i Pacian. serm. de bapt. Bibl. Patr T. 3. p. 77. B. C.

tur: chrismate Sanctus Spiritus superfunditur. Utraque vero ista manu & ore Antistitis impetramus, atque ita totus homo renascitur & innovatur in Christo, ut sicut resurrexit Christus à mortuis, sic & nos in novitate vitæ ambulemus. Hæc Pacianus; ex quibus chrismationem baptismi rem & ritum esse colligebam, primo ex titulo qui signat hunc sermonem ubi de chrismate multa habentur, esse *de baptismo*: & ex ea ipsa auctoris professione; *Aperire* (inquit) *desidero qualiter in baptismo nascamur, & qualiter innovemur.* Quorsum iste titulus, quorsum hæc professio, si chrismatis ritus à baptismo alienus est, si nihil habet cum ea ratione, qua in Christo nascimur commune? Doctissimus Hammondus sermonem dictum esse ait non solum ad Catechumenos, sed etiam ad fideles jam baptizatos. Sed ad quoscumque dictus sit, certe qui de baptismo est, nihil tractare debuit à baptismo alienum, nihil nisi quod ad eum pertineat. 2. Sed & ex ipsis auctoris verbis id ipsum ita concludebam; *Quod ille nos alvo Ecclesiæ tum effundi, id est nasci doceat, cum Spiritus in animis nostris superfusus venit: Spiritum autem chrismate superfundi dicat, patere eum putasse nos non ante nasci, quam chrismari: Itaque cum in baptismo nos Domino nasci omnes confiteantur, necessario confitendum est nos in baptismo ipso chrismari, chrismaque adeo rem esse baptismi.* Hammondus nihil ad hæc proprie dicit; sed verba Paciani ex quibus argumentum ducitur, mirifice, ut hinc evadat, interpretatur. Verba sunt de Dei Spiritu; *novum hominem, alvo matris agitatum, & partu fontis exceptum manibus sacerdotis effundit, fide tamen pronuba.* His autem verbis describit, *quomodo generet Christus in Ecclesia per suos sacerdotes.* Ac Hammondus quidem *agitationem in alvo matris* recte de institutione infantium catechetica accipit: *fidem pronubam*, de fide baptismi conciliatrice; quia (ut ait ipse Pacianus) *insertus in Ecclesiam non videbitur, qui non credidit: partum fontis*, de *baptismo.* Quod vero sequitur, id ille ad alienum & peregrinum sensum præter omnem veri speciem torquet. Postquam enim Spiritus Dei novũ hominem institutione ad fidem intus in Ecclesiæ ut sic dicam utero effinxit atque formavit, cum addit Pacianus *partu fontis exceptum manibus sacerdotis effundit*, nihil naturæ rerum, aut eorum quæ hactenus dixit, rationi magis videtur consentaneum, quam ut his ultimis significatum intelligamus, novum illum Christi fœtum fontis veluti uteri partu foras protrusum, & sacerdotum manibus exceptum effundere, id est in lucem tandem edere: familiari in describendo partu loquendi formula. Hammondus longe alio hæc torquet. Nam quod ait Pacianus, *manibus sacerdotum effundit*, accepit pro *advolvit*, eoque vult significatum, *eius qui prius baptizatus est, adductionem ad Episcopum.* Sed huic novæ profecto, ac ni fallor hactenus inauditæ interpretationi repugnat primo vis ipsa verborum. Infantes quidem è partu *excipi* obstetricum manibus, usitatum est; ut neophytum hic *è fontis partu manibus sacerdotum excipi* dicit Pacianus. Ita enim verba interpretanda, *exceptum manibus sacerdotis. Effundere manibus sacerdo-*

CAPUT XXVII.

k L. 2. de Conf. ub. supr. Pac. ibid. p. 75. C.

l Hamm. c. 6. sect. 4 § 4. p. 154.

Caput XXVII. tum, pro *advolvere*, quis ferat? Nam neque *effundere manibus*, pro *in manus*, dicitur: neque si diceretur, id significaret, quod vult amicus noster; *advolvere*. *Advolvi* enim *manibus Episcopi*, pro *adduci ad Episcopum*, quo tandem redit doctissimi nostri Censoris haud sane bellum interpretamentum, locutio est, ut mihi quidem videtur, ab omni Dei hominumque sermone aliena, adeoque absurda, & Paciano indigna. Quid, quod qui proxime præcessit, sermo, ipse clamat, aliud voluisse auctorem *Sic* (inquit) *generat Christus in Ecclesia PER SVOS SACERDOTES*. Cum his statim subjicit; *Atque ita Christi semen, id est Dei Spiritus novum hominem &c. portu fontis exceptum manibus sacerdotum effundit*; satis ut opinor, clarum est auctorem nihil aliud his verbis, *manibus sacerdotum*, significare, quam id ipsum quod dixerat, Christum vel Christi spiritum *PER SVOS SACERDOTES*) id est eorum ministerio) novos suos homines & *generare in Ecclesia*, & nascentes in lucem regni sui edere atque effundere. Neque aliter accipienda quæ paulo ante dixerat, *veniente desuper Spiritu Domini*, *nostrarumque animarum substantia superfuso & admixto protinus semente cœlesti nos visceribus matris inolescere*, *alvoque eius effusos vivificari in Christo*. *Alvo effusos* id ipsum est quod supra, è fonte velut ex Ecclesiæ utero edi in hanc lucem. Neque vexandum, quod ait *vivificari in Christo*, quasi vita caruerit (quod absurdissimum est) qui nascitur fœtus vitalis. *Vivificari in Christo* significat eam vitam, quam à Christi Spiritu accepimus, foveri, servarique, vimque & actus suos in Domino explicare. Ita confutata insulsa hac doctissimi nostri Censoris glossa, stat quod hinc adduximus argumentum. Sed & alia quoque argumenta in nostram sententiam colligebamus [m] ex illis Paciani verbis, quibus negat ea, quæ prius dixerat *nos Christum recipere & nasci*, *compleri alias posse*, *nisi lavacri*, *& chrismatis*, *& Antistitis sacramento*. 3. Ac primo quidem scriptorem, dum dicit lavacri, & chrismatis, & Antistitis, id est (ut ego quidem censeo) manus impositionis *sacramento*, in singulari numero, non in plurali *sacramentis*, eo ipso significare hæc tria unum esse sacramentum, non plura. Neminem enim sacrum dicturum se *baptismi & Eucharistiæ sacramentum* suscepisse. Hic vir doctissimus ait [n] *hæc Paciani esse obscuriora*, *quam ut huc iniussus adducenda putaret*. Quia scilicet non sunt in rem suam: negat tamen ea sibi obesse, qui (*onfirmationem inter sacramenta non numerat*. Frustra, quia hæc Paciani chrisma in unum cum lavacro sacramentum compingunt, adeoque unum ex lavacri ritibus esse, quod ipse negat, constituunt. Nam lavacrum quidem sacramentum esse proprie strictèque dictum ne ipse quidem negaverit. Neque aliud vincit quod Pacianus paulo post de *lavacro & chrismate* dixit *utraque ista manu & ore Antistitis impetrari*. Confitemur enim diversos esse *lavandi & chrismandi* actus: sic tamen, ut qui inter se differunt actus ij in unum initiationis scilicet nostræ sacramentum conjuncti coeant, adjecto ad Baptismum ex Patrum instituto chrismate. Denique respondet *tres Ecclesiæ ritus*

m L. 2. de Conf. c. 21 p. 249.

n Homm. c. 6. sect. 4. § 5. p. 154-155.

sub

sub hoc ſacramenti vocabulo *quippe* [illegible] *& generali comprehendi.* CAPUT XXVII.
Aſſentior: dum concedat, quod ſingulari numero poſitum à Paciano *ſacramenti* nomen docet, hæc tria unius *ſacramenti*, ut ſic dicam, corpus conſtituere. Atqui hoc ipſe ſtatim evertit, dum illud *Antiſtitis ſacramentum*, quod dicit Pacianus, de *Antiſtitum creatione* ſane perabſurde intelligi vult. Nihil enim ad baptiſmum antiſtitum creatio: ita diverſus à baptiſmo ritus: ut in unius cum eo ſacramenti nomen venire non poſſit. Sed nihil eſt adeo abſurdum, quod vir doctiſſimus non malit, quam ſuam *manus impoſitionem* ad baptiſmum pertinere. Hanc enim *manus impoſitionem* illo *lavacri, chriſmatis, & Antiſtitis ſacramento* una cum baptiſmo & conſignatione intelligi ſatis ut mihi quidem videtur, ex verbis ſtatim ſequentibus apparet, *Lavacro enim* (inquit) *peccata purgantur: chriſmate ſanctus Spiritus ſuperfunditur.* Vtraque vero iſta manu & ore Antiſtitis impetramus. Antiſtes enim non modo lavat & chriſmat: ſed etiam manum imponit, & ore benedicit: qui ultimus erat apud Latinos initiationis actus. 4. Sed & ex eo, quod Pacianus illa de quibus locutus eſt, lavacro, chriſmate, & Antiſtitis manu *compleri* dicit, argumentabar hæc ad baptiſmum pertinere. Nam quæ his *compleri* dicit, ea vero ut ex ſuperioribus patet, nihil eſſe aliud, quam Spiritum Sanctum & Chriſtum recipere ad hoc ut generemur & renaſcamur. Vnde conficitur Paciano Chriſtiani hominis ut ſic dicam, renaſcentiam iſtis tribus, lavacro, chriſmate, & Antiſtitis manu *compleri.* Cum vero non alio nos quam baptiſmi ſacramento renaſci certum ſit & confeſſum, neceſſario confitendum eſſe Pacianum, qui chriſma affirmat unum eſſe ex iis, quibus renaſcentiæ noſtræ completur myſterium, putaſſe chriſma ad baptiſmum pertinere, unum adeo eſſe ex ſolennibus ejus ritibus. 5. Id ipſum & ex eo confirmabam, *o* quod Pacianus poſtquam explicavit *o* L. 2. de
quo iſta referantur, *lavacro ſcilicet peccata purgari, chriſmate S. Spiritum ſuperfundi*, tandem locum ita concludit; *Atque ita* (inquit) *totus homo renaſcitur & innovatur in Chriſto*; Non enim potuiſſe eum clarius eloqui ac ſignificare, *lavacro & chriſmate totum hominem renaſci & innovari*, adeoque *chriſma* ad baptiſmum pertinere, in quo uno homines Chriſto renaſcuntur & innovantur. Hic deprehenſus Hammondus omnia mirabiliter involvit; *p* neque tamen hirum proficit. Diſtinguenda eſſe dicit, quæ Dallæus confundit, *renaſci & in vita novitate ambulare.* Hæc-cine confudit Dallæus? Imo vero is clariſſime diſtinxit, quæ tu perperam falſoque permiſces; cum eodem loco illa quæ diximus argumentatus hæc ſubjicit, *Quo iſta poſtremo pertinent, quæ ex Paulo ad deſcribendum totius iſtius ex lavacro & chriſmate myſterij* EFFECTVM *affert, ut ſicut reſurrexit Chriſtus à mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Ex his videre eſt, quam inique Hammondus cum amico agat, quem immerentem ea confudiſſe dicit, quæ ille clariſſime diſtinxit, renaſcentiam ab ambulatione in vitæ novitate, ut cauſam ab effectu, ut fontem à rivo, arborem à fructibus. Vnde porro elucet, quantopere ipſe

Confirm. c. 21 p 250.

p Hamm. c. 6. ſect. 4. §. 9. p. 157.

Caput XXVII.

q Id ibid. §. 6 p. 155.

ipse erret, dum ex his Pauli à Paciano usurpatis verbis illum suum Confirmationis à baptismo divisum ritum conficere vult; q *Renascentia* (inquit) *aut innovatio est ipsissima sine dubio in baptismo παλιγγενεσία, cuius lavacro peccata purgantur.* Nihil hic desiderarem, si præter eam peccatorum remissionem quam baptismo tribuit, illum quoque *Spiritum Dominicum* addidisset, quem paulo ante *in baptismo dari extra omne dubium posuerat*, negans *aliter verum esse nos ex aqua & Spiritu baptizari.* Id vero Spiritus Sancti in baptismate donum hoc loco omittere, artis & doli suspectum est, quo scilicet illa *in novitate vitæ* quæ sequitur *ambulatio*, quæque tota spiritus dati fructus est, Confirmationi seorsum à baptismo assignaretur. Sic enim pergit Hammondus; *At præter banc* (renascentiam qua peccata purgantur) *est ipsa post Christianæ vitæ ingressum mandatorum observatio, vel in novitate vitæ ambulatio, quam fidelis in Confirmatione solemniter spondet, & ad quam feliciter peragendam largiores Spiritus rivos Episcopus precatur.* Hæc ille. Sed quid tergiversatur? Cur non rotunde pronuntiat præter peccatorum remissionem, aliud aliquid requiri, ut Christianam *vitam ingrediamur*, Spiritus scilicet *Sancti donum*, absque quo non magis *nasci & ingredi*, quam *ambulare* possumus? Cur non hic quoque, ut paulo ante, Spiritum illum in baptismo dari confitetur? Sed instituat ille quidem ut libet; Pacianus longe alio nos ducit. Apertissime enim docet ac loquitur *totum hominem eo renasci & innovari*, quod lavacro peccata ejus purgantur, & chrismate Spiritus Sanctus superfunditur. Clariora sunt ejus verba, quam ut de eo dubitandi supersit locus. Postquam enim dixit *utraque illa, lavacrum, quo peccata purgantur, & chrisma quo Spiritus S superfunditur, Antistitis manu & ore impetrari*; sic continenter pergit; *Atque ita* (inquit) *totus homo renascitur, & innovatur in Christo.* Vel cæcus videt eum velle nos totos renasci & innovari suscepto lavacro & chrismate; ita ut renasci nemo possit, nisi Spiritus in eum chrismate superfusus fuerit. Ergo inquam, chrisma ad renascentiam vel innovationem illam nostram pertinet, quam Hammondus fatetur *ipsissimam esse* sine dubio in baptismo παλιγγενεσίαν; Vnde necesse est vel chrisma in baptismi ritibus censeri, vel certe, quod nemo dicet, duo esse regenerationis nostræ proprie strictèque dicta sacramenta. Hoc si tenemus, sponte sua corruunt quæ vir doctissimus tanquam ex arena sine calce pro sua unius libidine ædificat. Hominem totum ita ex lavacro & chrismate renasci in Christo ait & innovari, *ut sicut resurrexit Christus à mortuis, sic & nos in novitate vitæ ambulemus.* Finem scilicet divini illius operis, quo nos Christus regenerat & innovat, hic eum esse docet, ut sicut Christus à mortuis resurrexit, ita & nos aqua & Spiritu ejus renati, ac resuscitati in baptismo, deinceps novam vitæ rationem ineamus, sanctè casteque ac constanter in viis Domini ambulantis. Hic clarus est Paciani sensus; neque alius esse potest, nisi à Paulo, cujus hæc ipsissima verba sunt, discedamus. Paulum enim hæc ad baptismi vim referre, & ipse edicit, & omnes interpretes confitenu-

confitentur, r *Quicumque* (inquit) *baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus. Cõsepulti enim sumus cũ illo PER BAPTISMUM in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Frustra ergo Hammondus comminiscitur s novam extra baptismum chrismationem, qua *resuscitemur* scilicet in Christo; quasi non *resurrexerit* in Christo, qui ex aqua & Spiritu renatus est. Non est hæc Paciani, quæ ab isto fingitur, chrismatio. Illa Paciani chrismatis Spiritum quo renati sumus, in nos superfuderat. Hæc Hammondi jam renatos, jam Christo commortuos, consepultos, & conresuscitatos, non Spiritu simpliciter, sed *largioribus Spiritus rivis*, inundat; ut scilicet suavius, & velocius ambulemus in novitate vitæ. Nam qui jam *renatus & innovatus erat*, hoc ipso ad novam vitam ineundam instructus erat: Tantum ut sit instructior & firmior, novum Spiritus auxilium ad ea ejus dona, quæ in baptismo jam acceperat, per chrisma accipit. Eodem argumento hoc ipsum Hammondi inventum refellitur, quod & alibi sæpe, & hic nobis reposuit, t Spiritum Domini in baptismo quidem dari, sed ejus tamen largioribus rivis homines in Confirmatione perfundi & prolui. Ista à Patrum sensu aliena fuisse vel hinc patet. Nam qui nobis Spiritus ad hoc datur, ut renascamur, is profecto Spiritus primum donum est, ante quod nullam aliam ejus gratiam acceperamus. Atqui eum Spiritum, *qui chrismate superfunditur*, Pacianus eo à nobis *suscipi* docet, quo *renoscamur*. Ergo eum Spiritum esse putavit qui nobis primulum, cum Christiani simus, donatur: non largiorem ejus gratiam, qua jam renatos & in Christo viventes optimus & liberalissimus parens locupletare solet. Hammondus quidem, ut suam hanc opinionem firmet, duo hic offert: prius Samaritanorum exemplum, qui cum essent à Philippo *loti, & Spiritu Christi rigati, postea tamen uberioribus fluentes ab Apostolorum manu manantibus inundati sunt.* Magnifice profecto & diserte. Sed nil ad rem facere exemplum jam supra ostendimus. Quem enim Spiritum ab Apostolorum manu acceperunt Samaritani, is erat non ejus Spiritus quo rigati erant in baptismo, incrementa, & uberius, largiusque donum: sed alius diversi plane generis Spiritus, nimirum signorum, prophetiæ, linguarum & cæterorum charismatum, quorum nunc fluente ab Episcoporum, etiam sanctissimorum, manibus nulla neque nos neque Hammondus manare vidimus. Is Spiritus cujus nobis incrementa per suum chrisma pollicetur, est idem ille Spiritus quo jam eramus baptizati, *Spiritus S. à sanctitate quam ingenerat sic dictus*, ut ipse fatetur. u Deinde Hieronymum ad hanc temeritare voluisse videtur. Ille fortassis, ut alii quidam Patres, septemplicem Spiritum, qui & ipse gratiæ sanctificantis est, nobis *per consignationem* dari testatur ad renoscentiæ scilicet nostræ mysterium; *fusiores* vero illos *Spiritus haustus* nusquam memorat, quos proprie ponit ac defendit Hammondus.

Ex his patet eorum solutio, quæ ille post Bellarminum ex altero quo-

CAPUT XXVII.

r Rom. 6. 3. 4.

s Hamm. ut supr. §. 9 & 10.

t Hamm c. 6 sect. 4 §. 6. p. 155 & §. 9. p. 157 & § 12. p. 158.

u Ibid. §. 10.

Caput XXVII.

x Pacian. ep.1. y Ibid. §.11. p.158.

dam Paciani *x* loco colligit, *y* ubi *ligandi* & solvēdi jus Episcopis à Christo datum esse eo argumentatur, quod iidem *lavandi & chrismandi* potestatem ab eo habeant. Vnde noster; *Quid clarius?* inquit. *æque scilicet distingui baptismum à Confirmatione, ac Confirmationem à Pœnitentia.* Ita-ne? Atqui illa de horum rituum æquidistantia plane nihil dicit, quæ tota imaginaria est, ab Hammondo pro libitu conficta. Pacianus tres actus sive functiones muneris Episcopalis nominat, lavare, chrismare, ligare. Quid sint vel per se, vel inter se non dicit, argumento suo intentus, ad quod ista definire nihil opus erat. In sermone de baptismo, quæ propria hujus quæstionis sedes, clarissime docuit chrisma ad baptismum pertinere; quod satis est. In tertio Paciani loco, nihil aliud

z Ibid. §.12.

observat, *z* nisi *consignationem fuisse ritum impetrandi Spiritus*; Concedo. Quod vero Spiritum interpretatur, non simpliciter Spiritus gratiam, qualem in baptismo dari fatetur, sed largiores (ut amat loqui) *eius haustus, qui in Confirmatione imbibantur*, id totum à se habet; non habet à Paciano; quem aliud intellexisse vel inde liquet, quod Novatianam plebem, non certe illis duntaxat *largioribus Spiritus haustibus*, quos Hammondus dicit, sed plane omni Spiritus vere sanctificantis dono caruisse significat, cum ita eos interrogat, *a Vestra plebi unde Spiritus, quam non consignat unctus sacerdos?* ad quem locum in Hammondi margine annotatum Orthod. p.130. quasi librum aliquem hujus tituli scripserit Pacianus; quod non ita est Hic enim eius locus extat in ep.3. Sed quisquis id sic annotavit sive ipse Hammondus, sive alius, eo deceptus est; quod in meo de Confirmatione opere hanc ipsam notam in margine ibidem apposui; ad indicandum non sane Paciani, unde hæc verba sumpta sunt, sed Petri Aurelij librum quem Orthodoxum contra Sirmondum inscripsit. Istic enim Aurelij ex Paciani verbis paralogismum refello. Sed hæc obiter.

a Pacian. ep. 3. T.3. Bibl. Patr. p.58. D.

CAPUT XXVIII.

III. De Latinis testis Prudentius. Refelluntur paralogismi quibus Hammondus suæ extra baptismalis chrismationis inventum ex eo extundere frustra conatur. Eius parum probabilis censura quo innotatum pro innovato quod malebam, apud Prudentium legi vult. Solennia vaticinatur de meo causæ huius studio.

b Hamm. c. 6. sect. 8. §.3. p.172.

c Prudent. Hymno. noct.

PRudentius, qui Ambrosio & Paciano superfuit, quædam doctissimo Hammondo *b* carmina suppeditauit, quæ Christianos *lotos, unctos, regali chrismate signatos fuisse* docent; *c* quod nemo negat; chrisma ritum fuisse à baptismo divisum, non docent, quod quæritur. Sed ille hæc Prudentij non alia fortasse gratia descripsit, quam ut ex ea occasione

casione emendationem quandam meam, *d* reprehenderet. Hi vero sunt Prudentij versus, CAPUT XXVIII.

Cultor Dei memento *Rorem subiisse sanctum*
Te fontis & lavacri *Te chrismate innotatum.*

d L. 2. de Conf. c. 23. p. 267.

Istis hoc quoque ex ejusdem *e* scriptoris Apotheosi hemistichium addit Hammondus, ------ *Lotus procul absit & unctus.*

e Id. apoth.

& hæc præterea ex alio Prudentij opere, *f*

f Id. contr. symmach.

------ *Lateranos currit ad ædes*
Unde sacrum referat regali chrismate signum.

Atque hic quidem ultimus locus, quid ad præsentem quæstionem faciat, difficile est assequi. Ex eo videmus solitos Prudentij temporibus chrismate consignari Christianos, quod nemo negat; Chrisma fuisse ritum à baptismi ritibus diversum, sui seorsum generis atque ordinis, hinc quidem nemo, ut opinor, intellexerit. Duorum superiorum locorum eadem est ratio, quæ describit sane Hammondus; quid ex iis colligat, non docet. Si hoc vult, *lotionem* aliud esse, quam *unctionem*, mirabilem nos docet sapientiam; quam nemo ne stupidissimus quidem nescit; nos certe de ea adeo non dubitamus, ut id ipsum, quod ille habet, sexcenties professi fuerimus. Sin duos illos inter se diversos actus, hinc vult intelligi non ad unum idemque sacrum pertinuisse, quo Catechumeni Christianismo initiabantur; id erat aliqua ratione demonstrandum; de quo scilicet nihil apud Prudentium legitur. Vtrumque actum ad illud unum idemque sacrum pertinuisse, certe eodem tempore conjunctim administratum fuisse, (quod nunc non fit apud Latinos) ego mihi videor probabilius inde argumentaturus, quod Prudentius *lotum & unctum* conjungit; *lavacri rorem & chrismatis innotationem* simul dicit. Absurde ni fallor, si duo illi actus complurium annorum spatio alter ab altero divisi erant; ut nunc sunt apud Latinos. Hæc ego ad primum Prudentij locum jamdudum observaveram, *g* cum eum à Bellarmino & aliis Latinis objectum solverem; quæ Hammondus ex sua illa solenni prudentia strenue dissimulavit. Vtcumque sit, illud quidem certum ac manifestum est, Prudentium, quod quem Christianismo initiatum significat, *lotum & unctum* dicit, item *sacri fontis rorem subiisse*, & *chrismate innotatum* esse, eo non magis hæc in duo diversa sacramenta divisisse, quam Carolum Magnum panem & calicem mensæ Dominicæ, eo quod infantes ut communicatos significaret, scripsit *h corporis Dominici edulio, & sanguinis haustu satiatos. Edere* aliud esse, quam *haurire*, significat fateor, dum sic loquitur; *Esum & potum* unius ejusdemque esse mysterii partes non negat; negasse ne ipse quidem Hammondus, tantus licet talium argumentorum artifex, argumentaretur credo, si viveret. Sed frater amicissimus, qui cætera ad Prudentium à nobis dicta intacta præteriit, hic me invadit, acerrimeque atque amare reprehendit, quod obiter & aliud agens paucis monueram in illo Prudentij versiculo, *& chrismate innotatum*, pro *innovatum*, quod durum & barbarum

g L. 2. de Conf. c. 23. p. 268.

Caput. XXIII.

barbarum esse videtur, legendum esse *innovatum.* Affirmat *me ex coniectura tantum, & ut hypothesi mea rem gratam facerem*, locum ita emendandum judicasse. Mirum mihi videtur virum qui de sua in nos benevolentia & caritate non semel testatur, non modo suspicari, sed pro certo affirmare me locum illum non alia de caussa ita correxisse, quam *ex coniectura*, & mero *hypotheseos*(quam dicit) studio. Ita-ne *ex coniectura tantum* locum correxi? Atqui ipse *innovatum* in vulgatis codicibus legi confitetur, neque omnia, sed *ALIQVA Prudentii exemplaria, innotatum* legere. Hæccine mera mentis meæ conjectura fuit? qui eam lectionem prætuli, quæ librorum auctoritate nititur, & quidem ut ipse fatetur, plurium omnium scilicet vulgatorum? Sed neque negat Baronium meum legisse & scripsisse hunc Prudentij locum, & Cassandrum, *i* suas alioqui delicias, verbi *innotare* insolentia deterritum nihil in vulgata lectione, quam ego retinendam censui, mutare ausum esse. Ergo-ne *ex coniectura tantum*, eam lectionem prætuli, quæ præter vulgatorum librorum fidem, etiam duorum doctissimorum virorum judicio melior est? Sed & rationem adjeceram, cur infantem chrismate *innovatum* potius quam *innotatum* apud Prudentium legendum esse censerem, à vocabuli *duritie & barbarie* petitam, cuius insolentiam Cassander quoque notaverat. Amicus rationem suaviter elusit. Non enim, quod verum erat & legitimum candidi disputatoris pensum, objectam vocabulo *duritiem barbariem* aut *insolentiam* allato alicujus probi, ac locupletis de Prudentiano seculo scriptoris exemplo & auctoritate purgavit: sed vocabulum, si admittatur, *commode explicari*, ex aliis locis, quæ studiose corrasit, multis ostendit: quasi nos objecerimus vocabulum explicari non posse, si in usu sit: non autem durum & barbarum, ut Cassander *insolens*, esse dixerimus, id est apud scriptores Prudentii pares ignotum & inusitatum. Nihil opus erat virum doctissimum oleum & operam perdere, ut nos doceret, quis futurus sit vocabuli illius sensus, si in hoc Prudétii loco retineatur. Res est ex etymo cuivis satis obvia, & nobis si nesciremus, jampridem à Cassandro explanata, qui *innotatum* ait esse *consignatum:* qui sensus meam de chrismate sententiam nihil lædit. Amicum vero quis timuisse non videt, ne si *chrismate* infans *innovatus* diceretur, eo *chrisma* ad innovationis nostræ sacramentum, id est ad baptismum pertinere intelligeremus, vel saltem suspicaremur? Vnde judicare promptum est, uter nostrum, ego-ne in retinenda, an ille in refutanda vulgata Prudentii lectione privato opinionis suæ studio sit obsecutus.

i Cass. Schol. in Hymni loc. p. 220.

CAPUT

CAPUT XXIX.

IV. de Latinis testis Hieronymus. Hammondus mihi invidiam falso conciliat, neque sua ex Hieronymo probat, qui mea sententiæ apertissime favet.

Hieronymus Ambrosio, & Paciano diu superfuit: sed multa tamen iis adhuc viventibus scripserat: in quibus est Dialogus contra Luciferianos circa a. D. 370. editus. Ex eo locum de hoc nostro argumento insignem fuse contra Latinos defendimus. k Hammondus testimonia, quæ inde describit, *lucidissima* vocat, quomodo fere solent *lucidissima* ei videri, quæcumque suæ sententiæ favere putat: quæ repugnant, obscurissima. Sed eorum quæ observat, plæraque ad manus impositionem pertinent: pauca de chrismatione inserit, quæ breviter libabimus, quod eum in his ipsis pæne consentientem habeamus. Nescio qua mente post descripta aliquot Hieronymi loca hanc observationem adjecerit: *Quæ hic aut Bellarmino de sacramento chrismatis Dallæus obiicit, aut Aurelio de chrismatis usu cum Sirmondo, nos plane* (id est Ecclesiæ Anglicanæ Theologos) *non attingunt: qui nec Confirmationem sacramenti titulo insignimus, nec Episcopali manuum impositioni & benedictioni, quibus rem totam conficimus, chrisma ἐν ἐσχάτῳ adiungimus.* Hæc ille: quæ mihi non modo supervacanea, sed tantum non ridicula videntur. Quæso enim, cur in illa disputatione quam totam contra Latinorum Theologos institui, ea inspergerem quæ Anglos ferirent? Quasi vero idem sit utrorumque de hac controversia judicium. Sed neque mihi sum conscius quicquam in toto opere scripsisse, quod Confirmationem Ecclesiæ Anglicanæ, vel publicam ejus doctrinam ac Confessionem perstingat. Itaque qui hanc disputationis meæ partem, quod suam Ecclesiam non feriret, valere jussit intactam: neque cæteras lacessere debuit: vel certe invidiosis istis observationibus, quæ rem falsissimam & magna mea cum injuria conjunctam lectoris facile persuadent, illud scilicet nostrum opus etsi quædam habeat proprie contra Latinos disputata, cætera tamen contra Anglicanam Ecclesiam præcipue meditatum à me fuisse atque editum. Ego vero fateor me in disputatione de veterum Christianorum chrismatione & manus impositione quærentem reperisse utramque baptismo veluti ritum aut cærimoniam adjectam tum fuisse, eoque ordine ac numero diutissime apud Patres habitam atque censitam; qua de re non puto ullam esse publicam & totius Ecclesiæ Anglicanæ communem definitionem; Quinimo ne doctissimum quidem Hammondum aliud sentire inaudiveram cum illud opus edidi. Sed de chrismatione, quid testetur Hieronymus, nunc audiamus. *Sine chrismate* (inquit) *& Episcopi jussione neque Presbyter neque Diaconus jus habent baptizandi*; quod tamen ad commendandam Episcoporum dignita-

k L. 2. de Conf. c. 22. p. 253. Hamm. c. 6. sect. 5. in tit. p. 159.

l Ibid. §. 5. p. 162.

Caput XXIX. dignitatem institutum esse testatur; *ad honorem* (inquit) *potius sacerdotii, quam ad legis necessitatem.* Utcumque sit, hinc patet non modo Presbyteros, sed ipsos etiam Diaconos quos baptizabant eosdem quoque chrismasse, modo ne id facerent injussu Episcopi. Sed quid eo disertius in hanc rem dici potest, quam quod in eadem quoque disputatione ex alio Hieronymi opere attulimus, *m* ubi chrisma rem baptismi esse eo ipso clamat, quod id *chrisma baptismi* vocet; *n Ac ne forte* (inquit) *o qui chrisma baptismi perdiderunt desperent de chrismate reparando, scriptum est in Levitico* &c. Doctissimus Hammondus hæc *Hieronymi verba apertiora esse dicit, quam ut de chrismatis in baptismo usu, sub eius saltem ævo, in quibusdam Ecclesiis obtinente dubitari recte queat*, quæ fateor parcius & malignius quam decebat, ab eo dicta esse. Quod enim hunc chrismatis usum *ad ævum Hieronymi, & ad quasdam tantum Ecclesias* restringit, eo multum à vero discedit. Imo nequid de Ecclesia Orientali & plurimis ipsius Occidentis Ecclesiis dicam, in quibus etiam diu post Hieronymum, usus chrismatis in baptismo communis fuit, ac publicus; certe abdicata Pontificalis libri auctoritate, cui se confidere negat Hammondus non puto eum facile demonstraturum fuisse vel in ipsa urbe Roma sine chrismate baptizatos esse infantes a. D. 370. quo tempore Hieronymus de quo quæritur Dialogum hunc scripsit contra Luciferianos. Non video, quid huc faciat, quod observat *p* Hammondus unctionem in multis aliis præter baptismum officiis sacris adhibitam esse. Scimus Patres de ritibus istis à se inventis, veluti de rebus suis varie pro arbitrio lusisse. Non eo tamen efficitur ut quæ neophytis administrata est unctio, ea non fuerit baptismi cærimonia; plane eodem modo quo Ordinationis & Pœnitentiæ cærimoniæ censebantur, quæ in earum officiis fiebant unctiones. Denique quod amicus noster non obscure indignatur *q* à me Bellarmini fraudem detectam esse, sub æquivoco Confirmationis nomine dissimulantis de neophytorum chrismatione apud Hieronymum agi, non de manus impositione; non valde miror; quod ipse eadem quoque techna crebro ac passim *Confirmationis* nobis vocabulum pro *chrismatione* obtrudat, quasi quæ *Confirmatio* est, non possit eadem alicujus diversi à se sacramenti esse cærimonia. Sed bene est, quod noluit ea quæ in Bellarminum dixi, *pensiculatius indagare.* Nimirum satis intelligebat se gingivam fracturum, si ea mordere vellet, quæ rationis & veritatis solido nituntur.

m L. 2. de Conf. c. 22. p. 258.
n Hier. L. 2. in Habac. c. 3. T. 6. f. 89. F.
o Hamm. c. 6. sect. 5 §. 6. p. 161.
p Ibid. §. 7.
q ibid. §. 10. p. 162.

CAPUT

Caput XXX.

V. ex Latinis testis Augustinus; qui chrismationem baptismi cærimoniis non semel accenset, cui & assentitur Fulgentius, testis adeo Latinorum. VI. Infælix Hammondi labor in suo extra-baptismali chrismate apud Augustinum venando; cuius loca vel glossis exoticis fœdat, vel paralogismis mirabilibus vitiat.

AD Augustinum Hieronymi æqualem & amicum transeo; cujus sex loca doctiss. Hammondus magna confidentia ostendit, quæ ad ea responderam, plæraque dissimulans, quædam etiam invertens. Dissimulavit quam ibi r attuleram clarissimam meæ sententiæ demonstrationem ex sermone qui apud Augustinum est 83. de diversis. Ibi auctor neophytos sic alloquitur; s *Vos* (inquit) *ante jejunij humiliationem exorcismi sacramento, quasi molebamini. Accessit baptismum & aqua; Quasi consperſi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? Hoc est chrisma. Oleum enim ignis nostri, Spiritus sancti est sacramentum.* Tum paulo post; *Accedit ergo* (inquit) *Spiritus sanctus, post aquam ignis; & efficimini panis, quod est corpus Christi.* Mitto, quod hic chrisma cum exorcismis, & aqua eodem ordine apertissime censetur; velut baptismi ritus. Illud unum urgeo, quod chrismate nos *effici panem, id est corpus Christi*, diserte hic dicit & docet; quem esse verum ac proprium Christiani baptismatis effectum, si quis nescit, à Patribus discere poterit, quorum omnium hæc communis doctrina est. Quo ergo ritu id partim *effici* dicitur, cum plane necesse est ad baptismum pertinuisse, ejusque partem cærimonialem habitum fuisse. Ac nequis de sermonis auctore dubitet, quod ei Lovanienſis Augustini nomen minime præfixerint, sciat quæ hoc loco de pane Domini dicuntur, deque actibus Ecclesiasticis, quibus nos *panis iste* efficimur, ea sumpta ac pæne descripta esse ex Sermone Augustini ad Infantes, t quem nobis Fulgentius totum in epistola de baptismo Æthiopis servavit, quemque ex eo Beda recitat; * *Vnus panis, unum corpus multi sumus* (inquit Augustinus) *Recolite enim quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando Spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti estis.* Hoc vero ipse ordo rituum tum factum esse indicat, cum *chrismate in eos Spiritus Sanctus superfusus erat*, ut supra loquebatur Pacianus. Cum ergo *panem* sive *corpus Christi* nos exorcismo, baptismo, & chrismate fieri doceat Augustinus, non est dubitandum, quin ille chrisma, perinde ac exorcismum, baptismalis sacramenti, quo apud omnes confessum est, neophytos corpus Christi effici, partem ritualem esse putaverit. Quam & præstantissimi viri, Fulgentij Raspensis Episcopi, sententiam fuisse inde perspicitur, quod disputationem suam ex hoc Augustini sermone conclu-

r L. 2. de Conf. c. 23. p. 293.

s Aug. de div. serm. 83. T. 10. p. 555. col. 2. D. & p. 556. A.

t Aug. serm. ad Infant. apud Fulg. in epist. de bapt. Æth. p. 587. A.

* Beda in 1. Cor. 10. 16. T. 7.

Caput XXX.

concludens, negat *u cuiquam esse aliquatenus ambigendum tunc unumquemque fidelium corporis, sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur.* Id *in baptismate fieri* dicit, quod *praclarus* ejus *Doctor* Augustinus *accepto* demum *per chrisma Spiritus Sancti igne* fieri dixerat. Ergo & ipse quoque chrisma baptismatis rem & ritum esse censuit.

u Fulgent. ibid. C.

His ita de Augustini super hac quæstione sensu præstructis, nullo negotio solvuntur, quæ contra post Bellarminum & alios objicit nobis doctissimus Hammondus, quæ ipsa, si non omnia, certe plæraque in opere de Confirmatione nostro explicaveramus. Illa tantum hic expendemus, quæ sunt de chrismate; cætera postea suo loco & ordine recensebimus. Primo quædam à me in locum Augustini à P. Aurelio objectum dicta *x* refellere aggreditur. Locus ita habet; *y Non utique oleo visibili, sed dono gratia, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.* Respondi Aurelio hoc loco potius doceri *in ipso baptismo* (id est in solenni, ejus ministratione) *chrismatos olim fuisse neophytos, adeoque chrisma baptismi ipsius ritum fuisse.* Hammondus fingens me non locum ab adversario objectum solvere, sed argumentum ad meam thesin demonstrandam objicere, me dicit *non videre aque saltem, si non magis commode dici Ecclesiam baptizatos ungere, quos peracto baptismo statim ungit.* Sed ipse non *vidit*, sibi ex legitimæ disputationis regulis incumbere probandum non *eque aut magis commode*, sed necessario sic esse ut vult, accipiendum Augustini locum. Mihi qui respondeo, satis esse, quod eum aliter accipi posse ostendi. Atque ita etiam interpretanda esse adjeci, illa quæ mox addit Augustinus; *Nec sane tunc unctus est Christus Spiritu Sancto, quando super eum baptizatum venit columba descendit. Tunc enim corpus suum, id est Ecclesiam suam, prafigurare dignatus est, in qua pracipue baptizati accipiunt Spiritum Sanctum.* Hic cavillatur *a* Christum quo momento Spiritus in eum descendit fuisse jam baptizatum; totum baptismi mysterium jam peractum fuisse. Quasi scilicet nihil eorum, quæ statim post tinctionem fiunt, ad baptismum pertinere possit; quod negant apertissime & nunc Latini, & olim Patres; illi, qui candidam vestem, & cereum, baptismi mysteriis accensent; hi qui lactis & mellis prægustationem eodem numero habent; negat denique ipse Hammondus, qui Tertullianeam unctionem, quæ egressos de lavacro excipiebat, ut columba Christum de Iordane ascendentem, baptismi ritum fuisse nobiscum agnoscit. Cum ergo dicit Augustinus illud quod tum Christo accidit, hoc præfigurasse quod suo tempore in Ecclesia fiebat, *in qua baptizati accipiunt Spiritum Sanctum*, intelligit profecto hoc ipsum in baptismo factum esse. Atque id ipsum diserte dixit Beda *b* Augustini, ut notum est, studiosissimus: *Quod in baptizatum* (Iesum scilicet) *descendere visus est Spiritus, signum erat conferenda nobis in BAPTISMO gratia Spiritalis.* Nam in baptismo Christi Spiritum accipi, si Augustino non credidit Hammondus, credere certe debuit Baptistæ disertissime

x L. 1 de Confirm. c. 24. p. 293.
y Aug. L. 15. de Trinit. c. 26. T. 3. p. 286.
z Hamm. c. 6. sect. 7 § 3. p. 167.
Ibid. §. 4.
b Bed. in Marc 1. T. 5. p. 96.

disertissime testanti Christum suos non aqua sola, sed *Spiritu & igni baptizaturum.* Sed insignis est inprimis Hammondi vitilitigatio, ad ea quæ observabam in hæc Augustini verba *in Ecclesia præcipue baptizatos accipere Spiritum Sanctum. Nonne hoc vult* (inquiebam) *accipere quidem & aliis temporibus Spiritum Sanctum in Ecclesia fideles ; puta dum communicant mensæ Domini , dum orant , dum jejunant &c. præcipue vero ac potissimum cum baptizantur ? Nam cum nulli sint in Ecclesia non baptizati, omnino necesse est baptizatos hic esse τοὺς φωτιζομένους , τοὺς βαπτιζομένους, eos qui baptizantur : quasi dicat communicatos , reconciliatos , ordinatos, accipere quidem in Ecclesia Spiritum Sanctum , sed præcipue baptizatos id est uno verbo , in hoc præcipue baptismi sacramento accipere nos Spiritum illum Sanctum , & Christi columba prius , & postea eo unguento, quo suos ungit Ecclesia figuratum , ac significatum.* Hæc ego : quam esse rectam , ac veram & genuinam verborum Augustini interpretationem nemo negabit , qui rem absque animi studio ex vero expenderit. Quid ergo ad hæc Hammondus ? Ille vero & ipsam interpretationem, & eam , qua nititur , rationem dissimulat ; & hæc tantum ex iis , quæ dixi , arripit , c *Cum nulli in Ecclesia sint non baptizati , omnino necesse est* baptizatos *esse hic τοὺς φωτιζομένους , eos qui baptizantur* : Tum; *Quasi vero* (inquit) *illi , qui olim baptismo donati sunt , non sint æque , imo magis proprie in Ecclesia , quam ipsi , qui iam baptizantur.* Sed hæc, quid ad rem, quæ agitur ? Non enim nunc quæritur , quinam in Ecclesia esse dicantur, & ex his qui in Ecclesia, qui magis minusve aut æque in Ecclesia esse dicendi sint. Hoc ego unum hac de re dixi, *nullos esse in Ecclesia non baptizatos* quod non negat Hammondus. Quæritur , quid *baptizatorum* vocabulum in hoc Augustini loco significet ; an simpliciter eos , quicumque baptismum vel olim , vel jam jam in præsenti susceperunt? Illud hic non significasse Augustinum , & ratio à me allata vincit, & res ipsa clamat. Quod enim ait in Ecclesia Spiritum Sanctum *præcipue baptizatos accipere* , id necessario cogit quod ait de Spiritus acceptione, ad id temporis punctum referri , quo isti quos intelligit baptizati sunt; ita ut illud Spiritus donum, baptismi quod susceperunt effectum sit, ab eo adeo pendens , & ejus vi ex Christi instituto productum. Si aliter acceperis de omnibus omnino eorum, qui baptizati sunt , temporibus , vana, ineptaque , & ridicula erit hæc Augustini oratio , *Præcipue baptizati accipiunt Spiritum Sanctum* , in Ecclesia scilicet. Significabit enim duo esse in Ecclesia hominum genera ; alios baptizatos , alios non baptizatos. Et hos quidem non baptizatos scilicet , Spiritum Sanctum ipsos quoque accipere ; sed illos præcipue, qui sunt baptizati eum in Ecclesia accipere. Atqui cum in Ecclesia neminem Augustinus censuerit , qui non sit baptizatus , apparet primo si sic ejus verba interpreteris , orationem ei tribui ab ejus mente atque doctrina abhorrentem , & falsam : & ab ejus hoc in loco intentione plane penitusque alienam. Hic enim non comparat baptizatos cum non baptizatis (id stultum & absurdum est) sed

CAPUT XXX.

c Hamm. c. 6. sect. 7. §. 5. p. 168.

Caput XXX.

ipsorum baptizatorum tempora, momenta actusque Ecclesiasticos, quorum diversis temporibus in Ecclesia fiunt participes: Spiritum Sanctum eos in aliis quoque sacramentis percepisse, præcipue: tamen cum baptizati sunt. Nihil ergo vetat frigida ac inanis doctissimi Hammondi vitilitigatio, quominus id teneamus, quod in priori nostra disputatione hinc concludebamus, *cum res chrismate significata, id est Spiritus Sanctus, in baptismo præcipue & detur, & accipiatur, ipsum profecto chrisma, non alio pertinere, quam ad baptismum, cujus vi ille chrismate significatus Spiritus nobis datur.*

Neque hilum juvant Hammondum, quæ contra ex Augustino à me jam refutata repetit: *d Quædam sacramenta ore accipimus, quædam per corpus, quædam in fronte per signum crucis*: Item: *e Quomodo exaudit Deus homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponit?* f Item: *h Sacramentum chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus.* i Ad hæc à Latinis quoque pro suæ Confirmationis proprie strictéque dicto *sacramento* obiecta, iam responderam, k primo *sacramenti* usurpatam ab Augustino vocem non esse vexandam, *quæ apud veteres passim sumitur pro quocunque signo sacro, sive à Christo sive ab hominibus & ab Ecclesia instituto, sive integro completoque mysterio, sive una duntaxat aliqua ejus parte, eaque vel essentiali, vel cærimoniali*: idque multis exemplis partim hoc ipso loco, partim & quidem fusius, alibi in eodem opere demonstravi: quæ nihi hic opus est repeti, cum doctissimum Hammondum consentientem l habeam, diserte hic negantem se *mihi de sacramenti voce molestum fore, quam satis late aliquando sumi agnoscit*, eiusque ipse diversos sensus alibi distinguit, atque explicat. Secundo responderam m *chrisma* in his locis cum *baptismo & Eucharistia* comparari non absolute & in omnibus, veluti ipsum cum istis eiusdem plane ordinis atque generis sacramentum sit: sed certo tantum respectu: ultra quem comparatio tendi neque debet neque potest. Ac in primo quidem loco cum Eucharistia, & tinctione & oleo baptismali hactenus chrisma comparatur, quod hoc in fronte accipiatur, ut Eucharistia ore; aqua & oleum in baptismo toto corpore. In secundo vero eatenus, quod Deus peccatoris ministerium ut in baptismi aqua, sic in oleo, & in Eucharistia ratum validumque habeat. In tertio denique loco *chrisma* cum baptismate eo duntaxat comparari, quod utrumque sit quoddam *visibile ac sacrosanctum signaculum*. Hæc satis sunt, ut constet quam futilis sit doctissimi Hammondi ratiocinatio, qui ex his concludit n chrisma *à baptismo ac Eucharistia æque* distingui, ac baptismum ab ipsa Eucharistia. Fateor ex his Augustini haberi alium esse actum, quo Eucharistia, alium quo baptismus, alium denique quo chrisma vel ministratur vel suscipitur. Chrismatis ritum non magis ad baptismum quam ad Eucharistiam pertinere, tamque esse à baptismi quam ab Eucharistiæ ritibus alienum, neque his locis dicit Augustinus, neque aliud quicquam

d Hamm. ibid. §. 6. p. 168. Aug. in Ps. 141.
e Hamm. ib. §. 9. p. 169.
f Aug. de Bapt. L. 5. contr. Don. c. 20.
h Hamm. ibid. §. 11. p. 170.
i Aug. L. 2. contr. liter. Petil. c. 104.
k L. 2. de Confirm. c. 24. p. 290.
l Hamm. c. 6. sect. 7. §. 10 p. 170. Et c. 2. sect. 2. §. 3. p. 33.
m Vid. L. 2. de Confirm. c. 21. p. 288. ad 294.
n Hamm. c. 6. sect. 7. §. 6 p. 168 & §. 10. p. 170.

unde hoc legitime confici possit. Quinimo potius vi[..]tur ut ultimo ex locis à me descriptis innuere chrisma esse baptismi [..]m, ubi de eo verba faciens, *Sacramentum chrismatis* (inquit) *in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est*, non simpliciter, *sicut baptismus*, sed *sicut IPSE baptismus*. Qui enim sic loquitur; omnino videtur significare, non modo chrisma, sed etiam ipsum baptismum, cujus chrisma pars quædam ac cærimonia est, *in genere sancrosanctorum signaculorum esse*; ut erat à nobis in priori illa contra Latinos disputatione jamdudum observatum, o de quo Censor noster amicissimus verbum nullum facere dignatus est.

CAPUT XXXI.

o L. [.]. de Conf c. 24. p. 290.

CAPUT XXXI.

VII. Ex Latinis Testis Innocentius P. R. I. qui chrismare in fronte uni Episcopo concessit; Presbyteris extra frontem permisit; chrismationem à baptismo non ideo avulsit; neque hanc ipsam ejus legem vel in Occidente nisi sero obtinuisse. Refelluntur quæ Hammondus hinc pro sua sententia colligi gloriatur quidem, sed nequaquam probat.

IAm hoc loco, quatordecim ante Augustini mortem annis, occurrit illa Innocentii Romæ Episcopi data epistola; p qui si de Sylvestri lege libri Pōtificalis testimoniū admittas, secundus; sin ei cū Hammondo diffidas, primus decrevit ne alius, quam Episcopus, in fronte neophytos consignet; presbyteris tamen concessit, ut chrismate baptizatos modo extra frontē ungerent. Nos totū hoc Innocentij decretum fuse examinavimus; q neque ad ea quæ diximus, quicquam Hāmondus reposuit. Satis habuit affirmare, ex eo haberi r *consignationem qua Spiritus Paracletus traditur, à baptismo procul disiunctam; illam qua frontes oleo consecrato inunctæ signantur, hunc, quo ex lavacro chrismantur* (baptizati scilicet, non eorum frontes) *illam ex vi consuetudinis Ecclesiasticæ, & lectionis Apostolicæ, nec sacerdotum cuivis gregario, sed Pontifici reservatam, hanc quidem quatenus ea baptizatorum unctio intelligitur, Presbyteris libere permissam, confectionem vero seu consecrationem chrismatis, soli Episcopo peculiarem.* Hæc *omnia clarissima esse* pronuntiat Hammondus, nec *de seculi huius sententia dubitandi ansam superesse, Innocentio Arausicanis Patribus facem adeo lucidam praeferente, illis Innocentio lampadem vicissim referentibus.* Sed in his doctissimi Hammondi quædam sunt falsa, quædam ambigua, & falsis propiora. Illud quidem quod Innocentium Hammondus vere tradit dixisse, *ex vi lectionis Apostolicæ*, quæ Petrum & Ioannem asserit Samariam missos, demonstrari solis Pontificibus deberi, ut consignent, illud inquam, apertissime falsum est, quod nihil in illo Actuum libro quem citat Innocentius, vel de chrismate, vel de consignatione, vel de

p Innoc. ep. 1. c 3. T. 1. Concil. p. 451

q L. 3. de Confirm. c. 1 p. 95.

r Hamm. c. 2. sect 3 §. 4. p 47.

Caput XXXVII. fronte, vel de Pontificibus legatur, ut alia illius Innocentianæ demonstrationis gravissima vitia taceam, quæ ne ex illo quidem loco illud legitime confici sinunt, quod addit Innocentius solis item Pontificibus licere *Paracletum Spiritum tradere*, quæ quod latius in illa nostra contra Latinos disputatione prosecuti sumus, *s* nihil necesse est hoc loco repetere. 3. Quod vero ait Hammondus illud frontes baptizatorum consignandi ius solis Episcopis deberi vi *consuetudinis Ecclesiasticæ* (quod habet quoque Innocentius) ambigue dictum est. Vel enim hæc verba *consuetudinem* significant universalis Ecclesiæ, quæ quinto illo ineunte seculo, quo scripsit Innocentius, per totum orbem patebat, vel non. Priorem sensum secutus videtur Hammondus, nec enim aliter facile intellexeris, quod negat *ansam ullam superesse de seculi illius sententia* dubitandi, quod vix aliud sonat quam omnes illius seculi Christianas Ecclesias cum Innocentio de istis omnibus consensisse. Atqui si eo sensu hæc dixit vel Innocentius, vel Hammondus, rem falsissimam uterque dixerit, cum satis ex iis, quæ disputavimus constet hanc chrismationem non solum apud Græcos, sed apud omnes etiam Orientales, Ecclesiæ antiquissimam partem, tam presbyteris, quam Episcopis liberam & permissam fuisse & Innocentiano seculo, & secutis ad nos usque temporibus. Sin dicas per Ecclesiasticam consuetudinem, non quidem totius orbis Christiani, sed Latini tantum consuetudinem intelligi, ne sic quidem verum erit, quod ex Innocentio concludit Hammondus. Nam & nos ostendimus, & Hammondus confitetur in amplissimis Occidentis provinciis, Gallia, Hispania, Africa chrismasse presbyteros tum Innocentianis, tum secutis temporibus, etiam apud Sardos ipso Gregorij ævo pæne ducentis post Innocentium annis eundem morem fuisse. Quin & in Italia ipsa (inquit Sirmondus) *vix extra urbem vicinas Ecclesias institutum hoc* (de signanda à solis Episcopis fronte) *tenuisse, illa Decentij Eugubini in Umbria Episcopi consultatio declarat.* Innocentium enim à Decentio Eugubino de hac re consultum hanc epistolam scripsisse ex ipso ejus limine constat. His rationibus adductus hanc; quam ille dicit, *Ecclesiasticam consuetudinem* de Romanæ, sive urbanæ in qua sedebat, Ecclesiæ consuetudine accipio; non latius cum Hammondo extra Romani Episcopi parœciam profero. Fateor ergo ex hac Innocentij epistola haberi jam circa quinti seculi initia morem in urbe Roma, & proximis forte locis fuisse, ut soli Episcopi baptizatorum frontes chrismarent; presbyteri chrismarent quidem, sed extra frontem, & quidem chrismate ab Episcopo consecrato. Neque video quam Innocentio ad ista, lampadem, quod ait Hammondus, retulerint Arausicani Patres. *t* Illi quidem, *quicumque baptizandi recepit officium* (id est vel presbyter vel Diaconus) eī ut chrismet quos baptizat apertissime concedunt, dum eum sine chrismate usquam progredi vetant; neque hanc ejus chrismationem minus, quam Episcopalem valere putant, qui *semel chrismari* satis esse decernunt; neque Episcopum alios chrismare

s L 3. de Cō-firm. c. 1. p. 298.

t Conc. Arausic 1. c. 1.

chrismare jubent, quam eos qui *in baptismate* aliqua necessitate prohibiti, chrismati non fuerant; qua de re nos latius ad ipsum illum canonem disputavimus. *u* Ex his denique videre est quam futilis sit illa doctissimi Hammondi assertio, qua *consignationem à baptismo procul sejunctam* in hac Innocentii epistola fuisse dicit. Nam vel administratione, vel re ipsa, reique jure procul à baptismo sejunctam intelligit; Neutrum autem ex hoc Innocentij decreto vicit. Nam chrismate in fronte Innocentius Episcopo quidem soli donat; chrismationem in fronte re diversum esse ritum ab ea, quæ extra frontem fit à presbyteris, vel quos presbyter chrismasset, ab Episcopo rechrismandos esse, non decernit; neque sane rechrismatos fuisse in nostris Galliis patet ex Arausicana Synodo prima, *x Inter nos* (inquit) *placuit semel chrismari*; quod à Petri Aurelii glossis alibi vindicatum est; *y* neque ipse Hammondus * repugnat. Vnde apparet, ne in ipsa quidem urbe, ubi hanc ab Innocentio consuetudinem viguisse ipse auctor est, sejunctam à baptismi administratione fuisse chrismationem. Nam ipsi primo Episcopi plurimos illo tempore baptizabant, quo notum est quotquot nondum initiati erant eos ad baptismum vel Paschatis nocte vel Pentecoste (nisi mortis periculum aliter iis consulere cogeret) servatos fuisse, qui ab Episcopo simul semelque omnibus solenni more conferebatur. Qui vero propter mortis periculum extra ordinem aliis temporibus à Presbyteris baptizati fuerant, ab iisdem si periculum eam moram concederet, chrismatos fuisse; itaque admodum paucos fuisse, qui ob aliquam extraordinariam necessitatem absque chrismate baptizati essent; quorum causa cum propria privataque esset, & ab ineluctabili necessitate profecta, nullam legi generali de chrismate simul cum baptismate conferendo, fraudem fecisse censenda est. Non est ergo chrismatis administratio hac Innocentii lege procul à chrismate, quod ait Hammondus, *disjuncta*. Re vero, & rei iure multo minus. Nam cum ij ipsi, quorum baptismus quacumque necessitate faciente, chrismate caruerat, postea ab Episcopo chrismarentur, quidquid tum fiebat, cum eius loco fieret, quod in baptismate fieri debuerat, ad id quod omissum erat supplendum, clarum certumque est id ipsum quoque baptismo fuisse accensitum & attributum, tametsi quæ intercurrerat necessitas in aliud tempus differri coegisset. Itaque inane est, quod doctissimus Hammondus nobis hic persuadere cupit Innocentij lege chrisma procul à baptismo sejunctum fuisse. Vetus illa lex de ungendis statim qui baptizati erant, quæ ab ipso instituti initio apud Tertullianum occurrit, mansit etiam post Innocentium; omnibusque illis ad Gregorium temporibus, ac fortasse etiam diutius, nisi invicta aliqua necessitas prohiberet, sedulo observata est apud ipsos Latinos. Neque vero id Hammondo concedendum est, quod unctionem presbyteralem diversi ab Episcopali generis & ordinis fuisse inde ex Innocentio videtur constituere, quod vel à diversis Ministris, vel in diversis corporis partibus,

CAPVT. XXXI.

u L.1.de Cōfirm. c.2. p. 91.

x Conc. Arausic 1. c.2.

y L.3. de Cōfirm. c.2. p. 301.

 bus,

Caput XXXI. bus fieret. Ministrorum enim diversum ordinem sacramenti vel ritus essentiam minime immutare apparet ex baptismate & eucharistia, quæ tametsi ab Episcopo, & presbytero administrata, eadem tamen utraque sacramenta & sunt revera, & semper habita sunt. Eadem est frontis Episcopali unctioni reservatæ ratio; id enim ad honorem Pontificatus, non ad ipsius ritus discrimen institutum fuisse, vel ipsa usus magna pro varietate temporum & locorum diversitas satis docet. Denique quod Innocentius solis Episcopis tribuit, ut vel *consignent*, vel *Spiritum Paracletum tradant*, id inquam nescio, an recte Hammondus ceperit, duo illa sic conjungens, quasi velit auctor ipsa consignatione, id est chrismatione Paracletum tradi ab Episcopo. Ego malim particulam *vel* hic ita sumere, ut duos illos actus disjungat; aliudque sit *consignare*, aliud *Spiritum Paracletum tradere*; illud de chrismatione, hoc de *benedictione*, sive manus *impositione* intelligatur. Sed neque si aliter cum Hammondo ceperis, eo effeceris, ut Episcopalis chrismatio à presbyterali genere differat. Nam & hac datum fuisse Spiritum Sanctum veteres fere omnes tradunt.

Cæterum tametsi hunc vere fuisse quem diximus, Innocentii sensum, Synodorum in Galliis & alibi habitarum canones ostendant; hæc tamen ejus epistola octavo, & nono seculo longe aliter accepta est: quasi ille scilicet duas illas chrismationes decerneret baptizatis ministrandas; priorem à presbytero in ipso baptismo; alteram ab Episcopo in Confirmatione; quo error geminatus est; atque ex ea occasione tandem apud Latinos res in eum locum adducta est, quo eam hodie videmus; ut prior chrismatio inter baptismi cærimonias hæreret, posterior vero quæ episcopi est, à baptismo plane penitusque avulsa in proprium sui generis atque ordinis, stricte dictum sacramentum mutaretur. Sed hæc post fuere. Nunc quæ ex secutis post Innocentium Patribus afferuntur, videamus.

CAPUT

Caput XXXII.

CAPUT XXXII.

Quinto sextoque seculo etiam in Occidente, chrismasse Presbyteros; fatente Hammondo; adeoque chrisma pro re baptismi habitam adhuc esse illis temporibus. VIII. ex Latinis testis Salvianus, frustra ab Hammondo citatus, chrisma à baptismo nullus dividit. IX. ex Latinis testis Gregorius P. R. I. dolo ab Hammondo omissus, Presbyteris Sardis suum in fronte chrismandi morem concedit. X. ex Latinis testis scriptor de Sacramentis, qui falso Ambrosius audit. XI. Ambrosius, seu verus, seu falsus, de iis, qui initiantur mysteriis. XII. Pseudo-Augustinus, qui tres, chrismationem in baptismi ritibus censent. XIII. scriptor de Ecclesia ordinibus, chrismationem Presbyteris asserens.

NIhil necesse est repetere quæ de Synodi Arausicanæ prioris, Vasensisque & Arelatensis secundæ, & Epaonensis quæ quinto & sexto seculis habitæ sunt, canonibus olim disputavimus; z quod doctissimus Hammondus consentiat a chrismandi usum presbyteris ita ab illis Synodis concessum fuisse, ut qui ab iis chrismati essent in baptismo, eos rechrismari nihil necesse esset.

Sed ille post Augustinum, Salvianum Massiliensem Presbyterum quinti seculi hominem nobis objicit, b inter bona à Deo Christianis assignata recensentem, c *sancti baptismatis gratiam, divinique chrismatis unctionem*, idque *chrisma Ecclesiasticum nuncupantem*; post *quod qui omnia Dei mandata fecerint ad capiendum laboris præmium vocari ad cœlum.* Hæc quidem audio; *chrisma* vero illud à baptismo divisum esse, planeque diversi ab eo generis vel sacramentum, vel ritum, nondum audio. Si inter bona Christianis assignata corporis Dominici esum, & sanguinis potum recenserem; & *calicem Ecclesiasticum* nuncuparem Eucharistiæ poculum; eoque potu animas refici, recreari, ac cœlestis illius convivij primitiis frui dicerem, in quo olim novum hoc vitis divinæ genimen Christus nobiscum bibet d apud ipsum Patris regnum; esset ne quisquam qui me propterea putaret poculum Eucharistiæ à sacro pane dividere, & pro diversi à pane ordinis ac generis Sacramento habere? Non est melius, quod ex Salviani omnino simili de Chrismate sermone amicus noster argumentatur, chrisma diversi fuisse apud veteres à baptismate generis atque ordinis ritum.

Miror eum inter scriptores quos nominat, Innocentio & Augustino recentiores nihil de Gregorio I. Romano Episcopo dixisse: cujus ego celeberrimam illam cum Sardis actionem memoraveram. e Cum enim iste Innocentii sui legem, frontem presbyteris chrismare vetantem, Sardis

z L. 3. de Conf. c. 2. & 3. p. 301. 311.
a Hammon. c. 2. sect. 3. §. 3 p. 44. 45.
b Id. c. 6. sect. 8. §. 1. p. 171.
c Salvian l. 3. de gubern. Dei.
d Matth. 26. 29.
e L. 3. de Confirm. c. 6. p. 322.

Caput XXXII.

dis obtruderet, eosque re nova & insueta turbatos atque scandalizatos fuisse accepisset: incunctanter revocata priori sententia, iisdem concessit, ut pristinum morem retinerent, quo *presbyteri absente Episcopo, etiam in frontibus baptizatos tangerent.* Quis non ex hoc prudentissimi Pontificis consilio intelligit chrismationem presbyteralem plane eandem ipsi fuisse cum Episcopali, ejusdem pretii, ejusdemque efficaciæ? & quod de fronte discrimen Romæ inductum erat, non alio animo excogitatum fuisse, quam ut principis sacerdotis dignitas aliqua re in hoc quoque initiationis negotio supra presbyteros emineret?

Sed amicissimo Censori hic vicissim satisfaciendum est, haud obscure indignanti, f quod libros de *Sacramentis*, qui vulgo sub Ambrosii nomine circumferuntur, ex illius Patris familia ejecisse videar, qui nihil ex illo opere in hac nostra disputatione adduxerim: contra quam fecit *Spalatensis, insignissimus ille Archiepiscopus*, qui eandem mecum causam agens, multa ex hoc libro pro nostra sententia adduxit. Ego vero illum scriptorem non ita contempsi, ut eum indictum & innominatum præterierim. Ambrosium fateor, nunquam eum esse putavi: vereque dixi id esse à Roberto Coco Anglo demonstratum. Ipsi nunc Latini assentiuntur. g Nam & Antonius Arnaldus celeberrimus Sorbonæ Doctor, hoc opus Ambrosii nomine dubitabundus ita laudat, *si tamen* (inquit) *libri vere sunt Ambrosij*; & vel ipse vel de eadem Iansenianorum familia alius, *in Officio Eucharistiæ*, rotunde fatetur non esse verisimile hos esse Ambrosii libros. Sed doctissimus Hammondus videtur rem gravitate sua indignam esse putasse istis (quod ait) *Criticorum disceptationibus immisceri*; id est curare ac videre qui veri sint & genuini veterum libri. Ego doctissimi & amicissimi viri pace, longe absum ab ejus sententia: & qui feliciter res antiquitatis discere ac nosse cupit, ei nihil antiquius esse debere existimo, quam ut monumenta quæ veterum nomina circumferunt, vera à falsis, genuina ab adulterinis diligentissime quantum quidem fieri potest secernat. Qui hanc curam fastidit, ille mihi velle videtur vel ipse falli, vel alios certe fallere: quorum alterum à sapiente, alterum à probo viro longissime abesse decet. Sed quisquis tamen fuerit illius de Sacramentis operis auctor, Chrismationem baptismi fuisse cærimoniam eo satis superque docet, quod eam præcedentes baptismi ritus exsecutus describit, h ac deinde lotionem pedum enarrat quam ipsam baptismi quoque cærimoniam fuisse ille docet, i cum paulo post ait, k quosdam hanc rejecisse dicentes eam faciendam esse *in ministerio*, vel ut alij legunt, *in mysterio, non in baptismate, non in regeneratione.* Ergo & ipse, & qui pedes neophytis lavabant, eam in *baptismate* faciebant, eamque adeo hujus cærimoniam esse censebant, & quod inde necessario sequitur, chrismationem quæ ante eam fiebat, eodem quoque loco ac numero habebant. Si enim aliud sensisset, quis eum crediderit alienum ritum, neque quicquam cum baptismo commune habentem in mediis baptismi actibus inter tinctionem & pedum lotionem collocaturum

f Hammon. c.6. sect. 6. §. 2. p. 163.

g Arnauld. de la freq. Côm. Part. 2. c. 13.

h Ambr. l. 2. de Sacram. c. 7.

i Ibid. l. 3. c. 1.

k Ambr. l. 3. de Sacr. c. 1. p. 1244. D.

turum ac censiturum fuisse? *l* Id ipsum inde confirmatur, quod scriptor de iis, qui initiantur mysteriis, post expositas chrismationem & lotionem pedum, *Accepisti* (inquit) *post hæc vestimenta candida*; quem omnes unum fatentur fuisse de baptismi ritibus. Ergo & quæ præcesserant *chrismatio & lotio* in eodem quoque rituum baptismalium ordine censebantur. Idem quoque videre est apud auctorem eorum Sermonum, quos Sirmondus una cum 40. Augustinianis edidit. Is enim initio primi Sermonis professus se de omnibus iis mysteriis locuturum, quæ neophyti in baptismo consecuti erant, postquam sermone primo tum de aliis, tum de oleo, quo uncti erant; sermone vero secundo de ipsa tinctione dixisset; tertio denique de chrismate tractat, præfatus se hucusque de mysteriis locutum esse, quæ vel ante baptismatis sacramentum, vel in ipso baptismate celebrantur. Nunc se de illis acturum, quæ jam baptizatis sancta institutione complentur, omnes hujus Sacramenti ritus, plane ut Bellarminus, in tres ordines dividens. Ex quibus apparet tres istos scriptores unam tantum novisse *chrismationem*, eam scilicet, quæ baptismi cærimonia est; illam alteram, quæ Episcopi est, *nescivisse*; quam haud dubie si à presbytero chrismatis addi ab Episcopo mos apud istorum Ecclesias solennis fuisset, isti hoc loco æque ac cætera dixissent. Nam in quo cœtu baptismum celebrari faciunt, in eo fuisse Episcopum, diserte dicit *m* scriptor de Sacramentis, in lotionis pedum descriptione, *Licet & presbyteri fuerint* (inquit) *tamen exordium ministerij à summo est sacerdote. Succinctus inquam, summus sacerdos pedes tibi lavit.* Cum ergo istic adesset Episcopus, ille vel chrismasse neophytum dicendus est; atque ita etiam Episcopalis chrismatio inter baptismi ritus peracta est, estque adeo ipsa pars eius ritualis; vel si presbyter chrismaverat, Episcopus ab illo unctum denuo ungere debuit, sed in fronte. Atqui nihil hujusmodi factum videmus. Ergo istius operis scriptori presbyteralis chrismatio satis erat; neque alios Episcopi chrismabant nisi eos, vel quos ipsi baptizaverant, vel quos necessitate quacunque faciente in baptismo non chrismatos, ac sibi postea oblatos, ipsi chrismabant.

His duobus, vel potius tribus scriptoribus, partim sub Ambrosii, partim sub Augustini nomine latentibus, alium quemdam inter Hieronymi opera editum, ac pro Hieronymo jam ante octo secula habitum citaveramus, *n* quem vir & litteris & pietate maximus, Iacobus Vsserius ὀψιμαθὴς Leonis P. R. I. temporibus a. D. 450. scripsisse indicabat; *o* nos multo recentiorem fuisse putamus. Is certe, quisquis de cætero fuit, qui ante octo secula Hieronymi nomine laudatur, haud dubie unus ex majoribus fuit. Atqui ille presbyteris chrismationis potestatem, non solum testimonio, sed etiam rationibus vindicat, & quidem ejus chrismationis, quam sibi jam Episcopi ejus temporibus sumpserant; eamque ipsam adeo baptismi cærimoniam censuit. Neque enim aliam quam Episcopalem doctissimus noster Hammondus à baptismo

CAPUT XXXII.

l Ibid de iis qui initiant. c.7. init. pag. 1233. C.

m Ambros. l.3. de Sacr. c.1. p. 1244. C.

n L.3. de Conf. c.8. p.345.

o Vsser. in Antiq. Brit. p.1156.

Kk sejungit,

Caput XXXIII. sejungit. Sed amico illi nostro vehementem ut opinor nauseam commovit ille ignoti nominis auctor, cum etiam vltra progressus presbyteris ipsam chrismatis confectionem, quod sacrosanctum planeque inviolabile episcopatus peculium amicus censet, homo sacrilegus tribuere atque asserere non est veritus; quæ fortasse causa fuit, cur ille amicissimus noster Censor hominem toto libro memorare nòluerit. *Presbyteri ergo, si necesse est*, inquit, *p possunt chrisma conficere &c. Siquidem hac regula etiamnum servatur à plurimis, atque in Ecclesiis multis ista sic faciunt.*

p L. de ordin. ad Rust. T. 4. Hier. fol. 38 b.

CAPUT XXXIIII.

XIV. E Latinis Testis Hispalensium Patrum conventus, chrisma unis Episcopis novella lege attributum affirmans, ab Hammondo astute omissus, ut etiam XV. Isidorus, baptismum & chrisma plane sic censens, ut corpus & sanguinem Domini. XVI. Beda, pessime ab Hammondo & contumeliose exceptus. Par eiusdem in Hilarium Sardum & Hieronymum immodestia. Refelluntur, quæ ad Bedam frustra excepit. Falso contempti ac prætermissi ab Hammondo Theodulphus, Amalarius, aliique complures de nono seculo Testes; qui consulti illius vanitatem arguunt, temere falsoque affirmantis chrismationem apud eos à baptismi ritibus toto cælo distare. Seculo demum duodecimo avulsam esse à baptismo apud Latinos chrismationem; Quibus gradibus eò paulatim deventum sit.

NOn libuit doctissimo Hammondo quæ his ex Synodo Hispalensi a. D. 619. habita subtexueram *q* excurere, in quibus illud est ni fallor, magna observatione dignum quod Hispani illi Patres *novellas* eas Ecclesiæ leges dicunt, quibus presbyteris prohibitum erat inter cætera quæ recensent *chrisma conficere vel chrismate baptizatorum frontem signare*; & hæc & alia non pauca quæ enumerant eiusdem census ideo *esse canonum auctoritate præcepta, ut & discretio graduum, & dignitatis fastigium summi Pontificis demonstretur.* Quæ si vera sunt (quin autem vera sint nihil, quod sciam, prohibet) ista Episcoporum γέρα neque antiquæ Ecclesiæ, sed recentioris novelli scilicet legibus instituta fuisse, neque tam ad summam illam, quam non semel amicus noster prædicat, plebis Christianæ utilitatem atque ædificationem pertinuisse videntur, quam ad ipsorum legislatorum dignitatem, ac ὑπεροχήν. Neque aliter quam silentio excepta sunt, quæ ex Isidoro Synodi illius Præside, descripseram; *Sunt autem*, inquit ille, *r sacramenta baptismus & chrisma, corpus & sanguis Christi*; ex quibus non sine aliqua veri specie col-

q L. 3. de Cō-firm. c. 9. p. 348.

r Isidor. Origin. l. 7. c. 19. p. 82. J.

de colligere mihi videbar, ut quod *corpus & sanguis* Domini *sacramenta* dicuntur, eo nequaquam efficitur, ut non eiusdem sacramenti, *id est* Eucharistiæ partes sint, ita neque consentaneum esse, ut *baptismus* & *chrisma* pro diversis & à se divisis sacramentis ac ritibus ideo habeantur, quod interdum à Patribus sacramenta dicantur; Vero propius videri, ut quod baptismum & chrisma Isidorus corpori & sanguini comparat, eo putemus baptismum & chrisma unum idemque esse initiationis nostræ mysterium; quando corpus & sanguinem Domini unum esse & simplex, sacramentum Christiani omnes confitentur. Ejusdem Isidori, sed ex alio opere locum produxeram, *s* in quo ait *t* post baptismum per Episcopos dari Spiritum Sanctum. Intelligit autem statim & ἀμέσως dari ut patet, Ergo necesse est chrisma, quod ministrabatur neophyto, antequam manus ei imponeretur, ad baptismum pertinuisse, ejusque ritum fuisse.

CAPUT XXXIII.

s Vbi supr. p. 352.353. Isid.

t L. 2. de offic. Eccl. c. 26.

Ex octavo seculo Beda hæc verba descripseram; *u Sciendum quod illa unctio, quæ per manuum impositionem ab Episcopis, quasi alia à duabus prædictis & vulgo Confirmatio dicitur, eadem est cum secunda.* *x* Miratus sum ad viri præclare quidem de Christiana omni Ecclesia, sed eximie tamen de Anglicana meriti nomen in horrescere subito doctissimi Hammondi stilum; Ipsum enim Bedam recentem ex octavo seculo auctorem dicit; *x plane aliud egisse eam eum hæc ita scriberet; Testimonium vero eius singulare esse, vere φιλαρχαίοις crudum, nihil grande aut præter nominis ὁμωνυμίαν venerabile sonare, aut quod universa puriorum seculorum Ecclesia legem figat, aut de nativis Episcoporum προνομίοις pronuntiet.* Hæc Hammondus in suum Bedam; sed iratus. Si mihi contigisset talia in Bedam effundere, non tulissem impune. Sed quamlibet φιλαρχαῖος sit amicus hic noster, hinc apparet magis ei corde esse sua quam τῶν ἀρχαίων scita. Quod enim Bedam *recentem* dicit, hominem ante novem secula mortuum, id irato excidit. Ita alibi Ambrosianum illum Pauli interpretem, virum de Damasi ævo, cum elogio *Sancti Hilarij* ab Augustino nominatum, noster quod ei nonnihil adversaretur, quam immaniter flagellavit, *Sardum* vocans *larvatum Diaconum, homuncionem nullius in Ecclesia Dei aut nominis, aut æstimationis, umbram denique de cuius nomine litem cuiquam movere nolit.* Ne Hieronymo quidem pepercit: *y* ubi eum Episcoporum dignitatem non satis ad arbitrium suum magnifice extulisse animadvertit: oblique virum notans, quasi is minus advertisset scilicet Episcopalis *prærogativa argumenta jam ab Apostolorum & Ignatij ævo non inania, neque fallacia.* Qui *sanctum* illum Augustini Hilarium, qui ipsum Hieronymum ita habuit, in se non fuisse clementiorem, ipse fortasse Beda, ut erat mitissimi & modestissimi ingenij, minus moleste tulisset. Nos certe Hammondus si viveret, patienter ut opinor ferret viro optimo, cuique omnes litteræ maxime Ecclesiasticæ multum debent de sui temporis rebus, sine cujusquam odio vel studio affirmanti aliquanto plus fidei habere, quam sibi de iisdem post novem & quod excurrit secula

u L. 3. de Conf. c. 10. p. 356

x Beda Tract. 2. in Ps. 26. Præfat.

x Hamm. c. 1. sect. 5 §. 13. p. 51.

y Id. cap. 1. sect. 3. §. 9. p. 17.

Caput XXXIII. cula neganti. Sed quod meam quidem admirationem superat, ecce idem ille Hammondus, qui Bedæ judicium tam contemptim detrectare velle videbatur, statim hominem absolvit, z negans eum de suis & Hierarchicorum placitis quicquam esse secius promeritum. Rogat, *quibus malleis extundere potuerim chrismationem Baptismi, ex sententia Beda partem esse? quibus fidiculis extorquere sacrum chrisma à presbyteris administratum, aut quod adhuc majus confectum esse?* Ita ille; vehementer sane ac confidenter. Si dignatus esset quod contra me disputantem decebat, quæ de hoc Bedæ loco scripsi, a ea consulere ac legere, comperisset ni fallor, nihil nobis vel malleis vel fidiculis magnopere opus esse, ut à Beda *extundamus*, quod ille ultro neque jussus, neque rogatus docet. Ille enim chrismationem quæ datur ab Episcopis quamque vulgo Confirmationem dictam esse ait, eandem esse cum *secunda*, quæ in baptismo, ut ipse supra exposuerat, dabatur. Hinc ego conclusi, *chrismationem* non quidem *baptismum* esse, aut partem baptismi essentialem: multo vero minus chrisma *à presbyteris confectum esse: sed nullum esse verum & proprie dictum sacramentum*, sed baptismi cærimoniam: & quidem non aliis, quam legitimis rationis & syllogismi tormentis sic ex ore Bedæ elicui: b *Qua unctio eadem est cum chrismate, quod à presbyteris homini baptizato ministratur, ea sacramentum proprie dictum non est; quo titulo ipsi Latini presbyteralem illam chrismationem censent. Atqui unctio, quæ fit ab Episcopo in Neophytorum confirmatione eadem ex Beda est cum chrismatione illa presbyterali: quam ipse secundam unctionem vocat. Ergo ipsa illa unctio, quæ fit ab Episcopo in Neophytorum confirmatione verum & propriè dictum sacramentum nullum est: baptismi tantum ritus & cærimonia est.* Hi sunt *mallei*, hæ *fidiculæ*, quibus hoc, quod negat doctissimus Hammondus ex Bedæ ore extorsi. Hos ille *malleos* confingere, has *fidiculas* solvere potius debuerat, quam illa sua inaniter jactare, *Quibus demum malleis extundere potuit:* &c. Quasi vero id adhuc obscurum esset, postquam illa quæ modo recitavi, scripseram. Sed & apud Bedam, dum amicissimo Censori, qui me eum *relegere* jubet, obsequor, alterum ejusdem veritatis etiam clarius testimonium reperi. Postquam enim ex sacris litteris ter unctum fuisse Davidem observavit, id eorum typum esse vult, c *qui nunc (inquit) in Ecclesia initiati Domino per geminam unctionem olei & chrismatis, tertiam unctionem perfectam, quæ tunc erit cum facie ad faciem videbimus, expectant.* Cum ergo non alio quam baptismi sacramento neophyti Domino initiati sint, necesse est oleum & chrisma, quo eos initiatos fuisse dicit Beda, ad baptismum pertinere, ejusque partes esse rituales: quo loco & nomine ab ipsis Latinis censentur. Atqui Episcopalem unctionem eandem esse cum illa secunda, qua chrismate fideles initiati sunt, idem Beda nos docet, nosque id *scire* vult. Ergo velit nobis Hammondus, Beda nullo admoto malleo, nullis adhibitis fidiculis, clare diserteque testatur, Episcopalem quoque chrismationem ad baptismum pertinuisse, ejusque partem, sed ritualem fuisse. Frustra nobis

z Id. c. 2. §. 14. p. 51. 52.

a L. 3. de Conf. c. 10. p. 354.

b Ibid. p. 357.

c Bed. In Psal. 26. T. 8 p. 454.

nobis vir doctissimus objicit *d* Bedam alibi ita de Domino Christo scribentem, *In montem olivarum discipulos educit, ut omnes in morte sua baptizatos altissimo Sancti Spiritus chrismate confirmandos esse designet.* In his video *baptismum præcedere, chrisma sequi*: non video *chrisma* quod sequitur, non pertinere ad baptismum qui præcessit. Quod si nihil eorum *baptismi* est, quæ *baptismum* sequuntur, *ne chrismationem* quidem presbyteralem, vel albam vestem, vel lactis & mellis prægustationem, ad baptismum pertinuisse, vel ejus ritus fuisse, concedere debet Hammondus, quas omnes baptismo successisse, ne si velit quidem negare potest. Atque hæc satis sunt, si illud quod Beda dicit *altissimum Spiritus Sancti chrisma* de Ecclesiastica neophytorum unctione accipere placet. Mihi vero locum accuratius expendenti multo verius videtur, ut illam chrismationem, de tertia eademque ultima unctione intelligamus, ab ipso quoque Beda in Ps. 26. memorata, qua post emensum hujus vitæ curriculum olim in cœlis, non ad tempus, sed ad æternitatem ab ipso Christo confirmabimur. Id enim suadet & altissimi elogium, quod ei chrismati tribuitur, quo tum inungemur; *& montis Olivarum* typus; ut illud prætermittam, quod Apostoli cum in illum montem educti sunt, *iam erant corporis & sanguinis* Dominici *mysteriis imbuti*; ut plane præposterum videatur, in montis istius olivæ, quo communicati ascenderunt, ejus chrismatis quo ante non post Eucharistiam ungebantur neophyti typum, umbram aut vestigium venari. Nos in priori opere locum Bedæ descripseramus, atque ita eramus interpretati. *e* Miror quod amicissimus Censor eundem de integro objecerit; idem de nostra ejus solutione nullum verbum fecerit. Quod vero negat *f me quidquam apud Bedam inventurum, quod chrismationem Presbyteris adiudicet*, non equidem intelligo, quonam id spectet. Satis est, quod apud Bedam invenio unctionem illam neophyti, quam secundam vocat, ex chrismate post primam ex oleo, tum *factam esse, quando nominis Christi manifeste professor fuit*; in qua *magis firmatus* (quam in prima scilicet) *quia & nomen Christi in ea professus est*; qua denique *initiatus est.* Negari enim non potest, quin illa unctio presbyteris etiam ab Innocentio concessa fuerit modo extra frontem, Sardis à Gregorio, etiam in ipsa fronte. Cum ergo Beda eam unctionem, quæ Episcopis solis *propter arrogantiam* concessa est, cum hac secunda, quæ etiam presbyteris concessa erat, eandem fuisse nos docuerit, necessario quicquid Hammondus obstrepat, confitendum est ipsam etiam Episcopalem chrismationem, baptismalem fuisse cærimoniam. De illa quæ à Beda notatur, *arrogantia, episcoporum-ne* fuerit *an presbyterorum*; item an chrisma aliquando fuerit à presbyteris confectum, an semper à solis Episcopis; decidat Hammondus allibuerit. Ista nunc quidem, nihil ad nos, qui hoc unum quærimus, fuerit-ne veterum chrismatio baptismi cærimonia, an sui seorsum ordinis ac generis procul à baptismo

CAPUT XXXIII.

d Hamm. c. 2. sect. 3. §. 15. p 52.

e L. 1. de Conf. c. 12 p. 376.

f Ibid. § 16.

Caput XXXIII. (quod Hammondus pertendit) sejunctus ritus.

Iam de Chrismatione alia non pauca ex secutis post Bedam seculis attuleram, quæ Hammondus ideo se prætermittere dicit, g quod illa adeo non demonstrent Confirmationem ad baptismi ritus pertinuisse, ut *æquo saltem lectori abunde comprobent eam à baptismi ritibus toto cœlo distare.* Quod ut appareat, quam vere ab amicissimo Censore dictum fuerit, operæ pretium est eorum aliqua, saltem illustriora, ex priori illa mea quæ contra Latinos est, disputatione breviter hic repetere.

g Hamm. c. 6. sect. 8. § 4. p. 178.

Eos inprimis illorum temporum auctores attuleram, qui cum Baptismi ordinem sive Officium, id est omnes baptismi solennes atque Ecclesiasticos ritus describant, chrismationem omnes inter eos summo consensu recensent; ut Alcuinus in brevissimo ad Oduinum de cærimoniis sacri baptismatis opusculo ante a. D. 804. scripto *chrismationem* tamen nequaquam omisit; h ut Theodulphus Aurelianensis, i qui in libello de Baptismi ritibus, ante a. D. 814. edito, de chrismate agit, titulo decimoquinto, de mystico velamine, quod omnes ad baptismum pertinere confitentur, titulo decimo sexto; decimo septimo de Episcopali manus impositione, quam frontis consignatio excipiebat. His enim temporibus ex male intellectis Innocentij verbis, mutatus erat horum rituum ordo, ut quæ omnes baptismi ritus olim clauserat manus impositio, ea tunc chrismationi præmitteretur, chrismatio vicissim manus impositionem, cui præire solebat, sequeretur. Theodulfo subijciebam Amalarium Fortunatum, k Rabanum Maurum, l Valafridum Strabonem, m pseudo Alcuinum, n Ordinem Romanum, o omnes chrismationis ritum in titulo de baptismate describentes. Præterea hæc ex istis scriptoribus singulorum propria afferebam; ex Rabano, p Christianum nomen *IN sacro baptismate per sacri chrismatis unctionem suscepimus*; ex Theodulfo, q ex Prudentio Tricassino, quod hi omnes eos ritus, inter quos chrismationem censent, vocant in plurali numero, *baptismi sacramenta*, id est, ut liquet, sacros ritus; inter quorum de hac re testimonia hoc Theodulfi magna observatione dignum descripseramus, r *Sicut CÆTERA baptismatis sacramenta per sacerdotes visibiliter fiunt, per Deum invisibiliter consecrantur, ita nimirum & Spiritus Sancti gratia per impositionem manuum & ministerium Episcoporum fidelibus traditur.* His enim verbis manus impositionem, adeoque & chrismationem unius plane cum ea ordinis ritum, cæteris baptismi sacramentis, id est sacris ritibus accenset. Sed & ad hoc ipsum confirmandum illud quoque ibidem attuleram, s ac ni fallor, clare demonstraveram, quod istius, id est noui seculi Theologi, plane ut Beda, unctionem Episcopalem eandem esse putarunt cum presbyterali quam omnes confitentur meram esse baptismi cærimoniam. Denique ex confectis hoc nono ut videtur seculo ineunte sub primorum Romæ Episcoporum epistolis, ex ea, quæ est Clementis, hoc descripseram, t *Nisi quis regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformi Spiritus gratia confirmatus, aliter per-*

h L. 3. de Cōfirm. c. 13. p. 387. 388.
i L. 3. de Cōf. c. 12. p. 379.
k ibid.
l ibid. p. 380. & p. 388.
m ibid.
n ibid.
o ibid. p. 378.
p ibid. c. 13. p. 389.
q ibid. p. 390.
r ibid.
s ibid. p. 391.
s ibid. c. 14. p. 391. & seqq.
u ibid c. 15. p. 402. Clem. ep. 4.

fectum

fectum esse Christianum nequaquam posse. Cum enim qui rite ac perfecte baptizatus est, eum nemo unquam dubitaverit perfectum esse Christianum, istum qui Christianum sine chrismate quo septiformis ille Spiritus datur perfectum esse posse negat, necesse est chrisma baptismi cærimoniis accensuisse. Ex ejusdem census scriptore sub Fabiani larva latente hoc quoque adduxeram *x baptismum sancti chrismatis unctione perfici atque confirmari.* At quibuscumque *perficitur* baptismus, ea ad baptismum pertinere, eiusque ritus vel actus esse, omnes vident. Ergo hic quoque chrisma in baptismi rebus ac partibus ritualibus habuit. Cætera mitto. Hæc quidem non puto quemquam vel tam iniquum, vel tam tardum futurum, qui sibi persuadeat abunde, quod ait Hammondus, *comprobare chrismationem toto cœlo à baptismi ritibus distare.*

CAPVT XXXIII.

x ibid. p. 463. pseudo Fabian. ep. 2.

Quæ ex altero post decimum seculo observata sunt, mitto. Illud vnum hic repeto, quod ibi ex Honorio Augustodunensi duodecimi seculi ineuntis scriptore, docui, *y* solenne tum fuisse, ut octava post baptismum die *baptizati mitras deponerent, & ab Episcopo in fronte per chrisma signarentur, & per hoc per septiformem* Spiritum *ad regnum Dei confirmarentur.* Atque hic tertius fuit ad chrisma à baptismate sejungendum factus gradus. Primus fuerat, quod chrismate baptizatos in fronte ungere solis Episcopis, à Sylvestro, si forte, certe ab Innocentio concessum fuit. Alter quod presbyteris crismare extra pectus aut verticem vetitum est. Tertius hic denique quod octo dierum spatio chrismatis ministratio à baptismo divisa est. Hinc pronus & facilis fuit ad eum locum descensus, in quo chrismatio apud Latinos proximis retro quatuor seculis fuit, ut nimirum pro vero proprieque ac stricte dicto Sacramento haberetur, proindeque à baptismo veluti res alterius generis ac ordinis, plane penitusque divelleretur. Vnde Hammondus errandi datam occasionem arripuit, ut chrismationem, tametsi sacramentum proprie dictum putaret ritum tamen à baptismo diversum, libereque in Ecclesia Dei usurpandum fuisse existimarit. Quam autem feliciter suam illam opinionem ex veterum Patrum libris probarit, lectoribus judicandum relinquo.

y L. 3. de Conf. c. 16. p. 408.

CAPVT

Caput XXXIV.

Disputationis de Confirmationis apud Latinos post a. D. 300. statu altera pars; quæ est de manus impositione. Ea nulla est aut fuit apud Græcos; ac ne nunc quidem ulla est apud Latinos. His olim, dum fuit, baptismi ipsa quoque res sive ritus fuit. I. Testis; Eliberitana Synodus; cujus aliquot ea de re canones ab Hammondi glossis & falsis interpretamentis vindicantur. Non modo baptizatum, sed ipsum etiam baptismum manus impositione perfectum à veteribus censeri. Exploditur Hammondi de tertia quadam benedictione commentum, non alio consilio ficta, quam ut vim Eliberitani testimonij eluderet.

SVperest ultima de manus impositione quæstio; quam à nobis inter baptismales quoque ritus repositam, doctissimus Hammondus ab illorum censu ac consortio exactam eius quoque ritus partem olim fuisse vult, qui, ut est primum à Beda observatum Confirmatio vulgo dicebatur. Hanc autem manus impositionem, quocunque eam ordine ac nomine censueris, constat neque in ipsa baptizatorum initiatione, neque post eam fuisse ullo apud Græcos in usu, ac ne nunc quidem esse. Latini primis post rem institutam seculis eam diu statim post chrisma ministrarunt; secutis temporibus mutato ordine ante chrisma adhibuerunt; nunc vero, & citimis proximisque retro seculis, suos, manus impositione plane penitusque omissa, solo chrismate confirmare instituerunt.

Hic primum occurrit ipso ineuntis quarti seculi anno quinto Eliberitana Synodus, cuius canones aliquot doctissimus Hammondus attingit; in quibus manus impositionis fit mentio. In canone 39. hæc leguntur; *Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit eis manum imponi, & fieri Christianos.* Amicus noster de *manus impositione*, tinctione prævia, qua fiebant catechumeni, accipit; z Christianos vero fieri interpretatur *baptizari* unde sequitur, ut *desiderare sibi manus imponi*, sic intelligat, quasi dixerint Patres, *desiderare baptizari.* Omnia perversissime. Nam si illi Gentiles, de quibus canon loquitur, baptismum tantum desiderarint, nihil opus erat hanc ad concedendam iis quod poscebant legem addere, *si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta*; Nemini enim, etiam sceleratissimo baptismus in infirmitate petenti negabatur. Vt illud mittam absurde & præter Patrum communem usum dici *manus impositionem desiderare*, qui baptizari cupit ac petit, si hoc voluisset Synodus, cur hic ut alias, non diceret istos in infirmitate *desiderasse sibi baptismum dari*.

z Hamm. c. 2. sect. 5. §. 4. p. 63.

Ergo

Ergo Synodus aliud voluit: nimirum si Gentiles illi, qui in infirmitate positi, baptizati essent, desiderarent præterea sibi manus imponi, ad hoc scilicet ut perfecti Christiani fierent, eoque in statu, si mori eos ex eo morbo contingeret, migrarent. Id vero non aliter iis concedi decernunt Patres, quam si vitam illorum anteactam honestam fuisse compertum esset. Unde perspicitur *manuum impositionem* eam hic intelligi, quæ totius initiationis Christianæ coronis erat, atque ultima perfectio: *Christianos vero fieri*, ex Patrum mente nihil aliud esse quam *perfici*, id est *perfecte Christianos fieri*, ut nihil iis deesset, quo ad Eucharistiam admitterentur. Nam quod vere observavit *a* Albaspineus, antiquitas eos duntaxat Christianorum nomine donabat, atque in horum censu habebat, *qui Spiritu Sancto confirmati, & oleo sancto obliti essent*. Idem alibi cum hunc canonem plane, ut eum nos accepimus, esset interpretatus, *b Nam de ea (inquit) manus impositione, quæ pro ritu & cærimonia in baptismo usurparetur, næ illi egregie hallucinantur, qui interpretantur; quasi ea indignus ille videri potuisset, cui ipsummet baptismum collatum esset.* Hæc ille antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus Episcopus, cujus judicio amicus noster *egregie* in hoc canone interpretando *est hallucinatus*. Sed hæc obiter, quæ nihil ad rem, de qua quæritur. Alter ejusdem Synodi canon est 38. quo Patres jubent *c* qui catechumenus in infirmitate ab homine laïco baptizatus fuerit (tinctus scilicet duntaxat absque solennibus baptismi ritibus) *eum si supervixerit ad Episcopum perduci ut per manus impositionem perfici possit*. Hinc ego eram argumentatus *manus impositionem* censitam fuisse baptismi partem ritualem, qua scilicet qui careret non putaretur perfectus, & Eucharistiæ capax. Sed ex altero quodam Synodi hujus canone hunc imperfecte baptizatum non ab Episcopo tantum, sed etiam à Presbytero quin & à Diacono *perfici potuisse*, illa scilicet per manus impositionem benedictione demonstraveram. *d* Canon est disertissimus; *e Siquis Diaconus regens plebem sine Episcopo vel presbytero, aliquos baptizaverit, eos per benedictionem perficere debebit. Quod si ante de seculo recesserit, sub fide qua quis crediderit, poterit esse iustus.* ita enim ab omnibus legebatur & hic & novissime recitatus canon, donec Garciæ Loaiïæ aliter eos legere libuit & in 38 *proficere* pro *perfici* reponere; in hoc vero 77. *Episcopi* nomen de suo addere, *Episcopus eos per benedictionem perficere debebit*. Interpolandi Canonis occasionē nisi fallor, præbuit Ivo, qui canonem hujus similem veluti ex Concilio Turonensi, cap. 3. sed perperam ita describit; *Siquis* (inquit) *Diaconus regēs plebem sine Episcopo vel Presbytero aliquos (pro mortis occursu) baptizaverit, (Episcopus) eos per benedictionem (& Confirmationem) perficere debebit, sub fide qua quisque credendo poterit esse iustus.* Hæc vel Ivonem, vel auctores, à quibus illa habuit, ex Eliberitanorum canone ita deformasse, ut ad sui seculi mores congruerent; clarum atque apertum est. Inde illa inserta, *pro mortis occursu*, quæ apud Eliberitanos desunt; & infultum *Episcopi* nomen, quod eo tempore hic

a Albasp. observ. L. 1. Obs. 25.

b Id. in Conc. Eliberit. c. 39. p. 210.

c Conc. Eliber. c. 38.

d L. 2. de Conf. c. 9. p. 158. 159. 160.

e Conc. Eliber. c. 77.

Caput XXXIV.

unus, non etiam, ut olim, presbyter & diaconus, confirmaret; & adjecta *benedictioni confirmatio*, id est chrismatio, & canonis denique clausula truncato capite misere vitiata. Par fuit Latinorum, etiam à Sirmondo observata, in aliis veterum canonibus ad suum morem modumque invertendis, ac deflectendis, atque accommodandis audacia. Sed nos sinceram Canonis lectionem ex ipsius Eliberitanæ Synodi codicibus, in quibus ea hæsit, retinemus. Quod vero negat g Hammondus, si ea retineatur, *ullam vocem occurrere, quæ verba illa Concilij spectare possit*, nimirum *perficere debebit*; id ille frustra falsoque negat. Quasi vero obscurum sit hæc *perficere* debebit, ad *Diaconum* referri, quem scilicet jubent Patres quos baptizaverit, eos perficere, ut in canone 34. quod dicitur, *ad Episcopum eum* (à se baptizatum) *perducat*, nemo dubitat, quin id ad illum Laïcorum pertineat, à quo baptizatus fuerat qui ad Episcopum *perficiendus perduci* jubetur. Sed hæc viri doctissimi à præsenti hominum more ac sententia alienissima intelligere non possunt, quia scilicet nolunt vetustissimorum Patrum aliud de his fuisse, quam suum hodie est, judicium. Iam ex veteri Canonis Eliberitani lectione patet illa benedictione sive manus impositione *perfectum fuisse baptismum*; etiam à Diacono, ut vult Canon, certe *ab Episcopo vel presbytero*, quod concedit Hammondus. Quibus vero ritibus perficitur baptismus, eos ad baptismum pertinuisse, ejusque partes saltem cærimoniales fuisse, nemo cordatus negaverit. Ergo hæc ipsa benedictio, sive à Diacono, ex canone, sive à presbytero vel Episcopo ex Hammondo ministrata, ad baptismum pertinebat. Ictum hunc Hammondus ut averteret, præter duas illas benedictiones sive manus impositiones apud veteres satis notas unam quæ tinctionem præcedebat; alteram, qua confirmabatur neophytus, tertiam quandam ipse commentus est; h *ad perficiendum* (inquit) *baptismum comparatam*, quam paulo post sic definit i eam esse nimirum presbyteralium manuum impositionem, qua baptizati perficiebantur, id est *in Ecclesiæ gremium complere recipiebantur*. Vult ergo ut chrismationem, ita & manus impositionem, quæ post tinctionem dabatur neophytis, duplicem fuisse; unam, qua ipsum baptisma, alteram qua baptizatus perficeretur; illam, quæ etiam à presbyteris; hanc quæ à solis Episcopis ministraretur; illam, quæ baptismi ritus esset; hanc, quæ nihil cum baptismo commune haberet, totoque quod alibi ait, cælo ab eo distaret. Hæc sunt amici nostri dictata, rem unam in duas ad caussæ suæ commodum secantis. Ille quidem paulo ante, magna diligentia corrasis ex antiquitate testimoniis constituere studuit, k quod nemo negat, quandam manus impositionem apud veteres fuisse, quæ baptismo præiret, & catechumenos faceret. Nunc vero, quam scit à nobis negari suam illam manus impositionis in duas species divisionem, ne uno quidem ex antiquitate argumento vel testimonio confirmavit; merito certe, quod apud veteres nullum est. Itaque hoc ejus figmentum, qua facilitate nobis obtruditur, eadem à nobis rejici

potest

f Sirm. Antirrh. 1 p. 24.

g Hamm. c. 2. sect. 5. §. 15. p. 68.

h Hamm c. 2. sect. 6. § 1. p. 69.

i Ibid. §. 5. p. 71.

k ibid. sect. 5.

potest. Huc accedit, quod ista illius dictata adeo non probant aut commendant Patres, ut iis etiam satis aperte repugnent. Nam neque baptismum ille manus impositione, quæ à solis Episcopis confertur, rite perfici negant. Pseudo-Melchiades, noni seculi scriptor, de baptismo & Episcopali manus impositione verba faciens, *Ita coniuncta sunt* (inquit) *hæc duo sacramenta ut ab invicem, nisi morte præveniente, nullatenus possint segregari, & unum sine altero PERFICI non potest.* Pseudo-Fabiani mens eadem dicentis, *m baptismum sancti chrismatis unctione perfici atque confirmari.* Manus enim impositionis eadem quæ chrismationis ratio est. Sed & neophytos ipsos ea quoque manus impositione *perfici*, quam à presbyteris factam concedit Hammondus, etiam à Diaconis fieri jubet Eliberitana Synodus; id inquam ex hoc ipso Eliberitano canone manifestum est. Nam qui illam benedictionem de qua hic sermo est, recepisset, eum pro *perfecto* habent Patres. Alioqui absurda erit eorum oratio, Diaconus (inquit) quos baptizaverit, *eos per benedictionem perficere debebit.* Quomodo jubent istos *per benedictionem perfici*, si ea benedictio quam dicunt, *perficere* eos non potest? Idem inde quoque colligitur, quod addunt siquis istorum à Diacono baptizatorum ante de seculo recesserit, quam benedictionem illam perceperit, istum *sub fide qua credidit, iustum esse posse*; nimirum quia mors nullius fidei ac pietati fraudi esse debet, ideo æquum censent, ne hic quidem quem sola mors benedici prohibuit mortuus deteriori sit conditione, quam erat futurus, si vixisset & benedictionem suscepisset. Quod ergo aiunt eum quem mors prohibuit benedici sub fide qua credidit, *iustum* fore, palam constituunt ipsum si vixisset, ac benedictionem suscepisset, *iustum* per illam benedictionem futurum fuisse. Porro *iustus* apud veteres non erat futurus, nisi & *perfectus* esset. Apud eos enim *iustorum, sanctorum*, & *fidelium* nominibus nulli censebantur, nisi qui iidem perfecti essent, ut est à Gabriele Albaspineo vere observatum. *n* Ex quibus apparet magnopere hallucinatum esse Hammondum, cum putavit non alia benedictione sive manus impositione *perfectum* fuisse olim neophytum, quam quæ ab Episcopo ministrata esset. Nam ut eam mittam, quia Diaconum jubet Synodus Neophytos à se baptizatos *perficere*; certe qui Diaconis id licuisse negat Hammondus, presbyteris concedit, ut hujusmodi neophytis benedictionem impertiantur, adeoque eos *perficiant*, & ad *justorum* ordinem promoveant. Neque sane hoc nobis gratis concedit, quod nos jamdudum ex hoc canone demonstraveramus; etiamsi cum Garsia & Hammondo statuerimus ab Episcopo peti debuisse eorum benedictionem quos baptizasset Diaconus. Nam si unius Episcopi, non autem & presbyteri, id jus fuisset, nemo non videt canonem ita debuisse à Patribus constitui; *Siquis presbyter vel Diaconus regens plebem sine Episcopo, aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Cum ergo plane aliter loquantur Patres, & presbyterum non Diacono, sed Episcopo hac in parte accenseant, neque alios quam à Diacono solo baptizatos

CAPUT XXXIV.

l Melchiad. epist.

m Fabian. ep. 2. ad Orient.

n Albasp. ad syn. Eliber. c. 77. & Obs. L. 1. c. 25. p. 75.

Caput. XXXV. zatos manu Episcopi perficiendos esse significent; apparet presbyterum illis temporibus æque ac Episcopum, baptizatos per benedictionem perfecisse. Quo funditus subversæ ruunt omnes Hammondi substructiones; solos episcopos manu imposita neophytos confirmasse, datamque presbyteris benedictionem *baptismum* perfecisse, non perfecisse *neophytos*, somniantes. Cætera mitto. Vnum id quod nunc ago, ex his concludere satis est, eandem illam manus impositionem quæ neophytos perficiebat, fuisse unum de baptismi ritibus. Iudicet jam lector cordatus an *causæ meæ male consuluerim* (quod sentit o Hammondus) dum hunc *Eliberitanum canonem ad eam confirmandam adduxi*; & an locum hunc plane omisisse (quod idem putasse videtur) dicendus sim, ex quo superiora omnia, sed suo non alieno loco, in illo adversus Latinos opere meo, disputavi.

o Hamm. c. 2. sect. 6. §. 5. p. 70.

CAPUT XXXV.

II. Testis Optatus manus impositionem inter baptismi ritus censens. Refelluntur quæsitissimæ Hammondi ad hoc argumentum eludendum strophæ.

Hic recurrit Optati locus, p supra à nobis allatus; quo, ut chrismationem, sic etiam manus impositionem ad baptismum pertinuisse clarissime docemur. Illic enim Optatus præfatus Christum in aquam ante descendisse quam Spiritus in eum descenderet in imagine columbæ, ut ita baptismatis (nostri scilicet) mysteria initiaret, ordinaret, & impleret; *Lotus* (inquit) *cum in Ioannis manibus haberetur. Secutus est ordo mysterij, & complevit pater quod rogavit Filius, & quod nuntiaverat Spiritus Sanctus, Apertum est cœlum Deo Patre ungente, spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, & insedit capiti eius, & perfudit eum, unde cœpit dici Christus, quando unctus est à Deo Patre.* Hæc ad chrismationem, unum de baptismi mysteriis, pertinere jam ostendimus. Tum pergit Optatus; *Cui* (inquit) *ne manus imposi io defuisse videretur vox audita est de nube dicentis, Hic est Filius meus de quo bene sensi. Hunc audite.* Hæc ille hactenus. Quid clarius dici potest? Sed doctiss. Hammondus rem longe aliorsum avertit? Hanc enim ab Optato memoratam manus impositionem non de baptismali manus impositione, sed de ordinatione contendit esse intelligendam, cujus quoque ritus erat manuum impositio. Ille vero absurdissime, ac præter omnem rationem id comminiscitur. Nam neque ea voce, quæ in Ithabyrio de nube sonuit ordinatum fuisse Christum vel rationi, vel verbo Dei consentaneum est; neque eo ut credamus hic respexisse Optatum tota ejus oratio patitur. Quid enim à ratione magis alienum est, quam ut Christus tum demum fuerit in Messiam ordinatus, cum multis sane mensibus eo

p L. 2. de Confirm. c. 9. p. 162. 163.

q Hamm. c. 6. sect. 5 §. 13. 14 p. 147.

munere

munere fungi cœpisset? imo paucis fortasse mensibus antiquam id in terris consummaret? in quod tempus conjiciendam esse Christi in monte transfigurationem, & historiæ Evangelicæ series persuadet, & consentiunt plærique interpretes? Ut mittam ordinationem palam & in hominum oculis fieri decere, ut qui ordinatur ab omnibus agnoscatur & suscipiatur; cum constet totum illud; quod in Ithabyrio gestum est, non publice, sed coram tribus tantum Apostolis gestum esse? Sed & Scriptura Christum in Pontificem nostrum tum fuisse inauguratum docet, cum Pater hæc verba ad eum locutus est, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; quod Patres non pauci tum esse factum scribunt, cum hæc ad eum vox Ioannis lavacro egressum facta est, *Hic est filius meus dilectus*, vel ut referunt Lucas & Marcus, *Tu es filius meus dilectus*. Itaque si vel constaret Optatum de ordinatione verba facere voluisse (quod procul à vero est) ne sic quidem eum putarem alio hic respexisse, quam ad historiam baptismi ejus. Sed si verum amamus, fatendum est Optatum toto hoc loco in solo Christi baptismo hærere, neque alia tangere quam quæ ad eum spectant; Quia (inquit) *s Filius à Patre, Deus à Deo, erat ungendus, secundum quod Filius petiit, & Spiritus premissa nuntiavit, complevit Pater in Iordane.* Non utique in Tabore. Tum disertissime signat locum & tempus, quo ista quæ deinceps narrat, omnia contigerunt. Statim enim hæc verba subjicit; *Quo cum venisset* (inquit) *t Filius Dei, à Ioanne ostensus est his verbis, Ecce Agnus Dei.* Quonam venerat? Certe ad Iordanem, non in Taborem. Quibus totam inde attexit de sequentibus Christi actibus narrationem. *Descendit in aquam*, inquit. Ubi? non in summo credo Ithabyrio, sed in Iordane. Tum; *Lotus, cum in Ioannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterij*, &c. *apertum est cœlum. Spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, insedit capiti eius, & perfudit eum.* Quo loco terrarum hæc gesta? Ibidem scilicet, quo venerat, apud Iordanem. Postremo pergit; &, *Cui* (Christo scilicet) *ne manus* (inquit) *impositio defuisse videretur, vox audita est de Dei nube.* Certe vel delirat Optatus, vel ibidem, in eodem loco, quo dixerat Christum lotum, apertum cœlum, Spiritum in columba descendisse, hoc quoque factum fuisse intellexit, nimirum apud Iordanem. Cave credas; inquit Hammondus. Res plane aliter habet. Hæc non apud Iordanem, sed in Ithabyrio procul à Iordanis ripis; non in Christi baptismo, sed aliquot post eum si non annis, certe mensibus, gesta sunt. Certi si quod tu vis, id in animo habuit Optatus, hoc etiam confiteri debes eum plane somniasse, neque quid ageret, vel diceret, cogitasse, cum in ea rerum serie, quarum ipse in narrationis exordio locum ac tempus disertissime signarat, aliud quiddam tandem reposuit, quod procul ab eo, & longe post id tempus contigit, quo illa alia gesta esse omnia affirmavit. Sed & ipsa Optati professio hanc amici nostri suavem sane, & mirificam ariolationem repellit. Ipse enim, quid in ista narratione sit præstiturus, clarissime præstruit; cum præfatus oleo aquam

CAPUT. XXXV.

r Luc. 3. Marc. 1.

s Opt. l. 4. p. 80. extr.

t Ibid. p. 80.

Caput XXXV. praire debuisse, *ad mysteria initianda, & ordinanda & implenda BAPTISMATIS*, illa mysteria suo deinceps quæque ordine sigillatim enarrat *lotionem, cœli apertionem, olei in columbæ imagine descensum, Christi ex illo oleo in ejus capite insidente, perfusionem.* Hæc omnia apud Iordanem gesta; neque negat Hammondus. *Cui* (inquit Optatus) *ne manus impositio defuisse videretur, vox audita est Dei.* Nonne hic ipse orationis ordo, ipsa rerum series hoc, quod ultimum ponit, eodem quo superiora pertinere, arguit, imo necessario vincit, ac demonstrat? *Cui* (inquit) *ne manus impositio defuisse videretur.* Vbi, quando *defuisse*? Fungus est, qui non videt auctorem intelligere ne quis putaret eo ipso loco ac tempore de quo locutus est, post eam quam commemoravit rerum copiam, Christo eam manus impositionem, quæ nostri baptismi coronis est, defuisse. Absurdum quippe erat baptismatis nostri mysteria *initiantem, ordinantem, & implentem*, eum ritum omittere, qui totius initiationis veluti sigillum atque corona est. Ne ergo illa manus impositio Christo defuisse videretur, ea non in Ithabyrio, quo nos amandat Hammondus, sed ibidem apud Iordanem repræsentata est, voce cœlesti eum unctum statim sua benedictione consecrante. Hic verus, simplex, genuinus est Optati sensus; ejus & consilio & verbis ad amussim congruens, & aliorum Patrum menti; qui totam illam Evangelistarum de Christi baptismo narrationem, de cœli apertione, de columbæ descensu, de voce cœlitus tonante, *Hic est Filius meus*, ad baptismi nostri rem, censum & ordinem spectasse ac referendam esse summo pæne omnes consensu tradunt. Hilarius in Dominici baptismi historiam; *u Ordo etiam* (inquit) *in eo arcani* (id est mysterij sive sacramenti) *cœlestis exprimitur; Nam baptizato eo, reseratis cœlorum aditibus Spiritus Sanctus emittitur, & specie columbæ visibilis agnoscitur, & istiusmodi paternæ pietatis unctione perfunditur. Vox deinde de cœlis ita loquitur; Filius meus es tu; ego hodie genui te, simul ut ex eis, quæ consummabantur in Christo, cognosceremus, post aquæ lavacrum & de cœlestibus portis sanctum in nos Spiritum involare, & cœlestis nos gloriæ unctione perfundi, & paternæ vocis adoptione Dei Filios fieri, cum ita dispositi in nos sacramenti imaginem ipsis rerum effectibus veritas præfiguraverit.* Ovum ovo non est similius, quam hoc Hilarij testimonium ei Optati loco de quo nunc quæritur, Hic præfigurata, quæ noster initiata, ordinata, & impleta illis in Dominico baptismo effectibus dicit nostri baptismatis mysteria. Hieronymus tres caussas edit, cur Salvator à Ioanne baptismum acceperit; tertiam hanc *x ut Iordanis aquas sanctificans per descensionem columbæ Spiritus Sancti in LAVACRO credentium monstraret adventum.* Idem alibi de *y* Christo; *Statimut caput extulit de fluento Spiritum Sanctum accepit, non quod unquam sine Spiritu Sancto fuerit, quippe qui de Spiritu Sancto in carne natus est, sed ut illud nobis monstraretur verum esse BAPTISMA, quo Spiritus Sanctus adveniat.* Mitto supra recitatas Cyrilli Hierosolymitani, Chryso-

u Hilar. in Matth. can. 2. extr. p. 471. F. & 472. A. B.

x Hier. in Mat. 3. l. 1 in Ev. T. 9. fol. 8. F.

y Id. adv. Lucifer. T. 2. fol. 50. C.

Chrysostomi, ac Theophylacti, & de Latinis, Augustini & Bedæ voces. CAPUT XXXV.
Vnde ergo hæc Hammondo fiducia, ut sensum adeo clarum atque necessarium se hinc amovere, & illum alium de ordinatione profecto peregrinum & insolentem in hunc locum inducere posse speraret? Ille vero idoneam se huius suæ περιφρονήσεως rationem nactum putat. Hæc enim, quæ Optatus habet verba, *Hic est Filius meus* &c. *clare* ait z *patere, non ex Matth.* 3. (ubi Christi baptismus describitur) sed *Matth.* 17. *diserte laudata fuisse.* Nam Optatum quidem *vocem* cuius meminit, *de nube* auditam dicere; eamque *vocem* præcepisse, *hunc audiri*; quod utrumque in transfigurationis apud Ithabyrium montem historia occurrit; neutrum in baptismi apud Iordanem Dominici narratione legitur. Neque dubito quin hoc sibi tam mirum, tamque fœlix εὕρημα sit apud se gratulatus; Mei certe tantum non miseretur, qui res tam præclaras scilicet non observarim. His enim explicatis sententiæ de hoc Optati loco suæ rationibus; *Hæc omnia* (inquit) *an Dallæus adverterit, ipse viderit.* Ego vero fateor hæc me apud Optatum adeo non advertisse, ut ne levissimam quidem eorum umbram mihi unquam in mentem venisse meminerim; imo nisi suum illum thesaurum amicissimus Hammondus nobiscum communicasset, facile credo me qui stupor meus est, vel annos totos in hoc excutiendo Optati loco sudaturum frustra ante fuisse, quam quicquam in eo huiusmodi deprehenderem: adeo rara ac recondita & à communi omnium hominum sensu, ratione ac luce longe semota est, hæc doctissimi Hammondi observatio. Sed ne nunc quidem eius mihi rationes tanti esse videntur, ut cuiquam persuadere debeant hanc fuisse Optati quam iste vult, mentem. Prior quidem quam sit futilis omnes vident: Optatus vocem Dei auditam esse *de nube* dicit. In baptismo Christi *auditam* de cœlis omnes tradunt Evangelistæ: Ergo quo hic respicit Optatus, aliud à baptismo Christi est. Quasi vero quæ vox de nube audita est, eam *de cœlis* auditam esse vere dici non possit: aut contra. Certe & nubes apud Scripturas in cœlo sunt, & cœli nubes dicuntur. Qui Christi in Ithabyrio transfigurationem narrant tres Evangelistæ, omnes vocem, quæ ibi sonuit, *de nube fuisse aut venisse* affirmant. Petrus *vocem*, quam in monte ipse audiverat, *de cœlo allatam esse* scribit. a Tu-ne hinc concluseris aliud fuisse, id quod ibi memorat Petrus, ab eo quod narrant Evangelistæ? Tu vero nugator fueris, si vel hoc suspiceris. Quid enim prohibet quominus Petrus id ipsum intellexerit, quod narrant Evangelistæ? cum clarissimum certissimumque sit quod de *nube* exoritur id ipsum de cœlo profectum dici? Atqui par est hic Optati caussa. Vt Petrus vocem à cœlo fuisse dicit, quam Evangelistæ de *nube* venisse testantur: ita vicissim Optatus de nube dixit profectam, quam Evangelistæ de cœlis allatam tradunt. Omnes, ut apparet, rem unam eandemque, licet diversis vocibus significant. Eadem est alterius obiectionis ratio: Optatus ab illa voce dictum refert, *Hunc audite.* Tres Evangelistæ nihil aliud ex ea auditum narrant, præter hæc

z Hamm. c. 6. sect. 3. §. 13. 14. p. 147.

a 2. Petr. 1. 18.

Caput XXXV.

hæc verba, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ergo aliud est id quod respicit Optatus. Tu vero simili cavillatione effeceris id quod de visione cœlesti narrat Petrus, aliud ab eo fuisse quod tradunt Evangelistæ. Quos enim hi diserte dicunt auditas in Ithabyrio fuisse de nube voces *Ipsum audite*, ille nullas recitat: sed has duntaxat, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Neque enim plura exhibent ulli Græci codices, editi vel MS. Quod vero interpres Latinus etiam addit *ipsum audite*, id ex Evangelistis repetivit, à Petri manu non habuit. Vt ergo hæc tantilla Petri ab Evangelistis diversitas nequaquam prohibet quominus consentiamus id unum idemque esse de quo utrique narrant; ita neque nos pusillæ illæ Optati ab Evangelica Dominici baptismi narratione varietates deterrere debent, quominus id, quod rerum ipsarum rationi consentaneum est, teneamus, scriptorem illum nullam haud dubie aliam quam baptismi Dominici historiam toto hoc loco respexisse. Siquis tamen quærat, cur & qua ratione factum sit, ut Optatus *nubem*, & verba illa *hunc audite*, narrationi Evangelicæ, a qua absunt, adjecerit; respondeo simplicissime id ex quodam memoriæ lapsu videri contigisse. Errorem peperit duarum narrationum similitudo; in quibus eadem quidem illa verba cœlitus de Christo dicta esse traduntur; *Hic est filius meus dilectus, in quo bene sensi*, vel *mihi* complacui; ita tamen ut in altera quæ est de transformatione Christi, verba ex *nube* facta esse dicantur, cum hoc auctario, *Hunc audite*; in altera vero quæ est de Domini baptismo, vox *de cœlo audita*, & illa tantum priora verba sine hoc auctario, edidisse tradatur: In hac tanta rei similitudine facile est unam narrationem cum altera in iis, quæ vel exigui vel etiam nullius videntur momenti, sic permiscere ac confundere, ut quod in una expressum legeris, id neque in altera taceri putes. Id vero sæpe nobis accidit ea quæ legeramus, ex memoria, non ex libro recitantibus. Atque eo referendum esse existimo illud vulgati interpretis in altera Petri epistola additamentum, cum Petro perhibitum Christo cœlitus testimonium referenti tribueret, illa verba *Hunc audite*, tametsi ab auctore minime expressa, quod ea ipse in narratione Evangelica se legisse meminisset; in quo Optati multo quam Latini levior culpa censenda est. Hunc enim, qui interpres est, decuit sinceram auctoris sententiam, nulla re vel addita vel detracta fideliter reddere, juxta illud Horatianum, *verbum verbo curabit reddere fidus interpres*; Optatum in iis quæ ex memoria repetebat, nihil necesse fuit adeo anxie in singulis etiam verbis & minutiis laborare. Atque eo proclivior fuit hoc in loco lapsus, quod Optatus illa quæ dixerat, nostri baptismatis mysteria in iis quæ Christo apud Iordanem contigerant, hic venatur & indagat: quo in studio dum versatur, facile ei fuit, quod ad manus impositionem apte accommodari poterat, id ex simili narratione arripere, & in sua quoque positum existimare, ut ita belle cum omnibus nostris ritibus congruerent quæ Domino in suo apud Iordanem ba-

ptismate

ptismate contigerant. Atque hic quidem Optati error (si tamen error fuit) mihi certe felix fuit; cui manifestissimum præbet argumentum, quo manus impositionem unum vincant fuisse ex priscis baptismi ritibus. Qui enim *baptismatis mysteria* diserte vocet, ea quæ à Domino apud Iordanem *initiata*, *ordinata* & *impleta* fuisse narrat, dubitari non debet, quin is manus impositionem quam in hoc rerum ordine recenset, pro uno ex istis baptismatis mysteriis, id est sacramentis, sive sacris ritibus habuerit. In hoc ipso argumento alios quoque Patres legimus nonnulla Evangelistarum narrationi aliunde adjecisse. Ita Iustinus Spiritum Sanctum in specie columbæ in Christum advolasse scribit, [s] simul hanc vocem de cœlo venisse, *Filius meus es tu; Ego hodie genuite.* Idem quoque neque semel ab Hilario legimus, [t] *Cum ascendente eo de Iordane* (inquit) *vox Dei Patris audita est; Filius meus es tu; Ego hodie genui te.* Barradius hæc quidem ipsa verba, non sonuisse apud Iordanem confitetur; [u] *sonuisse tamen eandem vocem dicis, quoniam idem sonuit, quod illa sonat.* Si placet hæc Patrum illorum defensio, facile est Optatum eodem modo purgare; etiamsi eum feceris non errore memoriæ, sed consulto Evangelicæ narrationi ea quæ diximus adjecisse. Etsi enim apud Iordanem hæc ipsa proprie verba, *Hunc audite*, minime edita fuisse concedamus; negari tamen non potest, quin hæc iis, quæ istis proprie audita sunt, continentur. Quis enim neget Deum præcipere *hunc audiendum*, quem missa cœlitus voce *Filium suum esse dilectissimum* apud homines profitetur? Neque de *nube* satisfactio difficilior est; scripsisse eum scilicet, quod tametsi Evangelistæ hoc loco tacuerit, ipse tamen ita factum fuisse judicabat ex alia simili de Christo quod Ithabyrium transformato narratione, ubi hæc circumstantia disertis verbis expressa legitur; vocem scilicet illam cœlestem de nube emissam esse. Hunc enim auctorem (ne quid de cæteris ejusdem ordinis dicam) ea interdum solet, quæ ex Scripturis habet, sic narrare, ut misceat, quæ tum ex rebus ipsis, tum ex aliis divinorum scriptorum locis legitime colligi putat, luculento & quidem ex hoc ipso loco petito exemplo, manifestum fiet. Nam tametsi neque Ioannes, qui Christum à Baptista Agnum Dei salutatum narrat, eum ipso illo tempore tradat à Baptista tinctum, neque qui ab eo baptizatum cæteri Evangelistæ narrant, his eum verbis hoc ipso tempore à Baptista compellatum testentur; Optatus tamen quod probabile esse putaret utrumque sub idem tempus factum esse; plane rem sic narrat, quasi Christus vel statim vel certe paulo postquam à Ioanne ita salutatus fuerat, ab eodem quoque baptizatus fuerit. [x] *Quo* (ad Iordanem scilicet) *cum* (inquit) *venisset Filius Dei, Salvator noster, à Ioanne ostensus est his verbis, Ecce Agnus Dei. Hic est, qui tollit peccata mundi. Descendit in aquam, non quia erat, quod in Deo mandaretur* &c. *Lotus cum in Ioannis manibus haberetur* &c. Vides hæc duo ita continenter referri, perinde ac si eodem die gesta essent, tametsi id nullus Evangelistarum diserte significarit. Sed hæc de Optato satis.

CAPUT XXXV.

[s] Iustin. Dial. cum Tryph. p. 247. lin. 29.
[t] Hilar. L. 11. de Trin. p. 243. C. Id. can. 2 in Matth. extr.
[u] Barrad. Comm. in Evang. T. 2. L. 1. c. 13. p. 32. col. 1. C.
[x] Opt. L. 4. p. 81.

Caput. XXXVI.

CAPUT XXXVI.

III. Testis Hieronymus. Refelluntur quæ Hammondus ex eo elicere conatur pro sua sententia, ac demonstratur hunc quoque manus impositionem in baptismi rebus censere.

y Hamm. c. 6. sect. 5. tit. p. 159.

z Hieron. Dial. contr. Lucif. T. 2. fol. 50. K.

AD Hieronymi illa, quæ Hammondus pro sua de manus impositione sententia testimonia transeamus, quæ in ipso capitis titulo *lucidissima* esse præscribit. *y* Hieronymus ergo, cum adversarius Luciferianus dixisset *Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus*, ipse ei respondens, ita rem explicat, *z Non equidem ab uno* (inquit) *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manuum impositurus excurrat.* Hæc primo describit Hammondus; quibus continenter ista ejusdem auctoris subjicit; *Quod si quæris quare in Ecclesia baptizatus, non nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui, disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus ad honorem potius sacerdotij, quam ad legis necessitatem. Alioqui si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus Sanctus defluit, lugendi sunt qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros & Diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.* Denique id quoque recitat Hammondus, quod Hieronymus ex Actis Apostolorum habet, Petrum & Ioannem ab Apostolis Samariam missos, qui orarent pro Samaritanis, quod solum baptizati essent in nomine Domini Iesu, eosque manu à duobus illis Apostolis sibi imposita Spiritum Sanctum accepisse. Ego omnia in mea adversus Latinos disputatione excusseram, & à Bellarmini atque Aurelij strophis atque præstigiis vindicaveram, *a* Illud inprimis observaram Hieronymum magnifice eo loco defendisse Spiritum Sanctum qui per manus Episcopi traditur, haud dubie in ipso quoque baptismate tribui, neque sine eo esse baptisma, idque multis ex Scriptura argumentis haud segniter probasse. Tum & illud observaram, *b* quod Hieronymus an. D. 370. tradit unius Episcopi fuisse neophytis à presbytero aut Diacono baptistis manum imponere; id Patres Eliberitanos ante annos non plures quam 65. etiam ut videtur Diaconis, presbyteris quidem certe concessisse. Tertio *c* ne tum quidem cum hæc scriberet Hieronymus, in universo Occidente receptum fuisse videri ut solus Episcopus manum baptizatis imponeret; quod ipse dicat non *in omnibus*, sed *in multis* duntaxat *locis id factitatum fuisse*. Sed neque illud omiseram, quod quibus in

a L. 2. de Confirm. c. 22. p. 259.

b ibid. p. 255.

c ibid. p. 256.

in locis ita fieret, id Hieronymus *ad honorem potius sacerdoti* pertinere *quam ad legis necessitatem* judicat. Cætera mitto quæ istic latius sunt à nobis disputata. Quid ad hæc Hammondus? Plane, ut uno verbo dicam, nihil. Tantum iis quæ ex Hieronymo recitavi, descriptis, lætus exclamat, d *Ecce omnia, quæ Hierarchici ut dicimur Britanni de confirmatione, à baptismo divisa, de Spiritu Sancto fidelibus per solam Episcopi ma us impositionem rato* &c. *philosophamur, ab Hieronymo Presbytero Prælatis ante omnes Patres infensissimo, ita libere concessa, ut aliorum testimoniis opus non sit.* Hæc ille quæ quo animo Censor ille noster scripserit, Deus novit. Ego quidem nihil de Britannis Hierarchicis, nihil de Prælatorum potestate, nihil de Hieronymi animo illis infenso, toto hoc loco dixeram. Tantum ex his Hieronymi astrui non posse Latinæ Confirmationis sacramentum demonstraveram. Id Hammondus vel refellere debuit, si cum Latinis sentiebat, vel certe quiescere, si aliter quam illi, de his philosophatur. Mihi cum unis Latinis istis negotium fuit. Itaque missis parergis, illud quod inter nos quæritur, videamus, an manus impositionem neophytorum ad baptismi ritus pertinere neget Hieronymus. Hammondus quæ ipse *de Confirmatione à baptismo divisa philosophatur*, sibi ab Hieronymo tam *libere concedi* prædicat, *ut aliorum testimoniis non sit opus.* Equidem miror hæc à viro gravi ita inaniter jactari. Atqui quam iste dicit, Confirmationem, Hieronymus in toto illo Dialogo ne semel quidem nominavit; nedum ut eam à baptismo divisam esse scripserit aut concesserit. Neque ullum scio quarti illius seculi scriptorem, qui *Confirmationis* vocabulum eo sensu usurpaverit. Nomen ita accipi pro *chrismationis* vel *impositionis manuum* ritu diu post Hieronymum cœpisse ostendit, quod Beda octavo demum seculo *de unctione, quæ per manuum impositionem ab Episcopo ministrabatur*, ita scribat, *e quæ vulgo* (inquit) *Confirmatio dicitur.* De nomine perpetuo totius Ecclesiæ usu jam inde à multis ante nos seculis trito, receptoque nemo hoc observaret. Ergo hæc unctionis illius nomenclatura Bedæ ævo recens adhuc erat. Itaque ubi de Hieronymo quæritur, facessere hinc debet *confirmationis* ignotum ei nomen. Hammondum simpliciter & candide Hieronymi verbis eloqui decebat siquid apud eum reperiri contendit; non tendiculas & insidias incauto lectori in vocularum ambiguitate struere. *Confirmationis* vocabulum suis temporibus dimittamus. Nunc quæritur an Hieronymus quas ipse dicit, *unctionem & manus impositionem*, eas à baptismo cum Hammondo dividat? De unctione, jam supra satisfecimus; eamque ostendimus adeo non divisisse à baptismo Hieronymum, ut plane contra ex eo liquido appareat quam memorat unctionem, eam unum ex baptismi ritibus fuisse superest *manus impositio*; Atqui ne de ea quidem, quicquam hic proprie disputat Hammondus, satis habens exclamare suum esse Hieronymum, descriptaque ex eo testimonia *esse lucidissima.* Suspicor tamen totam hanc exclamantis Hammondi alacritatem inde ortam, quod apud Hieronymum legat

CAPUT XXXVI.

e Bed in Ps. 26. T. 8. p. 435.

Caput XXXVI. Luciferianum affirmantem *hunc esse Ecclesiarum morem, ut baptizatis POSTEA manus imponantur.* Atqui si nihil aliud esset, nulla fuit Hammondo gestiendi & exclamandi causa. Quid enim? An putat quemquam tam esse obesum, ut defendat neophytis vel antequam tingerentur, vel in ipso tinctionis actu manus olim fuisse impositas? Apage nugas. Nos æque cum Hammondo fatemur primo tinctos fuisse, postea manu imposita obumbratos. Sed magnum inter hos duos actus interjectum fuisse temporis intervallum causabitur; idque ex sequentibus Hieronymi verbis conficiet. Hieronymum ergo audiamus. f *Non equidem* (inquit) *abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat;* Item paulo post multos memorat, g qui *in viculis aut in castellis aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.* Fateor hæc ita apud Hieronymum legi. Sed neque illa dissimulanda sunt, quæ apud eundem habentur; h id *ita factitatum,* non in omnibus, sed *in MULTIS locis,* & ita factitatum *ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis necessitatem; ut exsors quadam Episcopo, & ab omnibus eminens daretur potestas,* ad schismata vitanda; quæ ipsa quoque ratio est, si Hispalensem Synodum audimus, i cui *novellis Ecclesiæ legibus quædam presbyteris probibita sint,* ac nominatim inter cætera *chrismate baptizatorum frontem signare; ut per hoc* (inquiunt) *& discretio graduum, & dignitatis fastigium summi Pontificis demonstretur.* Ex quibus apparet baptizatis si res per se & ex suo ingenio spectetur, manus statim fuisse imponendas, idque ita primo factitatum fuisse ex Tertulliano & aliis; Quin & ipsis illis Hieronymi temporibus idem, eodem modo administratum fuisse hinc discimus. Primo enim cum jure illo, non ubique sed *in multis* tantum *locis* Episcopi fruerentur; in omnibus Occidentis Ecclesiis, quarum diversa erat à *multis* illis ab Hieronymo memoratis locis consuetudo, non est dubitandum, quin baptizatis manus statim à sacramenti ministro imponerentur. Sed & in *multis* illis locis, ubi soli Episcopo concessum erat *manus* baptizatis *imponere,* non ideo putandum est vel nullis vel paucis statim post lavacrum impositas fuisse manus. Nam ut vere est à doctissimo Hammondo observatum, k *antiquitus baptismus publice statis anni temporibus* (Paschate scilicet & Pentecoste) *& solum in cathedrali Episcopi Ecclesia habebatur, quo omnes competentes ex universa diœcesi, illius gratia, accedere mos erat.* Iam quotquot illuc conveniebant, simulatque partim ab ipso Episcopo, partim à presbyteris & diaconis baptizati erant, ibidem sine mora manus impositionem à loci Episcopi suscipiebant. Horum ergo, quorum in magnis præcipue parœciis, ingens erat multitudo, partim ex ipsa urbe, partim ex suburbanis oppidis ac vicis ad baptisma confluentium *manus impositio* nullo insigni temporis intervallo à Baptismo divisa fuit. Præ iis exiguus erat eorum numerus, quos in viculis & castellis &

f Hier. contr. Lucifer. fol. 50. H.

g ibid. K.

h ibid.

i Conc. Hisp. c. 7. a. D. 619.

k Hamm. c 6. sect. 3. §. 16. p. 148.

lis & locis à civitate remotioribus habitantes vel infirmitas, vel inopia, vel longinquitas, vel alia aliqua necessitas ad civitatem ad indictam diem convenire prohibuerat. Ad hos antequam *excurrere* posset Episcopus, aliquot sæpe dies, sæpe etiam hebdomades, aut menses, quin & aliquando fortasse anni, varie pro locorum distantia, vel Episcopi valetudine, negotiis, diligentia, intercedebant, inter baptismum quem à loci sui presbytero vel diacono susceperant, & manus impositionem, quam ab uno Episcopo administrari fas erat. Ex quibus iam luce meridiana clarius est, quam falso glorietur doctissimus Hammondus Hieronymum *de divisa à baptismo manus impositione secum consentire.* Ille enim hos ritus per se suaque natura divisos esse vult; usque adeo ut parvulis, quos in ipsis incunabulis tingit; manum imponi neque fas, neque decorum putet. Hieronymus vero non alios nobis edit aliquo temporis post baptismum spatio manu Episcopali adumbratos, quam quos occurrentis extra rem ipsam causæ necessaria prohibuerant id benedictionis citius suscipere. Cum ergo iniquum sit & à rectæ ratiocinationis legibus alienum ea rebus, rerumque naturæ imputare, quæ iis ab externis causis accidunt; omnes vident quam frivola sit doctissimi Hammondi argumentatio divisam à baptismo fuisse manus impositionem inde concludentis, quod intercurrentes præter rei naturam causæ eam interdum ad aliquod post susceptum baptismum tempus differri cogebant. Perinde facit ac siquis exorcismos, unctionem ex oleo, lactis & mellis prægustationem, candidæ vestis indumentum & alios ejusdem census ritus à baptismo divisos esse inde conficeret, quod ij aliquando serius post susceptum baptismum administrarentur, ut iis contingebat, qui faciente quacumque necessitate à laico tincti erant. Quod addit Hammondus Hieronymum libere sibi concedere, *qua philosophatur de Spiritu S. fidelibus per solam manuum impositionem dato*, id inquam nihil ad me, qui cum vel per solum etiam baptismum, absque humanis ullis cærimoniis, rite ministratum, Spiritum Sanctum dari credam; ad eam rem neque chrisma, neque ipsam etiam manus impositionem requiro. Alius fuisse videtur veterum sensus. Certe Cyprianus pronuntiat necesse esse eum ungi, qui baptizatus sit. Et quibus neophytis Episcopi manu Spiritum Sanctum conciliari dicit, ij profecto jam tum erant à presbyteris aut Diaconis chrismati; qua de re aliter crede quam Hieronymus *philosophabatur* Hammondus. Sed neq; satis Cum Hieronymi placitis congruere videtur aliud quoddam Hammondi φιλοσόφημα Spiritus in baptismo accepti *incrementa, largiores haustus* &c. per Episcopalem manus impositionem impetrari docentis; cum Hieronymus præfracte atque disertissime asseerat *l ipsum illum Spiritum* quem *baptizatus per manum Episcopi accipit, in vero baptismate tribui*; quæ Hieronymi assertio vix ac ne vix quidem consistere mihi posse videtur; nisi *manus impositionem* baptismi cærimo-

CAPUT XXXVI.

l Hier. ubi supr. fol. 59. K.

Caput XXXVII. niam ut sane erat ita fuisse confiteamur. Cætera Censoris mei ad Hieronymum dicta pertinent ad chrismationem, de qua jam satisfecimus.

CAPUT XXXVII.

IV. Testis. Augustinus. Solvuntur quæ ex eo sunt ab Hammondo allata; ac demonstratur hunc quoque manus impositionem in baptismi rebus censuisse.

m L. 2. de Conf. c. 24. p. 278.
n Aug L. 15. de Trin. cap. 26. Et L. 3. de bapt. contr. Don. c. 16. Et Tract. 6. in Ioan. c. 3.
o Hamm. c. 6. 7. §. 1. p. 166.

INter ea quæ ex Augustino attuleram *m* nonnulla sunt, quæ ad manus impositionem pertinent, nunc suo loco ac ordine expendenda. De locis ex opere de Trinitate, *n* ex libris de baptismo & tractatu 6. in Ioannem multa duxeram ad appugnandum Latinæ Confirmationis sacramentum, tum ad probandam sententiam de illo ritu meam. Pæne omnia sicco pede fortiter præteriit doctissimus Hammondus. Quæ pro mea sententia attuleram, uno verbo debet *o* omnia, simpliciter negans *ullo me argumento approbavisse manus impositionem meram esse baptismi cærimoniam.* Vt hoc nobis persuaderet, debuerat, quæ edidi argumenta refellere. Nunc cum ea ne inspicere quidem, aut expendere dignatus sit; satis est lectorem ad opus de Confirmatione meum dimittere, quo ea fuse sunt à nobis exposita. Tum id arripit, quod Augustinus in primo ex his tribus locis postquam dixit orasse Apostolos, ut Spiritus Sanctus veniret in eos, quibus manum imponebant, continuo addit, *Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Ex his affirmat Hammondus manifestissimum reddi Augustinum *locutum esse de manus impositione, ut de solenni ritu Ecclesiastico, Præpositis reservato.* Fateor. Nemo enim negat ritum hunc olim in Ecclesia solennem fuisse, & à solis Præpositis administratum esse; Illud unum spernimus, quod hic neget, sed neque hic neque alibi refellit Hammondus, solennem istum Ecclesiæ ritum ad baptismum, magnum nostræ initiationis mysterium, pertinuisse. Neque est quod Apostolicam nobis manus impositionem objiciat, plane diversæ ab Ecclesiastica naturæ. Illa erat ad *signum*; ut diserte docet in tertio loco Augustinus; Signum autem *transiit*, ut ipse ibidem ait. Ergo & ritus, qui ad eum referebatur; ut est à nobis in eadem disputatione fusius explicatum. *p* Illa vero Ecclesiastica manus impositio alio spectabat ad invitandum scilicet & advocatum caritatis Spiritum nobis in baptismo cum Christo consepultis & convivificatis promissum. Quid hoc ad linguarum & prophetiæ donum, quod manus Apostolicæ iis tradebant quibus imponebantur? Quod ergo ait Augustinum morem illum adhuc servari in Ecclesia, eo nihil aliud vult quam præpositos *manus imponere* ad initiandos neophytos, quod Apostoli fecerant ad eos miraculorum gratia donandos; Id vero ritum apud utrosque similem

p ub. Supr. p. 261.

fuisse:

fuisse significat, fuisse eundem non significat. Hos istorum actum sed in re diversa adhibuisse, & ad alium finem significat; non autem Apostolos ipsum illum præpositorum ritum instituisse; quod à mente sua alienum fuisse ipse satis ostendit Augustinus, quo loco neophytorum manus impositionis non Apostolos, sed *majores* auctores fuisse docet, q *quod Spiritus*, inquit, *Sanctus in sola Catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait, quoniam caritas. Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Si Apostolos instituti auctores putasset, dixisset eos id intelligi *voluisse quod ipsi* aiunt, Non dixisset *majores suos.* Quanquam ne ad Apostolorum quidem, sed ad veteris Testamenti Patriarcharum imitationem Ecclesiasticam illam manus impositionem retulerant, qui in ipsis instituti originibus vivebant, ut supra ad Tertullianum observavimus. Ipse paulo post Hammondus, tametsi fortasse imprudens, ita loquitur, ut rem, quod aiunt, *acu* tetigisse videatur, ubi descriptis quibusdam Augustini ex primo contra Donatistas loco verbis, r *Vides*, inquit, *hanc in Ecclesia Augustini avo celeberrimam impositionem manuum, sic ab Apostolica derivari, ut hoc tantum differat, quod divina tunc gratia caritas, non dona ut olim miraculosa hoc ritu impetrentur.* Atqui eo *differre* est ni fallor *toto genere differre.* Aliud enim est opinor, *donorum miraculosorum*; aliud divinæ *caritatis* genus; Illa ad veritatis demonstrationem extra ordinem ad tempus data sunt; hæc ad salutem fidelibus (ut loquimur) *ordinarie* datur & ad seculi finem dabitur; Illa etiam reproborum fuerunt; hæc non aliorum, quam salvandorum est. Quæ si cogitasset doctissimus Hammondus, non dixisset profecto ista quæ interse comparat, *hoc tantum differre*, quod uno caritatis, altero miraculorum donum impetretur. Quasi vero leve hoc sit, aut contemnendum proprie nihilo habendum discrimen, quo res toto interse genere dividuntur. Quæ cum ita sint, fatendum est vel ipso Hammondo teste atque auctore, Ecclesiasticam hanc manus impositionem ritum fuisse ab illa Apostolica plane diversum; illam quæ baptismalem gratiam repræsentat, ad baptismum pertinere adeo nihil repugnare, ut etiam rei utriusque naturæ consentaneum sit; hanc vero, cui nihil cum baptismali gratia commune est, à baptismo penitus esse sejungendam ac removendam.

Ille vero etiam ex alio quodam Augustini loco pugnat à baptismo alienam esse illam manus impositionem. Augustinus eo in loco hæc habet; s *Quemadmodum Spiritum Sanctum sicut habent filij dilecti, non habent filij magni, & tamen baptismum habent; sic & Ecclesiam sicut habent Catholici, non habent hæretici, & tamen baptismum habent* &c. *Manus autem impositio si non adhiberetur ab hæresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse judicaretur; propter caritatis autem copulationem* &c. *manus hæreticis correctis imponitur.* Ex his acutissimus Hammondus ita conficit t hanc manus impositionem esse alienam; *Cum* (inquit) *ex eo probas hæreticos Ecclesiā non habere, licet baptismum habeāt, quia Spiritum Sanctū nō habent,* conclu-

CAPUT XXXVII.

q Aug. de Trin. L. 15. c. 26.

r Hamm. c. 6. Sect. 7. § 7. p. 169.

s Aug. L. 5. de bapt. cōtr. Donat. c. 1, 23.

t Hamm. c. 6. sect. 7. § 11. p. 170.

Caput XXXVII. *concludetur certe ex Augustini sententia hanc manuũ impositionẽ, qua Spiritus Sanctus in Ecclesia donatur, à baptismo plane divisam esse.* Respondeo primo hæc à præsenti disputatione esse aliena. Agit enim Augustinus de ea manus impositione, quæ *ex haresi venientibus ideo dabatur*, ne si non adhiberetur, illi (inquit) extra omnem *culpam esse judicarentur*: Nos de ea *manus impositione* disputamus, quæ neophytis post acceptum baptismum dabatur. Illam sane concedimus non fuisse baptismi cærimoniam: hanc unam in eo censu reponimus. Materia utriusque eadem: Fines longe dispares. Itaque vana sunt quæ hic noster argutatur. Pertinent enim non ad Anglicanam cærimoniam, quæ non hæreticis, sed pueris aliquot postquam tincti sunt annis, ministratur. Hoc ipsum quod in tam multis, tamque diversis caussis is ritus usurparetur, in baptizatorum confirmatione, in pœnitentium reconciliatione, in hæreticorum receptione &c. clarum argumentum est eam nullum habuisse inter veterum proprie dicta sacramenta locum: quorum materia ipsorum propria est, neque rite ad alios fines & ad diversum rerum genus transferebatur. Nimirum illa manus impositio nihil aliud erat, quam oratio super hominem, qua claudi baptismum ut parte adventitia, nihil magis prohibebat, quam eadem absolvi aut benedici pœnitentes vel recipi hæreticos. Sed & secundo tam obscuri sunt Hammondinæ argumentationis nexus, ut fatear me tardiorem esse, quam ut eos capiam. Vtinam viro doctissimo libuisset paulo explicatius vim suæ ratiocinationis evolvere ac explanare! *Ecclesiam* (inquit) *non habent haretici, & tamen baptismum habent.* Hoc quidem capio, & apud Augustinum lego. *Haretici* (inquit) *ideo Ecclesiam non habent, quia Spiritum Sanctum non habent.* Hoc vero apud Augustinum non lego: qui *Spiritum non habere* & *Ecclesiam non habere* inter se comparat: hoc vero ex illo (hic quidem) nequaquam probat. Donemus tamen amico quod cupit, *hareticos* apud Augustinum, ideo Ecclesia carere, quod Spiritu careant: Quid tum fiet? *Concludetur* (inquit) *manus impositionem qua Spiritus Sanctus in Ecclesia donatur, à baptismo plane divisam esse.* Quam manus impositionem dicit? Eamne quæ neophytis in Ecclesia dabatur? Atqui de ea Augustinum nullum verbum dixisse planum est: quam nos baptismi coronidem, & partem cærimonialem fuisse contendimus. Quam ergo intelligit Augustinus? Clarum est eam intelligi, quæ ex hæresi venientibus dabatur: quæ fuit apud veteres: apud Anglos quod sciam, nulla est. Hanc nos baptismi ab hæreticis dati partem fuisse non dicimus: correctionem & emendationem fuisse concedimus. Quanquam & ipsum Spiritus donum aliud est in Hammondina manus impositione: aliud in Augustiniana: in hac enim Spiritus ei dabatur, qui eo retro apud hæresin caruerat; in illa jam partim in baptismo acceptus augetur, non primulum datur.

CAPVT

CAPVT XXXVIII.

IV. Testis Eusebius Pseud-Emissenus. Quæ ad eum observata erant à nobis, dissimulat Hammondus, neque hilum de suo addit. Arte pari præterit, quæ nos de nono seculo ad veritatem probandam attuleramus. Breve eorum specimen exhibetur, quo arguitur immanis Hammondini dicti vanitas, affirmantis illa abunde comprobare manus impositionem toto cœlo distare à baptismo. Benigne, sed neque absque aculeo desinit Hammondus. Conclusio operis.

MVlta *de hoc Ecclesiæ ritu* Eusebium Pseud-Emissenum *congessisse* [u] Hammondo concedo: eum ritum à baptismi sacramento divulsisse, equidem negaveram, & quæ à Latinis in eam partem afferuntur, non indiligenter quantum tenuitas mea valuit, expenderam & solveram. [x] Hammondini fallor erat, nostra refellere, si sua ex hoc auctore apud me constituere cupiebat. Nunc loca scriptoris nude recitat. Ad mea nihil reponit; quæ contempserit-ne, an de legitima eorum solutione diffisus consulto præterierit, nescio. Lector, si disputationem nostram adierit, judicabit. Mihi vero actum agere, non placet.

[u] Hamm. ub. supr. §. 21

[x] L. 3. de Conf. c. 4. p. 313.

Hæc sunt, quæ amicus noster dicit sibi ad defendendam & muniendam [y] *Ecclesiæ Anglicanæ de Confirmatione sententiam* satis esse. Atqui si hæc vere mens ejus fuit, in alium quemvis potius quam in nos calamum stringere debuit; qui sanctissimæ illius ac vere Christianæ Ecclesiæ fidem vel ritus nullo ne levissimo quidem verbo in tota de confirmationis sacramento disputatione nostra lacessivimus vel perstrinximus; ac ne ullam quidem hujusmodi cogitationem dum illud opus scriberemus, nobis in mentem venisse, sancte coram Domino omnium nostrorum arcanorum conscio, affirmare possumus. Illam tantum Hammondinam Hilariani cujusdam dicti interpretationem obiter attigimus, & uno atque altero argumento refellere conati sumus, quod ea nobis non satis videretur veris & rationi consentanea. Hæc una fuit nostra, non in Ecclesiam Anglicanam (absit) sed in Hammondum, ut ille judicavit, injuria; ut nos putabamus, caritas, qua alii alios de lapsu siquid ut homines sumus, erratum sit, admonere ex Christi Domini disciplina debemus. Sed ille humano quodam affectu injuriam interpretatus est, quod revera officium erat, & ex nostra quidem mente, beneficium. Ac ut sui animi in res suas studium, exortumque ex eo sui ulciscendi nimium profecto, ac in homine eximiæ alioqui sanctimoniæ mirandum desiderium, paulo honestiori specie velaret, neque de lana caprina sibi rem in fratrem esse persuaderet, privato dolori publicum sacrumque Ecclesiæ nomen obtendit. De singulis supra diximus. Hoc non satis capio,

[y] Hamm. c. 6. sect. 8. §. 4.

Caput XXXVIII. quid ad Ecclesiam Anglicanam quam à se satis superque *defensam* gloriatur, pertinuerit illa tam ardens toto opere sparsa pro chrismate, quo fratres Angli carent, disputatio: quî etiam id præstiterit, quod jactat, *se lucidissimis Patrum suffragiis* confirmationem Anglicanam constituisse, quæ pueris non nisi aliquot post susceptum baptismum annis cum jam judicio & ratione uti incipiunt, ministratur, cum antiqua Patrum confirmatione, quæ infantibus non tantum trimestribus; sed etiam triduanis, tinctis statim, si adesset minister idoneus, exhiberetur: si abesset, quam minimum ad tempus differretur. Neque veriora sunt, quæ paragrapho superiore dixit, z cum in hac disputatione me multo plura apposuisse, quam quæ excussit, confessus, sui hujus ad cætera silentij causam hanc prætexit, quod *ritus istos* (Confirmationis scilicet & baptismatis) *toto cœlo distare illa ipsa testimonia, a quo saltem lectori abunde comprobent, quæ ego ad sententia mea βεβαίωσιν studiose conquisivi.* Id quam non modo temere, sed etiam falso & inverecunde jactet, facile judicabunt, qui illam nostræ disputationis partem attente, ac sine præjudicio legerint. Exiguum interim rei specimen hic antequam desinam, dare placuit. Nemo credo, *aequus saltem* arbiter, confirmationem, quæ fit in baptismo *toto ab eo cœlo* distare judicabit. Atqui in illa nostræ disputationis parte, a quam sugillat Hammondus, Haymonem audire est testantem *donum Spiritus Sancti dari in BAPTISMATE per impositionem manus Episcoporum*; & Rabanum affirmantem a nos *Christianum nomen in sacro baptismate per sacri chrismatis unctionem suscepisse*; nosque *honorem regni & principatum eius habuisse in perceptione baptismatis & sacri unctione chrismatis.* Neque ego satis æquum visum iri puto, qui ipsa *baptismi sacramenta*, id est cærimonias toto ab eodem distare cœlo iudicaverit. Atqui ibidem b licet audire Alcuinum, Magnum, Theodulfum, Prudentem Tricassinum, Ordinem Romanum, non modo *chrisma*, sed etiam Episcopalem manus impositionem baptismi sacramentis accensentes. Quo etiam illi pertinent, qui chrismationẽ presbyteralem, quã baptismi cærimoniam esse omnes confitentur, eandem revera esse, eandemque vim habere cum Episcopali unctione pronuntiant; c ut non modo Beda, de quo supra diximus, sed etiam Patres Barcinonenses, Valafridus Strabo, Rabanus Maurus, & alii noni seculi Patres, quorum voces eodem loco consignavimus. Denique haudquaquam *toto cœlo* à baptismate distare videtur id absque quo baptisma rite perfici non potest. Atqui istic d quoque nescio quis ejusdem seculi scriptor assumpto modo Melchiadis, modo Clementis, interdum Fabiani Pontificum Ramanorum nomine id ipsum non semel pronuntiat.

z Ibid. §. 4.

a De Confirm. L. 3. c. 13. p. 387.

a Ibib. p. 389.

b Ibid. p. 390.

c Ibid. c. 14. p. 391. 392. 393.

d Ibid. c. 15. p. 400 & seqq.

Sed ego hic cum doctissimo Hammondo desino. Is enim cum tam multis in me scriptis commatis atque aphorismis satis sibi ultus videretur spretæ suæ in Hilarium Sardum interpretationis gravem, quis neget? injuriam levato bile ex ira & dolore concepta, ventriculo, placatior,

tior, mecum in gratiam redit, & hoc voto longe ultra meum meritum benigne disputationem claudit; *a Valeat, floreat* (inquit) *doctissimus Dallaus, & hanc breviculam commatis unici, quod illi displicuit, eique adiunctam simplicissimi & antiquissimi ritus, ut in Ecclesia nostra constanter retentus est, à primis seculis derivati descriptionem boni consulat.* Mitto quod aspergit de Anglicanæ Ecclesiæ vere *simplicissimo* & sane pio ritu; quem ego neque in superiori de Confirmatione libro, neque in hoc uspiam oppugnavi, vel oppugnare in animo habui. Cæterum viro doctissimo, quem quamdiu in terris vixit, ob eruditionem & pietatem non vulgatem plurimi semper feci, suspexi, & qua licuit honorifice colui, gratias pro suo illo voto ago; ejusque in Ecclesia nomen ac memoriam quam diutissime vigere ac florere ex animo opto, scriptaque eam apud posteros gratiam ac laudem habere, quam merentur. Quicquid autem in me immerentem posthumo hoc opusculo effudit, haud paulo quam decebat acerbius, id veluti ab humani animi infirmitate profectum, libens condono; sed neque dubito, quin multa in charta ab ejus exequiis rapta hæserint, quæ si superfuisset, fortasse mitigaturus fuerat. Sed nequid dissimulem, vellem ut in voto potius quam in illis verbis quæ operis ultima sunt, desiisset, rogans *ne mihi molestum sit veritatem, simul ac antiqua Ecclesia puritatem ac simplicitatem non minus aliis quam mihi caram esse, modo tempestive & sine aliorum opprobrio aut contumelia ea cura geratur.* Hæc enim superioris voti benignitatem nonnihil corrumpunt; quæ aculeo non carent; meque aperte fodicant, velut importunum hominem, in alios, id est in fratres meos, intempestive incursantem, & ex eorum opprobrio atque contumelia laudem mihi ac decus quærentem. Quem vero his moribus esse putaret, miror cur *florere* optaverit; marcescere quam florere digniorem. Sed ille fortasse me ne sua illius voti benignitas nimium efferret, hoc stimulo compungendum existimavit. Rem tamen utcumque se habeat, feram, ac me innocentiæ meæ conscientia solabor, Deoque teste contentus verbum non amplius addam.

CAPUT XXXVIII.

a Hamm. libro extr. § 6.



LIBER III.

DE CVLTIBVS LATINORVM RELIGIOSIS;

Qui est de Eucharistia primus.

CAPVT I.

Transitur ad cultum Eucharisticum. De pane sacramenti materia. Novum esse quod ex azymo consecretur. Sirmondi ea de re sententia. Argumenta quibus conficit olim ex fermentato confectam fuisse Eucharistiam. I. ex nova de Latinorum azymo Græcorum criminatione. II. ex Pseud-Ambrosii pane usitato. III. ex Toletana Synodo 16.

DIGRESSIONE tametsi ab instituto non aliena, molesta tamen quod esset adversus fratrem, defuncti, nunc cœptum contra Latinos certamen repetamus. In sacramentorum quæ apud eos solemnia sunt, censu Confirmationem sequitur Eucharistia; in qua potissimum sese prodit adversariorum in novanda & interpolanda Christiani cultus forma temeritas. Nam rem totam, ex Christi instituto & Christianismi ingenio, simplicissimam ac facillimam illi multiplicibus additamentis ita totam immutarunt, ut eam, quod dicit, ex Evangelica ipsa traditione metienti plane alia esse videatur. Sed neque quisquam est alius religionis locus, in quo gravius ac periculosius peccatum sit. Quod enim à Christo nobis in sui amoris pignus, mortisque suæ μνημόσυνον datum erat, id longa paulatim dies apud Latinos in ipsum Christum multis ac mirificis artibus ac modis postremo transformavit; panem adeo sacrum illum quidem ac salutarem, sed panem tamen, in numen latriæ cultu uni Deo debito adorandum mutavit. Nos quæ præcipuæ occurrunt novitates in hujus sacramenti materia, forma,

CAP. I.

forma, distributione, communione, reservatione, & siquid sit aliud, eas suo singulas ordine, cum bono Deo observabimus.

Huius sacramenti materiam omnes panem esse ac vinum consentiunt: quod ipsi Evangelistæ tam diserte testantur, ut nihil esse possit clarius. Cœterum qualis in hoc sacramento sit panis adhibendus, non est una omnium sententia; certe alio Latini, alio cœteri Christiani utuntur. Nulla enim fuit, quantum quidem scire ac intelligere potuimus, Christiani nominis alia gens, antequam nostros homines Latini à sua communione ejecissent, quæ non ex pane fermentato Eucharistiam & conficeret, & hodie etiam conficiat. Græcos jam olim ita factitasse ex Nicetæ Pectorati libello, & Humberti Cardinalis adversus eum disputatione circa annum Domini M. LIII. scriptis atque editis patet: Iacobus Cardinalis de Vitriaco, idem de sui, idest XIII. seculi Græcis & Surianis tradit: *a Cum*, inquit, *Sancta Romana Ecclesia, & omnes Occidentales ad imitationem Domini ex azymo pane sacramentum conficiant, ipsi* (Græci scilicet) *contra mysterium ex fermentato pane conficiunt sacramenta.* Mansisse hunc apud Græcos, omnesque cum Græcis communicantes morem nemo nescit paulo humanior. Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus superiori seculo, *b Panis qui à Sacerdote mystice conficitur, fermentatus est.* ὁ ἄρτος ὁ ὑπὸ τῦ ἱερέως μυςαγωγούμενος, ἔνζυμον. Idem in secundo responso, *c Offerimus non azymis, sed fermentato; quia hoc revera panis est, sicut interpretantur Orientales sancti, & demonstrant Chrysostomus & reliqui, non infermentatum hostiam esse offerendam sed fermentatam* προσφέρομεν δὲ οὐκ ἐν ἀζύμοις, ἀλλ᾽ ἐν ἐνζύμοις. ὅ ἐστιν ἄρτος τῇ ἀληθείᾳ. οὕτω γὰρ ἐξηγοῦσιν οἱ ἀνατολικοὶ ἅγιοι, καὶ ἀποδεικνύουσιν ὅτι Χρυσόστομος καὶ οἱ λοιποὶ, ὅτι οὐκ ἄζυμον δεῖ προσφέρειν ἀλλ᾽ ἔνζυμον. Metrophanes Critopulus; *in Cœna Dominica primo*, inquit, *requiritur materia à Domino tradita. Est autem hæc, panis fermentatus, unus.* ἐν τῷ Κυριακῷ δείπνῳ ἀπαιτεῖται πρῶτον ἡ ὕλη ἡ ἀπὸ τοῦ Κυρίου παραδοθεῖσα· ἔστι δὲ ἡ αὕτη ἄρτος ἔνζυμος, εἷς. Hunc qui plura volet, adeat, suorum usum non paucis adstruentem, & argumenta adversantia solventem. Nobis de re quæ apud omnes in confesso est, duo hi idonei Græcanici ritus testes satis sunt. Neque Moscovitas hic, ut in cœteris, Græcorum institutum sequi ulla ut opinor dubitatio est. Paulus Iovius de Moscovitis; *e Sacramentum non ex azymo, uti jure debemus, sed ex fermentato pane conficiunt.* De Æthiopibus, quos Abassinos nunc vocamus, locupletissimus autor Godignus Iesuita, ex suorum de ea gente commentariis ac relationibus patria tradit. *f Fermentato*, inquit, *in sacris pane utuntur, eodem confecto die.* Cœteros mitto in Oriente Christianos, vel Iacobitas, vel Nestorianos, numerosissimas sectas, quos pane fermentato, ut Græcos, uti verisimillimum est. Certe Nestorianos Iacobus à Vitriaco, quos latissime per Orientales regiones diffusos, maxime in terra potentissimi illis temporibus Principis, Presbyteri Ioannis, commoratos esse dicit, *g ex fermentato divina, more Græcorum confecisse scribit*; idemque Georgianos

a Iac. à Vitriac. Hist. Hieroso. l. 1. c. 74. p. 1091.

b Hierem. resp. 1. ad VVittemb. c. 10. p. 86.

c Id. ib. Resp. 2. Tit. 4. de Sacr. §. 3. p. 241. l. 7.

d Metroph. Conf. Eccl. Orient. c. 9. p. 90.

e P. Iov. de leg. Mosc. p. 126.

f Godign. l. 1. de reb. Abass. c. 35. p. 218.

g Iac. à Vitr. ub. sup. c. 76. ext. p. 1093.

Cap. I. factitare hoc ipso testatur, *h* quod eos *Græcorum consuetudinem in sacramentis observare* affirmat. Atque ita quidem ad parentum nostrorum memoriam cœteri pæne omnes Christiani instituebant, more ut probabile est, à majoribus recepto. Neque enim gentes inter se multis magnisque locorum intervallis sejunctas, adhæc de aliis nonnullis discordes, in hoc ritu ita inter se consensuras credibile est, nisi eum jam ab antiquissimis ante exortam de dogmate Christiano scissuram, à primis religionis prædicatoribus omnes pariter accepissent. Latini vero in hac Eucharistiæ parte hoc seorsum ab istis commenti sunt, ut is panis quem ad eam adhibent singularis cujusdam generis ac formæ sit, multum ab usitato diversus, azymus, tenuis, minutus instar nummuli effictus, *Oblatas* vulgo vocant. Ita olim jam ab ipsius initio Christianismi institutum fuisse ac factitatum jactant, qui mos eorum solennis est, ut quicquid apud se fit, id Apostolicum & una cum ipso Christianismo exortum, & sibi persuadeant, & apud alios affirment ac contendant. Neque hactenus quisquam, quod sciam, apud eos extiterat, qui de azymi Eucharistici antiquitate dubitaret. Sed huic se communi suorum errori, nostra memoria ante annos omnino sexdecim, objicere ausus est Iacobus Sirmondus, de Iesuitico sodalitio vir non modo eruditionis immensæ, sed etiam summi candoris nomine celeberrimus. Is libellum ea de re edidit raræ doctrinæ & bonæ frugis plenum, ut fere sunt omnia ejus opuscula. In eo non paucis neque obscuris argumentis docet olim ex pane fermentato factam fuisse Eucharistiam, eumque morem diu etiam apud ipsos Latinorum majores obtinuisse; idque tam facile ex veterum monumentis intelligi posse putavit, *i* ut in ipso opusculi limine miretur, quod sui homines panem ex quo Veteres suam Eucharistiam conficiebant, *germanum & usuatum*, adeoque fermentatum *panem* fuisse, vel non inde intellexerint, quod cum prisci *Canones panem vocant. Sed hominibus*, inquit, *qui sola azyma in altari contueri, sola in Scholis & Exedris azyma audire solerent, difficile fuit & superioribus aliud suspicari, quam de suis.* Vera & acuta ratio, quæ Latinis omnia etiam antiquissima ex præsenti Ecclesiæ suæ more ac fide æstimantibus sæpe aliàs fraudi fuit in intelligendis veterum scriptis. Sirmondus vero, etsi ex sua in Papalem sedem reverentia se ambigere neget *consultissime ad azyma transiisse Latinam Ecclesiam, serius tamen hoc egisse, multisque ante sæculis fermentato usam esse*, demonstraturum se suo libello profitetur, & quidem adeo perspicue, *ut de æquiorum omnium approbatione non diffidat.* Neque falso id promittit, aut inani spe nos ludit. Brevi licet libello, plane quod hic spondet præstitit. Nos qui eamdem causam agimus, nulla invidia est ejus inventis atque argumentis uti; eo impensius quod præter rerum veritatem ac lucem, viri Iesuitæ apud Latinos judicium, multo plusquam nostrum, gratiæ atque auctoritatis habiturum esse non dubitamus.

In primis ei assentimur, azymi apud Ecclesiam Romanam in hoc conficiendo,

h Id. ib. c. 79. p. 1095. l 15.

i Sirmond. præfat. in lib. de Az.

ficiendo sacramento usum aliquot ante annum Domini 1054. seculis obtinuisse. Id ex ea Græcorum disputatione patet, quæ circa illum Christianæ æræ annum cum Latinis habita est, quæque contrariis utrimque, hinc Nicetæ Pectorati, pro Græcis, inde Humberti Cardinalis scriptis nunc etiam superstitibus agitata ad nos pervenit; in quibus azymi in sacro Eucharistico usum ille quidem vehementer reprehendit ac damnat, hic vero acerrime tuetur & defendit; Michaele Cerulario Constantinopolitano Episcopo litem hanc Latinis intendente, Leone P. R. azyma sua asserente; animis ex utraque parte ita irritatis, ut sese mutuis vicissim dicteriis figerent; Græci Latinos *Azymitas*, Græcos Latini *fermentaceos*, eorumque de fermentato in sacris usurpando opinionem, *hæresim* dicerent. Non est ergo dubitandum, quin azymorum usus illo tempore jam esset apud Latinorum Ecclesiam universam receptus: neq; ego negaverim etiam aliquamdiu ante Leonis tempora hunc morem apud Latinos irrepsisse; de quo scilicet & Leo, & Humbertus non veluti de novo, aut recenti instituto verba faciunt, sed tanquam de re à majoribus jamdudum accepta. Sirmondus hæc istorum inter se certamina, cum alio quodam multo antiquiori Græcorum à Latinis discidio cōparans, quod Photio C P. Episcopo auctore Nicolai P. R. temporibus eruperat, circa ann. D. 867. colligit Photij ævo nondum apud Latinos fuisse azymi usum. In eo enim schismate constat cum ex multis aliis, tum maxime ex Æneæ Parisiensis Episcopi & Ratramni Monachi & hoc argumento adversus Græcos, nuper à Luca Dacherio, fratre Benedictino publicatis libris, hos Latinis potissimum ista objecisse, k *Quod jejunarent sabbathis; quod Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere dicerent; quod Presbyteros uxores sortiri probiberent; Quod Presybteris baptizatos chrismate linire non permitterent; Quod octo ante Pascha hebdomadas non observarent; Quod Clerici barbas raderent; Quod Diaconos non suscepto presbyteratu Episcopos ordinarent; Quod Agnum denique Iudæorum ritu in altari cum corpore Domini benedicerent & offerrent.* Hinc ita Sirmondus argumentatur, m *In his*, inquit Græcorum adversus Latinos objectionibus, *quas Michael & Basilius Imperatores ad Nicolaum Papam, Nicolaus ad Hincmarum, cæterosque Antistites Galliæ discutiendas & refellendas misit, cum singulatim recensita sint omnia, & nulla azymorum usquam fiat mentio, quis ex hoc Græcorum silentio non intelligit, nondum illa in usu apud Latinos fuisse? Quis enim credat azyma neglecturos fuisse, si fuissent qui de multo levioribus litem moverunt?* qui etiam quædam falso Latinis objecerunt, ut illud de Agno in altari cum corpore Domini immolato (quod ipse Sirmondus paulo ante observarat) quanto magis azyma, si vere tum apud Latinos usitata erant, criminaturi erant? Ex his ille conjicit azymorum apud Latinos usum illo temporis intervallo cæpisse; *quod Photium inter & Cerularium hoc est ab an. 867. ad 1054. intercessit.* Anteriorum vero ann. illo 868. temporum etiam certior est fides, quod iis ex fermentato etiam ipsi Latini Eucharistiam conficeret. Atque ad hoc proban-

CAPUT I.

k Æn. Paris. cont. Græc. Specil. Dach. l Ratramni libri 4. cont. Græc. lb. I.

m Sirm. de azi. c. 3. p. 108.

Caput I. probandum idem ille Sirmondus testem citat scriptorem de Sacramentis, qui tametsi non sit ipse cujus nomine circumfertur, Ambrosius, multo tamen est Nicolao P. R. I. vetustior, ut vel ex eo constat, quod hos de sacramentis libros non semel ab Hincmaro Nicolai συγχρόνῳ pro Ambrosianis laudari videamus. Ex hoc ergo autore ita colligit Sirmondus; *Usitati*, inquit, *panis & quotidiani apud Occidentales Ecclesias suo seculo factas esse hostias ostendit Ambrosius l. 4. de sacramentis, cap. 4.* Tu forte dicis, Meus panis est usitatus. Sed panis iste panis est ante verba sacramentorum; o ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus, quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi consecratione? Consecratio igitur quibus verbis fit, & quibus sermonibus? Domini Iesu. *Nempe qui usitatum, mensisque quotidianis usurpatum panem dicit, azymum haud dubie non significat.* Item mox docet p ex Concilio Toletano XVI. cujus hic est Canon, *Ad conventus nostri*, inquiunt Toletani Patres, *agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus, quidam Sacerdotum, non panes mundos & studio preparatos supra mensam Domini in sacrificium offerant; sed de panibus usibus suis preparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare cum vino & aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacra autoritatis historia gestum perpenditur. Unde id unanimitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit preparatus. Neque grande aliquod, sed modica tantum oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat.* Hæc illi; quorum *hac de re testimonium* Sirmondus merito affirmat *tam certum tamque illustre esse, ut omnium instar esse queat.* Primo, ipsum Presbyterorum quos reprehendunt, *de quibusdam Hispaniarum partibus*, factum nullam tam apud nostros fuisse eam de azymo legem arguit, quæ nunc obtinet apud Latinos. Nunc enim vel unum sacerdotem pane suo usitato ad hostiæ sacrificium hoc tempore abusum esse, plane est inauditum; quod hi tamen Patres suis temporibus non ab uno, sed à pluribus sacerdotibus, neque in una sed in aliquot Hispaniarum partibus factum narrant. Ergo ipsum istorum factum liquido testatur illo tempore (Era scilicet 731. id est anno Domini 693.) Eucharistiam etiam apud Latinos ex fermentato consecrari solitam fuisse. Id ipsum etiam clarius ac validius confirmat Synodi de facto judicium. Nam *si azyma requirebantur* (inquit Sirmondus & omnes intelligunt) *hoc ante omnia redargui debuit, quia panes ipsorum usibus preparati, quos immolabant, azymi non erant; sed fermentati.* Hoccine ergo Toletani Antistites *in his sacerdotibus reprehendunt? quod azymum panem non consecrarent? Minime gentium.* Plane *alio nomine* eos *reprehendunt; quia panes hi quibus utebantur, nitidi non erant, nec studio in eam rem parati. Quis hinc confici non videt Latinam Ecclesiam, ad id saltem usque tempus* (ad an. D. 693.) *azymis abstinuisse.*

n Ib. c. 2. p. 103.

o Ambr. de Sacr. L. 4. c. 4.

III.

p Sirm. ub. sup. p. 105.

q Conc. Tolet. 16. can. 6. Tom. 5. Concil. p. 430 p. F.

r Sirm. ub. sup 106.

CAPUT

CAPUT II.

IV. Argumentum novitatis azymorum inde petitum, quod Eucharistia olim fieret ex omnium fidelium panibus ad altare oblatis, qui proculdubio fermentati, non azymi erant. Mos ille plurimis testimoniis atque exemplis à Sirmondo & Menardo firmatur. V. Arg. Ipsum panis nomen id ipsum docere. Explicatur & in Baronium retorquetur Epiphanij de Ebionæorum azymis locus Rejicitur inter apocryphorum nænias epistola ad Redemptum, Isidoro Hispalensi à Breullio afficta.

AD hæc quartum accedat validissimum argumentum; quo non illo tantum seculo, sed & superioribus, jam à Cypriani ævo, adeoque ab ipsa christianismi origine, hunc fuisse etiam Latinorum in consecranda Eucharistia morem atque usum, non obscure, sed clare certoque confirmavit Sirmondus. Id autem ducit *s* à veteri, eaque notissima & apud omnes eruditos confessa Ecclesiæ Chrispianæ consuetudine, *ut qui ad Missas*, inquit, *conveniebant, suam unusquisque sacrificij partem afferret*. Observarat jampridem Cassander *t* in Liturgiis, capite *de veteri ritu oblationis panis & vini*; ubi plurimis Patrum testimoniis, ab Irenæo & Iustino exordiens, rem confirmat; & quo Liturgiæ loco, quove modo fieret, his in ordine Romano descriptis verbis docet; *Quando Pontifex celebrat, populus dat oblationes suas, idest panem & vinum, & offerunt cum fanonibus candidis primo masculi, deinde fœmina, novissime vero sacerdotes ac Diaconi offerunt, sed solum panem, & hoc ante altare*. Et mox, *Pontifice Oblationes suscipiente, [illegible] post eum suscipit t amulas, & refundit in calicem.* Idem ex veteri expositione Ordinis Romani hæc paulo post describit, *u Secundum ordinem sanctorum Patrum & secũdum ipsius Canonis textum debet omnis populus intrans ad officium Missæ, panem & vinum offerre, ut digne ac iuste dicat Sacerdos, Hoc quod præsto est sacrificium se obtulisse pro se suisque omnibus; Quoniam sola sacerdotis oratio testis est tantummodo fidei & devotionis propria, non eorum qui minime offerunt*. Cætera mitto, quæ à Cassandro fuse descripta ibidem legi possunt. Hugo Menardus, vir ex Benedictinorum ordine doctissimus, paucis antequam Sirmondi opusculum ederetur, annis eadem quoque observarat ad Appendicem Gregoriani de Sacramentis libri, ad hæc Appendicis verba, *x Omnis processio offerat sibi* (idest Episcopo) *oblationem. Olim*, inquit Hugo, *in missa communicaturi, seu (Clerici seu laici, ad altare suam oblationem, hoc est panem & vinum, ad sui communionem offerebant*. Id autem in medium allatis aliquot veterum locis probat, quæ prudens mitto, quod eadem pæne sint omnia cum iis, quæ in hunc locum congerit doctissimus

IV.

s Sirm de Az. c. 1.
t Cass. Liturgic. c. 17. p. 59.
idest, *linteolis, mappulis.*
t idest, *lagenulas, ampullas* Colum. l. 10. Aut habilem lymphis æmulum.
u Ibid. p. 60.
x Men. not. ad Sacram. Greg p. 371.

Cap. II. mus Sirmondus. Hic autem in primis describit alterius Matisconensis Concilij Canonem 4. à Cassandro quoque & Menardo merito laudatum, quo scilicet ad hanc rem nihil dici potuit disertius; *y Decernimus* (verba sunt Canonis) *ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus offeratur, tam panis quam vini, ut per has immolationes & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel vel cæteris iuste offerentibus promereantur esse consortes.* Hęc Patres Matisconenses; quibus Sirmondus illa Cypriani ex libro de opere & eleemosyna adnectit, ubi Martyr *divitem fœminam quæ hoc more neglecto nihil offerebat, graviter increpans, locuples,* inquit, *& dives es, & Dominicum celebrare te credis* * *corbonam omnino non respicis quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit sumis.* Huic Cypriani testimonio Sirmódus adjungit similem autoris veteris, sed incerti locum ex sermone qui inter Augustinianos de tempore, numero 215. legitur; quique, ut hoc obiter dicam, multa habet ex Eligij Noviomensis homilia *de rectitudine Catholicæ conversationis,* deflorata, ut utrumque opus conferenti constare poterit. Hic ergo quisquis est *a Oblationes,* inquit, *quæ in altario consecrentur, offerte. Erubescere debet homo idoneus si de aliena oblatione communicaverit.* His addi poterant quæ in sermone sequenti habet autor æque incertus; *b Ille bonus* (inquit) *christianus est, qui quando ad Ecclesiam venit, & oblationem quæ in altario mittatur, exhibet, & pauperibus secundum quod vires habet, argentum porrigit aut buccellam.* Ac nequis veram ipsius Augustini vocem desideret, Sirmondus eam, sed in Synodo una cum Afris Collegis eadem quoque loquentis exhibet, *c ut in sacramentis,* inquit, *corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aqua mixtum.* Conciliorum editores moneat in vetustis codicibus, Canonem his quæ sequuntur, verbis auctiorem legi. *d Primitias vero, ceu mel & lac, quod uno die solennissimo pro infantis mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur suam tamen habent propriam benedictionem, ut à sacramento Dominici corporis, aut sanguinis distinguantur, nec amplius de primitiis offerantur, quam de uvis & frumentis.* Hic vides, *panem & vinum,* ex quibus in altari positis fiebat Eucharistiæ sacramentum, à cæteris Christianorum oblationibus distincta, ipsa tamen à fidelium plebe oblata fuisse. Quod & ipsius seorsum Augustini testimoniis confirmare Syrmondo licebat, si libuisset homini brevitatis studiosissimo plura in hunc locum congerere. Quale illud est, verbi gratia, quod alicubi de carne nostra à Christo, ut eam in sacrificium offerret, assumpta loquens, *e Accepit;* inquit, *abs te quod offerret pro te; quomodo accepit à te sacerdos, quod pro te offerat, quando vis placare Deum pro peccatis tuis.* Vnde constat, quod in Eucharistiæ sacro offertur, oblatum Ecclesiæ ministro fuisse. Eodem quoque pertinet, quod de matre sua in alio opere memorat, *f nullum eam diem prætermisisse oblationem ad altare Dei.* Hoc autem sanctæ fœminæ exemplum, quotidie ad Eucharisticum sacrum, suum panem vinumve offerentis, duobus aliis adnectendum est, quæ ad hanc rem.

y Conc. matis. 2. can. 4.

z Cypr. de oper. eleem. p 259.

* corbonam omnino non respicis. quæ &c.

a Aug. de temp. serm. 215.

b Ib. Serm. 216. p. 368.

c Serm. de Az. c. 24.

d Concil. Cart. 3. Can. 24. Tom. 1. Conc. p. 711.

e Aug. in Ps. 129. p. 618. col. 2.

f Id. Conf. l 5. c. 9. Tom. 1 p. 146. a.

rum Sirmondus attulit. Prius est *g* sanctæ Radegundis, *quæ quas oblationes suis manibus faciebat, eas venerabilibus locis incessanter Fortunato teste, dispensabat.* Alterum est Romanæ cujusdam matronæ, quæ Gregorio urbis Episcopo interroganti cur ad communionem accedens risisset, respondisse traditur, *quia panem quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu corpus Dominicum perhibebas*; quod in Gregorij vita narrat Ioannes Diaconus, noni seculi scriptor. His tribus, quartum ab Hugone Menardo *h* & Gregorio Turonensi notatum exemplum addere libet cujusdam piæ mulieris, quæ pro mariti sui defuncti requie sextarium *gazeti* vini præbebat in sacrificium Basilicæ sanctæ; Vinum vero quia erat optimum, *subdiaconum nequam reservasse gulæ* suæ: pro eo vero *acetum vehementissimum obtulisse in Calice*, sperantem id clam futurum, quod mulier non semper ad communicandum accederet: sed eam per visum noctu à marito de subdiaconi fraude admonitam mane ad sacra venisse, & cum *ad poculum salutare* more consueto *accessisset tam fervens acetum hausisse, ut putaret dentes excuti.* Quin & mulieribus, veluti proprium sexus sui ministerium, plærumque mandatum fuisse hanc curam apparet ex decreto quod Burchardus refert de interrogatione Synodali: *k Interrogandum*, inquit, *si oblationem, idest panem & vinum, viri & fœminæ admissas offerant, & si * non viri, coniuges pro illis offerant, pro sesuisque omnibus, ut in Canone continetur.* Denique has oblationes ex quibusdam Officij Missalis hodierni verbis confirmat Sirmondus: quæ tametsi mutato dogmate & ritus, in Latinorum libris hæserunt: quale est quod recenset, ubi Sacerdos populum appellans, *Orate*, inquit, *fratres, ut meum ac vestrum, sacrificium acceptabile sit apud Deum*: & quod Deum alloquens, *Memento* (ait) *Domine omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt sacrificium.* Et illud, *Hanc igitur oblationem, servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus ut placatus accipias*: Et illa item, quæ in feriis Paschalibus frequentantur, *Suscipe, quæsumus, Domine, preces populi tui cum oblationibus hostiarum. Hæc & alia id genus plurima*, vere sane ac sapienter censet Sirmondus, *primum illud tempus respicere, ex eoque interpretanda esse, quando populi oblationes consecrabantur*: quod nunc fieri desiit scilicet. Sed neque id posttremo omittendum est, quod idem ex ordine Romano haud frustra observavit, illas *populi oblationes non omnes consecrari solitas, sed quantum communicaturis sat esset. Archidiaconus* (inquit Ordinis Romani scriptor) *accipiens oblationes, ponit tantas super altare, quantæ possunt populo sufficere.* Hinc enim intelligimus oblatas quæ inter Liturgiæ solennia ab Ecclesia offerebantur, per se fuisse ejusdem naturæ ac formæ, quod quæ consecrandæ erant, non aliam ob causam & cæterarum acervo eximerentur, quam quod populo communicando satis futuræ videbantur, cætera omnino inter se pares. Quæ ergo consecrationi & communioni supererant, eas verum est & pietati consentaneum, peracto officio, vel pauperibus laicis, vel certe tenuioribus Clericis ad sublevandam eorum egestatem fuisse distributas.

h men. not. ad sacr. Greg. p. 372.

i Greg. L. 1. de glor. Confess c. 65.

k Burc. l. 1. c. 94. de interr. Syn. int. ult.

* ita legit. Cass. Codices Burc. vulgat. male, *& si viri.*

l Sirm. de Az. c. 1. p. 99. 100.

Cap. II. tas. Absurdum autem est putare illa quæ hujusmodi hominibus ad vitæ subsidia erogabantur, nihil aliud fuisse quam azyma summæ tenuitatis, & aliquot farinæ pugillis effecta folia, quales nunc sunt illæ Latinorum hostiolæ: Fermentatas fuisse panis apud omnes vulgo usitati massas, vel placentas, nemo ut opinor, æquus rerum arbiter negabit. Cum ergo & ad consecrationem selectas oblationes fuisse unius ejusdemque naturæ & formæ, ex his quæ nuper dixi appareat, profecto relinquitur ut ipsas quoque ad communionem selectas, non ex azymo, ut instituunt hodie Latini, sed ex fermentato, fuisse consecratas confiteamur. Sed idem quoq; ex universa hac observatione concluditur, de qua nemo dubitabit in veterũ libris vel mediocriter versatus. Non dubitavit certè eruditissimus Sirmondus, qui eam exsecutus; *Quo argumento* (inquit) *doceri poterat clarius Latinos tunc azymis in altari usos non esse, quam unde constet oblatum à populo panem consecrasse, quem minime dubium erat usitatum sibi, ac fermento de more temperatum obtulisse.* Sed & consecutionis evidentiam, à contrario ritu illustrat ac firmat. *m* Nam apud Latinos *in præcipuis quibusdam celebritatibus, cum in Cœlitum numerum cooptatur quispiam, vel cum inaugurantur Principes, aut consecrantur Episcopi, atque in privatis etiam nuptiarum & exsequiarum solennibus, fieri nunc* narrat *n* solere, *ut panem vinumque in Missa offerant ij quorum interest.* Iam cum id fit, ideo *panem illum non consecrari* liquet, *quia azymus non est, quod sola scilicet apud Latinos azyma consecrantur.* Cum ergo in illa veteri, de qua diximus, Ecclesia contra factum cernamus, id est, cum apud eam ubiq; consecratum incunctanter fuisse perspiciamus panem à fidelibus in altari oblatum; consequens est ut colligamus à Latino hodierno diversum fuisse veteris Ecclesiæ morem, tunc scilicet Eucharistiam ex fermentato confectam fuisse, quam nunc Latinis non ex alio quam azymo consecrare licet. Nam *panis* nomen in hominum sermone, quoties simpliciter ponitur, sine ullo elogio, quo ad propriam & peculiarem rei alicujus speciem nominis sensus restringatur, toties accipitur de pane apud eam gentem usitato, de qua sermo est, illis quidem temporibus, quibus res vel fuisse, vel factæ gestæve esse significantur. Iam illo omni supra nonum seculum ævo, de quo quæritur, constat & confessum est, in communi usu apud omnes Latinorum populos ac gentes æque fuisse, ac nunc est, pane fermentato vesci. Sed neque dubium est quibuscumque in illorum temporum libris *panis* nomen de fidelium solennibus ad Eucharistiam oblationibus usurpatur, simpliciter in iis positum legi absque ulla ad certam aliquam panis speciem restrictione; ut ex allatis Autorum testimoniis patet, quibus nullum ex omni veterum librorum Latinorum copia opponi potest exemplum, in quo aliter res sese habeat. Ergo nisi à certis & indubitatis humani sermonis legibus frustra ac præter omnem rationem discedere velimus, confitendum est *panis* nomen, in omnibus iis locis de usitato per ea tempora apud Latinos homines *pane*, id est fermentato accipiendum esse,

m Sirm. de Az.c.1.p.97.

n Ib.p.101.

esse; adeoque ex fermentato, non ex azymo, confectam tum apud ipsos Latinos fuisse Eucharistiam apud quos, scilicet, illius memoriæ scriptores testantur id Sacramentum ex pane à singulis fidelibus sive viris, sive mulieribus oblato confectum fuisse. Quin, usque adeo verum est quod diximus, *panis* nomen cum de Eucharistiæ elemento dicitur, nullo uspiam epithero affici, quo ejus de usitato *pane* sensus ad azymum proprie significandum traducatur ac restringatur, ut si quando *pani* adjectum occurrat aliquod elogium, quo ejus significatio definiatur, id hujusmodi occurrat, quo non azymus, sed fermentatus proprie intelligi significetur. Qualis supra fuit allatus ex Pseudo-Ambrosio locus, in quo de pane ex quo Eucharistia facta est, dictum legimus, *Panis est meus usitatus.* Quo uno plane penitusque sublata est de panis apud Veteres in hoc negotio sensu dubitandi, etiam si qua esset ratio, quæ profecta nulla est. Sed hic Baronio occurrendum est, qui nobilem notis ex Epiphanio locum objicit, ex Hæresi 30. quæ est Ebionæorum. Exposito istorum dogmate addit Epiphanius; o *Cæterum baptismo quoque præter quotidianum illum initiantur; & ex Christianorum Ecclesiæque imitatione mysteria quædam quotannis celebrant, in quibus panes azymos, & ad alteram mysterii partem, meram aquam adhibent.* Βάπτισμα δὲ καὶ αὐτοὶ λαμβάνουσι χωρὶς τῶν καθ' ἡμέραν βαπτίζονται. μυστήρια δὲ δῆθεν τελοῦσι κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀπὸ ἔτους εἰς ἐνιαυτὸν διὰ ἀζύμων, καὶ τὸ ἄλλο μέρος τοῦ μυστηρίου δι' ὕδατος μόνου. Antequam cum Baronio congrediar, pauca de Epiphanii sensu dicenda sunt, quem interpretes minus mihi commode expressisse videntur. Illa enim verba, κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν ἐκκλησίᾳ, de viris sanctis accipiunt; sic enim reddunt; *ad imitationem Sanctorum in Ecclesia*, ut est apud Baronium; vel ut ego ex Petavio descripsi, & *Christianorum Ecclesiæque imitatione.* Hoc quidem ut omnes vident, ab autore paulum discedit, qui *Sanctos* dicit, non *Christianos*; &, *in Ecclesia*, non *Ecclesiæ.* Illud vero omnino dilutum ac pæne inane videtur. Cur enim *Sanctorum* potius quam Christianorum vel Catholicorum imitationem diceret? Vel cur *Sanctos in Ecclesia* diceret, ac si qui essent extra Ecclesiam Sancti? Si hæc verba ita acceperis, omnino videbitur Epiphanius significare illos, quos imitati erant Ebionæi, sanctos fuisse certum quemdam hominum in Ecclesia quidem consistentium, sed tamen ab universa Ecclesia distinctorum ordinem, cujus hoc quod hæretici erant æmulati, mysterium proprium esset, non totius Ecclesiæ commune; quod quam sit absurdum, omnes vident. Neque obscurum est, hoc unum velle hoc loco Epiphanium Ebionæos à Catholicorum sive ab Ecclesiæ imitatione suum illud mysterium traxisse; quod cum persentisceret Petavius, non dubitauit ab autoris verbis discedere, ut quam eius fuisse putabat, mentem adumbraret. Ego vero utrumque interpretem puto τῶν ἁγίων nomen de sanctis viris perperam accepisse; Epiphanium τὰ ἅγια *sancta*, non τοὺς ἁγίους *sanctos*, intellexisse. Notum est quid sint Veteribus τὰ ἅγια, ipsæ nimirum Eucharistiæ, res sanctæ.

CAP. II.

o Epiph. hær. 30. §. 16. p. 13: . D.

Cap. II. Synodus Laodicena, p *Ne sancta in festo Pascha in alias parœcias transmittantur.* περὶ τοῦ μὴ τὰ ΑΓΙΑ εἰς ἑτέρας παροικίας μεταπέμπεσθαι. τὰ ἅγια (inquit Zonaras) q ἤγουν μερίδας τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. *SANCTA, Particula scilicet sancti corporis ac sanguinis Christi.* Ita diu ante Laodicenos; Dionysius Alexandrinus apud Eusebium, r τῇ μετοχῇ τῶν Ἁγίων προσιέναι, *ad SANCTORUM participationem accedere*, quod omnes de Eucharistiæ participatione dictum esse confitentur. Iam omnia, si sic capias, apud Epiphanium plana, Ebionæos sua illa mysteria, *ex quadam Eucharistiæ Ecclesiasticæ æmulatione* traxisse. τῶν ἁγίων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, id est τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, id est sanctissimi Sacramenti quod in Ecclesia fit vel celebratur. Iam ad Baronium venio, s qui ex hoc loco concludit *nullam esse dubitationem majores omnes eumdem servasse ritum* (cum Ebionæis scilicet) *ut in azymis sacrosancta mysteria confecerint.* Sed vide homo homini quid intersit. Ex eodem hoc loco Sirmondus plane contra colligit t Epiphanii temporibus nondum illum in Occidentalibus Ecclesiis Ebionæorum in azymis mysterium conficiendi morem insedisse. Qui utrumque virum probe norit, non diu deliberabit, utrius sententia potius sequenda sit. Sed nos omissis quidem nunc personis, rem ipsam spectemus. Baronius ergo descriptis Epiphanii verbis sic agit. *Si Ebionæi,* inquit, *ad imitationem Sanctorum in Ecclesia, in azymis mysteria conficiebant (hoc enim nomine antiqui Eucharistiam nominabant) nulla est dubitatio majores nostros eumdem ritum servasse, ut in azymis sacrosancta mysteria confecerint.* Sed futilis est Annalistæ ratiocinatio, ex qua scilicet & illud quod omnes absurdissimum esse fatentur, conficere possis, majores nostros in sacro poculo, altera mysterii parte, *meram aquam adhibuisse.* Quidni enim id liceat, cum Ebionæos illos, quorum ritum Baronius sumit pro Catholici mysterii exemplo, tam aqua mera ad poculum, quam azymis ad panem mysterii usos esse Epiphanius testetur? Si vero neque Baronius, neque quisquam cui sanum sit sinciput, ita argumentantem foret, necessario confitendum est Baronianam argumentationem, quæ cum ista eadem est, ineptam quoque ipsam esse & inefficacem. Nimirum ait quidem Epiphanius Ebionæos ex quadam Christianorum imitatione sua & ipsos anniversaria mysteria habuisse; plane ejusdem formæ, & ex eadem materia habuisse nusquam ait. Unus hoc, somniavit Baronius, umbram, ut solet, pro vero corpore consectans. Hoc vero Epiphanius, quod iste ei ridiculo affingit, usque adeo non dicit ut contra fortiter reclamet, & istos Christianorum non veros imitatores, sed perversos duntaxat simios fuisse doceat, dum pro Ecclesiæ *fermentato* Iudaïcum *azymum*; pro *vino*, *aquam* meram in suis illis mysteriis adhibuisse eos diserte notat. Quin & tertium indicat inter utrosque discrimen quod mysteria Ebionæorum anniversaria essent, cum nemo ignoret Christianorum fuisse pœne quotidiana. Illos enim scribit mysteria illa sua celebrasse κατ' ἐνιαυτὸν εἰς ἐνιαυτόν, *ab anno in annum* id est, annua, sic ut semel quotannis fierent, certo

p Conc. Laod. Can. 14.
q Zonar. in loc.
r Eus. Hist. l.7.c.9.
s Baron a. D.34.§.36.
t Sirm. de Az.c.2.p.112.

certo quotannis die recurrentia, instar Iudaïci Paschatis. Epiphanius CAP. II. ergo illud tantum ab Ecclesia imitatos ac mutuatos esse intelligit, quod ut hæc, ita & ipsi suum quoddam haberent, & baptisma, & Eucharisticum ferculum. Hactenus *imitatio*. quam si ultra tendas, ridiculus fies. Cœtera quæ sequuntur de anniversario, de azymis de aqua mera, non eo adjicit Epiphanius, ut Ebionæos à Christianis hæc quoque habere significet (quod quantumvis crassum sit & delirum, Baronius tamen pro sua sapientia posuit ut sua azyma in veteri Ecclesia inveniret) sed plane contra; hæc consulto memoravit Epiphanius, ut istos hæreticorum more, illa ipsa quæ ex quadam Ecclesiæ æmulatione habebant, interpolasse & suo contactu corrupisse atque fœdasse nos doceret. Ita magnus ille Annalium parens sua azyma, suosque majores dum apud veteres Catholicos anxie quærit, reperit apud Ebionæos, veri nominis hæreticos, & quidem deterrimi commatis. Hos illi majores nemo nostrûm invidet, quos pessimæ causæ studio excœcatus in Christianos Catholicos transformavit. Quanto rectius Sirmondus, cujus mentem, non ritus apud suos jamdudum sacro-sancti reverentia, non consectaneorum aberrantium numerus vel purpura pervertere potuit, vel prohibere quin veriora videret, & ex eo ipso loco veteres Latinos fermentatum consecrasse perspiceret; unde suarum partium Theologi in azymo jam tum factam fuisse apud majores suos Eucharistiam delirantes argumentabantur? [u] *Quo pacto*, inquit, *notati ab Orientalibus fuissent Ebionæi, quod δι' ἀζύμων, penitus azymis, ut in hæresi* XXX. *refert, mysteria celebrarent, si mos idem jam tum in Occidentalibus Ecclesiis insedisset?* Præclare omnino, ut alias ubi judicio suo utitur. Quod Epiphanius de Ebionæorum azymis refert, id ille commemoravit. [illegible] notaret; non facturus si quam suo ævo verorum Christianorum gentem scivisset azymis quoque gaudentem. Esto ergo hoc quintum Sirmondo ipso autore, de veterum Latinorum fermentata Eucharistia argumentum. Atque hic obiter observandum est, quanta Latini testium ex veteris Ecclesiæ monumentis in hac quæstione penuria laborent; quorum scilicet coryphæos Bellarminum & Baronium videmus ex Latinis quidem, qui ante decimum seculum, aut etiam undecimum vixerunt, neminem laudare; ex Græcis vero, ab omni antiquissimi Christianismi ad nos usque memoria ne unum quidem præter hunc Epiphanium, nominare; qui quam iis faveat, imo quam perspicue adversetur, toramque eorum causam jugulet, jam ni fallor, quivis ex his quæ diximus, intelligit; qui nimirum non alios Azymitarum Patriarchas edit quam Ebionæos, hæreticos semi-Iudæos. Neque hic mihi quisquam objectet spuriam illam Isidori ad Redemptum epistolam, à Iacobo Brentio, Benedictino Monacho, ante annos sex & sexaginta, una cum aliis non paucis ejusdem furfuris opusculis Lutetiæ editam; de quibus Bellarminus ingenue ac vere sic censuit, *Mirum est*, inquit, *unde tot opera sancti*

[u] Sirm. de Az. c. 2. p. 102.

CAP. II. *sancti Isidori prodierint, quorum non meminit sanctus Hildephonsus, qui eadem ætate vixit qua Isidorus ipse; ideo suspicor hæc non esse ab ipso sancto Isidoro scripta, sed ab aliquo alio superaddita.* Illam autem epistolam ex iis esse, quæ hic Bellarmini censura perstringit, planum est. Ipse enim edito vero librorum Isidori catalogo ab Hildephonso conscripto, *Sed,* inquit, *in editione Parisiensi, an.*1601. (ea autem ipsa illa est quam Breulius procuravit) *adduntur isti libri.* Atqui illa ad Redemptum epistola præter libros ab Hildefonso recensitos in hac editione est. Iam non nego in ea, cujuscumque sit autoris, epistola, clarissimum exstare testimonium de azymi apud Latinos usu in Eucharistia conficienda; sed quo apertissime docemur hæc neque ab Isidoro, neque ab vllo veteri ante nonum seculum autore scripta fuisse. Sic enim ille quisquis est, epistolæ autor; y *Innotuisti nobis,* inquit, *in animo tibi versari scrupulum, eo quod Orientalis Christi Ecclesia ex fermentato pane, Occidentalis ex azymo sacratissimi corporis sacramentum conficere consuevit, & quia ipsi Orientales Latinos super hoc reprehendere non verentur;* & paulo post, eadem iterum reponit; *Orientales,* inquit, *Romanorum, sive nostras consuetudines inpudenter obtrectando reprehensionis abolitione impugnare nituntur.* Mitto orationis ab Isidori simplicitate plane alienum tumorem; ævum certe autoris necesse est multo fuisse Isidori temporibus recentius. Nam toto illo sexto septimoque seculo, quibus vixit Isidorus, imo etiam octavo, nono ac decimo, nullæ tota Ecclesia auditæ sunt Orientalium de Latinorum azymo querelæ; nullæ azymiticæ Eucharistiæ reprehensiones; ne tum quidem cum à Constantinopolitano Principe missæ sunt ad Nicolaum Papam I. non paucæ Latinorum à Græcis compositæ criminationes, ad quas etiamnum supersunt atque exstant Ratramnis omnibus Parisiensis Episcopi responsiones Apologeticæ. Atqui in tinis vero defenduntur, nullum est de azymo verbum, quod supra jam ex Sirmondo observavimus. Omnis hæc Græcorum de azymo cum Latinis expostulatio atque concertatio seculo demum undecimo sub Leone Papa IX orta est, ut jam diximus. Ergo hunc epistolæ ad Redemptum scriptorem post illa Humberti Cardinalis & Nicetæ Græci certamina vixisse necesse est, quatuor totis & amplius, post Isidorum seculis; quo tempore confitemur solenne apud Latinos fuisse Eucharistiam ex azymo consecrare. Huc accedit, quod non modo Hildefonsi à Bellarmino laudatus index, sed ne Breulionis quidem Isidori quoque amici & æqualis, vel Sigeberti, vel Honorij, vel ipsius etiam Trithemij catalogi hanc epistolam inter res Isidori censent, vel agnoscunt. Hujus epistolæ artifex in altera quæ hanc apud Breulium præcedit, simili indicio suam imposturam prodit, z cum Isidorum narrantem inducit Latinos à Græcis ideo proterve reprehendi, quod in professione fidei cantent Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere; quam litem omnes eruditi sciunt duobus solidis & amplius seculis post Isidori mortem exarsisse.

x Bell. de scrip. Eccles. in Isid. Hisp.

y Isid. Hisp. ep ad Rod. p.696. F.H.

z Id. ep. ad Claud Duc. p.693. H.

exarsisse. Post Humberti Cardinalis ævum, id est post seculum XI. adultum plurimos habent fateor, de suo azymo testes; Rupertum Abbatem Tuitiensem, a Hildebertum Cænomanensem, b Honorium Augustodunensem, c alios magno numero, omnes fere qui de Eucharistiæ materia post illa tempora scripserunt. Vix enim quemquam ex eo ordine reperias, qui ubi tractant de pane ex quo fit illud sacramentum, hanc de azymo observationem prætermiserit. Ante Humbertum nemo qui ejus meminerit, nemo nisi me fallit memoria occurrit, si unum Rabanum exceperis, de quo paulo post dicam. Atque hæc animadversio apud æquos cordatosque rerum arbitros satis vel una esse potest ad id quod Sirmondus confitetur probandum, usum azymi in Eucharistia non diu ante decimi seculi initia apud Latinos fuisse solennem. Si enim fuisset, ut postea fuit, nulla dici potest idonea ratio, cur qui anterioribus seculis de Eucharistia scripserunt, id universi tacuerint; quod qui posterioribus floruerunt, pari tempore ac loco pæne omnes commemorare solent. Id vero argumentum, quod magni mihi videtur momenti, planius atque clarius deinceps explicandum atque confirmandum videtur.

CAP. III.
a Rup. Trit. de div. offic. c.23. To. 2. p.752.
b Hildeb. ep 44.
c Hon. Gen. Anim. l. 1. c. 31. To. X. Bib. PP. p. 1189. C.

CAPUT III.

VI. argumentum novitatis azymorum; altum omnium ad decimum seculum scriptorum de iis silentium; etiam iis in locis, quibus commemoranda erant, si iam tum in usu Latinorum fuissent. Exceptio de Rabani loco, in quo eorum fit mentio. Locum videri Rabano à recentioribus subditum, & in eius opus immissum.

SExto ergo, illa ipsa qua laborant, testium veterum de azymo Eucharistiæ penuria, satis arguit hujus instituti novitatem. Nam cum multi extent antiquitatis Christianæ libri de religione scripti, plane incredibile est non aliquem ex tanto numero futurum, qui rei adeo singularis meminisset, si jam suo tempore in communi ac universali Ecclesiæ usu fuisset; præsertim cum multa in illis monumentis loca occurrant, ubi eam dici, vel necesse, vel certe utile erat, si nota fuisset. In primis cum panis nomen simpliciter, quod jam diximus, positum, ex Græcorum & Latinorum, & aliorum fere omnium illis anteactis seculis notarum gentium communi usu pro pane fermentato & acciperetur olim, & nunc quoque accipiatur; ne quid in cultu religionis præcipuo vel à fidelibus & ministris peccaretur, vel à quibusvis erraretur, distinguendus diserte erat panis, ex quo Eucharistiam fieri decebat, à communi illo apud omne hominum genus usitato pane; eaque illius ab hoc distinctio tanto magis erat necessaria, quod illis temporibus is panis ad sacramentum VI.

Cap. III. conficiendum utilis, non à certis, iisque paucis hominibus; sed à quibuslibet fidelibus, clericis, laicis, viris mulieribus, idiotis, honestis, rudibus, eruditis, divitibus, pauperibus, nullo sexus, status, aut fortunarum discrimine, ut nuper est demonstratum, domi primum à singulis fieret, inde paratus in Ecclesiam deferretur, & in ipsa mensa Dominica deponeretur. Vnde nisi publica aliqua lex de azymo non modo exstaret, sed etiam identidem in sacris conventibus promulgaretur, ne quem lateret, plurimum passim hac in parte ab hominibus panem haud alium fere quam fermentatum noscentibus peccari necesse esset; Eucharistiæque adeo nobilissimum sacrum sæpissime conturbari. Nunc quidem apud Latinos, cum tota hujus parandi panis cura, non aliis quam paucis de certo sacrorum hominum ordine ministris demandata sit, exstat tamen non una Lex, eaque non uno in libro, ut exempli causa in Missali Romano scripta, qua exserte cavetur *ne panis sit fermentatus*; quo loco *defectus in Missarum celebratione occurrentes* recensent, hunc nominatim notant; *Si panis*, inquiunt, *non sit azymus secundum morem Ecclesiæ Latinæ; conficitur* (sacramentum scilicet) *sed conficiens Graviter peccat.* Nemo non videt, si eadem fuisset in veteri Ecclesia panis Eucharistiæ materia, parem quoque futuram fuisse præpositorum in ea procuranda diligentiam; Illi legem quoque ea de re certam, claram, publicam tulissent; Canonum sive regularum Ecclesiasticarum, & Ritualium suorum Codicibus inseruissent, non minus quam cætera, quæ vel ad commune omnium fidelium, vel ad proprium Clericorum officium pertinent. Atqui nulla hujusmodi lex, nulla regula, nullus canon, in ullo ullius scriptoris Ecclesiastici, sive Latini, sive Græci libro exstat, quem quidem ante decimum, certe ante nonum seculum scriptum fuisse constet. Excute grandes illos veterum Conciliorum tum generalium, tum cujusque gentis, diœceseos, parœciæ, apud Græcam Latinamque Ecclesiam habitorum tomos. Evolve Pseudo Clementis, PseudoDionysii, & aliorum Græcorum. Gregorij Romani, Isidori, Amalarij Fortunati, & cæterorum Latinorum Rituales libros. Nihil vel in his, vel in illis, de azymo, nihil de fermentato pane decretum, constitutum, cautumve reperies. Quæ res Demetrium Chomatenum, Bulgariæ Archiepiscopum, virum alioqui gravem ac moderatum, & ob singularem in Latinos in hac controversia æquitatem, ab ipso Arcudio *e* laudatum ita commovit, ut ex hoc veterum Canonum silentio *recte*, Sirmondo judice, *f conjecerit*, ne apud Latinos quidem hunc antiquissimis temporibus exstitisse azymi in Eucharistia usum; *Latinorum azymorum*, inquit, *nullus usquam meminit canon, quippe quod posterius, ut videtur, eorum mos in Romanam Ecclesiam se insinuarit.* Λατινικῶν ἀζύμων οὐδεὶς οὐδαμῶς κανὼν μέμνηται, οἷα ὕστερον ὡς ἔοικεν, τοῦ τῶν ἀζύμων ἔθους ἐν τῇ τῶν Ῥωμαϊκῶν ἐκκλησίᾳ ἐπεισκωμάσαντος. Patres Toletanos supra audivimus decernentes *ne aliter panis in altari Domini, sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, quique ex studio fuerit præparatus.* Cum, non, ut *integrum, ut mundum.*

d Miss. Rom. 1. de def. pan.

e Arc. l. 3. c. 6. p. 160.

f Sirm. de Az. c. 3 p. 112.

g Dem. Chom. in resp. ad Epis. Dyrr.

dum ut nitidum, ita & azymum, quod prius & potius est, proponi præcipiunt? Tardus est, qui non intelligit id hoc loco prætermissum esse, quod nondum esset in usu. Eadem ejus ratio est, quod Theodulphus Aurelianensis, ann. D. 797. presbyteris suis præcipit, [h] ut *panes quos Deo in sacrificium offerunt, nitide ac studiose fiant*; non jam ut antea, à quibusvis fidelibus, sed vel à seipsis, *vel à suis coram se pueris; diligenterque observetur, ut panis & vinum & aqua, quibus Missæ celebrantur, mundissime atque studiose tractentur, neque quicquam in his vile, aut non probatum inveniatur.* Non jubet cavere ne panes fermentati sint, quod fermentum ab hoc sacro Latini nondum exclusissent. Eadem totidem verbis reperita [i] *præcipiuntur* in Capitulis incertæ editionis, quæ Saxonice & Latine, Henricus Spelmannus ex libris MSS. edidit, in Britannicorum Cōciliorum volumine. Hinc illa Capitula colligere probabiliter licet ante introductum apud Latinos azymi usum fuisse edita. 2. Grave illius presbyteri peccatum Latini esse volunt, qui fermentatum panem consecrarent. Non est dubitandum, quin & idem censuri fuerint veteres, si ut illi, ita & hi olim in azymis Eucharistiam confecissent. Atqui veteres aliter quam Latinos nostros judicasse inde apparet, quod qui omni gravi peccato suam, vel in Synodorum canonibus, vel in Pœnitentialibus libris, pœnam censuramve constituunt, nullam istic in presbyteros decrevisse reperiuntur, qui fermentatum panem in Missis consecraverint. Quod ipsum quoque ex eo argumentari licet, quod in eorum qui sub azymi lege vixerunt, monumentis occurrunt aliqua hujus generis delicta; præcipue iis temporibus, quibus illa lex nondum plane penitusque longo ac diuturno usu confirmata erat. Quale est quod apud Hildebertum Cænomanensem Episcopum, paulo ante annum duodecimi seculi 25. occurrit, [k] ejus sacerdotis qui cum ministraturus assisteret altari, nec in hostiam præparatum panem inveniret, *de communi pane sacrificium obtulerat*, id est qui male Græcatus erat, in fermentato scilicet pane sacra fecerat Græco more, ut ipse statim Hildebertus explicat. Hunc ille, licet levem ejus culpam esse censeat, tamen puniendum putat, quod illa sacrificij novitate gregem suum conturbavisset. Mirum est in tam multis, ac propemodum innumerabilibus novem primorum à Domino in terris nato seculorum monumentis nullum hujus simile sacerdotis delictum memorari, vel admissum, vel legitima pœna animadversum. Atqui nonnullorum in Eucharistia administratione peccata etiam hodie in antiquissimis libris exstant. Quale est verbi gratia, quod Ibæ Episcopo ab adversariis inter alia crimina objectum fuisse, ex actis Chalcedonensis Synodi discimus; nimirum tantam ejus fuisse in procuranda Eucharistiæ administratione negligentiam, ut quo die fiebat Martyrum memoria, vinum in ejus Ecclesia datum fuerit vitiosum ac lutosum, & quasi eo ipso tempore vindemiatum, quod offerretur sancto altari, & sanctificaretur & populo distribueretur, idque ipsum non ea copia quæ ad communionem satis esset. ὅτι καὶ ἰδόντα οἶνος μετρίως ἔχειν τῷ

[h] Theodulf. in capitul. c. 5.

[i] Cap. In c. edit. c. 5. in Conc. Brit. Spelm. p. 538.

[k] Hid. ep. 44 Bib. PP. t. 3. p. 209.

[l] Cōc. Chalc. Act. 10. Tom. 3. Concil. p. 382. E.

Cap. III. ἁγίῳ θυσιαστηρίῳ, καὶ ἁγιασθῆναι καὶ τῷ λαῷ διαδοθῆναι, εἰ μὴ ὀλίγος πάνυ καὶ φαῦλος καὶ πελιδνός· καὶ ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ τρυγηθείς. Non minus credo, flagitium est apud Latinos panem fermentatum, quam vinum φαῦλον, vitiosum in altari offerri. Tam ergo illius facti, si quod tum accidisset, exstaret in veterum monumentis memoria, si quæ nunc est apud Latinos, lex de azymis, eadem apud veteres fuisset. Fuisse, sed vel nulla admissa esse in eam legem peccata, vel admissa quidem multa, sed nullum in eam multis qui supersunt libris, memoriæ posterorum consignatum fuisse, utrumque juxta est incredibile. Enimvero nullam olim fuisse in veteri illa Ecclesia hanc Latinorum legem, vel hoc ipsum arguit, quod ne unus quidem ejus violatæ per tanta temporum spatia reus reperiatur.

3. Erat & hujus usus memorandi plane oportunus locus in ea interrogatione quam nuper è Burchardo laudabamus, qui se totum hunc locum ex cap. 9. Decretorum Eutychiani Papæ exscripsisse profitetur. Neminem esse puto tam obesæ naris ut hæc ab Eutychiano, qui ann. D. 275. Ecclesiæ Romanæ factus est Episcopus decreta scriptaque fuisse, Burchardo credat. Fortasse hæc sub Eutychiani nomine lusit, is qui alia tam multa primis ad Siricium usque Vrbis Episcopis supposuit Isidorus Mercator, ut judicant eruditi; cujus facinora seculo nono nonnihil provecto innotescere cæperunt. Sed quisquis Decreti autor fuerit, nemo dubitat, quin sit Burchardo à quo laudatur, antiquior. Præscribit qua ratione Episcopum in Synodo sua de moribus & religione gregis quærere deceat. Iubet ab eo evocari septem vel etiam plures totius parochiæ honestissimos & veracissimos viros, eosque deinceps interrogari ecquos norint ex ipsa sua parochia, qui aliquod violaverint ex Christianæ pietatis vel caritatis officiis, quæ sigillatim plurima exsequitur. Harum autem interrogationum ultima est ea quam supra attulimus, in qua quærit Episcopus, *si oblationem id est, panem & vinum viri & fæminæ ad Missas offerant: & si non viri, coniuges offerant pro se suisque omnibus, ut in Canone continetur?* Hic certe ad munus Episcopi pertinebat investigare, an non aliqui fideles pro azymo panem fermentatum offerrent, eoque *in grave peccatum* presbyteros impellerent. At nullam ne hic quidem vides, azymorum mentionem; nullam de iis, Episcopi interrogationem. Ne ergo dubites, quo tempore vixit Decreti autor, nullam adhuc fuisse de eo offerendo apud Latinos legem. 4. Sed neque ulli ex veteribus, Græcis, Latinisve, hujus legis de azymis in Eucharistia cõsecrandis meminerunt; ubi ipsius sacramenti vel symbola, vel institutionem ipsam sive seorsum in suis tractatibus, sive ad novi Testamenti loca eo pertinentia exponant; quibus in locis omnes vident flagitiorum fuisse ea de re silentium, si idem tum fuisset azymorum, qui hodie apud Latinos est, usus. Loca non describo, quod nimis esset operosum. Hoc unum pronunciasse satis est nullum ante nonum seculum vixisse Græcum Latinumque scriptorem, cujus vox aliqua vel offeratur, vel afferri possit à Theologis hodiernis huic nostræ assertioni contraria. Consecutio argumenti

gumenti quod inde ducimus, & per se clara est, & ex contraria Latinorum hodie praxi confirmatur, qui vix unquam in hujusmodi locis versantur, quin suorum istic azymorum rem agant. 5. Idem quoque in aliis scripturę locis observandum est, in quibus azyma Iudaïca vel apud Mosem instituuntur, vel ab aliis divinis utriusque Testamenti scriptoribus quod sæpissime fit, commemorantur. Nemo non videt hujus generis loca præclaram Azymitis occasionem præbere de Eucharistico suo instituto aliquid philosophandis commentandi, vel saltem annotandi. Non omittunt nunc Latini, quoties in hujus generis loca incidunt. At veterum Græcorum Latinorumve nemo in paribus locis de Christianæ Eucharistiæ azymo vel unam litteram scripsisse reperitur. 6. Patres qui ante seculum nonum vixerunt non semel tractant cur & ad quid significandum panis & vinum ad hoc Eucharistiæ sacramentum conficiendum assumpta sint. Isidorus & alij non pauci. Druthmarus *n Quia* inquit, *inter omnes vitæ alimonias, cibus panis & vinum valent ad confortandam & recreandam nostram fragilitatem, recte hæc duo in mysterium sui sacramenti confirmare placuit.* Mitto cætera quæ apud eos plurima de hoc argumento occurrunt. Id etiam commemorant quod à Cypriano & Augustino & plerisque aliis ex Paulo observatum est, panis ex multis frumenti granis in unam massam commixtis compositionem, quamdam esse nostræ in mystico Christi corpore unitatis imaginem. His certe locis neque illud præteriri decebat, cur eam potissimum panis speciem, qui azymus esset, in hoc mysterio Dominus adhiberi voluerit; quod nunc Latini eo referunt, ut azymo quod Paulus pro symbolo *sinceritatis & veritatis* habet, significetur Dominici corporis puritas vel ea certe qua præditi esse debent, qui ad sacram illam mensam accedunt. Atque de his ne unum quidem verbum apud veteres ejus ævi quod dixi, legitur. Vnde ista tanta in scriptoribus sapientissimis rei observatu non minus facilis quam necessaria, oblivio? Tu vero noli mirari quod de ea nihil dixerint, cujus scilicet usus nondum erat in Ecclesiam Latinam inductus. Neque enim vel facile est, vel utile de ignotis philosophari. Denique nemo nescit quantopere allegoriis gaudeant plærique Patres, quantumque sibi in hoc genere indulgeant; ut etiam non modo sine ulla necessitate, sed etiam interdum præter omnem rationem, scripturus & Ecclesiasticos ritus vexent, & ad mysteria à rerum ingenio aliena torqueant. Vt de cæteris taceam, Augustinus quidem certe plærasque baptismi cærimonias ad sensus mysticos acute & eleganter accommodat. *Recolite* (inquit) *o quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando exorcizabamini, quasi molebamini; quando baptizati estis, quasi conspersi estis; quando Spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti estis.* Pæne eadem sive ipse sive alius posuit in sermone de diversis 83. quod nos supra monuimus; neque is unus è posteris est, qui hac allegoria usus sit. An ergo credibile est, qui hæc nonnihil remota sectantur, obviam puritatis in azymo imaginem aspernaturos, neque illud

CAP. III.

m Isid. de off. eccl. l. 1. c. 18.

n Druth. in Matth. 26. col. 5. 5. b.

o Aug serm. ad Inf.

Cap. III. addituros fuisse, nos azymo vescentes panem, sed purum ac sanctum effectos esse? Cætera quæ fortasse longe plura congeri possent, mitto. Hæc satis sunt ad id quod molimur, efficiendum; nimirum cum nulla usquiam de hoc azymo lex, nulla legis explicata ratio, nullus legis usus, nulla cujusquam ob violatum usum censura, nulla denique vel ad hunc usum allusio apud Catholicos scriptores vel Græcos, vel Latinos, qui quidem ante decimum seculum vixerunt, ne in iis quidem locis reperiantur, ubi horum aliquid dici & memorari vel necesse vel opportunú erat, clare liquidoque inde consequi, non fuisse omnibus illis seculis ex azymo pane confectu apud Ecclesiam Eucharistiæ sacramentum. Sed non est dissimulandum quoddam exstare in Rabani opere de Clericorum institutione testimonium, quod huic nostræ conclusioni valide repugnat. Quo enim loco Eucharistiæ sacramentum, ejusque ritus explicatur, ubi ad materiam ex qua sacramentum fieri decet perventum est, hæc leguntur; p *Ergo panem infermentatum & vinum aqua mixtum in sacramentum corporis & sanguinis Christi sanctificari oportet; quia ipsa res de se Dominum testificans Evangelium narrat. Ait enim ipse Dominus, Ego sum panis vivus*, & cætera ex quibus paulo post, rem ita concludit; *Ergo quia panis corpus confirmat, ideo ille Christi corpus congruenter nuncupatur; vinum autem quia sanguinem operatur in carne, ideo ad sanguinem Christi refertur. Hæc autem dum sunt visibilia, sanctificata tamen per Spiritum Sanctum in sacramentum divini corporis transeunt.* Atque hæc ille hactenus: quæ si sola essent facile esset suspicari *infermentati* elogium sacro pani non ab ipso Rabano scriptum, sed aliena postea manu huic loco iis fuisse temporibus insertum, quibus azymi usus apud Latinos invaluerat. Cætera enim quæ hic habentur, egregia sunt, & Rabano plane digna, & ad fermentum nihil sane pertinent. Tantum demonstrant cur panem & vinum in Eucharistiam consecrari institutum fuerit, panem fermenti expertem esse debere non probant. Sed continuo sequitur satis prolixa de azymo disputatio; quo omnis ejus causa tam clare tamque diligenter agitur, quam postea actam à Latinis scimus, cum sub Leone IX. à Græcis hac de re pulsari essent. Sic enim habet locus; *Quod autem* (inquit) *panem sacrificii sine fermento esse oporteat*, q *testatur liber Leviticus, ubi commemoratur Dominum per Moysem filiis Israelitæ præcepisse.* Tum allata Mosis lege sic pergit; *Credimus ergo & panem illum quem primum Dominus in Cœna mystica in mysterium corporis sui consecravit, infermentatum esse*, idque fuse probat, ex ipsa Paschalis temporis, quo Cœna illa peracta est, circumstantiis. His ita constitutis, rationem affert cur in azymo sacrum hoc fieri debeat, eam ipsam quam & Humbertus postea & cæteri exinde Latini adhibent, ex illis Pauli verbis petitam, r *Epulemur non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Atque his ita explanatis, captata ex illo azymorum sensu mystico occasione, longum subtexit de eorum puritate ac dignitate sermonem, qui ad Domini mensam

p Rab. de instit. Cler. c. 31. Tom. X. Bibl. PP. p. 581. D

q Id. ibid.

r Ibid p. 582. B. C. D.

mensam cum fructu accedere cupiunt; illorum scelus qui impurati & contaminati veluti illotis, quod aiunt, manibus ad hoc epulum accedunt, vehementer exaggerans, Iudæ Christi, proditori eos æquiparans. Quid ergo ad hoc tanti viri tam lucidum pro azymis testimonium dicemus? Ego sane confiteor si hæc, quod præferunt libri editi, vere sunt Rabani, falsum fuisse Sirmondum, qui Latinos Nicolai Papæ temporibus adhuc fermentato usos esse in sacro Eucharistico inde concludit, quod in ea Græcorum de Latinis ritibus querela quę ad Nicolaum perlata est, nulla facta fuerit de azymis mentio. Cum enim Rabanum an. Christi 856. vivere desiisse certissime constet, hic locus si vere ab eo scriptus est, vincit apud Latinos azymi jam receptam fuisse legem cum Græcorum expostulatio ad Nicolaum anno post Rabani mortem circiter duodecimo: missa est. Sed nequid mentiar, totus ille de azymo apud Rabanum locus mihi vehementer suspectus est, omninoque probabile censeo eum ab aliquo ex posteris fuisse in hoc libri caput infultum secutis seculis cum fermentatus panis plane penitusque ex hoc sacro exterminatus fuisset. Huic enim interpolatorum & adulteratorum nequitiæ eos maxime libros obnoxios esse scimus, quibus Ecclesiastici ritus continentur, quale hoc est Rabani opus. His enim vix unquam desunt homines nimium liberales, qui ne imperfecti videantur, iis de suo inventos & in usum post autorum mortem receptos ritus addere atque infulcire non gravantur. Qualiter, ne longius abeam, in hoc ipso Rabani opere contigisse videmus. Nam ad libri primi calcem in omnibus editis codicibus legitur quædam lacinia, quam Hittorpius in duobus suis MSStis. exemplaribus defuisse testatur; neque eam credo, quisquam eruditus dubitaverit Rabano ab aliena manu commodatam fuisse. Vt idem de illo altero in gratiam azymi descripto loco judicemus, primo facit perspecta totius capitis in quod est infultus, series. Initio statim præfatur quæ sit toto hoc capite disputaturus; qua in parte de cæteris quidem, quæ toto postea capite disputat, dicturum se pollicetur; de azymo, nobili si locus verus est, argumenti sui parte, plane tacet. Cætera quo ordine edixerat, diligenter & accurate singula exsequitur. Ergo locus præter autoris mentem totus hic est insertus. [s] Huc accedit quod quæ loci pars est pæne longissima, de perperam communicantium indignitate ac pœna, eam ipse jam paulo ante, quantum ad institutum satis erat breviter ac dilucide ex Paulo tractarat. [t] Quorsum eamdem postea eodem capite Rabanus retractaret? Sed impostor sollicitante azymorum suorum mysterio in hunc sermonem illapsus, autoris sui metas imprudens prætervectus est. Denique si primis Rabani verbis additum ab impostore sacro pani, ut consilio suo serviret, infermentati elogium demus, resecti cæteris quæ paulo post de azymi ratione & mysterio, & ad cœnam accedentium dignitate præter Rabani institutum plurima infulta sunt, bellissime cohærebunt hoc impostoris facinore divulsa capitis partes; ita nimirum ut post illa de sacramenti

s Ibid. p. 575. c. 780. A.

t Ibid. p. 581. B.

Cap. II. mus Sirmondus. Hic autem in primis describit alterius Matisconensis Concilij Canonem 4. à Cassandro quoque & Menardo merito laudatum, quo scilicet ad hanc rem nihil dici potuit disertius; *y Decernimus* (verba sunt Canonis) *ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus offeratur, tam panis quam vini, ut per has immolationes & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel vel cæteris iuste offerentibus promereantur esse consortes.* Hęc Patres Matisconenses; quibus Sirmondus illa Cypriani ex libro de opere & eleemosyna adnectit, ubi Martyr *divitem fœminam quæ hoc more neglecto nihil offerebat, graviter increpans, locuples,* inquit, *& dives es, & Dominicum celebrare te credis* * *corbonam omnino non respicis quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit sumis.* Huic Cypriani testimonio Sirmódus adjungit similem autoris veteris, sed incerti locum ex sermone qui inter Augustinianos de tempore, numero 215. legitur; quique, ut hoc obiter dicam, multa habet ex Eligij Noviomensis homilia *de rectitudine Catholicæ conversationis*, deflorata, ut utrumque opus conferenti constare poterit. Hic ergo quisquis est *a Oblationes*, inquit, *quæ in altario consecrentur, offerte. Erubescere debet homo idoneus si de aliena oblatione communicaverit.* His addi poterant quæ in sermone sequenti habet autor æque incertus; *b Ille bonus* (inquit) *christianus est, qui quando ad Ecclesiam venit, & oblationem quæ in altario mittatur, exhibet, & pauperibus secundum quod vires habet, argentum porrigit aut bucellam.* Ac nequis veram ipsius Augustini vocem desideret, Sirmondus eam, sed in Synodo una cum Afris Collegis eadem quoque loquentis exhibet, *c ut in sacramentis,* inquit, *corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aqua mixtum.* Conciliorum editores moneat in vetustis codicibus, Canonem his quæ sequuntur, verbis auctiorem legi. *d Primitias vero, ceu mel & lac, quod uno die solennissimo pro infantis mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur suam tamen habent propriam benedictionem, ut à sacramento Dominici corporis, aut sanguinis distinguantur, nec amplius de primitiis offerantur, quam de uvis & frumentis.* Hic vides, *panem & vinum*, ex quibus in altari positis fiebat Eucharistiæ sacramentum, à cæteris Christianorum oblationibus distincta, ipsa tamen à fidelium plebe oblata fuisse. Quod & ipsius seorsum Augustini testimoniis confirmare Syrmondo licebat, si libuisset homini brevitatis studiosissimo plura in hunc locum congerere. Quale illud est, verbi gratia, quod alicubi de carne nostra à Christo, ut eam in sacrificium offerret, assumpta loquens, *e Accepit,* inquit, *abs te quod offerret pro te; quomodo accepit à te sacerdos, quod pro te offerat, quando vis placare Deum pro peccatis tuis.* Vnde constat, quod in Eucharistiæ sacro offertur, oblatum Ecclesiæ ministro fuisse. Eodem quoque pertinet, quod de matre sua in alio opere memorat, *f nullum eam diem prætermisisse oblationem ad altare Dei.* Hoc autem sanctæ fœminæ exemplum, quotidie ad Eucharisticum sacrum, suum panem vinumve offerentis, duobus aliis adnectendum est, quæ ad hanc rem.

y Conc. matis. 2. can. 4.

z Cypr. de oper. eleem. p 259.

* corbonam omnino non respicis. quæ &c.

a Aug. de temp. serm. 215.

b Ib. Serm. 216. p. 368.

c Serm. de Az. c. 2.

d Concil. Cart. 3. Can. 24. Tom. 1. Conc. p. 711.

e Aug. in Psal. 129. p. 618. col. 2.

f Id. Conf. l 5. c. 9. Tom. 1 p. 146. a.

tem Sirmondus attulit. Prius est g sanctæ Radegundis, *quæ quas oblationes suis manibus faciebat, eas venerabilibus locis incessanter Fortunato teste, dispensabat* Alterum est Romanæ cujusdam matronæ, quæ Gregorio urbis Episcopo interroganti cur ad communionem accedens risisset, respondisse traditur, *quia panem quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu corpus Dominicum perhibebas*; quod in Gregorij vita narrat Ioannes Diaconus, noni seculi scriptor. His tribus, quartum ab Hugone Menardo *h* & Gregorio Turonensi notatum exemplum addere libet cujusdam piæ mulieris, quæ pro mariti sui defuncti requie sextarium gazeti vini præbebat in sacrificium Basilicæ sanctæ; Vinum vero quia erat optimum, *subdiaconum nequam reservasse gulæ* suæ: pro eo vero *acetum vehementissimum obtulisse in Calice*, sperantem id clam futurum, quod *i* mulier non semper ad communicandum accederet: sed eam per visum noctu à marito de subdiaconi fraude admonitam mane ad sacra venisse, & cum *ad poculum salutare* more consueto *accessisset tam fervens acetum hausisse, ut putaret dentes excuti*. Quin & mulieribus, veluti proprium sexus sui ministerium, plærumque mandatum fuisse hanc curam apparet ex decreto quod Burchardus refert de interrogatione Synodali: *k Interrogandum*, inquit, *si oblationem, idest panem & vinum, viri & fœminæ admissas offerant, & si * non viri, coniuges pro illis offerant, pro se suisque omnibus, ut in Canone continetur*. Denique has oblationes ex quibusdam Officij Missalis hodierni verbis confirmat Sirmondus: quæ tametsi mutato dogmate & ritus, in Latinorum libris hæserunt: quale est quod recenset, ubi Sacerdos populum appellans, *Orate*, inquit, *fratres, ut meum ac vestrum, sacrificium acceptabile sit apud Deum*: & quod Deum alloquens, *Memento* (ait) *Domine omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt sacrificium*. Et illud, *Hanc igitur oblationem, servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus ut placatus accipias*: Et illa item, quæ in feriis Paschalibus frequentantur, *Suscipe, quæsumus, Domine, preces populi tui cum oblationibus hostiarum. Hæc & alia id genus plurima*, vere sane ac sapienter censet Sirmondus, *primum illud tempus respicere, ex eoque interpretanda esse, quando populi oblationes consecrabantur*: quod nunc fieri desiit scilicet. Sed neque id postremo omittendum est, quod idem ex ordine Romano haud frustra observavit, illas *populi oblationes non omnes consecrari solitas, sed quantum communicaturis sat esset. Archidiaconus* (inquit Ordinis Romani scriptor) *accipiens oblationes, ponit tantas super altare, quantæ possunt populo sufficere*. Hinc enim intelligimus oblatas quæ inter Liturgiæ solennia ab Ecclesia offerebantur, per se fuisse ejusdem naturæ ac formæ, quod quæ consecrandæ erant, non aliam ob causam & cæterarum acervo eximerentur, quam quod populo communicando satis futuræ videbantur, cætera omnino inter se pares. Quæ ergo consecrationi & communioni supererant, eas verum est & pietati consentaneum, peracto officio, vel pauperibus laicis, vel certe tenuioribus Clericis ad sublevandam eorum egestatem fuisse distributas.

CAP. II.

h men. not. ad sacr. Greg. p. 391.

i Greg. L. 1. de glor. Confess c. 65.

k Burc. L. 1. c. 94. de intest. Syn. int. ult.

* ita legit. Cass. Codices Burc. vulgat. male, & *si viri*.

l Sirm. de Az. c. 1. p. 99. 100.

Cap. II. tas. Absurdum autem est putare illa quæ hujusmodi hominibus ad vitæ subsidia erogabantur, nihil aliud fuisse quam azyma summæ tenuitatis, & aliquot farinæ pugillis effecta folia, quales nunc sunt illæ Latinorum hostiolæ: Fermentatas fuisse panis apud omnes vulgo usitati massas, vel placentas, nemo ut opinor, æquus rerum arbiter negabit. Cum ergo & ad consecrationem selectas oblationes fuisse unius ejusdemque naturæ & formæ, ex his quæ nuper dixi appareat, profecto relinquitur ut ipsas quoque ad communionem selectas, non ex azymo, ut instituunt hodie Latini, sed ex fermentato, fuisse consecratas confiteamur. Sed idem quoq; ex universa hac observatione concluditur, de qua nemo dubitabit in veterū libris vel mediocriter versatus. Non dubitavit certè eruditissimus Sirmondus, qui eam exsecutus; *Quo argumento* (inquit) *doceri poterat clarius Latino tunc azymis in altari usos non esse, quam unde constet oblatum à populo panem consecrasse, quem minime dubium erat usitatum sibi, ac fermento de more temperatum obtulisse.* Sed & consecutionis evidentiam, à contrario ritu illustrat ac firmat. m Nam apud Latinos *in præcipuis quibusdam celebritatibus, cum in Cælitum numerum cooptatur quispiam, vel cum inaugurantur Principes, aut consecrantur Episcopi, atque in privatis etiam nuptiarum & exsequiarum solennibus, fieri nunc* narrat n solere, *ut panem vinumque in Missa offerant ij quorum interest.* Iam cum id fit, ideo *panem illum non consecrari* liquet, *quia azymus non est, quod sola scilicet apud Latinos azyma consecrantur.* Cum ergo in illa veteri, de qua diximus, Ecclesia contra factum cernamus, id est, cum apud eam ubiq; consecratum incunctanter fuisse perspiciamus panem à fidelibus in altari oblatum; consequens est ut colligamus à Latino hodierno diversum fuisse veteris Ecclesiæ morem, tunc scilicet Eucharistiam ex fermentato confectam fuisse, quam nunc Latinis non ex alio quam azymo consecrare licet. Nam *panis* nomen in hominum sermone, quoties simpliciter ponitur, sine ullo elogio, quo ad propriam & peculiarem rei alicujus speciem nominis sensus restringatur, toties accipitur de pane apud eam gentem usitato, de qua sermo est, illis quidem temporibus, quibus res vel fuisse, vel factæ gestæve esse significantur. Iam illo omni supra nonum seculum ævo, de quo quæritur, constat & confessum est, in communi usu apud omnes Latinorum populos ac gentes æque fuisse, ac nunc est, pane fermentato vesci. Sed neque dubium est quibuscumque in illorum temporum libris *panis* nomen de fidelium solennibus ad Eucharistiam oblationibus usurpatur, simpliciter in iis positum legi absque ulla ad certam aliquam panis speciem restrictione; ut ex allatis Autorum testimoniis patet, quibus nullum ex omni veterum librorum Latinorum copia opponi potest exemplum, in quo aliter res sese habeat. Ergo nisi à certis & indubitatis humani sermonis legibus frustra ac præter omnem rationem discedere velimus, confitendum est *panis* nomen, in omnibus iis locis de usitato per ea tempora apud Latinos homines *pane*, id est fermentato accipiendum esse.

m Sirm. de Az. c. 1. p. 97.

n ib. p. 101.

esse; adeoque ex fermentato, non ex azymo, confectam tum apud ipsos CAP. II.
Latinos fuisse Eucharistiam apud quos, scilicet, illius memoriæ scriptores testantur id Sacramentum ex pane à singulis fidelibus sive viris, sive mulieribus oblato confectum fuisse. Quin, usque adeo verum est quod diximus, *panis* nomen cum de Eucharistiæ elemento dicitur, nullo uspiam epitheto affici, quo ejus de usitato *pane* sensus ad azymum proprie significandum traducatur ac restringatur, ut si quando *pani* adjectum occurrat aliquod elogium, quo ejus significatio definiatur, id hujusmodi occurrat, quo non azymus, sed fermentatus proprie intelligi significetur. Qualis supra fuit allatus ex Pseudo-Ambrosio locus, in quo de pane ex quo Eucharistia facta est, dictum legimus, *Panis est meus usitatus.* Quo uno plane penitusque sublata est de panis apud Veteres in hoc negotio sensu dubitandi, etiam si qua esset ratio, quæ profecta nulla est. Sed hic Baronio occurrendum est, qui nobilem notis ex Epiphanio locum objicit, ex Hæresi 30. quæ est Ebionæorum. Exposito istorum dogmate addit Epiphanius; ᵒ *Cæterum baptismo quoque præter quotidianum illum initiantur; & ex Christianorum Ecclesiæque imitatione mysteria quædam quotannis celebrant, in quibus panes azymos, & ad alteram mysterii partem, meram aquam adhibent.* Βάπτισμα δὲ καὶ ἄνευ λαμβάνουσι χωρὶς ὧν καθ' ἡμέραν βαπτίζονται. μυστήρια δὲ δῆθεν τελοῦσι κατὰ μίμημα τῶν ἁγίων τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀπὸ ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν διὰ ἀζύμων, καὶ τὸ ἄλλο μέρος τοῦ μυστηρίου δι' ὕδατος μόνου. Antequam cum Baronio congrediar, pauca de Epiphanii sensu dicenda sunt, quem interpretes minus mihi commode expressisse videntur. Illa enim verba, κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν ἐκκλησίᾳ, de viris sanctis accipiunt; sic enim reddunt; *ad imitationem Sanctorum in Ecclesia*, ut est apud Baronium; vel ut ego ex Petavio descripsi, & *Christianorum Ecclesiæque imitatione.* Hoc quidem ut omnes vident, ab autore paulum discedit, qui *Sanctos* dicit, non *Christianos*; &, *in Ecclesia*, non *Ecclesiæ*. Illud vero omnino dilutum ac pæne inane videtur. Cur enim *Sanctorum* potius quam Christianorum vel Catholicorum imitationem diceret? Vel cur *Sanctos in Ecclesia* diceret, ac si qui essent extra Ecclesiam Sancti? Si hæc verba ita acceperis, omnino videbitur Epiphanius significare illos, quos imitari erant Ebionæi, sanctos fuisse certum quemdam hominum in Ecclesia quidem consistentium, sed tamen ab universa Ecclesia distinctorum ordinem, cujus hoc quod hæretici erant æmulati, mysterium proprium esset, non totius Ecclesiæ commune; quod quam sit absurdum, omnes vident. Neque obscurum est, hoc unum velle hoc loco Epiphanium Ebionæos à Catholicorum sive ab Ecclesiæ imitatione suum illud mysterium traxisse; quod cum persentisceret Petavius, non dubitauit ab autoris verbis discedere, ut quam eius fuisse putabat, mentem adumbraret. Ego vero utrumque interpretem puto τῶν ἁγίων nomen de sanctis viris perperam accepisse; Epiphanium τὰ ἅγια *sancta*, non τοὺς ἁγίους *sanctos*, intellexisse. Notum est quid sint Veteribus τὰ ἅγια, ipsæ nimirum Eucharistiæ, res sanctæ.

ᵒ Epiph. hær. 30. §. 16. p. 13. D.

Cap. II.

p Conc. Laod. Can. 14.
q Zonar. in loc.
r Euſ. Hist. L.7.c.9.
s Baron a. D.34.§.36.
t Sirm. de Az.c.2.p.112.

Synodus Laodicena, p *Ne sancta in festo Pascha in alias paroecias transmittantur.* περὶ τοῦ μὴ τὰ ΑΓΙΑ εἰς ἑτέρας παροικίας μεταπέμπεσθαι. τὰ ἅγια (inquit Zonaras) q ἤγουν μερίδες τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. *SANCTA, Particula scilicet sancti corporis ac sanguinis Christi.* Ita diu ante Laodicenos; Dionysius ;Alexandrinus apud Eusebium, r τῇ μετοχῇ τῶν Ἁγίων προσιέναι, *ad SANCTORUM participationem accedere*, quod omnes de Eucharistiæ participatione dictum esse confitentur. Iam omnia, si sic capias, apud Epiphanium plana, Ebionæos sua illa mysteria *ex quadam Eucharistiæ Ecclesiasticæ æmulatione* traxisse. τῶν ἁγίων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, id est τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, id est sanctissimi Sacramenti quod in Ecclesia fit vel celebratur. Iam ad Baronium venio, s qui ex hoc loco concludit *nullam esse dubitationem majores omnes eumdem servasse ritum* (cum Ebionæis scilicet) *ut in azymis sacrosancta mysteria confecerint.* Sed vide homo homini quid intersit. Ex eodem hoc loco Sirmondus plane contra colligit t Epiphanii temporibus nondum illum in Occidentalibus Ecclesiis Ebionæorum in azymis mysterium conficiendi morem insedisse. Qui utrumque virum probe norit, non diu deliberabit, utrius sententia potius sequenda sit. Sed nos omissis quidem nunc personis, rem ipsam spectemus. Baronius ergo descriptis Epiphanii verbis sic agit. *Si Ebionæi,* inquit, *ad imitationem Sanctorum in Ecclesia, in azymis mysteria conficiebant (hoc enim nomine antiqui Eucharistiam nominabant) nulla est dubitatio majores nostros eumdem ritum servasse, ut in azymis sacrosancta mysteria confecerint.* Sed futilis est Annalistæ ratiocinatio, ex qua scilicet & illud quod omnes absurdissimum esse fatentur, conficere possis, majores nostros in sacro poculo, altera mysterii parte, *meram aquam adhibuisse.* Quidni enim id liceat, cum Ebionæos illos, quorum ritum Baronius sumit pro Catholici mysterii exemplo, tam aqua mera ad poculum, quam azymis ad panem mysterii usos esse Epiphanius testetur? Si vero neque Baronius, neque quisquam cui sanum sit sinciput, ita argumentantem foret, necessario confitendum est Baronianam argumentationem, quæ cum ista eadem est, ineptam quoque ipsam esse & inefficacem. Nimirum ait quidem Epiphanius Ebionæos ex quadam Christianorum imitatione sua & ipsos anniversaria mysteria habuisse; plane ejusdem formæ, & ex eadem materia habuisse nusquam ait. Unus hoc, somniavit Baronius, umbram, ut solet, pro vero corpore consectans. Hoc vero Epiphanius, quod iste ei ridiculo affingit, usque adeo non dicit ut contra fortiter reclamet, & istos Christianorum non veros imitatores, sed perversos duntaxat simios fuisse doceat, dum pro Ecclesiæ *fermentato* Iudaïcum *azymum*; pro *vino*, *aquam* meram in suis illis mysteriis adhibuisse eos diserte notat. Quin & tertium indicat inter utrosque discrimen quod mysteria Ebionæorum anniversaria essent, cum nemo ignoret Christianorum fuisse pœne quotidiana. Illos enim scribit mysteria illa sua celebrasse ἀπ' ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν, *ab anno in annum* id est, annua, sic ut semel quotannis fierent, certo

certo quotannis die recurrentia, instar Iudaïci Paschatis. Epiphanius CAP. II. ergo illud tantum ab Ecclesia imitatos ac mutuatos esse intelligit, quod ut hæc, ita & ipsi suum quoddam haberent, & baptisma, & Eucharisticum ferculum. Hactenus *imitatio*, quam si ultra tendas, ridiculus fies. Cœtera quæ sequuntur de anniversario, de azymis de aqua mera, non eo adjicit Epiphanius, ut Ebionæos à Christianis hæc quoque habere significet (quod quantumvis crassum sit & delirum, Baronius tamen pro sua sapientia posuit ut sua azyma in veteri Ecclesia inveniret) sed plane contra; hæc consulto memoravit Epiphanius, ut istos hæreticorum more, illa ipsa quæ ex quadam Ecclesiæ æmulatione habebant, interpolasse & suo contactu corrupisse atque fœdasse nos doceret. Ita magnus ille Annalium parens sua azyma, suosque majores dum apud veteres Catholicos anxie quærit, reperit apud Ebionæos, veri nominis hæreticos, & quidem deterrimi commatis. Hos illi majores nemo nostrûm invidet, quos pessimæ causæ studio excœcatus in Christianos Catholicos transformavit. Quanto rectius Sirmondus, cujus mentem, non ritus apud suos jamdudum sacro-sancti reverentia, non conseeraneorum aberrantium numerus vel purpura pervertere potuit, vel prohibere quin veriora videret, & ex eo ipso loco veteres Latinos fermentatum consecrasse perspiceret; unde suarum partium Theologi in azymo jam tum factam fuisse apud majores suos Eucharistiam delirantes argumentabantur? u *Quo pacto*, inquit, *notati ab Orientalibus fuissent Ebionæi, quod δι' ἀζύμων, purius azymis, ut in hæresi XXX. refert, mysteria celebrarent, si mos idem jam tum in Occidentalibus Ecclesiis insedisset?* u Sirm. de Az. c. 2. p. 102. Præclare omnino, ut alias ubi judicio suo utitur. Quod Epiphanius de Ebionæorum azymis refert, id ille commemoravit, [illegible] no-taret; non facturus si quam suo ævo verorum Christianorum gentem scivisset azymis quoque gaudentem. Esto ergo hoc quintum Sirmondo ipso autore, de veterum Latinorum fermentata Eucharistia argumentum. Atque hic obiter observandum est, quanta Latini testium ex veteris Ecclesiæ monumentis in hac quæstione penuria laborent; quorum scilicet coryphæos Bellarminum & Baronium videmus ex Latinis quidem, qui ante decimum seculum, aut etiam undecimum vixerunt, neminem laudare; ex Græcis vero, ab omni antiquissimi Christianismi ad nos usque memoria ne unum quidem præter hunc Epiphanium, nominare; qui quam iis faveat, imo quam perspicue adversetur, totamque eorum causam juguler, jam ni fallor, quivis ex his quæ diximus, intelligit; qui nimirum non alios Azymitarum Patriarchas edit quam Ebionæos, hæreticos semi-Iudæos. Neque hic mihi quisquam objectet spuriam illam Isidori ad Redemptum epistolam, à Iacobo Brenrio, Benedictino Monacho, ante annos sex & sexaginta, una cum aliis non paucis ejusdem furfuris opusculis Lutetiæ editam; de quibus Bellarminus ingenue ac vere sic censuit, *Mirum est*, inquit, *unde tot opera*

sancti

Cap. II.

x Bell. de scrip. Eccles. in Isid. Hisp.

sancti Isidori prodierint, quorum non meminit sanctus Hildephonsus, qui eadem ætate vixit qua Isidorus ipse; ideo suspicor hæc non esse ab ipso sancto Isidoro scripta, sed ab aliquo alio superaddita. Illam autem epistolam ex iis esse, quæ hic Bellarmini censura perstringit, planum est. Ipse enim edito vero librorum Isidori catalogo ab Hildephonso conscripto, *Sed,* inquit, *in editione Parisiensi, an.* 1601. (ea autem ipsa illa est quam Breulius procuravit) *adduntur isti libri.* Atqui illa ad Redemptum epistola præter libros ab Hildefonso recensitos in hac editione est. Iam non nego in ea, cujuscumque sit autoris, epistola, clarissimum exstare testimonium de azymi apud Latinos usu in Eucharistia conficienda; sed quo apertissime docemur hæc neque ab Isidoro, neque ab ullo veteri ante nonum seculum autore scripta fuisse. Sic enim ille quisquis est, epistolæ autor; y *Innotuisti nobis,* inquit, *in animo tibi versari scrupulum, eo quod Orientalis Christi Ecclesia ex fermentato pane, Occidentalis ex azymo sacratissimi corporis sacramentum conficere consuevit, & quia ipsi Orientales Latinos super hoc reprehendere non verentur;* & paulo post, eadem iterum reponit; *Orientales,* inquit, *Romanorum, sive nostras consuetudines inpudenter obtrectando reprehensionis abolitione impugnare nituntur.* Mitto orationis ab Isidori simplicitate plane alienum tumorem; ævum certe autoris necesse est multo fuisse Isidori temporibus recentius. Nam toto illo sexto septimoque seculo, quibus vixit Isidorus, imo etiam octavo, nono ac decimo, nullæ tota Ecclesia auditæ sunt Orientalium de Latinorum azymo querelæ; nullæ azymiticæ Eucharistiæ reprehensiones; ne tum quidem cum à Constantinopolitano Principe missæ sunt ad Nicolaum Papam I. non paucæ Latinorum à Græcis compositæ criminationes, ad quas etiamnum supersunt atque exstant Ratramni, & Æneæ Parisiensis Episcopi responsiones Apologeticæ. Atqui in his omnibus capitibus, quæ à Græcis [illegible] Latinis vero defenduntur, nullum est de azymo verbum, quod supra jam ex Sirmondo observavimus. Omnis hæc Græcorum de azymo cum Latinis expostulatio atque concertatio seculo demum undecimo sub Leone Papa IX orta est, ut jam diximus. Ergo hunc epistolæ ad Redemptum scriptorem post illa Humberti Cardinalis & Nicetæ Græci certamina vixisse necesse est, quatuor totis & amplius, post Isidorum seculis; quo tempore confitemur solenne apud Latinos fuisse Eucharistiam ex azymo consecrare. Huc accedit, quod non modo Hildefonsi à Bellarmino laudatus index, sed ne Breulionis quidem Isidori quoque amici & æqualis, vel Sigeberti, vel Honorij, vel ipsius etiam Trithemij catalogi hanc epistolam inter res Isidori censent, vel agnoscunt. Hujus epistolæ artifex in altera quæ hanc apud Breulium præcedit, simili indicio suam imposturam prodit, z cum Isidorum narrantem inducit Latinos à Græcis ideo protervè reprehendi, quod in professione fidei cantent Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere; quam litem omnes eruditi sciunt duobus solidis & amplius seculis post Isidori mortem exarsisse.

y Isid. Hisp. ep ad Rod. p.696. F.H.

z Id. ep. ad Claud Duc. p.693. H.

exarsisse. Post Humberti Cardinalis ævum, id est post seculum XI. adultum plurimos habent fateor, de suo azymo testes; Rupertum Abbatem Tuitiensem, *a* Hildebertum Cænomanensem, *b* Honorium Augustodunensem, *c* alios magno numero, omnes fere qui de Eucharistiæ materia post illa tempora scripserunt. Vix enim quemquam ex eo ordine reperias, qui ubi tractant de pane ex quo fit illud sacramentum, hanc de azymo observationem prætermiserit. Ante Humbertum nemo qui ejus meminerit, nemo nisi me fallit memoria occurrit, si unum Rabanum exceperis, de quo paulo post dicam. Atque hæc animadversio apud æquos cordatosque rerum arbitros satis vel una esse potest ad id quod Sirmondus confitetur probandum, usum azymi in Eucharistia non diu ante decimi seculi initia apud Latinos fuisse solennem. Si enim fuisset, ut postea fuit, nulla dici potest idonea ratio, cur qui anterioribus seculis de Eucharistia scripserunt, id universi tacuerint; quod qui posterioribus floruerunt, pari tempore ac loco pæne omnes commemorare solent. Id vero argumentum, quod magni mihi videtur momenti, planius atque clarius deinceps explicandum atque confirmandum videtur.

CAP. III.
a Rup. Tuit. de div. offic. c.23. To. 2. p.752.
b Hildeb. ep 44.
c Hon. Gem. Anim. l. 1. c. 31. To. X. Bib. PP. p. 1189. C.

CAPUT III.

VI. argumentum novitatis azymorum; altum omnium ad decimum seculum scriptorum de iis silentium; etiam iis in locis, quibus commemoranda erant, si jam tum in usu Latinorum fuissent. Exceptio de Rabani loco, in quo eorum fit mentio. Locum videri Rabano à recentioribus subditum, & in eius opus immissum.

VI.

SExto ergo, illa ipsa qua laborant, testium veterum de azymo Eucharistiæ penuria, satis arguit hujus instituti novitatem. Nam cum multi extent antiquitatis Christianæ libri de religione scripti, plane incredibile est non aliquem ex tanto numero futurum, qui rei adeo singularis meminisset, si jam suo tempore in communi ac universali Ecclesiæ usu fuisset; præsertim cum multa in illis monumentis loca occurrant, ubi eam dici, vel necesse, vel certe utile erat, si nota fuisset. In primis cum panis nomen simpliciter, quod jam diximus, positum, ex Græcorum & Latinorum, & aliorum fere omnium illis anteactis seculis notarum gentium communi usu pro pane fermentato & acciperetur olim, & nunc quoque accipiatur; ne quid in cultu religionis præcipuo vel à fidelibus & ministris peccaretur, vel à quibusvis erraretur, distinguendus diserte erat panis, ex quo Eucharistiam fieri decebat, à communi illo apud omne hominum genus usitato pane; eaque illius ab hoc distinctio tanto magis erat necessaria, quod illis temporibus is panis ad sacramentum

Cap. III. conficiendum utilis, non à certis, iisque paucis hominibus, sed à quibuslibet fidelibus, clericis, laicis, viris mulieribus, idiotis, honestis, rudibus, eruditis, divitibus, pauperibus, nullo sexus, status, aut fortunarum discrimine, ut nuper est demonstratum, domi primum à singulis fieret, inde paratus in Ecclesiam deferretur, & in ipsa mensa Dominica deponeretur. Unde nisi publica aliqua lex de azymo non modo exstaret, sed etiam identidem in sacris conventibus promulgaretur, ne quem lateret, plurimum passim hac in parte ab hominibus panem haud alium fere quam fermentatum noscentibus peccari necesse esset; Eucharistiæque adeo nobilissimum sacrum sæpissime conturbari. Nunc quidem apud Latinos, cum tota hujus parandi panis cura, non aliis quam paucis de certo sacrorum hominum ordine ministris demandata sit, exstat tamen non una Lex, eaque non uno in libro, ut exempli causa in Missali Romano scripta, qua exserte cavetur *ne panis sit fermentatus*; quo loco *defectus in Missarum celebratione occurrentes* recensent, hunc nominatim notant; *Si panis*, inquiunt, *non sit azymus secundum morem Ecclesiæ Latinæ, conficitur* (sacramentum scilicet) *sed conficiens Graviter peccat.* Nemo non videt, si eadem fuisset in veteri Ecclesia panis Eucharistiæ materia, parem quoque futuram fuisse præpositorum in ea procuranda diligentiam; Illi legem quoque ea de re certam, claram, publicam tulissent; Canonum sive regularum Ecclesiasticarum, & Ritualium suorum Codicibus inseruissent, non minus quam cætera, quæ vel ad commune omnium fidelium, vel ad proprium Clericorum officium pertinent. Atqui nulla hujusmodi lex, nulla regula, nullus canon, in ullo ullius scriptoris Ecclesiastici, sive Latini, sive Græci libro exstat, quem quidem ante decimum, certe ante nonum seculum scriptum fuisse constet. Excute grandes illos veterum Conciliorum tum generalium, tum cujusque gentis, diœceseos, parœciæ, apud Græcam Latinamque Ecclesiam habitorum tomos. Evolve Pseudo Clementis, PseudoDionysij, & aliorum Græcorum. Gregorij Romani, Isidori, Amalarij Fortunati, & cæterorum Latinorum Rituales libros. Nihil vel in his, vel in illis, de azymo, nihil de fermentato pane decretum, constitutum, cautumve reperies. Quæ res Demetrium Chomatenum, Bulgariæ Archiepiscopum, virum alioqui gravem ac moderatum, & ob singularem in Latinos in hac controversia æquitatem, ab ipso Arcudio *e* laudatum ita commovit, ut ex hoc veterum Canonum silentio *recte*, Sirmondo judice, *f conjecerit*, ne apud Latinos quidem hunc antiquissimis temporibus exstitisse azymi in Eucharistia usum; *Latinorum azymorum*, inquit, *nullus usquam meminit canon, quippe quod posterius, ut videtur, eorum mos in Romanam Ecclesiam se insinuarit.* Λατινικῶν ἀζύμων οὐδεὶς οὐδαμοῦ κανὼν μέμνηται, οἷα ὕστερον ὡς ἔοικεν, τοῦ τῶν ἀζύμων ἔθους ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐπισκωμάσαντος. Patres Toletanos supra audivimus decernentes *ne aliter panis in altari Domini, sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, quique ex studio fuerit præparatus.* Cur non, ut *integrum, ut mundum*.

d Miss. Rom. 3. de def. pan.

e Arc. l. 3. c. 6. p. 150.

f Sirm. de Az. c. 3 p. 112.

g Dem. Chom. in resp. ad Epis. Dyrr.

dum ut nitidum, ita & azymum, quod prius & potius est, proponi præcipiunt? Tardus est, qui non intelligit id hoc loco prætermissum esse, quod nondum esset in usu. Eadem ejus ratio est, quod Theodulphius Aurelianensis, ann. D. 797. presbyteris suis præcipit, *h* ut *panes quos Deo in sacrificium offerunt, nitide ac studiose fiant*; non jam ut antea, à quibusvis fidelibus, sed vel à seipsis, *vel à suis coram se pueris; diligenterque observetur, ut panis & vinum & aqua, quibus Missæ celebrantur, mundissime atque studiose tractentur, neque quicquam in his vile, aut non probatum inveniatur.* Non jubet cavere ne panes fermentati sint, quod fermentum ab hoc sacro Latini nondum exclusissent. Eadem totidem verbis reperita *i* *præcipiuntur* in Capitulis incertæ editionis, quæ Saxonice & Latine, Henricus Spelmannus ex libris MSS. edidit, in Britannicorum Cōciliorum volumine. Hinc illa Capitula colligere probabiliter licet ante introductum apud Latinos azymi usum fuisse edita. 2. Grave illius presbyteri peccatum Latini esse volunt, qui fermentatum panem consecrarent. Non est dubitandum, quin & idem censuri fuerint veteres, si ut illi, ita & hi olim in azymis Eucharistiam confecissent. Atqui veteres aliter quam Latinos nostros judicasse inde apparet, quod qui omni gravi peccato suam, vel in Synodorum canonibus, vel in Pœnitentialibus libris, pœnam censuramve constituunt, nullam istic in presbyteros decrevisse reperiuntur, qui fermentatum panem in Missis consecraverint. Quod ipsum quoque ex eo argumentari licet, quod in eorum qui sub azymi lege vixerunt, monumentis occurrunt aliqua hujus generis delicta; præcipue iis temporibus, quibus illa lex nondum plane penitusque longo ac diuturno usu confirmata erat. Quale est quod apud Hildebertum Cænomanensem Episcopum, paulo ante annum duodecimi seculi 25. occurrit, *k* ejus sacerdotis qui cum ministraturus assisteret altari, nec in hostiam præparatum panem inveniret, *de communi pane sacrificium obtulerat*, id est qui male Græcatus erat, in fermentato scilicet pane sacra fecerat Græco more, ut ipse statim Hildebertus explicat. Hunc ille, licet levem ejus culpam esse censeat, tamen puniendum putat, quod illa sacrificij novitate gregem suum conturbavisset. Mirum est in tam multis, ac propemodum innumerabilibus novem primorum à Domino in terris nato seculorum monumentis nullum hujus simile sacerdotis delictum memorari, vel admissum, vel legitima pœna animadversum. Atqui nonnullorum in Eucharistia administratione peccata etiam hodie in antiquissimis libris exstant. Quale est verbi gratia, quod Ibæ Episcopo ab adversariis inter alia crimina objectum fuisse, ex actis Chalcedonensis Synodi discimus; nimirum tantam ejus fuisse in procuranda Eucharistiæ administratione negligentiam, ut quo die fiebat Martyrum memoria, vinum in ejus Ecclesia datum fuerit vitiosum ac lutosum, & quasi eo ipso tempore vindemiatum, quod offerretur sancto altari & sanctificaretur & populo distribueretur, idque ipsum non ea copia quæ ad communionem satis esset. ὅτι καὶ ἰδὼν οἶνος μεσαγμένος ἦν ἐν τῷ ἁγίῳ

h Theodulf. in capitul. c. 5.

i Cap. In c. edit. c. 5. in Conc. Brit. Spelm. p. 538.

k Hild. ep. 44 Bib. PP. t. 3. p. 209.

l Cōc. Chalc. Act. 10. Tom. 3. Concil. p. 382. E.

Cap. III. ἁγίῳ θυσιαστηρίῳ, καὶ ἀγανακτοῦσι καὶ τῷ λαῷ διαδοθῆναι, εἰ μὴ ὀλίγος πάνυ καὶ φαῦλος καὶ πηλώδης καὶ ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ τρυγηθείς. Non minus credo, flagitium est apud Latinos panem fermentatum, quam vinum φαῦλον, vitiosum in altari offerri. Tam ergo illius facti, si quod tum accidisset, exstaret in veterum monumentis memoria, si quæ nunc est apud Latinos, lex de azymis, eadem apud veteres fuisset. Fuisse, sed vel nulla admissa esse in eam legem peccata, vel admissa quidem multa, sed nullum in eam multis qui supersunt libris, memoriæ posterorum consignatum fuisse, utrumque juxta est incredibile. Enimvero nullam olim fuisse in veteri illa Ecclesia hanc Latinorum legem, vel hoc ipsum arguit, quod ne unus quidem ejus violatæ per tanta temporum spatia reus reperiatur.

3. Erat & hujus usus memorandi plane oportunus locus in ea interrogatione quam nuper è Burchardo laudabamus, qui se totum hunc locum ex cap. 9. Decretorum Eutychiani Papæ exscripsisse profitetur. Neminem esse puto tam obesæ naris ut hæc ab Eutychiano, qui ann. D. 275. Ecclesiæ Romanæ factus est Episcopus decreta scriptaque fuisse, Burchardo credat. Fortasse hæc sub Eutychiani nomine lusit, is qui alia tam multa primis ad Siricium usque Vrbis Episcopis supposuit Isidorus Mercator, ut judicant eruditi; cujus facinora seculo nono nonnihil provecto innotescere cæperunt. Sed quisquis Decreti autor fuerit, nemo dubitat, quin sit Burchardo à quo laudatur, antiquior. Præscribit qua ratione Episcopum in Synodo sua de moribus & religione gregis quærere deceat. Iubet ab eo evocari septem vel etiam plures totius parochiæ honestissimos & veracissimos viros, eosque deinceps interrogari ecquos norint ex ipsa sua parochia, qui aliquod violaverint ex Christianæ pietatis vel caritatis officiis, quæ sigillatim plurima exsequitur. Harum autem interrogationum ultima est ea quam supra attulimus, in qua quærit Episcopus, *si oblationem id est, panem & vinum viri & fœmina ad Missas offerant: & si non viri, coniuges offerant pro se suisque omnibus, ut in Canone continetur?* Hic certe ad munus Episcopi pertinebat investigare, an non aliqui fideles pro azymo panem fermentatum offerrent, eoque *in grave peccatum* presbyteros impellerent. At nullam ne hic quidem vides, azymorum mentionem; nullam de iis, Episcopi interrogationem. Ne ergo dubites, quo tempore vixit Decreti autor, nullam adhuc fuisse de eo offerendo apud Latinos legem. 4. Sed neque ulli ex veteribus, Græcis, Latinisve, hujus legis de azymis in Eucharistia cōsecrandis meminerunt, ubi ipsius sacramenti vel symbola, vel institutionem ipsam sive seorsum in suis tractatibus, sive ad novi Testamenti loca eo pertinentia exponant; quibus in locis omnes vident flagitiorum fuisse ea de re silentium, si idem tum fuisset azymorum, qui hodie apud Latinos est, usus. Loca non describo, quod nimis esset operosum. Hoc unum pronunciasse satis est nullum ante nonum seculum vixisse Græcum Latinumque scriptorem, cujus vox aliqua vel offeratur, vel afferri possit à Theologis hodiernis huic nostræ assertioni contraria. Consecutio argumenti

gumenti quod inde ducimus, & per se clara est, & ex contraria Latinorum hodie praxi confirmatur, qui vix unquam in hujusmodi locis versantur, quin suorum istic azymorum rem agant. 5. Idem quoque in aliis scripturę locis observandum est, in quibus azyma Iudaïca vel apud Mosem instituuntur, vel ab aliis divinis utriusque Testamenti scriptoribus quod sæpissime fit, commemorantur. Nemo non videt hujus generis loca præclaram Azymitis occasionem præbere de Eucharistico suo instituto aliquid philosophandis commentandi, vel saltem annotandi. Non omittunt nunc Latini, quoties in hujus generis loca incidunt. At veterum Græcorum Latinorumve nemo in paribus locis de Christianæ Eucharistiæ azymo vel unam litteram scripsisse reperitur. 6. Patres qui ante seculum nonum vixerunt non semel tractant cur & ad quid significandum panis & vinum ad hoc Eucharistiæ sacramentum conficiendum assumpta sint. Isidorus & alij non pauci. Druthmarus *n Quia* inquit, *inter omnes vitæ alimonias, cibus panis & vinum valent ad confortandam & recreandam nostram fragilitatem, recte hæc duo in mysterium sui sacramenti confirmare placuit.* Mitto cætera quæ apud eos plurima de hoc argumento occurrunt. Id etiam commemorant quod à Cypriano & Augustino & plerisque aliis ex Paulo observatum est, panis ex multis frumenti granis in unam massam commixtis compositionem, quamdam esse nostræ in mystico Christi corpore unitatis imaginem. His certe locis neque illud præteriri decebat, cur eam potissimum panis speciem, qui azymus esset, in hoc mysterio Dominus adhiberi voluerit; quod nunc Latini eo referunt, ut azymo quod Paulus pro symbolo *sinceritatis & veritatis* habet, significetur Dominici corporis puritas vel ea certe qua præditi esse debent, qui ad sacram illam mensam accedunt. Atque de his ne unum quidem verbum apud veteres ejus ævi quod dixi, legitur. Vnde ista tanta in scriptoribus sapientissimis rei observatu non minus facilis quam necessaria, oblivio? Tu vero noli mirari quod de ea nihil dixerint, cujus scilicet usus nondum erat in Ecclesiam Latinam inductus. Neque enim vel facile est, vel utile de ignotis philosophari. Denique nemo nescit quantopere allegoriis gaudeant plærique Patres, quantumque sibi in hoc genere indulgeant; ut etiam non modo sine ulla necessitate, sed etiam interdum præter omnem rationem, scripturus & Ecclesiasticos ritus vexent, & ad mysteria à rerum ingenio aliena torqueant. Vt de cæteris taceam, Augustinus quidem certe plærasque baptismi cærimonias ad sensus mysticos acute & eleganter accommodat. *Recolite* (inquit) *o quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando exorcizabamini, quasi molebamini; quando baptizati estis, quasi consperși estis; quando Spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti estis.* Pæne eadem sive ipse sive alius posuit in sermone de diversis 83. quod nos supra monuimus; neque is unus è posteris est, qui hac allegoria usus sit. An ergo credibile est, qui hæc nonnihil remota sectantur, obviam puritatis in azymo imaginem aspernaturos, neque illud

CAP. III.

m Isid. de off. eccl. l. 1. c. 18.

n Druth. in Matth. 26. col. 3. 5. b.

o Aug serm. ad Inf.

Cap. III. additutos fuisse, nos azymo vescentes panem, sed purum ac sanctum effectos esse? Cætera quæ fortasse longe plura congeri possent, mitto. Hæc satis sunt ad id quod molimur, efficiendum; nimirum cum nulla uspiam de hoc azymo lex, nulla legis explicata ratio, nullus legis usus, nulla cujusquam ob violatum usum censura, nulla denique vel ad hunc usum allusio apud Catholicos scriptores vel Græcos, vel Latinos, qui quidem ante decimum seculum vixerunt, ne in iis quidem locis reperiantur, ubi horum aliquid dici & memorari vel necesse vel opportunú erat, clare liquidoque inde consequi, non fuisse omnibus illis seculis ex azymo pane confectu apud Ecclesiam Eucharistiæ sacramentum. Sed non est dissimulandum quoddam exstare in Rabani opere de Clericorum institutione testimonium, quod huic nostræ conclusioni valide repugnat. Quo enim loco Eucharistiæ sacramentum, ejusque ritus explicatur, ubi ad materiam ex qua sacramentum fieri decet perventum est, hæc leguntur; *p* *Ergo panem infermentatum & vinum aqua mixtum in sacramentum corporis & sanguinis Christi sanctificari oportet; quia ipsa res de se Dominum testificans Evangelium narrat. Ait enim ipse Dominus, Ego sum panis vivus,* & cætera ex quibus paulo post, rem ita concludit; *Ergo quia panis corpus confirmat, ideo ille Christi corpus congruenter nuncupatur; vinum autem quia sanguinem operatur in carne, ideo ad sanguinem Christi refertur. Hæc autem dum sunt visibilia, sanctificata tamen per Spiritum Sanctum in sacramentum divini corporis transeunt.* Atque hæc ille hactenus; quæ si sola essent facile esset suspicari *infermentati* elogium sacro pani non ab ipso Rabano scriptum, sed aliena postea manu huic loco iis fuisse temporibus insertum, quibus azymi usus apud Latinos invaluerat. Cætera enim quæ hic habentur, egregia sunt, & Rabano plane digna, & ad fermentum nihil sane pertinent. Tantum demonstrant cur panem & vinum in Eucharistiam consecrari institutum fuerit, panem fermenti expertem esse debere non probant. Sed continuo sequitur satis prolixa de azymo disputatio; quo omnis ejus causa tam clare tamque diligenter agitur, quam postea actam à Latinis scimus, cum sub Leone IX. à Græcis hac de re pulsari essent. Sic enim habet locus; *Quod autem (inquit) panem sacrificij sine fermento esse oporteat,* *q* *testatur liber Leviticus, ubi commemoratur Dominum per Moysem filiis Israelita præcepisse.* Tum allata Mosis lege sic pergit; *Credimus ergo & panem illum quem primum Dominus in Cœna mystica in mysterium corporis sui consecravit, infermentatum esse,* idque fuse probat, ex ipsa Paschalis temporis, quo Cœna illa peracta est, circumstantia. His ita constitutis, rationem affert cur in azymo sacrum hoc fieri debeat, eam ipsam quam & Humbertus postea & cæteri exinde Latini adhibent, ex illis Pauli verbis petitam, *r* *Epulemur non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Atque his ita explanatis, captata ex illo azymorum sensu mystico occasione, longum subtexit de eorum puritate ac dignitate sermonem, qui ad Domini

p Rab. de inst. Cler. c. 31. Tom. X. Bibl. PP. p. 581. D

q Id. ibid.

r Ibid p. 582. B.C.D.

mensam cum fructu accedere cupiunt; illorum scelus qui impurati & contaminati veluti illotis, quod aiunt, manibus ad hoc epulum accedunt, vehementer exaggerans, Iudæ Christi, proditori eos æquiparans. Quid ergo ad hoc tanti viri tam lucidum pro azymis testimonium dicemus? Ego sane confiteor si hæc, quod præferunt libri editi, vere sunt Rabani, falsum fuisse Sirmondum, qui Latinos Nicolai Papæ temporibus adhuc fermentato usos esse in sacro Eucharistico inde concludit, quod in ea Græcorum de Latinis ritibus querela quę ad Nicolaum perlata est, nulla facta fuerit de azymis mentio. Cum enim Rabanum an. Christi 856. vivere desiisse certissime constet, hic locus si vere ab eo scriptus est, vincit apud Latinos azymi jam receptam fuisse legem cum Græcorum expostulatio ad Nicolaum anno post Rabani mortem circiter duodecimo: missa est. Sed nequid mentiar, totus ille de azymo apud Rabanum locus mihi vehementer suspectus est, omninoque probabile censeo eum ab aliquo ex posteris fuisse in hoc libri caput infultum secutis seculis cum fermentatus panis plane penitusque ex hoc sacro exterminatus fuisset. Huic enim interpolatorum & adulteratorum nequitiæ eos maxime libros obnoxios esse scimus, quibus Ecclesiastici ritus continentur, quale hoc est Rabani opus. His enim vix vnquam desunt homines nimium liberales, qui ne imperfecti videantur, iis de suo inventos & in usum post autorum mortem receptos ritus addere atque infulcire non gravantur. Qualiter, ne longius abeam, in hoc ipso Rabani opere contigisse videmus. Nam ad libri primi calcem in omnibus editis codicibus legitur quædam lacinia, quam Hittorpius in duobus suis MSStis. exemplaribus defuisse testatur; neque eam credo, quisquam eruditus dubitaverit Rabano ab aliena manu commodatam fuisse. Vt idem de illo altero in gratiam azymi descripto loco judicemus, primo facit perspecta totius capitis in quod est infultus, series. Initio statim præfatur quæ sit toto hoc capite disputaturus; qua in parte de cæteris quidem, quæ toto postea capite disputat, dicturum se pollicetur; de azymo, nobili si locus verus est, argumenti sui parte, plane tacet. Cætera quo ordine edixerat, diligenter & accurate singula exsequitur. Ergo locus præter autoris mentem totus hic est insertus. *s* Huc accedit quod quæ loci pars est pæne longissima, de perperam communicantium indignitate ac pœna, eam ipse jam paulo ante, quantum ad institutum satis erat breviter ac dilucide ex Paulo tractarat. *t* Quorsum eamdem postea eodem capite Rabanus retractaret? Sed impostor sollicitante azymorum suorum mysterio in hunc sermonem illapsus, autoris sui metas imprudens prætervectus est. Denique si primis Rabani verbis additum ab impostore sacro pani, ut consilio suo serviret, infermentati elogium demus, rejecti cæteris quæ paulo post de azymi ratione & mysterio, & ad cœnam accedentium dignitate præter Rabani institutum plurima infulta sunt, bellissime cohærebunt hoc impostoris facinore divulsa capitis partes; ita nimirum ut post illa de sacramenti

CAPVT III.

s Ibid. p. 575. c. 780. A.

t Ibid. p. 581. B.

Caput III. menti pane & vino ex scripturis explicata, cum his verbis in quæ illa desinunt (*Hæc autem dum sunt visibilia, sanctificata tamen per Spiritum Sanctum in sacramentum divini corporis transeunt*) continenter ista connectas, quæ in libris editis longissime ab hoc suo loco rejecta sunt; *Sed in sacramento vinum aqua mixtum offerri debet*; & cætera quæ videat apud autorem qui volet. Huc accedit quod Rabanus in Levitici 2.11. & in Exodi 12.15. ubi habentur de azymo leges, nullus Eucharistiæ meminit; non omissurus eam, si ex azymo factam scivisset. Denique ut ita judicemus nos cogit ipsa rerum, quas hactenus constituimus ratio. Nam qui quæcumque vel à Sirmondo vel à nobis etiam observata attulimus, diligenter apud se expenderit, eum ego facile intellecturum puto nondum Rabani ævo usitatum fuisse apud Latinos in hoc sacro azymum. Si enim ita esset, quis credat Græcos inter cætera quæ paucis post annis, duce ac autore Photio, Latinis objecerunt; hoc de azymo prætermissuros fuisse? Atqui id Nicetas postea, homo nulla ex parte cum Photio comparandus? objecit & quidem acerrime. Ergo Photius nullum ævo suo apud Latinos hunc usum quem objiceret, reperiebat; quo argumento Sirmondus felicissime ad investigandam rei veritatem perductus est. Quid illud ex Theodulfi capitulis allatum à nobis dicam? in quo presbyteris suis de sacro pane studiose conficiendo præcipiens nihil de azymo monet? Atqui eodem seculo Rabanus vixit, Theodulfi plane æqualis, annis vix amplius quam triginta post eum mortuus. Sirmondum eadem de hoc loco sensisse ideo suspicor, quod eius in tota hac de azymo disputatione sua, nullus meminit. Neque enim putandum est locum viri vel tam eruditi oculos, vel tam diligentis tamque accurati memoriam fugisse; Contemptum potius reor, quem nimirum falsum & subdititium censebat; quæ illi quoque ratio fuisse videtur cur de straminea illa Isidori epistola vir verborum parcissimus silere maluerit, quam de re futili inaniter jurgari.

CAPUT IV.

Solvitur Latinorum pro suis azymis objectio, inde ducta, quod Christus iis in prima Cœna usus sit.

His quod opponant nihil habent Latini, præter unum quod cæteris omnibus potius ac validius esse affirmant, ipsum scilicet Christi Domini factum. *Neque enim*, u inquit Bellarminus, *dubitari potest, quin illud sit melius, & faciendum, quod Christus fecit*. Atqui constat ex Evangelica narratione, Christum azymo pane in prima Eucharistia conficienda usum esse, cum ipsum sacramentum institueret. Ego vero inprimis nego hoc argumentum ad me proprie pertinere, qui in hac disputatione non jam hoc quæro, quid in religione fieri vel non fieri jus

u Bell. de Euch l.4. c. 7.§. quia vero.

ri jus sit; sed an quod nunc fit à Latinis, id ipsum jam olim in veteri ab ipsa Christianismi origine Ecclesia factum quoque fuerit. At satis superque demonstratum est, quod nunc Latini Eucharistiam ex azymo conficiunt, id ante decimum vel certe nonum seculum nusquam tota Græca, Latinave Ecclesia usurpatum, multo vero minus usitatum fuisse; eamque rem usque adeo manifestam esse, ut Iacobus ipse Sirmondus, vir è societate, ut appellant, *Iesu* doctissimus assentiatur, & assensum publicato de hoc argumento libello, palam sit professus. Si ergo valet Bellarmini argumentum, eo valebit quidem, ut efficiat veterem illam omnem Græcam Latinamque Ecclesiam, quæ ad decimum seculum fuit, peccasse perperamque instituisse, quæ id quod judice quidem Bellarmino, *melius & faciendum erat*, non fecit; id fecit quod deterius neque *faciendum* erat; Me non feriet, qui illam Ecclesiam hoc ipsum fecisse contendo, quod revera fecit; adeoque ab antiquissimo ac universali ejus more discessisse Latinos, qui eo usu quem illa observabat, repudiato, diversum jam à sexcentis annis observare inveniuntur. Sed quia ipsis etiam fortasse Latinis durum esse, ut est sane, videbitur antiquissimam illam ac laudatissimam Ecclesiam, cujus ipsa Apostolica origo ac pars fuit, tamdiu, totis scilicet novem seculis, in tanto errore versatam fuisse dicere, ut quod melius est, repudiaverit, quodque *faciendum erat* minime fecerit; quod deterius erat prætulerit, quodque *faciendum* nequaquam erat, fecerit tamen; age expendamus breviter hanc Bellarmini ratiocinationem, & quam vim habeat, excutiamus. Ea autem duabus constat partibus. Prior est, quod Dominus Christus fecit, id melius esse quam quod non fecit, & quidem ita ut ille fecit, faciendum esse. Posterior est, Christum id sacramentum de quo quæritur, in azymo pane confecisse. Bellarminus totam quæstionem ad unam hanc posteriorem partem revocat; in qua constituenda duo libri capita, & quidem satis prolixa tota consumit, spinas chronologicas magna arte convolvens, dubiaque dubiis, obscura obscuris agglomerans, lectoris mentem non tam docet, quam verberat & fatigat: priorem vero partem plane dimittit, simulans de ea nihil quo ipse sensu accipit, à quoquam Christiano dubitari. Ille vero dum sic agit, plane sophistice atque veteratorie se gerit; de vero constituendo parum sollicitus; hoc unum satagens, ut adversarios dejecisse ipse stare & vicisse videatur. Græcos quidem ille sed frustra fraudi huic suæ obtendit, qui Christum in azymo Eucharistiam confecisse negant. Nam qui non nesciret nostros & Christum concedere in azymo confecisse, & tamen negare azymum in Ecclesiastica Eucharistia fermentato pani præferendum; huic etiam suæ argumentationis parti cõsulere debuerat, & ratione aliqua probare, hoc Christi azymum in Eucharistia adhibentis factum vicem legis nobis esse debere. Græcos fateor parum probabilia sectari, dum censent Christum uno die diem primum azymorum antevertisse, quo die nondum fermentum esset ex legis præscripto è domibus

CAPUT IV.

Caput IV.

exterminatum; & ita azymi usum in comestione Agni, in reliqua vero Cœna pane fermentato; atque ita in pane fermentato Eucharistiam dedisse. Hæc illi; absurde sane præter omnem non modo rationem, sed etiam veri ac rationis similitudinem philosophantes. Nam, ut recte ac sapienter observat Archiepiscopus Spalatinus, *x hac panis in una & eadem cœna mutatio non habet probabilitatem.* Sane nullo Scripturæ testimonio nititur, totaque est ab uno Græcorum hac in causa laborantium ingenio. Addit Spalatinus, *multo quoque minus probabilitatis habere, quod aiunt Græci Christum uno die Pascha prævenisse, qui legis scilicet erat observantissimus.* Negari non potest, quin & hoc quoque sit, certe in speciem esse videatur, vehementer improbabile. Atqui id non modo Græci, sed etiam ex Latinis & ex nostris aliqui, *y* & quidem doctissimi viri secuti sunt; quod arguit magnas occurrere in hoc ipso negotio difficultates: ex quo unum Bellarminus suæ adversus Græcos de azymo disputationis fundamentum arcessit; contra rectæ ratiocinationis leges, quæ ex notis & claris principiis institui debet. Sed utcumque sit, manifestum est Græcos optimam causam prava & improbabili opinione corrumpere, dumque ea in quibus nihil periculi inest, nequicquam refugiunt, in Syrtes & scopulos navim, ut sic dicam, suam impegisse. Nequid enim suo fermentato azyma Paschatis Iudaici à Christo in Cœna usurpata nocerent, eo devenerunt ut in illo Domini epulo panes fuisse duorum generum, azymos & fermentatos dicerent; quod est sane (ut trito in Scholis vocabulo utar) *inopinabile.* Idem Baronio in re quadam hujus simili accidit. Cum enim apud veteres aliquot Scriptores legamus *z fermentum die Dominico ab Episcopo Romano cōfectum ad Ecclesiarum in urbe constitutarum presbyteros mitti solitum;* Annalista veritus nequid sua de azymo causa detrimenti hinc caperet, præfracte negavit, quod tamen verissimum est, Eucharistiam fermenti nomine fuisse ab illis auctoribus significatum: idque Baronij commentum Binius & cæteri fere secuti sunt. Et his & Græcis in dispari causa accidit quod est apud Prophetam, *a Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Vtrique falso metu acti in verum errorem præcipitaverunt; ut aves quæ primis, quibus circumdantur, territæ fugiunt in retia. Ac de Baronio quidem & ejus asseclis id verum esse Sirmondus patefacit, quo loco demonstrat illud veterum scriptorum *fermentum* revera Eucharistiam fuisse, neque tamen hoc Baroniano de azymo errori officere; Eucharistiam enim illis locis *b fermentum ex eo dici non quod ex pane esset fermentato* (quamquam erat sane ex eo pane) *sed quod ipsa Ecclesiis ad quas mittebatur, fermenti vicem præstaret, eisque unionis vinculum inter se esset, sicut fermentum massæ cui commiscetur.* Græcis quoque rem similem accidisse clarum est. Cujus enim metu negare compulsi sunt Christum Eucharistiam fecisse in azymo, id frustra falsoque expaverunt. Quod antequam demonstrare aggrediar, lectorem moneo, ipsam illam Bellarmini contra Græcos di-

x l.5. de Rep. Eccl c.6. §. 259. Tom.2. p.291.

y Paul. Burg. addit. ad Lyran. in Matt. c.26 Iansen. Mald. Scal. Cas. alij.

z Pontif. in Melch. Siric. ep. Innoc. ep. ad Dec. c.5.

a Ps.13. Heb.14.5.

b Sirm. de Az. c.5. p. 247.

sputationem valde perplexam esse, ejusque sententiam neque minoribus, neque fortasse paucioribus difficultatibus laborare, quam adversariorum quos refellit opinionem; ex quibus aliquas recenset Spalatinus, *c* sane gravissimas, ac ut mihi quidem videtur, ineluctabiles. Sed & cæteras hac de re veterum ac recentiorum sententias, quas præter Bellarminianam, quatuor recenset, haud perfunctorie refellit; iisque repudiatis verum ac legitimum Paschæ diem illo anno, quo Christus Dominus crucifixus est, fuisse ipsum Sabbathum statuit, *d* ab occasu Solis feriæ sextæ, ad occasum ejusdem diei Sabbathi: Eo die Iudæos Pascha esitasse post feriæ 6. qua Christus crucifixus est, finem & exitum; Dominum vero feria illa 6. *d* ineunte (id est die Iovis vespere) cænasse, cænatum Eucharistiæ mysterium instituisse, agnum Iudaïcum minime esitasse. Quæ vero suadere videntur Christum ipsum in illa feriæ sextæ ineuntis cœna agnum Iudaïcum comedisse, ille sic accipit ut significent tantum Apostolos à Christo jussos esse, in diem sequentem, hoc est in sabbathum, agnum & cætera ad id legale sacrum necessaria mature parare; quod eos quoque fecisse verum ac compertum est; agnum ipsum ab iis cum Christo manducatum fuisse, nuspiam affirmasse Evangelistas. Iam ex Spalatini sententia apertissime sequitur, quod & ipse diserte affirmat, cœnam illam Christi ultimam, non Paschalem, sed ordinariam & communem fuisse, adeoque cum pane non azymo, sed fermentato celebratum esse. Hæc mihi sententia multo quam Bellarminiana, probabilior ac verisimilior esse videtur; ex qua ut omnes intelligunt, nihil superest, unde Latini de Christi exemplo invidiam Græcis faciant; quorum usum in pane fermentato Eucharistiam celebrantium ipsi Christi institutioni congruere, Latinorum azyma præoptantium morem repugnare clarum est. Itaque, multo ut arbitror, consultius fecissent Græci, si missis suis de duplici à Christo in eadem Cæna adhibito pane figmentis, in hanc sententiam concessissent. Sed quia totus hic locus multis, ut sic dicam, spinis obseptus est, neque absque longa, & à præsenti instituto aliena disputatione purgari potest, eum equidem non ingrediar penitius; satis hæc esse quæ pauca dixi, existimans ad hoc ut omnes perspiciant, quam levia sint quamque invalida quæ hinc Bellarminus petit causæ suæ præsidia. Misso ego excutiendæ Bellarminianæ de hoc argumento disputationis labore, id Bellarmino nunc donemus, quod ille probare ac constituere magnopere concupiscit ac contendit, Christum Dominum feria sexta ineunte Agnum legalem celebrasse, adeoque in Eucharistia instituenda quam post illam Cœnam scilicet confecit, azymo pane usum esse. His donatis ac concessis nego illud Domini Christi azymo in Eucharistia utentis factum, legis vel præcepti vim habere, quod Christianos ulla necessitate adstringat ad idem præcise panis genus in hoc sacramento usurpandum. Nam Vasquez recte dicit, *e* ex facto Christi quod illud habeamus quod acceperit panem, ipsumque benedicens consecraverit, inde id unum colligi panem esse necessariam ma-

c ub. sup. §. 262. & seqq. ad 267.

d Ibid §. 272. 273. 274. 275. 276.

e Vasq in 3. Thom q 74. art. 4. Disp. 174. c. 3. §. 15.

Cap. IV. teriam consecrationis; non colligi, qualis panis, azymusne an fermentatus consecrationis materia sit. Itaque ut ipse recte contra Græcorum vulgus argumentatur, *cum panis ita vere sit & dicatur, qui est azymus, sicut qui est fermentatus, tam azymum quam fermentatum sufficientem materiam consecrationis esse*; ad eumdem quoque modum nobis ratiocinari licet, cum panis ita vere sit & dicatur, qui est fermentatus, sicut qui est azymus, tam fermentatum quam azymum idoneam esse consecrationis materiam. Quinimo, tanto in nostram quam in Vasquis rem validius est hoc argumentum, quod de azymo quidem an sit vere panis dubitandi ratio aliqua est; de fermentato plane nulla esse potest. Suarez eadem sequitur; f *Solum*, inquit, *Christi factum non satis est ad inducendum præceptum. Nam licet consecraverit in vino albo, verbi gratia, aut hora noctis, non ideo præcepit ita nos consecrare.* Eamdem instantiam de vino affert Vasquez, & ante hos jam attulerat Calvinus; ad quam Bellarminus negat eandem esse azymi & fermentati panis rationem, quæ est vini albi & rubri quia, inquit, *constat Dominum usum esse azymo; non constat utro vino usus sit, albo-ne an rubro.* Ergo, inquam, si præcisè id ipsum faciendum ex Bellarmino est, quod Christus fecit; quia nescitur hoccine an illud Christus ad Eucharistiam adhibuerit, neutro utendum erit, ne in canonem Bellarmini impingamus, præscribentis id præcise faciendum, quod fecit Christus. Nam in dubiis nihil tutius est, quam τὸ ἐπέχειν, & actum utrumque inhibere, donec certo discamus quid verum sit. Deinde fac Evangelistam expressisse vinum Dominicum rubrum fuisse; An ideo albi usum interdicendum putabimus in quibus gentibus ac locis, albi unius potus usitatus est? Nugæ Sacramentorum finem, mysterium, effectum, usum, ex instituentis mente spectare docet; symbolorum colores, & si quid in iis per accidens contingat, anxie περιεργάζεσθαι frivolum est & infra Christianæ religionis majestatem. Altera Bellarmini responsio nihilo melior est. Deus, inquit, sæpe usus est differentia azymi & fermentati ad varia mysteria significanda. Quasi vero necesse sit, quod Deus istis interdum ita usus sit pro voluntate & arbitrio, sic quoque in Eucharistia, aut ubiq; alias usum esse. Sed & in Levitico illo libro, cujus testimonium hic advocat, illa quæ dicit azyma, quoties occurrunt, jussa exerteque à Deo præcepta occurrunt, ut non frustra hæc potius quam fermentata, sed certa ad significandum ratione istic adhiberi constet. De azymo in Eucharistia adhibendo nullum Domini, nullum Apostolorum uspiam præceptum invenitur. Ne Evangelistæ quidem ubi rem narrant, azymum eum panem vocant, quo Dominus usus est; ut nisi de eo aliunde, ex tempore & lege constaret, etiam nunc azymus ne vere fuerit ignoraturi fuerimus. Sed neque plane verum est quod ponit Bellarminus, albi & rubri differentiis scripturam nunquam usam esse mystice. Nam sic Patres accipiunt quod de Iuda dictum est, *Dentes eius lacte candidiores* g Et illud de Christo, *quare rubrum est vestimentum tuum?* h quod ad passionem ejus apertissime patet referri ex versu sequente, *Conculcari*

f Suar. in 3. Thom. de sacr.

g Gen. 49. 12.

h Is. 63. 2. 3.

Conculcavi eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea. Quo etiam Patres referunt illud ex Genesi, *lavabit in sanguine uvæ pallium suum.* i Ex quibus siquis argutari ex Bellarmini lege voluerit, facile colliget vino rubro quam albo melius significari Christi sanguinem, adeoque illa potius quam hoc utendum in Eucharistia. Sed ille procul à vero aberrat. In his enim, minutias omnes scrutari, & ad eas adhærescere, puerile est. Itaque illud Bellarmini, *Illud melius esse, eoque faciendum quod Christus fecit*; eo fallit, quod vasto æquivoci sensus ambitu multa involvit; ideoque prius explicandum quam simpliciter admittendum est. *Quod Christus fecit*, proprie rem ipsam, ac ut sic dicam, ipsam Dominicæ actionis substantiam significat; quo sensu in hoc etiam argumento concedi *potest.* Sic enim *quod Christus fecit*, id nihil aliud est, quam *panem accipere, benedicere, & frangere*; vinumque itidem accipere & benedicere; quod *melius esse, & faciendum esse* confitemur. Sin ultra tendas, & una cum re singulares quoque rei circumstantias, & quæcumque in Christi actione præter rem acciderunt, intelligas; ut scilicet *facere quod Christus fecit*, sit non modo rem eamdem facere quam ille fecit, sed etiam eodem loco, eodem tempore, in subjecto non modo ejusdem substantiæ & formæ, sed ejusdem etiam quantitatis & qualitatis; tu vero adorando Domini nomine abuteris, nobisque illudis, & multiplicibus erroribus fenestram aperis. Tuis enim istis artibus Sophista concluserit, quod Christus sit in flumine baptizatus, & quidem in Iordane, baptizandos potius esse credentes in flumine, quam in fonte, aut in lacu, aut in mari, aut in piscina, aut in alveo, & quidem in flumine Iordane potius quam in quovis alio. Hac ille lege vos arguet quadragesimam vestram in urbibus & pagis agentes, ejusque jejunium quotidie solventes & interpositis diebus Dominicis abrumpentes. Quidni? cum suam Christus in deserto egerit, totosque continenter quadraginta dies solidos jejunaverit. Sed & in ipsa Missa, quam multa deteriora sequentes deprehendemini? Christus suam Eucharistiam in cænaculo fecit; vos vestram in Basilicarum solo facitis. Ille suam discumbens; vos vestram stantes; Ille suam ex azymo, sed Iudaïco. vos vestram in singularis formæ azymo, multum à placentis Iudaïcis discripante. Cætera de genere hoc mitto. quæ quivis nugator plurima nullo negotio colliget, Bellarminumque ex suo decreto confiteri urgebit suos qui scilicet quæ Christus fecit ea ipsa non faciunt, peccare atque errare, & ea quæ meliora erant aspernari, quæque facienda erant, nequaquam facere. Quid isti Bellarminus aliud responsurus erat, nisi id ipsum quod nunc dicimus, perperam eum permiscere ac confundere, quæ distinguenda sunt? rem, à suis circumstantiis, rei essentialia, ab accidentalibus? male transiri à quid ad quale; & si quid Dialecticorum scholæ aliud ad hujusmodi sophismatum solutionem dictarunt? Iam ipsi hic pari elencho de azymis suis ludenti eadem quoque reponimus, legitimum ac univocè dictum panem qui ad Eucharistiam assumit, illum id facere quod Christus revera

CAP. IV.

i Gen. 49. 11.

Cap. IV. fecit; azymus sed an fermentatus, nihil ad rem ipsam interesse; imo si quid id ejus intersit, ex ipso Christi sapientissimo facto potius interesse videri, ut fermentatus sit, quam ut azymus. Ac prius quidem nihil ad ipsius actionis rem ac τὸ οὐσιῶδες pertinere hanc panis præcisè rationem, ipsi primo Latini confitentur, qui utroque & azymo & fermentato sacramentum rite confici docent, sed mittamus Latinos. Tota Evangelica narratio id ipsum clamat; in qua non modo Christus nuspiam præcipit azymum confici, sed ne minimo quidem verbo azymum memoratur, vel omnino quicquam dicitur, quo id fermentato prælatum esse intelligere possimus. Sed, inquis, ipsum Christi consilium, azymum non fermentatum ad Eucharistiam assumentis, clamat azymum præferendum. Faterer, si Dominus azymum consulto ad mysterium suum elegisset; pararique ad hoc jussisset. Nunc palam est Dominum azyma in hac cœna non elegisse, sed reperisse; non quæsivisse, sed in ea incidisse. Quæso enim unde scis, in azymis confectum fuisse sacramentum? Nemo enim Evangelistarum azyma ista fuisse nos docuit. Scio, inquis, quia *Dominus sacramentum instituit in primo die azymorum; unde certum est azymo pane usum fuisse in huiusmodi institutione. Nam Exodi 12. & 13. præcipitur sub pœna mortis, ne fermentatus panis inveniatur in domibus aut in ullo alio loco filiorum Israël.* Bene est; sed vide quid ex his colligam. Illa si vera sunt (vera autem esse quantumvis Græci negent, ego nunc quidem largior) quo die quaque hora Christus Eucharistiam instituit, nihil in toto Israële, nihil præsertim Hierosolymis, ubi accuratissime ac religiosissime lex servabatur, nihil inquam, fermentati panis erat in ea urbe, in qua Dominus tum versabatur: nihil in agro suburbano, nihil in tota Iudæa. Ergo qui ad id locorum Eucharistiam ex pane conficere voluit Christus, eam non consulto, sed necessario ex azymo confecit, quem unum reperire erat totis istis diebus apud Iudæos: non fermentato, qui per eosdem dies nullus apud Israëlem inveniebatur, accuratissime ac morosissime ab omnibus gentis familiis exterminatus. Tu ergo, inquam, ridiculus es, qui prælatum fermentato azymum inde cócludis, quod azymo illo tépore ac loco Dominus usus est, quo nullus alius erat panis quo uteretur. Si ex duobus paratis azymũ elegisset, haberet speciẽ tua argumentatio. Nunc, cum necessario usus sit, nullo alio quo uteretur obvio, absurde profecto facis, dum hinc azymi tui præ fermentato dignitatem exstruis: perinde ac si quis glandes hominibus magis placere quam fruges, vel Israelitis manna quam carnes inde argueret, quod illi glandibus in Græcia cum nullæ essent fruges, hi manna in deserto vescerentur, cum nulli alii adessent cibi: vel si vestro palato pisces quam perdices magis sapere eo argumentaretur, quod diebus esurialibus illis victiteris, has repudietis. Cujus non fuit electio libera, sed usus necessarius, id frustra falsoque ei prætuleris quod eo quis usus non est, qui uti non poterat, sive quod eo careret, sive quod uti lex aliqua prohiberet. Cum ergo quo tempore Dominus azymum ad Eucharistiam assumpsit,

k Bell. de Euch. l. 4. c. 7. §. Quia vero.

sumpsit, neque fermentati copia ulla esset, neque si fuisset, eo uti per CAP. IV.
legem liceret, frustra ea falsoque ac sophistice azymum fermentato in Eucharistia præferendum ideo colligis, quod Dominus illo usus, hoc usus non fuerit. Sed aliud etiam subest, quo minus ex usu illo Domini ad rem ipsam argumentari possis; nimirum quod ipse in illa sacramenti institutione nusquam significat, ac ne innuit quidem, suæ esse voluntatis, ut panem potius azymum quam fermentatum in illo sacro adhibeamus. Id enim si malebat, plane dici aperteque significari debuit, ne quod ipse azymo tunc usus est, id ob Iudaïcam legem factum esse putaremus, non ob novum illud quod tunc instituit sacramentum. Certe quo die instituta sunt azymorum solennia, accidit non consulto, sed quadam necessitate ut panes apud Israelitas non alij essent quam azymi, quod urgentibus Ægyptiis, festinantes *conspersam farinam antequam esset fermentata*, subito in palliis ligatam, sicut erat, in humeros tollere, secumque asportare coacti fuissent, ut diserte narrat & observat Moyses. *l* Eone ergo satis habuit Dominus suam de festo illo in azymis ab Israële celebrando voluntatem significare? Minime gentium. Quod casus ille ambiguus esset, & soli rerum ipsarum necessitati imputari, non pro certo consilij divini signo accipi posset, Deus planissime quid fieri vellet, verbis disertis edocuit; *m Quarta decima* (inquit) *die primi mensis ad vesperam comedetis azyma, usque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam; septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris*, & cætera quibus nihil clarius aut disertius dici potuit. Ex quibus nemo non intelligit Christum Dominum, si ei azymum in sua Eucharistia confici placuisset, potius quam fermentatum, id ipsum diserte fuisse significaturum ac præcepturum ac eo quidem impensius, non modo quod in genere hæc certi cujusdam panis præ alio communi ac usitato electio veteri quidem legi congruat, ab Evangelicæ vero religionis ingenio abhorreat, quæ ciborum discrimina sustulit; sed etiam quod azyma ad festi quidem Mosaïci institutum manifeste referebantur, ipsam illam Israelitarum ex Ægypto exeuntium festinationem præclare significantia; eadem vero in Eucharistico mysterio plane nullam rationem habeant, in quo mors Christi annunciatur, corpus ejus tormentis in cruce laceratum, & sanguis ad expianda mundi peccata fusus tanquam animarum ad vitam æternam perfectus cibus repræsentantur ac communicantur. Quid ad hæc azymus panis vel significanda vel exhibenda præ fermentato præcipui habet? Certe nihil. Vnde quivis videt, si azymis nos in eo sacro uti maluisset Dominus, de eo multo nos magis admoneri ac doceri decuisse, quam ipsum de suis azymis Israelem. Atqui plane contra factum est. Dominus Israeli azymorum in suo festo usum disertissime, & quidem lege, etiam pœnis in ejus violatores ultimis sancita præcepit. Nobis Christus illa Latinorum azyma ne una quidem vocula commendavit. Nihil ergo est quod dubitemus, nihil ea ad mysterium Eucharistiæ pertinere, neque

l Ex. 12. 33. 34. 39.

m Ex. 12. 18. 19. & 13. 6. 7. & 12. 16. & 34. 18. Lev. 23. 6. Num. 26. 17. Deut. 16. 3. 6.

Cap. IV. que in eo aliter à Domino fuisse adhibita, quam quod nullus esset alius apud Israelem panis quam azymus, quo tempore sacramentum instituit ac confecit. Vnde jam illud quod secundo loco adjecimus, patet hoc ipso Christi facto doceri nos fermentato potius quam azymo pane in hoc celebrando mysterio utendum esse. Christus enim ad hoc sacramentum, panem ideo azymum adhibuit, quod illo tempore ac loco ex Mosis lege nullus esset alius communis ac usitatus apud Israëlem panis. Nobis ergo si divinam cœlestis Magistri sapientiam imitari velimus, pane ad hoc sacrum iis gentibus, temporibus ac locis in quibus degimus, usitato, communi, familiari ac legitimo, in cordis simplicitate utendum est, non aliud peregrinum ac exoticum genus vel aliunde quærendum, vel ex ingenio nostro excogitandum ac parandum; Azymo vero, vel ideo nominatim abstinendum, quod Mosaïco jugo per Dominum Christum liberatos non decet ad egena illa mundi elementa revolvi; ne in tantum Liberatorem ingrati eo ipso esse videamur, quod spreto tanquam vili, ejus munere, tristes Iudaïcæ infantiæ cibos malimus. Cum ergo nunc in Europa nostra apud omnes gentes usitatum sit, pane fermentato, nulli quod sciam, solenne ac legitimum sit azymo vesci; præpostere mihi sapere videntur, qui in sacris azymum præferunt; seque *melius*, quam quos *fermentarios* vocant, instituere ideo putant, quod id *faciant* quod *fecit Christus*. Illi vero multum falluntur, dum sic judicant. Christus enim azymo usus est, quo loco & tempore pane alio uti non licebat. Ipsi plane contra, fermentatum panem, quo abundant & quo vesci per omnes cœli ac terræ leges licet, fastidiunt; azymum ipsi, nulli usitatum genus sibi asciscunt, nullo Christi præcepto, nulla Apostolorum voce vel jussi vel invitati. Latinos ergo, quicquid sibi de azymis suis blandiamur clarum est ex his, plane aliud facere quam quod fecit Christus, qui panem apud civitatem in qua versabatur, usitatum confecit, hi omnibus provinciis ac gentibus in quibus missificant, inusitatum consecrant. Hoccine est quod Christus fecit, facere?

CAPUT V.

Apostolicam Ecclesiam ex pane fermentato Eucharistiam fecisse. Panis vocabulum simpliciter positum, pro pane usitato accipiendum esse.

Sed nunc tabulas ipsas sacras inspiciamus. Iam paulo ante observavi quantum sit inter verba Mosis, Israeli Dei nomine azymorum usum quotannis in festo Paschæ imperantis, & Evangelistarum orationem institutam à Christo Eucharistiam narrantium; illic *azyma* ubique nominari, inculcari; nusquam panem simpliciter dici. Hic panem *contra* audiri passim, imo ubique, azyma ne semel quidem sonare; satis manifeste

manifesto tam diverse scribentium consilio. Moses scilicet panem quem dicit, omnino voluit, non quemvis, sed præcise azymum intelligi, Evangelistæ contra quem panem loquuntur, licet revera azymus propter Judaïcum Pascha esset, non tamen qua azymum, sed qua panem usitatum in Christi sacramento acceptum esse significarunt. Neque vero minor est, post res semel constitutas, in cæteris divinorum scriptorum de utroque mysterio sermonibus diversitas. Primum enim, ipsam illam septem dierum solennitatem, quibus fermentato vesci nefas erat, *azymorum* perpetuo constanterque, nunquam simpliciter, *panum* solennitatem vel festum vocant. Ita cum Scriptura exstructum à Solomone in Templo altare narrat, *n ut per singulos dies offerretur in eo ter per annum, id est in solennitate azymorum* &c. Et alibi, *o Congregati sunt in Jerusalem populi multi, ut facerent solennitatem azymorum*; Et paulo post, *fecerunt filii Israel solennitatem azymorum.* Cætera quæ describere longum est, indicasse satis est. * Sunt loca in quibus eadem solennitas dicitur *dies azymorum*, vel simpliciter *azyma*; ut in Actis, *Erant autem dies Azymorum*; &, *Navigavimus post dies azymorum*: & apud Marcum, *Erat Pascha & Azyma post biduum.* Neque aliter loquuntur ubi de ipsis panibus, septem illorum dierum solennibus sermo est. *p* Ezechiel, *septem* inquit, *diebus azyma comedetis.* Sic in libro quarto Regum, *q* de sacerdotibus excelsorum, *Non ascendebant ad altare Domini in Jerusalem, sed tantum comedebant azyma in medio fratrum suorum.* Tertio denique de panibus extra hoc festum absque fermento paratis, quoties sacri illi scriptores loquuntur toties *azymos* dicunt, nunquam simpliciter *panes* nominant: ut Moses de Lotho, *Fecit convivium, & coxit azyma.* Alius Propheta de muliere Pythonissa, *r Tollens farinam, miscuit eam & coxit azyma.* Vanus sim, si alia de genere hoc adjecero; Nunquam enim aliter loquuntur; & merito quidem. Cum enim apud omne hominum sive scribentium sive loquentium genus, *panis* absolute, absque ulla certæ alicujus speciei designatione & ad eam restrictione dictus panem significet in ea gente de qua verba fiunt, usitatum, vulgarem, ac maxime communem quis Prophetas si in locis, quæ attigimus, *panem* simpliciter dixissent, de azymo locutos fuisse intelligeret? Itaque non tantum prudenter, sed etiam necessario *azymi* vocabulum ubique posuerunt, ne res si *panis* simpliciter diceretur, lectori esset offendiculo, & ab eo de usitato apud Israelem *pane*, id est fermentato acciperetur. Non est ergo dubitandum, quin divini Novi-Testamenti scriptores eodem quoque modo pro summa sua sapientia de Eucharistico pane locuturi fuerint, cumque vel semper, vel certe sæpissime *azymi* vocabulo vel solo, vel panis nomini adjecto significaturi, si ut panem quo Israel septem in Paschate diebus vescebatur, Deus, ita & hunc Christus quem nos in Eucharistia sumimus, azymum quoque esse voluisset. De Evangelistis, quibus Pauli de instituta à Domino Eucharistia narratio adjungenda est, satis supra diximus. Nunc ea videamus, quæ iidem de eodem sacramento habent, quod

CAP. V.

n 2. Paral. 8. & 30. 13. 21.
o * Vide Par. 35. 17. 1. Esd. 6. 22. & 3. Esd. 7. 14.
Luc. 22. Act. 12. 3 & 20. 6.
Marc. 14. 1.
p Eze. 45. 21.
q 4. Reg. (Heb. 2.) 23. 9.
r Gen 19. 3.
s 1. Reg 28. 24.

Cap. V. quod qualeque post subvectum in cœlos Dominum, apud Apostolicam Ecclesiam celebrabatur. Certe tempus erat clare liquidoque docere, quam fuisse scirent summi magistri atque autoris sui hac de re voluntatem, ne Dominica Cœna incurrés in Iudaïcorum azymorum dies nebulam fidelibus obtenderet, eosque suspicari cogeret, quod in ea adhibitus esset panis minime fermentatus, id præter Domini consilium accidisse, neque ab ipsa Christiani mysterij ratione, sed à sola temporis & loci necessitate profectum esse. Quid ergo postea divini illi homines de hoc sacramento dixerunt? Docuerunt ne diserte, quod azymo Christus in Eucharistia esset usus, id non ex solo legis Iudaïcæ fermentata omnia illis, quibus res peracta est, diebus ex tota Israëlis terra exterminantis mandato factum esse, sed etiam ad ipsius Eucharistiæ perfectionem pertinuisse? Hoc profecto ita à Christi Apostolis quod facile erat, doceri nos decebat. Nihil tamen hujusmodi fecisse eos patet. An saltem uno aliquo verbo innuenerunt Christo placere ut azymum sit id ex quo sacramentum conficitur? Planum est ne hoc quidem eos fecisse. Id ex quo fit Eucharistia non vocarunt aliquando *azymum*? Nunquam omnino, ne semel quidem. Quo ergo tandem nomine illud quicquid est vocarunt quod hujus apud eos sacramenti elementum erat? Panem ubique illud constanter vocant. Sed nihil ne panis nomini adjiciunt quo significetur non fuisse communem illum, & apud homines gentium inter quas versabantur, usitatum panem? Nihil hujusmodi in omnibus eorum litteris occurrit. Ea quidem de hoc pane dicunt, quibus significant eum qua ab ipsis benedictione conficiebatur, ea percepta non communem amplius, sed sacrum & religiosum factum fuisse, ac ut uno verbo dicam divinissimi corporis Christi sacramentum; Sed aliquid ante perceptam benedictionem singulare, & à pane apud gentes illas vulgo usitato diversum habuisse, nuspiam docent, nuspiam vel dicunt vel innuunt. Audi ipsos loquentes. Lucas de Hierosolymitanis fidelibus à Petro nuper conversis; *t Erant* (inquit) *perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* *Panem* omnes Eucharistiam dici consentiunt. Quem *panem*? Transierat dudum Pascha, ex cujus tu lege azymum fuisse possis argumentari. Proximis post Pentecosten diebus res agebatur, quibus tam apud Iudæam, quam apud Græciam fermentatus in usu erat. Ergo quem panem usitatum intelligit Lucas, eum fermentatum fuisse significat; Azymum si intellexisset, dixisset. Idem de se & fidelibus Troade in civitate gentilium consistentibus; *u Vna*, inquit, *sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem*; Et paulo post iterum, de re eadem loquens à Paulo *fractum panem* dicit. Nisi usitatum dicit, gryphos & ænigmata loquitur, quæ nemo legentium intelligat. Vsitatus autem panis apud eos non magis quam apud nos, alius erat quam fermentatus. Ergo fermentatum fuisse vult, quem dicit. Quem autem dicit, is Eucharistia erat. Ipse Paulus apud Corinthios, Græcanicæ urbis cives, verba de Eucharistia faciens,

t Act. 2. 42.

u Act. 20. 7. 11.

Panis,

x *Panis*, inquit, *quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Tum, *omnes de uno pane participamus*; & in capite sequenti; y *Quotiescunque*, inquit, *manducabitis panem hunc*; & *Quicunque manducaverit panem hunc*: Et, *probet seipsum homo, & sic de pane illo edat*. Omnia obscure & absurde dicta si de alio, quam de usitato apud illius ævi Græcos pane loquitur. Atqui apud eos usitatum fermentatum fuisse constat. Si fermenti expertem Paulus in animo habebat; dicendum erat, *Azymum quod frangimus*, non quod dixit, *panis quem frangimus*, & ita in cæteris. Cum ergo sic constanter locuti sint & Lucas, & Paulus; neque ipsi vel cæteri scriptores, sive divini, sive Ecclesiastici, qui proximis post Apostolos seculis vixerunt, azymi vocabulum ad significandam Eucharistiam usurpaverint, *panem* simpliciter ac passim, *azymum* nusquam id ex quo fit Eucharistia, vocantes; profecto nisi tu sapientissimos viros absurdissime ac præter cæterorum omnium hominum, non modo de seculo, sed etiam de Israele morem locutos fuisse finxeris, plane illud quod nos defendimus, confitendum est, apud omnem illius tum Apostolici tum proxime secuti temporis Ecclesiam ex fermentato confectam fuisse Eucharistiam idque præter verba quibus eam significarunt, multa alia de Apostolica Ecclesia non obscure probant. Ex iis enim, quæ Paulus de hoc argumento in priore ad Corinthios epistola scribit, satis constat Eucharistiam tum temporis, sub noctem una cænatos celebrasse fideles, ad easdem mensas in quibus erant epulati, & quidem continenter, ita ut communes epulas statim exciperet, ac clauderet sacrum illud Domini ferculum. Neque vero ex alio pane factam Eucharistiam putes, quam ex eo qui à singulis fidelibus illuc convenientibus ad cænam in commune collatus erat. Rem enim ita gestam, & tota Pauli oratio clamat, & ab illis proculdubio principiis ducta sequentium seculorum supra à nobis commemorata excerpendæ ex promiscuis populi oblationibus Eucharistiæ consuetudo significat; & interpretes qua veteres qua recentes fere consentiunt. Vetustissimus, qui sub falso Ambrosii nomine circumfertur, commentarius docet, z qui sic in illam fidelium *Ecclesiam conveniebant; munera sua obtulisse advenientibus Presbyteris; una atque eadem prece omnium oblationes benedictas fuisse; Munus oblatum totius populi fuisse*. Et adversum 33. a *Ad invicem*, inquit, *exspectandum dicit* (Paulus scilicet) *ut multorum oblatio simul celebretur ut & omnibus ministretur*. Theophylactus: b *Ostendit*, inquit, *communia esse, quæ illuc afferuntur*: quæ scilicet in conventum à singulis fidelibus afferebantur. δεικνὺς ὅτι κοινὰ εἰσὶ τὰ ἐκεῖσε εἰσφερόμενα. Iam qui ad illam Ecclesiæ Cœnā à piis domi parati offerebantur panes, eos usitatos fuisse ac communes, adeoque fermentatos, nemo ut opinor, sanus dubitaverit. Quis enim Christianos illius ævi *azymis* præter gentis ac civitatis suæ morem vesci in conviviis Ecclesiæ communibus solitos somniaverit? Cum ergo ex eodem illo pane, qui cœnantibus erat appositus, Eucharistia fieret, eadem ratione efficitur, ut ipsa quoque Eucharistia non ex azymo, sed ex fermentato

Cap. V.
x 1. Cor. 1. 10.16.17
y ibid. 11. 26. 27.28.
z Ambr. in 1. Cor 11. 20. p. 1915. A.
a ibid. in 4. 33 p. 1916. B.
b Theoph. in 1. Cor. 11. 33.

mentato pane facta fuerit. Vnde omnes intelligunt nihil esse causæ vel cur sequentium seculorum Ecclesiam culpemus, & à Christi instituto, Apostolorumve praxi descivisse ideo suspicemur, quod fermentato pane in suis sacris uteretur, vel cur Latini sua azyma veluti autoris facto & voluntati magis consentanea præferant, & innovationem hac in parte suam purgent. Nunc enim abunde, ut videtur, demonstratum est veteres Christianos ab ipsa Ecclesiæ origine ad nonum usque, imo etiam fortasse ad decimum seculum fermentato pane ad Eucharistiam usos esse; azymi in ea apud Latinos usum seculo demum nono, vel etiam decimo primum inductum fuisse, annis non multis ante Leonis IX. episcopatum; cujus temporibus nobilis illa exorta est de azymo inter Græcos & Latinos contentio, de qua initio diximus. Vnde porro videre est hunc quoque Latinorum morem, non antiquum, quod ipsi falso jactant, sed novum ac recentem esse, qui novem totis vel minimum octa, à Christo in terris nato seculis Ecclesiæ ignotus, nono vel decimo demum seculo, sed apud solos Latinos receptus à Græcis cæterisque extra Romanam communionem Christianis constanter ad hunc diem vel neglectus, vel etiam contemptus fuit.

CAPVT VI.

Altera Latinorum in pane Eucharistico novitas, azymis, sed singulari tenuitate utentium, talibus quibus panis nomenclatura vix convenit. Azyma Iudæorum Paschalia. Azymorum Latinorum causa, origo, ratio, tempus: ea jam ab initio sanioribus displicuisse, ex Ordinis Romani expositore quodam demonstratur.

ILlud tamen libens concedo leviorem futuram fuisse Latinorum culpam, tolerabilioremque inductam ab iis novitatem si intra hæc stetisset, neque aliud quam fermentum in Eucharistiæ pane mutasset. Nam panem qui hoc uno quod azymus est, ab usitato & solenni differt, cætera ejus similis & geminus, nihil vetat panis nomine censeri, etsi ad victum minus probatus à Medicio. Neque vero capio cur non hujusmodi panes azymos veteris Ecclesiæ fermentatis suffecerint, si verum est quod huic novitati prætexunt, eos Christi factum sequi. Nam non dicent opinor, Christum ad Eucharistiam conficiendam hostiolis suarum paribus usum esse: Ne hoc quidem negaturos puto, quo tempore Dominus in terris versatus est, nondum hominum generi cognitam fuisse suam illam hostiarum fingendarum & parandarum artem. Vtcumque sit, nemo dubitat Christum si qua in Cœna sua azyma habuit, non alia quam Iudaïca habuisse, Iudæos totos illos septē dies, quos *azymorum* dies vocabant, nullum alium panem esitasse, quam Latinorum hostias, inauditum, neque vel in Mosis libris, vel in Magistrorum Ebræorum commentariis

quicquā occurrit, quo res tā incredibilis, non dico persuaderi ut vera, sed vel fucari, ut probabilis, possit. Ac tametsi nunc Iudęi morosissima superstitione omnia majorum suorum instituta mirum in modum corruperint, veterumque Rabbinorum traditiones jam per se plus satis inanes & absurdas duplicaverint; si tamen placet ex hodiernis eorum ritibus mores ejus ævi quo Christus in terris vixit, metiri, ne sic quidem in azymis Iudaïcis satis appositum reperient Latini suarum hostiarum exemplum. Leo Mutinensis Synagogæ Venetæ Rabbinus, vir suorum hac tempestate doctissimus, rem totam ita breviter describit. c *Mature, inquit, provident ut Azyma quæ ipsi* Mazzot *vocant, ea conficiantur quæ ad octo dierum Paschalium victum satis sint; & ab ipsis rei primordiis sedulo curant, ne farina vel in ipsa molatrina aut humescat, aut incalescat; nequid inde scilicet, fermenti concipiat. Vbi ad rem ventum est, farinam aqua conspersam in massam subigunt, & ex ea placentas* * *variarum formarum conficiunt, pertusas; confectas statim in clibanum coquendas mittunt; Coctas mundissime quoad fieri potest servant, iisque pro pane diebus Paschalibus vescuntur. Sed & iis, qui vel corporis temperamento sunt infirmiores, vel ægrotant, placentas admixtis ovis & saccharo parant, ita tamen ut hæ quoque ipsæ fermenti plane sint expertes: atque id genus* mazza aschira, *id est placenta dives dicitur.* Hæc Leo. Neque aliud tradunt Christiani scriptores, qui rerum Ebraïcarum peritissimi, & in Iudæorum libris versatissimi existimantur. Vnum Buxtorfium laudare satis est, eadem quidem quæ Leo dixit, breviter his verbis tradentem. d *Placentæ illæ,* inquit, *infermentatæ vulgo rotundæ sunt, tenues, non crassæ, instar tortæ panis, & foraminibus plenæ, ferro pectini simili perforatæ, ut aeri perviæ remaneant, nec intumescant, vel fermententur, ocyssimeque in clibanum conjiciuntur, ne diu nimis desideant.* Neque *mazzam haschiram* tacet. Cæterum superstitionis in his conficiendis Iudaïcæ ineptias fusius quam Leo exsequitur, e quas apud ipsum videat qui volet. Probabile est, multo simplicius olim hæc tractasse eorum in patria majores, neque aliud primis temporibus, panis azymi ab usitato fuisse discrimen, nisi quod ille fermento careret, quo hic erat temperatus; fortasse etiam quod ille expeditius, hic diligentius & lentius coqueretur. Azymorum quibus Latini in sacris utuntur, & structura & forma plane alia est. Farina ex qua ea fiunt, aqua aut lacte diluta in lebete vel olla leniter moratur. Ita spissatus liquor in ferramentum ad hoc paratum ex duabus tabulis ferreis inter se connexis constans, ab interiori parte aliqua pinguedine inunctum & ad legitimum modum calefactum mittitur, & urgente utrimque ferro comprimitur ac tenuatur, & diffunditur sic, vt brevi in foliolum candidum ac instar nummi circulare effingatur. Ea autem subtilitate ac tenuitate est, ut prope accedat ad eam quam Geometræ fingunt *superficiem*, ex solis lineis sic contextam, ut lata quidem sit & longa, sed omnis crassitudinis sive profunditatis expers. Inde tanta ei levitas, vt minime pondere nixam, venti etiam mediocris flatus facile tradat, impellat, & suo loco

CAP. VI.

c Leon di Modena Hist. de gli riti Ebraïci, part. 3. c. 3. pag. 63.

* *focaccie schicciate.*

d Buxt. syn. Iud. c. 17. p. 400.

e ibid. p. 397. & seqq.

Cap. VI. motam, vel sursum in auras attollat, vel deorsum in terram dejiciat. Atque ex hac tanta materiæ tenuitate factum est, ut *nebulæ* jam olim à Romanis, non inepte vocatæ sint, quod nos docet antiquiorum Consuetudinum Cluniacensium liber; *f Ea*, inquit, *quæ in ferramento characterato de conspersione farinæ tenuissimæ fiunt, ab hominibus Romanæ linguæ nebulæ, à nostratibus appellantur* oblatæ. Atque hoc iis *nebularum* nomen apud Pharmacopæorum officinas ad hodiernum diem hæsisse audio. Hæc qui cum Iudaïcis sive veteris, sive recentioris memoriæ azymis comparaverit, comperiet latum esse inter utrumque genus discrimen. Nam farina ex qua Iudaïcum azymum fiebat, aqua conspergebatur; ex qua fit Romanum, diluitur. Illa pinsebatur, & in massam cogebatur, mollem quidem, sed tamen solidam; hæc in liquorem fluidum & nonnihil spissum coagulatur. Illa in clibano aut in foco coquebatur; hæc in duplici ferro calefacto compressa coquitur, ac semel simulque mirabili quodam compendio, in hostiam effingitur. Azymum Hebræorum crusto & medulla legitimis panis partibus constabat; Latinorum azymum utroque, si proprie loquendum est, caret; vel totum vnius fili est; totum crustum, vel medulla est, vel si quo alio nomine vocare placet; adeo tenue & per omnia uniforme, ut corpus ideale & mathematicum verius quam solidum & Physicum referat. Itaque cui vento præ sua levitate cedit azymum Latinum, resistit Ebraïcum, æque imo magis quam panis fermentatus, quo gravius esse deprehenditur. Iam si naturam utriusque spectes, Iudæorum azymum se placentam esse, panis genus, & oculis, & tactui, & gustui, & odoratui statim probat; Latinorum vero, vix ulli sensuum de suo genere satisfacit. Illud etsi paulo deterioris quam panis fermentatus, succi, aptum tamen erat hominibus nutriendis; hoc in eum usum adeo ineptum est, ut nullos mortales fando unquam auditum sit, id sibi ad vitam tuendam in cibum elegisse. Viderint ergo Latini quo iure glorientur se idipsum in Missa facere, quod Christus in suæ Cœnæ Eucharistia. Nam si ad hoc ut vere dicamus id facere quod fecit Christus, necesse est (quod ponit Bellarmini ratiocinatio) qualem Dominus in hoc sacramento panem adhibuit, tali nos quoque in eo conficiendo uti; clarum est Latinos nequaquam id facere quod fecit Christus, qui Ebraïco azymo in Cœna usus est, quod plurimum ut liquet, ab eo discrepat, quo nunc Latini Missificant. Quin & adeo singularis est, & à veri panis ingenio aliena hostia illa Romana, ut à nonnullis *g* non immerito de illa dubitatum sit, an panis ei nomen proprie ac univoce tribui possit; idque negat doctissimus iuxta ac mitissimus Gerardus Ioannes Vossius noster *i* μακαρίτης. Is enim recitato Francisci Vallesij, Philosophi & Medici præstantissimi quodam de proprie dicti panis natura & proprietatibus satis prolixo loco, *h* ipse hostias, sive oblatas, ad leges Vallesianus exigens, *i secundum hanc*, inquit, *descriptionem, hostiolæ nullo pacto pro vero pane possunt haberi, cum non teneant primas inter cibos hominibus datos; nec iis ad necessitatem & suffi-*

f Consf. ant. Mon. Clun. c. 49. in Spicil. Dacherij tom. 4. p. 108.

g Sylloge, an Hostia sit panis? per Theophilum de Pega. Hanor. 1618.

h Fr. Valles. de Sac. Philos. c 27.

i Ger. Ioan. Vossius disp. 19. de Sac. Cœn. symb. thes. 1. p. 260.

& sufficientiam maxime utantur, sed carere iis possint absque damno, nec sint facillime parabiles, vel maxime communes, nec optime nutriant, nec substantiam habeant bene crassam, & boni succi, nec carni nostræ bene agglutinentur, nec sint pro omnibus cibis, nec symbolum sint omnis escæ, ac totius nutritionis, eoque nec à Deo poscantur tanquam alimentum necessarium & quotidianum. Hæc ille, quæ Valesius pani tribuebat, quæ cum ab hostiolis absint, eas noster merito negat panis nomine censendas. Non afferam hoc loco *τοῦ ἄρτου* & *panis* etyma; qui sciam nominum etymon, à rerum quibus ea imponuntur natura longius nonnunquam abire. Illa certe quibus hostiam ab Ebræorum azymo distinximus, plæraque satis vincunt, hostiam non esse vere ac proprie dictum panem. Quis enim veri nominis panem esse id dixerit, quod & plane aliter fit quam panis, & panis odore forma, vi & efficacia pœne omni caret? Panis non alius est, proprius quidem ac præcipuus, quam ad hominem nutriendum usus. Oblatas vero ad alios ab hoc diversissimos usus aptissimas esse notum est; ut ad litteras obsignandas, ad chartas compingendas, etiam ad nonnulla alia in Medicina; quo fit ut iis in communi vita homines ad hæc quidem passim utantur; ad victum vero quotidianum nemo quod reor, sapiens; ut cum quæritur in quo rerum genere censendæ sint, omnino videantur ad *gluinis* potius, quam panis classem & nomenclaturam pertinere. Nemo sane est, qui se ludi non putet, cui tu panem, urgente fame poscenti, hostiam unam & alteram apponas; neque pistor ullus est, qui tibi panem vænalem petenti oblatas sit porrecturus. Denique ipsi hostiarum defensores, panem esse id quod in sacris malunt, eo ipso negant, quod nos qui fermentatum ex veteris Ecclesiæ ritu panem præferimus, vulgari in Germania convitio, *panivoros*, *Brotfresser ἀρτοφάγους* appellitant. Neque quicquam contra hæc valet, quod Bellarminus Græcis objicit [k] panem in Scripturis vocari etiam azymum. Fateor, sed eum qui ab Hebręis fiebat; cujus quanta ab eo azymo, quo Latini in sacris utuntur, sit differentia diximus. Hoc vero Latinorum azymum, in sacris litteris panem dici, usque adeo falsum est, ut ne notum quidem illis temporibus generi humano fuisse videatur. Ejus certe nulla uspiam mentio in omnibus sive sacrorum, sive Paganorum litteris occurrit, quo fit ut Latinos id genus azymi primos mortalium his proximis quingentis, an sexcentis ante nos annis invenisse veri similius putem. Itaque cum Christum Evangelistæ *panem* accepisse, benedixisse, fregisse, disertissime testentur, cæterique scriptores divini & Ecclesiastici consentiant ac probent; omnes jam intelligunt neminem à Christi facto discessisse longius quam Latinos, qui non modo qualem panem assumpsit Christus, talem ipsi minime assumunt; sed ne id quidem ad hoc sacrum assumunt quod *panis* vere proprieque dici possit.

[k] Bell. de Euc. l. 4. c. 9. §. Resp. hoc argum.

Sed præter Christi exemplum, à quo apertissime discedunt, Ecclesiæ quoque totius veteris usum ac morem perpetuum deserunt. Ex iis enim quæ nuper demonstravimus, ex pane à singulis fidelibus oblato confe-

ctam

Cap. VI. ctam olim fuisse Eucharistiam, eumque panem usitatum fuisse, omnes ni fallor, satis intelligunt nullum in hoc sacro fuisse apud nostros hostiarum Latinarum usum, quarum formam, speciem, & naturam ab omni omnium quotquot unquam fuerunt, gentium communi & usitato pane plurimum abhorrere certum est & indubitatum. Idque si obscurum esset, vel una illius matronæ historia satis nos doceret, quam supra ex Ioanne Diacono retulimus, eam panem quem illi Gregorius in sacra communione porrigebat, recognovisse eundem panem fuisse, quem ipsa propriis manibus confectum in Ecclesia obtulerat. At si hostia Latina erat is panis, quem fideles eo seculo offerebant, matrona suum ab iis quos cæteri fideles obtulerant secernere non potuisset; quod hostiarum tanta sit inter se paritas ac similitudo, ut harum alteram ab altera non sit profecto facilius, quam ovum ab ovo distinguere ac discernere. Mutationem factam plærique agnoscunt, ac de ea pro captu philosophantur. Honorius Augustodunensis; *Fertur*, inquit, *quod olim sacerdotes de singulis domibus vel familiis farinam accipiebant (quod adhuc Græci servant) & inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, & hunc consecratum eis distribuebant.* Ille vero fallitur; Non farinam, sed ipsum panem domi factum ac paratum in Ecclesia ad ipsam Domini mensam offerebant. Ex panibus oblatis fiebat sacramentum. Addit, *postquam Ecclesia numero augebatur, sed sanctitate minuebatur propter carnales, statutum esse, ut qui possent singulis Dominicis, vel tertia Dominica, vel ter in anno communicarent.* Mox, *quia*, inquit, *populo non communicante, non erat necesse panem tam magnum fieri, statutum est eum in modum denarij formari vel fieri, & ut populus pro oblatione farinæ, denarios offerrent, pro quibus traditum Dominum recognoscerent.* Agnoscit panem qui conficiebatur, etiam apud Latinos, magnum olim fuisse, tandem ad hanc denarij, quam videmus, formam redactum esse, cujus inventi rationem offert absurdam ac ridiculam, à denariis quos Iudas ut Christum traderet, a Iudæis accepit. Horum quoq; similia habet Durandus in Rationali. *m Offerebant*, inquit (in primitiva Ecclesia scilicet) *magnũ panem & omnibus sufficientem, quod adhuc Græci servare dicuntur*; & cætera, pœne ut Honorius. De forma hostiæ, jam itidem dixerat in superioribus; *Panis autem hic*, inquit, *n formatur in modum denarii; tum quod panis vita pro denariis traditus est, tum quia idem denarius in vinea laborantibus in præmium dandus est.* Sed nemo, ut mihi quidem videtur, vel sagacius investigavit, vel clarius & distinctius explicavit quibus gradibus hæc tanta panis Eucharistici mutatio acciderit, quam idem ille Sirmondus, quem supra non semel laudavimus. Ille igitur primo hoc constituit, *o* primis Ecclesiæ seculis *aliam formam non fuisse oblationis, quam quæ erat panum oblatorum; qui scilicet integri & solidi, ut oblati fuerant, consecrabantur, consecratique in partes ad distribuendum comminuebantur*; quo refert hæc quæ ex Augustino describit, *p Norunt fideles quemadmodum manducent carnem Christi. Vnusquisque accipit suam partem; unde & ipsa gratia partes dicuntur:* obser-

l Honor. Gemm. Anim. l. 1. c. 66

m Ration. tract 4 Rub. 53. fol. 124.

n Ibid. Rubr. 41. fol. 99. col. 4.

o Sirm. de Az. c. 4. p. 115.

p Aug. ser. de verbis Evang. apud Bed. in ibid. 10.16.

observatque q postea hoc eodem capite, sed extremo, ex antiqua illa consuetudine Latinorum oblatas, *particularum* nomen esse sortitas, tametsi integræ consecrentur & integræ singulis erogentur. Græcos q qui ipsi quoque Eucharistiæ *partes μερίδας* dicunt, minus mirum est vetus rei nomen retinere, quod neque priscum morem mutarint. Ex hoc usu colligit Sirmondus, quod verum est & perspicuum, *oblati panis ante confractionem, simplicem tum fuisse & unicam formam* (eam scilicet quæ usitati panis vulgo erat) *post confractionem tot fuisse numero formas quot partes*. Nimirum pro ipsius confractionis modo variæ fiebant partium de solido pane decerptarum formæ; quemadmodum accidit cum paterfamilias panem unum majorem in multa frusta dividit, suis familiaribus impertienda. Neque ulla mutati hujus moris vestigia Sirmondus ante sextum seculum reperit; r *quo primum placuisse indicat ad corporis Dominici Sacramentum, panes non vulgares & oblatitios, sed peculiares, studioque ad id paratos adhiberi.* Hujus enim secundi usus profert ex sexto, eoque jam adulto seculo argumentum, ex Reginæ Radegundis à Fortunato memorata historia, quæ ut supra diximus, *oblatas manibus suis factas sacris locis dispensabat*; *unde iam tum inolevisse* colligit, ut *eæ studio pararentur*; quamquam fieri potuerit, ut illustrissimæ & sanctissimæ fœminæ exemplo mos cœperit, indeque passim propagatus apud cæteros fuerit. Vtcumque sit, non aliud addit Sirmondus ejus rei argumentum, quam quod affert ex decimo sexto Concilio Toletano, era 731. annis post Radegundis obitum paulo pluribus quam 100. habito; in quo diserte, ut supra audivimus, decretum legimus, s *ut non aliter* * *panis in altari benedictione sacerdotali sanctificandus proponatur, nisi qui studio fuerit preparatus.* Huic decreto aliud sed ex octavo seculo præcipiti, adjungere licet simile, Theodulfi à nobis jam recitatum ad suos Presbyteros præceptum, t *ut panes quos Deo in sacrificium offerunt; nitide ac studiose fiant à se ipsis, vel à suis coram se pueris* Atque ita servatum apud Latinos etiam ad seculi undecimi annum 53. cum jam apud eos azymorum usus invaluisset apertissime testatur Humbertus, u quo loco confessus *quæ ad communes usus hominum fiebant azyma, ea sic parari, ut lapidibus aut argillæ superponerentur, verum hæc*, inquit, *ad magnam Christi mensam non accedunt*; *sed illud solum* (azymum scilicet) *quod Diaconi cum Subdiaconis, seu ipsi Sacerdotes sacris amicti vestibus, cum melodia Psalmorum, conspersum & in ferro paratum, ex secretario proferunt.* Vnde observare est, panis tametsi jam azymi formam eandem tum adhuc mansisse quæ fuerat Nam farinam ex qua fiebat, non dilutam, ut nunc fit, sed *conspersam* fuisse dicit Humbertus; ex quo intelligimus farinam in massam fuisse subactam, adeoque alicujus molis fuisse, quod ex ea conficiebatur azymum. Neque ullum aliud ille memorat inter sacra & vulgaria azyma discrimen, nisi quod hæc super lapide vel argilla coquerentur, illud in ferro; quia scilicet ferrum nitidius est, quam vel argilla

CAPUT VI.

q Ibid. p. 1146.

r Ibid.

s Conc. Tol. 16. c. 6.

* videtur leg. alter.

t Theod. in capit. c. 5.

u Humbert. resp. ad Gr. in App. T. 11. Baron. p. 967.

CAP. VI. vel lapis; quodque illa fierent a Laicis, hoc nonnisi a sacris hominibus; & quidem in sacra veste, cum Psalmorum melodia conficeretur. Id ipsum quoque aliter nos docet Humbertus, dum testatur x Ecclesiam Romanam ad sua usque tempora *observare, ut panem integrum benedicat, & fractum singulis particulatim distribuat*, Christi exemplo, de quo Evangelistæ hæc tradunt. Quæ enim *oblata* apud Latinos licet azyma, frangebatur & particulatim pluribus dividebatur, eam necesse est multo majoris fuisse molis, quam quas videmus apud eosdem hodie, singulas singulis, totas atque integras distribui. Græcorum, Syrorum & Alexandrinorum panes ad Eucharistiam paratos, majusculos quoque fuisse vel ipsæ eorum icones demonstrant, quarum Sirmondus in eodem opusculo, ectypa scite expressa exhibuit. y Ad eundem usum paratam Æthiopum placentam non spernendæ & ipsam fuisse magnitudinis necesse est, ex qua una omnes in eadem synaxi communicantes suam particulam accepisse testis *αὐτόπτης* narrat Alvarez Sacerdos Lusitanus. z Sed apud Latinos mutatam azymi formam in eam quæ hodie in usu est, & quidem non diu post editam ab Humberto illam apud Græcos disputationem, ex iis clarissime certissimeque apparet, quæ Cassander in Liturgicis refert ex veteri quadam Ordinis Romani MSS. expositione. Ipse ejus autorem fuisse suspicatur Bertholdum sive Bernoldum, Constantiensem Presbyterum, ex aliis scriptis satis notum; hoc ni fallor, argumento ductus, quod non modo Tritthemius, a sed etiam eo vetustior Honorius Augustodunensis, tradant Bernoldum Constantiensem *composuisse*, hic *Romanum Ordinem*, ille, *volumen quod prænotavit Ordinem Romanum*: Cassander, qui librum *Ordinis Romani* quem habemus, Bertholdi ævo (id est anno Domini 1080. & 1100. quo mortuus est) multo antiquiorem esse putaret, quæ duo illi scriptores de Bertholdo affirmant, facile est ita interpretatus, quasi non ipsum Ordinis Romani librum, sed aliquem duntaxat in eum Commentarium ab illo scriptum fuisse intellexerint. Hisne an aliis argumentis Cassandri de libri autore suspicio nixa fuerit, nescio. Illud mihi videor affirmare posse, & ante seculum XI extitisse non tantum Ecclesiæ Romanæ in rebus sacris peragendis Ordinem, sed etiam aliquem de eo ordine scriptum & editum librum; & hunc quem qualemque nunc habemus illius tituli librum fuisse post X. seculum scriptum. Sciunt eruditi, hujus generis libros rituales, præsertim qui ut hic, sunt in omnium manibus, multis magnisque mutationibus obnoxios esse; & pro singulorum seculorum usu plærumque interpolari, vel detractis, quæ cum olim obtinuissent, postea sunt abrogata, vel additis quæ majoribus diu ignota, posteri instituerunt. Omnino videtur ille ordinis Romani liber aliquid simile passus, tandemque à Bertholdo sic refictus ac reformatus ut hodie legitur; idque fortasse voluit Honorius cum Romanum Ordinem ab eo *compositum* dixit. Atque eadem fuit Hugonis Menardi de hoc Ordinis Romani

x Id. ibid. p. 97. E.

y Sirm. de Az. c. 5. p. 122. 123.

z Alvar. Itin. Æth. c. 11.

a Honor. de script. Eccl.

b Tritth. de script. Eccl. fol. 66. b.

Romani libro sententia. Exstitisse enim hujus tituli librum jam ante Bernoldi tempora, probat *c* quidem ex Isaaco Lingonensi, & Amalario Fortunato, qui eum citant. Sed illum tamen quem nunc habemus, Ordinis Romani Librum interpolatum, & alium ab eo qui olim erat, factum argumento apertissimo inde demonstrat, quod in ordine Sabbathi sancti sub finem ordinationis Missæ citet ordinem Romanum, & ab illius ritu recedens alium sequatur, qui postea invaluit etiam in Ecclesia Romana. Ex quibus ipse idem quod nos diximus, *satis* credibile esse concludit, nimirum Bernoldum primi illius ordinis Romani, non quidem *autorem*, sed tamen *instauratorem fuisse, qui illum recognovit, quibusdam detractis & additis, juxta usum, quem in Ecclesia suo tempore videbat.* Vellem equidem à Cassandro edita esset illa, cujuscunque autoris fuerit, Ordinis Romani Expositio quam memorat; Ita enim certius fortasse de autoris ævo judicare liceret. Sed librum neque vidi unquam, neque typis vulgatum puto. Si vero abditus alicubi latet, facile est ex eo specimine, quod Cassander exhibuit, divinare quinam ii sint, qui lucem ei publicam invident. Hoc saltem nemo negaverit illius Expositionis autorem iis temporibus vixisse, quibus hostiarum ad nummi formam contractarum usus apud Latinos cœpit, adeoque post Humbertum; cujus ævo fracta fuisse azyma, & singulis communicantibus particulatim distributa audivimus. Ille enim ordinis Romani interpres *has oblatarum minutias* (id est hostias ejus formæ, quæ nunc apud Latinos in usu est) passim exagitat; quas diserte negat *ad Christum & Ecclesiam pertinere, quia sunt absque mensura & ratione*: Ita enim refert Cassander, cujus de illo scriptore verba, nequid ei affingere videar, hic describere placuit. Illis ergo quæ dixi, ex eo recitatis, sic pergit Cassander, *Plura* inquit, *d* ab eodem autore alioquin prudenti, pio, & Ecclesiasticarum traditionum *studiosissimo in eam sententiam dicuntur, qui indignissime tulisse videtur ætate sua in quibusdam Ecclesiis oblatas panis, quæ prisca Ecclesia consuetudine ad usum sacrificiis ad mensam Domini à populo fideli offerebantur, ad imaginem nummorum, & ad tenuissimam quandam & levissimam formam à veri panis specie alienam fuisse redactas. Quare per contemptum* minutias nummulariarum oblatarum *appellat*, imaginariam & umbratilem levitatem *illis tribuit*, & indignas esse panis vocabulo pro sua tenuitate, ac propter eas religionem Ecclesiastici officij multum per omnem modum confundi *asserit, pluribusque & acerbioribus dictis eas insectatur, quæ omnia ut adscribam, expedire hoc loco non putavi.* Hæc ille, quem ne cætera illius Libri præclara evulgant, nihil aliud deterruit, quam Papæ & Latinorum Præsulum metus. Sed hos sua illa reticentia frustra placare se posse speravit; quos non alio quam falso antiquitatis nomine stantes, nihil æque urit ac detecta suorum dogmatum atque institutorum novitas. Iam non quæro justa ne fuerit scriptoris illius de inductis in Latinorum sacra minutis istis oblatis indignatio tanta, ut eas vel panis nomen mereri neget; Neque illud, magna alioquin obser-

CAP. VI.

c Menard. præfat. ad Sacram. Gregor.

d Cass. in Liturg. c. 27. p. 61.

 vatione

Cap. VI. vatione dignum urgeo, hoc nos exemplo doceri, multa apud Latinos in usum publicum esse inducta præter bonorum & sapientum virorum sententiam, quorum si voces haberemus, intelligeremus profecto, non communi doctorum eis communicantium consensu, sed una Paparum voluntate ac vi in illis partibus tandem obtinuisse. Hoc unum quod institui, nunc ex his concludo, adeo non esse antiquum hostiarum, quales nunc Latini in suis sacris adhibent, usum, ut etiam recentissimus sit, vel undecimo extremo, vel duodecimo certe ineunte seculo exortus, superioribus omnibus ætatibus, etiam post azyma recepta, ignotus. Nimirum admissum undecimo seculo à Latinis, Leonis IX. Nicolai II. & Gregorij VII. autoritate transubstantiationis dogma eos impulit ad hanc Eucharistiæ comminiscendam formam; quo caverent quoad quidem ab iis fieri poterat, ne quid micarum panis excideret cum aliquo plebis scandalo. Ac primo quidem, cum jam circa noni seculi initia, illius opinionis rudimenta posuisset Paschasius Ratbertus, probabile est qui ejus doctrinam postea secuti sunt, seculo decimo pro fermentato azymi oblationem excogitasse, & in usum communem ac publicum paulatim deduxisse; quod azymus panis lentior sit, minusque friabilis, quam fermentatus (Illis enim propriè temporibus accidisse hanc mutationem supra ex Sirmondo demonstravimus) Mox cum transsubstantiatio ex publicis Papalium Synodorum decretis inter communia Christianæ fidei capita recepta esset, animadvertisse dogmatis autores, ne sic quidem satis cautum esse suo in numen converso pani; quod inter frangendum sacramentum, ejusque particulas plebi distribuendum, vix ac ne vix quidem evitari posset, nequid massæ multipliciter fractæ solveretur, & laberetur; mature ut huic incommodo moderentur, fractione omissa, tenues illas brevesque ac pusillas hostiolas reperisse, quæ singulis communicantibus totæ atque integræ traderentur. Inventum errori publico commodum placuit; paucisque ut credibile est, annis in usum Latinorum communem receptum est; frustra ringente ac reclamante bono illo Ordinis Romani expositore Cassandrino, & aliis, si qui forte cum eo veteres & canos Patrum ritus novis cedere indignarentur. Nam sub initia duodecimi seculi in nummi formam fieri jam cœpisse oblatas, apparet ex Ernulfi Roffensis ante annum Domini [a] 1124. quo obiit, scribentis verbis; *Nos*, inquit, *in forma nummi panem accipimus, vinum aqua mixtum potamus.*

a Ern. Roff. epist. 2. Spicil. Dacher. Tom. 2. p. 434.

CAPUT

CAPVT VII.

Vinum alteram Eucharistiæ materiæ partem, merum an aqua temperatum adhiberi liberum & ἀδιάφορον esse. Veteres jam Iustini seculo, temperato usos; eumque morem posteros omnes Græcos Latinosque secutos esse, præter unam Armeniorum gentem. Novum esse quod Latini mero absque ulla necessitatis opinione utentes damnant, & gravis in eo peccati accusant. Rationum quibus sua hac in parte adstruunt, levitas.

ALterum Eucharistiæ à Christo institutę elementum est vinum, idque constat non modo ex perpetua Ecclesiæ totius praxi & confessione, sed etiam ex diserto Evangelij testimonio, Dominum de eo quod Apostolis in sacro calice propinaverat ita locutum esse tradentis: *f Non bibam à modo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Quod genimen vitis ad potum utile est, id non aliud esse potest, quam vinum. Inanis vero est Bellarmini virilitigatio, hæc verba ad Calicem Eucharisticum pertinere negantis, contra manifestam Evangelistarum Matthæi & Marci fidem, Cypriani Chrisostomi & aliorum Patrum interpretationem: ac denique contra non paucorum ex Latinis Theologis consensum. Notum est quicumque olim vinum in Eucharistia repudiarunt, & aqua mera pro vino usi sunt, eos omnes à veteri Ecclesia denotatos & reprehensos fuisse: quacumque ex causa eorum error nasceretur: sive ex Creatoris contumelia, qualis eorum hæresis fuit, qui vinum ut fel Draconis, & Diaboli opus abominabantur: sive ex temperantiæ simulatione, sive etiam ex nimio quodam metu, ne si vinum mane biberent, ejus odore Christiani arguerentur: quales fuisse eos Aquariæ postea ostendemus, quos refellit Cyprianus. Hæc apud omnes confessa. Illud quæritur an in hoc sacramento utendum sit vino mero, an aqua mixto? Græcos merum adhibuisse in hoc sacro nonnulli Latinorum tradunt, & in iis etiam Innocentius 3. Papa, sed errore crasso, quod omnes nunc fatentur. Armenios constat, non ignobilem Orientalis Ecclesiæ portionem, nulla aqua calicem sacrum diluere, neque semel ea de re & à Græcis & à Latinis esse pulsatos. Merito, si usum hunc suum necessario sequendum defenderunt. Sin, ut rem liberam servarunt, ferri non damnari innocentem morem par fuit. Tridentina Synodus monet *g præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Dominum Christum ita fuisse credatur: tum etiam quia è latere eius aqua simul cum sanguine exierit: quod sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aqua in Apocalypsi Ioannis, populi dicantur, ipsius populi fidelis cum*

f Matth. 26. 29.

g Conc. Trid. sess. 22. c. 7.

Cap. VII. *capite Christo unio repræsentatur. Hæc illi*, *cautè suum illum* de aqua vino miscenda morem *præceptum ab Ecclesia esse* dicentes. Nam à Christo vel à sanctissimis Apostolis quicquam fuisse de ea re traditum ex divinis Scripturis non constat. Ipsi quas rationes subjiciunt, inefficaces esse, eo satis fatentur, quod Ecclesiæ; non Christi, in hac definitione obtendunt autoritatem. Nam si eæ valerent aquæ mistio autoritate Dominica, non Ecclesiastica tantum niteretur. Illi autem merito de suarum rationum levitate ita præjudicant, quas nemo ut opinor, cordatus ullam concludendi vim habere dixerit. Nam ut ab ultimis incipiam, quid infantius fingi potest, quam quod isti aquam vino Eucharistico esse admiscendam inde concludunt, quod aquæ in Apocalypsi *h* populos symbolice significent? Quid enim hoc quæso ad Eucharistiam? Quasi vero nostris necesse sit admisceri sacramentis omnes eas species, quæ vel in Apocalypsi, vel in aliis libris Propheticis pro rerum aliquarum symbolis usurpantur. Paris est furfuris quod sanguinem & aquam ex latere Christi patientis fluxisse memorant. Quid tum? Ergo aqua vino Dominici sanguinis symbolo in Eucharistia admiscenda est. Sed Eucharistiam ad corpus & sanguinem Domini repræsentandum institutam legimus: ad illam aquam significandam, quæ de ejus latere exiit nusquam legimus. Veri propius videtur, quod primum afferebant Dominum vinum aqua mixtum propinasse, & nostris sane persuaserunt. Sed neque ipsi pro certo id affirmant: *credi* tantum aiunt: neque sane mihi quidem facile persuaderi siverim. Nam cum Iudaicum in cæteris diebus festis, tum maxime Paschate, genio indulgerent, non est probabile illos, laticem illum *lætitiæ datorem*, aqua mixta infregisse. Nunc quidem usque adeo ab eo abhorrent, ut vinum festa illa nocte, etiam infusis aromatis plærique vulgo condiant, ingenitamque ejus vim hac arte intendant; quod קונדיטון vocant, ut tradit *i* doctissimus Buxtorfius. Itaque si verum est quod omnes Latini, etiam nostris vulgo assentientibus, docent Christum Pascha Iudaïcum ea nocte celebrasse, & vino Paschali in Eucharistia usum esse, potius crediderim mero usum esse quam temperato. Quia etiam tradit idem Buxtorfius, vinum Iudæos ex ipso dolio, vel certe ex cantharo large in scyphos, in illo Paschali festo infundere, pompæ ac magnificétiæ causa, de aqua mixta nil dicit. Quæ vero Latini de sobrietate hic narrant, ea de usitato ac quotidiano victu procedunt; etiam diebus festis & sacris, nefas esse virum sobrium merum gustare non probant: & à Iudæorum sententia plane abhorrent, qui eum qui abstemius est, aut cui alioqui vinum nocet, etiam natura reluctante, quatuor pocula sacra in Paschali illo epulo bibere cogũt, teste eodem Buxtorfio. *k* Huc accedit, quod etiamsi constaret (quod est incertum) Dominum in Eucharistico calice vinum aqua temperatum propinasse; ne sic quidem consequens esset, ut nobis simili vino utendum sit. Nimirum merum sit an mixtum Eucharisticum vinum nihil ad rem ipsam interest, modo vinum sit. Mixto Christus si usus est, ideo usus est, quod mixtum in

h Apoc. 18. 15.

i Buxt. in syn. Iud c. 18. p. 409.

k Ibid. p. 408.

in illo convivio præsto esset, more gentis, ex cœli insuper ingenio, quod in Iudæa calidius est, & vini natura iis locis, quam apud nos validior. Quæ omnia nihil ad nos, nihil ad ipsam Eucharistiam pertinent, in qua vinum utramque paginam usque adeo facit, ut aquam admixtam ipsi Latini consecrari aliter negent, quam si in vinum conversa fuerit. Durandus totam illam rationem exsufflat, aptam esse negans; quod sic probat; l *Si enim*, inquit, *Christus apposuit aquam vino propter fortitudinem, sicut cæteri sobrij homines, non convincit propter hoc, quod illi qui celebrant de vino debili, ponant aquam nec bibendo, nec celebrando.* Tum Christum si aquam apposuit, longe aliter, quam suos apposuisse observat. *Forte enim vino quo usus est Christus, jam à principio cœnæ aqua* (inquit) *erat apposita, more quorumdam hominum & quarumdam regionum, in quibus non venditur vinum purum, sed aqua mixtum, vel temperatur antequam in mensa ponatur.* Apud suos aliter fieri, *quia* (inquit) *quantumcumque esset in vino prius aqua apposita, sive in dolio, sive in vase alio, in illa parte vini qua ponitur in Calice, semper ponitur aliquid modicum aquæ.* Hæc Durandus, non minus vere quam acute disserit. Nobis ut illam aquæ cum vino mixtionem nihil esse ad hoc sacramentum rite conficiendum necessariam, id satis est, quod neque Christum ita instituisse aut præcepisse videamus; neque Apostolos aliquid simile tradere, vel in suis sive de ipsa Eucharistia, sive etiam extra eam sermonibus innuere. Siquid enim illi hujusmodi usurpassent aut probassent, vix est ut non alicubi vel consulto vel saltem obiter aliquid ea de re inspersissent; qualiter nunc Latinos facere, olim Patres fecisse notum est, multa passim de illa aquæ cum vino mixtione philosophantes, miraque in ea mysteria indicantes. Quod hi sic, Apostoli aliter in hoc argumento se gesserint, causam aliam nullam video, nisi quod hi quidem totum hoc negotium de mero an misto usurpando vino pro nihilo habuerint, ac in medio relinquendum censuerint; illi vero eo rem agi putaverint præcipui cujusdam momenti. Tametsi enim vulgo concedant illam mixtionem non pertinere ad sacramenti integritatem, adeoque ex mero valide id confici posse confiteantur; Bellarminus tamen, qui unus est de primipilaribus, scribit m *Ecclesiam Catholicam semper credidisse ita necessarium esse aqua vinum misceri in Calice, ut non possit sine gravi peccato omitti.* Et Tridentini suum illum ritum tanti esse momenti judicarunt, ut eum *anathema* esse jubeant, n *qui dixerit aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, quod sit contra Christi institutionem.* Quæ ad hanc tam severam tamque atrocem sententiam probandam rationes è scripturis præter tres illas, quas nos attigimus, à Bellarmino & aliis afferuntur, eæ admodum leves sunt, ne futiles & frivolas dicam, ut facile perspiciet quisquis Chamerium nostrum o omnes accurate refellentem legerit. Veteres fateor & quidem de primis seculis, non modo Cyprianum, sed etiam ipsum secundi adulti seculi scriptorem Iustinum testari sui ævi Ecclesiam vino aqua temperato usam esse. Sed qui eos hac in parte secuti sunt Latini, ipsi fatentur aquæ

CAP. VII.

l Durand. in 4. sent. d. 11. quæst. 5.

m Bell. l. 4. de Euch. c. 10. §. Porro Eccl.

n Cõc. Trid. sess. 22. Can. 9.

o Cham. l. 6. de Euch. c. 3. T. 4. Panst. p. p. 310. 311.

Cap. VII. aquæ appositionem non esse *de necessitate vel integritate sacramenti*; docentque aquam non aliter ad hoc sacrum esse usui, quam si convertatur in vinum, hoc est, nisi aqua esse desinat & vinum fiat; ideoque nonnisi aquæ modicum vino admiscent, ne si copiosius infundatur, vinum diluat, & in suam naturam convertat; plane ut mirum sit qui sic sentiunt, eos gravis peccati damnare, siquis mero Eucharistiam conficiat. Nos rem minimi ad religionem momenti esse statuimus, adeoque liberi usus; ut neque veteres neque Latinos eo nomine culpemus, quod vino temperato in Eucharistia utantur: tantum negamus fraudi nobis esse debere, quod in re libera, id quod nobis probabilius visumest secuti sumus. Huc accedit (quod à doctissimo I. Ger. Vossio nostro observatum est) p *quod postquam ritus miscendi necessarius haberi cœpit, nostri prudenter merum praetulerint, ut suam in talibus libertatem ostenderent, quemadmodum* (inquit) *& si meraci necessitas institui cœperit, melius fortasse ad mixturam redeatur; vel (quod non minus probemus) his quidem locis merum, aliis mixtum praeferatur, ut liqueat omnibus Ecclesiam ejuscemodi ritibus minime alligari.* Hæc vir optimus ac candidissimus, vere profecto ac sapienter censet. Illa enim quæ à nonnullis urgetur, omnium Ecclesiarum, in rebus etiam per se liberis & ἀδιαφόροις uniformitas, adeo non est necessaria, ut etiam vehementer periculosa sit; quod gravem errorem in hominum animos inducat, necessarium esse id facile judicantium, quod non à quibusvis tantum, sed ab omnibus omnino Ecclesiis observari vident; ex qua falsa persuasione multa mala oriri posse, imo etiam revera non semel orta esse satis constat. Nos ergo ita de his statuimus; Illam duntaxat Latinorum morositatem dicam an superbiam laudare nonpossumus, qui se suaque omnis veri atque æqui normam esse sibi adeo serio persuaserunt, ut quisquis ab iis, etiam in rebus minime omnium necessariis discedere ausus fuerit, in eum statim involent, velut in hominem gravis, ac ut loquuntur, lethalis peccati reum. A Iustino mixtam vino aquam scimus; Damnatum ab eo gravis peccati quemquam ideo fuisse, quod ex pane & mero Eucharistiam faceret, nescimus. Iustinum longe aliter judicaturum fuisse eo mihi valide argumentari videor, quod etiam Mosaica suo ævo retinentes ferendos tamen putaret, q modo ne quemquam ad hunc suum errorem errandum cogerent. A Cypriano correctam fuisse eorum amentiam lego, qui præter Domini institutionem aquam meram ex sacro Calice propinabant, damnatum aliquem, quod vinum merum in mensa illa Dominica adhiberet, non lego. Vnde omnes intelligunt quam supervacanea, quamque ridicula sit Bellarmini hac in parte diligentia, qui immensam testimoniorum sylvam ex Syria, Italia, Africa, Gallia, Hispania, Lusitania, Anglia, Germania, Græcia, denique ex omni Christianismo, una excepta Armenia, climate ac seculo adducit, ut probet veteris ex vino aqua diluto Eucharistiam confecisse (quod nos neque negamus, neque sane culpamus aut damnamus) neminem

affert

p I. Ger. Voss. d sp. 21. de sac. sym. Cœn. Tres. 8. p. 398.

q Iustin. Dial. cum Tryph. p. [illegible] à lin. 10

affert qui cum Tridentinis anathemate eos defigat, *quicumque dixerint aquam vino non esse in Eucharistia miscendam*, quod unum nos in hoc negotio reprehendimus. CAP. VIII.

CAPUT VIII.

De vasis Eucharistiae illud apud Latinos novum, quod eam in vitreis Calicibus aut ligneis consecrari vel ministrari nefas putent, quod à priscae Ecclesiae usu alienum est.

Atque hæc quidem de materia ex qua fit Eucharistia, dicta sunto. De vasis in quibus illa vel fit, vel facta reponitur, id est patena & calice, hæc Latini & præcipiunt, & religiosissime servant. r *Ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper est, vel stanneum calicem habeat. De ære aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem de vitreo aut ligneo Calice præsumat Missam cantare.* Missale Romanum; s *Calicis cuppa debet esse aurea vel argentea, vel stannea; non ænea nec vitrea.* Atqui vitreis calicibus & Apostolicam, & proxime secutam Ecclesiam usam esse inde apparet, quod in convivio Agaparum celebratam ut plurimum Eucharistiam fuisse, ex 1. Cor. 11. constet; quo probabile fit non alios in ea calices adhibuisse nostros, quam quibus in ipsa Agapa biberant; Bibisse autem in vitreis communis hominum usus arguit. Vitreorum usum apud Romanos ad Tertulliani ævum, id est ad tertij seculi initia mansisse ex ipso discimus; t & inde sumptum putamus, quod Pontificali libro ab aliquo interpolatore assutum hodie legimus, Zephyrinum scilicet Urbis Episcopum, u *constitutum fecisse, ut patenas vitreas ministri ante sacerdotes portarent, dum Episcopus missam celebraret.* Eumdem morem ad Iuliani Augusti Apostatæ ævum, idest ad annum Domini 362. vulgarem adhuc apud nostros fuisse Sancti Donati Aretini Episcopi & Martyris acta docent, x & Gregorius P.R.I. Quin & ligneo Calice aliquando usos esse Veteres illa probant, quæ ex Concilio Triburiensi Burchardus, y & Ivo, & post eos Gratianus recitant, Bonifacij Episcopi & Martyris verba, *quondam Sacerdotes aureos ligneis calicibus usos esse, nunc è contrario ligneos sacerdotes aureis uti calicibus.* Hunc usum, quod mireris, in Colchide, quam Mengreliam recentiores vocant, ad hodiernum diem hæ fide testatur Archangelus Lamberti, Congregationis Romanæ de propaganda fide, ut loquuntur. Missionarius, qui in Relatione de illa gente; suâ tradit z ligneos esse eorum Calices. Vitreorum sane usum ipse etiam Baronius, apud Italos & Gallos ad sextum seculum satis solennem fuisse confitetur, a eoque affert illa quæ de Exuperio scribit

r Decr. de Consec. d. 1. c. 45. Ut calix.

s Miss. Defect. miss. c. 10. §. 1.

t Tertull. de pudic. c. 10.

u Pontif. Dam. in Zephyr.

x Greg Dial. P. 1. c. 7.

y Burch. l. 3. c. 223. Ivo p. 3. c. 282. Decr. de cōs. D. 1. c. 44. Vasa.

z Arch Lāb. relat. de Mengr. p 41.

a Bar. ad d. 7. Aug B in martyrol.

Cap. VIII. Hieronymus, *b Nihil illo ditius qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro*; & hæc quæ in Cæsarij Arelatensis, a. D. 543. mortui vita à Cypriano ejus discipulo scripta legimus, *c Annon in vitro habetur sanguis Christi?* Ego vero quod Baronius contendit, libens concedo, mature, etiam paulo ante Constantini tempora receptum fuisse apud nostros aureorum & argenteorum vasculorum in Eucharistiæ sacro usum; sed ita receptum ut vitreorum usus vel abdicaretur, vel non laudaretur, nego; quod ex his ipsis quæ ille adducit, Hieronymi & Cypriani Galli verbis patet. Ipse certe canonem, quo vitrei calices sint vetiti, nullum Remensi anteriorem laudat, quo demum, illa lata est, à nobis ex Gratiano recitata lex, *Vt calix & patena, si non ex auro, saltem sint ex argento.* Quo autem anno habitum fuerit Remense Concilium, ex quo canon ille citatur, plane incertum est. Neque enim is exstat in Synodis Remensibus quæ apud Sirmondum habentur. Secundæ, quæ apud eum exstat, canon sextus est, *d Missarum ibi discussa est ratio, ut presbyteri minus antea scientes intelligerent, qualiter Missarum solennia deinceps dignius celebrare deberent.* Fieri potest ut huic Canoni aliquis rerum Ecclesiasticarum studiosus, invitante argumento, ista de Calice & alia consimilia, sive quæ in ipsa illa Synodo tractata sciret, sive quæ ex aliis recentioribus decerpsisset, in suo Codice adjiceret; in quæ Burchardus cum incidisset, omnia ipsius Synodi esse putans, in suum Decretorum volumen transcripserit, Ivonique & aliis, errandi causa fuerit. Cæterum haud gravate concesserim, seculo decimo invaluisse, ne alia quam aurea & argentea vasa ad sacra ministeria adhiberentur; cum satæ à Pascasio jam superiori seculo transsubstantiationis dogma apud Latinos vires sensim acquireret; & inde ortus ingens effusionis metus hominum animos vehementer turbare cœpisset. Anno decimi seculi 67. inter Edgari Angliæ Regis Canones, hic legitur, *e Docemus etiam, ut quivis calix, quo quis Eucharistiam consecraverit, fusilis sit* (id est ex metallo) *& in ligneo ne omnino consecrato.* Et ille Ricardi Cantuariensis Archiepiscopi a. D. 1175. in Londinensi Concilio constitutus Canon, *f Præcipimus ne consecretur Eucharistia, nisi in calice aureo vel argenteo; & ne stanneum calicem aliquis Episcopus à modo benedicat, interdicimus.* Vt hunc recentem in solidis, quam illum antiquum in vitreis vasculis Eucharistiæ celebrandæ morem Latini sequentium post decimum seculum temporum mallent, arctiusque etiam ac diligentius, quam unquam antea observarent, ac juberent, effecit nimius ille effundendi sacri vini metus, quem in eorum animos suscepta undecimo seculo transsubstantiationis fides induxit. Æthiopes, quibus nulla inter fidei capita transsubstantiatio est, calice & patena ex ære utuntur; in quibus adeo securi Eucharistiam faciunt; *ut si quam calix rimam agat, illi cera obstruere, ne diffluat infusus liquor, satis habeat*; Ita enim ex certis & veris suæ societatis Relationibus tradit Nicolaus Godignus Iesuita. *g*

b Hier. ep. 4.

c Cæsar. vit. l. 1. c. 14.

d Conc. Rem. 2. c. 6. Tom. 3. Conc. Gall.

e Can. Edg. c. 4. in Spelm. Côc. Brit.

f Ricard. Conc. Brit. in Chron. Gerv. Dorob. T. 1. Script. X. Angl. p. 1431.

g Nic. Godig de reb. Aboss c. 35. p. 217.

CAPVT IX.

Præparatio ad Eucharistiam apud Latinos duplex; Confessio & jejunium. Illam ad Eucharistiam vel conficiendam vel sumendam requiri; Novum esse Latinorum decretum, & apud Veteres inauditum. Rejecta hinc ea de re controversia, quia alibi tractatur.

HÆc ergo duo elementa, panis & vinum, in quibuscumque vasis, argenteis an vitreis, aureis an fictilibus consecrentur, (nihil hæc ad rem ipsam pertinent) fiunt sacramentum distribuendum, & ab omnibus Clericis, Laïcisque fidelibus ad celebrandam Dominicæ mortis memoriam sumendum. Ipsa mysterij sanctitas admonet, id non temere nec illotis, quod aiunt, manibus vel à Christi ministris esse consecrandum, vel à cujuscunque ordinis fidelibus accipiendum. Sed in hac parte, id est in legitima ac solenni ad hoc mysterium sive celebrandum, sive participandum præparatione nonnulla quoque sunt à Latinis præter veteris Ecclesiæ morem novata, de quibus dicendum ante esse videtur, quam ad ipsam consecrationem ac communionem veniamus. Illi enim duo quædam cum à sacerdote celebraturo, tum à fideli communicaturo, antequam ad Domini mensam accedant, necessario requirunt; Vnum quidem, ut uterque se clancularia confessione apud sacerdotem expiaverit; alterum vero, ut sit jejunus ab hora noctis sexta. De confessione, diserta apud Latinos lex est Tridentinorum Patrum, *h* ne quisquam *sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque sacramentali* (id est auriculari apud sacerdotem) *confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Eamdem doctrinam paulo post, iterum his verbis explicant, & aliud sentientes diris solennibus figunt. *i Ne tantum sacramentum indigne, atque adeo in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia mortalis peccati gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, Necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Siquis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam disputando publice defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* Praxis vero etiam ultra legem progreditur. Nam apud Latinos, qui peccatorum, etiam non *mortalium*, sed *venialium* duntaxat (ex eorum hypothesi ac sermone vulgari) sibi conscij sunt, omnes fere apud sacerdotem clam ante confitentur, quam ad communionem accedant. Et fuerunt sane in eorum olim schola nobiles Theologi, qui ipsa venialia necessario confitenda esse disputarent; quorum unus est Bonaventura, *k* in album sanctorum à Pontifice Romano jam pridem relatus. Apostolicæ vero Ecclesiæ de fidelium ad Eucharistiam necessaria præparatione lex, multum profecto ab ista diversa hæc erat; *l Probet seipsum*

h Conc. Trid. sess. 13. c. 7.

i Ibid. c. 11.

k Bonav. in 4. d. 17. in 2. Part. art. 2. q. 1.

l 1. Cor. 11. 28.

Cap. X. *homo & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Neminem ad Presbyterum ablegat. Suæ quemque conscientiæ dimittit, ut pobet num is sit, qui digne tanti mysterii particeps esse possit. Hoc sui ipsius examine functum ad sacram mensam admittit. *Probet seipsum*(inquit)*& sic de pane illo edat.* Fateor non aliter; sed si se ipse probaverit, sic ad mensam accedat, ac mysterio fruatur. Mansit is usus in Ecclesia per multa secula; neque ullus ex omni antiquitate idoneus testis Latinæ legis ac consuetudinis offerri potest; sed nos hoc argumentum alibi fusè peculiari disputatione *m* tractavimus, in qua clancularium istam Latinorum in presbyteri aurem necessario confitendi disciplinam, novam esse, neque ulla, publica quidem ac totius Occidentalis Ecclesiæ communi & universali lege ante Innocentij P. R. III. in Synodo Lateranensi decretum obtinuisse, toto opere demonstravimus; & quod ad Eucharistię sumptionem propriè attinet, etiam ibidem ductis ex Clemente Alexandrino, Cornelio Episcopo Romano vetustissimo, Chrysostomo, Augustino, Concilio Cabilonensi 2. Hincmaro & aliis scriptoribus, argumentis probavimus *n* non fuisse Christianos fideles ulla universæ Ecclesiæ lege prohibitos ad Domini mensam ante accedere, quam alicui in aurem presbytero confessi essent. Itaque, quod supervacaneum sit actum agere, Lectores ad librum de Confessione illa nostrum dimittimus & ad cætera pergimus.

m Lib. de Confess.

n Ib. l. 4. c. 4. p. 382.

CAPUT X.

Duplex apud Latinos de jejunio ad Eucharistiæ negotiũ novitas. Prior quod ad eam vel celebrandam, vel sumendam jejunium necessario requirant non Ecclesiasticum, sed naturale. Quid hoc sit? Naturale illud nullos ante ultima secula Christianos vel ad hoc exegisse, vel memorasse Ecclesiasticum vero antiquissimos ne requisivisse quidem; sed etiam cœnatos ad communionem admisisse. Explicantur quæ contra afferuntur, Tertulliani & Cypriani loca.

Circa jejunium Latini à veteribus in Eucharistiæ negotio discrepant. Illi enim nisi naturaliter jejunos sacramentum sumere nefas putant; cum antiquissimi Christiani etiam cœnati communicaverint, eorum vero posteri ad multa secula, jejunium non aliud, quam Ecclesiasticum, ante servarent quam ad sacram mensam accederent. Alterum discrimen est, quod Eucharistiam illi quidem, diebus jejuniorum post meridiem, cæteris diebus mane agebant, hi vero tam jejunialibus quam aliis diebus, horis matutinis Missam celebrant.

Vt prius discrimen intelligatur, inprimis animadvertendum est Latinos docere *o* jejunium duorum esse generum; alterum, quod *naturale*, alterum quod *Ecclesiasticum* vocant; hoc non frangi sumpto verbi gratia,

o Cajet. in summ verb. Comm. Sacram. p. 59. 60.

CAP. X.

da, cinnamomo, vel piperis grano, & aliis non tam ad edendum quam ad medendum pertinentibus; Illo omnem omnino cibum potumque, cujuscumque sit generis, excludi. Ac diebus quidem esurialibus, exigi tantum à fidelibus jejunium Ecclesiasticum fatentur; à communicaturis vero naturale, quod est multo rigidius scilicet, omnino observandum esse contendunt. *Siquis*, inquit, Missale, *non est jeiunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus aut cibi, per modum etiam Medicinæ, & in quantacumque parva quantitate, non potest communicare vel celebrare.* Iam alibi *q* demonstravimus hunc ritum recta pugnare cum more Apostolicæ, & ad quartum seculum sequentis Ecclesiæ, quæ neutrum istorum jejuniorum, neque celebraturis Ministris, neque communicaturis fidelibus imperabat. Clarum enim est ex iis, quæ ipsis hac de re diximus; ævi Apostolici fideles Eucharistiam cœnatos sumpsisse, Christi Domini exemplum sequentes, quem hoc sacramentum ex Evangelio discimus & ipsum cœnatum instituisse, & Apostolis quoque cænatis distribuisse. Quo etiam fortasse accedebat aliqua Iudaïci in Paschate celebrando moris imitatio. Cum enim Agnum Paschalem Iudæi non gustarent nisi cœnati, fieri potest ut nostri panem qui Christi, veri Agni, sacramẽtum est, itidem post cœnam sumere congruum fortasse putaverint. Scio ipsam religiosi actus reverentiam illis postea persuasisse, ut sua primum sponte, deinde etiam nonnullarum synodorum jussu, jejuni communicarent. Sed nulla hujusmodi lex ante 4. seculum in veris illius memoriæ scriptoribus apparet; quæ scilicet in Concilio Carthaginensi tertio primum invenitur, id est post an. D. 397. cum, Ambrosio ipso illo anno extincto, Simplicianus in Mediolanensi episcopatu successisset. *Vt sacramenta* (inquit) *r altaris nonnisi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur*: qui Canon in Concilio itidem Africano, Græce Latineque habetur, numero 41. Eadem ann. D. 578. in synodo Antisiodorensi constituta legimus; *t Non licet presbytero, aut Diacono, aut subdiacono post acceptum cibum vel poculum, Missas tractare.* Sic etiam anno D. 585. Patres Matisconenses; *u Decernimus ut nullus presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino sacrificia contrectare, aut Missas privatis festisque diebus concelebrare præsumat. Iniustum enim est ut spiritali alimento corporale præponatur.* Concilium Toletanum VII. ann. D 646. vetat, *x nequis presbyter post cibum potumque, quamlibet minimum, sumptum Missas facere præsumat.* Mitto quod has leges non communicantibus, sed solis presbyteris celebrantibus latas esse videmus; quorum in hoc actu religionem majorem esse decet, quam cæterorum fidelium, non conficientium, sed sumentium duntaxat Eucharistiam. Illud primum observo non simpliciter omnem Eucharistiam à jejunis celebrari præceptum esse ab Afris; sed cum diserte addita unius anniversarij diei exceptione: quo scilicet sacrum celebrari vespere à pransis, vel etiam à cœnatis solebat. Quamquam id ipsum in Hispaniis postea sublatum fuerit, ann. D. 563. in Bracarensi

p Miss. titulo de defect. circa miss. c. 9.

q Lib. 2. de obj. cult. relig. c. 19.

r Conc. Carth. 3. cap. 48.

s ibid c. 29. & c. 48. Cõc. Afr. c. 1. T. 1. Conc. p. 910.

t Conc. Antisiod. c. 19. tom. 1. Conc. Gall.

u Ibid. Cõc. Matisc. 2. c. 6

x Conc. Tol. VIII. cap. 2. Tom 4. Conc. p. 639.

Cap. X. Synodo I. quæ *anathema ei dicit, y qui quinta feria Paschali, quæ est Cœna Domini, hora legitima post nonam jejunus in Ecclesia Missas non tenet*; non alia, ut ex his quæ ibi adduntur patet, ratione, quam in odium Priscillianistarum, *quos festivitatem illius diei soluto ab hora tertia à jejunio, coluisse dicunt.* Secundo jubentur jejuni celebrare, & quidem à Toletanis, *ab omni quamlibet minimo cibo, potuque*, antequam illud sacrum faciant, abstinere: quod non est vexandum, sed eodem sensu accipiendum, quo in hoc ipso argumento eos pœnitentiæ subjiciebant, z *qui acceperint sacrificium post cibum, aut post aliquam parvissimam refectionem.* Id ipsum dicunt Toletani Patres *quamlibet minimum cibum, potumque*, quo scilicet reficitur atque aliter corpus: non quo vel refrigeratur simpliciter, ut aquæ si quid haurias, vel adversus deliquium, si id times, munias. Cæterum neque hi Toletani, neque ulli istorum temporum alij, vel horum definiunt, à qua inchoandum est illud jejunium, vel ab eo nominatim excludunt quæ per modum *medicinæ in quantacunque parva quantitate sumuntur.* Ista quæ plane Iudaïcam morositatem ac superstitionem sapiunt, & à simplicitate Christianæ disciplinæ alienissima sunt, apud solos post susceptam transsubstantiationem Latinos occurrunt, cæteris omnibus Christianismi & seculis & gentibus ignota atque inaudita sunt. Neque enim est quod putes apud solos ad septimum seculum adultum Patres desiderari hanc tam minutam tamque anxiam jejunij ante Eucharistiæ celebrationem servandi definitionem, ac circumscriptionem. Apud octavi & sequentium seculorum scriptores ad confirmatum & ubique constitutum transsubstantiationis dogma, non magis eam reperies, quam apud superiores. Isidorus tantum refert *a* ex Augustino Eucharistiam etiamsi cœnatis Apostolis primum tradita sit, *nunc à jejunis semper accipi.* Neque plura ea de re habet vel Amalarius Fortunatus, *b* vel Valafridus Strabo *c* noni seculi scriptores; nisi quod hic non dissimulat uno die anniversario, quinta scilicet feria hebdomadis Paschalis, pransos communicasse, ex Carthaginensis Concilij 3. canone 48. Sed & ex Socrate *d* refert Ægyptios Alexandriæ vicinos & Thebaïdis habitatores sabbatho collectas agere & epulis cibisque adimpletos circa vesperam oblatione facta communicare; quæ sane non modo apud Socratem, sed etiam apud * Sozomenum hodieque legimus. *Sed*, inquit Valafridus, *e à sequentibus honesta & rationabili deliberatione statutum esse cognoscitur, ut omni tempore à jejunis sacrosancta celebrentur mysteria*; pluraque deinceps in eam sententiam modeste sane ac sapienter disserit. Cæteros prætereo, neque enim omnes commemorare necesse est. Satis est semel pronunciasse nihil apud Veteres, ante ea quæ diximus tempora, de illius morosissimi *naturæ*, ut Latini appellant, jejunij ad celebrandam percipiendamve Eucharistiam necessitate reperiri. Atqui id non erat prætermittendum, si veteris illius Ecclesia, in qua isti scriptores vivebant, eadem quæ nunc Latinorum est, hac de re fuisset & sententia & praxis. Nam qui *sciens* & advertens aliter quam isto modo

y Cõc. Brac. 1. c. 16. tom. 4. Conc. p. 420.

z Burch. Dec. l. 5 c. 35.

a Isid. de off. Iul. l. 1. c. 18.

b Amal. fort. de Eccl. Off. l. 3. c. 34.

c Valafr. de reb. Ecclef. c. 19.

d Socrat. l. 5. c. 21. * Sozom. l. 7. c. 19.

e Valafr. de reb. Ecclef. c. 19. p. 677. A.

jejunus communicaverit (excepto duntaxat mortis periculo) eum omnes Latini mortaliter peccare pronunciant, ut videre est apud Caïetanum in Summula, *f* Vasquem *g* & alios. Cum ergo res tanti sit momenti, non prætermisissent docti ac graves superiorum seculorum scriptores, suos de ea in hujus argumenti libris docere, si idem cum Latinis sensissent. Nemo fecit. Ne ergo dubitaveris totum hoc istius naturalis jejunij ab Ecclesiastico diversi mysterium veteri omni Ecclesiæ ignotum fuisse; sero à transsubstantiatoribus Latinis post undecimum seculum inventum ad augendam fidelium in suam hostiam religionem atque devotionem. Ex quibus jam liquet, quam sint inanes Bellarmini conatus, unice studentis *h* hoc Latinorum Eucharistiæ prævium jejunium Apostolis autoribus asserere. Tertullianum in primis objicit quo loco Christianam mulierem in viri Gentilis conjugio viventem alloquens, *i Non sciet*, inquit, *maritus quid ante omnem cibum gustes?* Confessum est eum sacras particulas intelligere, quas ex mensa Domini acceptas mulier ex veteri more domi servabat, & mane ante omnem cibum gustabat. Iejunam eas sumpsisse his verbis docet Tertullianus; id jejunium *natura* fuisse, non *Ecclesia*, id est tale fuisse, quale nunc à suis exigunt Latini, neque Tertullianus, neque ullus alius ejusdem census scriptor dicit. Neque quod mulier particulas, quas domi paratas habebat, *mane* potius, quam ulla alia diei hora sumeret, recte concluseris Ecclesiæ Præpositos, Eucharistiam nullis nisi jejunis in communibus suis collectis ministrasse. Multo verius contrariam sententiam ex alio quodam Tertulliani loco, cum doctissimo Regaltio concludi putaverim, in quo de sui ævi Christianis loquens, *k Eucharistia*, inquit, *sacramentum in tempore victus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus sumimus.* Qui sic loquitur, omnino significat Eucharistiam non modo victus tempore, quo uno mandata erat à Domino, sed etiam antelucanis cœtibus à Christianis sumit. In Cypriano Bellarminus etiam infelicius *naturale* Latinorum jejunium quærit, de quo ille ne per somnium quidem cogitavit. Plane aliud agit Cyprianus *l* eo loco, quem Bellarminus objicit. Aquarij illi, quos istic refellit, objiciebant non mane, sed post cœnam, mixtum calicem obtulisse Dominum; inde argumentantes nihil esse necesse in sacrificiis matutinis vinum offerri satis esse si aqua sola offeratur; quo vitari posset periculum, ne eos Pagani Christianos esse eo ipso agnoscerent, quod per *saporem vini redolerent sanguinem Christi.* Atque hoc ipsum ad hanc Cypriani epistolam Baronius quoque animadvertit, *m* & in suis Annalibus observavit. Cum enim istos, quos Cyprianus confutat, aquam meram in Eucharistia plane ex Encratitarum hæreticorum more, adhibuisse dixisset, & addidisset Cyprianum tamen *ignorantia* vel *simplicitatis nomine* eos excusasse; quæ iis fuerit hujus usus occasio patefaciendum sibi esse putavit; nequis credo Martyrem suspicaretur eo peccasse, quod ejusdem cum hæreticis criminis reos tam indulgenter habuisset, ut eorum simplicitatem excusaret. Ostendit ergo

Baronius,

CAP. X.

f Caiet. in Summ. verbo. cõfessio.
g Vasq. in 3. Tom. T. 3. disp. 211. c. 3. tot.

h Bell. l. 2. de miss. c. 4. §. Quod autem.
i Tert. l. 2. ad Vxor. c. 5.

k Tertul. de Cor. cap. 3. Reg. in loc.

l Cypr. ep. 63. p. 123.

m Bar. an. D. 257. §. 9.

Cap. X. Baronius, tametsi horum idem esset in Eucharistiæ calice præparando cum Encratitis usus, non eamdem tamen fuisse utrisque usus rationem. Eucratitæ enim vinum ideo respuebant, quod ejus naturam veluti à Diabolo autore profectam abominabantur, illam Dei optimi maximi creaturam *diabolicam* appellantes, *improbosque ac peccatores esse statuentes, qui vinum bibunt eove utantur*, id ex Epiphanio discimus. *n* Cyprianei vero Aquarij ab hac in Deum creatorem blasphemia, cæterisque Encratitarum insanis deliramentis alieni, longe aliam habebant aquæ meræ in Eucharistia utendæ rationem, quam his verbis exponit *o* Baronius; *Quod enim*, inquit, *persecutione urgente, summo mane seu potius nocturno tempore convenientes, secreto ad sacram synaxin atque Eucharistiam Christi sanguinem in vini specie bibentes* (sic enim ille ex sua de transsubstantiatione hypothesi loquitur) *ex vini odore possent detegi Christiani, loco vini aquam offerre consultius existimarunt, ne odore vini, veluti quodam Christianitatis indicio palam fierent*. Hæc Baronius, quæ ex Cypriano, apud quem manifesta sunt, ipsa ejus verba recitans probat. Neque id omiserim quod ille ibidem verissime observat, istos mane quidem aquam meram obtulisse in Eucharistia; quam vero vespere faciebant, in ea vinum aqua mixtum adhibuisse. Eo tantum errare mihi videtur Baronius, quod hanc duplicem Eucharistiæ celebrationem, alteram matutinam, vespertinam alteram, apud ipsos fuisse dicat; plane ac si apud Catholicos nulla fuisset hæc vespertina. Atqui nihil in eam toto hoc loco habet Cyprianus; quam si veluti ab Ecclesiæ consuetudine alienam reprobasset, haud dubie non fuerat intactam in tali disputatione dimissurus. Iam ut obiter hoc dicam, si illis temporibus fideles, ut nunc fit apud Latinos, panem solum absque calice sumebant, nullus fuisset isti Aquariorum timore locus; Neque enim verendum erat, ne *eos vini sapor Christi sanguinem redolere* argueret, si nullum in eo sacro vinum bibebant; si saltem libera concessaque fuisset hæc dimidiata mensæ Dominicæ participatio, poterat Cyprianus uno verbo, & causæ quam agit veritati, & illorum timori consulere, iis qui *verebantur ne per vini saporem redolerent sanguinem Christi*, concedendo ut à calice abstinerent, panem unum gustarent. Ille vero nihil istis hujusmodi concedit. Fortiter ut dignum erat, contendit flagitiosum esse istorum metum; virum vere Christianum Dominici cruoris nequaquam pudere, ne, & ejus olim Christum pudeat. *Quomodo*, inquit, *possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere?* Ad exemplum vero Domini quod isti objectabant, *Christum*, inquit, *offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificij ostenderet occasum & vesperam mundi*, &c. Quibus verbis significat propriam quandam & à sacramento nostro alienam, Christo fuisse causam, hora vespertina potius quam mane offerendi. Tum pergit; *Nos autem*, inquit, *resurrectionem Domini celebramus; & quia passionis eius mentionem in omnibus sacrificiis* (id est tam matutinis quam vespertinis) *facimus*, (*passio est enim Domini sacrificium quod offerimus*) *nihil aliud quam quod* illé

n Epiph. hær. 47. §. 1. p. 400. B.

o Bar. ubi sup. §. 11.

ille fecit, facere debemus. Scriptura enim dicit, quotiescunque enim ederitis panem hunc &c. Vnde postremo contra Aquarios illos suos concludit, *Quotiescumque ergo calicem in commemoratione Domini & passionis eius offerimus, id quod constat Dominũ fecisse, faciamus,* Vult scilicet, nos quacumq; vel die vel hora Eucharistiam celebramus, in calice non aquá meram, sed etiam vinum offerre, quod fecit Christus. Hæc vero est Cypriani disputatio, contendentis, non quod ei affingit Bellarminus, *nos mane offerre debere,* sic scilicet ut vespere offerre *valde absurdum sit*; sed sive mane sive vespere offeramus, nunquam absque vino offerendum esse. Bellarminus frustra objicit hæc Cypriani verba, *Nunquid ergo Dominicam post Cœnam celebrare debemus, ut Sacramenti veritatem fraternitate omni præsente celebremus?* Nam fallitur si putat iis significari absurdum esse, ut vespere vlla Eucharistia fieret. Ipsi etiam nunc Latini aliud sentiunt, qui in Natalis vigilia, media nocte Missificant; & ipse Bellarminus, & quidem hoc eodem loco observat, quod verum est, *veteres* (eos scilicet etiam qui quarto & quinto seculo vixerunt) aliquando sub vesperam celebrasse, vt feria quinta in Cœna Domini, & in Sabbatho sancto. Quis ergo Martyris in his verbis sensus est? Ille vero concedit Aquariis illis suis sacrum hoc epulum etiam vespere post Cœnam fieri & posse & debere; neque quicquam dicit, unde hoc ei absurdum visum esse, legitime colligere possis. Tantum negat eas collectas, quibus *tota,* ut loquitur, *fraternitas præsens* intererat, die Dominico, vespere & nocte post Cœnam fieri debere; idque eo probat, quod resurrectionem Domini, quæ illo solenni collectarum Christianarum die celebratur, mane non vespere, celebrari deceret; quia scilicet Christus non vespere, sed bene mane de mortuis resurrexit. Hoc enim clarissime his verbis expressit, *Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus.* Ergo in allatis à Bellarmino verbis, *Dominicum celebrare*, non est quod ille sensisse videtur, Eucharistiam facere, sed diem Domini, id est, ut notum est, diem quo Dominus resurrexit, quique inde *Dominicus* à Christianis dicitur, in eius resurrectionis memoriam, in plena fraternitatis collecta celebrare. Hoc vero est quod Cyprianus vespere post cœnam fieri absurdum esse putat; quodque mane, & fieri significat, & faciendum esse pertendit. Iam cum Aquarii isti confiterentur in vespertinis sacris, mistum vino calicem offerri licere ac debere, quod nemo vereretur scilicet, ne tali tempore ex odore percepti calicis quisquam Christianus deprehenderetur; rogat Cyprianus, num ergo collectæ Dominicæ diei in vesperam post cœnam differri debeant, quo fideles securi calicem sacrum vino miscere possint? Cæterum quin aliis diebus Eucharistia post cœnam fiat, nuspiam intercedit; quinimo id à Christianis fieri statuit, ac ut loquuntur, *supponit*, cum dicit, *Etsi mane aqua sola offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus mixtum calicem offerimus; sed cum cœnamus, ad convivium nostrum plebem convocare non possumus, ut sacramenti veritatem fraternitate omni præsente celebremus.* Hic utrumque sacrificium

Caput X. agnoscit; matutinum & vespertinum; illud mane, hoc post cœnam offerri solitum; hoc tantum discrimine, quod matutinum tota teste ac præsente fraternitate fieret, die scilicet Dominica, ad resurrectionem Christi celebrandam conveniente; vespertinum vero minus frequens esset, quod ad convivium plebs convocari non posset. De his Cypriano cum adversariis convenit. Id unum negat, ac merito quidem negat, aliter mane quam vespere agendam Eucharistiam; defendit tam illam quam hanc vino miscendam esse; quod rem, temporis quo fit diversitas non mutet. Vbicumque & quocumque tempore celebretur, idem esse Christi sacramentum, ex iis rebus conficiendum ex quibus à Christo primum institutum ac confectum fuit. Ex his patet nihil ad præsentem disputationem pertinere totum hunc Cypriani locum; in quo scilicet nulla est jejunii, non modo *naturalis*, de quo quæritur, sed ne *Ecclesiastici* quidem mentio. Quos de seculo quinto ac sexto testes addit, Chrysostomum & Augustinum, ij à præsenti quæstione alieni sunt: qui iis temporibus vixerunt scilicet, quibus & tacito fidelium consensu, & nonnullarum etiam Synodorum decretis jam inoleverat, ut Eucharistia à jejunis sumeretur: non tamen ea religione atque morositate, ut nefas putarent eam aliquando ab hominibus pransis & confici & percipi: quod vel ex eo ipso Augustini loco, apparet, quem hic Bellarminus describit. Sanctus enim ille scriptor licet Eucharistiæ à jejunis percipiendæ morem & ab Apostolo Paulo *ordinatum*, & in Ecclesia ab omnibus semper, & ubique (excepta feria quinta Paschali) nulla varietate observatum, (quod utrumque non usquequaque verum est) eo sibi persuaderet, quod ita vulgo passim apud nostros fieri videret, modestissime tamen illam de feriæ quintæ Paschalis communione quæstionem, eane

p Aug. ep. 118. c. 6. ext. à jejunis; an à pransis fieri deberet, his verbis concludit: p *Quapropter neminem*, inquit, *cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere: sed nulli etiam*, (ita scilicet instituenti) *contradicere audemus*. Hinc colligere promptum est, Augustinum, si rem accuratius expendisset, facile fuisse animadversurum, primo apud Apostolicam, Apostolicæque proximam Ecclesiam non fuisse quod ille putavit, insolens & insuetum cœnatos communicare: secundo, ne suo quidem ævo apud omnes obtinuisse, ut præter 5. feriam ante Paschalem cæteris omnibus anni diebus, nulli nisi jejuni ad Eucharistiam accederent; tertio denique Paulum non modo non reprehendere proprie ac nominatim, quod Corinthii communicarent non jejuni, sed etiam hoc ipsum illis disertissime concedere, ut inposterum post sumptum cibum communicent. Quid enim his Pauli

q 1. Cor. 11. 33. 34. verbis disertius? q *Cum conveniris ad manducandum, invicem exspectate. Siquis esurit, domi manducet.* Planus est sensus: is ipse quem ex Anselmo

r Bell. l. 2. de miss. c. 14. ext. §. Resp. duobus modis. profert Bellarminus: r *siquis non potest tamdiu jejunus in Ecclesia* (idest in conventu fratrum) *permanere, prius domi sua cibum sumat, & sic ad Ecclesiam veniat.* Quod vero ait addere Anselmum, *eum qui cibo sumpto ad Ecclesiam venit, non debere Eucharistiam sumere*, id inquam, erat

eius

eius seculi, quo vivebat Anselmus, usus ac sensus: non est Apostoli præceptum, qui adeo ab hoc abfuit, ut eum qui diutius esuriem ferre non potest, non alia de causa, domi, priusquam ad cætum fratrum veniat, manducare velit, quam ut ita placato stomacho fratres, si qui ut fit, tardius conveniunt, nullo suo incommodo exspectare, unaque cum iis Eucharistiam, quod decet, sumere possit. Etiam inverecundius est, quod Bellarminus negat hoc ab Apostolo dici, *ut ita fiat, sed ut confundantur hujusmodi homines gulæ addicti, tanquam qui indigni sacra communione ab Ecclesia expellantur.* Primo enim, quod ille *homines gulæ addictos & communione indignos censet*, quicumque diutius inediam non ferunt, id nemo non videt quantopere à vero & justo alienum sit. Quam multi sunt sobrii cætera, ac temperantes homines, quibus tamen ea est ventriculi temperies, ut cibo diu carere citra perniciem non possint? Ita Bellarminum sui erroris studium coëgit infirmitatem naturalem pro vitio ac pæne pro impietate traducere: ut Pauli eam fuisse mentem fingere possit, quam non esse omnia liquido arguunt. *Si quis esurit*, inquit, *domi manducet, ut non in judicium conveniatis.* Ergo & hunc cui concedit ut domi edat, convenire vult; tantum ne *in iudicium conveniat*, providet; ut ventriculum, si inediæ impatiens sit, domi sobrie aliquid alimenti iniiciens, muniat, ne fratrum tardius convenientium moras non ferens, hominem cogat præter caritatis ac pietatis Christianæ leges, solum iis non exspectatis cœnare, totumque conventum sua intemperie, suoque fastu turbare ac offendere. Hanc Augustinus, quo erat ingenii acumine, animique candore, Apostoli fuisse mentem vidisset, nisi præstantissimi viri mentem præceptus ex sui ævi moribus, de jejunii ad Eucharistiam percipiendam necessitate error aliò avertisset. De Græcis si qui Apostolum aliorsum torquent, idem iudicandum est. Sed quid in istis moramur, quæ à re quam agimus plane aliena sunt? Omnis hæc Bellarmini fraus est, controversiam, quæ cum illo nobis est, ita invertentis, quasi nos negemus quemquam fas esse ad mensam Domini jejunum accedere; à quo tam longe absumus, ut ne nos quidem ipsi aliter fere quam jejuni Eucharistiam sumamus. De sola Latinorum morositate querimur; Non jejunii simpliciter, sed *naturalis illius jejunij* necessitatem oppugnamus; eiusque legem, ac exemplum ex libris vel divinis vel etiam Ecclesiasticis ante duodecimum seculum frustra poscimus. Cum ergo nullum illi ex superioribus seculis sui hujus jejunii argumentum vel proferant, vel proferre possint, conclusum esto hanc eorum legem, ne quis à media nocte nisi *naturaliter* (ut ipsi intelligunt) jejunus Eucharistiam vel conficiat vel sumat, non quod jactant, antiquam & Apostolicam, sed novellam & recentem esse ab hominibus duodecimi seculi nuper excogitatam, ac promulgatam, ex mero nuperi de transsubstantiatione dogmatis studio profectam.

CAPUT XI.

Altera Latinorum in jejunio circa Eucharistiam novitas, quod hanc illi jejunantes sumant; quam veteres nonnisi jejunio absoluto, quibus diebus jejunabant, sumebant; adeoque vespere tantum, aut hora nona, quoties dies erat jejunialis. Ratio hujus diversitatis inde est; quod Eucharistiæ sumptione solvi jejunium, veteres quidem agnoverint; Latini vero negent.

Alterum, quod dixi, circa jejunium in hoc negotio discrimen est, quod qui jejuni Eucharistiam sumunt, eorum jejunium ipsa sacramenti sumptione solvi ac frangi veteres quidem putabant; Latini vero negant; Atque inde secuta est altera inter utrosque de hora celebrandæ Eucharistiæ diversitas. Eam enim Latini quidem omni die, etiam jejuniali, mane celebrant; veteres vero cæteris diebus mane; jejunialibus, nonnisi post meridiem celebrabant. Nos, ut res tota certius intelligi possit, de utroque capite ita dicemus, ut à posteriori ordiamur; quia id à priori ortum est, & insuper ex antiquis monumentis notius est.

h Missale tit. de defect. circ. Miss. c.10.§.1.

Latinorum ergo hodierna scita sunt, ex authenticis eorum libris, *h* & ex quotidiana Sacerdotum missificantium praxi notissima, *tempus debitum celebrandæ Missæ esse ab Aurora usque ad meridiem communiter*; quod ultimum addunt propter unam Dominici Natalis noctem, qua Missam apud eos cantari solenne est. Si hanc unam noctem exceperis: cæteræ omnes totius anni Missæ, nullo diei jejunialis à festo discrimine, mane ante meridiem fiunt. Siquæ pomeridianis horis fierent, eæ vitio factæ, ac ut ipsi loquuntur, *defectu* laborare censerentur.

Veterum morem, quem dixi, fuisse, ut Eucharistia die jejuniali non ante celebraretur, vel sumeretur, quam hora solvendi ea die jejunii solennis advenisset, multa ex antiquis monumentis docent. Vetustissimos ita observasse ex insigni quodam Tertulliani loco, si eum paulo diligentius expendamus, facile intelligemus. Is exstat in libro de Oratione, *i* pæne extremo, ubi cum in eos dixisset, *qui jejunantes habita oratione cum fratribus subtrahebant osculum pacis*, aliam quamdam eorumdem religionem excutere ita pergit; *similiter & stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod Statio solvenda sit accepto corpore Domini.* Hæc ille, quæ ut intelligantur, sciendum est jam tum apud nostros solennes fuisse quartæ & sextæ feriæ, ut vocabant, *stationes*, quibus jejuni ad horam nonam perstabant, & stationem ea hora Eucharistiæ communione concludebant. Id vel inde patet, quod apud eumdem scriptorem sed in alio opere, legimus *k* Montanistas à Catholicis fuisse reprehensos, quod ij stationes plærumque *in vesperam producerent*; longius scilicet quam fiebat penes Ecclesiam, quæ suas non

i Tert. de Or. c.14.p.155.

k Idem de jejun. c.2. p.702. & c.1. p.701. C.

non ultra nonam *producebat* vel extendebat. Idem ex eo intelligitur, quod idem alibi tempus Christianæ stationis componit cum tempore, quo vulgo ibatur ad balneas, quas ab hora octava ad nonam patuisse observarunt eruditi, ut Salmasius *l* qui instar omnium est. *Ut si statio* (inquit Tertullianus) *m facienda est, maritus de die condicat ad balneas:* ubi recenset religiosa Christianæ mulieris officia, quæ conjugis si is Paganus esset, contrariis studiis subinde impediebantur. Sed & quod ibidem sequitur, *m si iejunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat*, id inquam, ostendit stationem à nostris nondum fuisse illo ævo pro iejunio habitam, quod sequentibus demum temporibus obtinuit. Tertullianus enim alterum ab altero apertissime separat, dum utrumque seorsum memorat; & stationis quidem tempus cum *balnearum hora*, iejunii vero cum tempore convivii componit, quod sub noctem iniri solebat. Nimirum iejunium vocabant, quod unius diei solidi erat ab aurora ad vesperam; In statione vero non ultra nonam jejunabatur; unde est quod alibi Tertullianus *stationum*, non *iejunia* dicit, *n* sed *semi iejunia*. Ex his videmus, verbis illis quæ ex libro de oratione recitavimus, significari, stationis die, quo ad nonam iejunabatur, synaxin Eucharisticam hora nona fuisse celebratam, non autem mane. Ait enim Tertullianus stationem *solutam esse accepto corpore Domini.* Sed inde quoque apparet, pleni iejunii die, ne hora quidem nona, sed vespere factam fuisse synaxin; quod qui ex privato voto iejunabant, *iis plerique non putarent stationum diebus sacrificiorum orationibus interveniendum:* quia scilicet Eucharistiam à stationem quidem observantibus, hora nona; à iejunantibus vero, non nona, sed vespere tantum accipi, solenne ac legitimum erat.

l Not. in Spart. Adr. p.55.F.A.B.

m Tertull. l. 2. ad vxor. c.4.p.189.C.

n Id. l. de jejun. c.13.

Quarto seculo adulto ac præcipiti eandem fuisse apud nostros celebrandæ Eucharistiæ disciplinam docet Epiphanius. Scribit enim quarta sextaque feria ad horam nonam iejunatum esse, eademque hora synaxin habitam, id est Eucharistiam celebratam fuisse: Pentecoste vero tota, necnon omnibus diebus Dominicis, synaxes factas fuisse matutinas: quod nimirum, neque Pentecoste tota, neque die Dominica iejunare fas esset. Sic enim de Pentecoste verba faciens, *o* definit; ἀντὶ δὲ τῶν ἐνάτων συνάξεων, τετράδων καὶ προσαββάτων, ὡς ἐν ἡμέρᾳ Κυριακῇ, κατὰ τὰς πρωΐνας αἱ συνάξεις ἐπιτελοῦνται. *Pro synaxibus quæ quarta sextaque feria, ad horam nonam fiunt, tunc* (quinquaginta Pentecostes diebus) *synaxes perinde ac die Dominica, matutino tempore celebrantur.* Ac paulo post narrat idem *tota quadragesima ab hora nona ad vesperam synaxes fieri.* ὅλην τὴν τεσσαρακοστὴν ἀπὸ ἐνάτης εἰς ἑσπέρας. Eodem pertinet quod mox subiicit, *quibusdam in locis feria quinta cultum œconomiæ* (id est incarnationis sive carnis à Dei Filio assumptæ) *fieri hora nona*, quod scilicet eo die iejunarent. Ex his omnes vident festis quidem ac cæteris diebus Eucharistiam mane: iejunialibus vero pro iejunii modo, vel nona vel vespere factas fuisse.

o Epiph Expos fid. §. 22. 8.110.1105. A.B C.

Cap. XI.

His congruit quod quinto seculo ad quandam Ianuarii de feriæ quintæ antepaschalis observatione quæstionem respondet *p* Augustinus. Cum enim dixisset ea die plures & prope omnes in plærisque locis lavare consuevisse, ideoque prandere, iejunium laxantes, sic pergit: *Et quia nonnulli etiam iejunium custodiunt: mane,* inquit, *offertur propter prandentes, (quia iejunia simul & lavacra tolerare non possunt) ad vesperam vero propter ieiunantes.* Non potuit clarius id confirmare, quod ex Tertulliano & Epiphanio demonstravimus, Eucharistiam diebus ieiuniorum vespere; aliis, quibus *prandebatur* (id est qui ieiunii expertes erant) mane celebrari solenne apud veteres Christianos fuisse; adeoque qui fideles ieiunabant, eos Eucharistiam vespere tantum, vel certe nona, (si quarta sextave feria esset) qui prandebant, mane sumpsisse. Id ipsum Valafridus homo noni seculi, de veteri memoria repetitum commemoravit, *q* ubi de fidelibus die Dominicæ cœnæ communicantibus; *Ipsa die*, inquit, *solvebant ieiunium, sicut in festis ab litare solemus, & ante meridiem collectas explebant.* Eos nimirum significat synaxes, si ieiunassent, vespere expleturos fuisse. Sed & undecimo seculo perseverasse apud Græcos eundem morem, Nicetas Pectoratus exsertissime testatur in sua adversum Latinos disputatione, narrans *r communionem* illam, quæ apud suos fiebat, diebus omnibus quadragesimæ ieiunialibus, *hora nona* factam fuisse, statimque fideles ad cibum sumendum dimissos esse. Quin & ab ipsis Latinis diu servatum fuisse illud esurialium dierum ab aliis discrimen, ut Missæ illis quidem nona, his vero tertia aut sexta fierent, ea ostendunt quæ Cassander scribit, *s se in vetustis Calendariis ieiunium sive vigiliam ita denotatam reperisse, verbi causa in vigilia Epiphaniæ*, Ieiunium & Missæ hora nona. Vigilia Petri & Pauli; & Missæ hora nona. Hæc ille quæ clara sunt. Sed eadem quoque docet vetus canon à Burchardo, Sylverio Papæ; ab Ivone & Pannormia & Gratiano, Concilio Cabilonensi, denique Eusebio à Polycarpo adscriptus, in hæc verba conceptus. *t Solent plures qui se ieiunare putant in quadragesima, mox ut signum audierint, ad horam nonam manducare. Qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si ante manducaverint quam vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solennibus & vespertinis officiis largitis eleemosynis ad cibum accedendum est. Si vero aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad Missam venire non valeat, æstimata vespertina hora, completa oratione sua, ieiunium absolvat.* Hæc Canon; quem Sylverio vel Eusebio tribuere stultum est. Fieri potest, ut Synodi alicuius Cabilonensis fuerit, quæ nunc nulla exstat. Vtcumque sit, veterem esse certum est; qui apud Theodulfum totus legitur. *u* Is autem sub finem octavi seculi, vel certe sub noni initium Capitulare collegit. Ex hoc vero Canone patet Missam quadragesimali tempore post horam nonam celebratam fuisse. Itaque Gratianus huic capitulo hunc titulum præfixit; *x Ante Missarum solennia circa horam nonam decantata, in Quadragesima comedere non licet.* Recte; est enim hic Canonis

p Aug. ep. 118. c. 5. A.

q Valaf. de reb. Eccl. c. 20. T. X. BB. PP. p. 678. A.

r Nic. Pect. cont. Lat. BB. PP. Tom. IV. part. 2. p. 236. E.

s Cass. ad Hymn. Eccl. schol. in Hymn. *Iam lucis orto* p. 181.

t Burch. l. 13. c. 13. Ivo Part. 4. c. 45. Pann. l. 2. c. 184 Polycarp.

u Theod. capit. ad Presb. c. 39. T. 3 Conc. Gall.

x de Cons. d. 1. c. 50. Solent.

ais sensus. Tum eo recitato Gratianus, *in ieiuniis etiam quattuor temporum* (inquit) *circa vespertinas horas, in sabbatho vero sancto circa noctis initium Missarum solennia sunt celebranda*; idque aliquot Paparum autoritate firmat. Ioannes Bolethus *y* (qui Parisiis Theologicæ scholæ Rector a. D. 1162. floruit) *Cantatur* (inquit) *Missa diebus festis hora tertia; profestis sexta; & nona in quadragesima ac aliis diebus ieiuniorum*. Ex his Cassander, vel ex aliis veteris alicuius scriptoris illa hauserat, quæ in eundem plane sensum dicit; *z Tertia hora* (inquit) *Missa fiebant diebus festis; sexta vero profestis; nona vero diebus ieiuniorum, eamque prandendi horam Benedictus suis ab Idibus septembris, usque ad quadragesimam præscripsit*. Durandus quidem Mimatensis eadem totidem fere verbis habet, *a Missa cantatur, inquit, diebus Dominicis & festivis, hora tertia; in profestis hora sexta; in quadragesima, hora nona, & etiam ex institutione Pelagij Papæ & aliorum, in diebus ieiuniorum, non tamen omnibus*. Imo non Pelagii, aut sequentium institutio, sed antiquissimæ, ut ex prædictis patet, Ecclesiæ disciplina hæc fuit, ut die omni ieiuniali synaxis vespere, vel certe hora nona celebraretur. Radulfus quoque Tungrensis ex Canonibus, quos ex Gratiano citat, *Missas in quadragesima hora vespertina celebrari* colligit. *b* Tum, *Ex hac*, inquit, *antiquitate hodie servatur, ut diebus ieiuniorum Missa in nona dicatur; & aliis diebus ad tertiam. Et si ambo concurrant, Missa de festo ad tertiam festive dicatur, & de ieiunio ad nonam. Et ita fit Romæ & in Colonia*. Ergo hæ veteris disciplinæ reliquiæ etiam ad seculi XIV. finem manserunt, quo tempore Radulfus suum hoc opus edidisse videtur. Æthiopes vetus institutum etiam nunc servare testantur, qui de eorum rebus scripserunt: Godignus Iesuita, *c In quadragesima*, inquit, *donec sol occidat, nihil degustant. Paulo ante occasum, rem divinam faciunt sacerdotes; non prius*. Tum, *Diebus Mercurij tunc licitum putant, cum Sol occidens quinque efficit umbrarum pedes; diebus Veneris cum efficit septem*. Sed & alterius nescio cuius scriptoris hæc apud eundem verba sunt, tradentis ieiunij diebus hora post Meridiem tertia fieri apud Æthiopes sacrificium: reliquo tempore ante Meridiem. Itaque omnes Græci & Æthiopes hunc etiam hodie morem longa à maioribus traditione propagatum retinent. Latini, qui & olim ipsi diutissime servaverant, nunc in alia eunt novitatis, & defectionis à Patrum disciplina hac in parte manifeste rei sunt.

y Bel. Ration. divin. offic. c. 50.

z Cass. ub. sup.

a Dur. Ration. l. 4. c. 4. fol. 53. col. 3.

b Rad. Tung. de Can. observ. Prop. 23. T. X Bibl. Pat. p. 1152. extr.

c Godig. l. 1. de reb. Aboss. c. 35. p. 218. 216.

Iam ad alterum observationis caput venio; nimirum veteres olim sensisse, quod nunc Latini negant, Eucharistiæ sumptione frangi jejunium. Ac veterum quidem eam vere fuisse sententiam, primo aperte validéque arguit ipsum illud discrimen, quo jejunialium dierum Eucharistias à cæterorum dierum synaxibus ita distinguebant, ut has mane ad horam tertiam, illas nonnisi vespere, vel hora nona celebrarent, vel sumerent. Quam enim Eucharistiam alias matutinis, vetustissimi plærumque etiam antelucanis horis & agebant & accipiebant, cur eam

jejunii

Cap. XI. jejunii temporibus ad vesperam, vel certe ad nonam differrent, nulla idonea quidem & consentanea ratio alia afferri potest præter ipsum jejunium. Id discrimen non ad horæ ingenium, sed ad jejunij modum pertinuisse hoc ipso satis constat, quod non uni eidemque horæ synaxis illa à cæteris diversa affigebatur, sed modo vespere, modo nona fiebat, pro jejunii ratione ac modo; nona si ad nonam, vespere si ad vesperam jejunabatur. Atqui jejunium, synaxeos ad horam, quo ipsum solvendum erat, differendæ, nullam profecto caussam vel occasionem præbuit, nisi id frangi percepta Eucharistia, statuas. Quo factum est, ut Latinis die quovis etiam esuriali, nulla religio fuerit mane vel missificare, vel communicare; postquam semel sibi persuaserunt jejunium Eucharistia sumpta minime frangi. Quid ergo superest, nisi ut veterum, quorum usum alium fuisse probavimus, aliam quoque fuisse de his sententiam agnoscamus? quosque die jejuniali non alio, quam quo jejunium solvendum erat, tempore Eucharistiam sumpsisse animadvertimus, eos Eucharistia sumpta jejunium putasse frangi intelligamus?

Secundo id ipsum ex nuper laudato Tertulliani testimonio discimus. Quod ut aupiamus, meminisse nos in primis decet eorum, quæ ibi ex eodem auctore demonstravimus; primo *jejunare* illo ævo fideles non alios esse dictos, quam qui solidum diem, id est usque ad vesperam jejuni, ἄσιτοι καὶ ἄγευστοι egerant; qui vero ad *stationem* Ecclesiasticam conveniebant, eos diei illius *jejunium*, vel ut Tertullianus accuratius loquens vocat *semijejunium*, non ultra nonam produxisse. Si quis ergo quarta, vel sexta feria quæ stationum dies erant solennes, ultro ac spontaneo quodam voto jejunare decrevisset; quæritur an is stationi, & sacro, quo ea claudebatur, interesse debuerit, nec ne? Atqui si eadem tum nostrorum, quæ hodie Latinorum est, religio fuisset, nulla quærendi ratio fuit. Quæsitum tamen fuisse apparet, & ita quidem, ut *plærique* negarent jejunantem stationis officio interesse debere, ea ratione adducti, quod statio quidem accepto hora nona Dominici corporis sacramento solveretur; isti vero de quo quæritur, ad vesperam ex suscepto jejunii obsequio, jejunandum esset. Hic verus est eorum verborum sensus, quæ hoc loco prima apud Tertullianum occurrunt, in quibus ex proxime superioribus patet de iis tantum sermonem esse, qui die in quam statio incidebat, jejunare decrevissent; *Stationum* (inquit) *diebus non putant PLÆRIQUE sacrificiorum orationibus* (quibus scilicet statio Eucharistià ad nonam claudebatur) *interveniendum*. Quæ autem ratio plærosque istos ita sentire compelleret, statim hanc edit; *quod statio* (inquit) *solvenda sit accepto corpore Dominico*; id est Dominici corporis sacramento, quo sumpto stationis semijejunium claudebatur. Si ex hodierna Latinorum disciplina rem æstimes, fateor totidem esse gryphos, totidemque ænigmata, quæcumque Tertullianus hic loquitur, & istorum, quos nostrorum *plærosque*

d Tertull. de Orat. c 14. extr. p. 155. A.

rosque

usque fuisse dicit, & sententiam, & quam edunt sententiæ rationem, vix aliud videri, quam hominum febricitantium deliramenta. Mitto quod ibi Domini corpus in Ecclesiasticæ stationis fine, hora nona (quę nobis est tertia pomeridiana) accipitur; Id vero Latino homini ex suo ritu omnia metienti, monstrum est. Sed quod isti negant homini jejunanti *interveniendum orationibus sacrificiorum*, quis hodie Latinorum capiat, qui nullo magis tempore, quam quo jejunatur, Missale suum sacrificium frequentandum existimant, & legitime jejunantes *e ad id concurrere* jubent? Rationem vero quam *plerique* isti secundi seculi Christiani suæ hujus sententiæ afferunt, quæ Latinorum aures, quamlibet *antiquaria* dicunt an *veteratoria*, patienter audiant? vel non abnormem insanam judicent? Qui jejunat (inquiunt) sacro Eucharistico; quod in statione fit, abstineto. Quid ita, inquam? *Quia* (inquiunt) *statio accepto corpore Domini solvenda est*. Bella vero inquis ratio. Quasi jejunantem corpus Domini vel accipere, vel id, quo *accepto solvitur statio*, sumere nefas sit? Quasi & jejunanti, siqua religio sit communicare quo tempore solvetur statio, non liceat sacrificio intervenire, neque tamen ex eo gustare? Ego vero non abnuo ista, quod dixi, ad hodiernum Latinorum ritum accepta, recti sensus inania videri. Sin tu quod verum, ac necesse est, mentem à præsentibus deflectas, & alios fuisse priscæ illius Ecclesiæ ritus cogites, quam qui tui hodie sunt; non dubito, quin tu ipse Tertullianeos illos fideles, qui ex suis, non ex tuis moribus loquuntur, nihil absurdi dixisse perspecturus sis. Illud enim primum, quod mirificum tibi visum est, Eucharistiam post meridiem celebrari & accipi, jam supra ostendi istorum ævo, etiam postea diutissime, & quidem apud ipsos tuos citimorum seculorum maiores frequens ac familiare fuisse. Sed & quod te non parum novit, fidelem vel sacro communicari, vel certe ab eo abesse debere, apud istos vetustissimos etiam lege cautum fuisse postea *f* demonstrabitur. Esto, inquis. Vetitum sit ac nefas, qui Eucharistico sacro intervenit, cum non accepto Domini corpore dimitti. Sed cur hominem fidelem sacro, quod etiam hac lege fit, excludam, quod illo die ieiunet? quasi ieiunantem ulla lex vetet corpus Domini accipere? Tua quidem certe, inquam nulla lex hoc prohibet. Apud illos veteres, ipsa naturæ lex hoc vetabat, quæ neminem concedit uno eodemque momento & ieiunare & vesci. Ex hac naturæ lege, qui ieiunabat, sibi non putabat sacrum panem ante sumere licere, quam desiisset ieiunare. Iam ex ævi illius more, qui apud nostros ieiunabat, is omni cibo ad vesperam abstinebat. Qui vero stationem observabat, eique intererat, tribus ante vesperam horis sacrum id est Dominicum panem accipiebat. Ergo ieiunantem, cui ad vesperam cibo erat abstinendum, haud stulte nostri illi *plerique* statione summovebant, ne sumptus hora nona sacer cibus ieiunium ab eo susceptum ante suum tempus frangeret. Hæc vel ita accipienda sunt; vel mente & sensu carent. At Tertullianus noster nugari, & insana profundere non solet.

CAP. XI.

e De consecr. d. 1. c. 50.

f infr. l. 4.

Cap. XI. Omnino ergo, ut hos nodos explices, fateri mecum debes illius ævi Christianos una cum universo præter vos, hominum genere putavisse panis, etiam sacri sumptione frangi ieiunium. Hoc nisi posueris, de hac Tertulliani oratione actum est. Sin hoc, quod ipsi etiam sapiunt sensus, admiseris, videbis plærosque illos fideles merito putasse, non ieiunasse eum ad vesperam, qui hora nona Eucharistiam in statione sumpsisset; neque adeo abs re iudicasse ei statione carendum fuisse, qui eam diem, qua statio haberetur, jejunialem ipse habere decrevisset. Sed quid ad hæc Tertullianus? Probat ne istorum sententiam? Non probat quidem; Sed illud tamen, quod illi ponebant, arcte cum iis tenet jejunium Eucharistia sumpta solvi. Quid ergo? Censet ne etiam jejunanti esse sacrificiorum orationibus interveniendum. Censet; inquam. Sed quomodo? Siccine, ut iste hora nona cum cæteris sacro pane vescatur? Minime, inquam. Male factum, inquis. Id enim hoc loco si noster erat, pronuntiasset. Sane inquam; & quidem plærosque istos cum convitio dimisisset, tarditatem eorum increpans, qui jejunium sumpta re cœlesti violari impie sentirent. Iejunium integrum servari vult; indignans, quod quisquam putet ideo solvendum esse, quod Eucharistiam eo die quo jejunat, esset sumpturus; imo hoc ipso nomine arctius & religiosius servandum esse probat. *Ergo-ne* (inquit) *devotum Deo obsequium* (ieiunium) *Eucharistia resolvit, an magis Deo obligat? Nonne solennior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris?* Quipote, inquis, si corpus Domini, quod hic in statione hora nona datur, jejunanti non licet ante vesperam gustare? Quid hic ille facturus est contrariis utrinque caussis constrictus? quem votum ad implendum, statio ad stangendum ieiunium vocat ac compellit? Audi jam Tertullianum. Ille hominem paucis, neque ex tua certe, sed ex sua quadam antiquitatis propria disciplina, sic absolvet, ut in neutrum partem peccet. *Accepto* (inquit) *corpore Domini & reservato, utrumque salvum est & participatio sacrificij* (Eucharistiæ in synaxi celebratæ) *& executio officij* (ieiunij scilicet) Nodum in speciem perplexum nullo negotio dissolvit, adhibito temperamento, quod illius seculi mores concedebant; nostri respuunt, etiam vestri, licet tanti sitis antequarij. Iubet hominem ieiunantem stationi, si ea sit dies, interesse & sacrificij Eucharistiæ orationibus intervenire. Iubet ad aram Dei adstare; Dominici corporis sacramentum cum cæteris suo ordine fidelibus accipere; ita satisfacturum *stationis* religioni. Cæterum acceptum sacramentum non statim & è vestigio sumi, sed quod tum licebat, *reservari* præcipit, vespere, non prius, sumendum; quo demum tempore sanctissimus cibus rite jam peractum ex voto ieiunium legitime, nulla cuiusquam fraude sit soluturus. Atqui reservari & ad vesperam differri non præciperet, nisi eius esu ieiunium frangi putasset. Ergo tam ipse, quam *plærique* illi fratres quorum hoc loco consilium repudiat, una consentiebant Eucharistiæ esu & potu frangi ieiunium.

Eandem

Eandem fuisse & sequentis post Tertullianum Ecclesiæ sententiam Origenes testatur, g ubi docet Eucharistiam *secundum id, quod habet materiale, in ventrem abire & in secessum eijci.* κατ' αὐτὸ τὸ ὑλικὸν εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖν, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεσθαι. Cibo huiusmodi, qui in alvum descendat, & inde in secessum eiiciatur; sumpto solvi ieiunium nemo negaverit. Ergo veteres Eucharistiæ, de qua ita sentiebant, esu frangi ieiunium putabant. CAP. XI.

g Orig in Matt. Tract. 15. T.2.p.27.

Quinti quoque seculi Christianos eadem censuisse ex eo Augustini loco patet, qui nuper est adductus; ubi de quinta Paschalis hebdomadis feria loquens h *Mane* (inquit) *offertur* (Eucharistia scilicet) *propter prandentes; ad vesperam, propter ieiunantes.* Quod Eucharistia illa die vespere offeratur, id ait fieri in eorum gratiam, qui ieiunabant. Optima ratio, si Eucharistiæ sumptione solvi ieiunium putavit. Sic enim necesse fuit eo die ieiunantem Eucharistia carere, si ea mane tantum hora tertia oblata esset. Si vero qui Eucharistiam hora tertia sumpsit tam est, quod tu sentis, ieiunus quam si aerem & auras tantum hausisset, inepta erit sacri vespere ob ieiunantes oblati ab Augustino adducta ratio; quia hos, si, quæ vos dictatis, vera sunt, hora diei tertia nulla ieiunij sui fraude, una cum prandentibus, communicare licebat. Nisi ergo Augustinum cum ista scriberet delirasse velis, confitendum est eum sensisse ieiunium esu Eucharistiæ frangi. Neque eum sensisse mirum est ieiunium eius panis esu solvi, quo ventrem quoque ipsum *refici alibi* docet; *Eucharistia* (inquit) *panis noster quotidianus est; sed sic accipiamus illum, ut non solum VENTRE, sed & mente reficiamur.* Ergo Eucharistico cibo etiam venter ex Augustino reficitur. Atqui ieiunium omnes solvi fatentur eiusmodi cibi sumptione. Vt autem hic Augustinus pane Eucharistico non tantum mente, sed etiam ventre refici communicantes dixit, ita iampridem Iustinus docuerat k *sanguinem & carnes nostras ali per mutationem ex cibo benedicto per orationem sive precem verbi quod est ab eo, vel super quem cibum gratiæ acta sunt.* ἐξ ἧς (τῆς δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθείσης τροφῆς) αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν. Clare dicit ex pane sive cibo eucharistico corpus nostrum nutriri. Eadem Irenæus Iustino paulo iunior, scribit l fidelium *carnem à corpore & sanguine Domini* (id est utriusque sacramento) *ali.* Et iterum alibi clarius; m *ex calice & panes, qui facti sunt Eucharistia sanguinis & corporis Christi, augeri & consistere carnis nostræ substantiam*; & paucis interiectis, n *carnem nostram* dicit *de calice, qui sanguis est Christi, nutriri & de pane, qui est corpus eius augeri*; & paulo post, o *corpora nostra ex Eucharistia, quod est corpus & sanguis Christi, nutrita, & reposita in terram & resoluta in ea suo tempore resurrectura.* Horum doctrina cum eadem sit quæ Augustini, id quoque quod ex ipso collegimus, conficit, Eucharistiæ sumptione haud dubie frangi ieiunium.

h Aug. ep. 118. c. 15.

i Aug. Serm. 9. de divers. c.7.p.459.A.

k Iustin. Apol.2.p.77. lin. 2. 3.

l Iren.l.4.c. 34.

m Id.L.5.c. 2.

n Ibid.

o Ibid.

Denique omnes olim ante imperatam apud Latinos multis Paparum decretis transsubstantiationis fidem, idem sensisse eo apertissime

 docemur;

Cap. XI. quod Christiani, quibus ista decreta nondum innotuerunt, ij omnes confitentur esu Eucharistiæ frangi ieiunium Græcos interroga; Illi iam ante quinque secula usque adeo se ita credidisse respondebunt, ut iam tum Latinos violati quadragesimalis ieiunii ideo arguerint, quod quotidie in quadragesima Eucharistiam mane hora tertia sumerent. Nicetas Pectoratus Latinos ævi sui appellans, p circa an. D. 1053. *Ministrantes* (inquit) *atque complentes ministrationem sanctæ Missæ secus horam tertiam diei, qua & promulgatum est offerri sacrificium; quomodo ieiunium usq; ad horam diei nonam observatis solventes hoc in tempore ministrationis Missæ?* Exserte eum negat vere ieiunasse, qui mane res oblatas panem & calicem sacrum sumpserit.

p Nicet. contr. Lat. T. 4. Bibl. Patr. Part. 2. p. 212. quæ debuerat numerari 236.

Iam de Abassinis si quæras, quid ea de re sentiant, Godignus Iesuita ex suorum consecraneorum litteris atque commentariis, qui diu in Æthiopia commorati sunt, breviter ac rotunde narrabit q *eos credere ipso Eucharistico esu ac potu ieiunium frangi.*

q Godign. L. 1. c. 35. p. 216. 218.

Ex his, quibus quod recta adversetur, plane nihil ex priscis monumentis habent Latini, satis patet perpetuam ac constantem hanc fuisse veterum sententiam, Eucharistiæ sumptione vere solvi ieiunium. Vnde ortus est ille à Tertullianeis usque temporibus ultra seculum 13. etiam apud Latinos ipsos propagatus ritus Eucharistiæ vespere, vel hora nona diebus ieiunialibus celebrandæ ac sumendæ, qui etiam hodie apud Græcos & Abassinos manet. Latini vero, ut morem illum dudum (quod ostendimus) abrogarunt; ita sententiam ex qua ille profluxerat, exsecrantur; sicut apparet ex iis, quæ Humbertus Nicetæ Pectorato ad locum à nobis descriptum iisdem temporibus reposuit, r *O perfide* (inquit) *Stercoranista, qui putas fideli participatione corporis & sanguinis Domini quadragesimalia atque Ecclesiastica dissolvi ieiunia, omnino credens cælestem escam, velut terrenam per aqualiculi fœtidam & sordidam egestionem in secessum dimitti. Plane sentis cum Ario.* Caninam huius Dialecticam Cellotius Iesuita imitatus Græcos conficto circa Berengariana tempora hæreseos nomine *Stercoranistas* ipse quoque vocat. Illi vero dum sic agunt, non sentiunt se veteres Patres, quorum olim eadem fuit, quæ nunc Græcorum est, sententia, in Arianorum & Stercoranistarum sensu collocare; falso & supra quam dici potest contumeliose sed neque satis scio, qui suam ipsi sententiam turpi absurditate purgare possint. Nam qui Eucharistia solvi ieiunium tam præfracte negat Cellotius, idem tamen fatetur t ex immoderate sumptis eius speciebus etiam inebriari & prægravari posse hominem; quem si ista vera sunt, necesse erit simul semelque & sobrium & ebrium, & saturum & ieiunum esse posse.

r Humbert. contr. Nic. T. 4. Bibl. Patr. Part. 2. p. 245. 13.
s Cellat. Not. in tract. Anon. de Euch. p. 564.
t Id. ibid.

Sed hæc mitto: & quod præsentis instituti est, observare satis habeo novam esse & veteribus ignotam hodiernam illam Latinorum consuetudinem quibusvis toto anno diebus *etiam* esurialibus mane tantum ante meridiem missificandi, & opinionem, ex qua sunt in hunc

usum

usum delapsi, præfracte contra ipsam sensuum fidem negantes ieiunium CAP. XII.
Eucharistiæ esu & potu frangi.

CAPUT XII.

Disponitur sequens de Eucharistiæ consecratione disputatio. Duplex Latinorum circa eam novitas; prior in ipso consecrationis modo; altera in rerum consecratarum cultu. Ad priorem; Novum esse, quod nunc Latini solùs Christi verbis, Hoc est corpus meum &c. *Eucharistiam conficiunt, nulla adhibita ad eam benedicendam prece; sine qua veteres nunquam hoc sacrum confecisse reperiuntur. Verba* Hoc est corpus meum &c. *neque ut à Sacerdote Latino nunc recitantur, neque ut à Christo sunt olim prolata, ad hoc esse comparata, ut Eucharistia conficiatur, sed ut significent, quæ qualisque ea sit, postquam benedictione jam confecta est.*

DE præparatione ad Eucharistiæ consecrationem & sumptionem diximus. Iam ad ipsam ejus consecrationem, distributionem ac sumptionem veniamus. De consecratione primo dicendum est, ac de iis quæ illam proxime consequuntur.

Panis ergo ac vinum, duo illa quæ diximus, Eucharistiæ elementa à legitimo ejus ministro accepta, per benedictionem, sive gratiarum actionem rite peractam consecrata, & à fideli communicante sumpta sacramentum fiunt. Christus ipse præcepit, instituto que & exemplo ipse præivit. Clare diserteque rem narrant Evangelistæ, & Paulus. u *Edentibus illis accepit Iesus panem, & cum benedixisset* (Lucas & Paulus, *cum gratias egisset*) *fregit.* ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν, λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον καὶ εὐλογήσας (εὐχαριστήσας, Lucæ & Paulo) ἔκλασε. Atque hæc *benedictio*, sive *gratiarum actio*, legitimus consecrationis actus est, quo ex pane & vino sacramentum conficitur; juxta celeberrimum Augustini dictum; x *Noster panis & calix certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Proinde quod non ita fit* (id est qui panis quique calix certa illa consecratione non conficitur) *alimentum est refectionis, non sacramentum religionis.* Itaque Iustinus, ut panem hunc sic consecratum significaret, ἄρτον *panem* dixit εὐχαριστηθέντα, *eucharistizatum* (detur verbo venia) quod idem est, ac si εὐλογηθέντα *benedictum* dixisset; nimirum panem super quo gratiæ Deo actæ sunt; super quo benedictus fuit Deus. Nam divinis scriptoribus εὐλογεῖν *benedicere*, & εὐχαριστεῖν *gratias agere*, promiscue eodem sensu, ad idem significandum usurpantur. Eo factum est ut sacrum calicem Paulus, *calicem* sive *poculum benedictionis*, ποτήριον τῆς εὐλογίας dixerit; quod idem est ac si εὐχαριστίας, eucharistiæ sive gratiarum actionis dixisset; vel quod de pane dixit Iustinus, εὐχαριστηθὲν ποτήριον, *poculum eucharisti-*

u Matth. 26. 26. Marc. 10. 22. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24.

x Aug. cont. Faust. l. 20. c. 13.

y Iustin. apol. 2.

Cap. XII. pronuntiet, non magis sequetur id nunc quoque à presbytero fieri, quod tunc à Christo factum est, quam ex eo quod ibidem mox narrat, *Christum postquam cœnatum esset accepisse calicem*, consequens est, presbyterum ipsum quoque cœnatum esse, cum calicem accipit. Quis enim tam est obens mentis, ut nesciat, qui historias rerum gestarum narrat, vel ex libro recitat, significare quidem, quid ij, quorum res narrantur, gesserint? eadem illa, quæ gesta esse narrat, non efficere vi verborum quæ recitat ut iterum gerantur? Ne ipse quidem Orestes hæc vel dixerit, vel in animum admiserit. Nam quod ait Bellarminus Presbyterum ista dicere utroque modo & *recitative & significative*, id nemo credo negaverit. Quis enim rei alicuius gestæ historiam recitans, verbis, nisi mente captus sit, utatur nihil significantibus? Hæc ergo Presbyteri verba, Dominum dixisse de eo, quod discipulis porrigebat, *Hoc est corpus meum*, libens concedo significare aliquid, id est id ipsum significare, quod iis Dominus significatam esse voluit, panem illum esse corpus suum. Res tota quam significant, Christi est. Quid Presbyter vel facturus, vel dicturus ipse nunc sit, profecto non significant. Itaque si ista, quod ipsi volunt, iis verbis vis inest, ut à Presbytero rite ordinato de pane dicta, eum statim in corpus Domini commutent,

Id. ibid. §. secundum est.

debuit ea Presbyter de pane clare & aperte ipse ita dicere, *Hoc est corpus Domini Christi*, ut rem effectam daret non autem à Christo olim dicta nobis otiose narrare. Neque quicquam valent, quæ Bellarminus hic canit sacerdotem illum suum hic *agere personam Christi, induere omnino personam Christi, & loqui ac si ipse esset Christus; quomodo* (inquit) *Exodi 3. Angelus dicit, Ego sum Deus Patris tui.* Nam neque verum esse videtur, quod *Angelum* iste dicit

Exod. 3. 4. 5. 6.

hæc apud Mosem loqui: cum Moses disertissime narret hæc ad se ipsius

Act. 7. 30 31.

Domini verba fuisse: *Dominus* (inquit) *vocavit eum* (Moysem) &c. *& ait, Moyses, Moyses, ne appropies*, &c. *& ait, Ego sum Deus Patris tui* ex quibus patet Dominum ipsum hæc dixisse. Nulla enim alia persona in tota hac narratione nominatur, præter Dominum ipsum, qui eum *de medio rubi* vocavit. Qui vero Mosi Angelum in rubo *apparuisse* dicit Stephanus, ille ibidem hanc ipsam vocem ait *fuisse Domini vocem*: ut vel *Angelum*, quem dicit, Dominum ipsum fuisse necesse sit, nempe Filium æterni Patris æternum, vere Deum ac Dominum nostrum, quem ob

* Malach. 3. 1.

susceptum Mediatoris officium *Angelum* alibi à Prophetis * dictum scimus: vel certe illam visionem ideo *Angeli* dici, quod Angeli opera & manu facta fuerit illa flamma rubum innoxie accendens, in qua Dominus apparuit: non autem, quod Angelus illa, quæ inde audita sunt, verba pronuntiaverit. Sed neque si donemus verba illa Angeli, non autem Domini ipsius, fuisse (quod tamen nequaquam concedendum videtur) eo fiet, ut illa presbyteri Missificantis verba, de quibus nunc quæritur, ab eo ex persona Christi ad Angeli illius exemplum dici existimentur. Nam ex adversarij hypothesi Angelus dixerit. *Ego sum*

Deus

Deus Patris tui: ut qui eum & Angelum esse certo scit & sic loquentem audit, non possit dubitare, quin ille hoc, non in sua, sed in Dei, cuius Legatus est, persona dixerit. Iam vero missificans Presbyter longe aliter loquitur: neque se Christum esse dicit, qui vel illa gesserit, vel hæc quæ recitat, dixerit: sed plane contra: se enim, qui ista omnia pronuntiat, alium à Christo esse, eo apertissime profitetur, quod Christum ista olim pridie, quam pateretur, partim gessisse, partim dixisse narrat. Fac Angelum ita Mosem convenisse: *Deus Patris tui Abrahamum olim ex Vr Chaldæorum eduxit, dicens, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, diuque eidem postea præcepit, dicens, omne masculinum circumcidetur ex vobis*: quisquam-ne est adeo infans, qui hæc non Angelum de Deo, sed Deum ipsum de se ore Angeli, loqui sit existimaturus? Atqui hoc Missa loco Presbyter ita plane loquitur. Apage ergo Bellarmini somnia, qui hæc eum induta Christi persona dicere, & loqui ac si ipse Christus esset, nobis persuasum cupit. Apage, quam Presbytero, ab omni ejus oratione alienam intentionem tribuit. Si hanc ejus, quam iste dicit, mentem esse voluissent primi Missę auctores, sermonis ei formam huic intentioni aptam atque congruentem attribuissent: non istam plane penitusque ab ea alienam. Sed Latinos mutata maiorum fide, huic, quæ ei congruit, orationi sensu ab ipsa alienos, novis vero placitis suis consentaneos, affingere coacti sunt: quos non ratione, vel ullis divini aut humani sermonis exemplis confirmant, sed pro sua libidine, ex mero imperio apud homines nimium credulos constituunt. CAP. XII. Gen. 12. 1. Gen. 17. 11.

Iam si eadem illa verba spectemus, ut à Christo Domino pronuntiata sunt, Latini ne hic quidem minores patiuntur in eis explicandis difficultates. Porrigens discipulis suis panem, *Accipite* (inquit) *& comedite. Hoc est corpus meum.* Certe illa verba nullam consecrationem efficiunt. Tantum enuntiant, quæ sit eius rei, quam iis comedendum porrigit, ratio ac qualitas: eam nimirum esse, ac censeri in hac sacra actione, *corpus suum*, id est sacramentum corporis sui. Primo non solent, quæ porriguntur comedenda, tum demum in cibum parari, cum jubentur comedi. Iam ante parata esse decuit. Nisi ergo sacramentum jam effectum fuisset, non videtur Christus Apostolos jussurus id comedere. Tum neque hæc verborum forma, uspiam vel in Dei, vel in hominum sermone ad hunc sensum usurpata occurrit; ut quæ fieri, vel esse ac constitui jubemens, aut optamus, ea *esse* simpliciter dicamus, quo momento nondum erant. Humana verba mittamus. Nusquam Deus in Scripturis, vel res in natura, vel sacramenta in Ecclesia simili locutione instituisse reperitur. Vt initio cum singulas mundi partes vel crearet, vel componeret; *Fiat lux*, inquit. *Fiat firmamentum in medio aquarum*; Gen. 1. 3. 6. *Congregentur aquæ, & appareat arida*; *Germinet terra herbam*: *Fiant lu-* 9. 14. *minaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & sint in tempora ac signa*: *Producant aquæ reptile animæ viventis.* Rectus est, ac loquentis

Cap. XII. menti appositus sermo. Pro illis, nusquam dixit, *Est lux: Fiunt luminaria*; & si sic dixisset, nemo prodigiosam, omnisque probi sensus inanem tali loco orationem intelligeret. His verbis plane aliud esset significatum, quam quod Moyses, fidissimus Dei interpres, eum significasse, nos docuit. Sic & ubi de sacramentis res est, *circumcidetur, ex*
Gen.17.11. *vobis omne masculinum*. Non dixit, *Circumciditur*: Apage; quod cum non *imperantis*, sed *indicantis* sit, monstrum hoc loco esset. Ita Dominus
Matth.8.2. Christus leproso; *Volo: mundare*: & Lazaro, quem erat è sepulcro
Ioan.11.44. redivivum educturus; *Lazare* (inquit) *Veni foras*: non *mundaris*, aut, *Lazarus venit foras*: quæ dictu absurdissima futura erant; quia scilicet verba sunt non imperantis aliquid fieri; sed indicantis, quid vel quale sit, quod dicitur. Cum ergo hæc Christi de pane & vino verba. *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, non *imperativa*, *sed indicativæ* formæ sint; apparet iis prolatis nequaquam effici, ut subjectum id, vel tale sit, quod vel quale esse dicitur (quem iis sensum Latini præter omnes divini, utque humani sermonis leges, absque ullo ex libris vel Dei vel hominum exemplo, ex sola sua libidine, nulla ratione affingunt) cum clarum liquidumque sit nihil iis aliud significari ac declarari, quam quæ vel qualis res subjecta sit. Huc & altera ex transubstantiationis dogmate ineluctabilis difficultas accedit, quod cum Latini putent plane alium à panis natura esse ipsius sacramenti naturam, ad constituendum enuntiationis, *Hoc est corpus meum*, subjectum, in maximas, ac plane inexsuperabiles augustias incidunt. Itaque in pronomine hoc, quo subiectum enuntiationis significatur, explicando, & in rem suam resolvendo, vehementer, sed in cassum æstuant. Nam ex ipsorum quidem dogmate, de pane, quem Christus porrigebat, & veluti digno indicabat, pronomen accipi non potest; quia quod est panis, id ipsum re vera, ac, ut Scholæ loquuntur, *univoce* corpus Christi esse falsissimum est, neque nisi absurdissime ac cum manifesta contradictione affirmari potest. Sed neque pronomen *hoc* ad ipsum Christi corpus referri potest ut sensus sit, *Hac res*, (quæ demonstratur) *corpus meum est*. Cum enim, his demum prolatis verbis ex pane fieri Christi corpus doceam, non prius, neque effectum ullum, ante id, cuius vi fit, existat; manifestum est ex ipsorum doctrina, antequam verba illa omnino essent prolata, nondum in pane fuisse corpus Christi, neque adeo demonstrari potuisse, cum rem, ut vere demonstretur, existere ipsam necesse sit. Atqui quo temporis articulo Christus pronomen hoc pronuntiabat, nondum prolata erat tota illa enuntiatio cuius vi corpus Christi illic existere fingitur. Ergo neque *hoc* dici potuit esse corpus Christi. Neque ego obscura loquor. Ipsi ad hunc veluti scopulum sibi res hærere complorant, neque se reperire, qui hinc explicari, & in vado collocari queant, si vulgaria scholarum suarum de his placita retineantur. *Lector* (inquit Ambrosius Catharinus, qui Patrum Tridentinorum unus fuit) *consideret laborem & angustias usque*

(*pane*

(pene dixerim ad necem fere omnium scribentium, dum rogati, quid significet pronomen illud HOC, tot & tanta scribunt, & adeo varia, ut valeam ad insaniam redigere lectorem nimium considerantem.

CAP. XIII. Carthar. de verb. quibus conficitur.

CAPUT XIII.

Demonstratur veteres per precem benedictionis sive gratiarum actionis Eucharistiam consecrasse; I. ex priscis Liturgiis, ex ea Pseudo-Clementis in Constitutionibus (in qua ἀποφαίνειν, ut etiam ἀναδεικνύναι apud Basilium, est efficere, non autem simpliciter ostendere) & ex Liturgiis Basilij, Cyrilli Hierosolymitani, Chrysostomi, Iacobi, Marci, & ex Anaphora Syrorum. Reijciuntur Latinorum ad Liturgias vana evasiones; ea nominatim refellitur, quam Bellarminus solidissimam censuit.

SEd hæc ego, quod dicere cœperam, nunc mitto, cum à nostris alias sæpe, tum novissime ab Albertino τοῦ μακαρίτου diligentissime, fusissimeque disputata: & quæ alioqui non sunt ad præsens de cultu institutum admodum necessaria. Nam ut ostendamus (quod nostri proprie est instituti) cultum Latinorum hac in parte alium esse à prisco, satis est alterum cum altero contendere. In hoc Latinorum nullam proprie fieri donorum benedictionem, nullam gratiarum actionem, id est orationem ad Deum, qua panis & vinum, ad legitimum suum usum comparentur, sive ad quam corporis & sanguinis Dominici sacramentum fiant, & ipsi fatentur, & ex Missali eorum canone apertissime constare jam ostendimus. Apud veteres secus factum esse, & ad donorum consecrationem semper adhibitam fuisse aliquam precem, sive benedictionem, ex ipsis eorum tabulis, quæ plurimæ supersunt, si vel leviter inspiciantur, cuivis non plane stupido patet.

Nulla eorum extat liturgia, quam certum sit ea esse vetustiorem, quæ in Constitutionibus Pseud Apostolicis habetur. In ea autem sacerdos, recitata paulo ante Dominica Eucharistiæ institutione, & in ea nominatim pronuntiatis Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*, mox ita Deum precatur; *Rogamus te, ut benigne aspicere digneris super hac dona proposita in conspectu tuo &c. & mittas sanctum Spiritum tuum super hoc sacrificium, testem passionum Domini Iesu, ut efficiat hunc panem corpus Christi tui, & hunc calicem* sanguinem *Christi tui* ὅπως, ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου. Nam ἀποφαίνειν hoc loco est *effectum dare*, ac ut optime reddit novissimus interpres. *efficere* (quo sensu etiam *designare* interdum apud Latinos sumitur) non autem ostendere, ut putat Bellarminus, ita ex Græcismi imperitia de hoc loco scribens; *In Liturgia Clementis, & Basilij, non*

Cõst. Apost. L. 8. c. 12. p. 1020. C.

Cap. XIII. ly, non dicitur (inquit) Fac panem istum corpus Christi; sed. Ostende panem istum corpus Christi. Ille vero graviter hallucinatur. Nam & in Clemente ἀποφαίνειν, & in Basilio ἀναδεῖξαι idem est, nimirum efficere; ut ipsi Latini interpretes reddiderunt * Perronius utrumque vocabulum ita accipiendum docet, ubi de ἀναδείξεως voce, alibi † à Basilio in eodem argumento usurpata loquens, plane ac si Bellarmini errorem castigare in animo habuisset, ἀναδείξιν negat * esse ostensionem; ait & probat esse consecrationem, atque ita habuisse notat veterem interpretem Basiliani loci apud Burchardum. φ Tum ἀποφαίνειν, & ἀναδεικνύναι apud Græcos pro efficere accipi allatis ex Theodoreto duobus exemplis demonstrat; in quorum priori cum de Christo dicit χωλοὺς ἀρτίποδας ἀποφήνας, significat eum, qui claudi erant, eos sanos & pedibus valentes effecisse; in altero vero ignem ligna cineres ἀποφαίνειν, id est ut patet, efficere, & in cineres convertere. Sed & locum adfert è Strabone, in quo ille ἱερὸν ἀναδειχθὲν Καίσαρι scribit; id est templum Cæsari consecratum; quod est sacrum Cæsari factum. Hæc Perronius, ex quibus omnes intelligunt ἀποφαίνειν. apud Pseudo Clementem, & ἀναδεικνύναι apud Basilium in hoc argumento nihil aliud esse, quam efficere, consecrare, sacrum facere; crassumque adeo fuisse Bellarmini errorem negantis in utriusque Liturgia dici. Fac panem istum corpus Christi.

* Lithurg. Bas. T. 2. Bill. Gr. L. Patr. p. 51. E.
† Basil. de Sp. S. c. 27.
* Perr. de Euch. h. L. 2. de Basi. loc. c. 3. p. 308.
† Burch. L. 3. c. 12.
Theodor. t. L. 10. de Provid. p. 446. D. T. 4.

Ac in Basilio quidem eo fœdior est ejus lapsus, quod in ejus Liturgia idem ille sacerdos paulo post verba, quibus Deum rogat, ut Spiritus Sanctus veniens sacra dona benedicat, sanctificet & sacra efficiat sive converteret ἀναδεῖξαι, hæc addit, quæ sunt longe disertissima, Panem quidem hunc fac ipsum pretiosum corpus Domini, τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον ποίησον αὐτὸ τὸ τίμιον σῶμα Κυρίου &c. Hoc vero poculum ipsum pretiosum sanguinem Domini.

Lithurg. Bas. in Euch ol p. 166.

Cyrillus eadem prece consecrata fuisse dona testatur, dum Liturgiam enarrans, ubi ad hunc locum venit, Deum (inquit) benignissimum oramus, ut super proposita S. Spiritum emittat, ut panem quidem faciat corpus Christi; vinum vero sanguinem Christi. omnino enim quicquid attigerit Spiritus Sanctus, hoc sanctificatur, & transmutatur. τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐξαποστεῖλαι ἐπὶ τὰ προκείμενα· ἵνα ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον, σῶμα Χριστοῦ τὸν δὲ οἶνον, αἷμα Χριστοῦ. Atque hac prece Eucharistiam confici eo liquido confirmat, quod his de illa dictis ista statim subjicit; Deinde postquam perfectum est spirituale sacrificium &c. Deum obsecramus pro communi Ecclesiarum pace &c. εἶτα μετὰ τὸ ἀπαρτισθῆναι τὴν πνευματικὴν θυσίαν. κ. τ. λ.

Cyrill. III. Eros. Catech. Myst. 5. p. 241. B.

In Liturgia Chrysostomi, itidem ut in Superioribus, paulo post recitatá Eucharisticæ institutionis historiam, sacerdos à Diacono admonitus, iisdem quibus in Basiliana verbis, Deum precatur; Fac hunc quidem panem pretiosum corpus Christi tui; quod vero est in hoc poculo pretiosum sanguinem Christi tui, mutaris Spiritu Sancto.

Lit. Chrys T 2. Bibl. P. Gr. Lat. p 79. D.

Sic & in ea Liturgia, quæ Iacobi Apostoli dicitur, aliquanto post recitato Christi de pane & vino sacro verba in historia institutionis hujus

hujus sacramenti: *Spiritum tuum sanctissimum* (inquit sacerdos) *dixisse nunc quoque Domine in nos, & in hæc sancta dona proposita, ut superveniens sancta & bona & gloriosa sua præsentia sanctificet, & efficiat huic panem corpus sanctum Christi tui, & calicem hunc pretiosum sanguinem Christi tui, ut fiant nobis illa participantibus in remissionem peccatorum & vitam æternam in sanctificationem animarum & corporum.* ἵνα ἐπιφοιτῆσαν τῇ ἁγίᾳ καὶ ἀγαθῇ καὶ ἐνδόξῳ αὐτοῦ παρουσίᾳ ἁγιάσῃ καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον σῶμα ἅγιον τοῦ Χριστοῦ σου &c. CAP. XIII. Lit. Iac. ibid. p. 15.

Neque aliter se habet, quæ Marci nomine circumfertur Liturgia, in qua sacerdos eodem ordine sacram historiam & Domini in ea verba primo recitat, & paulo post Deum rogat; *Emitte super nos, & super panes istos, & super calices istos Spiritum tuum Sanctum, ut eos sanctifices & consecret, tanquam Deus omnipotens, & faciat panem quidem corpus, calicem autem sanguinem novi testamenti ipsius Domini & Dei & Servatoris, & summi Regis nostri Iesu Christi.* ἵνα αὐτὰ ἁγιάσῃ καὶ τελειώσῃ ὡς παντοδύναμος Θεός. καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον σῶμα. τὸ δὲ ποτήριον αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης αὐτοῦ τοῦ Κυρίου κ. τ. λ. Lit. Marc. ibid. p. 1[illegible] A.

Anaphora Syrorum, id est Basilii Liturgia Syriaca, eadem quæ Græca, exhibet. Nam & in ea sacerdos, postquam Deum rogavit, *ut Spiritus Sanctus veniat super ipsos, & super proposita dona, eaque sanctificet,* ita precari pergit, *& efficiat panem istum corpus gloriosum Domini Dei nostri Iesu Christi, corpus cœleste, corpus vitæ efficiens, corpus pretiosum, in remissionem peccatorum, vitamque æternam iis, qui accipiunt; & calicem hunc sanguinem pretiosum Domini Dei regnantis super omnia Iesu Christi; sanguinem redimentem, sanguinem vitam efficientem, sanguinem expiantem qui effusus est pro redemptione & vita mundi, in expiationem culparum, & remissionem peccatorum, vitamque æternam iis, qui accipiunt.* Quo loco observare est improbum Latinorum studium, qui in codicis margine lectorem hic monent *has orationes, vel ex scribentium errore, vel Græculorum quorumdam schismaticorum perversitate præpostero loco in hac Anaphora positas esse, cum locus ipsarum genuinus illis ab auctore datus fuerit ante verba consecrationis;* id est, ante, *Hoc est corpus meum.* Quam falsa ac perversa sit istius, quisquis fuit, observatio vident, qui sciunt non tantum Germanum, Patriarcham Constantinopolitanum, qui initio octavi seculi floruit, sed etiam multo eo vetustiores Cyrillum Hierosolymitanum & Pseudo-Clementem Constitutionum auctorem, has orationes, eodem quo sunt in Anaphora loco, recensuisse; nequid de Chrysostomi & Basilii & aliorum Liturgiis dicam, in quibus ibidem quoque positæ occurrunt; non autem in eo, quem iste vult, loco, *ante verba* quæ ipse consecrationis vocat; quod sane veteribus quidem certe, absurdissimum vereque præposterum visum esset. Anaph. Syr. T. 6 Bibl. P. p. 17. C.

Quæ ad hæc solvenda, sole cum meridie lucet, clariora Latini afferunt, alia quidem mitto; tum quod inania sint, etiam pleraque adeo inepta, ut ipsi Latini inter se pugnent, aliique aliorum solutiones refu-

Cap. XIII. rent; tum quod omnia Albertinus noster diligentissime expendat & refellat, ut apud eum quivis videre potest. Vnum tamen tangam, quod & Bellarminus sibi gratis plaudens *solidissimum* esse credit, & alii plærique omnes usurpant. Nimirum fingunt isti Græcos suis istis precibus hoc velle, non ut panis fiat corpus Christi (quod si ipsis credimus, jam tum erat confectum, cum sacerdos verba illa ut loquuntur, *sacramentalia* aliquanto prius pronuntiaverat) sed ut per effectum nutritionis spiritualis etiam nobis fiat, quod jam in se est; id est ut in nobis sanctificandis & consolandis vim eam exerat, qua præditum esse Domini corpus verum est. Sed ne hæc quidem solutio consistere potest; Primo, quod, ut Albertinus solerter observavit, Græci his suis precibus rogent sacra dona potenter *mutari per Spiritum Sanctum*, ut ex adductis Chrysostomi, Basilii, & Cyrilli verbis patet; quæ verba eorum, non in nos efficaciam, & fructum, sed in se ipsis mutationem liquido significant. Secundo quod præter hanc precem, alteram etiam dicunt Græci, qua sibi concedi salutarem sacramenti usum aliis seorsum verbis petunt, quæ statim subjiciunt; *Mitte* (inquiunt) *Spiritum tuum Sanctum &c. qui efficiat panem corpus Christi, & poculum eius sanguinem* &c. Quorsum, inquis, & in quem vestrum usum? *Vt illa* (inquiunt) *fiant participantibus in remissionem peccatorum*; & cætera, quæ nuper recitavimus. Sed apud Basilium res etiam plenior ac liquidior est. Duplex enim apud eum concepta legitur oratio; prior quidem, qua sacerdos dona à Spiritu Sancto mutari, ac corpus & sanguinem Christi fieri possit, Altera vero paucis interjectis versiculis mox sequitur, qua rogat, ut sibi & cæteris communicantibus utilis sit ac salutaris sacramenti sumptio; *Nos omnes* (inquit) *qui ex uno pane & calice participamus uni invicem ad unius spiritus communionem, & fac ut nemo nostrum ad iudicium vel ad condemnationem sit particeps corporis & sanguinis Christi tui, sed ut inveniamus misericordiam & gratiam cum omnibus Sanctis* &c. Hæc illa ipsa sunt (ut quivis videt) quæ Latini à Græcis in priori oratione petita fuisse volunt. Erga vel inani battologia & ἀσυνεχία laborat eorum liturgia, vel certe priorem orationem à posteriori non minus sensu, quam verbis differre necesse est. Non differt autem sensu si stat Latinorum in eam glossa. Ea ergo amandanda est; veluti futile & ex una caussæ desperatione natum commentum. Denique si illæ Græcorum orationes id re vera significant, vel saltem significare possunt, quod iis Latini significari *solidissime* nunc affirmant, quæ quæso, invidia fuit ipsos quoque pariles in Missæ suæ canone preces adhibere? Græcos gratis placarent sibi jampridem de hac ut vocant, novitate molestos. Cur tam studiose eum sermonem vitant, quem ipsi nunc contendunt probum esse & innoxium? ejusdemque cum eo sensus, quem ipsi quotidie in suis Missis frequentant? Certe inter Græcam & Latinam orationem nullum aliud discrimen est, nisi quod Latina pronomine *NOBIS* auctior est, qua Græca caret. Si expuncta ex Latinorum Missis, illa vocula, qua

Albertin. l. 1. de Euch. c. 6. p. 25.

Bell. l. 4. de Miss. c. 14 §. Tertia solutio.

Lit. Bas. T. 2. Bibl. Gr. Lat. Patr. p. 52. D.

Græci

Græci in priori oratione carent, idem tamen manet, Bellarmino judice, CAP. XIII.
sensus utriusque orationis, mirum est Latinos, homines prudentissimos, & alias sane, ubi res sua agitur, satis faciles atque humanos, tam duriter hic cum Græcis agere, ut unam voculam, quo nulla sui dogmatis, suæque fidei fraude, carere poterant, retinere in uno Missæ loco obstinatis animis maluerint, quam maximæ & nobilissimæ Ecclesiæ ædificationi ac paci concedere. Sed neque illud satis capio, cur istas orationes, non ille modo Basilianæ Anaphoræ nequissimus Scholiastes, quem memoravimus, sed ipse etiam Bellarminus suspicentur alicujus Græculi fraude suo loco emotas esse, & in hunc alienum præter auctoris scilicet mentem, intrusas & infultas, si verus & ad unguem Catholico-Romanus est earum, etiam in hoc quo consistunt, loco sensus? Hæc mihi profecto mirifica, ac vix satis inter se cohærentia videntur, ut pæne cogar dubitare, an illa Græcorum verba Bellarminus & alij Latini bona fide & ex sincero animi sensu ita interpretentur? & an non sit hæc ex ipsorum glossa ex ejus generis commentis, quæ alij quidam earundem partium viri, doctissimi, & quod caput est, *Catholicissimi*, loco ac tempore opportuno pie atque utiliter excogitanda esse censent ad veterum *errores* negandos, commodum eorum verbis sensum affingendo dum opponuntur in disputationibus.

Bell. ub. supr. §. Respond. ites solutiones.

Vnivers. Duac. Iudic. de Bettr. in Ind. Expurg. Ant. ed. a. D. 1571. p 5.

Vtcumque sit, Latinos hodiernos in Eucharisticos consecrationis negotio à veteribus discessisse ex utrorumque Liturgiis inter se comparatis, satis ni fallor, nunc patet, cum veteres quidem videamus orationes ad Deum in suis conceptus ad oblata dona consecranda adhibuisse: Latinorum vero Missam hujusmodi precibus plane penitusque carere. Has enim, quas attulimus Liturgias, plærasque antiquas esse, & quasdam circa ipsa quarti seculi initia scriptas, ne nos quidem negamus, qui subdititias alioqui ac insuper identidem post primam earum originem interpolatas fuisse putamus.

CAPVT

Cap. XI. jejunii temporibus ad vesperam, vel certe ad nonam differrent, nulla idonea quidem & consentanea ratio alia afferri potest præter ipsum jejunium. Id discrimen non ad horæ ingenium, sed ad jejunij modum pertinuisse hoc ipso satis constat, quod non uni eidemque horæ synaxis illa à cæteris diversa affigebatur, sed modo vespere, modo nona fiebat, pro jejunii ratione ac modo; nona si ad nonam, vespere si ad vesperam jejunabatur. Atqui jejunium, synaxeos ad horam, quo ipsum solvendum erat, differendæ, nullam profecto caussam vel occasionem præbuit, nisi id frangi percepta Eucharistia, statuas. Quo factum est, ut Latinis die quovis etiam esuriali, nulla religio fuerit mane vel missificare, vel communicare; postquam semel sibi persuaserunt jejunium Eucharistia sumpta minime frangi. Quid ergo superest, nisi ut veterum, quorum usum alium fuisse probavimus, aliam quoque fuisse de his sententiam agnoscamus? quosque die jejuniali non alio, quam quo jejunium solvendum erat, tempore Eucharistiam sumpsisse animadvertimus, eos Eucharistia sumpta jejunium putasse frangi intelligamus?

Secundo id ipsum ex nuper laudato Tertulliani testimonio discimus. Quod ut capiamus, meminisse nos in primis decet eorum, quæ ibi ex eodem auctore demonstravimus; primo *jejunare* illo ævo fideles non alios esse dictos, quam qui solidum diem, id est usque ad vesperam jejuni, ἄσιτοι καὶ ἄγευστοι egerant; qui vero ad *stationem* Ecclesiasticam conveniebant, eos diei illius *jejunium*, vel ut Tertullianus accuratius loquens vocat *semijejunium*, non ultra nonam produxisse. Si quis ergo quarta, vel sexta feria quæ stationum dies erant solennes, ultro ac spontaneo quodam voto jejunare decrevisset; quæritur an is stationi, & sacro, quo ea claudebatur, interesse debuerit, nec ne? Atqui si eadem tum nostrorum, quæ hodie Latinorum est, religio fuisset, nulla quærendi ratio fuit. Quæsitum tamen fuisse apparet, & ita quidem, ut *plærique* negarent jejunantem stationis officio interesse debere, ea ratione adducti, quod statio quidem accepto hora nona Dominici corporis sacramento solveretur; isti vero de quo quæritur, ad vesperam ex suscepto jejunii obsequio, jejunandum esset. Hic verus est eorum verborum sensus, quæ hoc loco prima apud Tertullianum occurrunt, in quibus ex proxime superioribus patet de iis tantum sermonem esse, qui die in quam statio incidebat, jejunare decrevissent; *Stationum* (inquit) *diebus non putant PLÆRIQUE sacrificiorum orationibus* (quibus scilicet statio Eucharistià ad nonam claudebatur) *interveniendum*. Quæ autem ratio plærosque istos ita sentire compelleret, statim hanc edit; *quod statio* (inquit) *solvenda sit accepto corpore Dominico*; id est Dominici corporis sacramento, quo sumpto stationis semijejunium claudebatur. Si ex hodierna Latinorum disciplina rem æstimes, fateor totidem esse gryphos, totidemque ænigmata, quæcumque Tertullianus hic loquitur, & istorum, quos nostrorum *plærosque*

d Tertull. de Orat. c. 14. extr. p. 155. A.

usque fuisse dicit, & sententiam, & quam edunt sententiæ rationem, vix aliud videri, quam hominum febricitantium deliramenta. Mitto quod ibi Domini corpus in Ecclesiasticæ stationis fine, hora nona (quę nobis est tertia pomeridiana) accipitur; Id vero Latino homini ex suo ritu omnia metienti, monstrum est. Sed quod isti negant homini jejunanti *interveniendum orationibus sacrificiorum*, quis hodie Latinorum capiat, qui nullo magis tempore, quam quo jejunatur, Missale suum sacrificium frequentandum existimant, & legitime jejunantes *e ad id concurrere* jubent? Rationem vero quam *plerique* isti secundi seculi Christiani suæ hujus sententiæ afferunt, quæ Latinorum aures, quamlibet *antiquaria* dicunt an *veteratoria*, patienter audiant? vel non abnormem insanam judicent? Qui jejunat (inquiunt) sacro Eucharistico; quod in statione fit, abstineto. Quid ita, inquam? *Quia* (inquiunt) *statio accepto corpore Domini solvenda est.* Bella vero inquis ratio. Quasi jejunantem corpus Domini vel accipere, vel id, quo *accepto solvitur statio*, sumere nefas sit? Quasi & jejunanti, siqua religio sit communicare quo tempore solvetur statio, non liceat sacrificio intervenire, neque tamen ex eo gustare? Ego vero non abnuo ista, quod dixi, ad hodiernum Latinorum ritum accepta, recti sensus inania videri. Sin tu quod verum, ac necesse est, mentem à præsentibus deflectas, & alios fuisse priscæ illius Ecclesiæ ritus cogites, quam qui tui hodie sunt; non dubito, quin tu ipse Tertullianeos illos fideles, qui ex suis, non ex tuis moribus loquuntur, nihil absurdi dixisse perspecturus sis. Illud enim primum, quod mirificum tibi visum est, Eucharistiam post meridiem celebrari & accipi, jam supra ostendi istorum ævo, etiam postea diutissime, & quidem apud ipsos tuos citimorum seculorum maiores frequens ac familiare fuisse. Sed & quod te non parum novit, fidelem vel sacro communicari, vel certe ab eo abesse debere, apud istos vetustissimos etiam lege cautum fuisse postea *f* demonstrabitur. Esto, inquis. Vetitum sit ac nefas, qui Eucharistico sacro intervenit, eum non accepto Domini corpore dimitti. Sed cur hominem fidelem sacro, quod etiam hac lege fit, excludam, quod illo die ieiunet? quasi ieiunantem ulla lex vetet corpus Domini accipere? Tua quidem certe, inquam nulla lex hoc prohibet. Apud illos veteres, ipsa naturæ lex hoc vetabat, quæ neminem concedit uno eodemque momento & ieiunare & vesci. Ex hac naturæ lege, qui ieiunabat, sibi non putabat sacrum panem ante sumere licere, quam desiisset ieiunare. Iam ex ævi illius more, qui apud nostros ieiunabat, is omni cibo ad vesperam abstinebat. Qui vero stationem observabat, eique intererat, tribus ante vesperam horis sacrum id est Dominicum panem accipiebat. Ergo ieiunantem, cui ad vesperam cibo erat abstinendum, haud stulte nostri illi *plerique* statione summovebant, ne sumptus hora nona sacer cibus ieiunium ab eo susceptum ante suum tempus frangeret. Hæc vel ita accipienda sunt; vel mente & sensu carent. At Tertullianus noster nugari, & insana profundere non solet.

CAP. XI.

e De consecr. d. 1. c. 50.

f inf. l. 4.

Cap. XI. Omnino ergo, ut hos nodos explices, fateri mecum debes illius ævi Christianos una cum universo præter vos, hominum genere putavisse panis, etiam sacri sumptione frangi ieiunium. Hoc nisi posueris, de hac Tertulliani oratione actum est. Sin hoc, quod ipsi etiam sapiunt sensus, admiseris, videbis plærosque illos fideles merito putasse, non ieiunasse eum ad vesperam, qui hora nona Eucharistiam in statione sumpsisset; neque adeo abs re iudicasse ei statione carendum fuisse, qui eam diem, qua statio haberetur, jejunialem ipse habere decrevisset. Sed quid ad hæc Tertullianus? Probat ne istorum sententiam? Non probat quidem; Sed illud tamen, quod illi ponebant, arcte cum iis tenet jejunium Eucharistia sumpta solvi. Quid ergo? Censet ne etiam jejunanti esse sacrificiorum orationibus interveniendum. Censet; inquam. Sed quomodo? Siccine, ut iste hora nona cum cæteris sacro pane vescatur? Minime, inquam. Male factum, inquis. Id enim hoc loco si noster erat, pronuntiasset. Sane inquam; & quidem plærosque istos cum convitio dimisisset, tarditatem eorum increpans, qui jejunium sumpta re cœlesti violari impie sentirent. Iejunium integrum servari vult; indignans, quod quisquam putet ideo solvendum esse, quod Eucharistiam eo die quo jejunat, esset sumpturus; imo hoc ipso nomine arctius & religiosius servandum esse probat. *Ergo-ne* (inquit) *devotum Deo obsequium* (ieiunium) *Eucharistia resolvit, an magis Deo obligat? Nonne solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris?* Quipote, inquis, si corpus Domini, quod hic in statione hora nona datur, jejunanti non licet ante vesperam gustare? Quid hic ille facturus est contrariis utrinque caussis constrictus? quem votum ad implendum, statio ad stangendum ieiunium vocat ac compellit? Audi jam Tertullianum. Ille hominem paucis, neque ex tua certe, sed ex sua quadam antiquitatis propria disciplina, sic absolvet, ut in neutrum partem peccet. *Accepto* (inquit) *corpore Domini & reservato, utrumque salvum est & participatio sacrificij* (Eucharistiæ in synaxi celebratæ) *& executio officij* (ieiunij scilicet) Nodum in speciem perplexum nullo negotio dissolvit, adhibito temperamento, quod illius seculi mores concedebant; nostri respuunt, etiam vestri, licet tanti sitis antequarij. Iubet hominem ieiunantem stationi, si ea sit dies, interesse & sacrificij Eucharistiæ orationibus intervenire. Iubet ad aram Dei adstare; Dominici corporis sacramentum cum cæteris suo ordine fidelibus accipere; ita satisfacturum *stationis* religioni. Cæterum acceptum sacramentum non statim & è vestigio sumi, sed quod tum licebat, *reservari* præcipit, vespere, non prius, sumendum; quo demum tempore sanctissimus cibus rite jam peractum ex voto ieiunium legitime, nulla cuiusquam fraude sit soluturus. Atqui reservari & ad vesperam differri non præciperet, nisi eius esu ieiunium frangi putasset. Ergo tam ipse, quam *plerique* illi fratres quorum hoc loco consilium repudiat, una consentiebant Eucharistiæ esu & potu frangi ieiunium.

Eandem

Eandem fuisse & sequentis post Tertullianum Ecclesiæ sententiam Origenes testatur, g ubi docet Eucharistiam *secundum id, quod habet materiale, in ventrem abire & in sesessum eijci.* κτ' μὲν τὸ ὑλικὸν εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖν, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεσθαι. Cibo huiusmodi, qui in alvum descendat, & inde in secessum eiiciatur; sumpto solvi ieiunium nemo negaverit. Ergo veteres Eucharistiæ, de qua ita sentiebant, esu frangi ieiunium putabant. CAP. XI.

g Orig in Matt. Tract. 15. T.2.p.27.

Quinti quoque seculi Christianos eadem censuisse ex eo Augustini loco patet, qui nuper est adductus; ubi de quinta Paschalis hebdomadis feria loquens h *Mane* (inquit) *offertur* (Eucharistia scilicet) *propter prandentes; ad vesperam, propter ieiunantes.* Quod Eucharistia illa die vespere offeratur, id ait fieri in eorum gratiam, qui ieiunabant. Optima ratio, si Eucharistiæ sumptione solvi ieiunium putavit. Sic enim necesse fuit eo die ieiunantem Eucharistia carere, si ea mane tantum hora tertia oblata esset. Si vero qui Eucharistiam hora tertia sum[p]sit tam est, quod tu sentis, ieiunus quam si aerem & auras tantum hausisset, inepta erit sacri vespere ob ieiunantes oblati ab Augustino adducta ratio; quia hos, si, quæ vos dictatis, vera sunt, hora diei tertia nulla ieiunij sui fraude, una cum prandentibus, communicare licebat. Nisi ergo Augustinum cum ista scriberet delirasse velis, confitendum est eum sensisse ieiunium esu Eucharistiæ frangi. Neque eum sensisse mirum est ieiunium eius panis esu solvi, quo ventrem quoque ipsum *refici alibi* docet; *Eucharistia* (inquit) *panis noster quotidianus est; sed sic accipiamus illum, ut non solum VENTRE, sed & mente reficiamur.* Ergo Eucharistico cibo etiam venter ex Augustino reficitur. Atqui ieiunium omnes solvi fatentur eiusmodi cibi sumptione. Vt autem hic Augustinus pane Eucharistico non tantum mente, sed etiam ventre refici communicantes dixit, ita iampridem Iustinus docuerat k *sanguinem & carnes nostras ali per mutationem ex cibo benedicto per orationem sive precem verbi quod est ab eo, vel super quem cibum gratiæ acta sunt.* ἐξ ἧς (τῆς δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθείσης τροφῆς) αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν. Clare dicit ex pane sive cibo eucharistico corpus nostrum nutriri. Eadem Irenæus Iustino paulo iunior, scribit l fidelium *carnem à corpore & sanguine Domini* (id est utriusque sacramento) *ali.* Et iterum alibi clarius; m *ex calice & panes, qui facti sunt Eucharistia sanguinis & corporis Christi, augeri & consistere carnis nostræ substantiam;* & paucis interiectis, n *carnem nostram* dicit *de calice, qui sanguis est Christi, nutriri & de pane, qui est corpus eius augeri;* & paulo post, o *corpora nostra ex Eucharistia, quod est corpus & sanguis Christi, nutrita, & reposita in terram & resoluta in ea suo tempore resurrectura.* Horum doctrina cum eadem sit quæ Augustini, id quoque quod ex ipso collegimus, conficit, Eucharistiæ sumptione haud dubie frangi ieiunium.

h Aug. ep. 118. c. 15.

i Aug Serm. 9. de divers. c. 7. p. 459. A.

k Iustin. Apol. 2. p. 77. lin. 2. 3.

l Iren. l. 4. c. 34.

m Id. l. 5. c. 2.

n Ibid.

o Ibid.

Denique omnes olim ante imperatam apud Latinos multis Paparum decretis transsubstantiationis fidem, idem sensisse eo apertissime

Cap. XI. quod Christiani, quibus ista decreta nondum innotuerunt, ij omnes confitentur esu Eucharistiæ frangi ieiunium Græcos interroga; Illi iam ante quinque secula usque adeo se ita credidisse respondebunt, ut iam tum Latinos violati quadragesimalis ieiunii ideo arguerint, quod quotidie in quadragesima Eucharistiam mane hora tertia sumerent. Nicetas Pectoratus Latinos ęvi sui appellans, p circa an. D. 1053. *Ministrantes* (inquit) *atque complentes ministrationem sanctæ Missæ secus horam tertiam diei, qua & promulgatum est offerri sacrificium; quomodo ieiunium usq; ad horam diei nonam observatis solventes hoc in tempore ministrationis Missæ?* Exserte eum negat vere ieiunasse, qui mane res oblatas panem & calicem sacrum sumpserit.

p Nicet. contr. Lat. T. 4. Bibl. Patr. Part. 2. p. 212. quæ debuerat numerari 236.

Iam de Abassinis si quæras, quid ea de re sentiant, Godignus Iesuita ex suorum consecraneorum litteris atque commentariis, qui diu in Æthiopia commorati sunt, breviter ac rotunde narrabit q *eos credere ipso Eucharistico esu ac potu ieiunium frangi.*

q Godign. L. 1. c. 35. p. 216. 218.

Ex his, quibus quod recta adversetur, plane nihil ex priscis monumentis habent Latini, satis patet perpetuam ac constantem hanc fuisse veterum sententiam, Eucharistiæ sumptione vere solvi ieiunium. Vnde ortus est ille à Tertullianeis usque temporibus ultra seculum 13. etiam apud Latinos ipsos propagatus ritus Eucharistiæ vespere, vel hora nona diebus ieiunialibus celebrandæ ac sumendæ, qui etiam hodie apud Græcos & Abassinos manet. Latini vero, ut morem illum dudum (quod ostendimus) abrogarunt; ita sententiam ex qua ille profluxerat, exsecrantur; sicut apparet ex iis, quæ Humbertus Nicetæ Pectorato ad locum à nobis descriptum iisdem temporibus reposuit, r *O perfide* (inquit) *Stercoranista, qui putas fideli participatione corporis & sanguinis Domini quadragesimalia atque Ecclesiastica dissolvi ieiunia, omnino credens cœlestem escam, velut terrenam per aqualiculi fœtidam & sordidam egestionem in secessum dimitti. Plane sentis cum Ario.* Caninam huius Dialecticam Cellotius Iesuita imitatus Græcos conficto circa Berengariana tempora hæreseos nomine *Stercoranistas* ipse quoque vocat. Illi vero dum sic agunt, non sentiunt se veteres Patres, quorum olim eadem fuit, quæ nunc Græcorum est, sententia, in Arianorum & Stercoranistarum sensu collocare; falso & supra quam dici potest contumeliose sed neque satis scio, qui suam ipsi sententiam turpi absurditate purgare possint. Nam qui Eucharistia solvi ieiunium tam præfracte negat Cellotius, idem tamen fatetur t ex immoderate sumptis eius speciebus etiam inebriari & prægravari posse hominem; quem si ista vera sunt, necesse erit simul semelque & sobrium & ebrium, & saturum & ieiunum esse posse.

r Humbert. contr. Nic. T. 4. Bibl. Patr. Part. 2. p. 245. 13.
s Cellot. Not. in tract. Anon. de Euch. p. 564.
t Id. ibid.

Sed hæc mitto: & quod præsentis instituti est, observare satis habeo novam esse & veteribus ignotam hodiernam illam Latinorum consuetudinem quibusvis toto anno diebus *etiam* esurialibus mane tantum ante meridiem missificandi, & opinionem, ex qua sunt in hunc

usum

uſum delapſi, præfracte contra ipſam ſenſuum fidem negantes ieiunium Eucharistiæ eſu & potu frangi. Cap. XII.

CAPUT XII.

Diſponitur ſequens de Euchariſtia conſecratione diſputatio. Duplex Latinorum circa eam novitas; prior in ipſo conſecrationis modo; altera in rerum conſecratarum cultu. Ad priorem; Novum eſſe, quod nunc Latini ſolis Chriſti verbis, Hoc eſt corpus meum &c. *Euchariſtiam conficiunt, nulla adhibita ad eam benedicendam prece; ſine qua veteres nunquam hoc ſacrum confeciſſe reperiuntur. Verba* Hoc eſt corpus meum &c. *neque ut à Sacerdote Latino nunc recitantur, neque ut à Chriſto ſunt olim prolata, ad hoc eſſe comparata, ut Euchariſtia conficiatur, ſed ut ſignificent, quæ qualiſque ea ſit, poſtquam benedictione jam confecta eſt.*

De præparatione ad Euchariſtiæ conſecrationem & ſumptionem diximus. Iam ad ipſam ejus conſecrationem, diſtributionem ac ſumptionem veniamus. De conſecratione primo dicendum eſt, ac de iis quæ illam proxime conſequuntur.

Panis ergo ac vinum, duo illa quæ diximus, Euchariſtiæ elementa à legitimo ejus miniſtro accepta, per benedictionem, ſive gratiarum actionem rite peractam conſecrata, & à fideli communicante ſumpta ſacramentum fiunt. Chriſtus ipſe præcepit, inſtitutoque & exemplo ipſe prævivit. Clare diſerteque rem narrant Evangeliſtæ, & Paulus. u *Edentibus illis accepit Ieſus panem, & cum benedixiſſet* (Lucas & Paulus, *cum gratias egiſſet*) *fregit.* ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν, λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον καὶ εὐλογήσας (εὐχαριστήσας, Lucæ & Paulo) ἔκλασε. Atque hæc *benedictio*, ſive *gratiarum actio*, legitimus conſecrationis actus eſt, quo ex pane & vino ſacramentum conficitur; juxta celeberrimum Auguſtini dictum; x *Noſter panis & calix certa conſecratione myſticus fit nobis, non naſcitur. Proinde quod non ita fit* (id eſt qui panis quique calix certa illa conſecratione non conficitur) *alimentum eſt refectionis, non ſacramentum religionis.* Itaque Iuſtinus, ut panem hunc ſic conſecratum ſignificaret, y ἄρτον *panem* dixit εὐχαριστηθέντα, *euchariſtizatum* (detur verbo venia) quod idem eſt, ac ſi εὐλογηθέντα *benedictum* dixiſſet; nimirum panem ſuper quo gratiæ Deo actæ ſunt; ſuper quo benedictus fuit Deus. Nam divinis ſcriptoribus εὐλογεῖν *benedicere*, & εὐχαριστεῖν *gratias agere*, promiſcue eodem ſenſu, ad idem ſignificandum uſurpantur. Eo factum eſt ut ſacrum calicem Paulus, *calicem* ſive *poculum benedictionis*, ποτήριον τῆς εὐλογίας dixerit; quod idem eſt ac ſi εὐχαριστίας, euchariſtiæ ſive gratiarum actionis dixiſſet; vel quod de pane dixit Iuſtinus, εὐχαριστηθὲν ποτήριον, *poculum eu-*

u Matth. 26. 26. Marc. 10. 22. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24.

x Aug. cont. Fauſt. l. 20. c. 13.

y Iuſtin. apol. 2.

Cap. XII. *charistizatum*, id est, super quo gratiæ actæ sunt. Inde toti sacramento *Eucharistia* nomen jam ab antiquissimis temporibus inditum est, quod ad nos usque, apud universam Ecclesiam frequentissimo ac vulgatissimo in usu constanter mansit. Sed & à nonnullis Patribus ut à Cyrillo Alexandrino frequentissime eadem notione usurpatum est *Eulogie*, id est *benedictionis* vocabulum; quod sane ut dixi, apud sacros scriptores idem est, quod Eucharistia Latini quidem hanc Christianæ disciplinæ partem mirifice totam immutarunt ac innovarunt. Quæ enim *consecratio* erat, eam *transsubstantiationem* esse volunt. Consecrationem enim pro eo actu, quem significat, quo nimirum panis ex communi fit sanctus, ea profano sacer, ex *alimento refectionis*, *sacramentum religionis*, actum esse decernunt, quo panis substantia sua, plane penitusque exuitur, adeoque destruitur; & panis, quod erat, esse desinit; sic tamen, ut ubi erat ejus sub suis accidentibus substantia, ibi sub iisdem esse incipiat ipsa Dominici corporis tota substantia, cum toto suæ quantitatis, suarumque qualitatum, suæ denique omnis naturæ suggestu atque apparatu; cæterum eo more ac modo præsens, non quo corporeæ, sed quo spirituales substantiæ in loco esse perhibentur. Dici non potest, quanta exinde in Latinorum Christianismum novitas, ac ut sic dicam, peregrinitas inducta sit. Dogma ipsum mitto; cuius consideratio ab instituta de cultu disputatione aliena est.

De cultu ipso dicendum est, qui ex dogmate profluxit; in quo duplex hic observanda venit novitas; Prior est in consecrationis ipsius more ac modo, quo nunc fit à Latinis; Altera in rerum consecratarum veneratione. Nam ut à priori exordiar, cum veteres ex Dominicæ institutionis auctoritate, panem & vinum benedictione, adeoque prece confecerint, Latini nulla prece Eucharistiam conficiunt, sed nuda eorum verborum recitatione, quibus Christus declaravit ac definivit, quæ sit panis & vini benedicti ratio sacramentalis. Verba autem illa hæc sunt; de pane quidem, *Hoc est corpus meum*; de vino vero, *Hic est calix sanguinis mei* &c. Hæc verba, quæ ideo *sacramentalia* vocant, docent ex divina institutione esse *vera instrumenta consecrationis, ita ut vim habeant, tanquam instrumenta Dei*, efficiendi ut panis & vinum fint verum Eucharistiæ sacramentum; id est ex ipsorum certe placitis, *ut convertatur panis in corpus Domini, & vinum in sanguinem Domini.* Hæc & *necessario requiri, & sola sufficere ad sacramentum hoc conficiendum*, prædicant; *reliqua, quæ in Liturgia actione pronuntiantur, sive sint lectiones, sive preces, utiliter quidem adhiberi ad præparandos animos ad tam magnum mysterium; non tamen in eis vim ullam inesse ad sacramentum conficiendum.* Nulla certe in toto Missæ Latinæ canone precatio, nulla benedictio cernitur, qua, ut solent in aliis ejusdem generis, Deum rogent, ut ea quæ in altari proponuntur panis & vini species vel corpus & sanguis Christi, vel sacramentum illius corporis ac sanguinis fiant. Nam secunda oratio, quæ istic dicitur paulo antequam verba illa recitentur,

Bellarm. L. 4. de Miss. c. 12. §. Cum igitur.

Ibid. §. ult. Hinc habemus.

quaque

quaque Deum rogant, ut *oblationem servitutis suæ acceptabilem facere dignetur, ut NOBIS* (inquiunt) *corpus & sanguis fiat dilectissimi Filij tui Domini nostri Iesu Christi*; illa inquam oratio, videri quidem possit ad sacramenti confectionem pertinere; sed attentius consideranti patet rem se aliter habere: Non enim simpliciter & absolute Deum rogant, ut *dona oblata fiant corpus & sanguis Domini*; sed ut SIBI hæc fiant, id est ut ea, postquam corpus & sanguis Christi vi verborum pronuntiandorum facta fuerint, tam sibi ad eum usum fructumque prosint, ad quem instituta sunt; ut præterquam quod tum in se erant corpus & sanguis Domini, id ipsum quoque sibi sint. Ibi (inquit Bellarminus) *id solum petimus, ut sacrificium nobis prosit.* Recte sane, ac vere. Dona autem sacramentum simpliciter & in se & tum demum fieri affirmant, cum celebrans verba illa, quæ ipsi *sacramentalia* dicunt, pronuntiat in iis, quæ post tertiam orationem ex Evangelii historia apud Deum ita recitat; *Qui* (Dominus scilicet Christus) *pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cœlum ad TE Deum suum omnipotentem tibi gratias agens benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens, Accipite & manducate ex hoc omnes; Hoc enim est corpus meum.* Hic sola verborum istorum vi consecrare se Eucharistiam profitentur. Nam vini eadem quoque ratio est, de quo ita apud Deum narrare pergit Missificans sacerdos; *Simili modo postquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens benedixit, deditque discipulis suis, dicens; Accipite & bibite ex eo omnes. Hic est enim calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Vt panem superiorum verborum, ita nunc vinum horum vi, *Hic est enim* &c. in id, quod dicuntur, corpus & sanguinem consecrari profitentur ac contendunt. Mitto difficultates plane inextricabiles, in quas illi sese hac sua doctrina induunt, sive verba illa sacramentalia consideremus, ut à sacerdote sacro operante pronuntiantur; sive ea spectemus, ut olim à Domino ipso prolata sunt. Primo enim nemo est qui ea, ut ore sacerdotis pronuntiantur, simpliciter considerans (nisi mens Latinorum decretis occupata sit) non putet ea dici *recitative & narrative* (ut cum Bellarmino loquar) id est eo sensu, eaque mente dici, ut iis ille significet, ac narret, quid Dominus olim in ultima Cœna sacramentum hoc instituens Hierosolymis in cœnaculo Apostolos alloquens dixerit; eum nimirum illo loco ac tempore, postquam accepisset panem & benedixisset ac fregisset, dixisse *Accipite* &c. *Hoc est enim corpus meum* &c. Ipsum sacerdotem ea nunc verba eo usurpare, ut id ipsum velit, atque animo intendat facere, quod Christus tum fecisse, creditur, nihil in omni ejus actu & sermone suadet. Esto ergo, quod Latini (tametsi falso) statuunt; Voluerit Christus iisdem illis verbis panem & vinum sui sacramentum corporis & sanguinis efficere: vel siquid aliud iis libebit, ex eo quod illa verba presbyter ita pronuntiet,

CAP. XII.

Id. ibid. c. 14. §. secundo idem.

In can. Miss.

Id. ibid. §. Sextum argum.

Cap. XII. pronuntiet, non magis sequetur id nunc quoque à presbytero fieri, quod tunc à Christo factum est, quam ex eo quod ibidem mox narrat, *Christum postquam cœnatum esset accepisse calicem*, consequens est, presbyterum ipsum quoque cœnatum esse, cum calicem accipit. Quis enim tam est obens mentis, ut nesciat, qui historias rerum gestarum narrat, vel ex libro recitat, significare quidem, quid ij, quorum res narrantur, gesserint? eadem illa, quæ gesta esse narrat, non efficere vi verborum quæ recitat ut iterum gerantur? Ne ipse quidem Orestes hæc vel dixerit, vel in animum admiserit. Nam quod ait Bellarminus Presbyterum ista dicere utroque modo & *recitative & significative*, id nemo credo negaverit. Quis enim rei alicuius gestæ historiam recitans, verbis, nisi mente captus sit, utatur nihil significantibus? Hæc ergo Presbyteri verba, Dominum dixisse de eo, quod discipulis porrigebat, *Hoc est corpus meum*, libens concedo significare aliquid, id est id ipsum significare, quod iis Dominus significatam esse voluit, panem illum esse corpus suum. Res tota quam significant, Christi est. Quid Presbyter vel facturus, vel dicturus ipse nunc sit, profecto non significant. Itaque si ista, quod ipsi volunt, iis verbis vis inest, ut à Presbytero rite ordinato de pane dicta, eum statim in corpus Domini commutent,

Id. ibid. §. secundum est. debuit ea Presbyter de pane clare & aperte ipse ita dicere, *Hoc est corpus Domini Christi*, ut rem effectam daret non autem à Christo olim dicta nobis otiose narrare. Neque quicquam valent, quæ Bellarminus hic canit sacerdotem illum suum hic *agere personam Christi, induere omnino personam Christi, & loqui ac si ipse esset Christus; quomodo* (inquit) *Exodi 3. Angelus dicit, Ego sum Deus*

Exod. 3. 4. 5. 6. *Patris tui.* Nam neque verum esse videtur, quod *Angelum* iste dicit hæc apud Mosem loqui: cum Moses disertissime narret hæc ad se ipsius

Act. 7. 30 31. Domini verba fuisse: *Dominus* (inquit) *vocavit eum* (Moysem) &c. *& ait, Moyses, Moyses, ne appropies*, &c. *& ait, Ego sum Deus Patris tui* ex quibus patet Dominum ipsum hæc dixisse. Nulla enim alia persona in tota hac narratione nominatur, præter Dominum ipsum, qui eum *de medio rubi* vocavit. Qui vero Mosi Angelum in rubo *apparuisse* dicit Stephanus, ille ibidem hanc ipsam vocem ait *fuisse Domini vocem*: ut vel *Angelum*, quem dicit, Dominum ipsum fuisse necesse sit, nempe Filium æterni Patris æternum, vere Deum ac Dominum nostrum, quem ob

* Malach. 3. 1. susceptum Mediatoris officium *Angelum* alibi à Prophetis * dictum scimus: vel certe illam visionem ideo *Angeli* dici, quod Angeli opera & manu facta fuerit illa flamma rubum innoxie accendens, in qua Dominus apparuit: non autem, quod Angelus illa, quæ inde audita sunt, verba pronuntiaverit. Sed neque si donemus verba illa Angeli, non autem Domini ipsius, fuisse (quod tamen nequaquam concedendum videtur) eo fiet, ut illa presbyteri Missificantis verba, de quibus nunc quæritur, ab eo ex persona Christi ad Angeli illius exemplum dici existimentur. Nam ex adversarij hypothesi Angelus dixerit. *Ego sum*

Deus

Deus Patris tui: ut qui eum & Angelum esse certo scit & sic loquentem CAP. XII.
audit, non possit dubitare, quin ille hoc, non in sua, sed in Dei, cuius Legatus est, persona dixerit. Iam vero missificans Presbyter longe aliter loquitur: neque se Christum esse dicit, qui vel illa gesserit, vel hæc quæ recitat, dixerit: sed plane contra: se enim, qui ista omnia pronuntiat, alium à Christo esse, eo apertissime profitetur, quod Christum ista olim pridie, quam pateretur, partim gessisse, partim dixisse narrat. Fac Angelum ita Mosem convenisse: *Deus Patris tui Abrahamum olim ex Vr Chaldæorum eduxit, dicens, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, diuque eidem postea præcepit, dicens, omne masculinum circumcidetur ex vobis*: quisquam-ne est adeo infans, qui hæc non Angelum de Deo, sed Deum ipsum de se ore Angeli, loqui sit existimaturus? Atqui hoc Missa loco Presbyter ita plane loquitur. Apage ergo Bellarmini somnia, qui hæc eum induta Christi persona dicere, & loqui ac si ipse Christus esset, nobis persuasum cupit. Apage, quam Presbytero, ab omni ejus oratione alienam intentionem tribuit. Si hanc ejus, quam iste dicit, mentem esse voluissent primi Missę auctores, sermonis ei formam huic intentioni aptam atque congruentem attribuissent: non istam plane penitusque ab ea alienam. Sed Latinos mutata maiorum fide, huic, quæ ei congruit, orationi sensu ab ipsa alienos, novis vero placitis suis consentaneos, affingere coacti sunt: quos non ratione, vel ullis divini aut humani sermonis exemplis confirmant, sed pro sua libidine, ex mero imperio apud homines nimium credulos constituunt. Gen. 12. 1. Gen. 17. 11.

Iam si eadem illa verba spectemus, ut à Christo Domino pronuntiata sunt, Latini ne hic quidem minores patiuntur in eis explicandis difficultates. Porrigens discipulis suis panem, *Accipite* (inquit) *& comedite. Hoc est corpus meum.* Certe illa verba nullam consecrationem efficiunt. Tantum enuntiant, quæ sit eius rei, quam iis comedendum porrigit, ratio ac qualitas: eam nimirum esse, ac censeri in hac sacra actione, *corpus suum*, id est sacramentum corporis sui. Primo non solent, quæ porriguntur comedenda, tum demum in cibum parari, cum jubentur comedi. Iam ante parata esse decuit. Nisi ergo sacramentum jam effectum fuisset, non videtur Christus Apostolos jussurus id comedere. Tum neque hæc verborum forma, uspiam vel in Dei, vel in hominum sermone ad hunc sensum usurpata occurrit; ut quæ fieri, vel esse ac constitui jubemus, aut optamus, ea *esse* simpliciter dicamus, quo momento nondum erant. Humana verba mittamus. Nusquam Deus in Scripturis, vel res in natura, vel sacramenta in Ecclesia simili locutione instituisse reperitur. Vt initio cum singulas mundi partes vel crearet, vel componeret; *Fiat lux*, inquit. *Fiat firmamentum in medio aquarum; Congregentur aquæ, & appareat arida; Germinet terra herbam: Fiant luminaria in firmamento celi, & dividant diem ac noctem, & sint in tempora ac signa: Producant aquæ repetile animæ viventis.* Rectus est, ac loquentis Gen. 1. 3. 6. 9. 14.

Cap. XII. menti appositus sermo. Pro illis, nusquam dixit, *Est lux: Fiunt luminaria*; & si sic dixisset, nemo prodigiosam, omnisque probi sensus inanem tali loco orationem intelligeret. His verbis plane aliud esset significatum, quam quod Moyses, fidissimus Dei interpres, eum significasse, nos docuit. Sic & ubi de sacramentis res est, *circumcidetur, ex vobis omne masculinum.* Non dixit, *Circumcidetur*: Apage; quod cum non *imperantis*, sed *indicantis* sit, monstrum hoc loco esset. Ita Dominus Christus leproso; *Volo: mundare*: & Lazaro, quem erat è sepulcro redivivum educturus; *Lazare* (inquit) *Veni foras*: non *mundaris*, aut, *Lazarus venit foras*: quæ dictu absurdissima futura erant; quia scilicet verba sunt non imperantis aliquid fieri; sed indicantis, quid vel quale sit, quod dicitur. Cum ergo hæc Christi de pane & vino verba. *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, non *imperativæ*, *sed indicativæ* formæ sint; apparet iis prolatis nequaquam effici, ut subjectum id, vel tale sit, quod vel quale esse dicitur (quem iis sensum Latini præter omnes divini, utque humani sermonis leges, absque ullo ex libris vel Dei vel hominum exemplo, ex sola sua libidine, nulla ratione affingunt) cum clarum liquidumque sit nihil iis aliud significari ac declarari, quam quæ vel qualis res subjecta sit. Huc & altera ex transubstantiationis dogmate ineluctabilis difficultas accedit, quod cum Latini putent plane alium à panis natura esse ipsius sacramenti naturam, ad constituendum enuntiationis, *Hoc est corpus meum*, subjectum, in maximas, ac plane inexsuperabiles augustias incidunt. Itaque in pronomine hoc, quo subiectum enuntiationis significatur, explicando, & in rem suam resolvendo, vehementer, sed in cassum æstuant. Nam ex ipsorum quidem dogmate, de pane, quem Christus porrigebat, & veluti digno indicabat, pronomen accipi non potest; quia quod est panis, id ipsum re vera, ac, ut Scholæ loquuntur, *univoce* corpus Christi esse falsissimum est, neque nisi absurdissime ac cum manifesta contradictione affirmari potest. Sed neque pronomen *hoc* ad ipsum Christi corpus referri potest ut sensus sit, *Hæc res*, (quæ demonstratur) *corpus meum est*. Cum enim, his demum prolatis verbis ex pane fieri Christi corpus doceam, non prius, neque effectum ullum, ante id, cuius vi fit, existat; manifestum est ex ipsorum doctrina, antequam verba illa omnino essent prolata, nondum in pane fuisse corpus Christi, neque adeo demonstrari potuisse, cum rem, ut vere demonstretur, existere ipsam necesse sit. Atqui quo temporis articulo Christus pronomen hoc pronuntiabat, nondum prolata erat tota illa enuntiatio cuius vi corpus Christi illic existere fingitur. Ergo neque *hoc* dici potuit esse corpus Christi. Neque ego obscura loquor. Ipsi ad hunc veluti scopulum sibi res hærere complorant, neque se reperire, qui hinc explicari, & in vado collocari queant, si vulgaria scholarum suarum de his placita retineantur. *Lector* (inquit Ambrosius Catharinus, qui Patrum Tridentinorum unus fuit) *consideret laborem & angustias usque*

(*pane.*

Gen. 17. 11.

Math. 8. 2.

Ioan. 11. 44.

spane dixerim ad necem fere omnium scribentium, dum rogati, quid significet pronomen illud HOC, tot & tanta scribunt, & adeo varia, ut valeam ad insaniam redigere lectorem nimium considerantem.

Cap. XIII. Cathar. de verb. quibus conficitur.

CAPUT XIII.

Demonstratur veteres per precem benedictionis sive gratiarum actionis Eucharistiam consecrasse; 1. ex priscis Liturgiis, ex ea Pseudo-Clementis in Constitutionibus (in qua ἀποφαίνειν, ut etiam ἀναδεῖξαι apud Basilium, est efficere, non autem simpliciter ostendere) & ex Liturgiis Basilij, Cyrilli Hierosolymitani, Chrysostomi, Iacobi, Marci, & ex Anaphora Syrorum. Rejiciuntur Latinorum ad Liturgias vanæ evasiones; ea nominatim refellitur, quam Bellarminus solidissimam censuit.

Sed hæc ego, quod dicere cœperam, nunc mitto, cum à nostris alias sæpe, tum novissime ab Albertino τοῦ μακαρίτου diligentissime, fusissimeque disputata: & quæ alioqui non sunt ad præsens de cultu institutum admodum necessaria. Nam ut ostendamus (quod nostri proprie est instituti) cultum Latinorum hac in parte alium esse à prisco, satis est alterum cum altero contendere. In hoc Latinorum nullam proprie fieri donorum benedictionem, nullam gratiarum actionem, id est orationem ad Deum, qua panis & vinum, ad legitimum suum usum comparentur, sive ad quam corporis & sanguinis Dominici sacramentum fiant, & ipsi fatentur, & ex Missali eorum canone apertissime constare jam ostendimus. Apud veteres secus factum esse, & ad donorum consecrationem semper adhibitam fuisse aliquam precem, sive benedictionem, ex ipsis eorum tabulis, quæ plurimæ supersunt, si vel leviter inspiciantur, cuivis non plane stupido patet.

Nulla eorum extat liturgia, quam certum sit ea esse vetustiorem, quæ in Constitutionibus Pseud Apostolicis habetur. In ea autem sacerdos, recitata paulo ante Dominica Eucharistiæ institutione, & in ea nominatim pronuntiatis Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*, mox ita Deum precatur; *Rogamus te, ut benigne aspicere digneris super hæc dona proposita in conspectu tuo &c. & mittas sanctum Spiritum tuum super hoc sacrificium, testem passionum Domini Iesu, ut efficiat hunc panem corpus Christi tui, & hunc calicem* sanguinem *Christi tui* ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου. Nam ἀποφαίνειν hoc loco est *effectum dare*, ac ut optime reddit novissimus interpres. *efficere* (quo sensu etiam *designare* interdum apud Latinos sumitur) non autem ostendere, ut putat Bellarminus, ita ex Græcismi imperitia de hoc loco scribens; *In Liturgia Clementis, & Basilij, non*

Cõst. Apost. L. 8. c. 12. p. 1020. C.

Cap. XIII. *bis, non dicitur* (inquit) Fac panem istum corpus Christi; *sed.* Ostende panem istum corpus Christi. Ille vero graviter hallucinatur. Nam & in Clemente ἀποφαίνειν, & in Basilio ἀναδεῖξαι idem est, nimirum *efficere*; ut ipsi Latini interpretes reddiderunt * Perronius utrumque vocabulum ita accipiendum docet, ubi de ἀναδείξω voce, alibi † à Basilio in eodem argumento usurpata loquens, plane ac si Bellarmini errorem castigare in animo habuisset, ἀνάδειξιν negat * esse ostensionem; ait & probat esse *consecrationem*, atque ita habuisse notat veterem interpretem Basiliani loci apud Burchardum. † Tum ἀποφαίνειν, & ἀναδεικνύναι apud Græcos pro *efficere* accipi allatis ex Theodoreto duobus exemplis demonstrat; in quorum priori cum de Christo dicit χωλοὺς ἀρτίποδας ἀποφῆναι, significat eum, qui claudi erant, eos sanos & pedibus valentes effecisse; in altero vero *ignem* ligna cineres ἀποφαίνειν, id est ut patet, *efficere*, & in cineres convertere. Sed & locum adfert è Strabone, in quo ille ἱερὸν ἀναδειχθὲν Καίσαρι scribit; id est templum Cæsari consecratum; quod est sacrum Cæsari factum. Hæc Perronius, ex quibus omnes intelligunt ἀποφαίνειν. apud Pseudo Clementem, & ἀναδεικνύναι apud Basilium in hoc argumento nihil aliud esse, quam *efficere, consecrare, sacrum facere*; crassumque adeo fuisse Bellarmini errorem negantis in utriusque Liturgia dici. *Fac panem istum corpus Christi.*

* Lithurg. Bas. T. 2. Bill. Gr. L. Patr. p. 51. E.
† Basil. de Sp. S. c. 27.
* Perr. de Euch. h. L. 2. de Basi. loc. c. 3. p. 308.
† Burch. L. 3. c. 12.
Theodor. t. L. 10. de Provid. p. 446. D. T. 4.

Ac in Basilio quidem eo fœdior est ejus lapsus, quod in ejus Liturgia idem ille sacerdos paulo post verba, quibus Deum rogat, ut Spiritus Sanctus veniens sacra dona benedicat, sanctificet & sacra efficiat sive converteret ἀναδεῖξαι, hæc addit, quæ sunt longe disertissima, *Panem quidem hunc fac ipsum pretiosum corpus Domini*, τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον ποίησον αὐτὸ τὸ τίμιον σῶμα Κυρίου &c. *Hoc vero poculum ipsum pretiosum sanguinem Domini.*

Lithurg. Bas. in Euch ol p. 166.

Cyrillus eadem prece consecrata fuisse dona testatur, dum Liturgiam enarrans, ubi ad hunc locum venit, *Deum* (inquit) *benignissimum oramus, ut super proposita S. Spiritum emittat, ut panem quidem faciat corpus Christi; vinum vero sanguinem Christi. omnino enim quicquid attigerit Spiritus Sanctus, hoc sanctificatur, & transmutatur.* τὸν ἅγιον πνεῦμα ἐξαποστεῖλαι ἐπὶ τὰ προκείμενα, ἵνα ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον, σῶμα Χριστοῦ τὸν δὲ οἶνον, αἷμα Χριστοῦ. Atque hac prece Eucharistiam confici eo liquido confirmat, quod his de illa dictis ista statim subjicit; *Deinde postquam perfectum est spirituale sacrificium* &c. *Deum obsecramus pro communi Ecclesiarum pace* &c. εἶτα μετὰ τὸ ἀπαρτισθῆναι τὴν πνευματικὴν θυσίαν. κ. τ. ε.

Cyrill. Hier. Eros. Catech. Myst. 5. p. 241. B.

In Liturgia Chrysostomi, itidem ut in Superioribus, paulo post recitatā Eucharisticæ institutionis historiam, sacerdos à Diacono admonitus, iisdem quibus in Basiliana verbis, Deum precatur; *Fac hunc quidem panem pretiosum corpus Christi tui; quod vero est in hoc poculo pretiosum sanguinem Christi tui, mutaris Spiritu Sancto.*

Lit. Chrys T. 2. Bibl. P. Gr. Lat. p 79. D.

Sic & in ea Liturgia, quæ Iacobi Apostoli dicitur, aliquanto post recitato Christi de pane & vino sacro verba in historia institutionis

hujus

hujus sacramenti: *Spiritum tuum sanctissimum* (inquit sacerdos) *dixisse nunc quoque Domine in nos, & in hæc sancta dona proposita, ut superveniens sancta & bona & gloriosa sua præsentia sanctificet, & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui, & calicem hunc pretiosum sanguinem Christi tui, ut fiant nobis illa participantibus in remissionem peccatorum & vitam æternam in sanctificationem animarum & corporum.* ἵνα ἐπιφοιτῆσαν τῇ ἁγίᾳ καὶ ἀγαθῇ καὶ ἐνδόξῳ αὐτοῦ παρουσίᾳ ἁγιάσῃ καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον σῶμα ἅγιον τοῦ Χριστοῦ σου &c. CAP. XIII. Lit. Iac. ibid. p. 15.

Neque aliter se habet, quæ Marci nomine circumfertur Liturgia, in qua sacerdos eodem ordine sacram historiam & Domini in ea verba primo recitat, & paulo post Deum rogat; *Emitte super nos, & super panes istos, & super calices istos Spiritum tuum Sanctum, ut eos sanctifices & consecres, tanquam Deus omnipotens, & faciat panem quidem corpus, calicem autem sanguinem novi testamenti ipsius Domini & Dei & Servatoris, & summi Regis nostri Iesu Christi.* ἵνα αὐτὰ ἁγιάσῃ καὶ τελειώσῃ ὡς παντοδύναμος Θεός, καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον σῶμα, τὸ δὲ ποτήριον αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης αὐτοῦ τοῦ Κυρίου κ. τ. λ. Lit. Marc. ibid. p. 15. A.

Anaphora Syrorum, id est Basilii Liturgia Syriaca, eadem quæ Græca, exhibet. Nam & in ea sacerdos, postquam Deum rogauit, *ut Spiritus Sanctus veniat super ipsos, & super proposita dona, eaque sanctificet,* ita precari pergit, *& efficiat panem istum corpus gloriosum Domini Dei nostri Iesu Christi, corpus cœleste, corpus vitæ efficiens, corpus pretiosum, in remissionem peccatorum, vitamque æternam iis, qui accipiunt; & calicem hunc sanguinem pretiosum Domini Dei regnantis super omnia Iesu Christi; sanguinem redimentem, sanguinem vitam efficientem, sanguinem expiantem qui effusus est pro redemptione & vita mundi, in expiationem culparum, & remissionem peccatorum, vitamque æternam iis, qui accipiunt.* Quo loco observare est improbum Latinorum studium, qui in codicis margine lectorem hic monent *has orationes, vel ex scribentium errore, vel Græculorum quorumdam schismaticorum perversitate præpostero loco in hac Anaphora positas esse, cum locus ipsarum genuinus illis ab auctore datus fuerit ante verba consecrationis,* id est, ante, *Hoc est corpus meum.* Quam falsa ac perversa sit istius, quisquis fuit, observatio vident, qui sciunt non tantum Germanum, Patriarcham Constantinopolitanum, qui initio octavi seculi floruit, sed etiam multo eo vetustiores Cyrillum Hierosolymitanum & Pseudo-Clementem Constitutionum auctorem, has orationes, eodem quo sunt in Anaphora loco, recensuisse; nequid de Chrysostomi & Basilii & aliorum Liturgiis dicam, in quibus ibidem quoque positæ occurrunt; non autem in eo, quem iste vult, loco, *ante verba* quæ ipse consecrationis vocat; quod sane veteribus quidem certe, absurdissimum vereque præposterum visum esset. Anaph. Syr. T. 6 Bibl. P. p. 17. C.

Quæ ad hæc solvenda, sole cum meridie lucet, clariora Latini afferunt, alia quidem mitto; tum quod inania sint, etiam pleraque adeo inepta, ut ipsi Latini inter se pugnent, aliique aliorum solutiones refu-

Cap. XIII. tent; tum quod omnia Albertinus noster diligentissime expendat & refellat, ut apud eum quivis videre potest. Vnum tamen tangam, quod & Bellarminus sibi gratis plaudens *solidissimum* esse credit, & alii plærique omnes usurpant. Nimirum fingunt isti Græcos suis istis precibus hoc velle, non ut panis fiat corpus Christi (quod si ipsis credimus, jam tum erat confectum, cum sacerdos verba illa ut loquuntur, *sacramentalia* aliquanto prius pronuntiaverat) sed ut per effectum nutritionis spiritualis etiam nobis fiat, quod jam in se est; id est ut in nobis sanctificandis & consolandis vim eam exerat, qua præditum esse Domini corpus verum est. Sed ne hæc quidem solutio consistere potest; Primo, quod, ut Albertinus solerter observavit, Græci his suis precibus rogent sacra dona potenter *mutari per Spiritum Sanctum*, ut ex adductis Chrysostomi, Basilii, & Cyrilli verbis patet; quæ verba eorum, non in nos efficaciam, & fructum, sed in se ipsis mutationem liquido significant. Secundo quod præter hanc precem, alteram etiam dicunt Græci, qua sibi concedi salutarem sacramenti usum aliis seorsum verbis petunt, quæ statim subjiciunt; *Mitte* (inquiunt) *Spiritum tuum Sanctum &c. qui efficiat panem corpus Christi, & poculum eius sanguinem* &c. Quorsum, inquis, & in quem vestrum usum? *Vt illa* (inquiunt) *fiant participantibus in remissionem peccatorum*; & cætera, quæ nuper recitavimus. Sed apud Basilium res etiam plenior ac liquidior est. Duplex enim apud eum concepta legitur oratio; prior quidem, qua sacerdos dona à Spiritu Sancto mutari, ac corpus & sanguinem Christi fieri possit, Altera vero paucis interjectis versiculis mox sequitur, qua rogat, ut sibi & cæteris communicantibus utilis sit ac salutaris sacramenti sumptio; *Nos omnes* (inquit) *qui ex uno pane & calice participamus uni invicem ad unius spiritus communionem, & fac ut nemo nostrum ad iudicium vel ad condemnationem sit particeps corporis & sanguinis Christi tui, sed ut inveniamus misericordiam & gratiam cum omnibus Sanctis* &c. Hæc illa ipsa sunt (ut quivis videt) quæ Latini à Græcis in priori oratione petita fuisse volunt. Erga vel inani battologia & ἀλογίᾳ laborat eorum liturgia, vel certe priorem orationem à posteriori non minus sensu, quam verbis differre necesse est. Non differt autem sensu si stat Latinorum in eam glossa. Ea ergo amandanda est; veluti futile & ex una caussæ desperatione natum commentum. Denique si illæ Græcorum orationes id re vera significant, vel saltem significare possunt, quod iis Latini significari *solidissime* nunc affirmant, quæ quæso, invidia fuit ipsos quoque pariles in Missæ suæ canone preces adhibere? Græcos gratis placarent sibi jampridem de hac ut vocant, novitate molestos. Cur tam studiose eum sermonem vitant, quem ipsi nunc contendunt probum esse & innoxium? ejusdemque cum eo sensus, quem ipsi quotidie in suis Missis frequentant? Certe inter Græcam & Latinam orationem nullum aliud discrimen est, nisi quod Latina pronomine NOBIS auctior est, qua Græca caret. Si expuncta ex Latinorum Missis, illa vocula, qua

Græci

Albertin. l. 1. de Euch. c. 6. p. 25.

Bell. l. 4. de Miss. c. 14 §. Tertia solutio.]

Lit. Bas. T. 2. Bibl. Gr. Lat. Patr. p. 52. D.

Cap. XIII.

Græci in priori oratione carent, idem tamen manet, Bellarmino judice, sensus utriusque orationis, mirum est Latinos, homines prudentissimos, & alias sane, ubi res sua agitur, satis faciles atque humanos, tam duriter hic cum Græcis agere, ut unam voculam, quo nulla sui dogmatis, suæque fidei fraude, carere poterant, retinere in uno Missæ loco obstinatis animis maluerint, quam maximæ & nobilissimæ Ecclesiæ ædificationi ac paci concedere. Sed neque illud satis capio, cur istas orationes, non ille modo Basilianæ Anaphoræ nequissimus Scholiastes, quem memoravimus, sed ipse etiam Bellarminus suspicentur alicujus Græculi fraude suo loco emotas esse, & in hunc alienum præter auctoris scilicet mentem, intrusas & infultas, si verus & ad unguem Catholico-Romanus est earum, etiam in hoc quo consistunt, loco sensus? Hæc mihi profecto mirifica, ac vix satis inter se cohærentia videntur, ut pæne cogat dubitare, an illa Græcorum verba Bellarminus & alij Latini bona fide & ex sincero animi sensu ita interpretentur? & an non sit hæc ex ipsorum glossa ex ejus generis commentis, quæ alij quidam earundem partium viri, doctissimi, & quod caput est, *Catholicissimi*, loco ac tempore opportuno pie atque utiliter excogitanda esse censent ad veterum *errores* negandos, commodum eorum verbis sensum affingendo dum opponuntur in disputationibus.

Bell. ub. supr. §. Respond. ites solutiones.

Vnivers. Dua. c. Iudic. de Bettr. in Ind. Expurg. Ant. ed. a. D. 1571. p 5.

Vtcumque sit, Latinos hodiernos in Eucharisticos consecrationis negotio à veteribus discessisse ex utrorumque Liturgiis inter se comparatis, satis ni fallor, nunc patet, cum veteres quidem videamus orationes ad Deum in suis conceptus ad oblata dona consecranda adhibuisse: Latinorum vero Missam hujusmodi precibus plane penitusque carere. Has enim, quas attulimus Liturgias, plærasque antiquas esse, & quasdam circa ipsa quarti seculi initia scriptas, ne nos quidem negamus, qui subdititias alioqui ac insuper identidem post primam earum originem interpolatas fuisse putamus.

CAPVT

CAPUT XIV.

II. Argumentum, quo veteres prece consecrasse demonstratur auctorum primæ ad an. D. 300. antiquitatis testimoniis. Ac 1. Iustini εὐλογεῖν *&* εὐχαριστεῖν *idem esse tam in sacris quam in Ecclesiasticis libris. 2. Irenæi. 3. Origenis. Refelluntur quæ à Latinis ex Irenæo, & Tertullianæo objiciuntur. Notatur Bellarmini inverecundia Arnoldum seculi 11 scriptorem pro Cypriano seculi 3 Martyre obtrudentis.*

HUc accedit, quod earum hac quidem in parte, veritas indubitatorum priscæ Ecclesiæ scriptorum testimoniis, neque paucis, neque obscuris confirmatur. Iustinus, dum sacramentum vocat, εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν *cibum Eucharistia* (id est gratiarum actione) *affectum*, vel con-

Iust. Apol. 2. p. 77. lin. 2. & 31. secratum, panemque ac vinum τὰ εὐχαριστηθέντα, *ea quæ gratiarum actione* affecta, vel consecrata sunt; hoc ipso unquam docet res istas sacras esse gratiarum actione factas. Nam siquis panis vel calix gratiarum actione in synaxi affectus esset, neque idem vere esset sacramentum; male, ambigue ac falso loqueretur Iustinus, cum ut significet sacramentum à Diacono distribui communicantibus, dicit Diaconos *dare unicuique*

Id. ibid. p. 76. lin. 43. & p. 77. lin. 34. 35. *præsentium, ut ex pane, vino, & aqua participent super quæ gratiæ actæ sunt* διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου καὶ ὕδατος Item *fieri per Diaconos distributionem eorum super quæ gratiæ actæ sunt*. ἡ διάδοσις τῶν εὐχαριστηθέντων γίνεται διὰ τῶν διακόνων. Nam ex eorum hypothesi, qui dona gratiarum actione vere consecrari negant, fieri potest, ut super quo pane gratiæ in synaxi actæ sunt, is non sit tamen veri nominis sacramentum. Ergo Iustinus sensit, quicumque panis in synaxi percipit gratiarum actionem, eum vere sacramentum esse, ejusque adeo distributione atque esu distribui & sumi verum Eucharistiæ sacramentum. Panis εὐχαριστηθεὶς plane idem est, quod εὐλογηθεὶς, *panis benedictus*; benedictione vel gratiarum actione consecratus; phrasi ejus gemina,

L. Cor. 10. 16. qua Paulus ex Hebraismo dicit *poculum benedictionis* ποτήριον εὐλογίας, id est εὐλογηθὲν, *benedictum*. Ergo *poculum benedictionis* idem est, quod *poculum Eucharistiæ*, ποτήριον εὐχαριστίας; id est *poculum* εὐλογηθὲν *benedictum*, sex εὐχαριστηθὲν, *super quo gratiæ* actæ sunt; tamque Iustino licebat panem εὐλογηθέντα *benedictum* dicere, quam quod dixit, εὐχαριστηθέντα, super quo gratiæ actæ sunt; & Paulo vicissim, quod *poculum* dicit, tam εὐχαριστίας *gratiarum actionis*, id est εὐχαριστηθὲν *super quo gratiæ actæ sunt*, dicere licuit, quam quod dixit εὐλογίας, *benedictionis*, id est εὐλογηθὲν, benedictum Nodum enim in sirpo quærunt, merasque negas fundunt, qui nescioque discrimina inter hæc duo verba εὐλογεῖν εὐχαριστεῖν in hoc argumento quærunt ac comminiscuntur. Plane idem est tam apud

divinas,

quam & exinde apud Ecclesiasticos scriptores utriusque vocabuli sensus; ut ex libero ac promiscuo utriusvis ad eandem rem significandam usu intelligimus. Quod enim in prima Eucharistiæ descriptione Lucas & Paulus (etiam in quibusdam codicibus Matthæus) de pane loquente, *Christum gratias egisse* εὐχαριστήσας dixerunt, id ipsum Marcus εὐλογήσας, *benedixisse* dicit; † sic tamen, ut de vino, cujus eadem, quæ panis ratio est, ipse εὐχαριστήσας *gratiis actis* dixerit; quod ibidem quoque Matthæus expressit, Lucas vero & Paulus subintellexerunt. Ita & in miraculo de septem panibus & duobus piscibus, Marcus Christum, ubi de piscibus, *benedixisse* dicit, ubi de panibus, *gratias egisse*; Matthæus de utrisque *gratias egisse habet*. In simili de quinque panibus enarrando miraculo, quod Ioannes εὐχαριστήσας dixerat, * *gratiis actis*, id cæteri Evangelistæ εὐλογήσας dicunt *benedixisse*. Denique quam Paulus *benedictionem* εὐλογίαν significarat, eam ipse & quidem eodem versu *gratiarum actionem* εὐχαριστίαν fuisse disertissime dicit. † Locutio ducta est ex laudatissimo Hebræorum more, qui nullum cibum *ac ne communem* quidem sine prævia gratiarum actione & benedictione sumebant. Nam quod in hujusmodi rebus, cum *Eucharistia*, id est gratiarum actione, qua pro acceptis bonis gratiæ Deo aguntur, *benedictio* εὐλογία conjungi soleret, qua ejusdem beneficia & in præsens & in futurum poscuntur, eo factum est, ut pro eodem ponatur *Eucharistia*, qua gratiæ aguntur, & *eulogia*, *benedictio*, qua poscuntur ut est à doctissimo viro Hugone Grotio vere observatum. Neque est, quod quemquam moveat diversa horum verborum cum nominibus quæ regunt, constructio; quod ἄρτον quidem εὐλογεῖν *panem benedicere*, vulgari usu receptum sit; εὐχαριστεῖν vero ἄρτον *gratias agere panem*, nemo dicat. Nam quod idem ille vir eruditissimus solertissime tradit, utraque illa locutio elliptica est; *Plena autem* (inquit) *& propria locutio est* εὐχαριστεῖν τῷ θεῷ *gratias Deo agere, &* εὐλογεῖν τὸν θεὸν *Deum benedicere. Sed Hebræi & hos secuti Hellenistæ Iudæi amant dictionum compendia. Itaque* εὐλογεῖν *τινα vel τι, dicunt pro* εὐλογεῖν θεὸν ὑπέρ τινος; *ut.1.Samuelis 9. 13.* εὐλογεῖν τὴν θυσίαν *benedicere sacrificium, est* εὐλογεῖν τὸν θεὸν ὑπὲρ τῆς θυσίας, *benedicere Deum pro sacrificiosis* εὐλογεῖν τὸ ποτήριον *in hoc argumento dixit Paulus* 1.*Cor.*10.16.*& hic* (nimirum Matth. 26. 26.) εὐλογήσας *cum benedixisset recte construitur cum eo, quod præcessit* τὸν ἄρτον; *similique modo, quod nunc sequitur,* εὐχαριστήσας *cum eo, quod præcessit,* τὸ ποτήριον *Nam &* εὐχαριστεῖν ἄρτον *&* ποτήριον *non minus recte dicitur, quam* εὐλογεῖν. *Atque ita loqui solitos Apostolorum exemplo veteres Christianos docet nos Iustinus qui qui dicit* εὐχαριστηθέντα τὸν ἄρτον καὶ οἶνον; *deinde* εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν. Hactenus Grotius; qui his paucis verum ac genuinum harum locutionum sensum atque originem ita clare explanavit, ut neminem cui sit integer à partium studiis animus, repugnaturum putem. Sed Iustinus præter nomina, quibus sacra dona indigetavit, aliter etiam, quod nos defendimus docet, Eucharistiam scilicet benedictione consecrari. Diserte enim affirmat panem εὐχαριστηθέντα, id est *Eucharistiam sive sacramen-*

Cap. XIV.

Matth 26. 26. Luc. 22. 19 Paul 1. Cor. 11. 24.
† Marc. 14. 23. Matth. 26. 27. Luc. 22. 20. 1. Cor. 11. 25.
* Mar. 8. 7. 6. Matth. 15. 36.
* Ioann. 5. 11 Matth. 14. 19. Marc. 6. 41. Luc 9. 16.
† 1. Cor. 14. 16.
Grot. in Matth. 26. 26.

Cap.XIV. tum fieri *δι' εὐχῆς per precem Verbi ab ipso profecti* (id est Christi à Patre profecti) quo loco eam sic describit, ut esse dicat τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν. Hic enim Iustini sensus est, non is, quem ei Bellarminus affingit, inverecunde affirmans Iustinum paulo post dicere has *verbi preces* esse verba illa Domini in Evangelio, *Hoc est corpus meum*; cum nihil istorum simile dicat Iustinus. Etiam mox clarius ac plenius, ubi *ipsos* Ministri celebrantis in conficienda Eucharistia actus describens; *Panis* (inquit) *affertur, & vinum & aqua; & Præpositus itidem, quantum pro virili sua potest preces & gratiarum actiones fundit, & populus fauste acclamat dicens. Amen.* ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει. Tum sequitur statim distributio & communio.

Iust. Apol. 2. p. 77. lin. 2.
Bell. L. 4. de Euch. c. 11. §. Atque hæc pauca.
Ibid.

Iren. L. 4. c. 34. ultr. mod Irenæus eadem docet, dum Eucharistiam vocat *panem, in quo, vel super quem gratiæ acta sunt*. Haud dubie idem hic vocabulum scripserat, quo usus erat Iustinus, τὸν εὐχαριστηθέντα ἄρτον, quod Feuardentius ipse annotavit. Idem paulo post: *Qui est à terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia.* Quo panis à communi rerum naturæ suæ censu eximitur, quoque ex pane Eucharistia fit, id proculdubio ipsa illius est vera atque plena consecratio. Atqui panem id fieri Dei invocatione docet Irenæus. Ea ergo invocatione panem in Eucharistiam consecrari sentiebat Irenæus, & cum eo omnis illius ævi Ecclesia.

Orig. L. 8. contr. Cels. p. 411. Sed quid his Origenis verbis clarius aut disertius dici potest? *Nos vero* (inquit) *rerum omnium conditori placere studentes panes edimus, qui offeruntur cum gratiarum actione & precibus super rebus donatis, quique facti sunt per preces corpus quoddam & sanctum & eo cum sano proposito utentes sanctificans.* ἡμεῖς δὲ τῷ τοῦ παντὸς δημιουργῷ εὐχαριστοῦντες, καὶ τοὺς μετ' εὐχαριστίας καὶ εὐχῆς τῆς ἐπὶ τοῖς δοθεῖσι προσαγομένους ἄρτους ἐσθίομεν, σῶμα γενομένους διὰ τὴν εὐχὴν ἅγιόν τι καὶ ἁγιάζον τοὺς μετὰ ὑγιοῦς προθέσεως αὐτῷ χρωμένους.

Neque vero huic manifestissimæ primorum ad quartum seculum Christianorum sententiæ adversatur, quod Irenæus alibi dicit: *Quando mixtus calix, & factus* (γεγονὼς) *panis* (id est qui natura fit panis) *percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi. Panis* enim *percipere verbum Dei* dicitur, non cum verba illa (*Hoc est corpus meum*) de eo ex Evangelica historia recitantur, sed cum Christi Domini decreto atque institutione gratiæ super eo aguntur. Hæc enim Christi *institutio* vere *Dei verbum est*, absque quo foret, ipsæ celebrantium preces cassæ & irritæ in nihilum caderent. Percipit ergo panis illud Dei *verbum*, cum ex eo ad hoc sacrum à fidelibus adhibetur, Domini sui voluntate ac lege fretis certoque eum confidentibus minime defuturum suis institutis, sed ea ad finem & usum suum Spiritus Sancti efficaci operatione, sic provecturum, ut signa illa digne sumpta ad ipsorum salutem cessura sint.

Sed & frustra Tertullianum Latini impensius sibi favere putant, quo

loco

loco verba de Domino faciens, *Acceptum* (inquit) *panem & distributum discipulis corpus suum illum fecit. Hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei.* Sed illic Tertullianus longe alia agit, Nihil nunc de consecrationis ratione & modo sollicitus, veritatem corporis Dominici constituit contra phantasma Marcionis, hoc id refellens, quod panis Eucharisticus Dominici corporis figura sit: *Figura autem* (inquit) *non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterum vacua res, quod est phantasma, figurã capere, non posset.* Itaque hoc unum verbis objectis molitur, ut, panem Dominici corporis figuram vere esse cõstet. Id autem inde probat, quod Christus in sacra Cæna, *panem corpus suum esse dixerit*; non dicturus, nisi corporis sui panis, figura esset; quem utique aliud esse, quam ipsum Christi corpus, & sensus, & ratio & scriptura clarissime docent. Hic est loci Tertullianei sensus. Illa Christi verba in medium adducit, quo probet panem figuram esse corporis Dominici. Christus inquit, *corpus suum illum* (panem) *fecit, hoc est corpus meum dicendo.* Vult Christum hæc verba dicentem liquido constituisse panem esse corporis sui figuram; effecisse his verbis; ut nemo pius negare possit, quin panis Eucharisticus sit Dominici corporis figura. *Fecit* ergo hoc dicto Christus panem suum corpus; idem est ac si dixisset, *Ita loquendo de pane* hoc quod nos dicimus, liquido constituit, ac (ut loquimur) supponit, panem illum Eucharisticum aliquo modo ac sensu corpus suum esse; id est figuram esse corporis sui. Neque enim panis corpus Christi dici aliter potest, quam si ejus figura sit. Quæ enim ex iis, quæ dicimus, necessario efficiuntur atque concluduntur, ea nos ipsi *facere* etiam eleganter dicimur. Multa apud auctores exempla sunt locutionis similis, qua id illi *facere* ipsi dicuntur, quod vel se facturos promittunt, vel factum esse, aut nunc fieri atque esse tradunt, docent, narrant aut profitentur. Ita Augustinus alicubi de iis verbis loquens, quibus Christus apud Ioannem de carne sua nobis in cibum danda disserit, scribit *Christum carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dare*; cum vellet significare Dominum testari ac promittere apud illum Evangelistam se nobis ista vel dare, vel daturum esse. Huc etiam illa apud Origenem pertinent, cum Philosophos, qui mundum interiturum tradunt, vocat τοὺς φθείραντας τὸν κόσμον: eos vero qui universum æternum esse docent, τοὺς μὴ φθείραντας τὸν κόσμον: illos quidem *mundum corrumpentes*: hos vero *mundum non corrumpentes.* Qualia & illa sunt Minutij, potissimi scriptoris, de Homero eleganter dicta: *Hic* (inquit) *sauciavit Venerem: Martem vinxit, vulneravit, fugavit*: ut Poëtam ista non quidem fecisse ipsum, sed facta olim narrasse significaret. Cæterum Tertullianus, nequis de eo dubitet, alibi non obscure eadem, quæ Irenæus, de Eucharistiæ per preces consecratione tradit, in disputatione contra Marcionem sua: quo loco istum hæreticum summæ impudentiæ arguit, qui *super alienum panem alij Deo gratiarum actionibus fungeretur.* Nempe legitimum ac solenne erat *super panem gratiarum actionibus fungi* ad eum scilicet consecrandum. Illud

CAP. XIV. Tertull. L. 4. contr. Marcian. c. 40. p. 571. A.

Aug. L. 2. contr. advers. leg. c. 9. p. 241. B. Ioann. 6.

Orig. contr. Cels. L. 3. p. 210.

Minut. in Octav. p. 63.

Tertull. L. 1. contr Marc. 23. p. 447. C.

Cap. XV. tantum homini deputat imprudentiæ, quod quem diversi à suo Dei esse credebat panem, cum nihilo secius adhibitis vulgari Christianorum ritu, gratiarum actionibus, apud Deum suum consecraret.

Quem vero Cyprianum Bellarminus pro suo errore laudat eum ego facile concedo in sermone de Cœna Domini testari iis verbis, quæ Latini *sacramentalia* vocant, consecrasse Christum. Sed hominem non moror. Illius enim sermonis auctor non Cyprianus, sed Arnoldus est, Abbas Bonæ vallensis duodecimi seculi scriptor: quod est à nobis *alibi demonstratum*.

L. 2. de suppofit. Dionys. & Ign. c. 39.

CAPUT XV.

Argumentum tertium; ex testimoniis auctorum, qui post ann. D. 300. vixerunt. 1. Basilij, 2. Ambrosij. 3. Hieronymi. 4. Theophili Alex. 5 Augustini 6. Fulgentij. 7. Isidori. 8. Caroli Magni. Exploduntur putidæ Latinorum ad eorum dicta cavillationes; Bessarionis chimæra, à Latinorum gravissimis reiecta. Verba quæ illi sacramentalia vocant non esse precem.

QVarto seculo, & sequentibus mansisse eundem consecrandæ per preces Eucharistiæ morem, præter, Constitutiones & Liturgias, quas supra adduximus, etiam scriptores illorum temporum apertissime testantur.

Basil. de Spir. S. c. 27. T. 2. p. 351. D. Basilius: *Quis Sanctorum scripto nobis reliquit invocationis verba in confectione, vel ad confectionem panis Eucharistiæ & poculi benedictionis?* τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας, τίς τῶν ἁγίων ἐγγράφως ἡμῖν καταλέλοιπεν: Atqui illa Christi verba, *Hoc est corpus meum* &c. & sunt à Sanctis Evangelistis, & à Paulo litteris accuratissime tradita, neque sane sunt invocationis, sed meræ indicativæ enuntiationis verba.

Ambr L. 4. de fid. c. 5. p. 325. B. Ambrosius, Basilij pæne æqualis, *Eucharistia sacramenta* (id est panem & vinum) *quibus mortem Domini annuntiamus*, scribit *per sacra orationis mysterium in carnem transfigurari & sanguinem*: quod est, Latinis fatentibus, plenissime consecrari.

Hier. ep. Evagr. Hieronymus itidem tradit *ad Presbyterorum preces Christi corpus, sanguinemque conficit*. Idem alibi, de sacerdotibus, quorum corruptos mores acriter reprehendit: *Putant* (inquit) *Eucharistiam imprecantis facere verba non vitam: & necessariam esse tantum solennem orationem, & non sacerdotum merita*. Dum ita loquitur, evidentissime, ut loquimur, *supponit* solenni precatione sive oratione confectam tum fuisse Eucharistiam. Theophilus Alexandrinus panem & calicem Domini diserte scribit *per invocationem, & adventum Sancti Spiritus consecrari*.

Id. in Soph. c. 3. T. 6 fol. 98. E.

Theoph. Alex. Pasch. 1. inter op. Hier

Aug. Ep 59. Augustinus *orationes dici* tradit, *cum id quod est in altari, benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur*; Alibi id ipsum *mystica prece consecrari*.

Ib. L. 3 de Trin. c. 4.

Fulgen-

Fulgentius quærit; *Cur ad sacrificandum oblationis nostræ munus Sancti Spiritus tantum missio postuletur?* Item; *Spiritum Sanctum ad consecrandum sacrificium à Patre posci.* Idem iterum pæne iisdem verbis; *Sancti* (inquit) *Spiritus ad sanctificandum totius Ecclesiæ sacrificium postulatur adventus.* Tum capite sequenti: *Quando congruentius, quam ad consecrandum sacrificium corporis Christi sancta Ecclesia, quæ corpus est Christi, Spiritus Sancti deposcat adventum?* CAP. XV. Fulg. L. 2. ad Moudin. c. 6. p. 79 C. Ibid c. 7. p. 81. C. Ibid. c. 9. p. 83 B

Isidorus Hispalensis, ubi *ordinem* exhibet *orationum, quibus* (ut ipse profitetur) *oblata Deo sacrificia consecrantur, quemque* ipse dicit *primum à S. Petro fuisse institutum*: *Porro exhinc* (inquit) *sexta* (oratio) succedit, confirmatio sacramenti, *ut oblatio, quæ Domino offertur, sanctificata per Spiritum Sanctum corpori Christi, & sanguini conformetur* Loci enim hujus finem hunc Cassander exhibet; ex quo vulgari libri emendandi, in quibus* quod legitur, sensu caret, *corpori Christi & sanguini confirmetur.* Ibid. c 10. Isid. offic L. 1. c. 15. Cass. Liturg. c. 20. p. 41. init. * Isidor. edit. Brent. p. 585.

Ex his Fulgentii & Isidori verbis patet sexto seculo, quo ille, & septimo, quo hic vixit, mansisse adhuc in Latinorum Liturgiis orationem, qua, plane ut in Græcis, quas supra recitavimus, à Deo Patre poscebatur Spiritus Sancti adventus ad sanctificandum vel consecrandum panem & vinum, id est (ut rem definit Isidorus) *corpori Christi & sanguini conformandum.* Sed & de octavo seculo eadem Carolus Magnus testatur in opere de imaginibus, ubi de Dominici corporis & sanguinis sacramento verba faciens, *Consecratur* (inquit) *à sacerdote divini nominis invocatione.* Car. M. de Imag. L. 2. c. 27.

Hæc pauca de longe pluribus Patrum in hanc rem testimonijs libasse satis est. Ex iis enim clarissime intelligimus, vel easdem illas preces, quas è Liturgiis exhibuimus vel earum certe similes, à Patribus Græcis & Latinis ad suæ Eucharistiæ consecrationem fuisse usque ad octavi seculi finem adhibitas; quarum cum nulla ejusdem generis in hodiernis Latinorum Missis occurrat, jam satis superque manifestum est eos novitatis hac in parte merito reos teneri. Effugia vero, quibus conantur vim testimoniorum adductorum eludere, singula hic excutere nihil necesse est. Nam præterquam quod ab Albertino nostro accurate atque copiose confutatæ sunt omnes illorum glossæ, vitilitigationes, cavillationes, ac strophæ; huc insuper illud accedit, quod ea quæ huc ab illis afferuntur, plæraque vanitatem ipsa suam attentis lectoribus per se satis prodant; & quod multa ab ipsis earumdem quidem partium, sed tamen gravioribus, ac sincerioribus viris explosa sint; ut exempli gratia, Bessarionis, Græcorum suorum desertoris, chimericæ, ut simpliciter ac paulo rusticius dicam, solutiones, quas tametsi & Perronius dudum, & nuper etiam (quod equidem miror) doctissimus Goar secutus sit, cæteri tamen (quod Albertinus noster notavit) fere fastidiunt; Bellarminus, qui *minus solidas* videri dicit; Suarez, qui fatetur Bessarionis *responsionem esse capitis difficilem*; Lugo, qui *durissimam* eam vocat. Sed Albert. L. 1. de Euch. c. 6. toto.

Cap.XVI. horum ipsorum evasiones, quod eorum pace dictum sit, non sunt profecto Bessarionis somniis multo meliores, aut feliciores. Quale enim quæso istud verbi gratia, est, quod omnes volunt à Patribus per *preces & invocationem Dei*, intelligi verba Domini, quæ vulgo dicuntur *sacramentalia*, hæc scilicet, *Hoc est corpus meum?* quasi vel hæc ad Deum dirigantur, vel aliquid sibi ab eo dari concedive petant; quod utrumque vel communis totius humani generis sensus in omni prece, omnique invocatione necessario contineri agnoscit. Sed illi omnia pro sua libidine invertant licet, & rebus, quæ placuerit, vocabula imponant; ne sic quidem unquam efficient, ne sint in hac parte novatores; qui ne ipsi quidem postremo negare possunt, quæ hoc loco in sua Missa habent verba sacramentalia, ea si *preces* quando ipsi ita volunt, vere sunt, certe *preces* esse abnormes, novi neque hactenus visi vel auditi generis; ab iis, quæ in veterum libris & Liturgiis habentur, plane penitusque alienas.

CAPUT XVI.

Solvuntur præcipuæ Latinorum pro suæ consecrationis modo ex veteribus objectiones. 1. ex Gregorio Nysseno. 2. & 3. ex Chrysostomo. 4. ex Hesychio. 5. 6. 7. ex Ambrosio. 8. ex Augustino subdititio. 9. ex Pseud Eusebio Emisseno.

Albertin. L. 1. de Euch. c. 7.

Sed & quæ Latini pro suo hac in parte ritu ex Patribus objiciunt ea omnia ab Albertino nostro diligenter excussa atque confutata sunt. Huc quoque præterea accedit, quod ex iis quæ objiciuntur, nihil est, quod verba quæ vocant, sacramentalia sola ad consecrationem requiri, sola ad eam efficiendam satis esse affirmet: nihil, quod *preces*, *quod benedictionem*, *& gratiarum actionem* necessarias esse neget. Hoc vero, quicquid de reliquo statueris, mihi certe ad id, quod institui, abunde est. Nam etiamsi donavero veteres verba illa putasse aliquid ad sacramenti confectionem conferre: illud tamen quod nunc contendo, firmum & inconcussum manebit: veteres scilicet non censuisse verba ista rem sola totam in Eucharistia conficere, & quod dicit Bellarminus, reliqua quæ in Liturgiæ actione pronuntiantur utiliter quidem adhiberi, *non tamen in eis vim ullam inesse ad sacramentum conficiendum*. Patres longe ab ea sententia abfuisse inde apparet, quod etiam post illa verba pronuntiata nihilosecius Deum supplices rogant, ut dona proposita in corpus & sanguinem Christi mutet: quod si jam, ut Latini volunt, per illa verba, confectum erat, vix ac ne vix quidem possent ab ineptia illa Patrum preces purgari, quibus apud Deum tam vehementer, tamque diligenter contendunt, ut id fiat, quod jam antequam ita precentur, erat si Latinis certe credimus, plenissime perfectum.

Bell. L. 4. de Miss. c. 12. & 13.

Experiamur

Experiamur tamen, quam vim illa, quæ objiciuntur, habeant. Quædam jam attigimus, quæ reperi nihil necesse est: ut quæ ex tribus primis Christianismi seculis allata fuisse à Latinis diximus. Sed Nyssenum hic inprimis de quarto seculo pæne præcipiti video ab omnibus laudari: non tamen ab omnibus eodem modo. Veras ejus voces describere satis erit: *Panis* (inquit) *sicut dicit Apostolus, sanctificatur per verbum Dei & orationem: non eo quidem, quod per esum & potum in Verbi corpus evadat sed quod statim in Verbi corpus mutetur: sicut dictum est à Verbo: Hoc est corpus meum.* ὁ ἄρτος καθὼς φησὶν ὁ Ἀπόστολος, ἁγιάζεται διὰ τοῦ λόγου θεοῦ καὶ ἐντεύξεως. οὐ διὰ βρώσεως καὶ πόσεως, προϊὼν εἰς τὸ σῶμα τοῦ λόγου. ἀλλ' εὐθὺς πρὸς τὸ σῶμα τοῦ λόγου μεταποιούμενος, καθὼς εἴρηται ὑπὸ τοῦ λόγου, ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. Quid audio? Testis Latinorum in ipsos Latinos testimonium dicit? Panem enim Eucharisticum *sanctificari*, id est consecrari dicit *per orationem* διὰ τῆς ἐντεύξεως. Sed & eundem alibi audio de oleo sacro deque vino Eucharistico pariter affirmantem utrumque ante benedictionem *res esse haud magni pretii*: eadem post *sanctificationem Spiritus excellenter operari*. Ergo & hic *benedictionem* ad vinum sanctificādum necessariam putat: qui si crederet verbis illis: *Hoc est corpus meū, & Hic est sanguis meus* consecrationem plane perfici, nunquam profecto illud, quod scripsit, dicturus erat, *vinum ante benedictionem rem fuisse exigui pretii* ὀλίγου τινὸς ἄξιον. Atqui cū verba sacramentalia aliquanto ante *benedictionem* recitata essent, si iis fit consecratio, vinum jam aliquanto ante benedictionem erat sacramentum Dominici sanguinis, imo ipsissimus, si Latinos audimus, Domini divinus & adorandus sanguis. Qui ergo ista scripsit Nyssenus, is minime omnium sensit verba illa Latinorum ad conficiendum sacramentum satis esse. Latini plane secus; qui sive ἐντεύξει *orationem*, sive εὐλογίαν *benedictionem* (quibus ille duobus nominibus rem unam eandemque significavit) ad hoc, ut panis & vinum sanctificētur, requiri planissime negant. Sed Nyssenus tamen (inquis) etiam verbi Dei hoc opus esse putat. Esto, inquam. Certe etiam sic, diversus à te abit; qui per *verbum* quidem sed una & per orationem hoc opus confici dicit; quod tu totum uni illi verbo tribuis, quod & *sacramentale* vocas. Sed videamus tamen quod nam illud *Dei verbum* sit, per quod Nyssenus una cum oratione, *panem sanctificari* ait. Te quidem non miror nihil aliud quam tua cogitantem, hoc *Dei verbum* ut à Nysseno audivisti, statim retulisse ad tua illa decantatissima *Hoc est corpus meum* &c. Sed præter hoc imaginationis tuæ vitium, cætera omnia tuo isti sensui repugnant. Primum Apostoli Pauli, è quo se Nyssenus diserte ista habere profitetur, in iis verbis mens atque consilium. Obsecro enim quisquam ne est tam amens, ut Apostolum de libero ciborum usu disputantem, eosque ad nos alendos verbo Dei & oratione sanctificari pronuntiantem putet per *verbum* illud *Dei* tua illa verba sacramentalia intellexisse? Apage insanæ glossæ prodigium. Paulo *verbum Dei* hic est institutum, lex, ac voluntas Dei, qua rerum naturæ

Marginal notes: Cap. XVI. — Greg. Nyssen. Catechet. c. 37. L. 3. p. 104. C. D. — Id Orat. in Bapt. Christ. L. 3. p. 370. A. — 1. Tim. 4. 5.

Cap. XVI. turæ & constitutæ sunt primum, & nunc etiam constant ac servantur, ut cum *verbo Dei* mundum vel cœlum creatum esse, & nunc quoque consistere dicimus. Sic & in hoc de Eucharistia argumento *verbum Dei* Nysseno est Christi Domini de sacramento lex, qua instituit ut apud suos panis sit efficax & salutare corporis sui sacramentum. Hoc ergo verbo, hac Domini lege, accedente piorum benedictione ex Christi ipsius præcepto & exemplo, panis fit *corpus Christi*, id est verum ac divinum corporis Christi sacramentum; Ut in natura, de qua Paulo sermo est, creatura sanctificatur primum *Dei verbo*; quo illam Dominus ad eos usus instituit, ad quos nos illam ex eius voluntate adhibemus; deinde nostra gratiarum actione & prece. Sed jam Bellarmino satisfaciamus. *Oratio illa Græcorum* (inquit) *non est verbum Dei*. Fateor non esse verbum Dei, illud quod vocant sacramentale; sed est illa, quæ hic à Nysseno verbo Dei conjungitur, ἔντευξις, *precatio*. *Verbum* vero *Dei*, quid sit, jam dixi; institutum scilicet Christi, totius negotii lex. Si illud urget, quod Nyssenus verba illa Christi huc adfert, *Hoc est corpus meum*; in promptu est solutio; ideo hæc illum adferre, ut probet eam, quam dicit, panis in corpus Christi mutationem fieri (quod illa verba docent) non afferre, ut demonstret, qua vi mutatio fiat; an illorum verborum, an vero orationis ac benedictionis efficacitate; qua de quæstione neque Nyssenus cum hæc scriberet, cogitabat, neque alius ut opinor, quisquam ejusdem ævi; quo dona prece consecrari, res erat extra controversiam apud omnem Ecclesiam constituta.

Chrysost. Orat. de prodit. Iud. T. 5. 30. p. 415. B

Præterea ex Chrysostomo nonnulla objiciunt, quorum hoc est palmarium; *Stat sacerdos typum adimplens, & illa verba fundens; Virtus autem & gratia Dei est. Dicit hoc est corpus meum. Hoc verbo proposita consecrantur vel mutantur* σχῆμα πληρῶν ἕστηκεν ὁ ἱερεύς, τὰ ῥήματα φθεγγόμενος ἐκεῖνα· ἡ δὲ δύναμις καὶ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἐστι. τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμά φησι. τοῦτο τὸ ῥῆμα μεταῤῥυθμίζει τὰ προκείμενα. Sed non est credibile voluisse Chrysostomum his verbis à ministrante prolatis consecrari dona. Nam si ita sensisset, nunquam ipse aliquanto post ea recitata de integro Deum erat rogaturus, ut panem & vinum Spiritu suo mutans, illum quidem corpus, hoc vero sanguinem Christi sui faceret; quod eum in singulis, quas agebat, Synaxibus à Deo petivisse ex ejus Liturgia antea demonstravimus; quodque alibi confirmat dicens, *Sacerdotem stare ante sacram mensam manus in cœlum extendentem, invocantem Spiritum Sanctum, ut adveniat, & proposita tangat.* ὅταν ἑστήκῃ πρὸ τῆς τραπέζης ὁ ἱερεὺς τὰς χεῖρας ἀνατείνων εἰς τὸν οὐρανὸν καλῶν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ παραγενέσθαι καὶ ἅψασθαι τῶν προκειμένων. Quid ergo sibi vult, quod Chrysostomus in loco abjecto dicit *verbum illud Christi, Hoc est corpus meum, proposita mutare sive consecrare*? Nimirum id verbum considerat, non ut à sacerdotibus nunc in synaxibus singulis pronuntiatur, sed ut semel à Christo Domino in prima sacræ Cœnæ institutione prolatum est. Tum enim Christus eo verbo significavit, non quod Latini absurdissime somniant, panem

Id. de appell. Cœm. Orat. 32. T. 5. p. 436.

co

eo ipso momento, quo verbum prolatum est, ejusque vi, sacramentum fieri, sed hanc suam esse voluntatem, institutionem ac legem in Ecclesia perpetuam, ut panis à suis Ministris assumptus & benedictus fiat sui corporis sacramentum, eadem omnino ratione, qua panis ab ipso in prima illa Cœna assumptus atque benedictus sacramentum vere factus erat. Itaque quod illo verbo hæc ejus mens, voluntas atque lex de panis illius usu ac ingenio disertissime significatur; ideo ait Chrysostomus hoc *verbo proposita consecrari*; quia scilicet nisi ipse Christus, quod hoc verbo significavit, instituisset ac decrevisset, vanum & inane esset, quicquid Ministri nunc faciunt; quorum vim omnem à prima illa Christi lege proficisci, Chrysostomus initio huius ipsius loci dixerat; *Non homo est* (inquit) *qui proposita esse facit corpus Christi, sed Christus ipse, qui pro nobis crucifixus fuit.* Non hinc removet actum sacerdotalem; sed omnem actus efficaciam à Dei voluntate & instituto manare significat. Idem & verba sequentia clarissime loquuntur; *Et sicut* (inquit) *illa vox, quæ dixit, Crescite & multiplicamini, & replete terram semel quidem dicta est. Sed omni tempore fit, reapse naturam nostram vi & facultate ad liberorum procreationem necessaria instruens; ita & vox illa* (Christi scilicet) *SEMEL quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ ab illo tempore, ad hodiernum diem, & usque ad ejus adventum, præstat sacrificio firmitatem.* Hæc ille; quibus quæ sua mens in superioribus fuerit, clarissime docet. Nimirum, ut illo Dei verbo, quo ejus de hominum procreatione institutio semel ab initio declarata atque sancita est, homines in natura procreantur; ita & hoc Christi Domini verbo, quo ille semel in ipsa statim Eucharistiæ institutione prolato, quid panem illum esse ac censeri in Ecclesia sua vellet, mature edixit ac significavit, sacramentum idem in Ecclesia perpetuo à Christi Ministris conficitur. Itaque ut ridiculus esset, qui ex primis de naturali hominum procreatione verbis colligeret putasse Chrysostomum nullum hominem in mundo procreari, nisi verba illa à Domino prolata, *Crescite & multiplicamini* &c. à singulis parentibus repetantur, quoties dant operam liberis, & absque hoc frustra viros demum uxores ducere, frustra utrumque sexum convenire, frustra cætera fieri, quæ ad hoc opus fiunt; horum enim omnium nullam esse vim ad generandum; sed rem totam ab eo pendere, ut verba illa *δημιουργικά*, ac ut sic dicam *originalia & seminalia* generis humani, ut Dei olim, ita & nunc hominis ore diligenter pronuntientur; ita profecto non minus absurde Latini nunc ratiocinantur, dum ex eo quod Chrysostomus verbo illo semel à Domino in prima rei institutione prolato Eucharistias omnes fieri & consecrari scribit, argumentantur necessario nunc illud ipsum Christi verbum à singulis Ministris repetendum esse, atque sacerdotali hac ejus verbi repetitione, & iterata post Christum pronuntiatione ita rem omnem confieri, ut absque hoc inanis sit omnis benedictio, inanes preces, inania denique cætera, quæ in hoc celebrando sacro adhiberi solent. Latini ipsi fatentur Deum Creato- CAP. XVI.

Cap. XVI. rem per prima illa verba, *Crescite* &c. nihil ipsum per se & immediate produxisse, sed tantum tribuisse naturæ fæcunditatem, & instituisse, ut quandocumque tales caussę existerent, talis etiam sequeretur effectus. Recte sane & sapienter. Ergo inquam, nisi Chrysostomum fingant stulte hæc duo & inepte, hominem longe sapientissimum, ac eloquentissimum, inter se comparasse; illud omnino fatendum est, secundo illo Domini Redemptoris verbo, *Hoc est* &c. nihil quidem ipsum per se & immediate produxisse, sed significasse panem antecedente benedictione sua effectum fuisse sui corporis sacramentum; & quoties panis ad hoc suum exemplum à Ministro rite benedictus foret, toties eundem quoque effectum benedictionem consecuturum: gratiæ suæ vi, ac ut sic dicam inexhausta fœcunditate semel à se institutam Synaxin in omne ævum prosecutura. Quod vero Latini contendunt ista verba, *Hoc est corpus meum*, simpliciter operari; precem nihil quicquam operari: id eorum est, non est Chrysostomi scitum: absurdum sane & inverecundum. Quis enim non videt verba illa, non ad aliquid operandum, sed ad significandum quæ qualisque sit res quæ demonstratur omnino esse comparata? Neque ad constituendam Latinorum opinionem validior

Chrys. Hom. 2. in 2. ad Tim. p. 551. D. est qui ab iis ex alio Chrysostomi opere objicitur locus: *Quemadmodum* (inquit) *verba quæ locutus est Christus eadem sunt, quæ sacerdotes nunc pronunciant: ita & oblatio eadem est, & baptisma quod dedit.* ὥσπερ γὰρ τὰ ῥήματα ἅπερ ὁ Χριστὸς ἐφθέγξατο, τὰ αὐτά ἐστιν ἅπερ ὁ ἱερεὺς καὶ νῦν λέγει, οὕτω καὶ ἡ προσφορὰ ἡ αὐτή ἐστι καὶ τὸ βάπτισμα ὅπερ ἔδωκεν. Nemo negat vel Eucharistiam vel baptismum eadem hodie sacramenta esse, quoties legitime ministrantur, cum iis quæ à Christo olim instituta, & vel ab ipso, vel ab Apostolis administrata sunt. Benedictio in utrisque eadem est: eadem usurpantur Dei Christique verba in idem nomen: eadem virtus, eademque gratia, iidem denique effectus. Omnes confitentur. De eo vero quod quæritur, nihil hic Chrysostomus: benedictionis-ne, an verborum, ut Latini vocant, *sacramentalium*, vi ac efficacitate proprie fiat donorum Eucharistiæ consecratio. Sed eam quod hic tacet, benedictione confici apertissime & in Liturgia, & alibi docuisse Chrysostomum, nuper demonstravimus.

Hesych. L. 6. in Levitic. Eadem est Hesychii ratio dicentis *per Domini virtutem & prolatum ab eo verbum sanctificata esse, quæ videntur:* id est panem & vinum. Bene est. Sed cum verbum *benedictionis* æque à Christo prolatum fuerit, ac illud alterum, quod unum Latini *sacramentale* vocant: (nam qui hoc Christum protulisse narrant Evangelistæ, iidem eum quoque affirmant, antequam id proferret, *benedixisse* vel *gratias egisse*) stat adhuc quæstio, hujus ne an illius vi sacramentum fieri senserit Hesychius. Hunc autem benedictionis vi dona censuisse consecrari nobis primo persuadet Ecclesiæ Hierosolymitanæ, cujus ille Presbyter fuit, ritus ac praxis. In ea enim Ecclesia sacerdotem postquam Domini verbum illud, quod Latini solum esse sacramentale definiunt recitaverat, nihilo tamen

secius à Deo etiam tam petivisse, ut dona sacra misso in ea Spiritu cœlesti sanctificaret, & Domini corpus ac sanguinem efficeret; didicimus tum ex Iacobi Liturgia, quæ si ullius Ecclesiæ, certe Hierosolymitanæ, propria, familiaris, ac solennis fuit; tum ex Cyrilli ejusdem civitatis Episcopi, Homiliis Mystagogicis. Sed quid alios memoro? Ipse Hesychius de suo sensu dubitare nos non sinit. In eodem enim illo opere, unde ducta est objectio, hæc habet; *Nisi Christus rogatus ore sacerdotum ipse venerit, & cœnam sanctificaverit, & initiaverit ea, quæ aguntur, nullatenus sacrificium Dominicum fiunt.* Clare dicit Christum ad sacerdotis precem, sive benedictionem, sacram cœnam sanctificare; id est consecrare panemque & vinum, quibus ea constat corporis & sanguinis Dominici sacramentum facere; & hoc adeo esse necessarium, ut nisi id fiat, Hesychius *nullatenus sacrificium Dominicum fieri*, diserte asserat. Vnde patet ex istius quidem sententia, nullum in Latinorum Missis fieri sacrificium, *in quibus scilicet nullius sacerdotis ore rogatur Christus*, ut oblata veniens consecret; quæ nulla sacerdotis ore prolata prece, sed unis verbis sacramentalibus consecrari contendunt.

CAPUT XVI.

Id ibid. L. 2. c. 8. fol. 49. D.

Atque hæc quidem de Græcis dicta sunto. De Latinis vero sequentium post a. D. 300. temporum primo Ambrosium objiciunt affirmantem, *quem hodie Dominus dat nobis panem eum quotidie sacerdotem consecrare suis verbis.* Fateor. Sed quibus verbis consecrari dicit? Illisne Christi, *Hoc est corpus meum*, à sacerdote Eucharistiæ institutionem historice commemorante recitatis? Nihil hac de re Ambrosius hoc loco scribit. Quænam ergo inquis, intelligit? Aliqua enim fuisse necesse est. Quænam illa sint inquam, ipse supra docuit Ambrosius; esse scilicet sacram illam *orationem, per cujus mysterium Eucharistia sacramenta* dixit *transfigurari*. Itaque & hic verba illa, *quibus à sacerdote panem consecrari* ait orationem mysticam, sive *benedictionis* vel *gratiarum actionis precem* intelligit; non autem illa verba, *Hoc est corpus meum*, quæ nihil aliud sunt, quam simplex, eaque affirmans enunciatio; non qua Deus quicquam *oretur*, id est rogetur, oratio.

Ambros. de benedict. Patr. c. 9.

Id. de fide ab Grat. L. 4. c. 15.

Eadem est eorum ratio, quæ ipse dicit (si tamen ipse; an enim hic liber vere sit Ambrosij non abs re dubitatur) de iis, qui *initiantur mysteriis*; *Sacramentum* (inquit) *istud quod accipis sermone Christi conficitur. Sermonem Christi* dicit orationem, qua ex Christi tum instituto, tum exemplo hoc ab ejus Ministris benedicitur sacramentum. Verba de eodem sequentia: *Vere ergo carnis illius sacramentum est: Ipse clamat Dominus Iesus, Hoc est corpus meum*: illa inquam verba nihil ad rem præsentem pertinent, quibus scilicet panem benedictum vere esse Dominicæ carnis sacramentum inde quidem recte ac valide demonstrat, quod Dominus de eo pane à se benedicto dixerit, hoc est corpus meum (neque enim eum panem *corporis* sui nomine donaturus erat, qui vere non esset sui corporis sacramentum) An vero panis corporis Dominici sacramentum non benedictione prævia, sed his post eum pronuntiatis verbis

Id. de his, qui init. myst. c. 9.

Cap.XVI. effectus fuerit (quod quæritur) neque hic dicit Ambrosius, neque cur diceret, causa ulla erat, quem in eo uno hic versari videmus, ut ostendat panem per consecrationem vere fieri carnis Dominicę sacramentum; non laborare, quibus præcise verbis fiat consecratio. Idem est eorum, quæ sequuntur sensus; *Ante benedictionem* (inquit) *verborum cœlestium, alia species nominatur*; *post consecrationem, corpus Christi significatur.* Demonstrationem de sacramento ex Christi de pane benedicto verbis ductum explanat. Ante verba illa cœlestia, quibus Christus pani benedixit, *alia* (inquit) *species* (*panis* puta) *nominatur*, apud Evangelistas scilicet, *Cœnantibus eis accepit Iesus panem* &c. Post consecrationem verbis illis cœlestibus, quibus panis à Christo benedictus est, perfectum, *corpus Christi significatur*; nimirum à Domino de pane à se benedicto, dicente, *Hoc est corpus meum*; quibus verbis Dominus *corporis* sui nomen pani illi à se benedicto aperte liquidoque attribuit. Sic enim narrat Evangelista. Postquam Christum dixit acceptum panem benedixisse, ac fregisse dedisseque discipulis suis, ipsum tum demum subjecisse ait, *Accipite & comedite; Hoc est corpus meum.* Hæc ergo de pane post benedictionem dicentem Iesum Ambrosius significasse vult, (quod verissimum est) panem istum jam esse verum corporis sui sacramentum. Hæc omnino est ejus mens. Iam quam dicit *consecrationem* ipse ibidem *benedictionem* vocaverat. Neque enim de re alia hæc verba apud eum intelligenda sunt *post consecrationem*, quam de ea ipsa quæ his significata erat, *Ante benedictionem*: plane ac si dixisset, vel, Qui ante consecrationem panis nominatur, idem post consecrationem corpus significatur; vel Qui ante benedictionem panis nominatur, idem post benedictionem corpus significatur. Ergo Ambrosio benedictio consecratio est. Non erit autem, si verbis demum illis, *Hoc est corpus meum*, consecratio facta est. Benedictio enim jam præcesserat; adeoque aliud fuerat quam consecratio quæ ex hac hypothesi sequuta est. Atqui Ambrosius utramque pro re una eademque habet. Ergo benedictione verba sequuta antecedente, panem consecratum jam fuisse putavit; quod verum est. Id ipsum inde quoque apertissime, habetur; quod ait qui prius nominatus erat panis, eum *post consecrationem corpus Christi significari.* Nam si verba ipsa, *Hoc est corpus meum*, *consecrationem* continere sensisset, falso Christum affirmaret post *consecrationem corpus suum significasse*; quia si his verbis ipsa *consecratio* contineretur, profecto panis, qui illis ipsis verbis *corpus* significatur, non post *consecrationem*, sed in ipsa *consecratione* corpus Christi significatus est. Ergo si vere & ex animo loquutus est Ambrosius, omnino necesse est ut verba illa *consecrationem* jam factam sequuta esse putaverit; adeoque jam consecratum à Christo benedictione præcedente fuisse panem, cum illa de eo verba pronuntiavit, quibus eum corpus suum esse significavit. Atque ita locus hic errorem Latinorum adeo non confirmat, ut eum apertissime ac validissime refellat; idque ipsum ex verbis de calice sequentibus

Matth. 26. 26.

CAP. XVI.

quentibus intelligitur quorum plane eadem quæ de pane præcedentium, ratio est. *Ipse* (inquit) *Iesus scilicet dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur* (nempe vinum) *post consecrationem, sanguis nuncupatur.* Imo inquam, si consecratio his ipsis verbis fit, *Hic est sanguis meus*, clarum est non post *consecrationem*, sed in ipsa *consecratione, sanguinem nuncupari*, qui retro ante eam *aliud dicebatur.* Atqui exserte definit Ambrosius post eam demum *sanguinem* nuncupari. Ergo invitis omnibus Latinis censuit *consecrationem* ante factam fuisse, quam illa de calice essent à Christo pronuntiata, *Hic est calix sanguinis mei.*

Quæ ex alio de Sacramentis opere à Latinis afferuntur, *Sermone Christi confici hoc sacramentum*, eodem modo intelligenda esse responderem liber enim de his qui initiantur, hujus de Sacramentis operis fons est) si auctorem constaret esse Ambrosium. Nunc cum certum sit hunc fœtum esse scriptoris Ambrosio longe recentioris, piget in eo excutiendo tempus & operam perdere.

Ambr. L. 4. de Sacr. c. 4.

Idem dictum volo de verbis similibus, quæ citantur ex Augustini Sermone de verbis Domini, XXVIII. Is enim sermo, non Augustini, sed nescio cujus, plane impudentis Plagiarij est qui eum totum ex illius *de Sacramentis* Pseud Ambrosiani operis libro quinto inverecunde consarcinavit; quo merito sermonem ipsum Lovanienses Theologi in Appendicem inter spuria, Augustino antehac vel per fraudem, vel per imperitiam falso attributa retulerunt.

Neque hanc postremo Latinorum novitatem juvat, quod citant ex ignoto incertoque auctore cujusdam Sermonis, qui & sub Hieronymi, & sub Cæsarij, & sub Eusebij Pseud-Emisseni nomine circumfertur; Ac ne operi deesset pater, Savaro testatur hanc homiliam in veteri Sancti Germani apud Lutetiam mso. codice cum hoc titulo inveniri, *Homilia Sancti Isidori.* Hujus ergo τοῦ ἀνωνύμου scriptoris locus à Latinis objectus sic habet, *Invisibilis* (inquit) *sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo suo secreta potestate convertit, ita dicens, Accipite & edite; hoc est enim corpus meum; & sanctificatione repetita, Accipite & bibite. Hic est sanguis meus.* Sed hæc verba docent quidem panem & vinum in corpus ac sanguinem Christi consecrari, nulla hominum vel Angelorum vi, sed arcana verbi Domini virtute: id est ejus verbi, quo instituit ac decrevit Dominus Eucharistiam in Ecclesia celebrari, & esse salutare atque efficax corporis & sanguinis sui sacramentum. Nisi enim ille ita instituisset: frustra homines panem & vinum in sacramenta suis legibus erigerent ac sancirent: Frustra nobis illa eo nomine obtruderent: quæ vi illa destituta, qua veracissimus ac potentissimus Dominus sua ipse instituta comitatur ac prosequitur, nihil essent aliud, quam cassæ vanæque rerum imagines absque ulla ad nostram salutem efficacia. Hoc autem ille plane ut nuper Ambrosius, ex iis verbis probat, quibus Christus Eucharistiam instituens, jam ab initio docuit, quis esset panis & calicis, tam à se tunc benedicti, quam à suis Ministris in posterum benedicendi

Hier T. 4. fol. 135. Cæsar. Aret. Hom 5. T. 2. Bibl. Patr. p. 278. Euseb. Emiss. Hom. 5. de Pasch. p. 44. b. Savar. in Sidon. Apoll. L. 4. ep. 3.

Cap.XVI. dicendi usus, quæ efficacia, atque excellentia. Observandum enim est scriptorem loqui de verbis non à Ministro Eucharistiam celebrante, sed ab ipso Domino pronũtiatis, *Invisibilis* (inquit) *Sacerdos visibiles creaturas &c. convertit, ita dicens, Hoc est corpus meum.* &c. Ergo hæc ille verba non eo nunc adhibet, vt ostendat conversionem istam rerum naturalium in Sacramenta fieri vi verborum istorum, quoties ea Presbyter pronuntiat; Sed eo vt demõstret hanc esse Christi voluntatem ac legem, ut panis & vinum, legitima ministri benedictione, seu gratiarum actione fiant sui corporis ac sanguinis sacramentum. Hanc enim suam esse voluntatem nusquam Christus apertius testatus est, quam cum illa verba de pane à se benedicto protulit. Ac nequis dubitet hunc verum esse ac germanum scriptoris sensum, ipse in extrema homilia docet elementa invocatione sancti nominis consecrari; *Quando* (inquit) *benedicenda verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis & vini; post verba autem Christi corpus & sanguis est Christi.* In ultimis loci hujus verbis, casus nominis *Christi* genitivus bis pæne continenter repetitus abhorret à scriptoris puritate & concinnitate sermonis. Omnino videtur in priorem locum infultus à Latino aliquo homine causæ paulo improbius studente, eo consilio, ut cum nomine *verba* sic construeretur, *post verba autem Christi*, atque ita significaret *verba* quibus Eucharistia consecratur, esse ipsissima illa Domini verba. *Hoc est corpus meum.* Sed ne sit fraudi locus, utque sua auctori sermonis concinnitas reddatur, locus ex Hieronyminianis codicibus emendandus est, in quibus expuncto illo priori genitivo, ita legitur; *Post verba autem, corpus & sanguis est Christi.* Iam in his scriptor creaturas, *sancti* (id est divini) *nominis invocatione consecrari* disertissime dicit, & liquido cum cæteris Patribus definit. Vnde sequitur verba, ante quæ *substantia panis ac vini in altari est*, esse, non quod volunt Latini, verba, *Hoc est corpus meum*, à sacerdote pronuntiata, sed ipsissima illa *invocationis qua creaturæ consecrantur*, verba; quæ & *cœlestia* ideo dixerat, quod Domini instituto & exemplo à Ministro usurpata, vim à nomine *invocato* divinam ac cœlestem nanciscuntur; qua nempe quæ mera per se erant refectionis alimenta, ea in religionis sacramenta transeant, quodamque modo ipsum Domini corpus, ipseque sanguis fiant.

Euseb. Emiss. ub. supr. fol. 47. b. Cæsar. ub. supr. p. 280. D.

Hieron. ab. supr. fol. 136. K.

CAPVT

CAPUT XVII.

CAPUT XVII.

Argumentum IV. quo ostenditur Eucharistiam prece confici, petitum ex usu Christianorum à Latinis quidem divisorum, sed tamen vetustissimorum, 1. Armeniorum. 2. Græcorum omnium, nobilissima ac antiquissima Christiana gentis; qui etiam hodie hoc sacramentum ita conficiunt. Imo ita prece scilicet conficiendum esse adversus Latinos pugnant Græci recentiores post seculum 12. scriptores Nicolaus Cabasilas, & Marcus Ephesius Archiepiscopus.

EX his ultro citroque disputatis satis jam constare arbitror, veteres ad consecrandam Eucharistiam *benedictionis ac gratiarum actionis precem* adhibuisse; quod Latini adeo non faciunt, ut etiam id faciendum pertinaciter negent.

Id ipsum vero etiam inde confirmatur, quod apud alias Christianorum gentes à Latinis segreges priscus ille mos etiam hodie perseverat.

De Armeniis res ex ea Liturgia manifesta est, qua ipsi Leopoli Eucharistiam celebrant ab Andrea Lubelczyck Latine conversa; ex qua refert Cassander sacerdotem etiam ante ipsam præfationem Deum rogare, *ut oblationem suam suscipiat in conspectu suo collocatum, & coæquet illam corpori & sanguini Domini nostri Iesu Christi*; quæ cum iis congruunt, quæ supra ex Isidoro descripsimus, veteres in sexta ordinis oratione Deum rogasse, *ut oblatio sanctificata per Spiritum Sanctum corpori Christi & sanguini conformaretur.* Sed & in eadem Armeniorum Liturgia *post commemorationem Dominica mortis & institutionis Eucharistica, & post aliquot gratiarum actiones, & preces Sacerdos* (inquit Cassander) *silenter inclinatus orat Deum, ut dimittat in oblationem ante se positum Spiritum Sanctum & detecto calice & hostia inquit, ut sanctificaretur iste panis, verum corpus Christi Salvatoris Domini nostri; & hoc ter dicit super calicem sanguis verus est Domini nostri Iesu Christi, ut foret omnibus nobis accedentibus, non in judicium, sed in salvationem & remissionem peccatorum.* Cass. in Liturgic. c. 12. p 29. extr. & p 30.

De Græcis nobilissima Ecclesiæ Christianæ parte: & ipsa Latina antiquiore, nemo dubitat: quos in sacris suis Liturgia Chrysostomi plurimum ac fere semper uti notum est: ex qua preces, quibus fit consecratio, supra recitavimus. Quin etiam Græci Latinos erroris hac in parte palam arguunt, ac damnant: priscumque de consecratione dogma perperam ab iis ac vitio rejectum, & oppugnatum queruntur. Neque heri aut nudiustertius exortum est hoc inter utrosque certamen. Iam ante annos trecentos, & quod excurrit, Nicolaus Cabasilas Thessalonicensis Archiepiscopus, vir etiam Bellarmino judice, *valde doctus*, Latinorum errorem exagitavit, in Expositione Liturgiæ sua: quod opus etiam hodie superest. Ille prius dilucide explicato suorum in hoc sacramento Bell. de script. Eccl. in Nic. Cabas. Cabasil. Ex-

Caput XVII.

mento precibus Eucharisticis & Dei invocatione conficendo, sententia ac praxi: mox Latinis Græcos reprehendentibus, & Eucharistiam recitatis verbis, ut vocant, *sacramentalibus* statim perfici contendentibus, & aliud sentientes infidelitatis & supervacaneæ operæ arguentibus, quod rem suo judicio jam perfectam perfici, & Spiritum Sanctum ad hoc immitti otiose, & in cassum à Deo flagitant, perspicue & fortiter respondet. * Tum objectum à Latinis illum ipsum, quem nos supra expendimus, Chrysostomi locum acute ac perspicue solvit atque explicat, * frigidasque ac sophisticas Latinorum cavillationes & inanes calumnias docte ac solerter discutit ac confutat. Ipse vero duo quædam caput hoc concludens statuit; o Prius quidem, *& multos alios, & nominatim magnum Basilium, & Ioannem Chrysostomum tradidisse Eucharistiam oratione peragi.* Alterum; *Nullum vero neque Apostolum, neque Doctorem dixisse cerni sermonem Domini, qui de mysteriis in forma narrationis dicitur, sufficere ad donorum sanctificationem.* His illud quoque subjicit, quod ad solvenda quæcumque apud Patres occurrunt veritati in speciem adversantia, satis est; *Quod autem sermo ille (inquit) semel à Domino dictus, eo ipso; quod ab illo dictus sit, sicut opifex sermo, semper operetur, etiam B. Ioannes Chrysostomus dicit. Quod autem nunc dictus à sacerdote, eo quod ab ipso dicatur, hoc possit, nullo ex loco sciri potest, quandoquidem nec ipse sermo opifex operatur, quod in unoquoque eorum quæ fiunt, ab aliquo homine dicatur, sed quod semel à Deo dictus sit.* ὅτι μὲν ἅπαξ ὑπὸ τοῦ Κυρίου λεχθεὶς (λόγος:) αὐτῷ τὸ ὑπ' ἐκείνου λέγεσθαι, ὡς ὁ δημιουργικὸς λόγος ἀεὶ ἐνεργεῖ, καὶ ὁ μακάριός φησιν Ἰωάννης. ὅτι δὲ νῦν ὑπὸ τοῦ ἱερέως λεγόμενος, διὰ τὸ ὑπ' ἐκείνου λέγεσθαι, τοῦτο δύναται, οὐδαμόθεν ἐστι μαθεῖν κ. τ. ε. Cætera, quæ de eodem argumento ibidem disputat, apud ipsum videat, qui volet. Marcus Ephesiorum Archiepiscopus, Græcorum, qui Concilio Florentino a. D. 1437. ad 1439. interfuerunt, longe doctissimus, ac præstantissimus librum eadem de re edidit, in quo suæ quidem gentis usum defendit, Latinorum vero errorem confutat, Cabasilæ sententiam & vestigia secutus. Symeonem Thessalonicensem, & proximo retro seculo Hieremiam Constantinopolitanum, & hoc nostro Gabrielem Philadelphiensem Episcopum eadem sensisse, & cæteros Græcos in eadem cum illis esse sententia pæne omnes fatentur; quantumlibet Arcudius de his tribus, quos dixi novissimos, strophis more suo & cavillationibus sane illiberalibus ludens vitilitiget.

posit., Liturg. c. 27. T. 2. Bibl. Gr. 1. Patr. p. 233.

* Ibid. c. 29. p. 235. AB. &c.

* Ibid. p. 236. 237.

o Ibid. p. 238. B.

Ibid. c.

Arcud. de conc. Eccl. Orient. & Occid. L. 3. c. 28.

CAPVT XVIII.

Argumentum V. ex doctissimorum quorundam ex ipsis Latinis atrorum. Georgij Cassandri, Ambrosij Catharini, & Christophori à capite-fontium testimonio ducitur qui vi veritatis victi etiam post Synodi Tridentinæ de Eucharistia decreta confitentur veteres eam benedictionis prece confecisse. Ipsos Tridentinos videri eam sententiam constituere. Latinorum in Cassandrum, & in Catharini & Christophori libros immanis injuria.

QVid, quod ne apud ipsos quidem Latinos defuerunt viri doctissimi, qui manus verioribus dederunt? Cassander a. D. 1564. scripti cujusdam sui meminit; *in quo* (inquit) *diserte & expresse scripsi veteres Latinos cum veteribus Græcis, non solum in sententia de consecratione, quæ mystica prece fit, sed etiam in precandi forma, qua Spiritus Sancti adventus imploratur, qui proposita munera sanctificet, convenisse*, idque (inquit) *probatur testimoniis Hieronymi, Augustini, Fulgentij, Gelasii, Isidori.* Tum recitatis duobus testimoniis, uno Hieronymi, altero Augustini, quæ precis & invocationis in Eucharistiæ consecratione meminerunt, *De posterioribus vero* (inquit) *Latinis, qui à 500. annis fuerunt, præsertim Scholasticis, manifestum est, quod formam consecrationis constituerunt in solis illis verbis Dominicis, hoc est corpus meum.* Tum satis multis de horum opinione, eique opposita Græcorum doctrina dictis; *Tamen* (inquit) *multo tutiorem existimo veterum Latinorum ac Græcorum consensum, ut ex Ecclesiarum omnium consuetudine invocatio quoque adhibeatur.* Cass. ep. 72. p. 1168.

Ambrosius Catharinus, Theologus inter Latinos celeberrimus, palam negat verbis istis. *Hoc est corpus meum*, dona vel consecrasse Christum, vel ejus hodie Ministros consecrare; ac de eo argumento duos libellos in ipsa urbe Roma edidit.

Christophorus de Capite fontium, primo quidem Ordinis Minorum generalis Minister, deinde vero Archiepiscopus Cæsariensis, Lutetiæ anno D. 1586. annis post Concilii Tridentini exitum tribus & viginti plures, tractatus emisit hac de re, quos *de necessaria quarundam Scholasticarum opinionum correctione* inscripsit, Sixto P. R. V. dedicatos. In ipsa ad Sixtum epistola diversas Theologorum sententias primo de forma consecrationis Eucharistiæ recenset, septem numero; quarum quæ duæ primæ sunt, eas in hoc convenire dicit, quod Christus illis verbis, *Hoc est corpus meum*, nequaquam pani benedixerit. Tum de quæstione, An illa Christi verba *materialiter*, an *significative* in forma consecrationis sumantur ad decem opiniones inter se discrepantes numerari. De alia circa rem eandem tertia quæstione, An solis quatuor istis verbis fieri possit consecratio, Thomam cum suis affirmare; Christ. à cap. font. de necess. correct. &c. in epist. p. 2. & 3. ibid. fol. 5. Ibid. fol. 5. & 6.

Caput XVIII. Scotum & Scholasticos non paucos, & quosdam recentioris memoriæ Theologos ut Lindanum & Catharinum, negare. His se offensum opinionum dissidiis, acti suscepta & accurata rei totius cogitatione ac meditatione, eam postremo sententiam sedandis Scholarum jurgiis commodissimam judicavisse, quam ibidem Papæ Sixto particulatim in aliquot articulos dispertitam edisserit: quorum hi sunt præcipui: Christum his verbis *Hoc est corpus meum*, non benedixisse panem in Cœna, sed accepto pane gratias primum egisse Patri cœlesti: secundo benedixisse panem, & benedicendo consecravisse. Itaque de sacramento plane jam confecto ac consecrato dixisse discipulis, *Accipite & edite, Hoc est corpus meum:* jubendoque facere, quod prius coram Apostolis fecerat, sacramentum ac Missam instituisse, eodem scilicet ordine celebrandam, quo eam ab ipso celebrari viderant. Inde Sixtum luculentissime postremo collaudat, & cohortatur ad constituendam circa has quæstiones apud Christianos concordiam ac pacem. Qui sequuntur tractatus eodem omnes conspirant, nempe ut illa ejus sententia confirmetur.

Ibid. fol. 16.

Tr. 1. ibid. fol. 1. ad 13. & inde ad 20.

* ibid. fol. 13.

β ibid. fol. 22. b.

γ ibid. f. l. 23.

δ ibid. f. 28.

ε. cap. 5.

Eam in primis ex Tridentinæ Sessionis XIII. capitibus tertio & quarto, tum & primo subtiliter neque sane obscure constituit. Demonstrat * illam Christi propositionem, *Hoc est corpus meum*, consistere non posse, nisi de pane jam ante consecrato dicta intelligatur. Affirmat Scripturam, Cõcilia, totam antiquitatẽ testari Christum, dum benedixit, consecrasse; ideo Catharinum laudans, quod inter Caietani errores hunc quoque numeret, quo verbum *benedixit* vult sumi pro Dei laude, non pro consecratione. Ait γ adeo falsum esse Christum per verba illa consecrasse, ut illa ne pars quidem ulla fuerint consecrationis, quam fecit. Hinc ad scripturam progreditur, & ex ea probat δ Christum dona prius consecrasse, quam ista verba, *Hoc est corpus meum*, diceret; & argumenta quæ ex ea ducit, non paucis Patrum & recentiorum testimoniis firmat, atque illustrat.

ι Ibid fol. 46. b.

κ Ibid. f. 47. b. 48 49.

λ ibid.

In tertio tractatu defendit ι suam de consecratione sententiam; primum inde, κ quod Ecclesia Romana Græcos, quos tamen certum est credere dona, non his Christi verbis, sed sacerdotum benedictione, seu precatione consecrari, nunquam propterea, ut hæreticos damnaverit: In Synodo nominatim Florentina ex ipsis Latinorum Actis clare fuseque demonstrat λ factam fuisse cum Græcis *unionem*, ut aiebat Eugenius Papa, *perfectissimam*; cum tamen in ejusdem unionis litteris prid. Non. Iul. an. D. 1439. datis, nulla de panis consecratione mentio fiat, consentientibus ne ulla fieret Latinis; ubi & obiter notat Eugenium *quæstiunculam* vocasse eam controversiam, quæ Latinis hac de re cum Græcis erat; *quam* (inquit) *non sic erat appellaturus, si ad fidei illam articulos spectare credidisset.* Quo loco malæ fidei arguit θ summulæ Conciborum auctorem ordine Dominicanum, quondam Toletanum Archiepiscopum, (Bartholomæum autem Carranzam dicit) qui contra manifestam rerum veritatem duo quædam falsa in illa summa dicit; Prius,

θ Ibid. fol. 51. a. b.

quod

quod Eugenij Papæ decretum ait esse Concilij (*Florentini scilicet*) decretum; Alterum, quod adfirmat in eo decreto definitum fuisse Eucharistiæ consecrationem verbis illis, *Hoc est corpus meum*, fieri ac perfici. Sed & pro sua sententia inde argumentatur, quod Eucharistiam quatuor illorum verborum virtute consecrari manifeste contrarium sit iis, quæ ex Liturgiarum Sanctorum Patrum canonibus, Conciliique Nicæni 2. verbis colliguntur, atque in consequentia necessaria ex illis eliciuntur. In hoc enim Concilio Patres testari Divum Basilium in suæ Liturgiæ Anaphora sacra vocasse symbola in altari posita *antitypa ante consecrationem*; cum tamen locus in quo à Divo Basilio *antitypa* dicuntur, sit post verborum Christi prolationem, & ante orationem, qua sacerdos illa petit in Christi corpus & sanguinem mutari. CAPUT XVIII. Ibid. fol. 54. A.

Præterea ad rem eandem adfert & probat * multos ex Scholasticis & modernis Theologis docuisse consecrationem Eucharistiæ sine precibus fieri non posse. In ea sententia jam olim fuisse Cyprianum & Augustinum demonstrat, acute sane & solerter ex eorum de baptismo disputationibus, in quibus uterque evidenter supponunt ad sacramentorum, & nominatim ad Eucharistiæ confectionem necessariam esse Ministri orationem & precem. Quinimo eam fuisse illis temporibus, totius Ecclesiæ communem opinionem; sicque creditum semper fuisse in Ecclesia usque ad scholasticorum seculum, quo cœpisse aliquos tenere Eucharistiæ consecrationem solis illis quatuor Christi verbis fieri. Alios oppositum tenuisse, & inter hos, velut coryphæum primum incedere Scotum, *quem* inquit *multa sequitur Scholasticorum Doctorum turba, Angelus de Clavasio, Landulphus, Petrus de Aquila, Pelbartus, Maturinus Bretius, Nicolaus Dorbellis, Petrus Tartaretus.* Horum pæne omnium testimonia Christophorus recitat: & iis ex modernis accenset *Catherinum, Antididagmatis Coloniensis contra Lutherum unctores, & Lindanum*: quo loco Iustini, Dionysij Pseudareopagitæ, Augustini (verius dixisset *Basilij*) Hesychij, Iuvenci, Rabani, Gregorij P.R.I. Hieronymi, Ruperti, Ambrosij, Alcuini. Odonis Cameracensis, & Bernardi in rem suam testimonia aliquot recitat. * Ibid. fol. 58. b. 59. & deinceps usque ad 67.

Eadem agit, λ in tractatu *de Ordine, quem Christus in sua Missa celebranda servavit*: in quo vult ut supra Christum primo gratiarum actionem Patri super acceptum panem fecisse: secundo benedixisse panem, & dum benedixit, consecravisse: & aliis actibus interjectis, qui nihil ad præsentem causam pertinent, sexto obtulisse Apostolis in cibum *Accipite, edite*, septimo testificatum esse *se suum corpus illis prebere*, id est ut ego interpretor, id quod iis præbebat, verum esse corporis sui sacramentum. Eum ille Cœnæ Dominicæ fuisse ordinem latissime probat: μ primo ex ipsis Evangelistarum verbis. Secundo ν ex Concilij Tridentini decretis, tum quæ habentur sessione XIII. capite 1. 3. & 4. tum quæ sessione XXII. c. 1. Tertio ex Patrum testimoniis: quorum præter novissime memoratos, aliam insuper non spernendam nubem objicit. λ Ibid. fol. 69. μ Ibid. fol. 72. ν Ibid fol. 102. ad 11[illegible]

Cap. XIX. Ita antiquæ veritatis apud Latinos, ne post Tridentinum quidem Concilium testes, defuerunt. Imo si Christophorum audimus, ne Tridentini quidem effugere potuerunt, quin ipsi quoque verioribus multiplex testimonium perhiberent; Adeo res invicta est veritas, ut etiam hostes & oppugnatores suos cogat vel invitos & obtorto collo tractos in suas partes concedere, & mendacio suo, sibique ipsis contradicere. Historia certe Tridentinæ scriptor Italus Petrus Suavis Polanus tradit ipso jam illo tempore, quo illius Synodi de negotio Eucharistico decreta in lucem publicam primum exierunt, fuisse in Germania, qui notarent in primo illius Sessionis capite verba quædam, quibus illi Patres præter communem Theologorum, & Ecclesiæ Romanæ, suam quæ adeo ipsorum sententiam definivisse videntur non esse consecrationis verba illa, quæ vulgo jactantur sacramentalia, *hoc est corpus meum*; cum hæc Synodus scilicet post consecrationem ipsa à Domino prolata esse affirmet. Verba autem Synodi notata, ex quibus ipsum quoque Christophorum eadem conclusisse diximus, hæc sunt; *Redemptor noster* (inquiunt) *post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis* (Apostolis) *prebere ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est.*

Petr. Suav. Pol. L. 4. Hist. Conc. Trid. p. 336. Init.

Conc. Trid. Sess. 13. c. 1.

Cæterum & piæ Cassandri voces, & acres Catharini atque Christophori disputationes omnes pariter vanæ atque irritæ apud Latinos fuerunt; qui tribus istis viris pro patefacta veritate id mercedis rependerunt, ut laudanda eorum opera in librorum damnatorum censum retulerint, nigro theta inusto notata Cassander ipse in ferali Indice inter deterrimi commatis nomina una cum hæreticis semel simulque totus primo proscriptus est. Ejus vero opera omnia diu postea cum essent Lutetiæ excusa, iterato judicio Romæ à Biblomastigum Congregatione, quam *Indicis* vocant, damnata sunt *licet*, (inquiunt) *auctor sit in Indice inter auctores primæ classis prohibitus.* Neque multo mitius cum Catharino, & Christophoro actum est. Index personis pepercit; In Opera de hoc argumento ab utroque edita pariter sævitum. Prioris enim *Quæstiones duæ de verbis, quibus Christus sanctissimum Eucharistiæ sacramentum confecit*; Alterius; *Libri de necessario correctione Theologiæ Scholasticæ.* Item *de Missa Christi ordine & ritu.* Item *Epitome nova illustrationis Christianæ fidei*; Hæc inquam, amborum opera in Tridentino illo librorum Indice *omnino prohibita* suis utraque locis visuntur. Hæ sunt artes, hi elenchi, quibus magnanimum Latinorum genus in dogmatum suorum censores, de quocumque genere, Troes Rutulive fiant, nullo discrimine vindicare solet.

Ind. Trid. in G. prim. Class. Asserid.

Edict. Cong. Ind. Rom. an. 1617.

Ind. Trident. in A. & in C.

CAPUT XIX.

Altera Latinorum in consecratione novitas, quod eam sacerdos simul atque consecravit, genibus humi positis latria præter veterum morem adorat. Probatur eum cultum ignotum fuisse veteribus, esseque etiam hodie Græcis & aliis Christianis, à Latinorum quidem communione divisis, sed antiquæ tamen traditionis religiosissimis. Solvuntur quædam pro hoc Latino ritu ex Liturgiis à recentissimo quodam disputatore Ianseniano frustra obiecta.

HActenus de priori Latinorum in ipso consecrandæ Eucharistiæ modo novitate diximus. Nunc ad alteram pergamus, quæ in consecratorum donorum cultu observanda est. Nam Sacerdos Latinus Eucharistiam simul atque confecit, ac consecravit, pronus de geniculis adorat; idque ab omnibus hodie missificantibus summa religione fit, & à Romano Missali disertissime præcipitur, ubi de verbis illis, *Hoc enim est corpus meum*, pronunciandis sermo est: z *Quibus*, inquit, *prolatis celebrans tenens hostiam inter pollices, & indices prædictos super altare, reliquis manuum digitis extensis & simul iunctis, & hostiis si plures sunt, consecratis in loco quo à principio Missæ positæ sunt, super corporali, vel in alio vase aut calice demissis, genuflexus eã adorat.* Paria mox de calice sacro habet, ubi de verbis ejus consecratoriis, nempe, *Hic est enim calix* & suo loco agens, a *Quibus*, inquit, *dictis reponit calicem super corporali, dicens secreto*, Hæc quotiescumque feceritis, &c. *genuflexus sanguinem reverenter adorat.* Atqui hujus ritus in omnibus veterum ante undecimum seculum monumentis, nullũ in hoc Eucharistiæ loco exemplum, nulla prorsus mentio occurrit. Cassander veteres Liturgias in opere, quod inde *Liturgica* inscripsit, magno studio recensuit, & siquid cum Latinis, vel consentiret, vel ab iis discreparet, id accuratissime ac pæne anxie observavit: b ab ipso Iustino exorsus, ex cujus 2. Apologia colligit atque exponit quis ejus ævo esset sacræ communionis apud nos usus. Inde ad pseudo Dionysium Areopagitam transit, eique Liturgias deinceps subjicit, quæ Chrysostomi c Basiliique nominibus circumferuntur: tum Æthiopum Canonẽ universalem, & quæ de illius gentis Eucharistia ab Alvare tradita sunt, exhibet. Ne Armeniorum quidem omisit, siquid de hoc sacro nancisci potuit, vel eorum qui in Russia degunt, vel qui in d sua patria, vel qui denique in Indiis vivunt. Neque Moscovitarum f morem indictum præteriit. His ita expositis, ad Latinos venit: quorum sacrum initio simplicissimum, quibus postea partibus & à quibus auctum fuerit ex multis scriptoribus docet. Refert quid ea de re Litteris mandarit Augustinus: g quid diu post Augustinum Isidorus. Hinc g Missæ

z Miss. Rit. celeb. c. 8. §. 5.

a Ibid. §. 7.

b Cass. Liturg c. 3. 5. c. 5.

c Ibid. c. 8. & 9. c. 10. & 11.

d Ibid. c. 12. 13. 14.

f c. 15.

Cap.XIX. Romanæ ordinem ex duobus Libellis id ipsum nomen præferentibus,
g c.19. iisque haud sane antiquissimis exsequitur, i & quæ de eo Rabanus tra-
h c.20. didit, ipse sed in pauca contracta repræsentat. k Sed in omni hac vete-
i ib.d.c.22. 23. rum monumentorum, Græcorum & Latinorum copia, nullum observa-
k c.24. re est, in quo sacerdos vel panem vel calicem sacrum genuflexus adoret, simulac utrumque confecit. Bona fide Cassandrum hæc, ut alia solet, recensuisse experietur quisquis eum cum autoribus ex quibus ea excerpsit, diligenter comparaverit. Ego vel uno exemplo rem illustrabo. Chrysostomi Liturgiam, quam ille cum cæteris edit, evolve sedulo, & quidem eam, quæ vel in Euchologio Goaris vel in Græcolatina Patrum Bibliotheca habetur. Latini verbis Dominicis, Græci oratione quadam ad Deum fusa sacramentum confici putant. Locum in quo vel illa recitantur vel hæc pronunciatur, vide: In neutro occurrit sacerdotis vel genuflexio, vel adoratio. Idem observare est in Iacobi & Marci Liturgiis, quas Cassander intactas præteriit. In iis utroque illo quo diximus loco nullus sacerdos hostiam de geniculis, more Latinorum hodierno adorat. Simile quoque de ea genuflexione & adoratione silentium iisdem locis apud Constitutionum parentem, n ut & apud Cyrillum Hierosolymitanum observare est: ubi illi totum Eucharisticæ Liturgiæ ordinem enarrant. Sed quid antiquiora consector? Ne apud recentiores quidem seculi noni, decimi, ac undecimi Latinos, ubi illi Eucharistici sacri confectionem exponunt, occurrit illa hodierna celebrantis genuflexio & adoratio. Amalarium, p Rabanum, Valafridum, pseudo Alcuinum, & alios si qui sint illorum temporum, his in locis consule vera me dixisse comperies. Eo factum est, ut qui cæteris suis ritibus antiquitatem prætexant Latinorum Theologi, pro hoc veterum nullum Græcum, Latinumve, autorem proferant; quia scilicet quem proferent nullum reperiebant. Ex hoc autem tam constanti veterum omnium scriptorum in hujusmodi locis silentio certissime conficitur, non fuisse olim morem, ut recitatis illis (ut loquuntur) sacramentalibus Domini verbis, adeoque confecto sacramento, celebrans in genua procidens hostiam adoraret; sed hunc ritum, ut alios non paucos, tum demum inductum in hunc Liturgiæ locum fuisse, cum credi cæptum est panem, ex suscepto transsubstantiationis dogmate, in Deum mutari, divinisque adeo honoribus colendum esse. Græci certe quantumvis cætera superstitiosi, quod tamen nullam inter publica fidei suæ capita de transsubstantiatione definitionem apud suam Ecclesiam habent, ne nunc quidem hunc morem servant, ut qui Eucharistiam celebrat sacerdos, eam simul ac confecit, adoret genuflexus: quod non tantum ex eorum Rituali, in quo nihil tale reperimus, sed etiam ex disertis Arcudij verbis constat. Is enim cum Græcis quorum desertor atque emansor est, vehementer expostulat, q quod quando sacerdos munera sive symbola consecrat Christi verbis, *hoc est corpus meum: hic est sanguis meus, tunc illi vel nullam vel admodum parvam reverentiam exhibeant.* Atque hic dignas tanto crimine iras concipiens, ita Gabrielem

Marginal notes: Euch. Græc. B76.77. ibi. Patr. Gr.Lat.T.2. p.78.D.E. 79.C.D.E. m Marc.Lit. ibid.p.37.D. p.38 B. n Clem. Const l 8.c. 12.p.1020. A.C. o Cyr. Hier. hom.myst.5. p.241 B.C. p Amal.l 3. de offic.c.24. Rab.de instr. Cler.l.1 c.33. Val.de reb. Eccl.c.22. Alc.de off. div. de miss. celeb. q Arcud. de concl. Eccl. c.21. p.199. col.1.C.D.

Gabrielem Episcopum Græcum, objurgat. *Cur tunc temporis*, inquit, *egregius Philadelphiensis de suo throno haud descendit?* οὐ κεφαλὴν κλίνει; οὐ προσκυνεῖ καὶ γεραίρει; οὐ φωταγωγίαις, ᾠδαῖς, καὶ ὕμνοις προσπίπτει; οὐ τιμὴν καὶ κλίσιν κεφαλῆς καὶ γονάτων προσφέρει, * οὐκ ἰδιαζούσης μετανοίας τιμᾷ; οὐ λέγει μνήσθητί μου Κύριε ἐν τῇ βασιλείᾳ σου; Quibus verbis, ut omnes vident, significat nihil istorum, hostiæ à Græcis eo loco deferri; nedum ut eam celebrans genuflexus adoret. Eadem quoque est cæterorum à communione Latina segregum Christianorum ratio; Æthiopum, Armeniorum, Iacobitarum & Nestorianorum, apud quos nulla esse cernitur hæc sacerdotis ad Eucharistiam consecratam adoratio. Sed ecce huc se infert novus disputator, qui licet anonymus prodierit, certo tamen unus esse creditur de Iansenianorum grege. Is in opere nuper edito demonstrare aggreditur Eucharistiam ex Liturgiis, à Græcis, latriâ, & jam olim esse adoratam, & nunc quoque adorari. Eam ad rem aliquot ex Basilij & Chrysostomi Liturgiis loca affert, r quæ sunt à nobis expendenda. In primis affirmat sacramentalis Latriæ praxin *diserte notari* in hac sacerdotis prece; s *Attende Domine Iesu Christe, Deus noster, de sancto habitaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandum nos; qui in excelsis cum Patre simul resides, & hic una nobiscum invisibiliter versaris; & dignare potenti manu tua nobis impertiri immaculatum corpus tuum, & pretiosum sanguinem, & per nos toti populo.* Πρόσχες Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐξ ἁγίου κατοικητηρίου σου, καὶ ἀπὸ θρόνου δόξης τῆς βασιλείας σου, καὶ ἐλθὲ εἰς τὸ ἁγιάσαι ἡμᾶς, ὁ ἄνω τῷ Πατρὶ συγκαθήμενος, καὶ ὧδε ἡμῖν ἀοράτως συνών, καὶ καταξίωσον τῇ κραταιᾷ σου χειρὶ μεταδοῦναι ἡμῖν τοῦ ἀχράντου σώματός σου καὶ τοῦ τιμίου αἵματος, καὶ δι' ἡμῶν παντὶ τῷ λαῷ. Hic quidem locus, id quod hic observavimus, proprie non fecit. Hic enim proprie observamus, quod Latinus sacerdos sacramentum, simul atque confecit, adorat: id celebrantem in nulla Liturgiarum facere. Hæc vero quæ affertur, qualiscumque de cætero sit oratio, non à sacerdote dicitur, ubi primum panem & calicem consecravit, sed satis diu post consecrationem: post ipsam orationem Dominicam, ubi se Clerici ad communionem accingunt. Itaque ad meam hanc observationem neque hic objectus locus, neque cæteri ab adversario allati pertinent, quorum eadem est quæ hujus ratio. Sed quia ex Liturgiis ducti sunt, age videamus, an ex iis confici possit sacramentum fuisse ab eorum autoribus, his saltem synaxeos locis latria adoratum. Hanc vero orationem quæ à nobis descripta est, clarum est ab eo quod quæritur, aberrare. Quæritur enim an Eucharistiæ, id est sacris sanguinis & corporis Dominici symbolis, in Liturgia exhibeatur à sacerdote celebrante, ut nunc fit apud Latinos, latriæ cultus? Iam Latinus sacerdos in Missali, genuflexus non Christum, sed *sacramentum adorare*, disertissime dicitur: * & paulo post *cooperto calice sacramentum adorare*; &, *stans oculis ad sacramentum intentis precari*; & mox, *discooperire calicem, & genuflexus sacramentum adorare*; & postquam *calicem palla cooperuit*, *genuflexus sacramentum adorare*; cum *stans junctis manibus ante pectus*, *capite inclinato*

* *non honorem, non capitis & geniculorum inclinationem offert.*

r Perpet. de la foy del. Euchar. p. 262.

s Lit. Bas. T. 2 Bibl. Pat. Gr. Lat. p. 57. B ex Lit. Chrys. in Euch. Goar. p. 81. ex T. 2. Bib. Pat. Gr. Lat. p. 83. C.

* Miss. Rom. Rit. celebr. Miss. c. 9. §. 2. ex c. 10. §. 1. 2. 3. 4.

Cap. XIX. *nato versus sacramentum dicere intelligibili voce*, Agnus Dei qui tollis peccata mundi; Et mox, iterum *manibus junctis super altare positis, oculisque ad sacramentum intentis inclinatus secreto ita precari*, Domine Iesu Christe. Et rursus, *genuflectens sacramentum adorare.* Alia mitto horum gemina, aliis Missalis Locis passim occurrentia. Siccine ergo apud veterem Liturgiam sacerdos? Ille vero non *sacramentum*, de quo quæritur; sed *Dominum Iesum Christum Deum nostrum*, de quo nulla quæstio est, invocat. Verbis enim descriptis invocatur Christus, & quidem *in throno gloriæ suæ* residens, quod de sacramento in altari posito, nisi falso dici non potest. Rogatur *ut veniat*; absurdè, si per transsubstantiationem ante (ut volunt) factam, quam hæc oratio funderetur, jam præsens in altari aderat. Neque quod eum sacerdos *una secum invisibiliter* versari dicit, aliud significat, quam Christi, non corpus, sed numen majestate sua, suoque spiritu, in nomine suo, ad cultum suum congregatis (quod iis diserte in Evangelio promisit) *t* adesse propitium. Ne nunc illud dicam, quod à Christo petunt, ut ipsis *suum corpus*, adeoque suam manum, *sua manu* impertiatur, id vix posse ab intolerabili ἀδολεσχίᾳ purgari, nisi illud Christi corpus, id est sacramentum quod sibi dari poscunt, aliud esse concedas (ut est sane) à vero τῷ κατὰ φύσιν Christi corpore, quod est in cœlis Quam adversarius diserte hic notatam affirmabat, *u sacramenti Latriam*, ea vero nusquam cernitur. Neque felicius urget hæc verba Liturgiæ sequentia; *x Dehinc adorat sacerdos & Diaconus, in quo est loco, ter dicentes secreto, Deus propitius esto mihi peccatori: Et populus similiter cunctus cum devotione adorat.* εἶτα προσκυνεῖ ὁ ἱερεὺς καὶ ὁ διάκονος ἐν ᾧ εἰσὶ τόπῳ, λέγοντες μυστικῶς τρίς, Ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ. Καὶ, ὁ λαὸς ὁμοίως πάντες μετὰ εὐλαβείας προσκυνοῦσιν. Mirus homo noster hic disputator, qui rite adorari præter suam hostiam, nihil putat. Presbyter & Diaconus adorant (inquit Liturgia (Ergo (inquit disputator) Latriam sacramento uterque deferunt. *Et populus devote adorat* (inquit Liturgia) Latria sacramenti (inquit disputator) *diserte notata est.* Quid isto homine feceris? qui sui cerebri imaginationem autoribus quos laudat pro sua libidine imputat? quamque animo alte præceptam habet oblatæ suæ Latriam, ubicumque *adorationem* audit, eam ipsam videre se putat? Atqui quo referatur illa presbyteri & Diaconi adoratio, vel ipsa eorum oratio docet, *Deus*, inquiunt, *propitius esto. Deum* orant, ergo & *Deum* adoraverant. Siccine Latinus de Missali sacerdos. Ille vero, non Deum, sed *sacramentum* diserte dicitur *adorare*, in locis nuper notatis; & Diaconus itidem, *y facta sacramento genuflexione cum celebrante adorat.* In Liturgia nihil simile sacerdos quidem & Diaconus, quem invocant, eum ipsi *Deum* nominatim nuncupant *sacramentum* nequaquam nominant. Si nullum in Cœlis, nullum in terris præter oblatam tuam Deum esse probaveris, ego fatebor hic notatã esse oblatæ tuæ Latriã. Sin aliter est desine nobis tua insomnia pro totidem Liturgiarum dictatis obtrudere. Sed, inquit, ut intelligas hanc ipsorum adorationem ad sacramentum in [illegible] altari

t Matth. 18. 20.

u Perpet. de la foy de l'Euch. p. 263.

x Euchol. Goar. ub. sup. p. 81.

y Miss. ub. sup c. 9. §. 4.

altari jacens referri, vide quid ibidem sequatur, ubi presbyter & Diaconus communicant. Videamus. Quem iste locum indicat, in eo de sacerdote communionem Diacono administrante hæc leguntur. *Similiter sacerdos accipit sanctum panem, inclinans caput ante sanctam mensam, & precatur hoc pacto; Credo Domine & confiteor, quod tu es Christus, filius Dei viventis, qui venisti in mundum ad salvandos peccatores, quorum primus ego sum.* &c. Ὁμοίως δὲ ὁ ἱερεὺς λαμβάνει τὸν ἅγιον ἄρτον, κλίνας τὴν κεφαλὴν ἔμπροσθεν τῆς ἱερᾶς τραπέζης, καὶ εὔχεται οὕτως. Πιστεύω Κύριε καὶ ὁμολογῶ, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ζῶντος ὁ ἐλθὼν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι ὧν πρῶτος ἐγώ εἰμι. Hæc Domino dicuntur, quem Filium Dei esse, quem in mundum venisse credimus. Pani sacro non dicuntur; pani sacro dici nemini unquam in mentem venerit, nisi cujus animum transsubstantiationis dogma occupaverit. Ergo hæc superiorem sacerdotis & diaconi adorationem ad sacramentum referri adeo non affirmant, ut etiam negent, ac doceant, eam ad eundem hunc Dominum referri, quem sacerdos hic precatur. Sed hic adversarij versutia quædam à causæ studio profecta notanda est. In Liturgia quod recitavimus, scriptum est, *Sacerdos accipit sacrum panem, inclinans caput ante sanctam mensam.* Sacerdos scilicet ea capitis inclinatione ante sacram mensam facta significat se panem illum tanquam rem sacram, sacrum sanctissimi mysterij symbolum à Domino institutum ac commendatum reverenter, quod decet, habere. Tum in Liturgia, his ita expositis sequitur, *Et precatur ita, Confiteor &c.* Noster disputator hunc rerum ordinem immutat, & Liturgiæ verba invertens, ita exhibet; *Sacerdos accipit sanctum panem, Et caput ante sanctam mensam inclinans, ita precatur, Confiteor te esse Christum,* &c. Sacerdos in Liturgia caput ante sacram mensam inclinans sanctum panem accipit; Apud hunc nostrum disputatorem sacerdos panem quidem accipit, sed dum panem accipit, caput ante mensam nullus inclinat; Tum in Liturgia sacerdos precatur quidem; sed caput, precans inclinasse ante mensam non dicitur. Apud disputatorem vero, caput ante mensam tum demum inclinat, cum precatur. Atque hæc ille ut ita commutaret, coactus est particulam. Et è legitimo in quo apud Liturgum posita est, loco avulsam in alium transferre. Quid hac interpretatione perversius fingi potest? Sed non est obscurum, quo noster tendat. Nempe totum orationis ordinem ita immutavit, ut Lector videns sacerdotem caput ante sacram mensam inclinare, cum precatur, putet verba precis sequentia, *Confiteor te esse Christum*, &c. ad id quod in mensa est (id est ad sacramentum) dirigi; ita ut sacerdos his verbis profiteatur sacramentum esse ipsissimum Christum. Quo & illud spectat, quod noster prima illa orationis sacerdotalis verba, *Credo Domine*, consulto omisit; quod illa apertissime nos doceant ad quem oratio dirigatur, ad Dominum scilicet, non ad sacramentum. Noster his oblitteratis sacerdotem ita facit orare, *Confiteor quod tu es* &c. nullo expresso ejus nomine quem alloquitur, ut illud secundæ personæ pronomen, *tu*,

Cap. XIX. *Confiteor quod tu*, ad id quo sacerdos caput inclinat, (nimirum ad oblatam) necessario videatur referri, cum nihil aliud occurrat, quo dirigi possit. His scilicet, non aliis artibus, defendi queunt ista Latinorum de panis sacri transsubstantiatione & adoratione dogmata. Quanquam nostrum, etiamsi versutissimum, ratio nonnihil hic fugit: Cum enim hic sacerdos *sacramentum*, dum ita precatur, habeat in manu, ut technæ istius ratio undequaque constaret, ita instituenda erat oratio, ut ille dum precatur, diceretur caput inclinasse, ante sacramentum, quod ipse è mensa acceptum manu tenebat: non autem *ante mensam* in qua fuerat quidem antea, sed tum 'ane alibi erat, in manu scilicet sacerdotis. Missale quidem Romanum in simili loco, nequid esset ambigui, sacerdotem jubet hanc precem, z *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, pronuntiare *capite inclinato*, non *ante sacram mensam* sed *versus sacramentum*. Idem pro suo acumine facturum fuisse in Liturgiæ verbis nostrum hunc novum interpretem non dubito, nisi veritus esset ne tanta interpretis ab autore diversitas dolum eius proditura esset.

z Rit. celeb. Miss. c. 10. § 2.

Sed ille etiam continenter recitat aliam quandam eiusdem sacerdotis precem: *Domine non sum dignus ut sub sordidum anima mea tectum ingrediaris: sed quemadmodum dignatus es in spelunca & præsepio brutorum recumbere, & in domo Simonis leprosi, etiam similem mei meretricem ad te accedentem suscepisti, ipse quoque dignare in præsepe anima mea rationis expertis, & in coinquinatum meum corpus mortuum & leprosum ingredi: & sicut non abhorruisti os sordidum meretricis illibatos pedes tuos osculantis: ita Domine Deus meus, ne etiam à me peccatore abhorrueris, sed tanquam bonus & clemens dignare me participem effici sanctissimi tui corporis & sanguinis.* Κύριε οὐκ εἰμὶ ἄξιος ἵνα ὑπὸ τὴν ῥυπαρὰν στέγην τῆς ψυχῆς μου εἰσέλθῃς. ἀλλ' ὡς κατεδέξω ἐν σπηλαίῳ καὶ φάτνῃ ἀλόγων ἀνακλιθῆναι, καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ, καὶ τὴν ὁμοίαν μου πόρνην τὴν ἁμαρτωλὸν προσερχομένην σοι καταδεξάμενος. αὐτὸς καταξίωσον, καὶ ἐν τῇ φάτνῃ τῆς ἀλόγου μου ψυχῆς, καὶ εἰς τὸ ἐσπιλωμένον μου σῶμα εἰσελθεῖν τοῦ νεκροῦ καὶ λεπροῦ. Καὶ ὡς οὐκ ἐβδελύξω τὸ στόμα τὸ ῥυπαρὸν τῆς πόρνης καταφιλούσης τοὺς ἀχράντους σου πόδας, οὕτως δέσποτα θεὲ μου μὴ βδελύξῃς, καὶ ἐμὲ τὸν ἁμαρτωλὸν ἀλλ' ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος ἀξίωσόν με κοινωνὸν γενέσθαι τοῦ παναγίου σώματος καὶ αἵματός σου. Hæc si, quod vult adversarius, dicta esse sacro pani donemus, valebunt fateor ad astruendam sacramenti Latriam. Id vero cum neque ipse probet, neque nos concedere possimus; & ista & alia eiusdem generis omnia, nihil proprie ad præsentem de adoratione quæstionem faciunt. Ex iis si forte transsubstantiator aliquis causæ suæ putabit peti posse aliquid præsidii, quod sacerdos Dominum Christum roget, *ut in corpus suum ingredi dignetur*; Sed ne hoc quidem transsubstantiationem, aut realem præsentiam quicquam juvat. Nam & *Christum in animam piam ingredi*, eo statuit aperte, quod se dignum negat, ut *sub tectum animæ suæ ingrediatur*; quin & mox diserte rogat, *ut in præsepe animæ suæ, quamlibet* indignæ, *ingredi*

a Lit. Chrys. in Rit. Goar. p. 82. extr.

ingredi dignetur. Constat autem Dominici corporis substantiam in nullius animam vere ac realiter penetrare; sed ideo Christum dici in peccatoris pœnitentis *animam ingredi*, quod divina ejus pax, & vultus ejus lumen per Spiritum Sanctum in hujusmodi animam diffundatur. Quidni ergo idem & in corpus nostrum *ingredi* dicatur, cum sanctissimum ejus sacramentum pie ac digne suscepimus? Qualiter Christus tectum nostrum subire à Pseud-Origene dicitur, quoties vel in sacramento, vel etiam in Antistitibus nos ejus nomine visitantibus ad nos venit.

CAP. XIX.

b Orig. homil. 5. de divers.

Postremo objicit c Iansenianus disputator, illa quæ paulo post de Diacono communicaturo in Liturgia habentur; Diaconus accedit, & adorat semel, dicens, *Ecce venio ad immortalem Regem.* d Διάκονος ἔρχεται, καὶ προσκυνεῖ ἅπαξ, λέγων Ἰδοὺ προσέρχομαι τῷ ἀθανάτῳ βασιλεῖ. Sed neque hic quicquam est, quod Latriam Eucharistiæ deferri probet. Nam ut mittam, quod infra e late explicabitur, vulgo apud Græcos scriptores verbum προσκυνεῖν *adorare*, ejus subjecti, quod adorari dicitur, *venerationem* simpliciter, nequaquam autem Latriæ cultum significare, quod & in hac ipsa Liturgia observare est, ubi codicem Evangelij adorari videmus; *Diaconus*, inquit, *postquam reverenter sanctum Evangelium adoravit*, προσκυνήσας μετ' εὐλαβείας τὸ ἅγιον Εὐαγγέλιον; hic in primis observandum est id verbi absolute esse positum sine ullius subjecti adorati nomine; & quidem diserte dici Diaconum *semel adorare*; non autem ut subdolo suppresso adverbio ἅπαξ *semel*, adversarius exhibet, *Diaconum adorare*. Hinc enim patet id verbum hoc loco sumi pro certo quodam venerationis actu, qui fieri vel semel, vel sæpius apud Græcos solet, reverentiæ in res vel personas sacras testandæ causa. In hac ipsa Liturgia, ante altare Protheseos sacerdos & Diaconus postquam in eo panem & vinum, ex quo Eucharistia conficienda est, locaverunt, adeoque diu ante consecrationem, non *semel*, sed *ter adorare* dicuntur: f *Deinde cum ter adoraverint* (adorationes tres fecerint) *ante Prothesin, dicit unusquisque, Deus propitius esto mihi peccatori, & miserere mei.* εἶτα προσκυνήματα τρία ἔμπροσθεν τῆς προθέσεως ποιήσαντες, λέγουσιν ἕκαστος τό, ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ καὶ ἐλέησόν με. Hic sacerdos & Diaconus ter ante Prothesin adorant. Nemo nisi insaniat, inde collegerit, ab istis Latriam fuisse exhibitam pani & calici in Prothesi consistentibus, nondum consecratis, nondum ad majus altare in quo consecrantur, delatis. Alioqui fatendum erit Chrysostomum & veteres, idololatriæ ejus reos fuisse, cujus hodiernos Græcos Arcadius tantum non damnat g ob honores quos donis nondum consecratis exhibent. Id vero disputator si absurdissimum, ut revera est, ita esse fateatur; profecto negare non potest se absurdissime quoque facere, qui panem consecratum ideo Latria adoratum hic fuisse à Diacono, colligit quod sacramentum sumpturus semel adorasse dicitur. Quid autem sit Græcis προσκυνεῖν & προσκύνημα, *adorare* & *adoratio*, quamque longe à cultu Latria distet, ex iis satis intelligimus, quæ Iacobus Goar, vir Dominicani ordinis doctissimus scribit h ad ipsum

c Perp. de la foy de l'Euch. p. 264.

d Lit. Chrys. ub. sup p. 850.

e L. infr. L. 7. c. 7. & 8. & 10.

f Ibid. p. 61. A.

g Arcad. de concord. Eccles. Orient. &c. L. 3. c. 19. p. 192.

Cap. XIX. Græcorum Euchologium, in quo identidem hæ voces occurrunt. *Adorare Deum*, inquit, *hominibusque honoris cultum impendere Græcis recentioribus est* προσκυνεῖν, *unde & idem sonat quandoque quod* βάλλειν μετάνοιαν. *servato tamen proprietatis verborum rigore,* μετάνοιαν & προσκύνημα *distinguunt. hoc enim (* προσκύνημα *) est corporis incurvatio profunda Deo vel imagini sacra exhibita, quam corpore erecto sequuntur aliquot crucis signa cum breve prece* ἅγιος ὁ θεὸς &c. quam ille utramque plenius describit. Tum, *At vero*, inquit, μετάνοια *præter genuum inflexionem, si magna fuerit, & osculum terræ infixum, addit idem crucis signum corporisque inclinationem* προσκυνήματι *propriam; alias si parva fuerit, nulla ab illo discrepare ratione dicenda est.* Latius paulo ante docuerat, *i* quid & quotuplex & unde sic dicta fuerit μετάνοια, quæ videat qui volet. Nunc ista pauca nobis satis sunt; ex quibus jam manifestum est Græcorum προσκύνησιν vel προσκύνημα nihil aliud esse quam corporis incurvationem Deo vel rebus sacris, reverentiæ causa exhibitam; quæ adeo non est summi cultus sive honoris actus, ut etiam eo inferior sit quem ipsi μετάνοιαν vocant. Caret enim genuum inflexione, & fixo terræ osculo; quo utroque metanœa *prosegnemate adoratione* auctior est. Hic ergo quod habet Liturgia Diaconum ἅπαξ προσκυνεῖν, *semel adorare*, nihil aliud est quam semel προσκύνημα facere, id est *corpus profunde incurvare*, & erectum se cruce signare, & brevem illam precem pronunciare Ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς. *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis.* Iam imaginibus sacris non modo προσκύνημα, sed etiam (quod majus esse diximus) ipsam *metanœam* Græci exhibent; ut initio statim Euchologij, *k Sacerdos & Diaconus tres metanœas faciunt, ad vel in imaginem Domini Christi,* ποιοῦσι μετανοίας γ' εἰς τὴν εἰκόνα τοῦ δεσπότου Χριστοῦ: quod Goar ut clarius interpretaretur, brevi paraphrasi dixit, *tres varias sacro adorationis ritu coram imagine Christi facere reverentias.* Continuo tres itidem alias metanœas coram imagine Sanctæ Virginis Deiparæ faciunt. *l* Denique illa προσκύνησις imaginum adeo communis est, ut eodem teste Goare, ipsas imagines quæ sive in Ecclesiis, sive in earum valvis, imo etiam in viis *venerationi expositæ sunt*; προσκυνήματα vocent. Eam ergo, ut Goar vocat, *reverentiam* Liturgia semel fieri dicit à Diacono ad communicandum veniente; ob sacri illius scilicet officij, quo functurus est, dignitatem ac sanctitatem; ut sit plane ridiculum ex illa Diaconi reverentia argumentari Eucharistiam Latria coli. Neque id validius ex iis concluseris, quæ Diaconus dicit, *Ecce venio ad immortalem Regem*; Nimirum ad Christum Dominum, æternitatis patrem, cujus totum hoc sacramentum est; non autem ad ipsa sacramenti in sensus occurrentia symbola. Neque vero mihi tu, aut cuiquam cordato persuaseris, non posse nos ad Christum nisi sub panis & vini speciebus latentem venire. Nullis sub *speciebus* in sacro baptismo latet; neque tamen negaveris Æthiopem illum Eunuchum, cum à Philippo; & Lydiam & Crispum & Gaium, cum à Paulo baptizati sunt, *ad Christum Regem*

h Goar. in ord. sacr. min. not. 3. Euchol. p. 29.

i Ibid. not. 9. p. 10.

k Euch. Tit. 1. de ord. Minist. p. 1.

l Ibid.

Regem immortalē venisse. Quisquis in ejus disciplinam initiatur, quisquis aliquod religionis officium rite exsolvit, quisquis ab eo gratiam vel beneficiū pia prece poscit, *is ad Regem immortalem venit*; corde fateor, non pede; mēte non corpore; qualis ille ad Deū accessus est. de quo Apostolus, m *Credere eum oportet, qui ad Deum venit.* πιστεῦσαι δεῖ τὸν προσερχόμενον τῷ Θεῷ. Et David, n *Ecce venio, Deus mi,* ἰδοὺ ἥκω ὁ Θεός μου: ad quæ Prophetæ verba hoc loco respexisse videtur Liturgicus hic Diaconus, dicens, *Ecce venio ad Regem immortalem.* Ex his satis superque constare puto, quam vana falsaque sit Disputatoris post hæc è Liturgia Græcorum allata testimonia sibi ipsi nequicquam plaudentis gloriatio, o *Ecce* inquit, *Eucharistiæ Latriam apud Græcos constitutam habes; non privata hujus aut illius religione, aut cassa & inefficaci lege, sed lege communi ac inviolabili praxi sancita, quæque stati illius cultus pars erat, qui Christo ex Liturgiæ præcepto ab omni illa Ecclesia solennis reddebatur.* Sed quantopere ipse fallatur, & quam sæpe alios fallere nequicquam conatus sit, ex his paucis quæ ex Liturgia attulit, satis patet, & clarius etiam patebit ex iis, quæ ab isto aliunde objecta, infra * suo loco discutiemus. Ita depulsis novi disputatoris objectionibus, concludamus verissimum esse id quod supra observavimus, Latinæ Missæ à veteri liturgia discrimen, quod sacerdos Eucharistiam in hac quidem & sæpe alias, & tum maxime Latria adorat, quo loco ejus consecrationem perfecit; in illa vero qui celebrat, neque hic neque uspiam alibi sacris donis hunc cultum exhibere cernitur.

CAP. XX.
m Heb. 11. 6.
n Psal. 39. (Heb. 40.)
o Perpet. p. 364.
* L. 7.

CAPUT XX.

Alia Latinorum novitas, Eucharistiæ simul atque consecrata est, elevatio. Eam plane nullam in Veterum ad a. D. 600. & ultra, Eucharistia fuisse. Postea aliquam fuisse apud Græcos, sed à Latina longe diversam, loco & fine; quod & ex rebus ipsis, & ex doctissimorum Latinorum testimonio luculentissime probatur. Bellarmini hallucinatio, & Perronij immanis sophistice detegitur, ac confutatur.

NUnc ad cætera quæ consecrationem consequuntur, pergamus. In Latina ergo Missa p sacerdos hostiam, postquam ipse *genuflexus adoravit, continuose erigens, quantum commode potest, elevat in altum, & intentis in eam oculis populo reverenter ostendit adorandam.* Ac dum ille hostiam ita sursum elevatam populo ostendit adorandam, *minister manu dextra pulsat campanulam ter ad unamquamque elevationem, vel continuate quousque sacerdos deponat hostiam super corporale:* plebem scilicet hoc signo excitans ad exhibendam ostenso à sacerdote numini debitam latriæ adorationem. Calix deinceps ad eumdem cultum plane eodem modo

p Miss. Rom. Rit. cel. Missæ. 8. §. 5. 6. 7.

Cap. XX. elevatur. Sacerdos enim postquam vinum sacrum *ipse genuflexus reverenter adoravit, se erigit & accipiens calicem discoopertum cum sanguine* (id est sanguinis sacramento) *ambabus manibus elevat eum, & erectum quantum commode potest, intentis in eum oculis ostendit populo adorandum*, ministro intenta campanulam pulsante, ut ad sacri panis elevationem fieri diximus. Ita quidem nunc Latini; in quibus præter ipsius sacerdotis adorationem, de qua diximus, tria alia occurrunt, priscis Christianis, quantum quidem vel observare vel meminisse possum, plane penitusque ignota & inaudita. Primo illa singularis duarum sacramenti partium operosissima elevatio; secundo illa campanulæ gestatilis pulsatio; Tertio denique ille religiosissimus, qui à plebe omni statim in genua procumbente utrique sacramenti parti exhibetur, latriæ cultus, præcipuus totius rei finis. Nos de singulis dicemus; ac primo quidem

q L. 2. de cult. rel. obj. c. 6. p. 235. — de elevatione, de qua in alio opere, non pauca jam disputavimus. *q* In iis enim Libris quos de religiosi cultus objecto ante aliquot annos scripsimus, ex Iustini & aliorum ad a. D. 300. scriptorum constanti ea de re silentio satis est à nobis, ni fallor, demonstratum, nullam fuisse hujus ritus tribus totis primis Christianismi seculis apud Ecclesiam in celebranda Eucharistia usum. Sed neque quarto seculo ulla reperitur apud

r Bell. l. 2. de Miss. c. 15. § secunda quæ est. s Basil. L. de Sp. S. c. 27. T. 2. p. 351. D. — veros illius memoriæ autores elevationis istius mentio. Bellarminus frustra eo trahere conatus est *r* memoratam à Basilio *s τὴν ἀνάδειξιν τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας*. Hæc enim *τοῦ ἄρτου ἀνάδειξις*, est *panis sacri*, non *ostensio* (quod ille inscite putavit) sed *confectio & consecratio*. Magno vero argumento sunt pseud-Apostolicæ Constitutiones nullam factam fuisse panis sacri apud nostros elevationem eo tempore, quo illud opus conscriptum est, id est circa initia quarti seculi. Illorum enim librorum autor cum cultus suo ævo apud Christianos solennis expressam quandam imaginem posteris tradere instituerit, & Eucharistici inprimis sacri omnes maximos minimos ritus diligentissime exsecutus sit, sacrorum symbolorum elevationem, siqua jam tum factitata esset, non erat profecto omissurus. In ultima operis parte, totum Eucharistiæ ordinem, omnes liturgiæ partes plenissime atque operosissime describit. Duo loca in quibus elevatio apud posteros facta est, tangit nominatim,

t Clem. Const l. 8. c. 3. extr. & c. 6, 7, 8. ad 16. excl. — idest, & *t sacramenti consecrationem*, quam elevatio nunc apud Latinos continenter sequitur, & *orationem Dominicam*, apparatumq; ad communionem, ubi dona apud Græcos elevantur, & (quod diligenter observandum est) cæterorum quæ nunc Græci posteriori hoc loco faciunt, pæne nihil intactum sinit, preces accuratissimas quæ post consecra-

u Ibid. c. 13. p. 1022. D. 1023. A. — tionem fiunt, plerasque repræsentat. *Et postquam*, inquit, *u omnes dixerunt Amen, Diaconus dicit, Attendamus. Et Episcopus alloquatur populum his verbis, Sancta Sanctis: & populus subjungat, Unus sanctus, unus Dominus, Unus Christus in gloriam Dei Patris, benedictus in secula. Amen. Gloria in altissimis Deo.* Post alia pauca in eundem sensum sequitur ipsa communio. Omnia, ut apud Græcos. Una istic desideratur donorum

elevatio

Gabrielem Episcopum Græcum, obiurgat. *Cur tunc temporis*, inquit, *egregius Philadelphiensis de suo throno haud descendit ?* οὐ κεφαλὴν κλίνει; οὐ προσκυνεῖ ἢ γεραίρει; οὐ φωτοχυσίαις, λιτανείαις, καὶ ὕμνοις προστίθησί τι, οὐ τιμὴν καὶ κλίσιν κεφαλῆς καὶ γονάτων προσφέρει, * ἐκ ἰδίαις μετανοίαις τιμᾷ; οὐ λέγει μνήσθητί μου Κύριε ἐν τῇ βασιλείᾳ σου; Quibus verbis, ut omnes vident, significat nihil istorum, historiæ à Græcis eo loco deferri, nedum ut eam celebrans genuflexus adoret. Eadem quoque est cæterorum à communione Latina segregum Christianorum ratio; Æthiopum, Armeniorum, Iacobitarum & Nestorianorum, apud quos nulla esse cernitur hæc sacerdotis ad Eucharistiam consecratam adoratio. Sed ecce huc se infert novus disputator, qui licet anonymus prodierit, certo tamen unus esse creditur de Ianſenianorum grege. Is in opere nuper edito demonstrare aggreditur Eucharistiam ex Liturgiis, à Græcis, latriâ, & jam olim esse adoratam, & nunc quoque adorari. Eam ad rem aliquot ex Basilij & Chrysostomi Liturgiis loca affert, r quæ sunt à nobis expendenda. In primis affirmat sacramentalis Latriæ praxin *diserte notari* in hac sacerdotis prece; s *Attende Domine Iesu Christe, Deus noster, de sancto habitaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandum nos; qui in excelsis cum Patre simul resides, & hic una nobiscum invisibiliter versaris, & dignare potenti manu tua nobis impertiri immaculatum corpus tuum, & pretiosum sanguinem, & per nos toti populo.* Πρόσχες Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐξ ἁγίου κατοικητηρίου σου, καὶ ἀπὸ θρόνου δόξης τῆς βασιλείας σου καὶ ἐλθὲ εἰς τὸ ἁγιάσαι ἡμᾶς, ὁ ἄνω τῷ Πατρὶ συγκαθήμενος, καὶ ὧδε ἡμῖν ἀοράτως συνών, καὶ καταξίωσον τῇ κραταιᾷ σου χειρὶ μεταδοῦναι ἡμῖν τοῦ ἀχράντου σώματός σου καὶ τοῦ τιμίου αἵματος, καὶ δι' ἡμῶν παντὶ τῷ λαῷ. Hic quidem locus, id quod hic observavimus, proprie non fecit. Hic enim proprie observamus, quod Latinus sacerdos sacramentum, simul atque confecit, adorat: id celebrantem in nulla Liturgiarum facere. Hæc vero quæ affertur, qualiscumque de cætero sit oratio, non à sacerdote dicitur, ubi primum panem & calicem consecravit, sed satis diu post consecrationem: post ipsam orationem Dominicam, ubi se Clerici ad communionem accingunt. Itaque ad meam hanc observationem neque hic objectus locus, neque cæteri ab adversario allati pertinent, quorum eadem est, quæ huius ratio. Sed quia ex Liturgiis ducti sunt, age videamus, an ex iis confici possit sacramentum fuisse ab eorum autoribus, his saltem synaxeos locis latria adoratum. Hanc vero orationem quæ à nobis descripta est, clarum est ab eo quod quæritur, aberrare. Quæritur enim an Eucharistiæ, id est sacris sanguinis & corporis Dominici symbolis, in Liturgia exhibeatur à sacerdote celebrante, ut nunc fit apud Latinos, latriæ cultus? Iam Latinus sacerdos in Missali, genuflexus non Christum, sed *sacramentum adorare*, disertissime dicitur: * & paulo post *cooperto calice sacramentum adorare*; & , *stans oculis ad sacramentum intentis precari*; & mox, *discooperire calicem, & genuflexus sacramentum*

CAP. XIX.

* *non benedicit, non capitis & geniculorum inclinationem offert.*

r Perpet. de la foy de l'Euchar. p. 262.

s Lit. Bas. T. 2. Bibl. Pat. Gr. Lat. p. 57. B. ex Lit. Chrys. in Euch. Goar. p. 81 ex T. 2. Bib. Pat. Gr. Lat. p. 83 C.

* Miss. Rom. Rit. celebr. Miss. c. 9. §. 2. ex c. 1. §. 1. 2. 3. 4.

Attendamus; *& sacerdos exaltans panem exclamat, sancta sanctis,* ἔπει δ' ἰδὼν ὁ διάκονος τὸν ἱερέα ἐκτείνοντα τὰς χεῖρας, καὶ ἁπτόμενον τοῦ ἁγίου ἄρτου πρὸς τὸ ποιῆσαι τὴν ἁγίαν ὕψωσιν, ὅτε ὁ νεῖ Πρόσχωμεν. Tertio ex Anastasio Sinaita e idē adstruit satis *significante illam elevationem fieri post recitatam orationem Dominicam; & sub ea Diaconum exclamare, dicentem, Attendamus*; deinde statim *sacerdotem subiungere & dicere, sancta sanctis*: quæ verba post orationem Dominicam dici consuevisse testatur f Cyrillus Hierosolymitanus, & communioni præivisse omnes sciunt. Quarto ad id probandum illa Codini verba describit; g *Rursum ad Anabathram veniens sedet Imperator, exsurgens solum in lectione symboli, & in oratione Dominica, & in elevatione Dominici & sancti corporis. Facta autem elevatione si ad communionem paratus non est Imperator, sedet in throno suo usque ad finem liturgiæ sanctæ. Si autem paratus est, advocant ipsum duo Diaconi, quos ante dicebamus, ingrediturque cum eis in altare sanctum.* In his Codini notat h Menardus *primo elevationem corporis Christi nominari post orationem Dominicam. Secundo, simulatque elevatum est corpus Christi, Imperatorem, si ad communionem paratus est, à duobus Diaconis accersitum in altare sanctum ad sanctam communionem ingredi.* Ex quibus id quod constituit, evidenter probatur, illam scilicet Græcanicam Eucharistiæ elevationem, post orationem quidem Dominicam, paulo vero ante communionem factam fuisse. Quinto, huc quoque refert quæ in liturgia Æthiopum occurrunt, in qua paulo antequam sacerdos & populus communicent, *Diaconus dicit, Inspiciamus. Sacerdos, sanctum date sanctis. Populus dicit, Unus Pater sanctus* &c. Tum, *sacerdos elevans sacramentum dicit alta voce, Domine Iesu Christe, Miserere nostri*; statimque sacerdos & populus communicant; *estque unica in illa Missa, corporis Christi elevatio, quemadmodum in liturgiis citatis.* Ita ad illam liturgiam Menardus, quæ mihi de cætero valde suspecta sit, ut postea dicam. Sexto id ipsum ille postremo firmat ex Basilij vita, in qua autor ille quisquis est, ita de Basilio scribit; *Et post finem orationum, exaltavit panem, prolixe orans & dicens, Attende Domine Iesu Christe de sancto habitaculo tuo*; *quæ oratio*, inquit Menardus, *in Liturgiis Basilij & Chrysostomi dicitur paulo ante hæc verba, Sancta Sanctis post orationem Dominicam.* Ex quibus omnes intelligunt plane alio Liturgiæ Græcæ quam Latinæ loco fieri illam elevationem. Goaris eadem quæ Menardi est hac de re sententia. i *Longe*, inquit, *post orationem Dominicam, brevi tamen ante communionem spatio, juxta Iacobi, Basilij & Chrisostomi Liturgias, Dominicum corpus, non ita tamen ut à populo conspiciatur, elevat Græcus sacerdos.* Alterum Græcanicæ elevationis à Latina, id ipsum est quod Goar in hac sua nota vere observavit; nimirum quod sanctus panis à Latinis quidem elevatus populo ostenditur, ut supra ex Missali docuimus; à Græcis vero sic elevatur ut à populo minime conspiciatur. Id vero ex ipsa Chrysostomi liturgia, ita clarum ac perspicuum est, ut negari nisi ab impudente sophista non possit. Nam post illam Eucharistiæ factam elevationem, sequitur

CAP. XX.

e Anast. orat. de sanc. synaxi T. 3. Canis. p. 79.

f Cyr. Hierosol. Catec. myst. 5.

g Codin. l. de Offic. cœnæ Aulæ.

h Men. ub. sup. 375.

i Goar. Not. 158. in miss. Chrys. p. 145. Euch. col. 2.

Cap. XX. quitur k Episcopi & Clericorum in eodem circa altare loco intra sacrum velum consistentium communio cum præviis ad eam præparationibus fuse totis duabus paginis exposita. Quibus explicatis ita pergit liturgiæ scriptor, *Tunc Diaconus accepta patina* (τὸν ἅγιον δίσκον λαβὼν) *supra sanctum calicem sancta spongia plane scite ac diligenter abstergit, & cum attentione & devotione velo sanctum calicem tegit, & sancto disco stellam* (τὸν ἀστέρα) *& vela imponit; Et sancti tribunalis Portam aperiunt.* l καὶ ἀνοίγουσι τὴν θύραν τοῦ ἁγίου βήματος. *Et diaconus adorans semel sumit sanctum calicem cum veneratione & procedit ad Ostium, & attollens sanctum calicem cum veneratione & procedit ad Ostium, & attollens sanctum calicem ostendit ipsum populo, dicens (Cum timore Dei & fide accedite.* Hæc hactenus liturgia; ad quæ annotat Goar, m *duplicem olim fuisse communionem sacerdotalem sive Ecclesiasticam unam; alteram Laicam: illam in sanctuario ordine sacro promotis reservatam: hanc extra cancellos laïcis quibuscumque concessam.* Illa ergo intra sacros cancellos peracta, cum se ad laïcam administrandam accingerent, tum portæ sacri adyti reserabantur, Diaconus sacra deferens egrediebatur, calicem in quo particulæ vino sancto intinctæ inerant, populo ostentans, ac ut cum timore Dei & fide accederent ad communionem, cohortans. Ex quibus jam certo discimus quæ antequam illa adyti porta aperiretur, à sacerdote & Diaconis facta erant intra sacrarium, cancellis & velis oppansis clausum, gesta fuisse, adeoque à populo conspici non potuisse. Atque id ipsum docet Chrysostomus, cum fidelem sacro Eucharistico adstantem, seque ad communionem accingentem alloquens; n *Quando*, inquit, *videris trahi sive subduci cortinas quæ sunt in ostiis, tunc existimato cælum superne diduci*, vel *pandi & reserari*, ὅταν ἴδῃς ἀνελκόμενα τὰ ἀμφίθυρα, τότε νόμιζον διαστέλλεσθαι τὸν οὐρανὸν ἄνωθεν. Iam nemo dubitat, quin ea quæ à sacerdote fiebat, donorum post orationem Dominicam & ante communionem Ecclesiasticam, elevatio, unum eorum fuerit quæ in adyto ante fiebant, quam vela deducerentur, & portæ aditi reserarentur. Hoc enim ipse rerum in liturgia gestarum ordo clarissime docet. Ergo patet quod diximus neque sacra dona à sacerdote elevata conspexisse vel conspicere potuisse populum foris extra adyta stantem, non adeo populo à sacerdote ostensa fuisse, vel ad hoc ab illo elevata, ut à populo viderentur. Atqui Latina sacramenti elevatio plane aliter se habet, qua *sacerdos populo hostiam & calicem ostendit.* Denique, eo quoque duæ illæ elevationes differunt, quod Latina quidem (quod & diserta Missalis verba, & multo etiam magis res ipsa docet) ad hoc fiat, ut populus ostensum à sacerdote sacramentum in genua statim procidens, velut præsens numen, *reverenter adoret*: Græca plane alio spectavit. Nam liturgia neque elevari dicit oblatam, ad hoc ut *reverenter adoretur*: neque sacerdotem qui elevabat, aut circumstantes Clericos, qui elevatam videbant, eam adorasse significat. De adoratione altum toto illo loco silentium est. Si quæris quorsum ergo elevata fuerit sacra oblata, respondebit

k Lit. Chrys. T. 2. Bibl. Patr. Gr. lat. p. 83. d, 84. 85. tot.

l Ibid. p. 85. E, 86. A.

m Goar. not. 179. in miss. Chrys. p. 151. Euch.

n Chrysost. Homil. 3 ad Ephes.

respondebit doctissimus liturgiæ suæ ac locupletissimus interpres Germanus. Patriarcha CP.nus ideo elevatam, ut Dominici corporis elevatio in crucem adumbraretur. Hanc enim ipsam de qua nunc quærimus, enarrans, *o Elatio autem*, inquit, *in altum venerandi corporis repræsentat crucis elationem, & mortem in ea, & ipsam resurrectionem.* ἡ δὲ ὕψωσις, τοῦ τιμίου σώματος εἰκονίζει τὴν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ ὕψωσιν, καὶ τὸν ἐν αὐτῷ θάνατον καὶ αὐτὴν τὴν ἀνάστασιν. Quo loco Goar observat, *p* non cæteras panis sacri particulas, sed majorem tantum quæ Christum specialiter repræsentabat, elevatam fuisse; idque verbis statim sequentibus à Germano significatum esse; *Quod solus*, inquit, *sacratus panis elevetur, significat ipsum esse Christum Regem & Dominum. Christus enim caput est secundum Apostolum. Alia vero pretiosa dona sunt membra Christi, & corpus Christi, id est pretiosi corporis Christi Dei.* Quo fit ut hoc loco solus ille panis, *maior*, inquit Goar, *hostia* à Græcis elevetur; non etiam, ut fit à Latinis calix sacer. Vnde quartum exsurgit inter utramque elevationem discrimen. Latinos quoque ipsos olim ad crucis mysterium, elevationem sacramenti suam retulisse (ut hoc obiter dicam) satis docent quæ de ea apud Rabanum, *q* Ivonem, & Hugonem ipsum Victorinum etiam hodiè leguntur. Iam siquid aliud præter mysticam illam Domini in crucem elationem significabat illa Græcanica sacri panis elevatio, eo illam pertinuisse apparet, ut omnes clericos, qui in adyto erant, veluti hoc signo dato, ad communionem sacram vocaret; quo se singuli mente in cœlum ad Dominum subvecta, pie casteque ad sancti epuli dignam participationem accingerent. Itaque elevationem illam sequuntur non adoratio aut genuflexio, ut apud Latinos, sed illa Diaconi acclamatio, *Attendamus*; & hæc sacerdotis admonitio, *sancta sanctis*, & cætera ad communionem pertinentia; ac denique ipsa sacerdotis ac Diaconi, & cæterorum Clericorum communio. Omnia aliena à ritu Latino; in quo statim post consecrationem Eucharistiæ populo, non ad communionem, sed ad solam adorationem, à sacerdote elevata ostenditur.

o Germ. in Theo T. 2. Bibl. Pat. Gr. lat p. 163. D.

p Goar in Miss. Chrys. Not. 158. Euchol. p. 145. ext.

q Rab. de instit. Cler. c 33. Ivo de sacr. miss. Hugo l. 2. c. 28. de miss. observ.

CAPVT XXI.

Solvitur locus Pseudo-Dionysij Areopagitæ pro hostiæ eleva ione à Bellarmino & Beronio allatus, & quidem consentientibus Latinorum doctissimis viris Corderio, Menardo, Goare; Perronij cassa vanæque artes, & versutiæ, & contra Illustrissimum adversarium calumniæ.

CVm ergo tantum tamque multiplex sit Græcanicæ illius [illegible]tionis à Latina, de qua nunc quæritur, discrimen, apparet qu[illegible]te, quamque inefficaciter illam nobis Bellarminus ex Basilij & C[illegible]omi Liturgiis ad hujus probandam antiquitatem afferat. *r* Illa enim, ut secunda qu[illegible]

r Bell. l 2. de miss. c. 25. §.

 ostendi-

Cap. XXI. ostendimus, ab hac plane alia est; ut Latinam nihil vetet recentem esse, etiamsi Græcanica vetus, quod fateor, fuerit; etiamsi ne hanc quidem antiquissimam, id est ab initio jam fuisse concedam. Solum elevationis nomen utriusque commune. Rerum ipsarum locus, tempus, finis, usus, effectus, toto quod aiunt, cœlo à se invicem absunt. Illiberaliter, ac parum verecunde, Bellarminus re neglecta, nominis ambiguo, ad illudendum lectoribus, abusus est. Eadem est Perronij fraus in hac quæstione pertractanda. *s* Ille enim astute fingit nihil hic quæri aliud, nisi hoc unum in genere an aliqua olim in usu fuerit sacramenti elevatio. Negat hic tractandum, quorsum illa elevatio fieret. Ille vero nobis imponit. Hic enim certe de ea hostiæ elevatione quærimus, quæ hodie statim post peractam consecrationem fit apud Latinos à sacerdote, &c. quidem plebi terga obvertente, & quantum commode potest, hostiam in altum sublatis manibus elevante, & populo non sumendam, sed adorandam ostendente. Quærimus an hic apud Ecclesiam quoque veterem ante explosam Berengarianam fidem ritus solennis fuerit. Nisi hoc ipsum à majoribus factum fuisse Perronius ostenderet, eoque modo, loco, ac fine factum quo nunc fit à Latinis, nugas magnas egerit, neque à suo hoc ritu, novitatis, quod ei intendimus, crimen depulerit. Neque est quod quisquam illustrissimum ejus adversarium, in quem ille proprie scribit, aliud intellexisse putet. Ejus verba disertiora sunt, quam ut alio trahi possint. Ille enim hunc locum ingrediens negat *t* sacra dona olim elevata fuisse ad hoc *ut in eorum admirationem populus raperetur.* Negat *supra aversi sacerdotis caput ex alto fuisse ostentata:* Et pluribus interjectis ad Dionysij Pseud-Areopagitæ locum dicit *panem Ecclesiæ illius, scriptoris ævo non supra humeros celebrantis elevatum fuisse ad adorandum, sed velectum & plebis oculis eo expositum fuisse, ut se fideles ad digne communicandum accingerent.* Non potuit illa quæ nunc apud Latinos post consecrationem fit, elevatio clarius significari. Quid ergo Perronius ad vindicandam ejus rei antiquitatem attulit? Nihil profecto, si verum amamus, quo causa hæc profligaretur, attulit; sed quæ sophistarum ars est, multa & quidem satis perspicua attulit, sed quæ non erant hujus loci; quædam perperam, nonnulla etiam prece est interpretatus; adversario denique falsam ex aliena culpa invidiam conciliare studuit. Nihil ad rem pertinent quæ vel ex Dionysio, vel ex liturgiis describit. Dionysius Pseudo Areopagita, ad quem Bellarminus nos quoque amandarat, dithyrambico illo suo dicendi genere hæc profundit; *u Ubi Hierarcha sacras theurgias hymno est exsecutus, res divinissimas consecrat, & quæ hymno prædicata sunt, ea per symbola sacro ritu proposita in conspectu ponit, & exhibitis divinarum operationum muneribus, ad sacram eorum participationem & ipsemet accedit, & cæteros invitat.* Καὶ τὰς ἱερὰς θεουργίας ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων. καὶ τὰς δωρεὰς τῶν θεουργιῶν ὑποδείξας εἰς κοινωνίαν αὐτῶν ἱερὰν αὐτός τε ἔρχεται, καὶ τοὺς ἄλλους προτρέπεται. Hæc quidem Areopa-

s Petron. l. 3. de Euch. c. 4. p. 846.

t Phil. Morn. Pless. l. 4. de Euch. c. 7 p. 1049. 1050.

u Dionys. Hier. Eccl. c. 3. myst. p. 243. D.

Areopagiticus hierophanta magnificentissime juxta ut solet, & obscurissime de his vaticinatur verius quam eloquitur. Neque tamen adeo spissa est horum verborum obscuritas, ut non pelluceat autoris sensus. Ne elevata quidem dicit sacra symbola, sive munera, id est panem & vinum sacrum. Dicit per ea in conspectum data fuisse quæ hierarcha, id est episcopus cecinerat, id est illum ea quæ mystice dixerat, symbolis ipsis exhibitis patefecisse, ac ante fidelium oculos posuisse Dicit eadem illa *munera exhibita* esse, id est, coram & aperte ostensa; & oculis fidelium exposita. Neque vel ipse Iesuita Corderius *elevationem hostiæ* in his vidit, quæ profecto in iis nulla est. Ille enim totam hanc Dionysiani capitis secundam partem, ex qua locus adductus est, enarrans quinque ea contineri capita scribit, u quorum elevatio nullum est. Primum censet Missam Catechumenorum; secundum oblationem panis & vini tertium consecrationem; quartum oblationem; quintum, hostiæ consumptionem sive communionem. De *elevatione* & *adoratione* nihil dicit. Recte quidem & sapienter: quæ nulla revera toto hoc loco ab autore memoratur. Petronius Maximum objicit, x Græcum Dionysij Scholiastem, *qui verbo* ὑψοῖ *id est, elevat*, inquit, in hoc interpretando loco *utitur*. Respondeo, Maximum hæc Dionysij verba ὑπ' ὄψιν ἄγει, *subjicit oculis, vel in conspectu ponit*, duobus modis interpretari; y *Fortasse*, inquit, *hoc significat, tum aperiri detegique post preces sancta dona, quæ manent obtecta usque ad tempus communionis.* Τάχα δὲ τὸ ὑπ' ὄψιν ἄγει τοῦτο σημαίνει, ὡς τότε ἀποκαλυπτομένων τῶν ἁγίων δώρων μετὰ τὰς εὐχὰς, μενόντων δὲ κεκαλυμμένων ἕως καιροῦ μεταλήψεως. Hic vero Dionysij liquido sensus est, certa ac perspicua mens; Neque erat quod de eo dubitaret Maximus, & *fortasse* id diceret ab autore his verbis significari. Verba hoc liquido significant; neque aliud, nisi vim illis inferas, significare possunt. Ille tamen alterum sensum huic præfert, quem continenter ita proponit. *Vel forsitan*, inquit, *levationem & exaltationem unius Eulogiæ, divini panis intelligit, quem elevat sacerdos, dicens, sancta sanctis; idque potius verum est, quemadmodum in fi e capitis dictum invenies.* Hic iste, id quod supra ex Germano observabat Goar, clare confirmat non quamlibet ex sacris particulis elevatam fuisse à Græcis, sed *Vnam* nominatim *Eulogiam*, τὸν ΘΕΙΟΝ ΑΡΤΟΝ, *divinum panem*, id est majorem oblatam, quæ Christum specialiter repræsentabat. Fateor ergo Maximum ad hanc Græcanicam Eulogiæ, sive panis divini elevationem verba Dionysij rapere, sed vi & manu sua; quæ ipsa per se nullam elevationem, sed unam tantum ostensionem significant, ut cuivis ea consideranti patet. Pachymeres in Paraphrasi, eadem illa quæ Maximus præfert, sequitur, z imo ipsa etiam ejus verba exscribit: Vterque seculi sui morem ex innato in sua studio Areopagitæ gratis & pro mero arbitrio affingunt, qui revera apud eum nullus invenitur. Ex his ergo recte quidem concluseris, Pachimeræ quin & ipsius Maximi ævo, id est seculo 8. jam morem fuisse ut panis elevaretur. Eundem ipsius autoris, id est Pseudo Dionysij temporibus,

CAP. XXI

u Corder. Annot. in loc. p. 262. col. 2. §. Parte II.

x Perr. ubi sup. p. 847. initio.

y Max. in Dion. Hier. Eccl. c. 2. p. 68.

z Pachym. in loc. c. 3. Dion. p. 267.

quinto scilicet seculo exeunte, usum fuisse ex ejus verbis non sequitur quæ nullius elevationis meminerunt. Cæterum hanc quam isti ejus interpretes intelligunt panis sacri elevationem, eam esse nego quæ hodie fit à Latinis. Res est ex ipsis plana. Diserte enim monent post preces, adeoque etiam post ipsam Dominicam orationem immediate antequam diceretur, *Sancta Sanctis*, sub ipsum sumptionis sive communionis sumptus factam fuisse elevationem de qua loquuntur Latini aliter: qui panem sacrum statim postquam consecrarunt, elevant. Iam *adorationis* ad quam solam totus hic elevandi ritus apud Latinos pertinet, nulla hic apud Græcos istos uspiam mentio: & qui rituum Græcorum theoriam accuratissime scripsit Germanus, cum ad hunc venit, de adoratione altum silet, quod jam diximus: tantum ait ea elevatione Christi à terra in crucem, & à sepulchro ad superos exaltationem fuisse significatam. Cæterum totum hunc Dionysianum locum, cum utriusque interpretis glossis nihil ad Latinam Eucharistiæ elevationem pertinere confitentur etiam ex ipsis Latinis viri illi duo doctissimi, & in hac rituali antiquitate diligentissime versati, quos nuper nominavimus: & uterque ductas ex hoc loco à Bellarmino & Perronio pro Latino ritu argumentationes, tacitis eorum nominibus, consulto sugillare voluisse videntur. Prior est H. Menardus, qui præfatus nonnullos duplicem Græcis solennem panis elevationem tribuere, & priorem quam perinde ac Latinam statim post consecrationem factam fuisse volunt, ex recitatis Dionysij verbis suadere conari: ipse deinceps hanc istorum argumentationem refellens, *a Illa* (inquit, Dionysij verba) *intelligenda sunt de illa ostensione, quæ ut diximus fiebat paulo ante communionem,* idque confirmat ex eodem illo Maximi scholio, quod nos nuper commemoravimus: & hoc ait congruere *Liturgiis SS. Iacobi, Basilij, & Chrysostomi, aliisque Græcorum, in quibus hæc* inquit, *statim post consecrationem hostiæ elevatio non reperitur: & in textu S. Dionysij obiecto, est unica elevatio, quæ si consecrationem sequitur, id fit quia S. Dionysius omisit ea, quæ inter consecrationem & elationem interiacent, quæ videre est in Liturgiis & in autoribus citatis.* Hactenus Menardus. Alter est Iacobus Goar, qui Stephanum Durantum hostiæ elevationem cum ejus consecratione semper junctam fuisse contendere dicit, *b sed infirmo*, inquit, *iuxta suam sententiam Dionysij & Maximi fundamento, qui scriptis suis, nonnisi Græcis ritibus suffragantur.* Neque hic à Perronio adductus Cabasilas quidquam habet quod cum his pugnet, vel Latinam sacri panis elevationem apud Græcos in usu fuisse demonstret. Quæ vero Perronius ex hoc scriptore magna pompa ad hoc describit, *c* ut probet adoratam à Græcis fuisse Eucharistiam, ea ad quæstionem de adoratione pertinent, quæ ab eo quod nunc quærimus, aliena esse ipse Perronius paulo post dicit. Quod autem nunc quæritur an illa panis sacri solennis apud Græcos elevatio eadem sit cum Latina, Cabasilas id apertissime secundum nostram sententiam definit, & quidem ipsis illis verbis quæ sunt à Perronio allata: *d sacerdos*, inquit, *postquam particeps fuit sanctificatorum, ad populum convertitur, & Ostensis*

a H. Men. not. ad Append sacram. & Greg. p. 375. 376.

b Goar in Lit. Chrysost. not. 158. Euchol. p. 146. col. 1.

c Perron. ubi sup. p. 848.

d Cab. in Lit. expos. c. 39. Bibl. Patr. t. 2. p 250. B.

sanctis, vocat eos qui participare voluerint. ὁ δὲ ἱερεὺς μεταλαχὼν τῶν ἁγιασμάτων πρὸς τὸ πλῆθος ἐπιστρέφεται, καὶ δείξας τὰ ἅγια καλεῖ τοὺς μεταλαχεῖν βελομένους. Hic sacerdos *sancta* (id est panem & vinum sacrum) *ostendit*; & quidem ea ut ex Maximo & Pachymere constat & ex Liturgiis[*], *ea elevans* post recitatam orationem Dominicam, aliasque preces, paulo ante populi communionem, sed postquam ipse communicavit. At Latinus Presbyter ea elevat, statim postquam consecravit, multo antequam vel populus vel ipse etiam & Clerus communicaverint. Item sacerdos apud Cabasilam simulatque Eucharistiam ostendit, fideles ad ejus communionem vocat: Latinus non ita, sed multis post sacramenti ostensionem & adorationem interjectis, sacro demum peracto, postquam ipse & alij si adsint Clerici communicaverint, plebem communicat: qui rerum ordo apertissime significat Eucharistiam quidem à Græcis ad sumendum, à Latinis vero ad adorandum ostendi. Nihil sapit, qui ex his non intelligit Græcam sacri panis elevationem plane aliud esse quam Latinam. Quod vero Perronius corrupta ab Illustrissimo Plessæo quædam Cabasilæ verba ex alio ejus scriptoris capite citata criminatur, id nullo jure summa injuria, per meram calumniam facit. Dixerat Plessæus[e] sacerdotem his verbis quæ sacrum panem ostendens pronunciabat, *Sancta Sanctis*, auditores monitos voluisse, ut à communione abstinerent potius, quam ut ad eam sine fide & pœnitentia accederent. Id primo firmat[f] ex hoc disertissimo Chrysostomi testimonio, *Cum dicit* (sacerdos) *sancta sanctis, hoc dicit, si quis non est sanctus, ne accedat.* ὅταν εἴπῃ τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, τοῦτο λέγει, εἴτις οὐκ ἔστιν ἅγιος, μὴ προσίτω tum ex his Liturgiæ Chrysostomiæ verbis μετὰ φόβου Θεοῦ καὶ ἀγάπης προσέλθετε. *Cum timore Dei & caritate accedite.* Deniq; ex hoc Cabasilæ[g] loco, qui totus describēdus est: *Sacerdos*, inquit, *ad mensam & ipse accessurus, & alios vocaturus, quoniam non absolute omnibus sacramentorum communio est licita, ipse quoque non omnes vocat; sed vivifico pane accepto & ostenso, eos qui digne sunt ipsius participes futuri, vocat, sancta, inquit, sanctis, tantum non dicens, Ecce panis vitæ quem videtis. Accurrite ergo participes futuri, sed non omnes, sed si quis sanctus. Sancta enim sanctis solis permittuntur. Sanctos autem non dicit virtute perfectos, sed quicumque ad illam quidem tendunt perfectionem, sed nondum sunt assecuti.* Græca à quibus hæc Latina non discrepant, describere nihil necesse est. Perronius de locis Chrysostomi & liturgiæ nihil dicit: Cabasilæ verba corrupta fuisse calumniatur. Quid ita? quia scilicet Cabasilas dicitur scripsisse, *Accedite ad communicandum, Ecce panis vitæ, sed si sancti istis.* Quid? Ista ergo non scripsit Cabasilas? Non scripsit, inquit, Perronius, sed hoc, *Ecce panis vitæ quem videtis. Accurrite ergo participes futuri, sed non omnes, sed si quis sanctus.* O vitilitigatorem Perronium qui illa in his videre se dissimulat! Sed cavilletur ille, ut libet. Nemo est paulo candidior & humanior, qui his Cabasilæ, quæ tota descripsimus, non intelligat clarissime id esse expressum, quod hic ex eo concludebatur: per hæc verba, quæ Græci sacra dona ostendentes pronunciabant

CAP. XXI.

e Pless. de Euch. L. 4. c. 7. p. 1050.

f Chrys. Hom. 17. in Heb. p. 658 C.

g Cab. in Liturg. expos. c. 36. ubi sup. p. 247. A.

Cap.XXI. ciabant, *sancta sanctis*, admonitos fuisse auditores, ut non alius quam qui sanctus esset, ad communionem accederet. Ergo hinc patet illam Græcanicam sacri panis ostensionem ad communionem spectasse, eoque aliam à Latina fuisse, quæ ad solam panis sancti adorationem fit, non autem ad ejusdem sumptionem. Sed hic Perronius insigni arte, & ea causa quam tuetur, plane digna vim hujus probationis eludit. Cavillatur enim Cabasilæ mentem à suo adversario *apertissime fuisse falsatam* (ita enim quam potuit contumeliosissime loquitur) Id autem ut probet, ad alia quædam Cabasilæ loca confugit, *b* in quibus eum contendit *disertissime docere Eucharistiam post illam elevationem, ostensionem & exhortationem fuisse à populo apud Græcos adoratam*; & pluribus illius scriptoris testimoniis, sed aliunde quam ex eo de quo nunc agitur capite, sumptis totas nobis paginas ambitiosissime implet; atque ita disputationem ex eo in quo constituta est, loco callide avulsam in alium transfert. Nobis non placet extra regiam viam errantem & fugientem verius quam disputantem insequi. Cabasilæ voces, sed suo loco * expendemus, ubi de ipsa sacramenti adoratione quæremus; ac in his ut spero, demonstrabimus, vere ab ipso admissum fuisse illud *falsimoniæ* crimen, quod nunc ille immerenti adversario falso objicere non veretur. Nunc satis est hominem fugientem ad id revocare quod quæritur. Quærebatur autem quorsum Græcanica illa sacri panis elevatio & ostensio fieret? an ad adorandum, quod Perronius cum Latinis suis volebat? Si de Latina idem quæreres, facile esset dubitantem ex Latinæ liturgiæ interpretibus docere, qui suam hostiam disertissimis verbis profitentur *l elevari in altum & populo reverenter ostendi adorandam*; de sumptione eo quidem in loco nullum verbum faciunt; mox etiam plane eadem de calice, altero Eucharistiæ symbolo testantur. Si Græcanicæ elevationis idem esset ingenium, idem finis ac scopus, eadem nos de ea docerent Græcæ liturgiæ interpretes. Illi vero ac inter eos nominatim Cabasilas, quo loco hunc ritum explanant, plane contra quam Latini instituunt; ad *communionem* sive *sumptionem sacramenti*, & ipsum, & verba quæ illum comitantur spectare admonent, de quibus hoc loco Latini ne unum quidem μὴ scribant; de adoratione vero, quo Latini totum illum ritum referunt, illi plane penitusque tacent. Ergo verum est quod ex Cabasila & liturgiis conclusum est, elevatum & populo ostensum à Græcis sacrum panem, cum illis à sacerdote simul pronuntiatis verbis, *sancta sanctis*, ad communionem, non ad adorationem sacramenti pertinuisse. Hic pedem figere Perronius debuit, & ex veris & perspicuis demonstrare hanc Græcanicam elevationem de sacramenti adorationem spectare, eoque factam fuisse olim, ut à plebe panis sacer adoraretur, ut fit hodie apud Latinos. Atqui quæ vel ex Cabasila vel ex aliis Græcis attulit, de illius ritus ad hanc rem usu & fine non loquuntur. Res ex Liturgiis ipsis non minus quam ex earum interpretibus clara est. Perronius præfatur k non hic *de adoratione*, sed de *elevatione præcise* quæri. Ego

b Perron. l. 3 de Euch. c. 4. p. 847.

* Vid instr. L. 7. c. 10. & 11.

l Missale. Rit. celebr. miss. c 8. §. 5. 7.

k Perron. l. 3. de Euch. c. 4. p. 848.

Ego vero mutilam causæ constitutionem emendo, addens nē de elevatione quidem simpliciter, sed de ea elevatione quæri quæ fit à Latinis statim post consecrationem quæque ad sacramenti non sumptionem sed adorationem spectat. Perronius contendit sine summa impudentia negari non posse elevationem in genere dictam (de qua non quæritur) in omnibus Græcorum Liturgiis occurrere. Ego vero nescio an non etiam majoris sit impudentiæ affirmare Latinam illam (de qua quæritur) elevationem, quæ fit statim post consecratum panem, non dico apud omnes cujusvis ævi Græcos, sed vel apud ipsos ante Berengeriana tempora Latinos reperiri. Excutiat Perronius omnia Græcorum scrinia, hanc nuspiam inveniet. *In Liturgiis*, inquit, apud Iacobum, *l sacerdos donum elevat*. Apud Basilium, *Pontifex panem exaltat*. Apud Chrysostomum, *l sacerdos manus extendit, & sacrum panem tangit, ut faciat sanctam elevationem*; imo & Diaconus *sacrum calicem attollens ostendit populo, dicens, Cum timore Dei & fide accedite*. Audio. Sed quo in loco liturgiæ hi omnes elevant panem? statim ne post peractam consecrationem? Imo ne unus quidem eo loco panem attollit. Vbinam ergo? Omnes post orationem Dominicam; omnes ubi sacerdos *Sancta Sanctis* pronunciat, id est brevi ante populi communionem spatio; quod supra fuse demonstratum est. Quin & eo loco sacerdotes dona in his liturgiis attollunt, quo *nondum à populo conspici poterant*, ut est observatum. Hæc ergo donorum apud Liturgias elevatio plane diversa est à Latina hodierna, quæ statim post consecrationem, ante orationem Dominicam, & multo etiam magis ante populi communionem factitatur, & quidem ita factitatur, ut hostia ab omnibus qui adsunt, comminus & eminus perspiciatur. Vt illud quod palmarium est, nunc mittam, quod apud Latinos quidem hostiam elevari, sed *adorandam*, id est, ad hoc ipsum elevari ut adoretur, legimus: In liturgiis vero nihil tale uspiam ostendimus; sed in iis elevationem ad communionem sive sumptionem sacramenti dirigi ac referri satis indicant, quæ simul aut statim post eam dicuntur, *Sancta Sanctis*; & *cum timore Dei & fide accedite*. Cæterum quam hic ex Chrysostomi liturgia factam à Diacono calicis elevationem affert Perronius, ea plane est à nostra quæstione aliena; non modo quod longissime post consecrationem, sub ipsam plebis communionem, & quidem ad sacramenti non adorationem, sed sumptionem fiat, sed etiam quod à Diacono fiat; cum Latinam de qua quærimus, non alium quam ipsum celebrantem, id est sacerdotem facere notum sit. His subjicit Perronius eundem illum Germani locum, *m* quo supra liquido constitui ostendimus Græcanicæ elevationis à Latina diversitatem. Sed idem de Græca Præsanctificatorum liturgia in rem suam aliquid philosophatur. In ea ubi ad locum ventum est, in quo dicit sacerdos, *n Ante consecrata sancta sanctis*, τὰ προηγιασμένα ἅγια τοῖς ἁγίοις, hæc verba occurrunt, *Non enim modo panem elevat*, οὐ γὰρ ὑψοῖ ἀρτίως τὸν ἄρτον. Inde Perronius mirabili quadam haruspicina conjicit, imo definit *illam panis elevationem non eo*

Cap. XXI.

l Lit. Iac. p. 19. C. t. 2. Bibl. Pat. Gr. lat. Lit. Basil. lat. t. 6. Bib. Pat. p. 12. C. Lit. Chrys. in Euch. p. 81. & 84. init.

m Perron. ubi sup. p. 849.

n Lit. præsanctis T. 2. Bibl. Pat. Gr. lat. p. 100. A.

Cap. XXI. *tantum spectasse, ut sacramentum populo aspiciendum exhiberetur*; sed etiam (quod licet non expresserit, revera tamen intelligit) ut adoraretur. Quid ita? inquam; *Quia* (inquit) *cur nunc non elevetur panis, hac nimirum ratio est, quod is iam & elevatus & adoratus erat, immediate ante orationem Dominicam; ut Nicetas Pectoratus o his verbis testatur, Insuper autem & traditam nobis à Domino orationem dicentes, exaltamus præsanctificatum panem.* Hæc Perronius, quæ meræ sunt conjecturæ; nulla ratione, nullo veterum testimonio nixæ, à solo pessimæ causæ studio profectæ. Primo quod in præsanctificatorum Liturgia dona ante orationem Dominicam elevata fuisse vult, id merum ejus somnium est. Neque hoc Nicetæ adducta ab eo verba significant, *Dominicam orationem dicentes exaltamus præsanctificatum panem.* Neque enim, credo quisquam dixerit, illud *dicentes*, esse *antequam dicamus*, Neque ratio ulla est, cur dona in præsanctificatorum liturgia ante orationem Dominicam elevarentur, quæ in aliis liturgiis, non *ante* sed *post* orationem Dominicam constantissime semper apud Græcos elevari solent. Potius ac verius est Nicetam hoc velle Græcos *orationem Dominicam dicere & elevare dona.* Neque illud participium *dicentes* vexandum est, quasi eos significet plane eodem momento & orationem dixisse, & panem elevasse; multo vero minus, panem prius exaltari; inde statim & ἁμῶς orationem Dominicam dici; quæ sunt abnormia, & à solenni Græcorum more aliena. Nihil aliud vult Nicetas, quam utrumque à suis fieri; & orationem Domini dici, & panem elevari. Iam ipse verborum ordo, *dicentes exaltamus*, utrumque ita fieri indicat, ut prius dicatur oratio, tum fiat elevatio. Si quod ait Perronius, id voluisset Nicetas, potius profecto dixisset, *exaltantes dicimus*, quam quod scripsit, *dicentes exaltamus.* Sed quid ego in istis minutiis hæreo? In ipso præsanctificatorum officio, quod Goar in Euchologio exhibet, elevari panem, & quidem eo ipso in loco videmus, in quo sacerdos dicit, *Præsanctificata sancta sanctis. Verum* (inquit) *cum elevaturus est* (ὅταν δὲ μέλλῃ ὑψῶσαι) *sanctum panem, non detegit quidem sancta, sed tectis adhuc divinis illis donis, infert sacerdos reverenter admodum manum suam, & sanctum panem tangit cum veneratione & metu, dicente Diacono, Attendamus; Alte enuntiat sacerdos, Præconsecrata sancta sanctis.* His plane subvertitur Perronij somnium, jam elevatum fuisse panem ante ipsam orationem Dominicam vaticinantis; cum sacerdos eo ipso momeno, quo se ad plebem communicandam, & de sanctitate mysterij verbis illis *Præconsecrata sancta sanctis* admonendam, accingit, hic diserte dicatur *panem elevaturus*: ὅταν μέλλῃ ὑψῶσαι τὸν ἅγιον ἄρτον. Ergo, inquam, panis ille sanctus ne tum quidem adhuc erat elevatus, nedum ut ante ipsam Dominicam orationem jam elevatus fuerit; quod suis conjecturis nimium indulgens hariolatur Perronius. Ad hanc Liturgiam præconsecratorum exhibet Goar hujus ipsius loci qui à Perronio citatus est, longe diversam è Codice Cryptof. lectionem, hanc nimirum, q *& suffumigans dicis, Exaltabo te Deus meus, Rex meus. Et elevans panem dicis, Attenda-*

o Nic. Pect. l. cont. Lat. ad calcem t. 11. Ann. Bar. p. 998. col. 1. B.

p Off. ante consec. in Euch. p. 192. init.

q ibid. p. 203. ad litt. X.

Attendamus. Præsanctificata sancta sanctis. καὶ θυμιᾷ λέγει, ὑψώθητι ὁ θεός μου, ὁ βασιλεύς μου. καὶ ὑψῶν τὸν ἄρτον λέγει, πρόσχωμεν. Τὰ προηγιασμένα ἅγια τοῖς ἁγίοις. Hic vero apertissime non ante orationem Dominicam, sed eodem plane loco quo in Liturgia Græcorum solenni atque ordinaria elevatur panis. Atque ita in auras difflatus abit omnis Perronianæ haraspicinæ fundus. Sed inquit, negat tamen vulgata hujus Liturgiæ editio panem modo elevatum fuisse. Negat, inquam, quæ quidem habetur in Bibliotheca Patrum; in qua illa quæ diximus verba leguntur, οὐ γὰρ ὑψοῖ ἀρτίως τὸν ἄρτον. *Non enim modo panem elevat.* sed quæ in Euchologio à Goare edita exstat, in cæteris fere cum altera consentiens, neque negat neque affirmat. Habet tantum r *sacerdotem ad obtecta divina dona manum mittentem tangere vivificum panem, cum reverentia & metu multo; & dicente Diacono, Attendamus ipsum sacerdotem exclamare, Præconsecrata sancta sanctis.* Tum omissis illis alterius editionis verbis, quæ hic desunt, nimirum, *non enim modo panem elevat*, continenter ita pergit; *Deinde detegens ipsum* (panem) *perficit communionem divinorum donorum.* Goar ad hunc ipsum locum aliam Morelliani Codicis lectionem exhibet, s illam ipsam scilicet quam secuti sunt qui Bibliothecam Patrum ediderunt. Sed nihil est, quod hanc Morellianam lectionem vulgata in ipso Græcorum Euchologio præferamus cui apertissime reclamant loca proxime à nobis ex Codice Cryptof. & ex ipso præsanctificatorum officio descripta, quæ panem præconsecratum & à Græcis elevari una cum Niceta testantur, & quidem eodem loco elevari affirmant, quo in solennibus & ordinariis sacris solet, id est paulo ante communionem populi. Hæc nos quæ certa sunt tenebimus. Annotationem vero illam quæ ex Morelliano libro objicitur, vel mendosam esse dicemus; vel qui eam sensu commodo & cæteris Græcorum dictis consentaneo interpretetur, exspectabimus. Illud quidem satis superque est, nullum ex ea validum argumentum pro Perronio colligi posse, quæ scilicet, & à plærisque exemplaribus abest, & ab eo nominatim quo in suo Euchologio Græci utuntur; & id negat quod alio codices disertissime affirmant, quodque Græcorum communi in cæteris Eucharistiæ sacris, usui consentaneum est; & quæ denique hoc unum dicit *panem non fuisse eo loco elevatum*; an vero nuspiam alibi in tota liturgia elevatus fuerit, an aliquo alio ejus loco, non dicit: de eo vero quod temere nullaque ratione hariolatur Perronius, *præsanctificata* fuisse ante Dominicam orationem elevata, nihil omnino vel significat, vel etiam levissime innuit. Cætera quæ idem & eadem liturgia affert, neque adorata fuisse ipsa panis & vini dona affirmant, neque si adorata affirmarent, ante orationem elevata fuisse probarent. Sed ista quæ ad ipsum adorationis negotium, ad quæstionem adeo ab hac nostra diversam pertinent, in alium locum u rejicienda sunt.

Cap. XXI

r Ib. p. 199.

s Ib. p. 205. ad litt. 4

t Perr. l.3. de Euch. c.4. p. 849.

u Vid. infr. L.7. c.10. & 11.

CAPUT XXII.

Elevationem Eucharistiæ Latinam neque apud Æthiopes, ac ne apud ipsos quidem veteres ad seculum XI. Latinos occurrere, contra Perronium ostenditur; eiusque artes & in adversarium calumniæ refelluntur, & veritas Menardi & Goaris testimonio confirmatur.

IAm quod Illustrissimus Plessæus negaverat ab Æthiopibus Eucharistiam elevari, Perronius civiliter, ut solet, rem esse respondet x manifeste falsam. Atqui Franciscus Alvarez Lusitanus, ordinis Franciscani Monachus, qui res Abassinorum sive Æthiopum, apud quos plures annos vixit, à se visas exploratasque simplicissime narrat, ubi de Eucharistiæ sacro agit, de libo vel placenta, quæ in hoc ab iis sacro conficitur, & postea in partes comminuta singulis distribuitur, y *Eam* (inquit) *non elevat sacerdos; neque in calice alter instituit, quem neque ipsum in altum attollit.* Eadem Zaga Zabus, Æthiopis Monarchæ ad Ioannem Lusitaniæ Regem legatus, tradit, z *In hoc* (inquit) *ministerio sacramentum Eucharistiæ non ostenditur, ut hic video fieri.* Hæc quidem satis mihi esse videbantur *ne pro re manifeste falsa habeatur, apud Æthiopas Eucharistiam non elevari.* Sed hoc erroris ingenium est, ut qui ei student, sibi contradicentes haud facile sine contumelia dimittant; quia quos veritate & ratione vincere non possunt, eos injuria & asperis inverecundisque verbis se territuros putant. Hic vero Perronius confidenter negat Zagæ Zabi verba *quidquam obstare, quominus manifeste falsum sit* Eucharistiam apud Æthiopas non elevari, editiones Æthiopicæ Liturgiæ, tum Æthiopicas, tum Latinas crepans, & hæc ex Latina editione describens; a *sacerdos elevans sacramentum dicit alta voce, Domine Iesu Christe miserere nostri.* Ego inprimis quæro quænam sint illæ Æthiopicæ Liturgiæ editiones? unde prodierint? quibus autoribus, ministrisve procuratæ fuerint? Nos quidem Alvarem & Damianum à Goez, utrumque ad unguem Catholicos Romanos, & Zaga Zabum, virum Æthiopem, & quidem maximi Imperatoris Oratorem, novimus. Istos vero Æthiopicæ Liturgiæ parentes ac editores nescimus; & alia quædam in ea notamus haud satis cum iis quæ certissima sunt, congruentia. Negantibus duobus idoneis ac locupletissimis testibus, potius quam ignotæ originis, suspectæque fidei Liturgiæ ajenti, credi æquum est. Facessant ergo vanæ illæ, ad Perronium Roma forsitan nuper advectæ, Æthiopicæ merces. Vera, certa, constantia, indubitata, poscimus. Sed, inquit, Zagazabus nihil Liturgiæ contradicit. Nihil-ne? Atqui, inquam, negat ille Eucharistiam ostendi; quam hic *ostendi* ait, & quidem elevatam ac sursum à sacer-

x Perr. ibid.

y Alv. viagg. d'Ethiop. c. 11. p. 213. T. 1. del Ramusio.

z Dam. à Goes de mor. Æth. p. 507.

a Miss. Æth. T. 6. Bibl. Pat. p. 54. A.

sacerdote sublatam. Non ita est, inquit. *Zagazabus negat quidem sacramentum apud suos in actu sacrificij, & statim post pronunciata consecrationis verba ostendi, quo loco id apud Latinos ostendi videbat; Non negat ostendi post peractam oblationem in præparatione ad communionem.* Ego vero isto Zagazabo, si hic ejus fuit qui fingitur sensus, nego hominem rationis compotem ineptius unquam atque infelicius locutum. Quis enim hoc quod iste dicit, *Apud nos sacramentum non ostenditur*, &c. audiens non putet eum significare voluisse, non fieri apud suos quod hic fit? hic sacramentum ostendi, apud suos non ostendi? Quis bonum istum Æthiopem, procul à Latinorum & Perroniorum scholis, in media Abascia natum & educatum, tam astutum tamque versipellem fuisse crediderit, ut hos qui ei affinguntur, tam subtiles sensus in animo habuerit? eaque æquivocatione mentem suam occultarit, qua ne nunc quidem astutissimi, & in illa arte veteratoria exercitatissimi Iesuitæ, improbiorem ac impudentiorem comminiscantur? Sed & ab ea ipsa re, quam eum significare voluisse fabulatur Perronius, verba plane aliena sunt. Si Æthiops hoc, quod iste commentatus est, volebat; cur id non dixit quod facillimum & obvium erat, *ostendi apud suos sacramentum, tametsi non eo liturgiæ loco, quo hic apud Lusitanos ostendi videbat?* Cur *ostensum* apud suos negat, quod *ostensum* intelligere eos quibuscum loquebatur, cupiebat? Nam si vel rumpatur Perronius, haud tamen, credo, efficiet, ut quod *non ostendi* dicimus, id *ostendi* non negemus, sed certo duntaxat loco ac tempore *ostendi* negemus. Tum ex eo quod sequitur, si Perroniano sensu dictum accipiatur, nihil perversius dici potuit, *ut hic video fieri*. Nam particula *ut*, vel rem cum re, vel modum quo res fit apud suos, cum modo quo hic fit apud Lusitanos comparat; loca liturgiæ in quibus illa ostensio fit, non comparet. Si hoc volebat Zagazabus, dixisset, *ostenditur apud nos non tamen ubi, vel non eo liturgiæ loco, quo hic ostendi video.* Vt loquitur, necessario vel rem ipsam significat, nimirum, *quod hic ostenditur, id nequaquam apud suos ostendi*; vel certe rei, id est, ostensionis modum; nimirum quod hic elevatum & supra sacerdotis humeros sublatum è sublimi ostenditur, id illic fidelibus simpliciter ostendi, non elevatum, sed vel universis qui adsunt, in disco jacens, vel singulis, dum iis de manu in manum panis sanctus à sacerdote traditur. Sed & Zagazabum glossa Perroniana plane stultum, suique ipsum consilij immemorem facit. Apparet enim eum in omni hac de suæ gentis moribus relatione, id unice studere, ut Æthiopica religio Lusitanicæ simillima, ac pæne cum illa eadem esse videatur. Si ergo apud suos in usu fuisset aliquo liturgiæ in loco panem sacrum *pompatice* (ut sic dicam) Lusitanorum more populo ostentari, id clare diserteque dictum fuisse ne dubites; qui etiam quædam, si Godiguo Iesuitæ credimus, finxisse deprehenditur, ut quam minimum à Latinis discedere Æthiopum fides ad sacra viderentur. Ille vero in primis cavisset, ne vel æquivoco sermone cuiquam aliquid secus suspicandi ansam præberet. Sed quid argumentis opus est? Omnem

CAPVT XXII.

b Godign. L. 1 de reb. Abass. c. 1. p. 2. & c. 35. p. 214.

Caput XXII.

Perronij artem testes locupletissimi plane ac perspicue discutiunt, atque evertunt. Alvares in primis, qui postquam disertissime negavit Eucharistiam ab Æthiopibus statim peracta consecratione elevari, postremam Æthiopicæ Liturgiæ partem, ipsamque plebis communionem diligenter enarrans, ne hic quidem ullam facit ejus à sacerdote elevata mentionem. Utri potius credemus, Perronio, qui nunquam in Abassia fuit, elevatam hoc loco fuisse affirmanti, an Alvari, qui plures annos illic egerat, & Æthiopum sacra quotidie spectabat, curioseque observabat, nihil simile tradenti? sed alium ecce testem nobis sufficit Godignus, etiam Alvare locupletiorem, Ioannem de Sanctis ex Dominici familia Monachum, ex ipsa ut credo Abascia de Æthiopibus ita scribentem; *c sacerdotes*, inquit, *in ara conficiunt sacramentum; Non ostendunt hostiam populo qui interest, cum eam in sublime tollunt.* His illa quoque Antonij Iesuïtæ apud Godignum concinunt; *d Illi*, inquit, *solum ingrediuntur templum, qui facienti ministrant; Cæteri neque ipsum sacerdotem vident.* Hi duo Monachi, non auriti sed oculati testes, omnem purpurati Perronij sophisticen elidunt. Hic apud Æthiopes hostiam populo elevatam ostendi contendit, negantes, velut *manifesti mendacij* compertos audacter damnat. Ioannes de sanctis fortiter negat apud istos *hostiam populo qui interest, ostendi*; ne tum quidem ostendi ait cum *in sublime attollitur.* Antonius Iesuita non modo hostiam ostendi, sed vel ipsum etiam sacerdotem, qui eam ostenderet, si qua istic ostenderetur, videri negat. Ita vicimus verum esse simpliciter, quod Zagazabus clare liquidoque apud Damianum dicit, apud suos *non ostendi Eucharistiæ sacramentum.* Si vero id quod Ioannes Dominicanus de suo fortasse attexuit *hostiam Abassinos sacerdote in sublime attollere*, pro vero suscipimus (tametsi hoc quidem cum Alvare conciliare difficile sit, hostiam post consecrationem statim elevari disertissime negante) ne sic quidem conficietur quod vult Perronius, populo inspectante elevatam. Id enim ipse Ioannes liquido negat; & Antonius id fieri non posse eo significat, quod ne sacerdotem quidem à quoquam videri dicit, nisi ab iis qui ei ministrant. Ex quibus ut possint Ioannis dicta consistere, necessario statuendum est dum sacra fiunt apud Æthiopes, Eucharistiam quidem à sacerdotibus, sed in sacrario, procul à totius populi oculis elevari; coram populo nusquam elevari. Quomodo nos supra diximus, apud ipsos quoque Græcos factam fuisse elevationem, intra sacros cancellos scilicet, nondum reductis velis, *ita ut sanctus panis à populo minime conspiceretur.* Ipse tandem Perronius apud Hierosolymitanam, Constantinopolitanam & Antiochenam Ecclesias Eucharistiam fatetur, non in oblationis actu, ut fit apud Latinos, sed sub ipsum communionis tempus, *ostensam fuisse.* Ille vero verius dixisset *elevatam*, quam *populo ostensam.* Elevabatur enim, ut dixi, assentiente Goare, multo certiori quam Perronio, de his rebus autore, à sacerdote adhuc intra velum consistente; quo adeo momento, à populo conspici non poterat. Populo non ostendebatur, nisi mox cum à Diacono reductis adyti velis, reclusisque

c Godig. l. 1. de reb. Abass. c. 35. p. 217.

d Ibid.

CAPVT XXII.

reclusisque foribus, prodeunte sacer calix palam & aperte elevabatur, & omnibus ob oculos ponebatur. Ex quibus patet primo, Abassinorum in elevanda Eucharistia, quem Ioannes à sanctis tradit, ritum eumdem fuisse cum Græcorum ex liturgiis confirmato more: adeoque graviter peccasse Perronium, qui apud Æthiopes non modo per elevationem populo ostendi Eucharistiam contendit contra disertissimum Zagazabi & Alvaris testimonium, ac præter rei ipsius, ut ex aliis demonstratum est, veritatem: sed etiam aliter, id est vere, sentientes, *mendacij*, & quidem *manifesti*, præter omnes civilis æquitatis ac pudoris leges, damnare ausus est. Secundo ex his quoque emergit vehemens de liturgiæ illius Æthiopicæ suppositione ac falsitate suspicio, quam tanta cum pompa nobis Perronius objecit. Nam ex Ioannis & Antonij, illius Dominicani, hujus Iesuitæ testimonio certum est, apud Æthiopes panem sanctum coram populo minime elevari. At in liturgia coram omni populo & elevatur panis, & cætera fere omnia in hoc sacro fiunt. Vt illud mittam, quod in liturgia Pœnitentes, una cum populo adsunt, & *humiliare capita* & surgere ad orandum, etiam post donorum consecrationem & elevationem à sacerdote jubentur: quod est ab omni non modo veteris, sed etiam hodiernæ Æthiopicæ Ecclesiæ disciplina alienum. De hac enim Ioannes ille Dominicanus, *rem* (quod ait Godignus) *per se expertus* ita loquitur: *f Nullus potest sacro interesse, qui eo finito non sumat Eucharistiam.* Eucharistiam ergo *pœnitentes sumere*, adeoque & *sacro interesse* apud eos nefas est. Tertio, illud quoque, quod præsertim huc pertinet, ex superioribus intelligitur, Græcanicam illam, ac si Ioanni de sanctis credimus, etiam Æthiopicam donorum in Eucharistia elevationem plane liquidoque aliam fuisse ab ea, quæ nunc apud Latinos obtinet: non modo quod in alio liturgiæ loco, sed etiam quod longe diverso fine facta fuit: nimirum ad significandum Christum in crucem elevatum, qui ultimus fuit Dominicæ humiliationis gradus: & in hanc lucem è sepulchri tenebris resuscitatum, quod glorificationis ejus initium fuit: apposite ad extremam oblationis & synaxeos partem: post quam statim sequitur communio: non autem ad sacramentum populo ostendendum, multoque adeo minus adorandum: quod olim nullum plane locum habere poterat, cum illa elevatio intra sacros cancellos, & post velum fieret, in quo à nemine laico perspici poterat. Elevationem vero à Latinis hunc ob finem proprie fieri omnes sciunt, ut Eucharistia omnibus fidelibus illic congregatis, coram ob eorum oculos manu sacerdotis elata ab omni populo conspiciatur & adoretur. Vnde postremo sequitur totam Perronij hac de re disputationem sophisticam esse & inanem: in qua nimium profecto flagitiose totum controversiæ statum immutat ac pervertit: fingens quæri nunc inter nos, utrum aliqua olim in Ecclesia Græca fieret panis & vini elevatio, astuteque dissimulans non hoc sed longe aliud quæri an illa proprie donorum elevatio, quæ nunc factitatur apud Latinos, quæ fit ut hostia à toto populo conspiciatur, & illico

e Miss. Aeth. T. 6. Bibl. Pat. p. 54. A. ibid.

f God l. 1. de reb. bass. c. 35. p. 217.

Caput XXII. illico adoretur, ea apud veteres quoque Græcos post consecrata munera in usu fuerit: Non fuisse patet ex iis quæ demonstravimus. Ergo Latini alios suæ elevationis autores quærant.

Sed, quod mireris ipsos illi Latinos majores suos elevationi suæ etiam minus favere quam Græcos, experiuntur. Nam apud Græcos si non suam, certe aliquam in iis locis de quibus diximus, Eucharistiæ elevationem reperiunt, cujus se falsa imagine consolantur, & inani hac objecta specie imperitos fallunt. Apud Latinos suos totis undecim prioribus Christianismi seculis nihil hujusmodi reperiunt. Itaque hoc loco & Bellarminus & ipse Perroniustametsi, aliquid ex Latinis edere provocatus, tacent, neque ullum afferunt elevationis hodiernæ ex Latinis scriptoribus testimonium. Nullum esse, hoc eorum silentium fatetur. Perronius ut adversarium ulciscatur urgentem, & ex omni Latina illorum temporum Ecclesia nihil ab ejus Theologis afferri posse exprobrantem, congressum de ipsa quæstione parva corporis declinatione vitans, duo quædam ipsi objicit: g prius, quod alio in loco affirmet hunc elevationis Latinæ ritum à Concilij Lateranensis sub Innocentio 3. temporibus cœpisse: alterum, quod etiam ipse in primo operis sui libro tradat Pelagium P.R.2. circa annum Domini 580. *instituisse, ut memoria defunctorum in omni Missa fieret post elevationem hostiæ.* Sed hæc primo, etiamsi vere objicerentur, nihil tamen causæ nostræ nocerent. Nullius enim scriptoris quantumvis eximi, lapsus, quos naturæ humanæ, in magno præsertim opere plane penitusque cavere difficile est, nihil veritati præjudicant, cujus hæc tota causa est. Facit ergo hic Perronius, quod Sophistis solenne est: De causa quam uno erroris studio agendam suscepit, nihil habens quod diceret, ad alia deflectit: & omissa re de qua quæritur, in adversarium insurgit, eique invidiam facere studet ex iis peccatis quæ cum causa quæ agitur nihil habent commune. Sed neque quæ adversario objicit, vere & qua fide decebat objecit. Facile enim est hæc diluere & purgare, neque tam ex vero quam ex pravo animi studio objecta fuisse demonstrare. Ac de priori quidem respondeo debuisse Perronium locum ex adversarij opere indicare, in quo hæc haberentur, quæ ipse ei tribuit. Non fecit: & vero fraudem hanc fuisse, non negligentiam aut incogitantiam, arguit, quod in altera criminatione locum quem petit accuratissime indicavit: non modo librum operis, & caput libri in quo is exstat, sed etiam paginam, & quidem duplicis editionis adnotans. Ego sane quæ adversario in priori criminatione tribuit, ea proprie ita ut refert, scripta nusquam reperio, *elevationem nimirum hostiæ hanc non cœpisse in Ecclesia Latina, nisi post Lateranensem Synodum, post decreta de Transsubstantiatione facta, haberique eius institutionem in Honorij P.R.III. decretalibus.* Est tamen in libro 4. totius operis capite 9. locus, ubi legimus, h cum olim elevarentur oblationes populi, quæ Deo consecrabantur in usus pauperum, sive ex quadam Iudaïci ritus imitatione, sive ut populus ad similem caritatem excitaretur, *panem Eucharisticum cœpisse*

[illegible] *ipsum*

g Perron. l. 3. de Euch. c. 4. p. 850.

h Pless. de Euch. l. 4. c. 9. p 1098. édit. in fol.

ipsum elevari ad nummi modum ac formam redactum, eaque de re haberi Honorij P.R. constitutionem circa an. D. 1220. paulo post Lateranense Concilium editam. Si ad hunc locum respexit Perronius (ut respexisse omnino videtur) calumniæ manifestus est, auctorem ea scripsisse arguens, quæ apud eum non leguntur; In hoc enim loco legimus quidem paulo post Concilium Lateranense editam esse Honorij Decretalem (quod verum est) ipsam Eucharistiæ elevationem eo tantum tempore, non prius, factitari cœpisse (quod ait Perronius scripsisse adversarium) id vero ibi non legimus. Et siquid hujusmodi scripsisset auctor, id non esset de ipsa simpliciter elevatione, sed de ejus ubique factitandæ publica Papali lege intelligendum ex certa disertaque autoris sententia eo ipso in quo versamur, loco his verbis enunciata, [i] *panem Eucharisticum apud Latinos non ante cœpisse populo elevatum ostendi, quam recepta esset transsubstantiatio, & solitaria missa, in qua non alius communicat quam sacerdos.* Hæc vero duo ante Lateranensem Innocentij Synodum apud Latinos recepta fuisse constat; tametsi horum alterum, transsubstantiationis scilicet dogma, in illo Concilio amplius confirmatum & luculentius approbatum fuisse adeo verum sit, ut Scholastici Theologi plærique hujus Innocentianæ Synodi autoritate se potissimum ad hanc de Eucharistiæ mutatione sententiam certa fide amplectendam moveri profiteantur. Ita purgata est ac confutata prior Perronij in adversarium calumnia. Vnde porro intelligimus frustra Perronium contra adversarij sententiam attulisse [k] Hildeberti Cœnomanensis Episcopi testimonium, elevationem illam sacramenti jam confecti Latinam, his versiculis in suo de Missæ officio carmine describentis, [l]

CAPVT XXII.

i Ibid 107. p. 1050.

k Perr. l. 3. de Euch. c. 4. p. 850.

l Hildeb de offic miss. T. 3. Bibl. Pat. p. 263. A. Habetur & T. 10. p. 859.

Presbyter idcirco, cum verba venitur ad illa
In quibus altari gratia tanta datur,
Tollit utrumque (panem & calicem scilicet) *notans quod sit communibus escis*
Altior, & quiddam maius utrumque gerat.
Queque parans anima, carnis fomenta paravit,
Omnia sacratis inferiora cibis.

Cum enim Hildebertum constet an. D. 1125. in sedem Turonensem evectum, an. D. 1136. supremum diem in terris exegisse; sed neque quisquam dubitet non paucis ante an. D. 1100. annis ex Leonis IX. Nicolai II. & Gregorij VII. decretis susceptum fuisse à Latinis inter fidei suæ capita, transsubstantiationis dogma, omnes vident Hildebertinum illud de hostiæ elevatione testimonium nihil ejus sententiæ adversari qui panem Eucharisticum *elevari cœpisse* negat, non (quod Plessæo, falso impingit Perronius) *ante Lateranensem Innocentij Synodum*; sed *ante receptam à Latinis transsubstantiationem.*

Venio ad alteram Perronij calumniam. Fingit ille adversarium in alio sui operis loco scripsisse hanc ipsam hostiæ simulatque consecuta est, elevationem jam in usu fuisse Pelagij P.R. temporibus, id est an. D. 557.

Caput XXII.

& proximis, quam hic idem negat cæpisse ante latas de transsubstantiatione à Leone 9. Nicolao 2. & Gregorio 7. leges, omnes post an. D. 1050. editas ac promulgatas. Hæc vero mera Perronij figmenta sunt; quod ut intelligatur, res tota accuratius explicanda est. Plessæus in primo operis de Eucharistia sui libro, quæ à Latinis in Eucharistico sacro novata essent, sigillatim exsequens, *m* ex Martini Poloni fide, cujus ipsissima hæc verba in illius loci margine descripta sunt, observat *n Pelagium II. instituisse, ut memoria defunctorum in omni Missa fieret post elevationem hostiæ.* Fateor Plessæum hæc ex Martino verba descripsisse, neque quicquam in iis mutasse; Putasse cum hæc scriberet, illam *hostiæ elevationem*, quam Martinus Pelagij II. temporibus adscribit, eandem cum illa fuisse quam ipse negat ante susceptam transsubstantiationem apud Latinos in usu fuisse, id vero falsissimum est, & præter omnem sinceritatem à Perronio assertum. Plessæus quidem, qui eo loco non de *elevatione hostiæ*, sed *de officiis in mortuos* disputat, id quod Martinus de *elevatione* addit, in medio reliquit, existimans ut opinor, Martinum hæc ex antiqui alicujus & Pelagiano ævo propioris scriptoris fide habere. Sed illam tamen *hostiæ elevationem*, si qua Pelagij seculo revera apud autorem idoneum à Martino lecta esset, se diserte profitetur non de ea qua hostia plebi hodie adoranda proponitur, sed de aliqua alia elevatione intelligere. Nam post recitatam Pelagij P. R. II. ex Martino de facienda post hostiæ elevationem mortuorum memoria legem, continuo hæc addit; *sive*, inquit, *his verbis elevationem omnium oblationum significet, quæ veteris Testamenti ritu elevabantur, ut Deo offerrentur; sive de eius proprie partis elevatione intelligat, quæ ad sacramenti confectionem seorsum reponebatur.* Nulla ergo inter hæc duo Plessæi loca contradictio est; quem ex his patet, non de eadem, sed de alia atque alia elevatione intellexisse, quæ diversis locis diversa de ea tradit. Cæterum si res accurate atque ad vivum resecetur, equidem non negarim Martinum quam *hostiæ elevationem* dicit, eam ipsam in animo habuisse, quam suo tempore statim post consecrationem fieri videbat; iisque verbis, *post elevationem hostiæ*, intellexisse eum Missæ locum, in quo hostia sua memoria elevabatur: quod idem quoque Pelagij temporibus jam factum fuisse ex communi Latinorum morbo imaginaretur; semper & ab ipsa Christianismi origine facta creditaque putantium, quæcumque apud suos nunc fieri ac credi vident. Infra, *o* hujus similem Alberti Magni, & Stephani Duranti de panis fractione ex Anastasij loco male intellecto errorem denotabimus. Martini vero Poloni: quem ad ann. D. 1285. vixisse constat, tam levis fuit apud Bellarminum autoritas, ut se neget in suo Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo, eum positurum fuisse, nisi citari à Centuriatoribus Magdeburgensibus animadvertisset; *Est enim* (inquit) *Martinus vir simplex, & fabellas pro historiis obtrudit.* Non est mirum tam exigui judicij hominem, solennem suis temporibus Eucharistiæ elevationem in ipsa Pelagij 2. tempora, id est in sextum seculum, contulisse; quam fortasse

m Pless. l. 1. de Euch. c. 7. p. 96.

n Matt. Polon. in Chro.

o Instr. 4. c. 17.

tasse ab ipsis Apostolis institutam & factitatam pro sua credulitate non dubitabat. CAPUT XXII.

Sed si res ex scriptoribus duodecimo seculo anterioribus, ut decet, æstimetur, apparebit nullum exstare, qui elevationis illius hodiernæ meminerit; quod Bellarmini neminem illius ævi pro hujus ritus antiquitate memorantis exemplum docet; multoque etiam clarius Perronij conatus, qui provocatus ab adversario, unum Hildebertum, duodecimi seculi scriptorem habuit, quem hoc loco ederet. Itaque illam hostiæ elevationem, quæ nunc fit statim post consecrationem, nullam apud veteres ante Berengariana certamina Latinos, fuisse diserte fatentur duo illi viri eruditissimi, quorum nos supra meminimus, Menardus & Goar. Ac prior quidem Menardus in Notis, quas ad Missam veterem ex codice Ratoldi, circa an. D. 986. scripto editam emisit, cum pauca quædam de sublevatione calicis dixisset, quæ ibi legitur ab Archidiacono facta, sic pergit; p *Nunc vero,* inquit, *in Ecclesia Latina simul atque panis & vinum consecrata sunt, levantur in altum, ut à populo circumadstante adorentur; Quem ritum non puto esse adeo antiquum, cum in nostris Sacramentariis MSS. & excusis, & apud Pamelium nihil simile reperire sit; quemadmodum nec in veteribus ordinibus Romanis, nec apud Alcuinum, Amalarium, Valfridum & Rabanum; qui ordinem Missæ enucleate persecuti sunt; neque apud Micrologum, qui in eadem materia egregiam operam navavit, quod luce meridiana clarius est ex capite 15. Libri quem ille scripsit de Ecclesiasticis observationibus.* Tum ea exsequitur, quæ nos jam supra retulimus, Græcanicam panis elevationem post orationem Dominicam, aliasque preces fieri, communione statim subsecutura, quæ ex Græcis scriptoribus late probat, eodemque loco habet, illam elevationem quæ in Æthiopica à Perronio supra memorata Liturgia occurrit; ac postremo quosdam de suis Latinis ex Dionysiano loco supra à nobis allato suam apud Græcos quoque in usu olim fuisse elevationem perperam argumentantes confutat. Hujus gemina est Iacobi Goaris de elevatione Latinorum hodierna, confessio. q *Cæterum,* inquit, *de maioris hostiæ à populo, completa consecratione, per elevationem conspiciendæ ritu nihil apud antiquos rituum expositores Alcuinum, Valafridum Strabonem, & Micrologum legimus; licet hic de hostia cum calice levanda in fine Canonis proxime ad orationem Dominicam non tacet c. 15. & 23.* Denique paucis interjectis, *Quando vero* (inquit) *consecrationi apud Latinos iuncta fuerit hostiæ elevatio, non plane constat. Stephanus Durantus ab ea nunquam divisam fuisse contendit; sed infirmo iuxta suam sententiam, Dionysij & Maximi fundamento, quis vis scriptis nonnisi Græcis ritibus suffragantur.* Quibus dictis sentiens, credo, his paucis à se fuisse eversam omnem Perronij purpurati hac de re disputationem: ut ejus zelotas & admiratores placaret, strenue hic ejus adversario maledicit, r illustrissimum virum *hæreticum* vocans, eumque narrans *apud Perronium Cardinalem l. 3. de Eucharistia comminisci Eucharistiæ elevationem sub Innocentio 3. primum in Ecclesiam fuisse*

p Men. Not. in missl. vet. ad Gregor. lib sacram. p. 573. extr.

q Goar. not. 158. de Chry. Lit. in Euch. p. 146.

r Goar. ibid. p. 146.

Caput XXII.

introductam. Plessæum hæc *apud Perronium* tradere dicit; caute sane ac provide, quæ scilicet non apud ipsum scripta, sed apud unum Perronium ei falso afficta leguntur. Neque vero alteram Cardinalis sui de Pelagio II. calumniam tacet; quo etiam loco homo cautus Plessæum contradictionis à Perronio *argui* quidem dicit, convinci aut revera reum esse non dicit. Quod si Goar posito illo, quo omnes fere Monachi ardent, veritatis odio & erroris studio, illustrissimi Plessæi opus placide inspicere, & loca ab ejus adversario notata considerare maluisset, quam temere & cæco impetu sui Perronij dictata sequi; non dubito quin is pro sua eruditione, & harum rerum peritia (quam in eo plane singularem fuisse confiteor) facile judicaturus fuerit, nihil Perronium utraque illa sua calumnia, veritati quam Plessæus tuetur, nocuisse; animi tantum sui impotens in eum odium gratis, nullo operæ pretio patefecisse. Patet ergo ex hoc doctissimorum virorum testimonio Latinum elevationis Eucharistię *ritum non esse multum antiquum*, ut ait Menardus; neque de eo quicquam apud antiquos rituum expositores legi, ut uterque observat. Porro quam verum hoc sit, de quo ambo consentiunt, veteres rituum sacrorum expositores Latinos nihil de eo more scriptum reliquisse, facile perspiciet quisquis loca adierit, & attente perpenderit, in quibus tradunt panis & vini consecrationem, & quæ eam proxime consequuntur; ut Alcuïni *s* caput *de celebratione Missæ & significatione eius*; Amalarij Fortunati *t* caput 24. & 25. libri 3. *de Ecclesiasticis Officiis*; Rabani *u* librum 1. *de institutione Clericorum* c. 32. & præsertim vero c. 33. in quo totius Missæ ordo explicatus cernitur. Valafridi Strabonis, *x* ejusdem argumenti c. 22. libri de rebus Ecclesiasticis. Quod vero hi scriptores in enarrandis & mystice explicandis omnibus, etiam minimis ac levissimis Missæ ritibus ad fastidium diligentes, omnes pariter omiserunt, id nemo qui eos norit, dubitabit non illum fuisse eorum ævo in Ecclesia Latina usitatum. Huc accedit proprium ex Micrologi autore, merito in hoc ordine laudato, ductum à Menardo argumentum, quod non est tacendum. Is enim ubi consecrationis ritus exponit accuratissime, & singulorum rationes curiose rimatur, tandem accedit ad panis & vini benedictionem; *Deinde*, inquit, *panis in manus* (à sacerdote scilicet) *accipitur, & antequam reponatur in altare, benedicitur. Item & calix elevatus* (id est è sacra mensa in qua stabat, sublatus) *ante depositionem benedicitur. Nam & ipse Dominus in Evangelio utrumque legitur benedixisse, antequam dimitteret è manibus. Accepta enim in manibus benedixit, postea discipulis dedit. Item ubi dicitur, Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, tres cruces super utrumque simul facimus.* &c. Hinc doctissimus Menardus z ita argumentatur, *Hæc ille, qui sane hunc ritum* (elevationis hodiernæ quæ fit plane peracta consecratione) *si eius tempore viguisset, nunquam prætermisisset; qui postea elevationis corporis, quæ fit simul cum calice, antequam oratio Dominica recitetur, mentionem facit*; *a* Et cum dicimus, per omnia secula seculorum, corpus cum calice levamus, & statim in altari deposita

s Alc. c. de miss. §. Post. laudes t. 10. Bibl. Pat. p. 204. c.
t Amal. l. 3. c. 24. 25. ib. p. 423.
u Rab. l. 1. de instit. cleric. c. 33. ib. 585. E
x Val. Strab. de reb. Eccl. c. 22 ibid. p. 680. 684. D. E.
y Microl. c. 15. ibid. p. 740. c.
z Menard not. in vet. miss. p 374.
a Micr. c. 17. ab. sup. p. 741.

depoſita cooperimus. Hæc Menardus; omnino recte. Quis enim crediderit Micrologum qui duas iſtas panis & calicis elevationes diſerte commemorat, illam quæ hodie illuſtriſſima eſt, & præcipui momenti, omnem populum ad ſacramenti adorationem vocans, ſilentio intactum præteriturum fuiſſe? Atque hic obiter obſervandum eſt, illam quam ex Micrologo priorem deſcripſimus panis & calicis acceptionem ſive elevationem, eam ipſam eſſe quam Hildebertus paulo ante eum locum quem ſupra recitavimus, his verſiculis deſcribit, CAPUT XXII.

Panis in hoc verbo, ſed adhuc communis, in ara
Sumitur & ſumptum tollit utraque manu
Presbyter; hinc idem cum pervenit ad BENEDIXIT,
Imprimit elato myſtica ſigna crucis.
Nec prius in menſam demittit, quam tua, Chriſte,
Verba repræſentans explicat iſta ſuper.

Nam utraque eſt *panis benedicendi*, nondum *benedicti*, adeoque *adhuc communis*, quod ait Hildebertus. In utraque panis ex menſa ſacra, ſive ara ſumptus, non ante *reponitur in altare*, vel ut canit Hildebertus, *in menſam demittitur*, quam benedictus fuerit. Poſt utramque fiunt cruces ſuper panem & calicem; Iam idem quoque Menardus monet ex Micrologi capite 23. clarius etiam patere ignotam Latinis adhuc fuiſſe ejus ſeculo elevationem ſacramenti hodiernam. Ibi enim in accuratiſſima deſcriptione celebrandæ Miſſæ, ubi ad verba illa conſecratoria ventum eſt, *Hoc eſt enim corpus meum*, quibus nunc prolatis Latini ſtatim ſuam hoſtiam elevantes populo adorandam oſtendunt, Micrologus de tam inſigni ritu ne unam quidem ſyllabam ſcribit, panis & calicis conſecrationem continenter, nulla panis neque elevatione, neque adoratione abruptam, totam ſimul ſemelque uno, ut ita dicam, ſpiritu deſcribit; cætera hoc uno excepto, omnia diligenter ediſſerens. Atqui idem poſtea, paulo ante orationem Dominicam, ubi ſacerdos dicit illa verba, *Eſt tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti*, illam panis & calicis elevationem quam nunc quoque Latini ad id locorum factitant, *b* minime prætermiſit, ſed eam diſerte his verbis memoravit, *c Hic*, inquit, *elevat oblatam cum calice, dicens, Per omnia ſecula ſeculorum; Reſponſio, Amen; Et deponit oblatam, dicens, Oremus*. Quæſo te, qui hanc dicit, cur illam auguſtiorem, atque memorabiliorem, qua ſolemniſſima ſacramenti in omni Latina Eccleſia adoratio continetur, ſi ſciret, prætermitteret?

b Vid. miſſ. Rit. celebr. c. 9. §. 3.
c Microl. c. 23. ibid p. 746. B.

His argumentis doctiſſimus Menardus non modo, ut mihi quidem videtur, probabiliter, ſed neceſſario demonſtravit nondum apud Latinos ſuos hanc hoſtiæ hodiernam elevationem in uſu fuiſſe; cui iiſdem ut apparet, victus rationibus plane aſſentitur Iacobus Goar. Atque hoc ita cum utriuſque conſenſu conſtituto funditus ruit ſupra memorata, non Bellarmini tantum, qui levi brachio hæc perſtrinxit, potius quam tractavit, ſed ipſius etiam Perronij aſtutius & operoſius, adeoque improbius contra vera nitentis diſputatio. Si diem aut Conſulem poſces, quo hæc

Caput XXII.

elevatio quæ hodie nihil est in Latinorum rebus notius, augustius aut magnificentius, in eorum sacra præcise suscepta sit, fatebor equidem verissimum esse, quod scribit d Goar, *Quando*, inquit, *consecrationi apud Latinos juncta fuerit hostia elevatio, non plane constat.* Neque hoc mirum videri debet, quod in omnibus fere, ut linguarum, ita & rituum ac consuetudinum, non subitis sed lentis & paulatim progredientibus mutationibus usu venire videmus. Prima eorum initia nos latent; quia ab obscuro unius aut alterius usu primum progressæ, tacitis incrementis invalescunt, vixque observantur, nisi ubi longe ab origine progressæ universam jam gentem in qua cœperant, invasere. Esse enim hujus generis plærosque Latinæ religionis ritus, de quorum novitate querimur, satis manifestum est. Sed mihi quod in hac disputatione abunde est, id ex Goaris doctrina, ne ipse quidem credo, negaverit. Mihi enim satis est hoc teneri, quod initio statim posui, apud Latinos non fuisse in usu ante Berengariana certamina, illam elevandæ Eucharistiæ & populo ad cultum adorationis ostentandæ consuetudinem. Atqui & Goar & Menardus fatentur, quo tempore Micrologi autor scribebat nondum obtinuisse illum ritum; imo eo libro vel inprimis nituntur ut tum nondum exstitisse confirment. Iam vero Micrologum non fuisse ante Berengariana tempora scriptum ipse liber clarissime fatetur, qui Gregorium P.R.7. & Anselmum Lucensem ejusdem σύγχρονον & amicum intimum memorat; e imo Gregorium libri autor jam ad plures abiisse, quo ipse tempore scribebat, eo satis significat, quod illum capite decimo septimo, *reverendæ memoriæ Papam* dicit; f quo elogio superstites affici insuetum. Gregorium autem ann. D. 1087. die 4. Maij mortuum esse constat, cum Berengarianum dogma jamdudum à Leone 9. ante an. D. 1054. & à Nicolao 2. ante an. 1061. & novissime ab ipso Gregorio damnatum publica autoritate esset. Vnde nemo non videt ante exstinctum Berengarium, adeoque ante publice ab Ecclesia Latina receptam transsubstantiationis fidem nondum in usu apud eam fuisse ritum illum elevandæ hostiæ nunc in Eucharistico sacro solennem. Idem inde colligitur, quod Goare & Menardo assentientibus, nondum extabat ille ritus quo tempore Ordinis Romani libelli, qui qualesque hodie habentur compositi sunt. Honorius vero Augustodunensis autor est g Ordinem Romanum à Bernoldo Constantiensi Presbytero, compositum fuisse, quem ait sub Henrico 4. Imperatore floruisse. Vnde certa fides est istum eumdem fuisse cum eo, quem alij *Bertholdum* vocant, nobilem Hermanni Contracti Chronologi ad an. D. 1100. continuatorem, quo denique manifestum fit Ordinis illius Romani scriptorem, & sub Gregorio P. R. VII. vixisse, & ultra an. D. 1100. vitam produxisse, cum jampridem suscepta esset à Latinis transsubstantiatio, Berengario ejus oppugnatore multis publicis judiciis jampridem fulminato. Hanc autem de Ordinis Romani, qui qualisque hodie habetur, natalibus sententiam Hugo Menardus, h quod supra i monuimus, probabilem censet. Idem denique

d Goar. in miss. Chrys. not 158. in Euch. p 146.

e Microl. c. 7. c. 14.

f Ibid. c. 17.

g Hon. Aug. de Illustr. Script. in Bernol.

h Præfat. in Gregor. lib. Sacr.

i Supr. c. 6.

que confirmari, ni fallor, posset ex libro de divinis Officiis, qui vulgo sub Alcuini nomine circumfertur, si verum ejus parentem nossemus. Hunc enim librum non esse genuinum Alcuini fœtum, * sed scriptum esse post a.D. 1000. Andreas Chesnæus in Alcuini præfatione late probavit, & plærique nunc eruditi consentiunt. Sed duodecimo seculo cum jam transsubstantiationis dogma multis Paparum decretis confirmatum apud omnes Latinæ communionis Ecclesias obtineret, unàque irrepsisset quæ ex eo necessario consequitur, de adoranda Eucharistia opinio, verisimillimum videtur circa eadem tempora mentes hominum subiisse illam de elevanda ad cultum consecrata hostia cogitationem, cui simulatque consecrata est, cum adorationem deberi ex præcepto errore crederent, hinc factum esse, ut non alio potius loco, quam statim post consecrationem, elevandam esse putarent. Dubitari certe non potest, quin elevandi ad cultum sacramenti mos XIII. seculo obtinuerit. Lucas Tudensis, qui se Gregorium 9. Romæ vidisse, adeoque circa a.D. 1241. scripsisse ipse testatur, *k velut rem nefariam & heresi proximam denotat*, quod *quidam cum elevatur corpus Christi à sacerdote in sacratissimo ministerio Missæ, vel alias defertur, erubescunt vel effugiunt suppliciter adorare.* Neque hic tamen de Berengarianis vel Albigensibus loquitur, sed de Latinis ipsis, quod satis significat, cum id, non *hereticum*, sed *heresi* tantum *proximum* esse dicit. Sed hoc statim docet apertius, cum addit; *l Hoc*, inquit, *maxime nonnulli Curiales faciunt, qui consueverunt terrenis Principibus flexis genibus & nudo capite humiliter ministrare. Ostulta dementia & insana protervia, qua se oculis filiorum hujus mundi * objicit insolenter curialitatis prætextu, coram æterno Rege, Regum Domino, & sacerdote vicario eius humiliari refugiunt, vel erubescunt!* & cætera in eundem sensum. Stulte honorem Principibus ab istis delatum objicit, nisi ij in Eucharistia Christum inesse confessi essent, id est, nisi ex suo & Latinorum judicio Catholici fuissent. Vnde apparet ne tum quidem omnes Catholicos legi de adoranda post elevationem Eucharistia paruisse, quod magnum est novitatis ejus argumentum. Quod ergo illa Eucharistiæ statim post consecrationem elevatio, duodecimo demum seculo apud Latinos innotescere cœperit, neque usquam ante id tempus occurrat, omnes jam satis intelligunt ejus ritum novellum & recentem esse; ex transsubstantiationis dogmate ortum ac propagatum, quod præcedenti seculo in Ecclesia Latina constitutum fuerat multis Paparum decretis, exindeque ab omnibus receptum.

CAPVT XXII.

k Luc. Tud. l.2.cont. Albig.c.10.

l Ibid. c.14. Tom.4. P.2. BB. PP. p. 665.B.

* forte legendum *abjicit in solenter*, &c.

CAPVT

CAPUT XXIII.

Novum esse quod nunc apud Latinos solenne est, I. ut Eucharistia simul elevata est, à plebe de geniculis adoretur. II. ut plebs ad eum cultum nolæ gestatilis sono excitetur.

SEcundus ritus est quod elevationem hostiæ, simulatque à Sacerdote consecrata est, sequitur apud Latinos totius populi circumstantis genuflexio & adoratio, ut supra diximus. Honorij P.R. 3. lex eo pertinet, paulo ante a.D. 1227. lata, *ut plebs cum in celebratione missarum elevatur hostia salutaris, se reverenter inclinet.* m *Sacerdos* (inquit) *quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cum in celebratione Missarum elevatur hostia salutaris, se reverenter inclinet, idem faciens cum eam defert presbyter ad infirmum.* Hac autem *reverenti corporis inclinatione*, & praxis, & Glossa, ostendunt veri nominis adorationem intelligi, qua in genua adorant quis procumbit, & hostiam illam salutat, *veramque ac vivam, Verbum Patris, verum Deum, verum hominem esse* agnoscit ac profitetur. Synodus denique Tridentina apertissime postremo rem omnem, nequis dubitet, definivit n *cultum latriæ qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhiberi ab omnibus Christi fidelibus, pro more in Catholica Ecclesia semper recepto.* In *veneratione* cum dicit, vel solam, vel certe præcipue eam venerationem intelligit, quæ hostiæ à sacerdote post ipsam statim consecrationem elevatæ à suis defertur. Hunc autem de cujus hic proprie ritu disputamus, *morem in Catholica Ecclesia semper* fuisse, ut Tridentini loquuntur, *receptum*, tam evidenter falsum est, ut vix quicquam dici possit magis à rerum ipsarum veritate alienum. Quo enim loco ista fit à Latina plebe sacramenti adoratio, eo in veteribus omnibus Liturgiis ac libris nullum cernitur illius vestigium. Certe nullum ipsi afferunt de hac ad id locorum adoratione testimonium, sive primæ sive mediæ ante Berengariana certamina antiquitatis. Sed neque ullum ea de re extare, ex iis quæ proxime disputavimus, cuilibet cordato satis constare potest. Cum enim hujus cultus præviam elevationem nullam hoc loco in antiqua Eucharistiæ Liturgia fuisse abunde sit demonstratum, etiam consentientibus doctissimis adversariis Menardo & Goare; quis non intelligit, fieri non posse, ut apud quos nulla hoc loco fuit hostiæ elevatio, apud eosdem aliqua ejus fuerit ibidem adoratio? Vt illud nunc mittam, quod quo loco apud Veteres elevata fuisse memoratur oblata, in adyto scilicet & apud altare, ut ex Goare & ex ipsis Liturgiis probatum est, non potuit à plebe adorari, quæ nihil istorum, in alia ædis ab adyto cancellis & velis disclusa parte consistens videbat. Vt ergo ipsa elevatio, ita & hæc quæ ad illam

m Greg. Tit. 41. c. 10. Decret.

n Côc. Trid. sess. 13. c. 5.

illam refertur, & hodie statim post eam à Latinis fit, adoratio, titus novus est ac recens, omnibus & primæ & mediæ antiquitatis scriptoribus indictus & ignotus; sub finem duodecimi, ut videtur, seculi, ex paulo ante recepto post Berengariana certamina Transsubstantiationis dogmate ortus & constitutus; ut ex Honorij P.R. 3. Decretali, & Lucæ Tudensis testimonio nuper à nobis recitatis patet. Quibus addenda est illa Mimatensis Episcopi, sacrorum rituum nobilissimi interpretis, qui circa a. D. 1280. scripsisse fertur, ad hunc locum observatio. Is enim ubi elevationis hostiæ simulatque consecrata est, rationes indagat, præter alias quatuor, hanc quintam, à veterum nemine memoratam, ipse ex proprio illius ritus fine petitam adjicit: o *Quinto*, inquit, *hostia elevatur, ut populus non præveniens consecrationem, sed ex hoc cognoscens illam factam, & Christum super altare venisse, REVERENTER ad terram prosternatur.* Hæc vera, unica est, ac propria ritus hujus ratio. Cæteræ, quas affert, communes sunt aliarum etiam si quæ sunt, sacramenti elevationum.

CAPUT XXIII.

o Rat. Div. Off. l. 4. de 6. parte Can. f. 104. col. 2.

Tertius superest, nolæ ad hostiæ elevationem pulsandæ ritus, quem res ipsa novum esse satis arguit. Cum enim hæc campanulæ ad id locorum pulsatio ad hoc unum inventa sit, ut suo sono factam esse consecrationem, adorandamque adeo esse hostiam significet, fieri non potest, ut his rebus 12. duntaxat seculo institutis sit vetustior. Stephanus Durantus ex Nauclero refert p ad a. 1240 Gregorium P.R. IX. statuisse ad corporis & sanguinis Christi consecrationem campanas pulsari. Sed & Ivonis Carnotensis epistolam eodem refert ad Mathildem Henrici I. Angliæ Regis uxorem, adeoque post a. D. 1100. scriptam, id est post seculi 12. initium; Quamquam ille quidem non de gestatili; sed de majori campana loqui videatur. Dicit q enim campanas à Mathilde missas se *in loco celebri ad auditum confluentium populorum collocavisse, quæ ad significationem certarum horarum moverentur*, cum alias, tum præsertim *quando illa salutaris hostia* inquit, *pro nobis redimendis in ara crucis oblata per novi sacerdotij ministros in Domini mensa quotidie consecratur.* Tempus Missæ celebratæ significat; de elevatione hostiæ, ejusque momento nihil dicit. Illud ergo verum est, quod ipse Durantus ex Nauclero retulit, id à Gregorio IX. Honorij successore primum inventum esse seculo demum decimo tertio, circa a. D. 1240. diu post Ivonis Carnotensis obitum. Id ipsum quoque tradit * Albertus Crantsius, ubi de hoc Gregorio verba faciens, *Eo* (inquit) *tempore decrevit Pontifex, Salve Regina &c. certis divinæ rei horis addi, CAMPANASQUE ad EUCHARISTIÆ confectionem.* Constat certe nullam occurrere signi istius de hostiæ elevatione ex campanularum pulsatione dati mentionem in ullis veterum monumentis ante duodecimi seculi finem. Sed & ritus novitatem liquido id arguit, quod nulla ejus apud cæteras Christiani nominis in Asia & Africa gentes vestigia cernuntur.

p Durant. de rit. Eccl. l. 2. c. 40. p. 480.

q Ivo epist. 142.

* Crantz. Sax. l. 8. c. 10. in. p. 208.

Caput XXIV.

CAPUT XXIV.

Novum esse & à prima Christianismi disciplina alienum, quod sacerdos panem sacrum trifariam frangit, & tres illas partes sibi uni sumit omnes. Solvuntur & refelluntur quæ pro eius moris antiquitate à Bellarmino, & Duranto allegantur. Morem post seculum 6. cœpisse. Eius postquam cœpit, diversa ratio apud Latinos qui in tres partes; Græcos qui in quatuor; Mosarabas qui in novem sacrum panem diviserunt. Quod sacerdos tres partes uni sibi sumit, id & post transsubstantiationis susceptum dogma cœpisse, & Latinorum esse proprium.

SEd hæc quidem de adoratione quæ Eucharistiæ ubi primum consecrata est, ab ipso sacerdote apud Latinos exhibetur, deque ejusdem elevatione, & solenni in elevatam totius circumstantis populi latria, & campanulæ cultum hunc indicentis sono, dicta satis sunt. Nunc ad reliquas Missæ partes progrediamur, & quæ in iis occurrunt ab antiquioris Christianismi ritu ac praxi insigniter aliena observemus. Latinus sacerdos postquam consecratam hostiam & ipse sæpius eximie adoravit, & elevatam circumstanti plebi adorandam ostentavit; multa alia gerit ac dicit, quorum nullum est in Evangelio vestigium. Iis missis ad eum locum potissimum venio, quo r *hostia super patenam sinistro indice accommodata, discooperit calicem & genuflexus sacramentum adorat.* Hic enim tria occurrunt præter priscam Eucharistiæ disciplinam novata; unum quod panis singulari quadam, & ab ipso Domini instituto abhorrente ratione frangitur: alterum quod panis trifariam fracti una particula in calicem immittitur, & vino sacro intingitur; tertium quod ea panis fractio; quam & Dominus exemplo suo commendavit, & vetus omnis Ecclesia factitavit, plane penitusque omittitur. Ac de primo quidem ita Missale præcipit, s post eam *sacramenti adorationem*, de qua novissime diximus; *Tum se*, inquit, *erigens* sacerdos *accipit hostiam inter pollicem & indicem dextræ manus, & cum illis ac pollice & indice sinistræ manus eam super calicem tenens, reverenter frangit per medium* &c. *& mediam partem quam inter pollicem & indicem dextræ manus tenet, ponit super patenam, de alia media, quam sinistra manu tenet, frangit cum pollice & indice dextræ manus particulam* &c. *& eam inter ipsos dextræ manus pollicem & indicem retinens, partem majorem, quam sinistra tenet, adjungit mediæ super patenam positæ,* &c. *particulam vero hostiæ quam in dextra manu retinuit, tenens super calicem, quam sinistra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce dicit,* Per omnia secula seculorum ℟. Amen; *& cum ipsa particula signans ter à labio ad labium calicis, dicit* Pax Domini sit semper vobiscum, *Responso per ministrum,* Et cum spiritu

r Miss. Rom. Rit. celeb. miss. Tit. 10. §. 2.

s Ibid.

spiritu tuo, *particulam* illam, *quam dextra manu tenet, immittit in calicem, dicens secreto*, Hæc commixtio & consecratio corporis, &c. Moxque multis partim precibus, partim cærimoniis functus, *se inclinans, cubitis super altare positis reverenter easdem ambas partes sumit* (quæ scilicet super patenam positæ jacebant) Tertia vero parte, quæ in calicem immissa natat, si quæras quid fiat, Missale præcipit sacerdotem postremo *calicem dextra manu infra nodum cuppa accipere*, &c. *& manu sinistra supponentem patenam calici, stantem reverenter sumere totum, sanguinem cum particula in calice posita.* Hæc illi. Ego quæro, unde habeant? ex quibus Evangeliis? ex quibus veteris Ecclesiæ Canonibus aut Conciliis? Nullum ex duodecimo seculo antiquioribus monumentis proferent, ex quo omnem istarum rerum ordinem sigillatim ita præceptum aut usitatum promere possint. Mitto morosissimam istam, ac Iudaïco quam Evangelico ministro digniorem de digitis disciplinam, actuumque singulorum ambages ac minutias; quæ nullum habent in veteri Christianismo exemplum. Potiora duntaxat capita tango. Quem Apostolum ex divinis litteris, quem Apostolorum ad a.D. 300. successorem dabunt, qui panem sacrum sibi soli Eucharistiam celebrans, fregerit? qui tres ipse particulas unus sumpserit? qui panem per medium in duas partes æquales, harum alteram rursum in duas, sed inæquales diviserit? Christum Evangelistæ & Paulus panem fregisse narrant, sed cujus fragmenta discipulis distribuerit. *Panem accepit, fregit, dedit discipulis, dicens, Accipite*, &c. Vbi illa omnia geminæ fractionis, divisionis ac subdivisionis mysteria? Certe tres sibi particulas sumpsisse Christum adeo non dicunt, ut ne illud quidem memorent, an vel vnam sumpserit. Mitto tripartitæ fractionis mysteria allegorica, quæ hic Latini haud parce effundunt, quæque ingeniosis hominibus ad quosvis ritus actusve quantumvis vanos aut absurdos fucandos, & commentitiis rationibus honestandos semper præsto sunt. Mihi simplicissima hujus ritus ratio & origo esse videtur, quam Ernulfus, Benedictinus de seculo undecimo Monachus tradit; *t Ecclesiastica*, inquit, *inolevit consuetudo, ut Episcopo aut presbytero sacrificante, & Diacono ac Subdiacono cooperante, eiusdem obsequij nemo, aut raro quisquam sancta communionis excipiatur participatione. Quia ergo ipsis tribus Dominici altaris servitoribus commissa sunt Dominica sacramenta, quibus Scriptura communicare jubet, statutum est, ut arcana recordationis hostia in tres partes dividatur; quæ divisa à singulis servitoribus singulæ suscipiantur; quarum una Sacerdos in calice securius sibi reservata, cæteras in patena ministris, Si præsentes fuerint, porrigit; Eis absentibus, sicut agit quod erant acturi, ita accipit quod erant accepturi.* Hæc ille, quæ veri, mihi quidem, simillima videntur. Quamdiu ergo mos vetus stetit, ut duo illi minimum Ministri celebranti adessent, & una cum eo communicarent, ratio manifesta fuit, cur ante populi communionem, Eucharistiæ tres particulæ fuerint, quas ipse scilicet, cum duobus Ministris consumerent. At postquam veteri com-

CAPVT XXIV.

t Ern. ep. 2. quæ est ad Lamber. T. 2. Spici leg. Dachet. p. 437.

Caput XXIV.

ri communionis usu obsoluto, sacerdotem sua sibi sacra unum facere cæteris modo spectantibus, solenne fuit, una quoque decebat tripartitam illam panis sacri fractionem aboleri, quæ scilicet fine & usu ad quem erat instituta, de medio sublato, ipsa deinceps supervacanea erat. Sed quia celebrantes ita panem dividere à majoribus didicerant, vicit eorum reverentia & vis longæ consuetudinis, ut ritus tametsi supervacaneus retineretur. Sed cum sensissent in Ecclesia quicquam absque ratione fieri absurdum esse, itum est ad allegorias; neque diu laborandum fuit. Facile reperti sunt, qui ut nunc fit, ritui absurdo rationem, qua omni per se caret, ex ingenio suo commodaverunt. Vtcunque sit, mihi quidem simpliciter nunc quærenti, an quæ nunc fiunt apud Latinos, ea semper apud Christianos facta fuerint, satis est quod hic ritus, qualiscunque de cætero sit, in toto illo primo atque optimo Christianismo, qui ad an. D. 300 fuit, nusquam cernitur; quem si jam tum extitisset, omnino verisimile est, vel Iustinum in Eucharistiæ descriptione, u vel alium aliquem ejusdem aut proximi ævi scriptorem memoraturum fuisse. Ne Pseudo Clemens quidem in Constitutionibus Apostolicis, vel Cyrillus Hierosolymitanus in Homilia mystagogica 5. liturgiæ ordinem exsequens, hujus Eucharistiæ in partes tres fractionis meminerunt: quo docemur ne 4. quidem seculo, quo ille ineunte, hic exeunte scripsisse videntur, notum fuisse hunc ritum. Quinti seculi eadem ratio est, è quo nullum vel affertur, vel afferri potest, pro tripertita illa sacri panis divisione testimonium. Nam quod Ioannes Stephanus Durantus eo refert x quædam Pseudo-Areopagitæ verba, eo largiter fallitur. Ejus hæc de Episcopo Eucharistiam celebrante verba sunt; y *Operto, (* inquit *) indivisoque pane revelato, & in multa diviso, singularique calice omnibus impertito, unitatem symbolice multiplicat, distribuitque.* τὸν ἐγκεκαλυμμένον καὶ ἀδιαίρετον ἄρτον ἀνακαλύψας, καὶ εἰς πολλὰ διελὼν, καὶ τὸ ἑνιαῖον τοῦ ποτηρίου πᾶσι καταμερίσας, συμβολικῶς τὴν ἑνότητα πληθύνει καὶ διανέμει. Hæc ad eam panis fractionem pertinent, non qua unus sacerdos fractas omnes partes solus seorsum sumpturus est, sed qua unus panis in multas particulas, μερίσι, fractus pluribus, imo omnibus communicandus est, singulis suam particulam sumpturis. Res ipsa loquitur; non enim dicit Dionysius panem in tres vel quatuor partes præcise frangi, sed in multas; *pane,* inquit, *in multa,* εἰς πολλὰ *diviso*, non *in frusta* simpliciter *conciso*, quod de suo perperam edit Durantus. Idque necessario evincit, quod statim addit *de poculi in omnes distributione.* Nimirum quo tempore poculum erat omnibus distribuendum, eodem panis in multas particulas dividebatur, pro communicatorum numero, quo & illa ex paragrapho sequente pertinent, z *munerum* (panis & vini sacri) *unitatem in multa dividi*, τὸ ἑνιαῖον αὐτῶν (δώρων) εἰς πολλὰ διαιρῶν, *& res distributas cum suscipientibus summe uniri*; nimirum panem esu, calicem potu. Vnde clarum est, eam panis fractionem hic esse significatam, quam statim sequitur utriusque doni in omnes communicantes distri-

u Iust. Apol. 2. p. 76.

x Dur. de rit. Eccl. l. 2. c. 51. §. 1.

y Dion. Hier. Eccl. c. 3. Theor. §. 12. p. 258.

z Ibid. §. 13.

CAPUT XXIV.

distributio. Huc accedit quod neque ulla hic particularum in calicem immissa memoratur, quod Latinæ fractionis vel præcipuum mysterium est. Ex his Sole clarius est fractionem hanc Dionysianam plane aliam esse ab ea, quæ apud Latinos obtinet; Hoc vidit & confitetur Corderius Iesuita in suis ad hoc Dionysij caput annotationibus. Cum enim observasset quinque hic à Dionysio exhiberi Eucharistiæ partes, primam, cui intererant Catechumeni; secundam, oblationem panis & vini; tertiam, consecrationem; quartam, oblationem consecratorum; quintam, communionem; hæc continenter addit, a *Non facit autem mentionem fractionis hostiæ supra calicem, nec utriusque commistionis.* Non potuit disertius Duranti sive inscitiam, sive inverecundiam castigare ac refutare. Viderat & ante Corderium, Perionius, qui totum hunc Dionysij locum, optime atque elegantissime ita est interpretatus; b *Pane enim, qui opertus erat & integer, aperto atque in multas partes fracto, & unico calice diviso inter omnes, quod unum est signum multiplicat.* Pachymeres in Paraphrasi hanc quoque fractionem apertissime accipit de ea quæ fit ad distribuendum omnibus communicantibus panem quidem per particulas; calicem vero per potum. Eodem quoque pertinet illa *Domini* à Chrysostomo memorata *in oblatione*, idest in Eucharistia, *confractio*; quam frustra Bellarminus ad illam trahit, c quæ in unius Sacerdotis usum fit apud suos. *Quod non est passus in cruce* (inquit d Chrysostomus) *hoc in oblatione patitur propter te, & se patitur frangi, ut Omnes impleat.* ἀνέχεται διακλώμενος ἵνα πάντας ἐμπλήσῃ. Vltima hæc verba indicant eam hic Domini in symbolo Eucharistico confractionem intelligi, quæ eo fit ut omnes communicantes ejus sint participes. Ideo scilicet panis sacer in plures particulas frangitur, ut singulis suam sumentibus omnes Christi dono impleantur; quod ad Domini fractionem in Cœna sua factam pertinere cernimus; à Latina vero alienum esse intelligimus, cujus fragmentis non alius quam sacerdos impletur. In Liturgiis quæ Iacobi & Chrysostomi nominibus circumferuntur, quæque ab eodem Bellarmino huc afferuntur, fateor quidem haberi panis sacri confractionem, non in tres, sed in quatuor partes, uniusque ex his in calicem immissionem. Inde vero sequi nego quod ille concludit, e *Quare*, inquit, *ipsa quoque confractio antiquissima est.* Ac Bellarminum quidem id ex Iacobi Liturgia concludere mirum est, quam ipse alibi *à posterioribus ita locupletatam esse dicit, f ut non sit facile dijudicare, quæ pars hujus* liturgiæ *sanctum Iacobum habeat auctorem.* Neque Chrysostomeæ certior fides; cui multa à posteris pro temporum & hominum ingenio fuisse addita verum est, & apud eruditos confessum. Se posito ergo hoc liturgiarum testimonio, ut incertæ de primis temporibus fidei, constare debet hunc fractionis Latinæ ritum, non modo tribus, sed etiam quinque primis Christianismi seculis ignotum atque inusitatum fuisse; cujus scilicet nulla uspiam apud certos & indubitatos illorum temporum scriptores mentio occurrit. Quod vero Stephanus Durantus hanc hostiæ partitionem

a Corder. ib. p. 262. col. 1.

b Perion. in Dion. interp. sua.

c Bell. l. 2. de miss. c. 15. §. Tertia.

d Chrys. Homil. 24. in 1. Cor. L. p. 256. C.

e Bell. ub. sup.

f Bell. de script. Eccl. in Iacobo.

Caput XXIV.

nem diu ante Sergium, qui an. D. 687. Romanus Episcopus factus est, jam *institutam fuisse* inde colligit, g *quod Sergius constituerit in hac fractione Agnum cantari*, in eo multum fallitur. Sigebertus, quem ille citat, scribit h Sergium, suorum antecessorum de Missa constitutionibus *hoc ultimum addidisse, ut inter communicandum Agnus Dei à Clero cantetur*; de tripartita Duranti fractione nihil dicit. Quin eo quod ait *inter communicandum Agnum cantari* edixisse, apparet non fuisse ex Sergij edicto eo loco cantatum, quo fit hodie tripartita fractio. Probabilius est, imo verum est, cantatum fuisse dum populus communicaret, quam esse hujus sacri partem ultimam notum est. Cum vero immediatè ante illam communionem panis frangeretur, ejusque particulæ statim communicantibus distribuerentur, inde colligo, non de hac recenti tripartita fractione, sed de altera à Domino instituta, & apud veterem omnem Ecclesiam solenni, à Latinis vero abrogata fractione capienda esse, quæ de Sergio tradit Anastasius k in ejus vita; *Hic*, inquit, *statuit, ut tempore confractionis Domini corporis* (id est eo tempore quo confringitur & populo distribuitur sacramentum) *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis, à Clero & populo decantaretur.* Atque ita sane Sergij factum narrat atque interpretatur l Micrologi scriptor; *Congrue* (inquit) *pax datur ante communionem, quia iudicium sibi manducat & bibit, quicumque non prius fratri suo repacificatus communicare præsumpserit. Sergius Papa, in ordine 86. constituit ut in tempore confractionis Domini corporis, Agnus deinde à Clero & populo decantetur. videlicet ut ille nobis propitietur, cuius corpus ibi confringi videmus & credimus. Facta autem confractione debent omnes communicare.* His quoque succinit vetus ille Ordinis Romani expositor à Georgio Cassandro laudatus; m *Propter officium* (inquit) *confractionis Dominici corporis constitutum est à Papa Sergio, ut Agnus Dei decantetur, dum ipsum corpus Dominicum ab Episcopis Romanæ Ecclesiæ, vel à Presbyteris atque Diaconis tantum confringeretur, ut post peractam pacem sine qua corpus Domini non digne percipitur, corda eorum ad compunctionem amoris eius, quem accepturi essent, excitarentur.* Ex his cæteri, siqui hoc Sergij institutum memorent scriptores, de eadem illa veteri, non autem de hac novitia tripartita fractione intelligendi sunt. Vnde nunc constat Alberti Magni hanc Latinam fractionem à Sergio institutam esse putantis sententiam ideo esse reprehendendam, non quod ista fractio Sergio multo sit antiquior (quod temere dicit Durantus) sed contra, quod Sergio recentior sit. Fateor hac Eucharisticæ disciplinæ labe paulo post illud seculum, utramque Ecclesiam, Græcam, inquam, & Latinam deformatam fuisse. De Latinis testem habemus n Amalarium, noni seculi hominem, ex libellis Romanis docentem jam ante sua tempora solenne apud Romam fuisse, ut hostia hoc loco rumperetur à Pontifice, & panis etiam bis poneretur in Calicem. Fere eadem leguntur in Additione, quæ habetur apud Rabanum ad calcem libri primi de institutione Clericorum; & præter cætera, autor monet, o *Italos primo mittere de*

g Dur. ib. 2. de rit. Eccl. c. 51. §. 8.
h Sigeb. Chron. ad an. 688. p. 540. l. 13.
k Anast. in Serg.
l Microl. c. 18. Tom. 10. Bibl. P. P. 742. A.
m Expos. ord. Rom. apud Cass. in Liturg. c. 29. p. 67.
n Amal l. 3. de Eccles. off. c. 34.
o Rab. l. 1. de instit. cler. extr. p. 586. C. tom. X. Bib. PP.

re de sancto pane in Calicem; aliquos vero reservare immissionem, usque dum pax celebrata sit & fractio panis. Scriptor Micrologi quem constat seculo 11. & quidem præcipiti vixisse, refert *p* ruptam fuisse hostiam ex dextro latere, ejusque majorem partem in duo confractam; ut essent tres Dominici corporis portiones: unam in calicem missam: alteram necessario à Sacerdote sumptam ante calicis participationem: *tertiam communicaturis sive infirmis dimissam*: quæ hodierno ritui congruunt: nisi quod nunc Sacerdos tres illas oblatæ particulas sumit, tertia illo seculo communicaturis, sive infirmis dimittebatur. Mutati ritus rationem, & quidem idoneam, hanc affert Stephanus Durantus: *q Ritum illum*, inquit, *immutavit Ecclesia, propter pericula quæ contingere possent in reservatione illius particulæ; quare partes omnes à sacerdote sumuntur.* Nimirum hic Latini quæ nulla aliquot seculis pericula viderant, ea illuminatis per plenam transsubstantiationis fidem oculis, secutis post decimum seculum temporibus, animadvertere cœperunt. Itaque hujus ritus, si non inventio, certe perfectio novo transsubstantiationis dogmati imputanda est. Apud Græcos hostia hoc quoque loco frangitur, *r* non in tres sed *in quatuor partes ut crucis partes quatuor* (inquit Goar *cruce è particulis emergentibus effecta & cōposita designentur.* Nam ut facile est de numeris ludere, Græcis de quatuor, nō minus quam Latinis de tribus, suæ & quidem æque solidæ constant rationes. Quin ut ingenium humanū in suis luxuriat, Mosarabas olim idem Goar observat *s* ex eorum Missa, in novem partes hostiam suam divisisse, neq; hoc, ut credibile est, absque causa legitima. Quidni? cum novem sint Hierarchiæ cælestis apud Dionysiū ordines? cum novem symbolo contineantur præcipua fidei nostræ mysteria, ad quæ Mosarabes suas illas totidem particulas referunt, *t* quæque hoc ordine recensent; Corporationem, id est, incarnationem; Nativitatem: Circumcisionem: Apparitionem id est, Epiphaniam: Passionem: mortem, Resurrectionem: Gloriam: Regnum? Sed hæc ut donem, non minus quam Latina esse ingeniosa, nova quidem quin sint, & non modo Apostolis, sed etiam eorum posteris ad sequiora usque secula ignota, nemo ut opinor, cordatus dubitabit.

Caput XXV. *p* Micr. de Eccle. obser. c. 17. ibid. p. 741. d. E.

q Dur. de rit. Eccl. l. 2. c. 51 §. 9.

r Goar. not. 163. in miss. Chrys. Euchol. p. 147.

s Id. ibid.

t Offic. mosar. c. 27. T. 6. Bibl. P. B. 114. C.

CAPVT XXV.

Novitas moris Latini panem sacrum communicantibus distribuendum minime frangendi. Id à Domini institutione, ab Apostolica, à sequentis Græca Latinaque, ad duodecimi seculi initia Ecclesiæ more & disciplina alienum. Μερίδες. Partes. Particulæ. Moris tam alieni à Christianismo causa & ratio.

VT autem illa sacri panis nunc apud Latinos solennis fractio præter priscorum Christianorum officia abundat: ita altera quædam

& à

Caput XXV. & à Christo instituta, & ab omni prisca Ecclesia usurpata apud eosdem deest; eaque altera novitas est, quam in eorum Missa notavimus. Dominus quidem, ut est à divinis scriptoribus traditum, acceptum & benedictum panem *fregit ac dedit discipulis*, ita ut eorum nemo integrum panem acceperit; nemo non ex integro defractā sive decerptam partem. Neque negant Latini; quorum alij *Christum duodecim ex pane fecisse partes* aiunt, u *& singulis singulas dedisse*; alij quod eodem redit, *ita panem fregisse dici*, x *ut ex uno pane omnes partem acciperent*; *alij fregisse in totidem particulas, quot erant Apostoli manducaturi*. y Omnibus notum est nihil hodie apud Latinos, simile fieri; in quorum Missa nemo Communicantium fragmentum, vel particulam ex integro pane defractam aut decisam sumit; præter unum illum sacerdotem, qui celebrat, quique quod diximus, hostiam in tres quidem partes frangit, sed quas omnes ipse sumit, duas siccas, tertiam vino sacro immissam & intinctam. Cæteri omnes ceu laïci, ceu Clerici, masculas illas azymas, de quibus supra diximus, seorsum singulas ac per se consistentes veluti totidem panes vel nummos, totas integrasque sumunt. Nulla cernitur, nulla revera fit fractio. Ac tametsi res per se satis perspicua sit, nequis tamen putet illam Latinorum fractionem, de qua diximus, eam ipsam esse quam Christus usurpavit, ecce Bellarminum aliud disertè non modo confitentem, sed etiam rationibus confirmantem; y *Porro fractio* (inquit) *quæ quarta pars est* (Missæ Latinæ scilicet) *sine dubio non habet Dominum autorem. Dominus enim fregit quidem panem, sed fregit vel ante consecrationem, ut multi volunt, vel statim à consecratione, ut distribueret eum discipulis. At nostra fractio fit post consecrationem, multis aliis actionibus interiectis, & non fit ad distribuendum, sed ad certum mysterium significandum.* Et paulo post, z illa Latinę *fractionis cærimonia* negat *videri usum esse Dominum*. Iam hinc satis est quod miremur eos qui se Christi *vicarios & legatos* esse gloriantur, eam fractionem quæ Christum habet autorem, repudiasse, eam vero, qua usus non est, tenere, ab ejus exemplo in re tanti momenti apertissime discedentes. Sed rei miraculum auget, quod ea quæ apud istos jampridem abrogata est, fractio, præter Christi autoritatem, etiam luculentissimo Apostolorum, & priscorum Episcoporum, ac ut breviter dicam, universæ veteris Ecclesiæ usu commendata est. Hæc fractio ævo Apostolico ita solennis erat, ut totam inde Eucharistiæ actionem denominarent; ut ex Lucæ verbis apparet, a quo loco discipulos narrat *in communione & fractione panis perseverasse*, προσκαρτεροῦντας τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. Et alibi, b *Cum convenissemus*, inquit, *ad frangendum panem*; quod utrumque vix quisquam negat esse de Eucharistia accipiendum veterum quidem tantus erat ea de re consensus, ut Syriacæ versionis autor in loco posteriori ipsum *Eucharistiæ* nomen pro *panis*, quod in Græco est, vocabulo ponere non dubitaverit. Neque alio respexit Paulus, quo loco de Eucharistia loquens, c *Panis* (inquit) *quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Sed & ipsos adversarios hic

u Iustinian. in 1. Cor. 11.
x Ianson. Concord. Evang. c. 131.
y Salmer. t. 9. tract. 12.
y Bell. l. 1. de miss. c. 27. §. Porro
z Ibid. § 6. propositio.
a Act. 2. 46.
b Act. 20. 7.

Caput XXV.

hic habemus consentientes. Lorinus Iesuita, in priorem locum ex 2. Actuum capite observat *d hunc ritum & morem primitivæ Ecclesiæ, qua panem unum (inquit) solita erat conficere, atque illum consecratum in tot partes frangere, quot erant communicantes; sicut & Christus in Cœna fecit.* Sic Iustinianus vix ejusdem cum Lorino ordinis, in Pauli locum, *e Olim* (inquit) *quod etiamnum Græci usurpant, ex uno eodemque pane consecrato deliberata particula singulis tribuebantur, ut melius unio & coniunctio cum Christo, atque apertius significaretur.* Sed & hunc à Christo & Apostolis traditum morem ab Ecclesia quæ successit, servatum esse vel ipsum panis qui singulis communicantibus distribuitur, nomen satis superque demonstrat. Quæ enim communicantes è sacra mensa accipiebant, veteres Græci μερίδας vocabant, & ἁγίας μερίδας, *sanctas particulas*; Latini vero *partes*, & *particulas*. Quod stulte falsoque dictum esset, si quod distribuebatur, totum quid fuisset. Sed erant videlicet partes ex pane consecrato fractæ, vel recisæ. A μέρος *pars fit* μερίς. Unde μερίζειν. διανέμειν μερικῶς, *particulatim dividere*, ut est apud Hesychium. Μερίδες κλάσματα. *fragmenta sacri panis.* Augustinus, *f Norunt fideles quemadmodum manducent carnem Christi. Unusquisque accepit suam partem. Unde & ipsa gratia partes dicuntur.* Iam sic ævo Cypriani loquebantur *Quidam alius est ipse maculatus, sacrificio à Sacerdote celebrato, Partem cum cæteris ausus est latenter accipere: g* id est unam ex iis partibus, in quas divisus erat vel fractus panis Eucharisticus. Et ipse Augustinus, *h Nescit nunc se de agni immaculati corpore partem sumere.* Idem, loco nuper ex Beda recitato, de Domino loquens, *i Per partes*, inquit, *manducatur, & manet integer totus. Per partes manducatur in sacramento, & manet integer totus in Cœlo: manet integer totus in corde tuo.* Denique hæc locutio adeo familiaris fuit veteri Latinæ Ecclesiæ, ut re abolita nomen aboleri non potuerit, quod adhuc manet. Nam ut doctissimi Sirmondi verbis utar, *k Oblata licet integra una consecrentur, & integræ singulis erogentur, particularum tamen nomen ex antiqua consuetudine sortitæ sunt*: sed nomen sine re cassum & sui sensus inane: qualiter Latini *Missam* etiam vocant, in qua nulla tamen est *Missa*, id est missio: *exhomologesin*, quæ ejus rei quæ sic antiquis dicebatur, nihil habet: & cætera de genere hoc non pauca: Catachresi ejus simili qua Græci κυνέην vocant, *l* galeam etiam eam quæ est non ex corio canino, sed ex ferro vel ære; *alabastrum* etiam, vas quod ex *vitro*, non ex alabastro; *pyxidem*, quæ ex ebeno est, non ex *buxo*, propter usus utriusque rei similitudinem. Sic & *particulæ* Latinorum *oblatæ* sunt, etiamsi particulæ nullæ sint, sed coronulæ integræ, quia earum usus hodie est, qui particularum olim fuit apud majores. Illæ nunc, ut olim hæ, distribuuntur communicantibus. Sed ut *missæ* etymon indicat in veterum, apud quos missæ nomen natum est, synaxi fuisse *missionem*, etiamsi mirabili quodam abusu etiam *Missa* dicatur, in qua nulla *missio* est; ita *particularum* nomen arguit veteres, apud quos ortum est, sacrum panem divisisse in multa frusta sive fragmenta, quæ singula singulis tradebantur, licet hodie

d Lorin. in Act. 2.

e Iustin. in 1. Cor. 10. 16

f Aug. serm. de verb. Evang. apud Bedam, in 1. Cor. 10. 16. p. 364. init.

g Cypr. l. de lapſ. p. 202.

h Aug. ep. 86. p. 147. col. 1. D. extr.

i Aug. ex Bed. in 1. Cor. 10.

k Sirm. de Az. cap. 4. ex.

l Vide de hujus vocis & similium sensu & ratione. Eust. ad Iliad. Z. p. 421. lin. 6.

CAPVT XXV.

die vulgus, neglecto vocabuli vero sensu, *oblatas* integras eo etiam nomine significare consueverit. Sed præter *donorum*, quæ ex mensa Domini sumuntur, nomen, exstant disertæ Patrum voces liquido affirmantium fractam olim in hoc sacro fuisse Eucharistiam, fractasque ejus particulas communicantibus fuisse à presbytero traditas. Irenæus, m *Quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi.* Scio apud Damascenum ubi hunc Irenæi locum in Parallelis Græce describit, legi ὁ γεγονὼς ἄρτος, * *qui à natura est panis*, non autem ὁ κλώμενος ἄρτος *fractus panis*. Sed Latini interpretis qui *fractum panem* dicit, eo valet autoritas, ut fractam fuisse ejus ævo Eucharistiam probet. Hunc autem interpretem eruditi consentiunt esse antiquissimum, & Irenæi ipsius æqualem, vel certe non multo juniorem Clemens Alexandrinus, *Eucharistiam quidam* (presbyteri scilicet) *cum ut mos est diviserint, permittunt unicuique ex populo partem eius ipsum suam sumere*, τὴν εὐχαριστίαν τινὲς διανείμαντες, ὡς ἔθος, αὐτὸν δὴ ἕκαστον τοῦ λαοῦ λαβεῖν τὴν μοῖραν ἐπιτρέπουσιν. Hoc unum istorum proprium fuisse docet, quod Eucharistiæ particulã non ipsi, ut alij solebant, cõmunicanti in manũ traderent, sed eam unicuique pro sua sibi conscientia ex mensa Domini vel sumendam vel non sumendam permittebãt. Quod vero ait istos primum panem sacrum in multas partes fidelibus distribuendas *dividere*, id eos ex more Ecclesiæ ac cœterorum Pastorum communi publicoque fecisse testatur. Ergo mos vetustissimæ illius Ecclesiæ fuit, ut non alium ex sacra mensa panem quam fractum quisquam acciperet; Latinis nostris è Diametro oppositus, qui nulli suorum Laïcorum, nulli Clericorum non celebrantium, alium quam integrum porrigunt; ac ne hoc quidem, sed in os ipsi infulciunt. Epistola ad Philadelphienses quæ Ignatij nomine circumfertur, ex vulgata editione, o *Vna est caro Domini Iesu, & unus eius sanguis, qui pro nobis effusus est; unus etiam panis pro omnibus confractus, & unus calix totius Ecclesiæ.* μία γὰρ ἐστὶν ἡ σὰρξ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, καὶ ἓν αὐτοῦ τὸ αἷμα τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἐκχυθέν. εἷς καὶ ἄρτος τοῖς πᾶσιν ΕΘΡΥΦΘΗ, καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη. p *Basilius Perinde est, quantũ ad efficaciam sive quis partem unã excipiat à sacerdote, sive plures simul.* ταὐτὸν ἐστι κατὰ τὴν δύναμιν, εἴτε μίαν μερίδα δέξεταί τις παρὰ τοῦ ἱερέως, εἴτε πολλὰς μερίδας ὁμοῦ. Μερίδας dicit *particulas*, quo nomine panis sacri fragmenta in singulos fideles divisa à Græcis vocari nuper est observatum. Chrysostomus in illa Pauli verba, q *Panis quem frangimus; Hoc enim* (inquit) *fieri* (id est corpus frangi) *licet quidem in Eucharistia videre, in cruce autem nequaquam; quinimo contrarium; Os enim, inquit, eius non conteretur, sed quod non est passus in Cruce, hoc in oblatione patitur propter te, & patitur frangi, ut omnes impleat.* τοῦτο γὰρ ἐπὶ μὲν τῆς εὐχαριστίας ἔστιν ἰδεῖν γινόμενον. ἐπὶ δὲ τοῦ σταυροῦ οὐκέτι, ἀλλὰ καὶ τοὐναντίον τούτῳ. ὀστοῦν γὰρ αὐτοῦ, φησὶν, οὐ συντριβήσεται. ἀλλ' ὅπερ οὐκ ἔπαθεν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ, τοῦτο πάσχει ἐπὶ τῆς προσφορᾶς διὰ σὲ, καὶ ἀνέχεται διακλώμενος, ἵνα πάντας ἐμπλήσῃ. Quod Christum dicit *frangi*, id de pane sacro necessario intelligendum est, neque id quisquam

m Iren. l. 5. c. 2. p. 434. C.

* locum è Damasceno Græce exhibet Perron. in oper. de Euchar.

n Clem. Strom. l. 1. p. 271. C.

o Ign. vulg. ep. ad Philad. p. 96.

p Bas. ep. 289. ad Cæs. extr. t. 3. p. 279. D.

q Chrys. hom. 24. in 1. Cor. p. 256. B. C.

quiſquam negat. Chriſtum enim in Euchariſtia etiam multo minus quam in cruce; frangi qui eum in Euchariſtia realiter adeſſe volunt, ipſi confitentur. Ergo panis ſacer Chryſoſtomi ævo frangebatur; & quidem ad id frangebatur, ut omnibus diſtribueretur; ita ſcilicet ut ſuam ex eo partem quiſque communicantium haberet: Hoc enim apertiſſime ſignificant hæc verba; *Patitur frangi, ut omnes impleat.* Id vero de Latinorum altari falſo dixeris, apud quos ſuæ ſingulis hoſtiolæ totæ atque integræ diſpenſantur. Theophilus Alexandrinus, r de *pane Dominico, quo* (inquit) *Salvatoris corpus oſtenditur, & quem frangimus in ſanctificationem noſtri.* Cyrillus Alexandrinus ex Catena Patrum in Matthæum à Poſſino Ieſuita edita, s de Chriſto hoc ſacramentum inſtituente verba faciens; *Simul vero etiam typum nobis dat* (inquit) *prius gratias agendi, atque ita frangendi ac diſtribuendi panis.* ἅμα καὶ ἡμῖν δίδωσι τύπον πρῶτον εὐχαριστεῖν, καὶ οὕτω κλᾷν τὸν ἄρτον καὶ διαδιδόναι. Hic iſtum vides panem poſtquam benedictione conſecratus eſt, omnino *frangendum ac diſtribuendum eſſe docere*; niſi ab exemplari quod Chriſtus nobis propoſuit, diſcedere velimus.

CAPUT XXV.

r Theoph. Paſch. 1. tom. 3. BB.PP. p. 87.D.

s Cat. in matt. 26. 28. Gr.Lat. t.2. p.754.

Theophylactus de Chriſto; t *Cum benedixiſſet* (inquit) *id eſt gratias egiſſet, fregit panem; id quod etiam nos facimus, preces adjungendo.* εὐλογήσας δὲ, ἀντὶ τοῦ εὐχαριστήσας, ἔκλασε τὸν ἄρτον. ὅπερ καὶ ἡμεῖς ποιοῦμεν, εὐχὰς ἐπιλέγοντες Non modo Græcos ſuos frangere ait; ſed Chriſti in eo exemplum ſequendum innuit. Idem in alio opere, de Corinthiis pane ſacro veſcentibus ſeorſum à fratribus; u *Tu edendo* (inquit) *antevertis, neque panem communem* (qui communis multorum eſſe debet) *in medium ponis, neque frangis ipſum, uti detur multis, ſed tibi ipſi retines.* σὺ δὲ προλαμβάνεις ἐσθίων, καὶ οὐδὲ τὸν κοινὸν ἄρτον εἰς τὸ μέσον τίθης, οὐδὲ κλᾷς αὐτὸν ἵνα δῶν πολλοῖς, ἀλλὰ σαυτῷ κατέχεις. Hæc Græci; quibus Latinorum conſentanea ſunt teſtimonia. Vetus Commentarij in Paulum ſcriptor, qui inter Ambroſij opera circumfertur, quique ab Auguſtino ſancti Hilarij nomine citatus noſcitur, x *Nos* (inquit) *de uno pane & de uno calice percipientes, participes ſumus & conſortes corporis Domini.* Idem de Euchariſtia loquens, *Munus*, inquit, *oblatum totius populi ſit* (puto legendum *fit*) *quia in uno pane omnes ſignificantur. Per id enim quod unum ſumus, de uno pane nos ſumere oportet.* Qui de uno pane plures participaſſe dicit, cum ille panem in plura diviſum fuiſſe neceſſario ſignificat. Auguſtinum paulo ante audivimus docentem, *Chriſtum in ſacramento per partes manducari.* Idem alibi, de his Pauli ad Timotheum verbis diſputans, y *Obſecro fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones; Sed eligo* (inquit) z *in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel pœne omnis frequentat Eccleſia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione ſacramentorum, antequam illud quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici, orationes cum benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum COMMINUITUR.* Eo vero in loco, quem attigimus nuper, illa quæ inde recitavimus hæc præceſſerant, a *Manducemus*

t Theophyl. in Matt. 14. p.272.B.

u Theoph. in 1. Cor. 11. 24. p.258.

x Ambr. in 1. Cor 1[illegible] p. 1911. D. ibid. p.1914. A. in 1. Cor. 11.

y 1. Tim. 2. 1.

z Aug. ep. 59. quæſt. 5. p. 114.D.

a Aug. ex Bed. in 1. Cor. 10. ub ſup.

Caput XXV.

Christum, vivit manducatus, quia surrexit occisus; nec quando manducamus, partes de illo facimus; & quidem in sacramento sic fit; & norunt fideles quemadmodum manducent carnem Christi. Unusquisque accipit partem suam, &c. ut supra. Gregorius P.R.I. de hoc mysterio loquens, b *Ibi*, inquit, *Christi corpus, sumitur, eius caro in populi salutem partitur.* Sed toto seculo 7. quo ineunte mortuus est Gregorius, mansisse apud Latinos frangendi panis Eucharistici morem luculentissime testantur Toletanæ decimæsextæ Synodi, a.D.693. habitæ, Patres. Illi enim recitata ex tribus Evangeliis & ex Paulo, Dominicæ Cœnæ historia, c *Quid aliud*, inquiunt, *innuitur, nisi quia panem integrum accipiens, & benedicendo confringens, particulatim unicuique discipulorum sumendum contradicit? quod & nos in postmodum facturos edocuit, haud dubie significans, quod omnis buccella panis, non omnis panis buccella?* Tum interjectis duobus versiculis; *Ac proinde quia & Redemptoris verba testantur, quod panem integrum acceperit, non buccellam, quem post benedictionem confringens, suis particulatim discipulis dederit, & Paulus Apostolus similiter nihilominus narrat, quod panem acceperit, & gratias agens confregerit; nec non & illud, quod Christus de quinque panibus confractis turbam refecerit, quid aliud instituit nos, nisi ut panem integrum sumentes, super altaris eius mensam benedicendum ponamus, non particulam panis, quod caput nostrum nequaquam fecisse perpendimus?* Hæc illi; aperte definientes, primo Christum panem integrum in Eucharistico epulo adhibuisse, hunc benedicentem fregisse, in particulas, quas singulis communicantibus singulas tradidit; secundo id ipsum in Ecclesia suo ævo factitari à Dei ministris rite ex more Christiano hoc sacrum celebrantibus; tertio denique illa Christi actione positam esse suis omnibus postmodum futuris Christianis legem Eucharistæ eodem modo ac more parandæ, frangendæ ac distribuendæ Mansisse morem non modo proximo, sed etiam nono seculo docet Paschasius Ratbertus; * *Sacerdos* (inquit) *invocat. Sed ipse* (Christus) *benedicit & FRANGIT.* Mox; *Hic solus est qui frangit hunc panem, & per manus Ministrorum distribuit credentibus.* Idem; *Immolato Christo per sacramentum decimæ traditionis corpus frangitur ad escam populis, & partitur fidelibus.* Sic & Paschasio paulo junior Ratramnus, sive ut vulgo nominari solet, d Bertramus, cum scribit, *corpus Christi quod agitur in Ecclesia per partes comminutum dispartiri ad sumendum, & dentibus commolitum in corpus trajici.* Huc accedit potens in eam rem argumentum ex illo veteri & per multa secula servato oblationum more, de quo initio diximus. Cum enim panis, ex quo fiebat Eucharistia, ab omnibus fidelibus offerretur, neque credibile sit minutias illas panis, quales sunt nunc Latinorum hostiæ, à quoquam Ecclesiæ fuisse oblatas, fatendum est panes illos majusculos fuisse, qui ex his oblationibus consecrabantur; quales revera sunt Græcorum, Syrorum, & Alexandrinorum, rotundi & in circulos amplos fusi panes, cruce vel crucibus, & Christi monogrammis inscripti, quorum nobis formas exhibent

ectypa

b Greg. l. 4. Dial. c. 58.

c Conc. Tol. 16. c. 6. Tom. 5. Conc. p. 450. col. 2. A.B.

* Pasch. de corp. & S.D. c. 15. R. 1598. D. ibid.

* Id. c. 19. p. 1603 B.

d Ratr. de corp. & sang. Dom.

ectypa à Sirmondo *e* ex veris iconibus expressa & exhibita. Panes autem hujusmodi nemo non intelligit necessario fuisse post consecrationem in plures particulas fractos, vel divisos, quo omnibus communicaturis distribui possent. Sed ne tam quidem illa fractio desiit, cum primum est introductus apud Latinos azymorum usus; quod est à Sirmundo soleter ex Humberto observatum. *f* Nam hic utrumque testatur suo ævo, id est, ultra medium undecimi seculi, & consecrata jam fuisse azyma, & partes tamen confractas adhuc datas fuisse communicantibus. Non repetam quæ de azymis dicit, jam supra suo loco memorata. De fractione non loquitur obscurius; quin & eam servandam allato Christi exemplo probat. *g In panis fractione*, inquit, *& communicatione nonnisi perfectam actionem Missæ debemus accipere; quemadmodum ipsum Dominum legimus, non imperfectam sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse, pane benedicto & mox fracto atque distributo. Non enim benedixit tantum, & reservavit frangendum incrastinum, nec fregit tantum & reposuit, sed fractum statim distribuit. Unde B. Alexander Martyr & Papa V. ab Apostolo Petro, passionem Domini inserens Canoni Missæ, non ait, Hoc quotiescumque feceritis, sed, hæc quotiescumque feceritis, id est, benedixeritis, fregeritis, & distribueritis, in memoriam mei facietis; quia quodlibet horum trium si sine reliquis fiat, scilicet aut benedictio sine fractione, & distributione, aut fractio sine benedictione & distributione, perfectam memoriam Christi non repræsentat, sicut benedictio nulla sine fractione & benedictione.* Ex quo Cardinalis Humberti dicto clarissime consequitur nullam hodie apud Latinos missam fieri, quæ perfectam Christi memoriam repræsentet; cum omnibus desit fractio, plurimis etiam distributio. Sic autem ut ipse censet, Romæ celebratam tum fuisse Eucharistiam diserte idem testatur; *h Sicut*, inquit, *sancta Romana Ecclesia usque nunc observat, panem* (Christus) *integrum benedixit, & fractum singulis particulatim distribuit.* Quantum ab illa Romana Ecclesia mutata est ea quæ se Romanam esse hodie gloriatur? Hæc enim nulli dat quem illa omnibus communicantibus dabat fractum panem. Idem paulo post cum dixisset Ecclesiam Romanam observare eundem sacrificij ritum, quem Hierosolymitana antiquitus servabat; *i Siquidem*, inquit, *tenues oblatas ex simila præparatas integras & sanas sacris altaribus nos quoque superponimus, & ex ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamur.* Vides hujus Humberti ævo, oblatas tametsi jam tenues & azymas, adhuc tamen fractas ex veteri disciplina fuisse, & populo communicatas. Id ipsum ex Lanfranco Humberti συγχρόνῳ discimus; *k Dum*, inquit, *frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur; quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur?* hæc enim verba, non Prosperi (cui illa Gratianus *l* & alia non pauca, vel sceleratissima fraude, vel oscitantia plane pecuina, errore quidem certe immani, tribuit) sed Lanfranci sunt, annis post mortem Prosperi circiter 600. adversus Berengarium scribentis.

CAPUT XXV.

e Sirm. de Az. c. 4. p. 122. 123.

f ib. p. 124.

g Humb. cont. Nicet. t. 4 Bib. P. part 2. p. 246. B.

h Id. cont. Græc. calp. p. 216. B.

i ib. p. 217. A.

k Lanfr. de corp. & sang. Dom. c. 13. p. 240.

l Grat. de consec. d. 2. c. 37.

Caput XXV.

His autem verbis Lanfranus aperte significat suo adhuc tempore & *fractam* fuisse *hostiam*, quæ *à fidelibus* sumebatur, & *fusum de calice in eorum ora* sacrum vinum fuisse. Sane in Ordine Romano, qui liber undecimo illo seculo videtur, ea qua hodie est, forma editus, extat clarissime expressus illius fractionis ritus. Nam cum res ad communionem tum cleri, tum populi parantur, videmus istic *m* quosdam Acolythos ad presbyteros descendere *ut*, inquit, *confringant hostias*, tum duos Subdiaconos regionarios patenam deferre ad Diaconos *ut FRANGANT*. *Presbyteri autem*, inquit, *aspiciunt ad faciem Pontificis, ut eis annuat frangere; & dum innuerit, resalutato Pontifice, CONFRINGUNT; & Archidiaconus vacuato altari oblationibus, respicit in scholam, & annuit eis ut dicant Agnus Dei.* Et statim, *Expleta*, inquit, *confractione Diaconus minor levatam de Subdiacono patenam defert ad sedem, ut communicet Pontifex.* Inde ipsius primo Pontificis, aliorumquè Clericorum; tum deinceps Laïcorum communionem exsequitur. Vnde videre est confractum fuisse primo panem sacrum in multiplices particulas; inde statim communionem peractam fuisse. Sed hæc fractio, cum aliquot primo Paparum decretis, & longa inde consuetudine plane penitusque apud Latinos confirmatū transsubstantiationis dogma prævaluisset, tandē abolita est, quæ à Christianismi primordiis ad undecimū seculum extremū manserat, ut ex Humberto & Lanfranco & Ordine Romano didicimus. Abolitam autem verisimile est duodecimo aut tertiodecimo seculo, eodemque tempore cœpisse minores oblatas, minuti nummi magnitudine, fieri ac consecrari, quæ singulis integræ, ut hodie mos est, erogarentur. Paulo post id tempus accidit, quod Ordinis Romani à Cassandro laudatus interpres, in sua illius libelli expositione, ad l.1. c.16. memorat; *n Audivimus quidem*, inquit, *de modernis aliquos mirari, quod Romanus Ordo præcipiat confringi corpus Domini: Quasi non legerint aut obliti sint, quod in Evangelio scriptum est, Quia accepit Iesus (panem) & benedixit ac fregit deditque discipulis suis, & ait, Accipite & comedite, &c. Et in actibus Apostolorum legitur primitivam Ecclesiam in doctrina Apostolorum unanimiter perseverare, & communicatione FRACTIONIS panis & orationibus vacare. Et ut cæteros Patres transeamus, qui ordinem Ecclesiasticum celebrabant, sicut didicerant ex Evangelicis & Apostolicis institutionibus; ecce habemus utile nimis & probabile quoddam exemplum de gestis B. Gregorij, qualiter corpus Dominicum conficiebatur ex oblationibus fidelium, ut necessario deberet per ministros altaris confringi.* Tum exemplum illud totum ex lib.2. vitæ Gregorij recitat, in quo Gregorius narratur *PARTEM* illam *Dominici corporis*, quam matronæ sumendam obtulerat, quod ea risisset, *super altare deposuisse.* Huic etiam ex recentioribus Latinis assentiuntur Lorinus & Iustinianus Iesuitæ, *o* quos supra audivimus dicentes *olim ex uno eodemque pane consecrato delibatas particulas singulis tributas fuisse.* Neque cœteri, quod sciam, valde repugnant. Hunc autem tam veterem, tam in Ecclesia ab ipsis Christianismi

m Ord. Rom. qualiter miss. celebr. Tom. 10. Bib. P. p 15. E. p. 16. A.

n Expos. ord. Rom. apud Cassand. in Liturg. c.29. p.67.

o Loc. in Act. 2. Iustin. in 1. Cor. 11.

stianismi primordiis sacrum ac religiosè observatum confringendi in multas particulas panis sacri morem non alia de causa Latini antiquarunt, quam illa compulsi formidine, quæ ingens iis ex suscepto transsubstantiationis dogmate oborta est, neque panis, quem ipsi pro vero ac æterno Deo Christo latria adorant, particula aut mica in terram dum frangitur, forte defluens *periret*; ut est diserte ab Alfonso Salmerone famosissimo Iesuita observatum. *p* Neque aliunde factum est, quod azymis in nummulorum formam contractus ac tenuatis, pro solido ac usitato pane, in conficiendo hoc sacramento uti maluerunt. Inde etiam illæ morosissimæ cautelæ profluxerunt veteri retro ante decimum seculum Ecclesia pæne omnes ignotæ, quibus horrendum illum casum vel vitant, vel certe ut difficile est plane cavere ne unquam accidat, procurant atque expiant, si quid aliquando hujusmodi contigerit. Sed hæc infra *q* utiliori ac commodiori loco explicabuntur diligentius. Sed Eucharistiam ex transsubstantiationis studio frangi à Latinis desiisse præter ipsam rerum ac temporum rationem, id etiam nos docet, quod cæteræ Christianorum gentes apud quas nulla publica lege susceptum est Latinum illud dogma, veterem frangendi sacramenti ritum omnes ad hodiernam diem religiose retinent. Iustinianum Iesuitam de Græcis, quorum longe maxima est in Christianismo natio, confitentem audivimus, & res satis superque nota est; cujus clarissimum argumentum nobis sufficiunt illæ ipsæ quarum supra meminimus, à Sirmundo editæ oblatarum Græcanicarum, Syriacarum & Alexandrinarum icones. Æthiopum eundem quoque morem esse compertam est & iis quæ de eorum sacro ab Alvaresio *r* tradita sunt, quæque sunt jamdudum à Cassandro quoque descripta; *in Ecclesiis*, inquit, *faciunt litum, sive placentam, magnam aut parvam pro multitudine gentis, quia omnes communicant, & pro magnitudine faciunt crassum dimidio digito aut integro, aut etiam crassius magno digito.* Vbi ad communionem ventum est; *sacerdos sacramentum panis in manibus accipiens partitur per medium, ex summitate partis paululum detrahit, quam particulam pro se accipit.* Tum *Diaconus sacramentum ex lance sumens, manuque dextra tenens MINVTIM distribuit*; Clericis, ut videtur in sanctuario consistentibus. Denique *eodem*, inquit, *modo datur communio illis qui stant ante primam cortinam, & aliis qui stant ante alteram cortinam; postea secularibus qui stant iuxta portam principalem, tam viris quam mulieribus.*

p Salm. tract. 15. in Actu.

q inf. lib. 7. c. 25.

r Alv. viaggi d'Ithiop. c. 11.

s Cass. in Lit. c. 11. p. 28.

a CAPVT XXV.

CAPVT

Caput XXVI.

CAPUT XXVI.

Alia Latinorum novitas; qui plures oblatas, sive hostiolas offerunt, cum veteres unum duntaxat in singulis synaxibus panem offerrent, cuius fracti particula communicantibus singula singulis distribuebantur. Priscus mos primo ex Evangelistis & Paulo confirmatur. Pauli locus 1. Cor. 10. 17. explicatur, & ab Estij absurdis cavillationibus vindicatur. Companis, & companio. *Idem mos constituitur 2. veterum testimoniis Pseud-Ignatij, Pseud-Ambrosij, Pseud-Areopagita, Concilij Toletani XVI. Liturgia Basilij, Durantis, Honorij Augustodunensis, 3. ex hodierno usu Ecclesia Æthiopica, & Graca; illius, ex Alvaresij, huius, ex Metrophanis testimonio.*

EX his aliud Latinorum à veteribus hac in parte discrimen necessario exortum esse, animadvertere licet. Veteres enim unum numero totum & integrum panem in mensa Domini consecrabant, cujus in multas particulas à Sacerdote fracti suam singuli communicantes sumebant; non obscuro neque sane absurdo aut ineleganti documento, qui sumebant, eos tametsi inter se cætera diversos, unum tamen esse in Christo corpus; qualiter scilicet illæ particulæ, quanquam inter se divisæ, unus tamen re vera idemque panis erant, è quo omnes decerptæ defractæ-ve erant. Hoc suavissimum nostræ in Christo unitatis mysterium, quod omnis spirat Eucharistia, totum hac quidem in parte apud Latinos delevit atque obliteravit azymarum oblatarum usus; quæ, ut notum est, nullius rei sunt totius atque integræ partes, sed totidem jam à sua origine per se extantia corpuscula, nulla cum fierent ac efformarentur unione inter se cohærentia.

Veteres vero Christianos ex eorum libris intelligimus unam olim, ut diximus, panis massam in mensa Dominica obtulisse, cujus totidem fierent particulæ, quot communicantibus distribuendas esse in unaquaque Synaxi judicabant; adeo ut ea uno eodemque pane participare vere dici possent quotquot fideles apud unam mensam communicabant. Principio Dominum eis exemplo suo ad hunc usum præivisse in Evangeliis & Paulo videmus, Christum enim plures panes vel fregisse, vel discipulis distribuisse nuspiam legimus: Vnum benedixisse, unum fregisse: unius in plures buccellas fracti ac divisi suam singulis dedisse omnia suadent, neque quemquam aliud vel priscorum, vel recentiorum tradidisse memini. Huc Pauli accedit disertum de sui ævi Christianis
1. Cor. 10. 17. testimonium: *Quoniam* (inquit) *unus panis, multi unum corpus sumus: Omnes enim ex uno pane participamus.* Hic Apostolus ex panis, quem

commu-

communicantes apud unam mensam. Simul sumebant, unitate, ipsorum in Christo unitatem argumentatur ac commendat; *Quoniam*, inquit, vel *quia unus panis est* (quem scilicet ex una Domini mensa omnes nullo discrimine, quoties communicabant, unum eundemque accipiebant) ideo & nos ipsos unum in Christo corpus esse, tametsi multi alioquin homines simus, hoc ipso intelligitur. Nam in primis verbis, *quoniam unus panis*, per ellipsin familiarem & passim apud Græcos obviam deest verbum substantivum *est*, ex proximo verbo *sumus* repetendum ac supplendum, & panis (inquit) quem sumimus, unus, & nos qui sumimus, unum sumus. Et ille & nos, utrique unum sumus; ille unus panis: nos unum corpus. Id ipsum Apostolus verbis sequentibus docet, dum argumentum evolvens atque explicans hanc addit, ejus rei, quam dixerat, rationem; *Omnes enim* (inquit) *ex uno pane participamus*. Hæc Apostoli ratiocinatio est; Qui ex uno pane participant, eos unum inter se corpus, unam societatem esse, & censeri par est: Nos quotquot sumus Christiani qui ad mensam Dominicam accumbimus, ex uno eodemque pane participamus (unus enim omnibus sacræ Cœnæ convivis panis sumendus apponitur) Nos ergo omnes, tametsi numero discreti, plures homines simus, unum tamen corpus, unam Christi Domini societatem & censeri & revera esse decet. Græca in hunc sensum clara sunt; ὅτι εἷς ἄρτος ἓν σῶμα, οἱ πολλοί ἐσμεν. οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν. Neque Latina aliud significant, tametsi nonnihil à Græcis discedant. *Quoniam unus panis: unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus.* Pauli mentem Syrus egregie expressit; *Quemadmodum igitur* (inquit) *unus est panis ille: ita & nos omnes unum sumus corpus: siquidem nos omnes ex uno illo pane accipimus.* Sic etiam Arabs; *Quoniam igitur panis unus est, nos etiam multi unum corpus sumus: quia nos omnes ex uno illo pane sumimus.* Quibus Æthiopica quoque versio congruit. *Quemadmodum unus panis eius: sic unum corpus nos sumus: quia omnes nos ex uno pane accipimus.* Ut particulæ quæ sumuntur, tametsi multæ sint. Singulæq; à singulis diversæ, sunt tamen revera unus ille, idemque panis, cujus multifariam fracti particulæ sunt: ita & nos, tametsi multi numero, forma, nomine & cæteris hujusmodi distincti homines simus, unum tamen idemque Christi illius corpus sumus, è quo ducti quodamque modo decerpti Christiani sumus. Non procedit Apostoli, acuta certe ac præclara ratiocinatio, nisi id quod non est obscurum, constituamus unius panis, non plurium, particulas ex mensa Dominica, quoties apud eam Synaxis fiebat, distribui apud primos illos Christianos solenne fuisse. Cum vero ait Apostolus, *omnes de uno pane participamus*, signum *omnes* non est vexandum, quasi omnes Christianos, qui unquam aut uspiam sunt, vel fuerunt, de pane illo, quem unum fuisse dicit Paulus, participare intelligendi essent (quod longe absurdissimum ac stultissimum deliramentum nonnullis Latinorum suggessit nimium transsubstantiationis suæ studium)

Caput XXVI.

dium Enimvero vocula *OMNES* ad rem subjectam ita exigenda, atque restringenda est, ut omnes intelligantur fideles ad unam mensam accedentes: omnes unius ejusdemque mensæ ac Synaxeos convivæ, ut hunc locum optime explicat doctissimus Hugo Grotius: Omnes (inquit) *Nempe qui eidem mensæ sacræ pariter accumbimus, & unam facimus φρατρίαν, quæ φρατρία totius Ecclesiæ gerit imaginem.* Est enim etiam in seculo, convictus & unius panis esus unionis & societatis & in unum corpus (ut sic dicam) *coalitionis* tessera. Ad hanc ipsam rem eruditorum Phœnix Salmasius noster egregie, ut cætera, observat *companis vel companionis vocabulum pro socio mille ab hinc annorum Latinitatem recepisse:* quam observationem firmant quæ eodem adhuc sensu in Francica nostra lingua manent *compagnonis* pro *socio*, & *compagnia* pro societate voces. Idem quoque huc refert, quod sic etiam Græci, *eos συσσίτους dicerent, qui eodem convictu consociarentur, eodem pane, eademque mensa uterentur;* quos ex Aristotele docet *à Charonda ὁμοσιπύους vocatos esse,* id est inquit, *eodem pane vescentes; σιπύην enim esse vas, in quo panis reponitur, eamque Grammaticos ἀρτοθήκην interpretari. Sic & Epimenidem eosdem ὁμοκάπους* eodem sensu, *vocasse, ab equis ducta metaphora, qui ex eodem præsepi hordeum comedunt. Antiquo enim Græco vocabulo κάπην esse præsepe; à verbo κάπτειν quod est comedere; unde καπτὰ equorum pabula.* Ex hac ergo vetustissima, & apud Græcos *notissima* convictus ex eodem pane significatione ductus fuit ille priscorum Christianorum sacer usus ex eodem pane ad eandem Domini mensam convescendi; quem Apostolus suis Corinthiis revocat in mentem, ad rem quam ibi agit, ita appositum, ut nihil dici potuerit appositius. Frustra hic Estius sui Latinismi studio abreptus turbat, dum hunc quem Paulus dicit *panem*, negat de singulis particulis intelligendum, quas singuli fideles sumebant apud unam eandemque mensam, ex qua simul in eadem synaxi communicabant; pertendens de vno Christi corpore per eas significato & communicato simpliciter hunc panem esse capiendum. Planum enim est ex tota Apostoli oratione *panem*, quem hic dicit, illum ipsum esse, quem *frangi* versiculo superiore dixerat. At, qui apud mensam *frangitur*, is ipse est, qui vnicuique hic vel illuc apud mensam distribuitur, panis. Neque ipsi credo Latini *oblatas*, siue hostiolas suas, tametsi in iis Christum vnum & eundem latere velint, ideo vnam & eandem numero esse oblatam, vel hostiolam dixerint. Si hunc igitur Estius *panem* de quo Apostolus, velit vnum esse & eundem numero panem: illud quoque statuat necesse est, quod delirum & insanum esse nemo negauerit, velle scilicet Apostolum omnes quotquot tum erant, imo & quotquot futuri erant vbique gentium fideles, eos ex iisdem illis particulis & participasse olim, & etiamnum participare, quæ illo tempore Corinthi apud mensam sacram ex vno pane fractæ distribuebantur illius æui fidelibus. Quod si hoc dicere refugiat necessario nobis concedere debebit Apostolum per *omnes*, qui de vno pane participant intelligere omnes omnis æui ac loci cõmunicantes fideles

Grot. in 1. Cor. 10. 17.

Salmas in iudic. de libr. Grot. post. sub nom. Simpl. ver. p. 95.

Est in 1. Cor. 10. 17.

deles, sed eos duntaxat omnes, qui ad vnam candemque mensam conuenientes vna simul sacramentum eodem tempore ac loco sumunt. Sed Paulus (inquit) seipsum includit cum iis, qui de pane illo sacro Corinthi participabant; dicit enim, *de vno pane participamus*; nos scilicet, quorum vnus Paulus fuit. Sed ille, dum sic agit, nodum in scirpo quærit. Quis enim non intelligit Paulum more suo, de quibusvis Christianis in prima persona plurali sic loqui, quia ipse eorum vnus erat. Jam ergo quod ait *participamus*, idem est ac si dixisset, Christiani fideles sacræ cœnæ communicantes (de iis enim Paulum præcise vt sacræ mensæ communicantibus, loqui manifestum est) *OMNES de vno pane prrticipant*, Hoc sensu qui clarus est, vult Apostolus fideles, quotquot in sua synaxi sacram cœnam vna celebrant, *ex vno pane participare*; omnes scilicet qui Corinthi, pane qui in ea synaxi cui intersunt erat consecratus; De Romæ, de Ephesi, de alibi communicantibus idem puta. Hæc Apostoli vera mens; quam supra verbis doctissimi viri Grotij exposuimus. Vt Paulus cum versu superiore dicebat. *Panis quem frangimus*, eum intelligit, quem quotquot sunt Domini Ministri in sacra synaxi, *in sua scilicet singuli* frangunt; quorum collegio se includit, quod eorum ipse quoque unus esset. Ita & hic dum dicit, *omnes nos, qui participamus de uno pane*, eum panem intelligit ex quo quotquot sunt Christiani, in sacra cœna apud suam quisque mensam & synaxin participant. Nimirum nulla tum erat apud Christianos mensa sacra, ex qua unus de hoc, alius de alio pane participaret. Vt una erat mensa, ita & unus in ea panis. Sed & ex eo quod Paulus hic dicit de signo, rem ipsam non inepte colligi confiteor; nempe omnes omnino cujusvis loci ac temporis fideles una numero Christi carne, uno sanguine vesci nutririque; sed spiritu quia in vitam æternam. Singularum enim Ecclesiarum unaquæque synaxis sive collecta *totius Ecclesiæ imaginem gerit*; ut aiebat nuper Grotius, Quod ergo unius collectæ fideles de uno pane symbolico participantes in unam singularem, sive particularem Ecclesiam coëunt ac consociantur; eo ipso apertissime significatur omnes qui sunt aut fuerunt fideles una Christi carne, quæ per panem sacramentalem repræsentatur, vescentes, in unam Ecclesiam universalem, unumque adeo in Domino corpus uniri ac consociari.

Atque ita Pauli locum cepisse veteres, & eum quem ille significat celebrandæ ex uno pane Eucharistæ, usum servasse, ex ipsorum dictis apparet. Qui Ignatij assumpto nomine epistolam ad Ephesios jam ante Eusebij ævum, id est ante à D. 300. scripsit; cum quædam ad perseverantiam necessaria illi Ecclesiæ commendasset, conuentus sacros, Præpositorum reverentiam, & obedientiam, fidei vnitatem, postremo hoc etiam addit. *VNVM panem frangentes* ἕνα ἄρτον κλῶντες. Quo & illa ejusdem scriptoris ad Philadelphienses pertinent, quæ superiori capite jam descripsimus; *Vna est caro Domini Iesu, & unus ejus sanguis, qui pro nobis effusus est; VNVS etiam panis pro omnibus confractus, & unus calix* Ignat. ep. ad Eph. Id. p. 96.

Caput XXVI.

totius Ecclesiæ. Editio vetustior, & Græca & Latina, de uno pane tacent, fateor; sed calicem, cujus eadem est, quæ panis ratio, utraque VNVM diserte memorat; *Studete* (inquit) *una Eucharistia uti*; *Vna enim est caro Domini nostri Iesu Christi, & unus calix, in unionem sanguinis ipsius; unum altare, sicut unus Episcopus.* Vnitatem calicis liquido adstruit *altaris & Episcopi* unitas; Panis vero Eucharistici unitatem constituit asserta calicis unitas.

Ead. ep. ex cod. Medic. edit. Vss. p. 8

Ambr. in 1. Cor 10.17. p. 1911. D.

Hilarius, qui sub Ambrosij nomine circumfertur *in 1. Cor. 10.17. Sicut nos de uno pane & de uno calice percipientes, participes sumus & consortes corporis Domini; ita & qui edunt hostias, participes sunt altaris erroris.* Idem in eodem opere; *Munus oblatum totius populi sit; quia in uno pane omnes significantur. Per id enim quod unum sumus, de VNO pane nos sumere oportet.* Quo loco rationem aperit, cur Eucharistiæ panem oporteat esse unum, ab unitate fidelium in Christo petitam; quæ panis ex eadem mensa sumti, unitate significatur. Cum enim panis ille, etiam Ecclesiæ eo vescentis symbolum & imago sit; ut hæc una est, ita & illum unum esse decet.

Id. ibid. in c. 11. p. 1915. A.

Eodem recidit, tametsi paulo aliter expressa hujus rei ratio, quam Chrysostomus ad locum Apostoli attulit: *Non enim ex alio corpore tu; ex alio vero ille nutritur; sed ex eodem omnes; & ideo subiunxit* (Apostolus scilicet) *Omnes enim ex eodem pane*, &c. οὐ γὰρ ἐξ ἑτέρου μὲν σώματος σὺ, ἐξ ἑτέρου δὲ ἐκεῖνος τρέφεται, ἀλλ' ἐκ τοῦ αὐτοῦ πάντες· διὸ καὶ ἐπήγαγε, κ.τ.λ. Nempe hoc ille vult; Panem, quo apud sacram mensam omnes vescimur, unum eundemque esse; quia & Christi corpus, verus fidelium cibus, cujus ipse panis sacramentum est, unum idemque est, non aliud atque aliud.

Chrys. in 1. Cor. Hom. 24. p. 256. D.

Dionysius vero Pseudareopagita panem illum, qui frangebatur in sacra mensa, & ex quo communicantes omnes participabant, disertissime unum & eundem panem fuisse dicit; *Divinissima* (inquit) *unius ejusdemque cum panis, tum calicis, communis ac pacifica participatio divinam iis morum conformitatem, tanquam simul enutritis, præscribit.* ἡ δὲ θεοπαράδοτος τοῦ ἑνὸς καὶ ταὐτοῦ καὶ ἄρτου καὶ ποτηρίου κοινὴ καὶ εἰρηναία μετάδοσις, ὁμοτροπίαν αὐτοῖς ἔνθεον, ὡς ὁμοτρόφοις, νομοθετεῖ. Nihil potest dici clarius. Sed & idem infra docet apertissime cum de Episcopo panem sacrum frangente verba faciens; *Opertum* (inquit) *& individuum panem revelans, & in multa dividens, atque unicum*, sive *singulare, poculum omnibus impertiens, unitatē symbolice multiplicat & distribuit.* τὸν ἐγκεκαλυμμένον καὶ ἀδιαίρετον ἄρτον ἀνακαλύψας καὶ εἰς πολλὰ διελὼν, καὶ τὸ ἑνιαῖον τοῦ ποτηρίου πᾶσι καταμερίσας, συμβολικῶς τὴν ἑνότητα πληθύνει καὶ διανέμει. Panem, quem indivisum, antequam *in plura* (id est in plures particulas) divideretur, fuisse dicit, unum necessario primum fuisse omnes vident. Nam si iam tum plures panes fuissent; ij certe jam tum inter se diuisi erant. Sed neque si aliter esset, illud vere adfirmare potuisset, quod subjungit, Episcopum dum panem frangit, & poculum omnibus impertitur, *unitatem multiplicare,*

Dion. Areop. Hier. Eccl. c. 3. in theor. §. 1. p. 244.

Id. ibid. §. 12. p. 258. D.

&

& dividere symbolice. Hoc enim nihil aliud est, quam ex eo pane, qui unus est, multas particulas facere, & ex eo poculo, quod unum est, vinum multis impertiri. Eodem quoque pertinet, quod paulo post iterum dicit Episcopum *sacrorum munerum* (id est panis & vini) *unitatem dividere* τὸ ἑνιαῖον αὐτῶν (δώρων) εἰς πολλὰ διαιρεῖ. Nullum ergo dubium est, quin quo tempore hæc scripsit ille Pseudareopagita (videtur autem scripsisse vel ineunte quinto, vel certe exeunte quarto seculo) mos Ecclesiæ communis fuerit unum tantum panem in singulis synaxibus proponere, & in plures particulas divisum singulis distribuere. CAPUT XXVI. Ibid § 13. p. 259. D.

Sed & apud Latinos eundem etiam seculo septimo usum obtinuisse indicat Toletanorum Patrum illa iam nuper à nobis commemorata lex a D 693. lata. *Ne aliter panis in altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat.* Vnum panem, qui proponebatur, fuisse eo significant, quod eum *integrum* : quod *oblatam modicam* vocant. Ex his patet, quis sit horum in Basilij Liturgia verborum sensus : *Nos omnes* (inquit Sacerdos secrete orans) *qui ex uno pane & calice participamus, uni invicem ad unius Spiritus Sancti communionem* ἡμᾶς δὲ πάντας τοὺς ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου μετέχοντας ἑνῶσαι ἀλλήλοις κ. τ. ἑ. Optant scilicet rem signo respondere, ac ut unius omnes panis, uniusque poculi in Synaxi participes erant: ita & per unius Spiritus S. gratiam inter se uniri, unumque quodammodo panem fieri. Concil. Tolet 16. c. 6. T. 5. Conc. p. 430. C. Lit. Basil. T. 2. Bibl p Gr. L. p. 52. D.

Durantes Mimatensis eadem de veteris Ecclesiæ usu sensisse eo arguitur, quod cum dixisset *in primitiva Ecclesia omnes, qui celebrationi Missarum intererant, singulis diebus communicare solitos*, statim subjungit, *Offerebant enim magnum panem & omnibus sufficientem: quod adhuc Græci servare* (inquit) *dicuntur.* At si plures allati essent, ad hoc, ut omnes communicarent, nihil necesse fuisset, aliquem ex oblatis magnum fieri. Eadem sensisse Honorium Augustodunensem inde intelligimus, quod in eodem argumento versans, contracti sequentibus seculis ad angustum denarij modum panis Eucharistici hanc rationem adfert: *Quia* (inquit *populo non communicante non erat necesse panem tam magnum fieri, statutum est eum in modum denarij formari.* Sane quæ nuper diximus publice à Sirmondo exhibita panis Eucharistici ectypa, qui qualisque in Græcorum, Syrorum, & Alexandrinorum Ecclesiis consecrabatur: ea satis amplam ejus formam fuisse indicant. His ne Bellarminum quidem ipsum admodum repugnaturum fuisse, verisimile est. qui non modo concedit, verum etiam vehementer alicubi contendit unum duntaxat apud veteres fuisse olim consecratum calicem, neque alios, quam qui ex eo bibebant, vini sacri, sive (ut ille loquitur) sanguinis Dominici fuisse participes. Cum enim eadem sit hactenus quidem utriusque speciei ratio, qui veteres poculum unum in synaxi obtulisse confitetur, nulla ratio est, cur idem Durant. Ration. Off L. 4. c. 53 fol. 124. co. 1. Honor. Gemm. An: T. 10 Bibl. Patr. p. 1199. A. 1. L. 1. c. 66. Bell. L. 4. de Miss. c. 2; 5. Ord. Romanus.

CAPVT XXVI.

neget unum quoque ab iisdem in singulis sacris oblatum fuisse panem, non plures.

Sed ejusdem moris antiquitas inde etiam postremo perspicitur, quod eum ad hodiernum diem retinent antiquissimæ Græcorum & Æthiopum Ecclesię. Apud hos unum panem in synaxi consecrari ostendit nuper à nobis ex Cassandro descriptus Alvarezij de iis locus: *In Ecclesiis faciunt libum magnum, aut parvum pro multitudine gentis, quia omnes communicant.* Quod enim ad communicantium vel multitudinem vel paucitatem sui libi modum admetiuntur, id apertissime nos docet non aliunde quam ex eo uno libo omnes, quotquot communicant, suam quemque particulam percepisse.

Apud Græcos vero etiam hodie perseverare eum morem, quem iis Durantes jam ante annos pæne quadringentos tribuebat, ipsi locupletissimi sunt testes. Metrophanes Critopulus, qui nostra memoria Alexandrinus Patriarcha fuit: *Vnus* (inquit) *panis assumitur in Eucharistia, non multi; quia unus est Christus, non multi. Deinde, quia communio est Christi & hominum. Communio autem est, cum multi unum participant. Unum dico ratione quantitatis* (id est muneri) *non ratione qualitatis.* εἷς δὲ ἄρτος παραλαμβάνεται ἐν τῇ εὐχαριστίᾳ, καὶ οὐ πολλοὶ· ὅτι εἷς ἐστιν ὁ χριστὸς καὶ οὐ πολλοί. ἔπειτα ὅτι κοινωνία Χριστοῦ καὶ ἀνθρώπων. Κοινωνία δὲ ἐστι πολλοὺς κοινωνεῖν ἑνός. ἑνὸς λέγω κατὰ τὸ ποσὸν. οὐ κατὰ τὸ ποιόν. Tum Pauli locum describit, *Panis quem frangimus &c. quoniam unus panis, unum corpus multi sumus:* eumque locum de panis sacramentalis in singulis synaxibus unitate interpretatur: perinde, ut ii quos supra recensuimus eum locum enarrantes. Nimirum quod Christus unus sit, non plures: ideo panem, qui in unaquaq; Synaxi Christi sacramentum atque imago est, unum quoque esse debere, ipse cum suis Græcis consentaneum esse putat. Eadem quoque ratione Metrophanes in sequentibus constituit unum in una Ecclesia altare esse debere, itidemque unam uno die apud unum altare Synaxin fieri debere: *eo quod Christus* (inquit) *unus sit verus & summus angularis lapis, & quoniam crucifixus est in mundo, non sæpe, sed semel per omne ævum. Vt ergo* illic *unam quamque diem totius ævi, unum quodque vero templum totius mundi imagines esse* dicit, ita & hic *unumquemque* Eucharistiæ in singulis synaxibus *panem Dominici corporis, unamquamque collectam totius Ecclesiæ* imagines esse vult, ac ut loquuntur, supponit. Vnde patet hunc cum Græcis suis Pauli 1. Cor. 10. 17. plane eo ipso sensu explicare, quo nos supra intelligendum esse demonstravimus, & ex quo Estianam ad eum sophisticem refutavimus. Sed hæc de his satis sunt. Nunc ad cætera pergamus.

Metroph. Critop. Confess. Eccl. Orient. c. 9. p. 97.

Ibid. p. 102.

CAPVT

Caput XXVII.

CAPUT XXVII.

Novum & absurdum esse intingendi sacri panis morem, inauditum primis seculis. Dionysij de Serapione locus. Is mos ubi erupit, statim repressus & vetitus à Synodo Bracarensi. Proximis ante X. seculum temporibus concessus; sed non aliis quam graviter infirmis. Mox in totam Ecclesiam se effudit seculo XI. tandem plane prohibitus ab Vrbano; & Paschali sic tamen ut semper manserit uniuse particulis tribus sacerdotalibus intinctio.

Tertius ritus superest, quo Eucharistiæ præter Christi institutum & veteris Ecclesiæ morem trifariam fractæ una particula in calicem à sacerdote celebrante immittitur, & vino sacro intingitur. Hunc autem usum plane peregrinum esse, & à Christi mente, & sacramenti ipsius ingenio alienum, ac diu denique Ecclesiæ ignotum, neque nisi sero receptum esse, nunc demonstrandum est.

Dominum Christum Evangelistæ & Paulus narrant panem benedictum & fractum discipulis distribuisse: aliquam ex fracto particulam in calicem immisisse nemo refert. Quin & aliud cum apertissime instituisse clarum est, dum panem seorsum, & calicem seorsum porrexit: dum edere quem dabat, panem: bibere quem propinabat, calicem jussit, nullam panis particulam bibere vel sorbere præcepit. Qui enim vino tinctus, maceratus & immersus hauritur panis, ille vero non *editur*, sed bibitur aut sorbetur. Itaque hoc quod Latinus sacerdos facit, dum panem in calicem immissum haurit, non modo ab institutione Domini alienum est, sed etiam disertissimo ejus præcepto repugnat, panis quicquid fuit in Eucharistia, *edere* suos, non *bibere* aut sorbere jubentis. Omnino videtur Latinus sacerdos illam, Christi edere panem benedictum, bibere vinum sacrum præcipientis simplicitatem fastidivisse, & aliquid singulare, quo mysterium esset augustius comminisci voluisse: ut scilicet panem & vinum uno eodemque actu simul semelque utrumque vel *ederet*, si placet, vel certe *biberet*. Huc & aliud accedit, quod illud quantumlibet ingeniosum ac subtile inventum, Christi in hoc sacramento mentem ac consilium manifeste pervertit: quo ut in mortis ejus memoriam instituto corpus Dominicum repræsentari decet, non vivum, sed mortuum, ut in cruce immolatum: hinc quidem ejus carnem vulneribus conscissam, exanimem & exsanguem: illinc sanguinem venis haustum, ac effusum. Id enim præter ipsum mysterij finem à Christo & Paulo diserte expressum, hunc scilicet ut in mortis Dominicæ memoriam ista faciamus, clarissime docent verba à Christo panem & calicem distribuente prolata, *t Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur*; &, quod eodem

t 1. Cor. XI. 24. Luc. 22. 19. Marc. 14. 24.

Caput XXVII.

eodem redit, *quod pro vobis datur* (*dare* enim in hoc argumento, est *ad mortem dare*, ut ex aliis similibus locis patet in quibus occurrit eadem phrasis u) *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Hoc vero pane corporis, vino sanguinis symbolis à se invicem sejunctis seorsumque constitutis egregie nobis ob oculos ponitur divisio animæ à corpore, adeoque mors Domini: contra vero immissus in calicem panis, corpus vitæ redditum, & suo ut sic dicam, sanguine in venas recepto animatum figurat, quod quam sit absurdum, quamque manifestæ Domini in hoc sacro intentioni contrarium omnes vident. Neque sane post Apostolos ullum in sequenti ad an. D. 500. Ecclesia, intinctæ Eucharistiæ in solenni quidem ac legitima Synaxi exemplum occurrit. Fateor Dionysium Alexandrinum apud Eusebium, x narrare unum de suis presbyteris puero, cui particulam sacram Serapioni pœnitenti in supremis versanti deferendam tradebat, præcepisse ut eam vino maceratam seni daret, quo eam glutire posset, idque vinum videri sacrum ipsum quoque fuisse. Sed illam intinctionem summa necessitas extorsit. Cum enim Serapionem omnes corporis vires ita defecissent, ut nulla spes esset eum porrectum panem comedere posse, presbyter judicavit esse consultius eâ arte mollitam particulam ei præberi, quam hominem ad pacem Ecclesiæ anhelantem sine hac consolatione dimittere. Res ergo plane extraordinaria fuit, cujus unum hoc est in omni illa antiquitate exemplum, adeoque hujusmodi à quo nulla est ad Latinorum ritum ratio, qui valentes sponte, nulla necessitate particulam illam quam diximus, in calicem immittunt, idque non semel aut raro, sed quotidie in omni Missa usurpant. Hoc vero nusquam vel ex more Ecclesiæ, vel etiam præter eum ab ullis Christianis factitatum fuisse reperimus totis pæne septem prioribus Evangelicæ religionis seculis. Goar quidem scribit y Ilerdense Concilium, quod a. D. 524. habitum est, *prohibuisse intinctum panem in communione praberi.* Sed vereor ne doctissimum virum sua memoria fefellerit. Nihil enim ea de re in illius Synodi Canonibus habetur. Ille fortasse *Ilerdense* pro *Bracarensi* scripsit, facili memoriæ lapsu, ideo quod utraque Synodus apud Hispaniam celebrata est. Septimi enim demum seculi a. 75. intinctionis mentio occurrit in Synodo Bracarensi 3. quæ eam adeo non probavit, ut etiam diserte damnarit, gravissimisque rationibus è Scriptura petitis, veluti ab institutione Dominica alienam confutavit atque explosit. Cum enim inter cæteras corruptelas, quas nonnulli in Eucharistiæ celebrationem illis temporibus induxerant, quosdam *audivissent intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis* (id est ad complendam perficiendamque communionem) *porrigere*; eum usum ipsi veluti perversum & verbo divino repugnantem repudiant. z *Hoc*, inquiunt, *prolatum ex Evangelio testimonium non recipit, ubi* (Christus) *Apostolis Corpus suum & sanguinem commendavit. Seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum prabuisse*

u Gal. 1.4. Tit. 2.14. Ioan. 3. 16. & 6.51.

x Euseb. Hist. l. 6. c. 44. p. 246.

y Gaor. not. 179. in miss. Chrys. p. 153. Euchol.

z Conc. Bracar 3. Can. 1. T. 4. Conc. p. 332, 333.

præbuisse non legimus, excepto tantum illo discipulo, quem intincta buccella Magistri proditorem ostenderet, non quæ sacramenti huius institutionem signaret. Scio hunc Canonem à Gratiano in jus Latinorum totidem verbis esse relatum; *a* & quidem in Iulij vetustissimi Romanæ Ecclesiæ Episcopi nomen transcriptum, quam ad rem Burchardus. *b* Ivo, *c* & alij decretorum Ecclesiasticorum collectores præiverant, qui canonem omnes Iulio tribuerant. Quo magis mirandum est Latinos, quem morem à viro inter suos Pontifices laudatissimo explosum sibi persuadent, in usum recepisse, quotidieque summa cum religione in omnibus suis Missis servare. Neque enim quisquam puto, istos eo satis purgatos existimabit, quod non *populis*, quod Canon vetat, sed sacerdoti celebranti intinctum panem permittunt. Apparet enim in illo Canone quamlibet sacri panis intinctionem damnari, & quidem ratione optima, à Domini institutione petita, cujus exemplum panem intinctum non magis sacerdoti, quam cæteris communicantibus porrigendum præscribit. Mihi vero rem diligentius expendenti non videtur Iulius huius Canonis autor fuisse. Primo, quod ex omni Scriptorum, qui plurimi vel Iulianis, vel proximis temporibus floruerunt, nemo est qui huius ritus meminerit, à Patribus vel damnati, vel laudati, vel certe tolerati, cum tamen commemorandus omnino fuisse videatur, siquis tum apud nostros extitisset, propter rei cum peregrinitatem ab Evangelio plane alienæ, tum novitatem superioribus seculis retro ignotæ. Huc accedit Patrum Bracarentium de Iulio in hoc edendo Canone silentium; quem si verum ejus autorem scivissent, erant profecto hoc loco nominaturi, tantique viri autoritate sententiam suam confirmaturi, vel saltem adjecturi, id quod ipsi repudiant, non tantum divinis Scripturis repugnare, sed esse etiam Ecclesiasticis Canonibus jampridem vetitum. Neutrum fecerunt; Ergo hic non Iulij, aut alterius cujusquam vetustioris legem aut verba usurpant, sed contra suis exortam temporibus corruptelam suis verbis id decernunt, quod ex Scripturis justum ac legitimum videbatur. Sed corruptelam, sive Bracarensium, sive Iulij, ut postea creditum est, autoritas & è Scripturis ducta ratio, tametsi in præsens, ut videtur, represserit, ita tamen coercere non potuit, ut non postea apud Latinos iterum atque iterum eruperit. Ac primum quidem satis honesta necessitatis specie à Turonensi quodam Concilio, cujus tempus nescitur, revocata est in usum; sed non aliorum quam infirmorum. Extat apud Burchardum ex capite hujus Synodi quarto his verbis descripta lex; *d* *Ut omnis Presbyter habeat pyxidem aut vas tanto sacramento dignum, ubi corpus Dominicum diligenter recondatur ad viaticum recedentibus seculo. Quæ tantum sacra oblatio intincta esse debet in sanguine Christi, ut veraciter Presbyter possit dicere infirmo, Corpus & sanguis Domini proficiat tibi,* &c. In Turonensibus quæ habemus, Conciliis hoc nuspiam legitur; sed quodcumque fuerit illud Concilium, certe tempore Burchardi, id est XI. seculi primordiis non potest non esse antiquius. Ex his initiis ultra

Caput XXVII.

a de consecr. D. 2. c. 7. (ũ omne crimen.
b Burc. l. 5. Dec. c. 1.
c Ivo Dec. p. 2. c. 11. & c. 85.
d Burch. Dec l. 5. c. 9.

Caput XXV.

b Greg. l. 4. Dial. c. 58.

Christum, vivit manducatus, quia surrexit occisus; nec quando manducamus, partes de illo facimus; & quidem in sacramento sic fit; & norunt fideles quemadmodum manducent carnem Christi. Unusquisque accipit partem suam, &c. ut supra. Gregorius P.R.I. de hoc mysterio loquens, b *Ibi*, inquit, *Christi corpus, sumitur, eius caro in populi salutem partitur.* Sed toto seculo 7. quo ineunte mortuus est Gregorius, mansisse apud Latinos frangendi panis Eucharistici morem luculentissime testantur Toletanæ decimæsextæ Synodi, a.D.693. habitæ, Patres. Illi enim recitata ex tribus Evangeliis & ex Paulo, Dominicæ Cœnæ historia, c *Quid aliud*, inquiunt, *innuitur, nisi quia panem integrum accipiens, & benedicendo confringens, particulatim unicuique discipulorum sumendum contradicit? quod & nos in postmodum facturos edocuit, haud dubie significans, quod omnis buccella panis, non omnis panis buccella?* Tum interjectis duobus versiculis; *Ac proinde quia & Redemptoris verba testantur, quod panem integrum accipiens, non buccellam, quem post benedictionem confringens, suis particulatim discipulis dederit, & Paulus Apostolus similiter nihilominus narrat, quod panem acceperit, & gratias agens confregerit; nec non & illud, quod Christus de quinque panibus confractis turbam refecerit, quid aliud instituit nos, nisi ut panem integrum sumentes, super altaris eius mensam benedicendum ponamus, non particulam panis, quod caput nostrum nequaquam fecisse perpendimus?* Hæc illi; aperte definientes, primo Christum panem integrum in Eucharistico epulo adhibuisse, hunc benedicentem fregisse, in particulas, quas singulis communicantibus singulas tradidit; secundo id ipsum in Ecclesia suo ævo factitari à Dei ministris rite ex more Christiano hoc sacrum celebrantibus; tertio denique illa Christi actione positam esse suis omnibus postmodum futuris Christianis legem Eucharistæ eodem modo ac more parandæ, frangendæ ac distribuendæ Mansisse morem non modo proximo, sed etiam nono seculo docet Paschasius Ratbertus; * *Sacerdos* (inquit) *invocat. Sed ipse* (Christus) *benedicit & FRANGIT.* Mox; *Hic solus est qui frangit hunc panem, & per manus Ministrorum distribuit credentibus.* Idem; *Immolato Christo per sacramentum decimæ traditionis corpus frangitur ad escam populis, & partitur fidelibus.* Sic & Paschasio paulo junior Ratramnus, sive ut vulgo nominari solet, d Bertramus, cum scribit, *corpus Christi quod agitur in Ecclesia per partes comminutum dispartiri ad sumendum, & dentibus commolitum in corpus trajci.* Huc accedit potens in eam rem argumentum ex illo veteri & permulta secula servato oblationum more, de quo initio diximus. Cum enim panis, ex quo fiebat Eucharistia, ab omnibus fidelibus offerretur, neque credibile sit minutias illas panis, quales sunt nunc Latinorum hostiæ, à quoquam Ecclesiæ fuisse oblatas, fatendum est panes illos majusculos fuisse, qui ex his oblationibus consecrabantur; quales revera sunt Græcorum, Syrorum, & Alexandrinorum, rotundi & in circulos amplos fusi panes, cruce vel crucibus, & Christi monogrammis inscripti, quorum nobis formas exhibent

c Conc. Tol. 16. c. 6. Tom. 5. Conc. p. 430. col. 2. A.B.

* Pasch. de corp. & S.D. c. 15. R. 1598. D. ibid.

* Id. c. 19. p. 1603 B.

d Ratr. de corp. & sang. Dom.

ectypa

ectypa à Sirmondo *e* ex veris iconibus expressa & exhibita. Panes autem hujusmodi nemo non intelligit necessario fuisse post consecrationem in plures particulas fractos, vel divisos, quo omnibus communicaturis distribui possent. Sed ne tam quidem illa fractio desiit, cum primum est introductus apud Latinos azymorum usus; quod est à Sirmundo soleiter ex Humberto observatum. *f* Nam hic utrumque testatur suo ævo, id est, ultra medium undecimi seculi, & consecrata jam fuisse azyma, & partes tamen confractas adhuc datas fuisse communicantibus. Non repetam quæ de azymis dicit, jam supra suo loco memorata. De fractione non loquitur obscurius; quin & eam servandam allato Christi exemplo probat. *g In panis fractione*, inquit, *& communicatione nonnisi perfectam actionem Missæ debemus accipere; quemadmodum ipsum Dominum legimus, non imperfectam sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse, pane benedicto & mox fracto atque distributo. Non enim benedixit tantum, & reservavit frangendum incrastinum, nec fregit tantum & reposuit, sed fractum statim distribuit. Unde B. Alexander Martyr & Papa V. ab Apostolo Petro, passionem Domini inserens Canoni Missæ, non ait, Hoc quotiescumque feceritis, sed, hæc quotiescumque feceritis, id est, benedixeritis, fregeritis, & distribueritis, in memoriam mei facietis; quia quodlibet horum trium si sine reliquis fiat, scilicet aut benedictio sine fractione, & distributione, aut fractio sine benedictione & distributione, perfectam memoriam Christi non repræsentat, sicut benedictio nulla sine fractione & benedictione.* Ex quo Cardinalis Humberti dicto clarissime consequitur nullam hodie apud Latinos missam fieri, quæ perfectam Christi memoriam repræsentet; cum omnibus desit fractio, plurimis etiam distributio. Sic autem ut ipse censet, Romæ celebratam tum fuisse Eucharistiam diserte idem testatur; *h Sicut*, inquit, *sancta Romana Ecclesia usque nunc observat, panem* (Christus) *integrum benedixit, & fractum singulis particulatim distribuit.* Quantum ab illa Romana Ecclesia mutata est ea quæ se Romanam esse hodie gloriatur? Hæc enim nulli dat quem illa omnibus communicantibus dabat fractum panem. Idem paulo post cum dixisset Ecclesiam Romanam observare eundem sacrificij ritum, quem Hierosolymitana antiquitus servabat; *i Siquidem*, inquit, *tenues oblatas ex simila præparatas integras & sanas sacris altaribus nos quoque superponimus, & ex ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamur.* Vides hujus Humberti ævo, oblatas tametsi jam tenues & azymas, adhuc tamen fractas ex veteri disciplina fuisse, & populo communicatas. Id ipsum ex Lanfranco Humberti *συγχρόνῳ* discimus; *k Dum*, inquit, *frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur; quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur?* hæc enim verba, non Prosperi (cui illa Gratianus *l* & alia non pauca, vel sceleratissima fraude, vel oscitantia plane pecuina, errore quidem certe immani, tribuit) sed Lanfranci sunt, annis post mortem Prosperi circiter 600. adversus Berengarium scribentis.

CAPUT XXV.

e Sirm. de Az. c. 4. p. 112. 113.

f ib. p. 114.

g Humb. cont. Nicet. t. 4 Bib. P. part 2. p. 246. B.

h Id. cont. Græc. calp. p. 216. B.

i ib. p. 217. A.

k Lanfr. de corp. & sang. Dom. c. 13. p. 240.

l Grat. de consec. d. 2. c. 37.

Caput XXV.

His autem verbis Lanfranus aperte significat suo adhuc tempore & *fractam* fuisse *hostiam*, quæ *à fidelibus* sumebatur, & *fusum de calice in eorum ora* sacrum vinum fuisse. Sane in Ordine Romano, qui liber undecimo illo seculo videtur, ea qua hodie est, forma editus, extat clarissime expressus illius fractionis ritus. Nam cum res ad communionem tum cleri, tum populi parantur, videmus istic *m* quosdam Acolythos ad presbyteros descendere *ut*, inquit, *confringant hostias*. tum duos Subdiaconos regionarios patenam deferre ad Diaconos *ut FRANGANT*. *Presbyteri autem*, inquit, *aspiciunt ad faciem Pontificis, ut eis annuat frangere; & dum innuerit, resalutato Pontifice, CONFRINGUNT; & Archidiaconus vacuato altari oblationibus, respicit in scholam, & annuit eis ut dicant Agnus Dei.* Et statim, *Expleta*, inquit, *confractione Diaconus minor levatam de Subdiacono patenam defert ad sedem, ut communicet Pontifex.* Inde ipsius primo Pontificis, aliorumque Clericorum; tum deinceps Laïcorum communionem exsequitur. Unde videre est confractum fuisse primo panem sacrum in multiplices particulas; inde statim communionem peractam fuisse. Sed hæc fractio, cum aliquot primo Paparum decretis, & longa inde consuetudine plane penitusque apud Latinos confirmatũ transsubstantiationis dogma prævaluisset, tandẽ abolita est, quæ à Christianismi primordiis ad undecimũ seculum extremũ manserat, ut ex Humberto & Lanfranco & Ordine Romano didicimus. Abolitam autem verisimile est duodecimo aut tertiodecimo seculo, eodemque tempore cœpisse minores oblatas, minuti nummi magnitudine, fieri ac consecrari, quæ singulis integræ, ut hodie mos est, erogarentur. Paulo post id tempus accidit, quod Ordinis Romani à Cassandro laudatus interpres, in sua illius libelli expositione, ad l.1. c.16. memorat; *n Audivimus quidem*, inquit, *de modernis aliquos mirari, quod Romanus Ordo præcipiat confringi corpus Domini: Quasi non legerint aut obliti sint, quod in Evangelio scriptum est, Quia accepit Iesus (panem) & benedixit ac fregit deditque discipulis suis, & ait, Accipite & comedite, &c. Et in actibus Apostolorum legitur primitivam Ecclesiam in doctrina Apostolorum unanimiter perseverare, & communicatione FRACTIONIS panis & orationibus vacare. Et ut cæteros Patres transeamus, qui ordinem Ecclesiasticum celebrabant, sicut didicerant ex Evangelicis & Apostolicis institutionibus; ecce habemus utile nimis & probabile quoddam exemplum de gestis B. Gregorij, qualiter corpus Dominicum conficiebatur ex oblationibus fidelium, ut necessario deberet per ministros altaris confringi.* Tum exemplum illud totum ex lib.2. vitæ Gregorij recitat, in quo Gregorius narratur *PARTEM* illam *Dominici corporis*, quam matronæ sumendam obtulerat, quod ea risisset, *super altare deposuisse*. Huic etiam ex recentioribus Latinis assentiuntur Lorinus & Iustinianus Iesuitæ, *o* quos supra audivimus dicentes *olim ex uno eodemque pane consecrato delibatas particulas singulis tributas fuisse*. Neque cæteri, quod sciam, valde repugnant. Hunc autem tam veterem, tam in Ecclesia ab ipsis Christianismi

m Ord. Rom. qualiter miss. celebr. Tom. 10. Bib. P. p 15. E. p. 16. A.

n Expos. ord. Rom. apud Cassand. in Liturg. c. 29. p. 67.

o Loc. in Act. 2 Iustin. in 1. Cor. 11.

stianismi primordiis sacrum ac religiosè observatum confringendi in multas particulas panis sacri morem non alia de causa Latini antiquarunt, quam illa compulsi formidine, quæ ingens iis ex suscepto transsubstantiationis dogmate oborta est, neque panis, quem ipsi pro vero ac æterno Deo Christo latria adorant, particula aut mica in terram dum frangitur, forte defluens *periret*; ut est diserte ab Alfonso Salmerone famosissimo Iesuita observatum. *p* Neque aliunde factum est, quod azymis in nummulorum formam contractus ac tenuatis, pro solido ac usitato pane, in conficiendo hoc sacramento uti maluerunt. Inde etiam illæ morosissimæ cautelæ profluxerunt veteri retro ante decimum seculum Ecclesia pæne omnes ignotæ, quibus horrendum illum casum vel vitant, vel certe ut difficile est plane cavere ne unquam accidat, procurant atque expiant, si quid aliquando hujusmodi contigerit. Sed hæc infra *q* utiliori ac commodiori loco explicabuntur diligentius. Sed Eucharistiam ex transsubstantiationis studio frangi à Latinis desiisse præter ipsam rerum ac temporum rationem, id etiam nos docet, quod cæteræ Christianorum gentes apud quas nulla publica lege susceptum est Latinum illud dogma, veterem frangendi sacramenti ritum omnes ad hodiernam diem religiose retinent. Iustinianum Iesuïtam de Græcis, quorum longe maxima est in Christianismo natio, confitentem audivimus, & res satis superque nota est; cujus clarissimum argumentum nobis sufficiunt illæ ipsæ quarum supra meminimus, à Sirmundo editæ oblatarum Græcanicarum, Syriacarum & Alexandrinarum icones. Æthiopum eundem quoque morem esse compertam est & iis quæ de eorum sacro ab Alvaresio *r* tradita sunt, quæque sunt jamdudum à Cassandro quoque descripta; *in Ecclesiis*, inquit, *faciunt litum, sive placentam, magnam aut parvam pro multitudine gentis, quia omnes communicant, & pro magnitudine faciunt crassum dimidio digito aut integro, aut etiam crassius magno digito*. Vbi ad communionem ventum est; *sacerdos sacramentum panis in manibus accipiens partitur per medium, ex summitate partis paululum detrahit, quam particulam pro se accipit*. Tum *Diaconus sacramentum ex lance sumens, manuque dextra tenens* MINVTIM *distribuit*; Clericis, ut videtur in sanctuario consistentibus. Denique *eodem*, inquit, *modo datur communio illis qui stant ante primam cortinam, & aliis qui stant ante alteram cortinam; postea secularibus qui stant iuxta portam principalem, tam viris quam mulieribus*.

CAPUT XXV.

p Salm. tract. 15. in Actu.

q inf. lib. 7. c. 25.

r Alv. viaggi d'Ithiop. c. 11.

s Cass in Lit. c. 11. p. 28.

CAPUT

Caput XXVI.

CAPUT XXVI.

Alia Latinorum novitas; qui plures oblatas, sive hostiolas offerunt, cum veteres unum duntaxat in singulis synaxibus panem offerrent, cuius fracti particulae communicantibus singulae singulis distribuebantur. Priscus mos primo ex Evangelistis & Paulo confirmatur. Pauli locus 1. Cor. 10. 17. explicatur, & ab Estij absurdis cavillationibus vindicatur. Companis, & companio. *Idem mos constituitur 2. veterum testimoniis Pseud-Ignatij, Pseud-Ambrosij, Pseud-Areopagitae, Concilij Toletani XVI. Liturgia Basilij, Durantis, Honorij Augustodunensis, 3. ex hodierno usu Ecclesiae Aethiopicae, & Graecae; illius, ex Alvaresij, huius, ex Metrophanis testimonio.*

EX his aliud Latinorum à veteribus hac in parte discrimen necessario exortum esse, animadvertere licet. Veteres enim unum numero totum & integrum panem in mensa Domini consecrabant, cujus in multas particulas à Sacerdote fracti suam singuli communicantes sumebant; non obscuro neque sane absurdo aut ineleganti documento, qui sumebant, eos tametsi inter se caetera diversos, unum tamen esse in Christo corpus; qualiter scilicet illae particulae, quanquam inter se divisae, unus tamen re vera idemque panis erant, è quo omnes decerptae defractae-ve erant. Hoc suavissimum nostrae in Christo unitatis mysterium, quod omnis spirat Eucharistia, totum hac quidem in parte apud Latinos delevit atque obliteravit azymarum oblatarum usus; quae, ut notum est, nullius rei sunt totius atque integrae partes, sed totidem jam à sua origine per se extantia corpuscula, nulla cum fierent ac efformarentur unione inter se cohaerentia.

Veteros vero Christianos ex eorum libris intelligimus unam olim, ut diximus, panis massam in mensa Dominica obtulisse, cujus totidem fierent particulae, quot communicantibus distribuendas esse in unaquaque Synaxi judicabant; adeo ut ea uno eodemque pane participare vere dici possent quotquot fideles apud unam mensam communicabant. Principio Dominum eis exemplo suo ad hunc usum praeivisse in Evangeliis & Paulo videmus, Christum enim plures panes vel fregisse, vel discipulis distribuisse nuspiam legimus: Vnum benedixisse, unum fregisse: unius in plures buccellas fracti ac divisi suam singulis dedisse omnia suadent, neque quemquam aliud vel priscorum, vel recentiorum tradidisse memini. Huc Pauli accedit disertum de sui aevi Christianis
1. Cor. 10. 17. testimonium: *Quoniam* (inquit) *unus panis, multi unum corpus sumus: Omnes enim ex uno pane participamus.* Hic Apostolus ex panis, quem

commu-

communicantes apud unam mensam. Simul sumebant, unitate, ipsorum CAPUT XXVI.
in Christo unitatem argumentatur ac commendat; *Quoniam*, inquit, vel
quia unus panis est (quem scilicet ex una Domini mensa omnes nullo discrimine, quoties communicabant, unum eundemque accipiebant) ideo & nos ipsos unum in Christo corpus esse, tametsi multi alioquin homines simus, hoc ipso intelligitur. Nam in primis verbis, *quoniam unus panis*, per ellipsin familiarem & passim apud Græcos obviam deest verbum substantivum *est*, ex proximo verbo *sumus* repetendum ac supplendum, & panis (inquit) quem sumimus, unus, & nos qui sumimus, unum sumus. Et ille & nos, utrique unum sumus; ille unus panis: nos unum corpus. Id ipsum Apostolus verbis sequentibus docet, dum argumentum evolvens atque explicans hanc addit, ejus rei, quam dixerat, rationem; *Omnes enim* (inquit) *ex uno pane participamus*. Hæc Apostoli ratiocinatio est; Qui ex uno pane participant, eos unum inter se corpus, unam societatem esse, & censeri par est: Nos quotquot sumus Christiani qui ad mensam Dominicam accumbimus, ex uno eodemque pane participamus (unus enim omnibus sacræ Cœnæ convivis panis sumendus apponitur) Nos ergo omnes, tametsi numero discreti, plures homines simus, unum tamen corpus, unam Christi Domini societatem & censeri & revera esse decet. Græca in hunc sensum clara sunt; ὅτι εἷς ἄρτος ἓν σῶμα, οἱ πολλοί ἐσμεν. οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν. Neque Latina aliud significant, tametsi nonnihil à Græcis discedant. *Quoniam unus panis: unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus.* Pauli mentem Syrus egregie expressit; *Quemadmodum igitur* (inquit) *unus est panis ille: ita & nos omnes unum sumus corpus: siquidem nos omnes ex uno illo pane accipimus.* Sic etiam Arabs; *Quoniam igitur panis unus est, nos etiam multi unum corpus sumus: quia nos omnes ex uno illo pane sumimus.* Quibus Æthiopica quoque versio congruit. *Quemadmodum unus panis ejus: sic unum corpus nos sumus: quia omnes nos ex uno pane accipimus.* Ut particulæ quæ sumuntur, tametsi multæ sint. Singulæq; à singulis diversæ, sunt tamen revera unus ille, idemque panis, cujus multifariam fracti particulæ sunt: ita & nos, tametsi multi numero, forma, nomine & cæteris hujusmodi distincti homines simus, unum tamen idemque Christi illius corpus sumus, è quo ducti quodamque modo decerpti Christiani sumus. Non procedit Apostoli, acuta certe ac præclara ratiocinatio, nisi id quod non est obscurum, constituamus unius panis, non plurium, particulas ex mensa Dominica, quoties apud eam Synaxis fiebat, distribui apud primos illos Christianos solenne fuisse. Cum vero ait Apostolus, *omnes de uno pane participamus*, signum *omnes* non est vexandum, quasi omnes Christianos, qui unquam aut uspiam sunt, vel fuerunt, de pane illo, quem unum fuisse dicit Paulus, participare intelligendi essent (quod longe absurdissimum ac stultissimum deliramentum nonnullis Latinorum suggessit nimium transsubstantiationis suæ studium)

Caput XXVI.

dium Enimvero vocula *OMNES* ad rem subjectam ita exigenda, atque restringenda est, ut omnes intelligantur fideles ad unam mensam accedentes: omnes unius ejusdemque mensæ ac Synaxeos convivæ, ut hunc locum optime explicat doctissimus Hugo Grotius : Omnes (inquit) *Nempe qui eidem mensæ sacræ pariter accumbimus, & unam facimus φρατρίαν, quæ φρατρία totius Ecclesiæ gerit imaginem.* Est enim etiam in seculo, convictus & unius panis esus unionis & societatis & in unum corpus (ut sic dicam) *coalitionis* tessera. Ad hanc ipsam rem eruditorum Phœnix Salmasius noster egregie, ut cætera, observat *companis vel companionis vocabulum pro socio mille ab hinc annorum Latinitatem recepisse:* quam observationem firmant quæ eodem adhuc sensu in Francica nostra lingua manent *compagnonis* pro *socio*, & *compagnia* pro societate voces. Idem quoque huc refert, quod sic etiam Græci, *eos σύσσιτους dicerent, qui eodem convictu consociarentur, eodem pane, eademque mensa uterentur;* quos ex Aristotele docet *à Charonda ὁμοσιπύους vocatos esse*, id est inquit, *eodem pane vescentes; σιπύην enim esse vas, in quo panis reponitur, eamque Grammaticos ἀρτοθήκην interpretari. Sic & Epimenidem eosdem ὁμοκάπους* eodem sensu, *vocasse, ab equis ducta metaphora, qui ex eodem præsepi hordeum comedunt. Antiquo enim Græco vocabulo κάπην esse præsepe; à verbo κάπτειν quod est comedere; unde καπτὰ equorum pabula.* Ex hac ergo vetustissima, & apud Græcos *notissima* convictus ex eodem pane significatione ductus fuit ille priscorum Christianorum sacer usus ex eodem pane ad eandem Domini mensam convescendi; quem Apostolus suis Corinthiis revocat in mentem, ad rem quam ibi agit, ita appositum, ut nihil dici potuerit appositius. Frustra hic Estius sui Latinismi studio abreptus turbat, dum hunc quem Paulus dicit *panem*, negat de singulis particulis intelligendum, quas singuli fideles sumebant apud unam eandemque mensam, ex qua simul in eadem synaxi communicabant; pertendens de vno Christi corpore per eas significato & communicato simpliciter hunc panem esse capiendum. Planum enim est ex tota Apostoli oratione *panem*, quem hic dicit, illum ipsum esse, quem *frangi* versiculo superiore dixerat. At, qui apud mensam *frangitur*, is ipse est, qui vnicuique hic vel illuc apud mensam distribuitur, panis. Neque ipsi credo Latini *oblatas*, siue hostiolas suas, tametsi in iis Christum vnum & eundem latere velint, ideo vnam & eandem numero esse oblatam, vel hostiolam dixerint. Si hunc igitur Estius *panem* de quo Apostolus, velit vnum esse & eundem numero panem: illud quoque statuat necesse est, quod delirum & insanum esse nemo negauerit, velle scilicet Apostolum omnes quotquot tum erant, imo & quotquot futuri erant vbique gentium fideles, eos ex iisdem illis particulis & participasse olim, & etiamnum participare, quæ illo tempore Corinthi apud mensam sacram ex vno pane fracte distribuebantur illius æui fidelibus. Quod si hoc dicere refugiat necessario nobis concedere debebit Apostolum per *omnes*, qui de vno pane participant intelligere omnes omnis æui ac loci cõmunicantes fideles

Grot. in 1. Cor. 10. 17.

Salmas in iudic. de libr. Grot. post. sub nom. Simpl. ver. p. 95.

Est in 1. Cor. 10. 17.

deles, sed eos duntaxat omnes, qui ad vnam eandemque mensam conuenientes vna simul sacramentum eodem tempore ac loco sumunt. Sed Paulus (inquit) seipsum includit cum iis, qui de pane illo sacro Corinthi participabant; dicit enim, *de vno pane participamus*; nos scilicet, quorum vnus Paulus fuit. Sed ille, dum sic agit, nodum in scirpo quærit. Quis enim non intelligit Paulum more suo, de quibusvis Christianis in prima persona plurali sic loqui, quia ipse eorum vnus erat. Iam ergo quod ait *participamus*, idem est ac si dixisset, Christiani fideles sacræ cœnæ communicantes (de iis enim Paulum præcise vt sacræ mensæ communicantibus, loqui manifestum est) OMNES *de vno pane prrticipant*, Hoc sensu qui clarus est, vult Apostolus fideles, quotquot in sua synaxi sacram cœnam vna celebrant, *ex vno pane participare*; omnes scilicet qui Corinthi, pane qui in ea synaxi cui intersunt erat consecratus; De Romæ, de Ephesi, de alibi communicantibus idem puta. Hæc Apostoli vera mens; quam supra verbis doctissimi viri Grotij exposuimus. Vt Paulus cum versu superiore dicebat. *Panis quem frangimus*, eum intelligit, quem quotquot sunt Domini Ministri in sacra synaxi, *in sua scilicet singuli* frangunt; quorum collegio se includit, quod eorum ipse quoque unus esset. Ita & hic dum dicit, *omnes nos, qui participamus de uno pane*, eum panem intelligit ex quo quotquot sunt Christiani, in sacra cœna apud suam quisque mensam & synaxin participant. Nimirum nulla tum erat apud Christianos mensa sacra, ex qua unus de hoc, alius de alio pane participaret. Vt una erat mensa, ita & unus in ea panis. Sed & ex eo quod Paulus hic dicit de signo, rem ipsam non inepte colligi confiteor; nempe omnes omnino cujusvis loci ac temporis fideles una numero Christi carne, uno sanguine vesci nutririque; sed spiritu quia in vitam æternam. Singularum enim Ecclesiarum unaquæque synaxis sive collecta *totius Ecclesiæ imaginem gerit*; ut aiebat nuper Grotius, Quod ergo unius collectæ fideles de uno pane symbolico participantes in unam singularem, sive particularem Ecclesiam coëunt ac consociantur; eo ipso apertissime significatur omnes qui sunt aut fuerunt fideles una Christi carne, quæ per panem sacramentalem repræsentatur, vescentes, in unam Ecclesiam universalem, unumque adeo in Domino corpus uniri ac consociari.

Atque ita Pauli locum cepisse veteres, & eum quem ille significat celebrandæ ex uno pane Eucharistæ, usum seruasse, ex ipsorum dictis apparet. Qui Ignatij assumpto nomine epistolam ad Ephesios jam ante Eusebij ævum, id est ante a D. 300. scripsit; cum quædam ad perseverantiam necessaria illi Ecclesiæ commendasset, conuentus sacros, Præpositorum reverentiam, & obedientiam, fidei vnitatem, postremo hoc etiam addit. VNVM *panem frangentes* ἕνα ἄρτον κλῶντες. Quo & illa ejusdem scriptoris ad Philadelphienses pertinent, quæ superiori capite jam descripsimus; *Vna est caro Domini Iesu, & unus ejus sanguis, qui pro nobis effusus est*; VNVS *etiam panis pro omnibus confractus, & unus calix*

Ignat. ep. ad Eph. extr.

Id. ep. ad Philad. ep. p. 96.

Caput XXVI. totius Ecclesiæ. Editio vetustior, & Græca & Latina, de uno pane tacent, fateor; sed calicem, cujus eadem est, quæ panis ratio, utraque VNVM diserte memorat; *Studete* (inquit) *una Eucharistia uti; Vna enim est caro Domini nostri Iesu Christi, & unus calix, in unionem sanguinis ipsius; unum altare, sicut unus Episcopus.* Vnitatem calicis liquido adstruit *altaris & Episcopi* unitas; Panis vero Eucharistici unitatem constituit asserta calicis unitas.

Ead. ep. ex cod. Medic. edit. Vss. p. 18

Ambr. in 1. Cor 10. 17. p. 1911. D.

Hilarius, qui sub Ambrosij nomine circumfertur *in 1. Cor. 10. 17. Sicut nos de uno pane & de uno calice percipientes, participes sumus & consortes corporis Domini; ita & qui edunt hostias, participes sunt altaris erroris.* Idem in eodem opere; *Munus oblatum totius populi sit; quia in uno pane omnes significantur. Per id enim quod unum sumus, de VNO pane nos sumere oportet.* Quo loco rationem aperit, cur Eucharistiæ panem oporteat esse unum, ab unitate fidelium in Christo petitam; quæ panis ex eadem mensa sumti, unitate significatur. Cum enim panis ille, etiam Ecclesiæ eo vescentis symbolum & imago sit; ut hæc una est, ita & illum unum esse decet.

Id. ibid. in c. 11. p. 1915. A.

Eodem recidit, tametsi paulo aliter expressa hujus rei ratio, quam Chrysostomus ad locum Apostoli attulit: *Non enim ex alio corpore tu; ex alio vero ille nutritur; sed ex eodem omnes; & ideo subiunxit* (Apostolus scilicet) *Omnes enim ex eodem pane*, &c. οὐ γὰρ ἐξ ἑτέρου μὲν σώματος σὺ, ἐξ ἑτέρου δὲ ἐκεῖνος τρέφεται, ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πάντες. διὸ καὶ ἐπήγαγε, κ.τ.ε. Nempe hoc ille vult; Panem, quo apud sacram mensam omnes vescimur, unum eundemque esse; quia & Christi corpus, verus fidelium cibus, cujus ipse panis sacramentum est, unum idemque est, non aliud atque aliud.

Chys. in 1. Cor. Hom. 24. p. 256. D.

Dionysius vero Pseudareopagita panem illum, qui frangebatur in sacra mensa, & ex quo communicantes omnes participabant, disertissime unum & eundem panem fuisse dicit; *Divinissima* (inquit) *unius ejusdemque cum panis, tum calicis, communis ac pacifica participatio divinam iis morum conformitatem, tanquam simul enutritis, præscribit.* ἡ δὲ θειοτάτη τοῦ ἑνός τε καὶ ταὐτοῦ ἄρτου καὶ ποτηρίου κοινὴ καὶ εἰρηναία μετάδοσις, ὁμοτροφίαν αὐτοῖς ἔνθεον, ὡς ὁμοτρόφοις νομοθετεῖ. Nihil potest dici clarius. Sed & idem infra docet apertissime cum de Episcopo panem sacrum frangente verba faciens; *Opertum* (inquit) *& individuum panem revelans, & in multa dividens, atque unicum*, sive *singulare*, *poculum omnibus impertiens, unitatem symbolice multiplicat & distribuit.* τὸν ἐγκεκαλυμμένον καὶ ἀδιαίρετον ἄρτον ἀνακαλύψας καὶ εἰς πολλὰ διελὼν, καὶ τὸ ἑνιαῖον τοῦ ποτηρίου πᾶσι καταμερίσας συμβολικῶς τὴν ἑνότητα πληθύνει καὶ διανέμει. Panem, quem indivisum, antequam *in plura* (id est in plures particulas) divideretur, fuisse dicit, unum necessario primum fuisse omnes vident. Nam si iam tum plures panes fuissent; ij certe jam tum inter se diuisi erant. Sed neque si aliter esset, illud vere adfirmare potuisset, quod subjungit, Episcopum dum panem frangit, & poculum omnibus impertitur, *unitatem multiplicare,*

Dion. Areop. Hier. Eccl. c. 3. in theor. §. 1. p. 244.

Id. ibid. §. 12. p. 258. D.

&

CAPUT XXVI.

& dividere symbolice. Hoc enim nihil aliud est, quam ex eo pane, qui unus est, multas particulas facere, & ex eo poculo, quod unum est, vinum multis impertiri. Eodem quoque pertinet, quod paulo post iterum dicit Episcopum *sacrorum munerum* (id est panis & vini) *unitatem dividere* τὸ ἑνιαῖον αὐτοῦ (δῶρον) εἰς πολλὰ διαιρεῖ. Nullum ergo dubium est, quin quo tempore hæc scripsit ille Pseudareopagita (videtur autem scripsisse vel ineunte quinto, vel certe exeunte quarto seculo) mos Ecclesiæ communis fuerit unum tantum panem in singulis synaxibus proponere, & in plures particulas divisum singulis distribuere.

Ibid § 13. p. 259. D.

Sed & apud Latinos eundem etiam seculo septimo usum obtinuisse indicat Toletanorum Patrum illa iam nuper à nobis commemorata lex a D 693. lata. *Ne aliter panis in altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat.* Vnum panem, qui proponebatur, fuisse eo significant, quod eum *integrum*: quod *oblatam modicam* vocant. Ex his patet, quis sit horum in Basilij Liturgia verborum sensus: *Nos omnes* (inquit Sacerdos secrete orans) *qui ex uno pane & calice participamus, uni invicem ad unius Spiritus Sancti communionem* ἡμᾶς δὲ πάντας τοὺς ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου μετέχοντας ἑνῶσαι ἀλλήλοις κ. τ. λ. Optant scilicet rem signo respondere, ac ut unius omnes panis, uniusque poculi in Synaxi participes erant: ita & per unius Spiritus S. gratiam inter se uniri, unumque quodammodo panem fieri.

Concil. Tolet 16. c. 6. T. 5. Conc. p. 430. C.

Lit. Basil. T. 2. Bibl p Gr. L. p. 52. D.

Durantes Mimatensis eadem de veteris Ecclesiæ usu sensisse eo arguitur, quod cum dixisset *in primitiva Ecclesia omnes, qui celebrationi Missarum intererant, singulis diebus communicare solitos*, statim subjungit, *Offerebant enim magnum panem & omnibus sufficientem: quod adhuc Græci servare* (inquit) *dicuntur.* At si plures allati essent, ad hoc, ut omnes communicarent, nihil necesse fuisset, aliquem ex oblatis magnum fieri. Eadem sensisse. Honorium Augustodunensem inde intelligimus, quod in eodem argumento versans, contracti sequentibus seculis ad angustum denarij modum panis Eucharistici hanc rationem adfert: *Quia* (inquit *populo non communicante non erat necesse panem tam magnum fieri, statutum est eum in modum denarij formari.* Sane quæ nuper diximus publice à Sirmondo exhibita panis Eucharistici ectypa, qui qualisque in Græcorum, Syrorum, & Alexandrinorum Ecclesiis consecrabatur: ea satis amplam ejus formam fuisse indicant. His ne Bellarminum quidem ipsum admodum repugnaturum fuisse, verisimile est. qui non modo concedit, verum etiam vehementer alicubi contendit unum duntaxat apud veteres fuisse olim consecratum calicem, neque alios, quam qui ex eo bibebant, vini sacri, sive (ut ille loquitur) sanguinis Dominici fuisse participes. Cum enim eadem sit hactenus quidem utriusque speciei ratio, qui veteres poculum unum in synaxi obtulisse confitetur, nulla ratio est, cur idem

Durant. Ration. Off. L. 4. c. 53 fol. 124. co. 1.

Honor. Gemm. An. T. 10 Bibl. Patr. p. 1199. A. 1. L. 1. c. 66.

Bell. L. 4. de Miss. c. 2. § Ord. Romani.

CAPVT XXVI.

neget unum quoque ab iisdem in singulis sacris oblatum fuisse panem, non plures.

Sed ejusdem moris antiquitas inde etiam postremo perspicitur, quod eum ad hodiernum diem retinent antiquissimæ Græcorum & Æthiopum Ecclesię. Apud hos unum panem in synaxi consecrati ostendit nuper à nobis ex Cassandro descriptus Alvarezij de iis locus : *In Ecclesiis faciunt libum magnum, aut parvum pro multitudine gentis, quia omnes communicant.* Quod enim ad communicantium vel multitudinem vel paucitatem sui libi modum admetiuntur, id apertissime nos docet non aliunde quam ex eo uno libo omnes, quotquot communicant, suam quemque particulam percepisse.

Apud Græcos vero etiam hodie perseverare eum morem, quem iis Durantes jam ante annos pæne quadringentos tribuebat, ipsi locupletissimi sunt testes. Metrophanes Critopulus, qui nostra memoria Alexandrinus Patriarcha fuit: *Vnus* (inquit) *panis assumitur in Eucharistia, non multi; quia unus est Christus, non multi. Deinde, quia communio est Christi & hominum. Communio autem est, cum multi unum participant. Unum dico ratione quantitatis* (id est numeri) *non ratione qualitatis.* εἷς δὲ ἄρτος παραλαμβάνεται ἐν τῇ εὐχαριστίᾳ, καὶ οὐ πολλοὶ ὅτι εἷς ἐστιν ὁ Χριστὸς, οὐκ οἱ πολλοί. ἔπειτα ὅτι κοινωνία Χριστοῦ καὶ ἀνθρώπων. Κοινωνία δὲ ἐστι πολλοὺς κοινωνεῖν ἑνός. ἑνὸς λέγω κατὰ τὸ ποσόν, οὐ κατὰ τὸ ποιόν. Tum Pauli locum describit, *Panis quem frangimus &c. quoniam unus panis, unum corpus multi sumus*: eumque locum de panis sacramentalis in singulis synaxibus unitate interpretatur: perinde, ut ii quos supra recensuimus eum locum enarrantes. Nimirum quod Christus unus sit, non plures: ideo panem, qui in unaquaq; Synaxi Christi sacramentum atque imago est, unum quoque esse debere, ipse cum suis Græcis consentaneum esse putat. Eadem quoque ratione Metrophanes in sequentibus constituit unum in una Ecclesia altare esse debere, itidemque unam uno die apud unum altare Synaxin fieri debere: *eo quod Christus* (inquit) *unus sit verus & summus angularis lapis, & quoniam crucifixus est in mundo, non sæpe, sed semel per omne ævum. Vt ergo illic unam quamque diem totius ævi, unum quodque vero templum totius mundi imagines esse* dicit, ita & hic *unumquemque* Eucharistiæ in singulis synaxibus *panem Dominici corporis, unamquamque collectam totius Ecclesiæ* imagines esse vult, ac ut loquuntur, supponit. Vnde patet hunc cum Græcis suis Pauli 1. Cor. 10. 17. plane eo ipso sensu explicare, quo nos supra intelligendum esse demonstravimus, & ex quo Estianam ad eum sophisticem refutavimus. Sed hæc de his satis sunt. Nunc ad cætera pergamus.

Metroph. Critop. Confess. Eccl. Orient. c. 9. p. 97.

Ibid. p. 102.

CAPVT

CAPUT XXVII.

CAPUT XXVII.

Novum & absurdum esse intingendi sacri panis morem, in auditum primis seculis. Dionysij de Serapione locus. Is mos ubi erupit, statim repressus & vetitus à Synodo Bracarensi. Proximis ante X. seculum temporibus concessus; sed non aliis quam graviter infirmis. Mox in totam Ecclesiam se effudit seculo XI. tandem plane prohibitus ab Urbano; & Paschali sic tamen ut semper manserit unius è particulis tribus sacerdotalibus intinctio.

TErtius ritus superest, quo Eucharistiæ præter Christi institutum & veteris Ecclesiæ morem trifariam fractæ una particula in calicem à sacerdote celebrante immittitur, & vino sacro intingitur. Hunc autem usum plane peregrinum esse, & à Christi mente, & sacramenti ipsius ingenio alienum, ac diu denique Ecclesiæ ignotum, neque nisi sero receptum esse, nunc demonstrandum est.

Dominum Christum Evangelistæ & Paulus narrant panem benedictum & fractum discipulis distribuisse: aliquam ex fracto particulam in calicem immisisse nemo refert. Quin & aliud cum apertissime instituisse clarum est, dum panem seorsum, & calicem seorsum porrexit: dum edere quem dabat, panem: bibere quem propinabat, calicem jussit, nullam panis particulam bibere vel sorbere præcepit. Qui enim vino tinctus, maceratus & immersus hauritur panis, ille vero non *editur*, sed bibitur aut sorbetur. Itaque hoc quod Latinus sacerdos facit, dum panem in calicem immissum haurit, non modo ab institutione Domini alienum est, sed etiam disertissimo ejus præcepto repugnat, panis quicquid fuit in Eucharistia, *edere* suos, non *bibere* aut sorbere jubentis. Omnino videtur Latinus sacerdos illam, Christi edere panem benedictum, bibere vinum sacrum præcipientis simplicitatem fastidivisse, & aliquid singulare, quo mysterium esset augustius comminisci voluisse: ut scilicet panem & vinum uno eodemque actu simul semelque utrumque vel *ederet*, si placet, vel certe *biberet*. Huc & aliud accedit, quod illud quantumlibet ingeniosum ac subtile inventum, Christi in hoc sacramento mentem ac consilium manifeste pervertit: quo ut in mortis ejus memoriam instituto corpus Dominicum repræsentari decet, non vivum, sed mortuum, ut in cruce immolatum: hinc quidem ejus carnem vulneribus conscissam, exanimem & exsanguem: illinc sanguinem venis haustum, ac effusum. Id enim præter ipsum mysterij finem à Christo & Paulo diserte expressum, hunc scilicet ut in mortis Dominicæ memoriam ista faciamus, clarissime docent verba à Christo panem & calicem distribuente prolata, *t Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur*; &, quod eodem

t 1. Cor. XI. 24. Luc. 22. 19. Marc. 14. 24.

Caput XXVII. eodem redit, *quod pro vobis datur* (*dare* enim in hoc argumento, est *ad mortem dare*, ut ex aliis similibus locis patet in quibus occurrit eadem phrasis *u*) *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Hoc vero pane corporis, vino sanguinis symbolis à se invicem sejunctis seorsumque constitutis egregie nobis ob oculos ponitur divisio animæ à corpore, adeoque mors Domini: contra vero immissus in calicem panis, corpus vitæ redditum, & suo ut sic dicam, sanguine in venas recepto animatum figurat, quod quam sit absurdum, quamque manifestæ Domini in hoc sacro intentioni contrarium omnes vident. Neque sane post Apostolos ullum in sequenti ad an. D. 500, Ecclesia, intinctæ Eucharistiæ in solenni quidem ac legitima Synaxi exemplum occurrit. Fateor Dionysium Alexandrinum apud Eusebium, *x* narrare unum de suis presbyteris puero, cui particulam sacram Serapioni pœnitenti in supremis versanti deferendam tradebat, præcepisse ut eam vino maceratam seni daret, quo eam glutire posset, idque vinum videri sacrum ipsum quoque fuisse. Sed illam intinctionem summa necessitas extorsit. Cum enim Serapionem omnes corporis vires ita defecissent, ut nulla spes esset eum porrectum panem comedere posse, presbyter judicavit esse consultius eâ arte mollitam particulam ei præberi, quam hominem ad pacem Ecclesiæ anhelantem sine hac consolatione dimittere. Res ergo plane extraordinaria fuit, cujus unum hoc est in omni illa antiquitate exemplum, adeoque hujusmodi à quo nulla est ad Latinorum ritum ratio, qui valentes sponte, nulla necessitate particulam illam quam diximus, in calicem immittunt, idque non semel aut raro, sed quotidie in omni Missa usurpant. Hoc vero nusquam vel ex more Ecclesiæ, vel etiam præter eum ab ullis Christianis factitatum fuisse reperimus totis pæne septem prioribus Evangelicæ religionis seculis. Goar quidem scribit *y* Ilerdense Concilium, quod a. D. 524. habitum est, *prohibuisse intinctum panem in communione præberi.* Sed vereor ne doctissimum virum sua memoria fefellerit. Nihil enim ea de re in illius Synodi Canonibus habetur. Ille forrasse *Ilerdense* pro *Bracarensi* scripsit, facili memoriæ lapsu, ideo quod utraque Synodus apud Hispaniam celebrata est. Septimi enim demum seculi a. 75. intinctionis mentio occurrit in Synodo Bracarensi 3. quæ eam adeo non probavit, ut etiam diserte damnarit, gravissimisque rationibus è Scriptura petitis, veluti ab institutione Dominica alienam confutavit atque explosit. Cum enim inter cæteras corruptelas, quas nonnulli in Eucharistiæ celebrationem illis temporibus induxerant, quosdam *audivissent intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis* (id est ad complendam perficiendamque communionem) *porrigere*; eum usum ipsi veluti perversum & verbo divino repugnantem repudiant. *z* *Hoc*, inquiunt, *prolatum ex Evangelio testimonium non recipit, ubi* (Christus) *Apostolis Corpus suum & sanguinem commendavit. Seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio memeratur. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse*

u Gal. 1.4. Tit. 2.14. Ioan. 3. 16. & 6.51.

x Euseb. Hist. l. 6. c. 44. p. 246.

y Goar. not. 179. in miss. Chrys. p. 153. Euchol.

z Conc. Bracar 3. Can. 1. T. 4. Conc. p. 332. 333.

præbuisse non legimus, excepto tantum illo discipulo, quem intincta buccella Magistri proditorem ostenderet, non quæ sacramenti huius institutionem signaret. Scio hunc Canonem à Gratiano in jus Latinorum totidem verbis esse relatum; *a* & quidem in Iulij vetustissimi Romanæ Ecclesiæ Episcopi nomen transcriptum, quam ad rem Burchardus. *b* Ivo, *c* & alij decretorum Ecclesiasticorum collectores præiverant, qui canonem omnes Iulio tribuerant. Quo magis mirandum est Latinos, quem morem à viro inter suos Pontifices laudatissimo explosum sibi persuadent, in usum recepisse, quotidieque summa cum religione in omnibus suis Missis servare. Neque enim quisquam puto, istos eo satis purgatos existimabit, quod non *populis*, quod Canon vetat, sed sacerdoti celebranti intinctum panem permittunt. Apparet enim in illo Canone quamlibet sacri panis intinctionem damnari, & quidem ratione optima, à Domini institutione petita, cujus exemplum panem intinctum non magis sacerdoti, quam cæteris communicantibus porrigendum præscribit. Mihi vero rem diligentius expendenti non videtur Iulius huius Canonis autor fuisse. Primo, quod ex omni Scriptorum, qui plurimi vel Iulianis, vel proximis temporibus floruerunt, nemo est qui huius ritus meminerit, à Patribus vel damnati, vel laudati, vel certe tolerati, cum tamen commemorandus omnino fuisse videatur, siquis tum apud nostros extitisset, propter rei cum peregrinitatem ab Evangelio plane alienæ, tum novitatem superioribus seculis retro ignotæ. Huc accedit Patrum Bracarentium de Iulio in hoc edendo Canone silentium; quem si verum ejus autorem scivissent, erant profecto hoc loco nominaturi, tantique viri autoritate sententiam suam confirmaturi, vel saltem adjecturi, id quod ipsi repudiant, non tantum divinis Scripturis repugnare, sed esse etiam Ecclesiasticis Canonibus jampridem vetitum. Neutrum fecerunt; Ergo hic non Iulij, aut alterius cujusquam vetustioris legem aut verba usurpant, sed contra suis exortam temporibus corruptelam suis verbis id decernunt, quod ex Scripturis justum ac legitimum videbatur. Sed corruptelam, sive Bracarensium, sive Iulij, ut postea creditum est, autoritas & è Scripturis ducta ratio, tametsi in præsens, ut videtur, represserit, ita tamen coercere non potuit, ut non postea apud Latinos iterum atque iterum eruperit. Ac primum quidem satis honesta necessitatis specie à Turonensi quodam Concilio, cujus tempus nescitur, revocata est in usum; sed non aliorum quam infirmorum. Extat apud Burchardum ex capite hujus Synodi quarto his verbis descripta lex; *d Ut omnis Presbyter habeat pyxidem aut vas tanto sacramento dignum, ubi corpus Dominicum diligenter recondatur ad viaticum recedentibus seculo. Quæ tantum sacra oblatio intincta esse debet in sanguine Christi, ut veraciter Presbyter possit dicere infirmo, Corpus & sanguis Domini proficiat tibi,*&c. In Turonensibus quæ habemus, Concilijs hoc nuspiam legitur; sed quodcumque fuerit illud Concilium, certe tempore Burchardi, id est XI. seculi primordiis non potest non esse antiquius. Ex his initiis ultra

CAPVT XXVII.

a de consecr. D.2. c.7. cũ omne crimen.
b Burc. l.5. Dec. c.1.
c Ivo Dec. p.2. c.11. & c. 85.
d Burch. Dec l.5. c.9.

Caput XXVII.

deinde progressus ille intingendi sacri panis usus Latius etiam in ipsas bene valentium communiones se effudit, ac prius quidem apud Monachos frequentari cœpit. Apud Cluniacenses ex antiquis eorum consuetudinibus jam solennem fuisse patet undecimo seculo, quo liber ille scriptus videtur. Communionis enim ordinem enarrans, *e Quotquot autem* (communicantibus scilicet) *ipsum corpus sacrum dederit, singulis sanguine prius intinguit.* In cuius loci margine Dacherius, qui librum edidit, alium monet codicem hæc addere; *Quanquam sit extra usum aliarum Ecclesiarum; quia quidam, maximi novitij nostri adeo sunt rudes, ut si sanguinem ita separatim acciperent, non remaneret, ut non magnam aliquando negligentiam incurrerent.* Ex Monasteriis in Ecclesias primo aliquas, mox omnes, vel certe pæne omnes ipso illo undecimo seculo, intinctionis usus transiit, effusionis metu Latinos ob susceptam transubstantiationis fidem validius urgente. Id autem mature contigisse, & paulo post damnatam primis Paparum decretis Berengarij fidem constat ex Ioannis Abrincacensis de antiquo ritu Missæ celebrandæ ad Maurilium Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopum libello; ex quo patet jam tum intincto pane communicatum fuisse populum; *f Tertiam,* (inquit, de tribus particulis scilicet, in quas hostia à Sercerdote frangitur.) *Sacerdos, aut unus ministrorum accipiat; non autem intincto pane, sed iuxta definitionem Toletani Concilij seorsum corpore, seorsum sanguine Sacerdos communicet: Excepto populo, quem intincto pane, non auctoritate, sed summa necessitate timoris sanguinis Christi effusionis permittitur communicare.* Iam is Maurilius, cui liber inscriptus est, mortuus est a. D. 1067. ut, qui eum edidit Menardus, annotavit, *g* ipse vero Abrincacensis, anno 1079. Ergo jam tum, Berengario adhuc superstite, intinctus panis populo in communione dabatur. Eam mutationem Nicolaus Cusanus, Latinorum sui seculi doctissimus, observavit. *h Illud*, inquit, *gratiæ, quod quondam servato priore ritu sub diversa specie Christianus consequebatur, nunc comedendo separatim, tunc & bibendo, illud postea ex unico actu communionis sub specie intincti panis erat assecutus. Et licet tunc non parva altercatio in principio mutationis illius prioris, in Ecclesia fuerit, ob praxin Christi & priorum Patrum, ut in eodem cap.* Cum omne; *tamen universalis Ecclesia, quia ita tempori congruebat, populum cum intincto pane communicare permisit. Qua de re quidam Religiosus, frater Arnolfus, ad quæstionem cujusdam Lamberti circa illa tempora scribens, dicit post principium.* Prima ergo posita percontatio de altaris sacramento extitit, cur hodierna consuetudo Ecclesiæ censeat porrigi Dominicum corpus aliter quam à Domino in Cœna discipulis fuit distributum; & cætera, quæ plura, quædam fuse, ut sunt scripta ac autore; quædam contracta laudat. Quam vere autem ac sincere illa descripserit Cusanus, editæ non ita pridem à Dacherio autoris ipsius epistolæ nos docent. Is enim religiosus frater, quem Nicolaus *Arnolfum* vocat, absque controuersia ille ipse est, *Ernulfus*, ex Monacho Benedictino

e Consuet. Cluniac. c. 3. Dach. T.4.p.146.

f Ioan. Abrinc. de rit. miss. in pend. Sacr. Greg p.277. col 1.

g Men. not. ad Greg. Sacram l.4.p. 394. 397.

h Cusan. ep.3. ad Bohem. p.839.

ctino *Roffensis Episcopus*, cujus duæ extant Epistolæ, quarum ea ad Lambertum cujus meminit Cusanus, secunda est. Virum Dacherius ex historicis Anglicis vere docet *i* a. D. 1114. ad Episcopatum Roffensem fuisse evectum; 1124. è terris ad plures migrasse octuagenario maiorem. Itaque verisimillimum videtur hanc ad Lambertum epistolam paulo post id tempus scriptam esse, quo suum de Missa opusculum Ioannes Abrincacensis confecit. Ex ea autem epistola id quod diximus, de populo ex particulis intinctis communicato, clarissime ac certissime intelligitur, cum ex Lamberti quæstione, tum ex ipsa Ernulfi ad eum responsione. Illius quæstio quæ fuerit, docet k auctor his verbis; *Prima ergo*, inquit, *posita est percontatio de sacramento altaris; ita proposita, ut quæratur cur hodierna Ecclesiæ consuetudo alio, & pane contrario ritu censeat porrigi corpus Dominicum, quam à Domino in Cœna discipulis suis fuerat distributum. Id enim quotidianus Ecclesiæ prætendit usus ut tribuatur hostia sanguine intincta, cum à Domino prius corpus, deinde sanguis porrectus fuisse memoretur. Quem etiam morem Ecclesia ex Decretis Iulij Papæ nititimini improbare, quibus idem Papa Dominicum commendat ordinem, & Apostolica confidentia Ecclesiasticam arguit dispositionem; adjiciens intinctam panis bucellam Dominum proditori suo contulisse, & eo mentis eius impuritatem prodidisse.* Horum Ernulfus nihil negat; omnia & singula acerrime & pertinatissime defendit. Objicit intinctas populi particulas non probanti, eam quam sacerdos tinctam comedit. *l Cur*, inquit, *miratur quispiam, quod sacramenta porriguntur simul mixta? nonne indesinenter in Dominici corporis & sanguinis consecratione, diviso corpore in tres partes, una à sacerdote, videlicet quæ ab ipso sumenda est, in calice reservatur, sanguini admiscetur, sanguine infunditur, cum sanguine sumitur? Si ergo bonum est sumere hostiam sanguine infusam, malum erit porrigere hostiam sanguine intinctam?* Recte quidem ille hactenus. Non enim capi potest cur populo intinctas particulas porrigere sit nefas, si sacerdoti licet sibimet intinctam sumere. Vtrumque vel omittendum, vel retinendum est. Sed quis esse retinendum id dubitaverit, quod & Christi institutioni & Apostolorum, priscæque Ecclesiæ traditioni ac praxi congruit? id repudiandum quod ab utraque discrepat? Ille vero ratiunculis ab effusionis periculo sumptis colligit sapienter fecisse, qui Dominicum institutum mutarunt. *A religiosis viris provide* (inquit) *factum est, ut Dominici corporis portiuncula non sicca, sicut Dominum egisse novimus, porrigatur, sed Domini infusa sanguine.* Quantulo iste abest ab eo, ut Dominum *improvide* egisse dicat, qui aliud quam quod qui *provide* agunt, egerat scilicet? Iulij vero creditum illud, quod Bracarensis Synodi est, obiectum à Lamberto decretum, abductis superciliis, veluti *eminentiori rationis pondere* à more contrario depressum, dimittit. *m* Quam autem ille acriter effusionis periculum urgeat, quantasque & quam multas idem ille metus in Latinorum religionem novitates induxerit, nos infra *n*, Deo dante, in disputatione de Eucharistiæ latria, fusius demonstrabimus.

CAPVT XXVII.

i Dach. præf. in tom. 2. Spicileg.

k Ernulf. ep. 2. quæ est ad Lamb. in Dach. Spicil. to. 2. p. 432.

l Ib. p. 434.

m Ib. p. 436.

n l. 7. c. 26.

Caput XXVII.

Ergo hæc fuit adulto illo & ad extrema vergente undecimo seculo apud Latinos consuetudo, ut in Missis præsertim frequentioribus, cum laïci multi communicaret, intinctum sacro vino panem acciperent. Sed illa diu non mansit, Vrbani P. R. decreto sublata; qui annis antequam Ernulfus moreretur, non pluribus quam novem & viginti, in Concilio Claromontano, ann. D. 1095. hunc Canonem condidit o, *Corpus Dominicum & sanguis Dominicus singulatim accipiatur.* Sic enim refert p Ordericus Vitalis. Baronius q & ex eo Binius r, fusius explicatum ex Codice, Lamberti Atrebatensis Episcopi jam antea ab Antonio Augustino descriptum sic recitant; *Ne quis communicet de altari, nisi corpus separatim & sanguinem separatim sumat, nisi per necessitatem & cautelam.* Vltimis verbis, *nisi per necessitatem & cautelam*, excipi à lege eam Eucharistiam quæ infirmis summa imbecillitate laborantibus intincta ad cavendam effusionem dabatur, ut supra ex Burchardo audivimus, equidem Hugoni Menardo facile assentior. Etiam intinctæ Eucharistiæ, quod ille quoque vult, administrationem sacerdotibus hic ab Vrbano *in Missa solenni* concedi, *cum populus communicat, ne præ multitudine sanguis effundatur*; fateor parũ mihi verisimile videri. Nã præter quã quod dilutior hic est sensus, quam ut eum verba Vrbani capere possint, ita acceptã legem exceptio vel superaret, vel certe æquaret. Nam si sacerdotibus licet per legem & ægrotis domi, & populo in Ecclesia panem sacrum vino sacro intinctum tradere; nulli alij supererunt nisi ipsi sacerdotes, & nonnulli si forte Laïci seorsum communicantes, ad quos lex pertineat; quæ si Vrbani mens erat, Canonem his verbis absurde concepit, *Ne quis communicet de altari, nisi corpus separatim, & sanguinem separatim sumat.* Potius istis usus esset, *Ne quis de sanguine Domini puro, neque pane mixto bibat, nisi ipse qui confecit sacerdos, & si quis fidelis solus in privatis Missis communicet.* Hunc autem quem nos diximus esse generalem Canonis sensum, firmat Paschalis P.R. 2. epistola ad Pontium Cluniacensem Abbatem a. D. 1118. data, & à Baronio vulgata, in qua illum porrigendæ intinctæ communionis morem de integro prohibet; quod ut credibile est, videret Vrbani antecessoris sui decretum non ubique servari; s *Scribens*, inquit, *ad Cæcilium B. Cyprianus ait, Quando aliquid Deo inspirante & mandante præcipitur, necesse est Domino servus fidelis obtemperet, excusatus apud omnes, quod nihil sibi arroganter assumat, ne aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit. Igitur in sumendo corpore & sanguine Domini, iuxta eundem Cyprianum, Dominica traditio servetur, nec ab eo quod Christus Magister & præcepit & gessit; humana & novella institutione discedatur. Novimus enim per se panem, per se vinum ab ipso Domino traditum. Quem morem sic semper in sancta Ecclesia conservandum docemus atque præcipimus, præter in parvulis ac omnino infirmis qui panem absorbere non possunt.* Aureus hic Paschalis Canon, omnia ad primam Christi institutionem exigens; quo non intincti modo panis usus, sed etiam multo magis constituta à Paschalis successoribus sub

una

o Conc. Claromon. c. 28. T. 6. Conc. p. 507.

p Hist. l. 9. ad a. 1065. p. 780

q Bar. D. 1095. §. 28.

r Bin. ad Cã. 28. Conc. Clar. ubi sup.

s Pasch. ep. ad Pont. apud Bar. Append. t. 12. ad a. D. 1118.

una specie communio evertitur. Planum enim est, qui vinum in pane porrigit, à Christi cum institutione & exemplo propius abscedere, quam qui vinum, neque seorsum, neque in pane neque ulla alia ratione porrigit. Ratio quam affert Paschalis, omnes synaxes probat celebrari debere pane seorsum, calice seorsum dispensatis. Sic enim suam Christus administravit, cujus nos exemplum servare vult & præcipit Paschalis. Exceptio regulam firmat, quæ nullos alios lege hac exsolvit, nisi eos quos morbi invicta necessitas sic debilitavit, ut rem præceptam præstare atque exequi non possint. Ergo hic verus germanusque erat Vrbani in suo decreto sensus, non alios excipientis, quam eos quorum vel ætas tenerior est, vel valetudo infirmior, quam ut panem siccum edere ac glutire possint; in quo (ut loquimur) casu caveri vult ille Pontifex nequid accidat reverentia Numini in pane latenti debita indignum, dum siccum glutire frustra adiguntur, quibus glutiendi nulla facultas superest. Neque his obstat, qui ab Hugone Menardo objicitur, Ioannes Abrincacensis supra à nobis descriptus locus. Ioannes enim, quod est observatum, ante a. D. 1067. scripserat, quo tempore illa consuetudo Eucharistiæ fidelibus ex pane intincto tradendæ passim ac pœne ubique erat recepta; ut ex Ernulfo & ex Consuetudinibus Cluniacensis monasterij demonstravimus. Vrbanus vero a. D. 1095. ut pravam illam consuetudinem rescinderet, legem illam suam in Claromontano Concilio tulit, qua semel publicata, intinctæ populo in synaxibus ministrandæ usus paulatim ita desiit, ut in scriptoribus sequentium temporum rara occurrat ejus mentio. Morem Episcoporum decretis, sicubi pertinacius hæreret inhibitum fuisse docet Ricardi Cantuariensis Archiepiscopi & Romanæ sedis Legati exemplum, qui in Synodo *ad emendationem Anglicanæ Ecclesiæ*, a. D. 1175. habita, inter cæteras corruptelas, hunc quoque intinctæ porrigendæ morem diserte ipsis Patrum Bracarensium verbis prohibuit; [t] *Inhibemus*, inquit, *nequis quasi pro complemento communionis, intinctam alicui Eucharistiam tradat. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus excepto illo tantum discipulo quem intincta buccella magistri proditorem ostenderet, non quæ sacramenti huius institutionem signaret.* Ita quem morem ante annos centum Ernulfus, Lanfranci discipulus, cupidissime atque animosissime in Anglia defenderat, eum nunc ibidem ejusdem Lanfranci in Cantuariensi sede successor, quæ sunt rerum humanarum vices, severe prohibuit, ac ut verisimile est, abrogavit. Eamdem in nostris Galliis, & quidem maturius, post Vrbani & Paschalis interdicta accidisse mutationem ex Hildeberti epistolis, qui anno seculi duodecimi 25. floruit, facile intelligimus. Is enim libere, acriter, & quidem veris argumentis intinctarum particularum usum refellit; [u] monens amicum quemdam Abbatem, ut illam consuetudinem ex suo Monasterio tollat, cui neque *Evangelica consonent, neque decreta concordent; quæ nec ex Dominica institutione, nec ex sanctionibus authenticis reperitur assumpta.* Ac utrumque deinceps

CAPUT XXVII.

[t] Gervas. in Chr. a. D. 1175. T. 1. script. X. Angl. p. 1429. & 1431. Can. 15.

[u] Hildebi ep. 64. T. 3. Bibl. PP. p. 232.

Caput XXVII.

probat ex litteris Apostolicis & Ecclesiasticis; quo loco illam ponit Iulij P.R. nomine vulgatam, supra à nobis memoratam constitutionem. Denique disputationem his verbis concludit, *Hæc tibi, carissime, sufficiant, si veritatis compendia sequi, quam post longos relinquendæ consuetudinis circuitus aberrare malueris.* Paria non multis ante annis scripserat x autor Micrologi; *Non est*, inquit, *authenticum quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis distribuunt.* Id enim & Ordini Romano adversari, acute sane probat, & cum Iulij atque Gelasij P.R. decretis pugnare ostendit. Ita intinctæ ex sacra Domini mensa distribuendæ mos ob effusionis metum apud Latinos inductus, cum paucos annos mansisset, paulo post Vrbani & Paschalis Episcoporum Romanorum autoritate ac decretis repressus brevi obsolevit. Cæterum alteram illam unius particulæ celebrantis sacerdotis propriam, intinctionem mordicus retinuerunt; tametsi ejus (quod, ut supra diximus, probe vidit Ernulfus) plane eadem sit ratio, quæ hujus publicæ ac communis erat. Christi enim exemplum & veteris Ecclesiæ mos, & rei ipsius ingenium, Eucharistiam non magis ab uno sacerdote sumendam intingi concedunt, quam particulas aliis de plebe & Clero communicantibus distribuendas. Sed antequam hoc disputationis caput concludam, paucis observandum est quam falso atque inscite Baronius y & Binius z ad illum quem recitavimus Vrbani II. Canonem annotarint, eo interdici intincti panis usum, *ob recentem damnatam hæresin Berengarianam, quæ per unam tantum speciem satis esse impleri figuram aiebat.* Atqui ex Ernulfo & Ioanne Abrincacensi ostendimus ipsorum Latinorum Ecclesias una illa panis sed intincti specie Eucharistiam distribuisse; *Quotidianus Ecclesiæ* (inquit apud Ernulfum Lambertus) *prætendit usus, ut tribuatur hostia sanguine intincta. Ecclesiam* dicit, non Berengarium; quem hujusmodi ex una specie communionem approbasse, unus quod sciam, Baronius somniavit, veterum nemo scripsit. Valdensis plane aliud tradidit. Berengarianorum enim, quam ipse vocat, hæresin, cum altera quadam eorum, quos vult à Iulio P.R.I. denotatos comparans, a *Illi* (inquit) *ponunt corpus Christi & sanguinem solum inesse figuraliter sacramento, quod nude cæteri non ponebant. Accedunt autem eis ponendo ex hoc carnem tantum sacramentaliter in pane, & sanguinem tantum in vino; ideoque nullum dicent sumere Christi carnem & sanguinem, nisi sub duplici specie congruenter; carnem sub pane, sanguinem sub vino; nec tamen carnem & sanguinem per naturas, sed sub pane & vino tropice & per figuras:* Et paucis interjectis, *Viclevistæ, quia substantiam carnis ibi non concedunt, restat ut dicant tantum in pane carnem, tantum in vino sanguinem, quia solum est utrumque ibi secundum propriam suam figuram.* Recte & apposite ad Berengariani dogmatis ingenium. Baronij hariolatio plane crassa ac pæne portentosa est, quæ non modo omni veterum testimonio caret, sed & rerum ipsarum & quibus fabulatur, naturæ valide repugnat. Sed hæc de intinctione satis sunt.

x Micr. c. 19. T x. Bibl. PP. p. 742. C.

y Bar. a. D. 1095. §. 28.

z Bin. ubi sup.

a Thom. Vald. tom. 2. c. 87 fol. 90. Col. 3. init.

CAPVT.

CAPVT XXVIII.

De sumptione vini sacri per fistulas, sive pugillares, Moris novitas, absurditas, & abrogatio.

HVc etiam pertinet ille Eucharistici vini sumendi ritus, quo id per a fistulas è calice communicantibus veluti exsugendum à ministrantibus aliquando apud Latinos traditum est. Ineptissimi inventi eadem quæ intinctionis causa fuit, nimia scilicet illa effusionis formido, qua eorum mentes percelli cœperunt, postquam vinum sacrum, & singulas eius guttulas ἀποθειῶσαι placuit. Idemque metus tamdiu eos exagitavit, donec tandem vt illa se sollicitudine liberarent, eo devenerunt, vt calice cæteros (præter vnum sacra facientem sacerdotem) omnes pariter fraudandos esse decernerent. Ergo antequam dirum illud decretum promulgarent, timori de vini effusione suo variè consulebant. Plærique, quod diximus, particulas in calicem immissas, ac vino sacro intinctas ad mensam Dominicam accedentibus porrigebant. Alii, sed pauciores, è poculo per fistulas in ora communicantium tutius trajici putabant. Cassander hanc artem magni facit, qua disputat eius numinis, quod Latinis vel assentitur, vel certè concedit in vino latere, honori ac reuerentiæ abundè adversus effusionis periculum caueri. Ille igitur scribit, quo tempore quibusque locis hæc cautio in Eucharistia adhibita est, communicantes vinum sacrum ex calice, non admotis vt antea solebant, ad ipsius poculi oras labiis, sed per fistulas argenteas aut vitreas ex calice ori insertas delatum excepisse; idque olim vsurpatum & in Romana, in aliis Ecclesiis testari Ordinis Romani libellos dicit; Quin & *huiusmodi fistulas Calicibus ipsis adiunctas passim sua memoria visas esse, ac de monasteriis idem quoque constare, præsertim Cisterciensium & Carthusianorum.* Idem alibi observat c Eucharisticas illas fistulas in Ordine Romano dici *pugillares*: quod illo seculo usurpatum esset *pugillarium* nomine significare *stylos* seu *graphia*, sive etiam pennas & calamos, quibus litteræ deformantur: ex qua similitudine fistulas ceu cannas quibus sanguis è Dominico calice exsugebatur, *pugillares* quoque dici cœpisse: cum proprie pugillares sint ipsæ tabulæ, in quibus scribi consuevit. Hæc Cassander; quibus de re ipsa assentior: de tempore quo res in hoc sacramento adhiberi cœpit, non probo quod ille Ordinis Romani autoritate deceptus, aut ante intinctæ usum, aut simul cum eo fistulas quoque quosdam Latinorum adhibuisse in hujus sacramenti distributione vel putat, vel certe putare videtur. Ego panem infingi prius cœpisse crediderim: cuius ritus, ut ex superioribus patet, & ante undecimum seculum jam aliqua, & undecimo ipso satis crebra est apud scriptores mentio; cum fistularum ante ordinis Romani, quem habemus, autorem

b Cass. de comm sub utr. p. 1036.

c Id. in lit. c. 22. p. 52.

Caput XXVIII.

rem, qui meminerit haud facile quemquam credo reperies. Ordinem vero Romanum, quem qualemque hodie habemus, qui adornavit, cum quod alibi *d* dictũ est non est verisimile diu ante XI. seculi finem vixisse. Cistercienfium & Carthusianorum nomina quæ hic dicit Cassander, Monachos crasi hujus & inficeti inventi autores fautoresque fuisse indicant, quo sanctissimum & augustissimum Eucharistiæ mysterium pæne in ludibrium abit. Itaque verius ego censuerim Monachos, cum ab Urbano interdictum intinctæ Eucharistiæ usum esse cernerent, suas illas fistulas exeunte undecimo seculo excogitasse, & duodecimo labente frequentasse, tandemque nonnullas Ecclesias ad suum hoc usurpandum inventum provocasse. Utcunque sit, manifestum est eum ritum, neque antiquum fuisse neque diuturnum. Cæpisse nemo, credo, dixerit vel Apostolorum ævo, vel septem & octo sequentium seculorum temporibus, quibus totis in nullo usquam Ecclesia angulo absurdissimæ istius consuetudinis memoria, vel vestigium occurrit. Neque diu mos post abolitam intinctionem mansit. Verisimile est plærisque mortalibus displicuisse inventi ineptiam, ac pæne ridiculam absurditatem, facileque & cito in desuetudinem venisse, tandemque plane extinctam esse; præsertim postquam cuncti eo inclinarent, ut ad omnes illas difficultates semel simulque vitandas, quæ ex effusione oriebantur, satius esse putarent calice carere, & solo pane apud Domini mensam vesci, quam in tanti periculi metu assiduè versari. Itaque nihil est, quod & eo usu, cujus nunc quidem nulla cernuntur apud Latinos vestigia, plura dicamus.

d c. 6. supr.

LIBER



LIBER IV.
DE CVLTIBVS LATINORVM RELIGIOSIS;
Qui de Eucharistia secundus est.

CAPVT I.

Novum esse, & ad 5. seculum apud Christianos illaudatum, ut ij solemnibus synaxibus interessent, qui non & ipsi communicarent. Veteris Ecclesiæ disciplina & Canones Pseud-Apostolici, & Antiocheni id probant. Ij explicantur, & vindicantur à Glossis Latinorum.

SED hæc de fractione & intinctione sacri panis satis sunt. Fractionem sequitur distributio; quam rei autor Christus princeps exemplo suo dedicavit. Eum enim Evangelistæ & Paulus omnes pariter narrant *a panem accepisse, benedixisse, fregisse & discipulis manducandum dedisse*, quod ipsa porrigentis verba significant *Accipite & comedite*. Qua in parte multæ apud Latinos occurrunt nunc denotandæ novitates; primum de ipsa distributione, quam negant esse ad hoc sacramentum rite peragendum necessariam, plurimasque ac pæne innumerabiles quotidie Missas absque ea celebrant; tum de distributionis ministro; tertio de distributionis modo ac ratione; quarto de personis quibus sacramentum distribuitur, quinto de re ipsa quæ distribuitur, cujus alteram partem, nempe calicem, à nemine nisi ab uno celebrante, gustari patiuntur; sexto denique de sacramenti accepti reservatione, quam ipsi grande nefas putant ulli communicanti concedi. In his omnibus clarum est Latinos longè aliud nunc facere, quam quod olim Christiani faciebant; ac in plerisque à Christi instituto, & ab Apostolorum Apostolicæque Ecclesiæ, & sequentis ad ultima secula, praxi atque

a Matth. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 23. 24.

Cap.I. usu discedere; in nonnullis diversa à Patrum saltem exemplo sequi ac servare.

Vt ergo à primo incipiam, Bellarminus ut rem involuat, nomen Missæ privatæ multipliciter distinguit *b*, & sex diversos sensus affert, quibus Missa dici potest *privata*. Nos missis cæteris in uno, qui ei est ultimus, pedem nunc figimus, quo Missa *privata dici*, inquit, *posset ea, in qua solus sacerdos communicat*. In hac enim nulla, ut patet, fit sacramenti *distributio*. Cassander nequis *de privata Missæ* vocabulo quod est homonymum, luderet, *solitariam* appellare maluit; & ex nostris aliqui hanc quoque nomenclaturam retinent, ut Georgius Calixtus, quem honoris causa nomino. Itaque Latini concedunt quidem sacerdotem, ut legitima sit Eucharistia, ipsum necessario communicare debere, id est, dona sanctificata sumere; aliis vel alteri distribuere negant esse necessarium; imo qui aliud sentiunt, eos Tridentini anathemate figere non dubitarunt. *c Si quis*, inquiunt, *dixerit Missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.* Et antea cum suam hac de re fidem explicarent dixerant *d*. *Se quidem optaturos fuisse, ut in singulis Missis fideles adstantes sacramentaliter communicarent; non tamen propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnare, sed probare atque adeo commendare.* In quibus verbis notanda est istorum solennis vafrities. Non enim dicunt, quod omnino dicendum erat, si vere & ex animo loquerentur, *optat quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis*, &c. Sed *optaret quidem*; quasi innuere velint; se quidem id quod aiunt optaturos fuisse, si rerum suarum ratio id sineret; nunc quando aliter est, non esse ausos id rotunde *optare*. Hac ita ambigua ac suspensa oratione ideo usi hoc loco videntur, nequis eis objiceret absurdum esse & à ratione alienum, ut quis vel ea optet, quorum contraria *probat ac commendat*, vel ut ea *probet ac commendet*, quibus adversantia serio optat. Si quod se optare præ se ferunt, id vere ac serio optarent, dicerent profecto se aliud tamen quã quod volunt, *ferre*, aut *tolerare*, non dicerent id se *probare ac commendare*. Sed & in eo fraudis aliquid latet, quod optarent quidem *fideles Missis adstantes sacramentaliter communicare*; de iis Missis quibus nulli adstant fideles, nihil dicunt, suum hoc dedecus versute dissimulantes, quasi nullæ apud eos fiant Missæ quibus nulli fideles intersunt. Atqui notum est apud eos Missas duorum esse generum; quasdam quibus præter sacerdotem & unum si forte aliquem comitem, nemo fidelium interest; alias quæ aguntur circumadstante fidelium corona, maiore aut minore pro temporum aut locorum ratione. In his sæpe, in illis semper; in illis necessario, in his, ut in scholis loquuntur, contingenter fieri, ut solus sacerdos communicet. Nos utramque solitariæ communionis speciem damnamus. Tridentini de posteriori tantum loquuntur; de priori quæ flagitiosior & inhonestior videtur, plane tacent, ac si vel nulla esset,

vel

b Bellar. de Miss. l. 2. c. 9. init.

Ib. §. ultima privata.

c Conc. Trid. sess. 22 can. 8

d ibid. cap. 6

vel à nemine repræhenderetur. Bellarminus vero ad hoc Tridentinæ Synodi caput, illud tantum defendit, quod etsi ejusmodi Missæ privatæ dici possent ratione communicantium sacramentaliter, tamen absolute non privatas, sed publicas & communes esse, quod sit & earum fructus multorum communis, & qui eas celebrat Sacerdos, Minister Ecclesiæ publicus. *e* Sed istæ meræ sunt tricæ hominis ingenio abutentis; in quibus explicandis nos quidem, qui quid olim factum sit, simpliciter quærimus, nihil immorari necesse est. Suas illas Missas, quas unus sacerdos in solo templi alicuius angulo solus celebrat, Bellaminus privatas & solitarias esse neget; *communes, publicas*; *imo & universales atque œcumenicas* esse defendat; per me nunc quidem licet. Vnum est, quod ab eo quæro, ut mihi, Missa de nomine rixa, aliquam, si possit, huiusmodi Missam, vel apud Dei scripturas, vel apud veteres Græcas Latinasque Ecclesias, ostendat, in qua sacerdos, sive solus, sive in corona fidelium sacra faciens Eucharistiam unus sumpserit, alij distribuerit nemini. Ad hanc lineam certandum est. Hic verus vnusque est nostræ quidem quæstionis status. Ac ut res tota clarius perspiciatur, prius quærendum est de synaxi Ecclesiastica, id est cui vel tota cujusque Ecclesiæ plebs interest, vel certe pars eius non contemnenda, an omnes qui intersunt, olim communicaverint, necne; secundo an aliqua celebrata fuerit synaxis, cui nemo præter celebrantem, sacramentaliter communicaverit?

CAP. I

e Bell. l. 1. de miss c 9. §. vltimo.

De priori quæstione Petavius scribit, *f hæreticis quibusdam nimium stolide persuasum esse nunquam in veteri Ecclesia Missam auditam à fidelibus esse, qui una communicarent.* Et Casobonum qui ita sentit, ait *versari in errore stultissimo.* Nos missis doctissimi quidem, sed maledicentissimi hominis contumeliis, quid verum sit investigemus. In primis distinguenda sunt tempora. Sane apud vetustissimos secundi & tertij seculi Christianos hunc fuisse morem, ut nemo sacræ Liturgiæ interesset, qui non communicarent, verius videtur, & nos alibi *g* demonstravimus, tum ex aliis, tum ex insigni præsertim Tertulliani loco in quo ait *h, plerosque* sui ævi fideles non putasse, si qui ad vesperam jejunarent, *stationum diebus* (quibus jejunium sumpta Eucharistia hora nona solvebatur) interveniendum, *synaxi, quod statio*, inquit *solvenda sit accepto corpore Domini.* Nulla enim hæc iis futura erat solvendi jejunij necessitas, si ut nunc, ita & olim liberum fuisset sacræ synaxi interesse, neque tamen sacramentum sumere. Eum vero morem proximis post tertium seculis etiam clarius quam prioribus, fuisse patet. Notissimum enim est, & apud omnes confessum, ex quarti & quinti seculi disciplina, non modo Cathecumenos, & energumenos, sed etiam Pœnitentes omnes ex Ecclesiæ conventu dimissos fuisse antequam fidelium synaxis fieret: neque fas fuisse cuiquam istorum ei sacro interesse. Extant in Constitutionibus & Liturgiis ipsissimæ diaconorum voces, quibus omnes isti sigillatim procul ab hoc mysterio extra Ecclesiæ limina, accurate dimittebantur; *Exite Catechumeni in pace.* προέλθετε οἱ

f Pet. not. ad Epiph. expos. fid. p. 355.

g lib. 2. cult. rel. obj c. 13. p. 254.

h Tertull. de orat. c. vlt. p. 155. A.

Const. l. 8. c. 6. ext. c. 7. c. 9. ext.

Cap. I. κατηχούμενοι ἐν εἰρήνῃ. Exite Energumeni προέλθετε οἱ ἐνεργούμενοι. Exite qui in pœnitentia estis. ἀπολύεσθε οἱ ἐν μετανοίᾳ. Fideles, id est baptizatos stares, exire solos vetat. Nemo eorum, quibus non licet, exeat. Omnes fideles flectamus genu. Oremus Deum per Christum eius. μήτις τῶν μὴ δυναμένων προσελθέτω. ὅσοι πιστοὶ κλίνωμεν γόνυ. δεηθῶμεν τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦ χριστοῦ αὐτοῦ. Ac postea sub ipsum Episcopi ad sacrũ peragendũ introitũ, Diaconus iterum eadẽ exclamat. k Nequis ex Catechumenis, nequis ex audientibus, nequis ex Infidelibus, nequis ex Hæreticis. His omnibus dimissis, tempore oblationis januæ claudebantur; semel clausæ nemini, ne fideli quidem, donec consummatum esset sacrum, aperiebantur. l Eadem docent Liturgiæ; ut Iacobæa; m Nullus Catechumenorum; nullus eorum qui nondum initiati sunt, nullus eorum qui orare nobiscum non possunt, intersit. Liturgia Chrysostomi, ut ex editione Leonis Tusci à Cassandro recensetur, n similia continet. Iubentur exire Catechumeni & soli fideles remanere. Sic & Basilij Liturgia. Atque hæc ita olim apud Ecclesiam solennia fuisse plurimi illius ævi scriptores testantur; Chrysostomus, o Audis, inquit, præconem stantem & dicentem, Quicumque estis in pænitentia, abite omnes; ὅσοι ἐν μετανοίᾳ ἀπέλθετε πάντες. Pseudo Dionysius Episcopi ad conficiendã Eucharistiam apparatũ describens, post psalmodiam & scripturarum lectionem, o Ea, inquit, finita sacro ambitu arceantur Catechumeni & cum iis Energumeni, ac pænitentes, illis qui divinorum aspectu & Communione digni sunt, remanentibus. μένουσι δὲ οἱ τῆς τῶν θείων ἐποψίας καὶ κοινωνίας ἄξιοι. Tum clausas fuisse templi fores significat. Plures in re clara confessaque testes citare nihil necesse est. Quamdiu stetit hæc disciplina, nihil est quod dubitemus omnes, qui in Ecclesia remanebant communicasse. Aliter enim si factum esset, illud pænitentis à fideli discrimen, quod tum erat conspicuum, plane evanuisset; licuisset enim pænitenti remanere; fidelis vero pro pænitente habitus esset, si sacra mensa abstinuisset. Sed non est opus argumentis. Disertas Ecclesiæ ea de re leges habemus. Canones Pseud-Apostolici, qui circa 4. seculi initia una cum Constitutionibus primum editi videntur, Quicumque inquit, p fideles ingrediuntur, & scripturas audiunt, in precatione autem & sacra communione non permanent, ut Ecclesiæ confusionem afferentes, segregari oportet. Sic enim Dionysius Exiguus Canonem Latine reddidit, qui Græce ita legitur. πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει ὡς ἀταξίαν ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ ἀφορίζεσθαι χρή. Bellarminus respondet q Canonem eos damnare, non qui absolute non communicant, sed qui certa de caussa, nimirum ob aliquam superstitionem, aut pravam opinionem, aversantur sacram communionem. Atque ita hunc Canonem ex Antiocheno canone 2. interpretandum esse vult. Sed cur velit, primo nulla ratio est; quod diversa sint utriusque verba. Hic enim canon Pseud-Apostolicus simpliciter & absolute fideles segregandos dicit, qui ingressi Ecclesiam non permanent in precatione & communione. De eorum superstitione & prava opinione nihil dicit. Tantum eos qui ita se gerunt, dicit ἀταξίαν ἐμποιοῦν τῇ ἐκκλησίᾳ, ut Ecclesiæ confusionem afferentes. Ἀταξία nimirum est

k Ibid. c. 12. init.
l ibid. c. 11. extr. p. 1013. d.
m Lit. Iac. t. 2. Bibl. Pat. Gr. Lat. p. 6. D.
n Cass. in lit. c. 7. p. 18. c. 8. p. 21.
o Chrys. Hom. 3. ad Eph. p. 887. D.
o Dionys. Hier. Eccles c. 3. in Myst. p. 243. A
p Can. Apost c. 9. al. 10.
q Bell. l. 2. de Miss. c. 10. §. primum.

est constituti in Ecclesia ordinis perturbatio. Ecclesiæ ordo erat, ut esset inter communicantes & non communicantes fideles certum & conspicuum discrimen; hi de sacro conventu ante Eucharistiæ sacrum exirent, illi manerent. Hunc Ecclesiæ ordinem ij, quos Canon notat, apertissime turbabant ac pervertebant, qui neque exibant cum non communicantibus, neque communicabant cum permanentibus, quasi tertium nescio quod hybridarum & ex utroque mistorum fidelium genus essent, cujus communis esset cum exeuntibus quidem ἀκοινωνησία, cum communicantibus in sacro Eucharistico præsentia. Neque aliud eis, quam hujus immodestiæ crimen imputat Canon; quod ordinem constitutum turbarent, atq; eo confusionem in Ecclesiam, quod non decet, inveherent. Sed neque alius est Antiocheni canonis, quo suam glossam Bellarminus fulciendam putavit sensus. *Omnes qui ingrediuntur in Ecclesiam Dei, & sacras scripturas audiunt; nec communicant in oratione cum populo, aut aversantur participationem sacræ Eucharistiæ per quamdam perversitatem, hos ab Ecclesia ejici oportet, donec postquam confessi fuerint, fructusque pœnitentiæ ostenderint, & imploraverint veniam assequi possint.* πάντας τοὺς εἰσιόντας εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ κοινωνοῦντας δὲ εὐχῆς ἅμα τῷ λαῷ, ἢ ἀποστρεφομένους τὴν μετάληψιν τῆς εὐχαριστίας κατά τινα ἀταξίαν, τούτους ἀποβλήτους γίνεσθαι τῆς ἐκκλησίας, ἕως ἂν ἐξομολογησάμενοι. &c. Salmasius testatur s in veteribus libris scriptum fuisse, μὴ κοινωνοῦντας δὲ τῆς τελευταίας εὐχῆς, *qui non communicant in oratione ultima*, id est quæ fiebat post communionem peractam. Atque ita sane Canonem hunc exhibet Ioannes Antiochenus in synagoga Canonum, quæ in Bibliotheca juris Canonici veteris extat. t Iam, non aliud Canon istis quos damnat, crimen objicit, quam eandem illam ἀταξίαν, *ordinis perturbationem*, à Pseud Apostolico Canone denotatam. Hæc enim est quam vetus Interpres *perversitatem*, Dionysius Exiguus *intemperantiam* reddunt. Ergo & hujus Canonis idem quoque, qui superioris sensus. Sed consulendi veteres quo Canonum origini propiores, & ex quotidiana suæ Ecclesiæ praxi, quid iis significetur, multo quam nos certius intellexerunt, qui iis temporibus vivimus, quibus ex veteri disciplina nihil fere aliud superest, præter legum quibus ea continebatur, verba & voces. Quid ergo illi de his Canonibus censent? Si Latinos adimus, vetustissimus & juris Ecclesiastici peritissimus Dionysius Exiguus Ecclesiæ universalis Codicem Latine est interpretatus, singulisque Canonibus suum titulum præfixit, quo quis sit eorum sensus breviter ac dilucide docet. u Is ergo Apostolico quidem Canoni hoc breviarium præscripsit, *Can.* X. *Quod fideles Laici ingredientes Ecclesiam communicare debeant.* Hæc lex est, hæc legis mens. Verba subjecta, *omnes fideles*, &c. neminem fidelium *qui Ecclesiam ingrediuntur*, ab hac lege eximunt; & pœna legis violatoribus imposita ostendit, quam arcte omnes ad officium hic imperatum obstringerentur. Ergo quisquis synaxi intererat, eum canon Dionysio interprete, communicare districte jubet. Ita idem præcedentis Canonis

CAP. I.

r Conc. Ant. Can 2. in Cod Eccles. Vniu. 81.

s Salm. in ep. Simp. Ver. p. 250. 251.

t Patr. 1. p. 595 Bibl. jur. Can. Vet.

u Bibl. iur. Can. vet. T. 1. p. 112.

Cap. I. titulum plane eodem modo ac sensu in re simili expresserat; x *Quod ministri altaris oblatione celebrata communicare debeant.* Neque vero aliter canonem Antiochenum accepit; Titulum ei hunc affixit. y *De his qui se à perceptione sanctæ communionis avertunt.* Lex est iis verbis exposita quæ supra recitavimus. Crisconius Afr, quem ad an. D. 690. vixisse satis constat, etiam clarius rem definit. Is enim in Breviario Canonum, *Quod fideles laici* (inquit) z *communicare debeant. in Can. Apost. Tit.* 10. *Conc. Ant. Tit.* 2. *Et in Canonum* collectione, utrumque Canonem totum ad caput 12. describit. a Clarum est inferiorum seculorum Latinos Theodulfum, Strabonem, ipsum Micrologi scriptorem eadem sensisse. Sed ad Græcos venio. Ioannes Antiochenus, quẽ Iustinianus in sedem Constantinopolitanam evexit, Canonem Antiochenum de iis accipit, b qui post lectiones, *non expectant sanctorum* (idest Eucharistiæ) *sumptionem.* Alexius Aristinus Pseud Apostolicum Canonem contrahit in eundem sensum; Antiochenum vero sic reddit, c *Qui Ecclesiam ingressus, sacram scripturam attente audit; deinde contemnens exit & à participatione se avertit, eyciendus est.* Symeon Magister nonum Apostolicorum sic reddit; d *Excommunicabis eum qui in oratione & participatione non perseverabit;* Antiochenum plane ut Aristinus. Balsamo denique ac Zonaras utrumque Canonem plane in eundem quo nos cepimus sensum interpretantur; ac tametsi in aliquo dissideant, in hoc tamen consentiunt, quod uterque Bellarminianam glossam veluti occupantes refutant ac repudiant. Balsamo in canonem Antiochenum, negat e eos illic intelligi, *qui sacram communionem odio habeant, & abominantur; sed qui ora contemptu & arrogantia ex Ecclesia ante sanctam participationem inordinate exeunt, neque intueri sustinent.* Zonaras vero in eumdem Canonem; f *Aversionem* (inquit ἀποστροφὴν) *Patres hoc loco, non odium erga divinam communionem, nuncupavere, quo impulsi quidam ab illa abstinent; sed quamdam ab ea fugam, a reverentia fortasse ortam, & declinationem, velut ab animi demissione profectam.* Neque hoc postremo omiserim, quod ipse Baronius non aliter, quam hi Græci, utrumque hunc Canonem accepisse videtur, g cum eorum sensum breviter in pauca conferens, Apostolico quidem ait *in illos animadverti, qui ingressi Ecclesiam sacram communionem non percipiunt.* Antiocheno vero *iisdem præcipi ab Ecclesia eyciendos, qui accedentes ad eam, non communicant.* Ita ille, nunc sane præter suum morem, satis commode atque fœliciter. Ex his videre est, quam non modo falsa, sed etiam stolida præcepsque & procax fuerit maledica illa Petavij lingua, cum hunc *hæreticorum* errorem, & quidem *stupidissimum* esse pronunciavit; quem non modo Constitutionum & Canonum Apostolicorum scriptor, & ex veteribus Latinis Dionysius Exiguus, & Crisconius; ex Græcis vero Ioannes Antiochenus, Aristinus, Symeon, Zonaras & Balsamo, sed etiam his omnibus apud Latinos fortasse major Cæsar Baronius secuti sunt.

x Ibid.
y Ibid. p. 125.
z Crisc. Brev. Can. cap. 12. in ead BB. c. ib. p. 457.
a Id. Coll. Can. Ib. p. 39.
b Ioan Ant. syn tit. 47. ib. p. 595.
c Ib p. 675. 683.
d Ibid. p. 787.
e Balf. in Can. Ant. 2. p. 821. C.
f Zon. in Canon. Ant. 2. p. 324. A.
g Bar. an. D. 57 §. 157.

CAPUT

CAPUT II.

Idem probatur & illustri Chrysostomi loco, Homil. XI. in Eph. Discutiuntur inanes Bellarmini ad eum glossæ.

ATque hæc quidem veteris Ecclesiæ lex fuit; quam non nego paulatim refrigescente Christianorum pietate à multis tandem neglectam fuisse, qui suorum vitiorum dulcedine capti, cum suæ sibi indignitatis essent conscij, neque ei mederi accurata sui probatione, susceptaque de vita emendanda cogitatione, sustinerent, eo devenerunt, ut Dominicæ quidem mensæ communione ex suæ conscientiæ sensu abstinerent, sacro vero ipsi interessent; quod sibi ideo licere præsumebant, quod in nullo eorum ordine essent, qui Diaconi voce ex Ecclesia nominatim dimittebantur, cum Eucharistia celebranda erat. Ac istorum vitio atque errori Pastores primum intercesserunt, flagitiosam eorum negligentiam, qua digna erat, acrimonia increpantes atque castigantes; cujus rei insigne habemus Ioannis Chrysostomi exemplum. Is enim homiliis in Epistolam Pauli ad Ephesios suis, cum non paucos videret apud Antiochenam Ecclesiam, (ubi habitos esse istos sermones ex Homilia XI. satis, ni fallor, patet) in illam ἀταξίαν prolabi, & Eucharistico sacro non communicantes interesse, in eos acerrime invehitur. *b O consuetudinem,* inquit, *o præsumptionem,! frustra est quotidianum sacrificium; frustra adstamus altari. Nemo est qui participet. Hæc dico, non ut simpliciter ac utcumque participetis, sed ut vos ita comparetis ut digni sitis. Non es dignus sacrificio, neque participatione. Ergo ne prece quidem dignus es. Audis præconem stantem & dicentem, Quicumque estis in pœnitentia, abite. Omnes qui non participant sunt in pœnitentia. Si es ex iis qui sunt in pœnitentia, non debes participare. Nam qui non participat est in pœnitentia. Cur ergo dicit, Abite qui non potestis precari? Tu autem stas impudenter. At non es ex his, sed ex iis qui possunt participare, & nihil curas, remque nihili esse putas. Considera, quæso. Adest mensa regia. Adsunt Angeli ministrantes. Adest Rex ipse, & tu stas oscitans? Vestes tibi sunt sordidæ, & nulla à te rei huius habetur ratio. Sin sunt mundæ, accumbe igitur & participa. Venit quotidie, ut videat accumbentes; omnes alloquitur, & nunc in vestra dicit conscientia, Amici quomodo hic statis vestem non habentes nuptialem? Non dixit, Cur accubuisti? Sed ante accubitum & ingressum eum dicit esse indignum. Non enim dixit, Cur accubuisti? sed, Cur intrasti? Hæc ergo nunc quoque dicit nobis omnibus, qui impudenter & inverecunde adstamus; Quicumque enim est, qui mysteriorum non est particeps, is impudenter stat & nimis audacter.* ὢ τῆς συνηθείας; ὢ τῆς προλήψεως! εἰκῆ θυσία καθημερινή. εἰκῆ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ. οὐδεὶς ὁ μετέχων. ταῦτα οὐχ ἵνα ἁπλῶς μετέχητε λέγω· ἀλλ' ἵνα ἀξίους ἑαυτοὺς κατασκευάζητε· οὐκ εἶ τῆς θυσίας ἄξιος, οὐδὲ τῆς μεταλήψεως, οὐκοῦν οὐδὲ τῆς εὐχῆς. ἀκούεις ἑστῶτος τοῦ κήρυκος καὶ λέγοντος, ὅσοι ἐν μετανοίᾳ,

b Chrys. hō. 11. in Eph. p. 961. 962 unde certo colligitur in qua urbe dicebat, duos fuisse Episcopos seorsum colligentes, quod nequaquam Constantinopoli sed Antiochiæ convenit, in qua Florianus & Paulinus eodem tempore erant Episcopi.

CAP. II. νοίᾳ, ἀπέλθετε πάντες. ὅσοι μὴ μετέχουσιν ἐν μετανοίᾳ εἰσίν. εἰ τῶν ἐν μετανοίᾳ εἶ μεταλαβεῖν οὐκ ὀφείλεις. ὁ γὰρ μὴ μετέχων τῶν ἐν μετανοίᾳ ἐστί. τίνος οὖν ἕνεκεν λέγει, ἀπέλθετε οἱ μὴ δυνάμενοι δεηθῆναι, σὺ δὲ ἕστηκας ἰταμῶς; ἀλλ' οὐκ εἶ τούτων, ἀλλὰ τῶν δυναμένων μετέχειν, καὶ οὐδὲν φροντίζεις, οὐδὲν ἡγῇ τὸ πρᾶγμα. σκόπει παρακαλῶ. τράπεζα πάρεστι βασιλικὴ ἄγγελοι διακονούμενοι τῇ τραπέζῃ αὐτὸς πάρεστιν ὁ βασιλεύς. καὶ σὺ ἕστηκας χασμώμενος; ῥυπαρὰ δέ σοι τὰ ἱμάτια, καὶ οὐδένα ποιῇ λόγον; ἀλλὰ καθαρά ἐστιν. οὐκοῦν ἀνάπεσον καὶ μέτεχε. ἔρχεται καθ' ἑκάστην ἰδεῖν τοὺς ἀνακειμένους. πᾶσι διαλέγεται ἐν τῷ συνειδότι σου, ἑταῖροι, πῶς ἑστήκατε ὧδε, μὴ ἔχοντες ἔνδυμα γάμου; οὐκ εἶπε διὰ τί ἀνέπεσες. ἀλλὰ πρὸ τοῦ κατακλιθῆναι καὶ τοῦ εἰσελθεῖν ἀνάξιον αὐτὸν εἶναι φησίν. οὐ γὰρ εἶπε, διὰ τί κατεκλίθης; ἀλλὰ, τί εἰσῆλθες; ταῦτα καὶ νῦν πρὸς ἅπαντας ἡμᾶς διαλέγεται τοὺς ἀναισχύντως καὶ ἰταμῶς ἑστῶτας. πᾶς γὰρ ὁ μὴ μετέχων μυστηρίων, ἀναισχύντως καὶ ἰταμῶς ἕστηκεν. Tum

i ibid p.388. D. nonnullis interjectis; i *Quomodo*, inquit, *nullum oportet adesse ex iis qui non sunt mysteriis initiati; ita neque ex iis quemquam, qui initiati quidem sunt, sed tamen sordidi sunt. Dic mihi si quis ad convivium invitatus manus laverit & accubuerit, & ad mensam paratus fuerit, & deinde non fuerit eius particeps; annon contumelia afficit eum qui invitavit? Annon esset melius eum ne adfuisse quidem? Ita tu quoque affuisti, hymnum cantasti, te ex eorum qui digni sunt, censu esse eo ipso professus es, quod cum indignis non recesseris. Quomodo mansisti, & mensa non es particeps? sum, inquis, indignus. Ergo illa quoque communione & societate, quæ est in precibus, es indignus. Non enim solum per ea quæ in sacra mensa proponuntur, sed etiam per cantica illa undique descendit spiritus.* ὥσπερ τῶν ἀμυήτων μάλιστα χρὴ παρεῖναι. οὕτως οὐδὲ τῶν μεμιασμένων καὶ ῥυπαρῶν. εἰπὲ μοι εἴ τις εἰς ἑστίασιν κληθεὶς, τὰς χεῖρας νίψαιτο, καὶ κατακλιθείη, καὶ ἕτοιμος γένοιτο πρὸς τὴν τράπεζαν, εἶτα μὴ μετέχοι, οὐχ ὑβρίζει τὸν καλέσαντα; οὐ βέλτιον τὸ μηδὲ παραγενέσθαι; οὕτω δὴ καὶ σὺ παραγέγονας. τὸν ὕμνον ᾖσας μετὰ πάντων, ὡμολόγησας εἶναι τῶν ἀξίων τῷ μὴ μετὰ τῶν ἀναξίων ἀναχωρῆσαι. πῶς ἔμεινας, καὶ οὐ μετέχεις τῆς τραπέζης; ἀνάξιός εἰμι φησίν. οὐκοῦν καὶ τῆς κοινωνίας ἐκείνης τῆς ἐν ταῖς εὐχαῖς. οὐ γὰρ διὰ τῶν προκειμένων μόνον, ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν ᾠδῶν ἐκείνων τὸ πνεῦμα πάντοθεν κάτεισι. Deinde, cum hic Israelitarum exemplum; qui montem sacrum vel tangere vetiti sunt, attulisset ut probaret eorum qui sordidi sunt, non os solum & palatum Dominici cibi esu & tactu indignum, sed oculos ipsos, ipsasque aures eo spectaculo indignas esse, hæc subjicit, *At-*

k Ibid. D. *qui*, inquit, *postea etiam accesserunt, & viderunt ubi Deus steterat. Licet postea accedere & videre. Sed quando adfuerit, abi. Non enim tibi magis licet, quam Catechumeno. Non enim hæc paria sunt, sacramenta nondum esse assecutum, & postquam fueris assecutus, offendendo contemnere mysteria, teque ipsum iis indignum reddere.* καὶ οὗτοι μετὰ ταῦτα καὶ προσῆλθον, καὶ εἶδον ποῦ ἔστη ὁ Θεός. ἔξεστι μετὰ ταῦτα προσελθεῖν καὶ ἰδεῖν, ὅταν μέντοι παρῇ, ἄπιθι. οὐκ ἔξεστί σοι μᾶλλον ἢ τῷ κατηχουμένῳ. οὐ γὰρ δὴ ἴσον μηδέπω τυχεῖν μυστηρίων, καὶ μετὰ τὸ τυχεῖν προσκρούσαντα καταφρονεῖν καὶ ἀνάξιον ἑαυτὸν κατασκευάσαι

l ibid. E. τοῦ πράγματος. Denique disputationem concludens, l *Itaque*, inquit, *vos equidem adhortor, non ut non adsitis; sed ne in nos majus judicium ipsi*

arcessamus

necessamus, ut presentia & aditu dignos vos reddatis. ἵν' οὖν μὴ μεῖζον ὑμῖν τὸ κρίμα ἐργασώμεθα, παρακαλῶ μὲν ὑμᾶς οὐχ ἵνα παραγίνησθε, ἀλλ' ἵνα καὶ τῆς παρουσίας καὶ τῆς προσόδου ἀξίους ἑαυτοὺς καταστήσητε. Ex his Chrysostomi intelligimus, quam diversi fuerint veterum ab hodiernis Latinis hac in parte ritus, ac mores. In primis quod ille ait *frustra esse sacrificium*, id est Eucharistiam frustra celebrari, *frustra ad hoc sacerdotem altari adstare*, si præter ipsum scilicet, nemo communicet, quantumvis magnus sacro intersit audientium & spectantium numerus. Quo aperte docemur veteres sensisse communionem, hujus sacramenti proprium, proximum, necessarium, unicum esse fidem; ita ut ejus confectioni & administrationi qui interest, frustra intersit, quod quidem pertinet ad ipsum sacramentum, atque ad utilitatem quæ ex ea proprie percipitur. Vnde videre est quam distet à Latinorum usu & praxi vetus illa disciplina. Bellarminus respondet *m* frustra fieri quod ad communionem, non quot ad sacrificium pertinet. Missam enim *celebrari partim ad sacrificium Deo offerendum, partim ad populum sacro illo pane reficiendum; cum nulli sunt qui communicent, frustra fieri quod ad posteriorem finem, non fieri frustra quatenus ordinatur ad priorem finem.* Hæc ille. Mitto quod sumit in Eucharistia fieri proprie dictum sacrificium, externum, ac vere propiciatorium; quod falsum est, neque ex Scripturis, ac ne ex illius quidem ævi Patribus demonstrari potest; quorum hic unus ipse Chrysostomus alibi scribit, *n* nos si proprie loquendum est, sacrificium Domini non facere, *sed potius recordationem illius sacrificij facere.* μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίας. eique iunior quidem, sed tamen eiusdem seculi scriptor eximius succinit *o* Theodoretus; *Clarum est*, inquit, *iis qui sunt in rebus divinis eruditi, nos non aliud sacrificium offerre, sed illius unius & salutaris* (Dominici scilicet) *memoriam peragere* δῆλα δὲ ἄλλοις τοῖς τὰ θεῖα πεπαιδευμένοις ὡς οὐκ ἄλλην τινὰ θυσίαν προσφέρομεν, ἀλλὰ τῆς μιᾶς ἐκείνης καὶ σωτηρίου τὴν μνήμην ἐπιτελοῦμεν. Sed hoc, inquam, mitto quod ab hac disputatione est alienum. Satis nunc est ostendere Bellarmini distinctionem ad locum citatum accommodari non posse. Quidquid enim de sacrificio dixeris, manifestum est Chrysostomum putare, omnem eius (si quod revera hic fieri sacrificium statuas) utilitatem non aliter ad eos qui sacro intersunt, redituram esse, quam si ipsi communicaverint. Totus enim in eo est, ut demonstret non satis esse sacro huic interesse, nisi communices. Qui interest neque communicat, eum non modo nihil fructus inde percipere, sed etiam graviter peccare, reumque eo ipso fieri, vel imprudentiæ si communicare indignus est, quod inter dignos ipse indignus consistere audeat; vel contemptus & contumeliæ in Deum, si communicare neglexerit. Hæc enim, ut mox patebit, liquido constituit Chrysostomus. Itaque eo ipso quod quis non communicat, non modo pabulo illo sacro, quod communicantibus offertur, sed etiam sacrificij fructu (si quod sit hic, quod nos quidem negamus, verum sacrificium) seipsum

CAP. II.

m Bell. l. 2. de Miss. c. 2. §. ad loc. Chrys.

n Chrys. in ep. ad Heb. Hom. 17. p. 856.

o Theod. in Ebr 8. 4. p. 431. B.

Caput I. ex Chrysostomo privat; qui ad hoc ut sit Eucharistia iis utilis, qui eius sacro intersunt, communionem esse necessariam docet ac constituit. Sed & ipsa eius verba glossam Bellarminianam respuunt. Non enim significat eos qui adsunt nec communicant, vel aliquo dimidio, sed omni Eucharistiæ fructu privari. *Frustra*, inquit, *fit ablatio, frustra sacerdos altari adstat.* Id fateor ad eos solos esse referendum qui adsunt neque communicant. Nam iis quidem qui & intersunt & communicant, non frustra est oblatio vel altare. Mens ergo Chrysostomi est, iis qui non communicant, quantumvis sacro intersint, etiam cum attentione & studio, in cassum tamen cedere omne illud sacerdotis hac in parte ministerium; quod falso ita affirmaretur, si quis ad eos fructus inde rediret. Denique videtur Chrysostomus consulto iis verbis usus, quibus apertissime refellitur glossa adversarij; quod ea Eucharistiam significent, qua sacrificium est, non qua cibus. *Frustra*, inquit, *est sacrificium.* θυσία, hæc clare ad sacrificij fructum referuntur; quæ falso dici patet, si sacrificij fructum percipit qui non communicat. Si Chrysostomus dixisset, *Frustra fit sacri panis in plures particulas divisio; frustra eas sacerdos in altari ad distribuendum collocat & parat, si nemo communicat*, tametsi ne sic quidem evadere posset adversarius, haberet tamen ejus glossa aliquem colorem. Nunc vero eam nobis non modo inepte & inefficaciter, sed etiam inverecunde obtrudit, qua cum ipsis Chrysostomi verbis recta fronte pugnat; dum illius sacrificij, quod iste in altari *frustra* pro non communicantibus fieri dici, Bellarminus contra affirmat fructum à non communicantibus percipi. Id vero nihil aliud est, quam aurea sanctissimi scriptoris verba, non explicare, sec evertere; non interpretari, sed mendacij & falsitatis inverecunde arguere. Quod vero addit p Bellarminus, Chrysostomum, qui sic ut diximus, loquitur, *non tamen propterea omisisse quotidie sacrificare, quod certe fecisset*, inquit, *si absolute frustra fieri existimasset*; id inquam, frustra est. Neque enim probet, quod falso assumit, ex iis qui Antiochenæ Ecclesiæ sacris intererant, plane neminem communicasse. Neque vero vexandum est quod ait Chrysostomus, *nemo communicat.* Quis enim nescit in huiusmodi locis, quibus de plurimis, officium, quod omnes æque debebant, negligentibus sermo est, *neminem* id præstitisse dici, quod rari paucique præ aliis, præstiterunt; Ista comparate dici, omnibus satis superque notum est. Qualiter Ioannes dicit, q *Testimonium ejus* (Christi) *nemo recipit*, cum paucos ac pæne neminem id recepisse significaret. Sic etiam intelligendum, quod Paulus scribit, r *sibi neminem in prima sua defensione affuisse.* Quamquam si argutari velim, merito respondere possem hæc à Chrysostomo hypothetice, non simpliciter & absolute dici, *Frustra est sacrificium quotidianum, nemo communicat.* Hoc vult frustra fieri sacrificium, si nemo communicet. Iam quæso hæc compara cum hodierna Latinorum praxi, apud quos pleræque omnes Missa, etiam frequentissimo ac copiosissimo populo præsente, ita fiunt, ut nemo præter sacerdotem communicet

p Bell. ubi sup.

q Ioan. 3. 32.

r 2. Tim. 4. 16

munícet

municet. Illa sacra frustra fieri pronunciat Chrysostomus. Cedo ex Episcopis Latinis aliquem, qui ita de sacris suis locutus sit? Atqui ea omnes, intersis modo, tametsi non communices, utilissima, salutaria, meritoria esse defendunt; & Missas, *in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat*, Tridentina Synodus adeo cum Chrysostomo non damnat, tanquam inutiles ac frustra factas, *ut etiam diserte probet atque adeo commendet*[t]; & *qui eas reprehendunt*, adeoque Chrysostomum, *anathemate feriat*[u].

[t] Conc. Trid. sess. 22. c. 6.
[u] Ib. can. 8.

Sed ea nunc quoque expendamus quæ apud Chrysostomum sequuntur. Ille ergo indignitatem suam excusantes, quo minus sacro cui intersunt communicent, ita deinceps refellit, *Non es*, inquit, *dignus sacrificio & participatione* (id est sacramenti communione) *Ergo* (inquit) *nec prece*. Clare pronunciat qui indignus est, qui communicet, cum pariter indignum esse, qui precibus iis intersit, quibus hoc sacrum conficitur ac celebratur. Ergo hæc ejus sententia est, vel communicare fidelem, vel sacro abesse, debere; adeoque legitimam, atque ex eius animo, Christianam & usque laudabilem synaxin nullam esse aliam, nisi cui nemo interest, qui non sacramentaliter conmmunicet. Quo valide exploditur Tridentinorum commentum, qui ad id ut populus iis etiam sacris rite ac legitime intersit, quorum nullas particulas sumit, satis esse decernunt[x], *quod in eis spiritualiter communicet*. Atqui hoc Chrysostomus adeo valere non putat, ut qui sacramenti participes non sunt, eos quocumque modo de cætero se habeant, toto sacro excludat atque ejiciat; usque precis quemquam participem esse velit, nisi & sacramenti particulam sumpturus sit. Hoc autem non modo ipse sciscit, sed hanc esse (quod tertio loco observãdum est) totius Ecclesiæ communem ac publicam legem probat & solenni illo Diaconi in omnibus synaxibus præconio, omnes non communicantes discedere, mature jam ab ipso sacri initio jubentis; *Audis*, inquit, *præconem stantem & dicentem, quicumque estis in pœnitentia abite*. Vnde noster sic colligit; *omnes qui non participant, sunt in pœnitentia. Si es ex iis qui sunt in pœnitentia, non debes participare. Nam qui non participat, est in pœnitentia*. Atque hinc clarissime intelligimus hanc communem fuisse uniuersæ illius Ecclesiæ legem ac disciplinam, ut nemo nisi qui esset sacramentum sumpturus, Eucharistiæ celebrationi interest. Erat enim hæc, quod hic ait Chrysostomus, Ecclesiæ lex, nequis qui in pœnitentia esset, sacro Eucharistico interesset; ideoque omnes qui in eo erant ordine, sacro summoveri ac de cætu fidelium antequam id fieret id mitti solebant. Iam ex Chrysostomo omnes qui non participant, sive communicant sacramentaliter in iis cætibus quibus intersunt, sunt in pœnitentia; Ergo omnes qui non participant, ab Eucharistiæ sacro excludi, & abesse, veteris Ecclesiæ mens atque lex erat. Vnde nemo non intelligit, quid de iis Latinorum synaxibus senserit vetus Ecclesia, in quibus nemo quidem præter sacerdotem sacramentaliter communicat, innumeri vero fideles

[x] ibid. c. 6.

Cap. II. adsunt præsentes. Inde Chrysostomus istos qui sacro intererant, neque tamen communicabant, *impudentiæ* merito arguit, qui totius Ecclesiæ voce Diaconi ore enunciata, jussi abire perstabant tamen inter fideles, & ad sacri finem absque communione remanebant, plane ut si quis Catechumenorum, post omnes sui ordinis homines clara præconis voce ex sacro conventu dimissos, in eo tamen consistere animum obfirmasset; quod nemo non videt summæ futurum fuisse impudentiæ. Atqui ita Chrysostomus fidelem, qui sacro tametsi non cõmunicaturus intererat, convenit; *Cur*, inquit, *dicit Diaconus, Abite qui non potestis precari* (id est, quibus per Ecclesiæ jura precari cũ aliis fidelibus in eo sacro non licuit) *Tu autem stas impudenter*? Quod mox semel atque iterum inculcat. *Quicumque mysteriorũ non est particeps, is impudẽter & procaciter atque pervicaciter* (ἰταμῶς) *stat*, in sacro illo scilicet cætu, in quo fit Eucharistia. Vides quibus elogiis Latinos ornet, qui Missis suis plærique omnes sic intersunt, ut sacramento nequaquam communicent. Hoc quidem inde clarum est, neminem olim, rite quidem ac ex Ecclesiæ lege & mente, interfuisse sacræ synaxi, qui non æque ac ipse sacerdos sacramentaliter communicaret. Chrysostomus vero postquam eos qui indignitatem suam excusabant, refellit, & ἀταξίας atque impudentiæ singularis convicit, alteram eorum cavillationem discutit ac refutat. Erant enim ex hoc genere qui ad superiorem ejus disputationem dicerent se impudentiæ falso accusari, quod sacræ synaxi interessent; qui quod liceret, facerent; se enim communione indignos esse negabant; quippe qui fideles essent, neque in ullo eorũm ordine consisterent, quos Ecclesia à Domini mensa arcebat. Atqui ne hac quidem ratione à gravissimo peccato purgari eos & absolvi posse demonstrat. *At non es*, inquit, *ex istis* (qui scilicet vetantur precari & consistere in synaxi una cum fidelibus) *sed ex iis qui possunt participare. Et nihil curas? rem nihili esse putas*? Hoc vult, eo ipso quod communicare cum liceat, negligant, graviter peccare qui præ se ferant divinum hoc jus sacræ mensæ communicandi, nihil à se fieri, qui eo scilicet, cum licet, minime utantur. *Quæso te*, inquit, *attende, & rem diligentius puta. Adest mensa regia; adsunt angeli ministrantes; Rex ipse adest; tu vero stas oscitans.* id est, communionem, cujus tibi copiam Deus facit, oscitanter negligis, tamque præclaram occasionem tibi per tuam desidiam atque oscitantiam, de manibus elabi sinis. Iam & aliud istius flagitium tangit; *Vestes*, inquit, *tibi sunt sordidæ, neque tu hujus rei ullam habes rationem*; *Sordes* dicit peccatum, sive vitium aliquod, cujus hunc arcana conscientia ad mensam Domini accedere prohibebat. Neque enim verisimile fiebat, tam salutari tamque honorifico convivio hominem abstenturum fuisse, cui mens & conscientia peccati puræ essent. Tum pergit, & vestes se habere mundas mentienti; *Accumbe ergo*, inquit, *& participa.* Ita hominis mendacium arguit; quasi diceret, quod non accumbis, eo ipso prodis se alicujus tibi esse immundiciæ conscium. Ac ne suæ se conscientiæ satisfecisse diceret, quod precibus quidem adesset,

cæterum Eucharistia se abstineret; inane ei effugium præcludit allata ex Evangelio parabola, in qua Rex eos, non qui jam convivio suo accubuerant, sed qui eo intraverant & veluti mox accubituri stabant, increpat ac ejici jubet velut indignos, quod in aulam regiam ausi essent sine veste nuptiali ingredi. *Venit*, inquit, *quotidie, ut videat accumbentes; omnes alloquitur, & nunc in vestra dicit conscientia, Amici quomodo hic statis non habentes vestem nuptialem? Non dixit, Cur accubuisti? sed ante accubitum & ingressum, eum dicit esse indignum, Non enim dixit, Cur accubuisti? sed, cur intrasti?* Vnde colligit, ejusdem criminis esse reos, quicumque sacro Eucharistico audent interesse, qui communione vel ex conscientiæ suæ sensu, indignos se judicant. *Hæc ergo nunc quoque dicit nobis omnibus, qui impendere et procaciter stamus.* Denique, nequid supersit quod dubites, dicit disertissime, initiatos quidem, sed sordidos non magis fas esse Eucharistiæ sacro interesse, quam Catechumenos; remque appositissima exemplo eleganter demonstrat. *Dic mihi* (inquit) *si quis ad convivium invitatus manus laverit & accubuerit, & ad mensam paratus deinde non fuerit eius particeps, annon contumelia afficit eum qui invitavit? Annon esset melius eum ne affuisse quidem? Ita tu quoque affuisti, hymnū cantasti, cum dignis omnibus te es professus; eo quod cum indignis non recesseris. Quomodo mansisti & mensæ non es particeps?* Bellarminus, qui nihil haberet, quod ad hæc tam diserta reponeret, ne plane obmutuisse videatur, dicit *Chrysostomum in his per excessum ita esse locutum*, cum solum hortari cuperet homines ad frequenter & digne communicandum. Et mox, ista dicta esse ait *amplificādi gratia*. Sed quos illè nobis *excessus*, quas *amplificationes* narrat? Atqui vix est non modo apud nostros, sed vel apud ipsos Ethnicos, quisquam hoc scriptore facundior, vel qui animi sui sensa clarius & luculentius eloquatur. Metaphoris fateor, utitur; & in affectibus movendis vehemens est; sed nihil usquam ei excidit absonum vel enorme, & quod ab artis regulis aberret. Ostendere debuerat Bellarminus, in quo situs sit hujus orationis excessus, & simplicem elocutionem edere, ad quam is excessus ex arte reduci debeat. Ille vero nihil hujusmodi præstitit; neq; vero præstare poterat. Toto enim hoc Chrysostomi loco vix apud eum reperitur siccior & simplicior, & ab hyperbolis, grandibusque Rhetorum figuris remotior. Quæstionem totam enthymematis & rationibus partim ab Ecclesiæ ritibus, partim à re ipsa & à scriptura petitis, simpliciter & bona fide agit; appositis etiam similitudinib. illustrat; quo in omni genere non solemus ὑπερβολικῶς, neq; ultra veri metas efferri. In hac vero parte, quam proprie Bellarmin. respicit, ubi quæso, cernitur ille qui ab eo dicitur *excessus*? Ait autor, si quis ad convivium vocatus venerit & ad mēsam paratus, gustare tamen quicquam noluerit, contumelia invitatorem afficere. Nihil dici potuit verius ac simplicius; idemq; sensus hominum communis judicat. Neque quisquam credo, abnuet quin verum quoq; sit, quod de viro illo addit Chrysostomus, *Annon melius esset eum ne adfuisse quidem?* Quis enim dubitat quin levior offensio futura fuerit, si simpliciter ad convivium in-

Cap. II. vitatus non venisset? Contumeliam quippe, quæ illo arroganti præsentis convivij fastidio continetur, nullam fecisset. Nam ut hospes (quod Poëta verissime judicat) turpius ejicitur, quã non admittitur; ita & gravior injuria est, cœnam ad quam admissus es, respuere & fastidire quam ad eam non venisse. Iam neque in similitudinis ἀποδόσει quicquam occurrit, quod supra verum sit. Convivio cœnam Dominicam comparat; Quænam simplicior & appositior, & apud omnes Christianos notior ac familiarior cõparatio institui potest? *Ita tu quoque adfuisti: (inquit) hymnum cantasti: te unum ex dignis eo esse falsus es, quod cũ indignis nõ recessisti. Quomodo qui mãsisti, mensæ non communicas?* Omnia vera sunt. Nihil supra verũ. Orationem potius infra verum subsidere, quã supra surgere dixerim. Certe negari nõ potest, quin Domini Dei nostri cœnam, hominis quãlibet eminentis convivio indignũ sit cõparari. Illud credo, Bellarminũ ussit, quod in extrema ἀποδόσει scriptor poscat; *Quomodo qui mansisti, mensæ nõ cõmunicas?* Hic enim fateor, si res ex hodiernis Latinorũ moribus æstimetur, plane *excessus* est, & quidẽ adeo immanis, ut quod hyperbolæ, quoties nimia & improba est, accidit; in illud cadat, quod *frigidũ* & *ridiculũ* vocant Rhetores. Quis enim à risu tẽperet si quẽ ex istis grandibus Latinorũ oratorib. suos eadẽ rogantẽ audiat? *Quomodo qui in Ecclesia ad finẽ Missæ mansistis, mensæ non cõmunicatis?* Nemo tam est apud istos hospes, qui hominẽ ita quærentem vel locari, vel desipere non putet. Quia scilicet apud istos solenne est ita Missæ interesse; ut nemo miretur nõ modo multos, sed ne omnes quidem unius Ecclesiæ quantumvis populosæ fideles Missas totas ab ovo ad mala accuratissime audire; de mẽsa ne micã quidem gustare. Sacerdotẽ spectare satis habent vescentem ac bibẽtem; & quæ ab eo edi ac bibi vident cominus religiosissime adorare. Ioannem vero nostrũ nihil frigide aut ridicule dicere, & immortalia ejus opera, & nulli unquã verius inditũ Chrysostomi cognomentũ satis docent. Atqui ista ejus oratio frigida ac ridicula apud suos futura erat, si apud eos obtinuissent hodierni Latinorum mores. Ergò necessario fatẽdum est, plane tum aliis vixisse nostros moribus; id est jus solenneque fuisse, ut quisquis sacro intererat, cõmunicaret: illaudatũ & illegitimum fuisse, quod apud Latinos nunc ubique obvium est, & ab ipsa eorũ Synodo cõmendatum ac laudatum, ut è copiosissima Missæ adstantium multitudine, nemo præter unum sacrificiũ de pane vel de calice sacro quicquã gustet. Sed Latinis nostris hic mos est scilicet, ut Patrũ voces ad sua sacra exigãt; si quid reperiant, quod ab his discedat; id pro *excessu* aut *hyperbole* habeant: qualiter Petavius ubi se hujus ipsius Chrysostomi non paucis contra confessionis necessitatem dictis urgeri videret, ad ea respõdet, *multa à sanctissimis Patribus, præsertimq; à Chrysostomo in homiliis aspersa, quæ si ad exactæ veritatis regulam accommodare volueris, boni sensus inania videbuntur.* Qui vero ante hæc certamina nostrã, simplicius & absq; improbo illo rerum sacrũ studio, quod nunc plærorumq; animos occupavit, antiquitatis monumenta lustrabant, ij quod verum est, bona fide confitebãtur. Micrologi, ex undecimo seculo autor:

z Pet. not. ad Epip. Hær. 59. pag. 244.

a Scien-

a Sciendum est, inquit, *juxta antiquos Patres, quod soli communicantes divinis mysteriis interesse consueverant. Vnde & ante oblationem iuxta Canones iubebantur exire Catechumeni & pœnitentes, videlicet qui nondum se præparaverunt ad communicandum. Hoc quoque ipsa sacramentorum innuit confectio, in qua sacerdos non pro sua sola oblatione & communicatione sed & aliorum rogat; & maxime in oratione post communionem pro solis communicantibus orare videtur.* Nondum isti in mentem venerat Bellarmini Strophæ, qui nostris has & alias similes Latinorum sacerdotum orationes objicientibus respondet, *b Illa verba dici in numero multitudinis, tum propter præsentes, non propter eos qui alibi communicant;* quod cum unum corpus simus, non solum præsentes, sed etiam absentes pro omnibus oramus.

CAPVT III. a Microl. c. 51. t. 10. Bibl. PP. p. 761. C.

b Bell. l. 2. Miss. c. 20. §. 14. Illa.

CAPVT III.

Refelluntur duo quædam à Bellarmino contra Chrysostomi superiori capite explicatam sententiam, objecta: I. ex Concilio Agathensi; alterum ex ipsius Chrysostomi Homilia 3. de Incompreh. Huius & superioris Homiliæ tempora.

c Bell. ibid. §. 14. Veteribus.

PVgnat etamen Bellarminus *nõ fuisse incognitum Veteribus istum assistendi Missæ Sacrificio, & tamen in eo non communicandi sacramentaliter usum*, & Concilium Agathense citat. Si hoc vnum quod dicit, volebat, nihil opus fuit alios testes advocare. Hic ipse à nobis allatus Chrysostomi locus clamat eum non nescivisse hunc quem iste ait, *usum*, vel vt veteres censebant & nos loquimur, *abusum*. Quærimus non quid à quibusdam, vel etiam à plurimis olim factum fuerit, sed quid ex communi Ecclesiæ disciplina ac more fieret, fierique deberet: quid præpositi faciendum præciperent, factumque laudarent: non quid aliqui sive pauci sive multi, ex priuata libidine, non ex publica disciplina fecerint, factumque Pastore eiusdem ævi adeò non laudarint, vt etiam disertè reprehenderint. Sciebat Chrysostomus multos ævi sui Christianos toto anno semel communicare; fuisse etiam, maxime in eremis, qui sæpe post duos annos communicarent. Num tu quæso, inde argumentabere fuisse hunc veteris Ecclesiæ morem, ut post unum, etiam post alterum annum communicarent? Recte faceres si hæc Chrysostomus, qui scivit & tradidit, laudasset. Atqui ille non modo non laudat, sed etiam reprehendit. Perperam ergo facis, qui privatorum flagitia toti Ecclesiæ imputas, & quorundam peccata, communes omnium leges fuisse vis. Non fuit sane Chrysostomo *incognitus* iste *usus* quem dicis. Sed quod ostendimus, fuit acriter ab eodem reprehensus, & ex ipso Ecclesiæ more, ex scripturis, ex communis vitæ usu confutatus & explosus. Ego à sacerdote, & quidem eximio, in antiquissimæ &

Caput III. primariæ Ecclesiæ cathedra publice docente accipio, quis eo seculo mos atque usus legitimus esset. Tu mihi ex hominum privatorum flagitiis ac peccatis, leges veteris Ecclesiæ exstruis. Sed audiamus tamen quid ex Agathensi Synodo exsculpat. Primum hoc in ejus disputatione denoto, quod ex iis quæ in Gallicana Ecclesia, a.D.506. decreta sunt, perperam argumentatur; quis fuerit ævo Chrysostomi Antiochenæ Ecclesiæ in administranda Eucharistia usus. Antiochiam inter & Agathensem civitatem multa magnaque sunt & terrarum & marium intervalla; Illa Græca erat, procul à nobis; Orientis caput; Hæc Latina, hîc apud nos sita. Neque temporum quam locorum minor fuit distantia: Ab eo enim anno quæ hæc à Chrysostomo, quæ descripsimus, Antiochiæ dicta sunt, ad Agathensem Synodum, *d* * annos minimum intercessisse necesse est, 116. quo spatio in his ritibus quædam mutata fuisse credibile est; præsertim cum ipso jam Chrysostomi ævo neglectam fuisse à multis veterem communicandi consuetudinem ex hoc ipso loco discamus. Siquid ergo Agathenses Patres de veteri more, hominum ac temporum iniquitate coacti, concessisse reperiantur, id neque mirandum est; neque Chrysostomo quæ apud sui temporis Ecclesiam Leges essent, testanti fraudi esse potest. Quid ergo illa tandem dicit a Bellarmino allata Agathensis Synodus? *Canone,* inquit, *illius Concili octavo, iubentur omnes Laici ter in anno communicare, in Natali, Pascha & Pentecoste; & tamen Can.47. iubentur iidem Laici singulis diebus Dominicis Missa interesse, idque usque ad Sacerdotis benedictionem qua datur in fine Missæ.* Fateor illos Patres priori quidem Canone decernere, *e ne Catholici credantur, aut inter Catholicos habeantur seculares qui tribus illis festis non communicaverint*; nego vetare, quod absurdissimum esset, ne aliis quam his tribus diebus communicent. Posteriori vero Canone *speciali ordinatione præcipere Missas die Dominico à secularibus totas teneri, ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat.* Nego Dominicis diebus vel vetare ne communicent, vel permittere ut à communione abstineant. Itaque nisi Bellarminus alio argumento vicerit jam tum ita laxatam fuisse in nostris Galliis veterem disciplinam, ut cuivis fideli licuerit & interesse Eucharistiæ, neque tamen communicare, nihil ex istis duobus Canonibus necessario & evidenter concludet. Fieri enim potest, ut quod plærosque fideles una cum Catechumenis & Pœnitentibus exire viderent, magnamque hoc modo in Ecclesia fieri solitudinem dum Eucharistia celebraretur, hæc ita præcepisse ut honestior esset dum Liturgia fieret, conventus, simulque paulatim revocaretur prisca frequentius communicandi consuetudo; eaque spe excitos Patres haud ægre concesserim mitius eos habuisse, qui toti sacro interfuissent quidem, neque tamen communicassent. Chrysostomum vero qui procul ab istius seculi corruptione, iis locis temporibusque vivebat, quibus adhuc apud plærosque stabat veteris disciplinæ reverentia, atque religio, nihil necesse fuit similem

d * Agath. Syn habita est a.D. 506.

e Conc. Agath. Can.8. & 47. Tom. 1.Conc.Gall. p.165. 170. a.D.506.

συγκατάβασιν adversus peccantes adhibere; ut nil sit mirandum, quod cum iis multo quam Patres Agathenses acrius ac districtius egerit. Sed Bellarminus nobis persuadere conatur, ipsum Chrysostomum puta'se fas esse & legitimum interesse toti Eucharistiæ sacro, neque tamen communicare. *Nam*, inquit, *f homilia tertia de incomprehensibili Dei natura; graviter reprehendit Auditores suos quod finita concione recederent, & sacrificio non interessent. Vbi nihil de communione dicit, cum tamen sciret plurimos non communicare nisi rarissime; sed tantum hortatur ut maneant, & simul orent ac spectent Christum qui in mysteriis se ostendit.* Ego vero fateor eo loco populum Antiochenum reprehendi, quod Chrysostomo quidem ex suggestu dicenti frequentissimi, acri studio, magna patientia adessent, & quam libenter eum audirent, clare significarent; simul vero dicendi finem fecisset, discederent, *& fugam, quasi eos hostis insectaretur, arriperent*, cum tamen Eucharistia post concionem celebranda superesset. *Cum ego*, inquit, *g vester conservus disputo, studium adhibetis & ingenium, contenditis animam, alter alterum impellit & iactat, ut ipse propius adsit, & ad finem usque perseveratis: Vbi autem ad sacra illa mysteria ventum est, in quibus Christus apparet ac veluti repræsentatur, vacua & deserta Ecclesia fit.* Clare dicit ex ingenti illa multitudine, quæ in Ecclesia dicentem conferta circumsteterat, paucissimos ac pæne neminem cum perorasset, mansisse, qui Eucharistico sacro interesset. Siqui autem mansissent & interfuissent, eos *Christum in mysteriis* spectaturos quidem fuisse, quod ait Bellarminus, minime vero communicaturos, quod idem vult, nullus dicit Chrysostomus; neque ego assequor, unde id Bellarminus ex iis quæ hic habentur, colligere possit. *Nihil*, inquit, *de communione dicit:* quasi vero omnia ubique dicenda sint; neque quicquam etiam ex notissimis auditori taceri unquam & subintelligendum relinqui possit aut debeat. Imo, inquam, de communione satis dicit, illius quidem ævi & ritus hominibus, qui eos ut mysteriis intersint hortatur. Hoc ipso se omnes intelligebant ad communicandum vocari, qui scirent ex solenni tunc disciplina nullis nisi communicantibus licere sacris illis interesse. Quod enim nos à Chrysostomo tam multis seculis remoti discere tamen possumus, ut in superiori ejus testimonio ostendimus; quis credat id ipsum eos nescivisse, qui illo vivente, præsente, assidue docente fruebantur? qui ritus Ecclesiæ illius ac disciplinam, quam tangit ipse hoc argumentum tractans, coram apud se & passim apud omnes Christianos exerceri, & in usu esse videbant? Ego vero multo ad hoc Bellarmini exemplum verius hinc argumentarer, non fuisse illis temporibus adoratam à Christianis Eucharistiam; quod de ejus scilicet adoratione nihil eo loco dicat; in quo illos objurgat, qui *finita concione recederent, neque sacrificio interessent; tantumque hortetur, ut maneant & simul orent. Hic enim inprimis adhortandi erant, ut eam manentes in Ecclesia adorarent,*

CAP. III.

f Bell. l. 2. de Miss. c. 20. §. Porro Chrys.

g Chrys. hom. 3. de incomprehensibili T. 1. p. 324. B. C.

Cap. III. & una orarent. Nemo non videt id hoc loco primum & ante omnia urgeri debuisse; neque dubito quin Latini, si eundem hunc locum tractarent, adorationem essent commemoraturi, quæ primarium ac maxime necessarium apud eos est piorum in Missis, quibus intersunt, officium. Hoc ergo Chrysostomus urgeret; & eos qui se ab Eucharistiæ sacro subducerent, moneret, qua se, quantaque & quam necessaria pietatis parte fraudarent, qui præsens in sacro Numen adorare negligerent. Atqui me Bellarminus ita argumentantem non ferret. Diceret Chrysostomum, qui ad sacra in quibus *Christus apparet*, vel ut ipse interpretari maluit, *ostenditur*, fideles hortatur, eos hoc ipso satis monere de adoratione, quæ Christo quoties nobis *apparet*, debetur. Non excutio, quam vere quamque apposite fuerit ista mihi sic ratiocinanti repositurus. Satis mihi est, quod hoc exemplum vincit, nihil ejus par argumentum valere, quo non communicasse omnes, qui sacrificio intererant, inde colligit; quod Chrysostomum eos qui abesse ab eo solebant, objurgans nullam communionis mentionem faciat. Quasi, inquam, non satis eo ipso ad communicandum illos adhortetur, qui Eucharistiæ sacro interesse in ea Ecclesia jubet, in qua non alios quam communicantes sacro huic interesse legitimum erat; quique eos multis verbis ad Ecclesiasticæ orationis communionem urget, fuse enarrans quot quantisque bonis se ipsos isti privarent, dum se ab ea prece subducerent, qua *indignum esse* ipse alibi testatur, *quicumque communione indignus est*, & sacro utrumque pariter excludi. Qui hæc ita docet, profecto eum necesse est, quos preci Eucharisticæ interesse jubet, eos ipsi Eucharistiæ communicare eadem opera simul semelque jubere; quæ scilicet ita inter se cohærere sentiebat, ut alterum ab altero divelli non posse putaret, quique precis particeps esset, eum & ipsius quoque sacramenti participem esse debere. Mirificus homo est Bellarminus, qui ex illustri illo loco quem descripsimus, quique totus de communione est, non vult nos intelligere quid Chrysostomus de communione senserit; ex hoc in quo de communione ne unum quidem verbum facit, discere nos jubet, quid idem scriptor de ea judicaverit. Sed ille Chrysostomum hic de communione necessario aliquid fuisse dicturum, si abs-que ea nemini licere putasset Eucharistiæ sacro intere, inde hariolatur, *quod sciret plurimos non communicare nisi rarissime.* Atqui, inquam, qui sciret hanc esse Ecclesiæ suæ disciplinam, nemini ut sacro nisi communicanti interesse liceret, dum suos ut frequentes sint, hortatur, hoc ipso eos ut frequenter communicent, hortatur. Itaque communionem, quæ eo officio, ad quod Auditores hortabatur, ex Ecclesiæ lege & more continebatur necessario, ipsam nominari nihil sane necesse fuit. Quinimo prudentiæ fortasse Chrysostomeæ fuit eam hoc quidem loco, non nominare; quod istos scilicet quos hoc loco increpat, id potissimum

a Chrys. Homil. 3. in Ephes. p. 887.

potissimum à frequentando Eucharistiæ sacro deterruisse videtur, quod CAPUT III.
ei interesse per Ecclesiæ morem ac disciplinam non aliis liceret quam communicantibus; communicare vero tam crebro suæ sibi indignitatis conscij refugerent. Eo factum est, ut missa in præsens communionis, quæ istos terrebat, utilitate, de aliis tantum ipse quoque ad Christianam pietatem utilissimis ac pœne necessariis verba faceret, scilicet de precum, quas tota Ecclesia in eo sacro faciebat, communione, ejusque præcipuo fructu; quem locum late tractat Chrysostomus, & in eo uno reliquam pæne omnem orationem consumit. Neque enim omnia simul semelque vel assequi vel agere, & moliri licet. Primo incipiendum est; inde gradu facto ad cætera, ac denique ad summa progrediendum ac connitendum. Hac prima objurgatione satis se profecturum merito putavit Chrysostomus, si suos ab illa sacri Eucharistici negligentia ac pæne contemptu ad saniorem mentem revocaret, iisque persuaderet sacrum illud religiosius frequentandum ob insignem precum, quas istic una omnes ad Deum fundunt, utilitatem singularemque efficaciam. Hoc si semel assequi posset, sperabat suos daturos in posterum operam, ut vitam emendarent, seque ita compararent, ut communione minime indigni viderentur, sine qua sacris se interesse ex Ecclesiæ illius more & lege non posse intelligebant. Ex quibus conjicere licet plærosque omnes hac Chrysostomi objurgatione fractos, sacrum deinceps Eucharisticum frequentasse diligentius. Sed ut Satan homines multifariam ludit ac fallit, cum hac ex parte nonnihil emendati essent, & frequentiores sacris interessent, rarique essent quos vel pudor non cogeret iis interesse, inde accidisse videtur, ut paulatim remissa quod fieri solet, pœnitentiæ & emendationis cura, non auderent quidem à solennibus Ecclesiæ synaxibus abesse; sed iis tamen sic interessent, ut neglecta prisca Ecclesiæ disciplina, sacramenta minime sumerent. Quod malum cum gliscere apud suos animadvertisset Chrysostomus, ut ei quoque mederetur, alteram illam quam nos nuper attulimus, de communione disputationem habuit; in qua, ut ostendimus, docet ita decere nos sacro Eucharistico interesse, ut etiam communicemus. Ipse ordo temporum, quibus habitæ sunt duæ istæ Homiliæ rem ita accidisse persuadet. Hanc enim tertiam de incomprehensibili Dei natura Homiliam Hierocles à morte ad quam jam ducebatur, populi Antiocheni precibus anno Domini 371. Gratiano 2. & Probo Coss. liberatus, docet anno 381. fuisse à Chrysostomo adhuc juvene habitam. Quamvis enim ipse Hieroclem non nominet, hunc tamen ejus casum in homilia apertissime tangit; & ab eo tempore fluxisse ait, cum hæc ipse diceret, annos decem, ut est à doctissimo viro Henrico Valesio, vere & solerter observatum k. Homilias autem in Pauli Epistolas, adeoque etiam in eam quæ est ad Ephesios, non paucis annis post illum a. D. 381. à Chrysostomo fuisse elucubratas; & veteres scriptores tradunt, & omnes ni fallor recentiores consentiunt. Itaque

i Chrysost. hom. 3. de incomp. Dei nat. p. 325. C. T. 1. πρὸ δέκα τούτων ἐτῶν

k H. Vales. not. ad l. 29. Amm. Marc. p. 385.

CAP. III. quo si diligenter locus ille à Bellarmino objectus consideretur, non modo nihil eum juvat, sed etiam nostram sententiam confirmat. Nam si Eucharistia apud Ecclesiam Antiochenam eodem tum loco erat, quo nunc est apud Latinos, profecto nihil erat cur ab ea omnes vulgo ita fugerent, ædemque sacram vacuam ac desertam relinquerent cum concione finita sacramentum celebrari incipiebat; ut vel ex Latinæ plebis exemplo patet, quæ nulli divini cultus publici parti frequentius aut libentius interest, quam isti, in qua se Deum præsentem videre atque adorare putent, atque hoc uno spectaculo peccatorum veniam mereri; neque tamen communicare coguntur, quod hominibus ob dignitatem quæ ad hoc officium requiritur, paulo gravius ac durius esse videtur. Sin autem, quod ex hoc scriptore & ex aliis probavimus, id verum esse constituamus, nimirum ex prisca illa disciplina nemini nisi communicanti; Eucharistiæ sacris interesse licuisse, plana claraque erunt omnia, neque quicquam supererit quod miremur in Ecclesia florentissima ac populosissima & Chrysostomi studiosissima, illam accidisse quam dicit, vastitatem ac solitudinem, quoties agi cœperat hoc sacramentum. Qui enim quod dixi scirent non alia lege interesse sacro licere, nisi etiam communicetur, plærique laxioris ac solutioris vitæ mortales, qui iidem scirent quanti sit periculi indignum communicare, neque id studere vellent ut digni essent, malebant absentia sua periculum declinare, quam se præsentes in tantum discrimen dare, ut vel Dominum offenderent si communicarent, vel sane disciplinam, & morem priscum violarent, si abstinerent. Postremo illud quoque observandum est, peccare hic Bellarminum dum improbiori causæ studio Chrysostomum scribit auditores *hortari* non tantum, ut finita concione maneant in Ecclesia, *& simul orent* (quod verum est) sed etiam *ut spectent Christum, qui in mysteriis se ostendit*; quod pace ejus liquido falsum est. Scribit, fateor, Chrysostomus, τὸ Χριστὸν φαίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἱερῶν ἐκείνων μυστηρίων, *Christum in sacris illis mysteriis apparere*; Nusquam populum hortatur, ut *eum ita apparentem spectet*; qui ad religiosam adorationem primus est gradus. Nam si quod cernitur & spectatur in sacerdotis missificantis manibus, id vere & realiter (ut loquuntur) Dominus Christus est id non citius spectari, quam statim ac continenter adorari decet; idque ita fit apud Latinos. Neque ego dubito, quin Chrysostomus ad illud *spectandum*, imo & *adorandum* diserte fuerit hortaturus, si de hoc idem ejus fuisset, qui Latinorum est sensus. Itaque Bellarminus Chrysostomum id quoque dicentem facit, quod dictum ab eo vellet, quod ipse si fuisset ejus loco, procul dubio dixisset. Sed ego honesto & liberali ingenio, præsertim vero ubi res divinæ aguntur, plane indignum censeo, studia & affectus nostros aliis præter verum affingere; quasi mendacio veritas vel investigari vel defendi possit aut debeat. Cæterum quod ait Christum *in mysteriis apparere*, id *mystice*, quia *de mysteriis*, intelligendum. *Apparet in mysteriis*, id est ut Latini loquuntur,

l Bellar. vbi sup.

quuntur, *in sacramentis*, hoc est, *in pane & vino consecratis*, ut in signo apparet res significata; ut *in Iona Christum apparuisse* scribit m Pseud'Eusebius Emissenus; & Christum *eundem in astro* (in stella scilicet quæ magis apparuit) *fuisse*, autor sermonis n apud Augustinum 35. de Tempore; Maximus, *o in sydere rutilasse, & in stella arrisisse, & in cœlo radiasse*, Petrus Chrysologus, *p in stellis fulsisse*, & in iis à Magis *quæsitum*. Mitto alia de genere hoc innumerabilia. Vt Christum qui *in Iona*, qui *in cœlo*, qui *in sydere*, qui *in stellis, apparuisse, fulsisse, rutilasse* dicitur, adoramus; Ionam, cœlum, sydus & stellas minime adoramus: ita eumdem qui in mysteriis apparet, adoramus sane; non ideo tamen *mysteria*, sive *sacramenta*, id est panem & vinum sacrum adoramus.

CAP. IV.

m Euf. Emif. serm. 2. de Pasc. p. 37. b
n Aug serm. 35. de temp. c. 1.
o Max. homil 1 in Epiph. & 2 p 571. & 4. p 755.
p P. Chrysol. sect 160. init.

Ita iis profligatis quæcumque ad errorem suum incrustandum Bellarminus frustra objecit, nunc concludendum est, quod Chrysostomus in allato à nobis ex homilia in Epistolam ad Ephesios tertia, loco disertissime neque semel posuit ex veteris Ecclesiæ more quicumque sacrum panem & sacrum vinum sumpturi non erant, iis ne precibus quidem, quæ in Eucharistia celebranda fiebant, interesse licuisse; & hos illis Diaconi vocibus antequam id sacrum inchoaretur solennibus, *Quicumque estis in pœnitentia abite*, item, *Abite, qui non potestis precari* quoslibet non communicaturos tam fuisse ex Ecclesia dimissos secundum Ecclesiæ mentem, quam vel ipsos Catechumenos. Itaque quicumque post illas voces auditas, in fidelium tamen collecta, tametsi non communicaturi manebant, impudenter, procaciter, & inverecunde illic stetisse verum est.

CAPVT IV.

Tertium pro communione omnium, qui synaxi intererant, argumentum ex Pseudo-Dionysio Areopagita. Quartum ex Gregorio P. R. I. & ex Ordine Romano. Quintum ex Æthiopum & Armeniorum, apud quos idem usus hodie est, exemplo Sextum ex Micrologi testimonio & ratione. Eumdem morem in Ecclesia universa mansisse videri ad quinti seculi finem.

SEd huc quoque pertinet, quod ex Pseudareopagita supra recitabamus, dimissis Cathechumenis, Energumenis & Pœnitentibus, non alios in Ecclesia *remansisse* narrante, quam eos qui *divinorum aspectu, & communione digni erant*. Sic exposito quoque mysterio, de Episcopo loquens, *Ad sacram* (inquit) *divinorum munerum communionem, cum ipsemet accidit, tum cæteros invitat.* εἰς κοινωνίαν αὐτῶν ἱερὰν αὐτός τε ἔρχεται καὶ τοὺς ἄλλους προτρέπεται.

q Dion. Hierar. Eccl. c. 3. p. 243. a. ibid. myst. p. 243.

Cap. III. Τοὺς ἄλλους *cateros* dicit omnes qui dimissis Pœnitentibus remanserant. Si qui duo diversi fuissent eorum qui intererant huic sacro, ordines, utrumque istorum ordinem edidisset accuratissimus iste Mystagogus; priorem quidem eorum qui sacramentum spectarent, adorarent & sumerent; alterum vero eorum qui id Latino more spectarent duntaxat & adorarent, non autem sumerent; & quibus à se invicem officiis distinguerentur, non imperfecte ac mutilate, sed plene exhibuisset; illos scilicet aspicere & adorare tantum symbola; hos insuper sumere: & Episcopum non, ut instituit, fecisset omnes ad communionem invitasse; quod ex Latinorum disciplina longe est absurdissimum; cum ne centesima, imo sæpe ne millesima quidem pars eorum communicet, qui Missæ interfuerunt, sacramentumque aspicere & adorare satis habuerunt. Sed alteros quidem adorare & communicare; alteros vero adorare duntaxat jussisset, dilata in aliud tempus communione, cum ad eam essent parationes. Atqui ille neque adorationis prorsum meminit, neque alios divinæ rei adstantes novit, quam quos ad communionem cohortatur. Ergo confitendum est, ne hujus quidem ævo vel adoratam apud Christianorum Ecclesias fuisse Eucharistiam, vel admissos ad sacramenti conspectum alios quam qui essent communicaturi.

Hunc morem Gregorij I. seculo adhuc mansisse, patet ex iis, quæ præfatur in narrationem de quibusdam Sanctimonialibus mortuis, à Benedicto olim dum viverent, excommunicatis; quod narrationum anilium genus ad Purgatorij quam moliebatur ac meditabatur, substructionem, utilissimum prudentissimus ille Pontifex avidissime consectatur; Ille ergo in istius historia initio nos docet r morem fuisse, ut Diaconus in Missis ante oblationem clamaret, *Si quis non communicat, det locum.* Huic Gregorij testimonio congruit quod in libello *de divinis officiis secundum Romanos* legitur, nisi quod ille Diacono, quod hic Exorcistæ, tribuit; *Exorcistam oportet abjicere Dæmones, & dicere populo qui non communicat, ut det locum.* Hic autem locus à Cassandro ita citatur, s ut est à nobis ex ejus fide descriptus. Si huic vel Diaconi, vel Exorcistæ voci, quod justum ac legitimum erat, parebant omnes quos ea compellabat, apparet neminem præter communicantes remansisse, qui sacro interesset. Eadem docent hæc à Cassandro ex libri secundi Ordinis Romani expositione, descripta; t *Missam ideo appellari dicimus, quia lecto Evangelio foras mittuntur, qui minime offerendo vel communicando non poterunt interesse sacramentis divini mysterij.* Inter eos quibus sacramenti celebrationi interesse licitum non fuit, hos aperte censet qui non sunt communicaturi, dum non communicare unam fuisse ex iis rationibus testatur, propter quas homines, cætera Christiani, à sacris excluderentur. Hujus ritûs supersunt expressa vestigia in illa ipsa Æthiopum Missa, quam Latini in Bibliotheca Patrum ediderunt. In ea enim Diaconus omnes non communicaturos dimittit: u non tantum quibus exeundi necessitas erat, vel quod nondum essent initiati, vel quod à dæmoniis vexaren-

r Greg. Dialog L. 2. c. 23.

s Cass. in Liturg. c. 26. p. 56.

t Cassand. ibid.

u Miss. Æthiop. tom. 6. Bibl. Pat. p. 26. D.

vexarentur; vel quod Pœnitentiam à ministro Ecclesiæ impositam agerent: sed etiam qui non satis parati, voluntate sua à sacro convivio abstinebant. *Exite foras* (inquit) *qui non vultis accipere sacramentum sive Eucharistiam. Ite Catechumeni.* Idem iterum post contractum symbolum: *Qui communicare non vultis, discedite. Qui autem vultis communicare, amplectimini invicem.* Nihil potuit dici disertius, vel ad eam quam explanavimus, Chrysostomi mentem aptius & appositius. Paria de Æthiopibus scribit Godignus, ubi eorum ritus tradens: *Nullus* (inquit) *potest sacro interesse, qui eo finito non sumat Eucharistiam.* His Æthiopicis similia quoque leguntur in Missa Armeniorum, quæ Callander exhibuit: y Diaconus paulo ante præfationem, *Qui non sunt digni communicare hanc oblationem Dei, exeant foras ante fores Ecclesiæ, & ibi orent.* Ita Chrysostomus supra, omnes qui communione indigni essent, à sacris abesse volebat. Sed hæc adeo sunt apud Veteres clara, ut illi ipsi qui post hunc mutatum ritum vixerunt, aliter olim fuisse confiteantur. Iam supra attulimus locum ex Micrologo, cujus hic quoque similis alter in eodem libro habetur. z *Soli*, inquit, *communicantes confectioni sacramentorum antiquitus intererant, quibus & oratio post communionem, quæ pro solis communicantibus instituta est, pro benedictione potuit satisfacere. Apud modernos autem, cum iam populus communicare cessaret, nec tamen à divinis mysteriis se subtraheret, necessario permissum est, ut à presbytero benediceretur; ne tam benedictione quam communione privatus discedere videretur.* Hæc ultima capite 51. a idem argumentum tractans clarius sic eloquitur, *ne populum ita benedictione, ut communione privatum discedere permittant.* Omnino observandum est, quod iste scriptor acute sane, & utiliter in utroque loco monet orationem post communionem populo pro benedictione satisfecisse, vel satis fuisse; quod sane ex vetustissimis Liturgiæ expositoribus Pseudo-Clemente in Constitutionibus, & aliis verum esse deprehenditur, apud quos nulla præsentium, & exiturorum alia benedictio, præter illam orationem quæ post communionem dicebatur. Nam cum absurdum sit & præposterum, ut fideles qui sacro interfuerunt, absque benedictione dimittantur, cum ne ipsos quidem Catechumenos & Pœnitentes aliter dimissos fuisse ex iisdem autoribus discamus; hinc clarissime apparet nullos alios quam qui revera communicarent, sacro Eucharistico interfuisse. Verissimum enim esse constat quod idem ille Micrologi scriptor solerter quoque observat, orationem illam, quæ post communionem fiebat, *pro solis communicantibus* (id est pro iis qui sacramentum in illa ipsa synaxi sumpserant) *orare solitam*; ut iis inspectis precibus patebit, quæ & in Liturgiis, & in libro Sacramentorum Gregoriano post communionem habentur. Itaque siqui synaxi interfuissent quidem, non tamen communicassent, ij absque ulla sacerdotali benedictione erant exituri: quod cum sit absurdissimum, illud denique quod diximus, necessario confitendum est, non alios sacræ synaxi interfuisse, quam qui communicarent. His enim omnibus oratio post communionem,

CAP. IV.

x Nic. God. de Æthiop. L. 1. c. 5. p. 217.

y Cass. in Liturg c. 26. p. 57.

z Microl. c. 21. Tom. 10. Bibl. Pat. p. 743. E.

a Ibid c. 51. E.

Cap.IV. nem, quæ pro communicantibus orat, vice benedictionis erat, & quidem luculentissimæ.

Quo autem proprie seculo acciderit magna illa à Micrologo memorata in Eucharistiæ celebratione mutatio, *ut populus* scilicet, *communicare cessaret, nec tamen à divinis mysteriis se subtraheret*, dicere difficile est, nisi quod res non simul semelque, sed sensim ac paulatim facta fuisse videtur: ut fere in iis usu venire solet, quæ ab aliquorum more & exemplo orta, vel in publicum usum, communemque omnium consuetudinem veniunt: vel contra ex usu & consuetudine publica abeunt: paucis primum, inde pluribus, postremo omnibus id quod antea in communi usu erat, omittentibus ac deserentibus. Quocumque vero tempore ea mutatio acciderit, verisimillimum est eodem à Præpositis ad mutationem conniventibus, quam fortasse animadvertebant vel non posse prohiberi, veteremque morem restitui, vel certe non aliter posse quam cum periculo & scandalo, institutam fuisse novam illam populi sacerdotalem benedictionem, quæ non ut olim, pro iis solis dabatur, qui communicaverant, sed in genere pro omnibus, qui sacro etiam non communicantes, interfuerant. Id vero mature apud nos quidem cæpisse fortasse quis non inepte conjecerit ex illo Agathensis Synodi supra à Bellarmino objecto Canone, qui præcipit ª *Missas die Dominico à secularibus totas teneri, ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat*. Nam sane *benedictionem* populi *sacerdotalem* in fine synaxeos factam memorat. Quamquam, ut verum fatear, ne hic quidem Canon necessario nos cogit id concedere: cum & illa benedictio de oratione post communionem intelligi possit, & *tota missæ teneri* ex hic dicantur, quibus ita populus aderat, ut etiam communicaret. Neque alter Canon de communione trium festorum annua, necessitatem affert aliter sentiendi. Non enim ille Canon simpliciter præcipit fidelibus tres illas quotannis communiones: sic ut Patres eos laudandos putent, qui ter in anno communicaverint: sed *Catholicos credi, aut inter Catholicos haberi* vetant, si qui *tribus saltem illis festis non communicaverint*. Multum autem hæc duo, ut quivis videt, inter se differunt: Neque, quod frustra vult Bellarminus, cum ratione aut rerum veritate pugnat, ut Patres Agathenses & Christianos omnes urgeant ad communicandum singulis Dominicis, (quod diu observatum à vetustissimis fuisse accepimus) & eos qui saltem tribus illis majoribus festis non communicaverint: iidem Catholicorum ut nomine, ita & communione indignos censeant atque proscribant. Me tamen fateor, cum recordor quanta fuerit illa prisci moris inclinatio, quam Chrysostomus jam circa an. D. 390. in ipsa Antiochena Ecclesia factam fuisse nos docet, haud gravate concessurum an. D. 506. apud Gallias nostras ita afflictam fuisse veterem disciplinam, ut quod negare absque gravi ob peccantium multitudinem scandalo non poterant, id populis suis tandem concederent, sacris scilicet ut etiam non communicantibus interesse liceret: eoque benedictionem illam pertinere ante quam

ª Concil. Agathi Can. 47.

CAP. V.

quam vetant populum egredi. Vt veterem ritum his temporibus, id est circa sexti seculi primordia, in Gallia mutatum fuisse concedamus, certe obtinuisse antea in ipsa Gallia, neque tum alibi desiisse, credibile est; atque ita sensisse Micrologi autorem inde apparet, quod ad suam confirmandam sententiam, Ambrosij & Augustini autoritatem afferat, quos ait *b ad quotidianam nos hortari communionem.* Eadem quoque diu postea Cardinalis Cusani sententia fuit; *c Dionysius* (inquit) *dicit; post Evangelium omnes qui non fuerunt parati ad susceptionem Eucharistiæ, expellebantur ab Ecclesia. Vnde post fuerunt etiam non dispositi admissi ad communionem orationis, & tales ad communionem pacis, Eulogiarum & benedictionis finalis admittebantur.*

b Microl. ub. sup. D.
c Cusa. epist. ad Bohem. 854.

Georgius Cassander, vir Latinæ communionis, avorum nostrorum memoria idem quoque docuit, *d* & variis ex antiquitate allatis testimoniis probavit. Atque ita satis, ni fallor, demonstravimus hunc veteris Ecclesiæ per quinque minimum secula, morem fuisse, ut nemo Eucharistiæ rite quidem ac legitime interesset, nisi qui communicaret.

d Cass. in Liturg. c. 26.

CAPVT V.

Secunda Latinorum novitas, missæ solitariæ; in quibus præter Missificantem nemo communicat. Commendatæ à Tridentinis. Earum ratio, Eucharistia creditum à Latinis sacrificium ex Bellarmino, sed & sacramenti adoratio. Eas nulla in usu fuisse apud Christianos veteres. Arg I. inde ductum, quod omnes qui sacro interessent communicarent. II. Christi & Apostolorum exemplum. III. Eucharistiæ antiqua nomina, Synaxis, συνάλευσις, Collecta, Missa, Cœna Domini, convivium. IV. Synaxeos apud Iustinum descriptio.

SEd ab hoc veterum more Latini etiam multo longius recedunt, qui Missas plurimas quotidie faciunt, quibus nemo homo præter ipsum Sacerdotem non modo communicat, sed ne interest quidem; quod ita à primi Christianismi moribus abhorret, ut non dubitem veteres illos, si reviviscerent, id spectaculum pro aliquo inusitato ac incredibili prodigio habituros. Hujus autem census Missas Tridentini Patres diserte *probant ac commendant. Optaret quidem* (inquiunt) *sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent; quo ad eos sanctissimi hujus sacrificij uberior fructus proveniret; nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat atque adeo COMMENDAT; siquidem illæ quoque Missæ vere COMMVNES censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter cõmunicet; partim vero quod à publico Ecclesiæ ministro nõ pro se tantũ, sed pro omnib⁹ fidelib⁹, quæ ad corp⁹ Christi scilicet.* Sed & hãc de suo illo ritu doctrinã, misso in aliter sentiẽtes diro isto anathemate

e Concil. Trid. sess. 22. cap. 6.

Caput V.

f ibid. Can. 8.

sanciunt; *Siquis dixerit Missas in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse adeoque abrogandas, anathema sit.* Hæc Tridentinorum doctrina non modo vetustiori ante sexti seculi initia mori adversatur, ex quo neminem Eucharistiæ sacro rite atque ex prisca & communi etiam illorum temporum disciplina interfuisse demonstravimus, qui non communicaret, sed & sequentium seculorum usui repugnat, quibus tametsi non omnes qui aderant, eorum tamen plærique, certe semper aliqui communicare solebant, præter ipsum sacerdotem qui sacrum fecerat. Bellarminus de hoc Tridentino capite adversus Chemnicium disputans doctrinæ de solitaria Missa rationem ducet ab ipsa natura Eucharistiæ, quam sacrificium esse scilicet statuit: g Et, *si adversarij*, inquit, *concederent Missam non solum esse sacramentum, sed etiam sacrificium, fortasse in hac re facile convenirent; siquidem ad sacrificium, ut sacrificium est, nihil refert si multi, vel pauci, vel nulli intersint, aut communicent, cum sacrificium offeratur Deo pro populo. Potest enim sacerdos pro populo offerre, etiamsi populus nec adsit, nec communicet. Et confirmatur ex lege veteri. Cum enim sacrificia offerebantur pro peccato, nihil inde manducabat is pro quo offerebatur; ut patet Levit. 6. & 7. & tamen illi proderat. Et confirmatur rursus à simili. Nam sacrificium simile est orationi, imo est quadã realis & efficacissima oratio. Porro orationem prodesse ei pro quo fit, etiamsi ille non adsit, nec sciat quid agatur certum & exploratum est.* Hactenus Bellarminus; qui (ut dicam quod sentio) rem quod aiunt, acu tetigisse videtur. Nam si Eucharistia, quod ille intelligit, proprie dictum sacrificiũ esset, id est externum & Deo vere proprieque ad expiationem peccati nostro loco immolatũ, hæc ipsius sacri ratio nos ad hoc ut eo fruamur, ei dum offertur, interesse non magis requireret, quam requirit ut fideles ad hoc ut sacrificij Deo in cruce à Christo oblati fructum percipiant, ei dum offerretur adfuerint. Hoc ergo verisimillimum videtur ex ea maxime ratione, quæ à Bellarmino affertur, esse profectum, ut sacerdoti etiã soli absque aliis vel communicantibus, vel etiam præsentibus & adstantibus Missificare licere putaretur. Quo & alia accessit ratio, quam ego demiror à Bellarmino prætermissam, Christi scilicet per sacrum evocati præsentiam atque adorationem. Cum enim Eucharistiæ sacrum ex eorum dogmate Christum è cœlis quodammodo evocet, præsentéq; hic nobis in altari sub panis & vini speciebus sistat, divino Latriæ cultu adorandum; clarum est eam non ad hoc tantum fieri, ut vel peccata nostra expiet, qua sacrificium est, vel ut animas cœlesti cibo reficiat, qua sacramentum est, sed vel inprimis & ante omnia, ut utrum numen, unicum Dei Filium carne & spiritu præsentem sistat in terris, ab iis qui adsunt adorandum; quæ adoratio primus est ac maxime necessarius hujus mysterij finis, absque quo neque ullam immolaret hostiam sacerdos, neque vitæ pabulum in manibus haberet. Atqui quocumque loco atque tempore vere adsit Dominus Deus noster, ad ejus legitimam & salutarem adorationem *nihil* (quod aiebat Bellarminus) *refert*

g Bell. l. 2. de Missa. c. 9. §. Et hinc nascitur.

refert si multi, vel pauci, vel nulli intersint aut communicent; non magis quam ad eum orandum. Quin, videtur adoratio quo magis arcana est, & à cœtu hominum semota, eo melior atque acceptior esse Domino, juxta illud ejus mandatum; *b Tu cum oraveris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.* Ad Christum ergo in sacro præsentem adorandum, nihil magis quam ad sacrificandum refert, multi ne an pauci, aliqui vel nulli adsint, vel communicent. Quin eo melior ac purior ejus cultus futurus videtur, si procul ab omnium hominum oculis atque auribus uni Deo quem adorat, vacet atque operetur. Vnde sequetur Missas istas solitarias esse, non modo quod Latini defendunt, licitas, sed etiam omnium quæ apud eos fiunt, longe optimas ac clarissimas, Deoque acceptissimas. Ex hac utraque ratione, nisi fallor, prodiit Illa omnis apud Latinos Missarum *soluariarum & angularium*, item altarium, ædium, sacellorum, oratoriorum &c. plane immanis ac pœne innumerabilis multitudo. Nisi enim in hoc sacro præsens adesse latria adorandum numen, & quamdam ad expianda peccata, Deumque propitiandum inexhaustam hostiæ vim sibi persuaderent, nunquam eo venturos fuisse existimo, ut communionem quidem ipsam impune ut plurimum à Laïcis omitti putarent, dummodo sacramentum adorent; sacerdotem vero solum absque ullis licet secum communicantibus, & sibi & cæteris absentibus fidelibus haud fere minus conferre, quam si essent præsentissimi. Perronius si rem ipsam spectes, non alia quam hæc ratione causam solitariæ Missæ agit, quamquam suo more, multo ambitiosius. Nam & multa parerga admiscet, & ad sacrificij quæstionem, quasi ea sit hujus loci, non pauca Patrum loca huc convehit; & sacrificium denique ipsum in multas species dividit. Vult enim Eucharistiam esse holocaustum, id est, sacrum hujusmodi quo Deo perpetuus latriæ cultus, perpetuaque servitutis nostræ protestatio exhibeatur. Vult eandem esse sacrificium Eucharisticum; vult esse, ut loquitur, impetratorium gratiarum ac benedictionum; Vult esse propitiatorium; quod ea cum successerit omnibus veteris Testamenti sacrificiis, debet una complecti quicquid olim veteres per sua sacrificia consequebantur. Veteribus autem illis totidem fuisse statuit sacrificia, quot jam ex eo recensuimus. Multa sunt in hac Perronij argumentatione peccata, eaque gravissima, à Matthæo Bocharto nostro τοῦ μακαρίτου, nequid de aliis dicam, diligenter detecta, & valide confutata. *k* Quæ quia sunt ab instituto nostro aliena, non tango. Duo tantum, quæ ad rem præsentem pertinent, observare satis erit. Ac prius quidem quod Bellarminus & Perronius vel non attenderunt, vel dissimularunt, illud est, quod quicquid statuas de sacrificij nomine, sive id Eucharistiæ proprie ac univoce convenire cum Latinis dicas, sive nobiscum ac, ut mihi quidem videtur, etiam cum ipsis Patribus malis improprie tantum ac æquivoce id nominis ei tribuis propter aliquas

CAP. V.

b Matth. VI. 6.

i Perr replic. ad Reg. Ang. de resp ad 2. instant. de Sacrif. c. 4. p. 910.

k M. Boch. de Sacrif. Miss. Part. 1. c. 5. 6. 7. P. 2. c. 14. 15.

Cap.V. cum sacrificio proprie dicto similitudines, negari tamen non potest, quin ea sit proprie ac univoce dictum sacramentum, & quidem hujusmodi quod panis & vini sacri esu ac potu à pluribus una convescentibus celebretur: Est enim Cœna, est epulum, est convivium Dominicum, ut more dicemus. Esto ergo quidlibet præterea aliud; esto sacrificium, esto holocaustum, & alia si libet, cētum sacrificij genera. Non ideo certe vel sacramentum vel epulum non erit. Hęc enim est prima, vera, necessaria, immutabilis ejus forma ac ratio. Qui vere loquitur, is cum Eucharistiam sacrificium esse dicit, idem dicit sacramentum ac epulum Dominicum esse sacrificium. Atqui Eucharistia hoc sacramentum & epulum non erit, si ea unus homo aliis spectantibus solus vescitur. Ergo illa adventitia ejus attributa, cum dicitur *holocaustum* & *sacrificium* prohibere neq; possunt neque debent quominus ipsa plurium una convescētium sit. Addo secundo qualitercumq; hæc ipsa se habeant, id est sive jus revera sit Eucharistiam, quod Latini defendunt, à solo celebrante consumi, sive quod nos affirmamus, injuria sit, id totum nihil ad nostrum præsens institutum pertinere, qui tantisper seposita juris quæstione, de uno veteris Ecclesiæ facto nunc disputamus, an apud eam scilicet, solenne vel usitatum aliqua in parte fuerit, solum celebrantem communicare? Iam Bellarminus, qui sperabat nos secum facile de Missis solitariis conventuros, si Eucharistiam sacrificium esse concederemus; non erat ut opinor, negaturus veteres Patres, si æque cum recentioribus Latinis credidissent Eucharistiam esse & sacrificium proprie dictum, & præterea verum in carne & spiritu præsentem Deum à nobis Latria colendum; facile ad sacram synaxim eos etiam fideles admissuros fuisse, qui tamen non cōmunicarent, & sacerdotibus non modo permissuros, sed etiam mandaturos fuisse, ut *solitarias illas Missas*, quæ sunt hodie in communissimo usu, incunctanter facerent quoties occasio aliqua daretur, imo quoties ipsis liberet. Atqui manifestum est ex veteris Ecclesiæ monumentis, neutrum olim morem usitatum apud nostros fuisse illis temporibus Ergo vel judice Bellarmino concludendum est, veteres Eucharistiam neque divino Latriæ cultu tanquam ipsum Christum Deum ac Dominum nostrum, adorasse, neq; pro externo vere ac proprie dicto sacrificio habuisse. Ac priorē quidem morem, ut sacro Eucharistico nemo interesset qui non esset communicaturus, ad sexti seculi initia durasse jam ostendimus. Nunc de altero videamus, qui multo etiam diutius quam prior in Ecclesia Latina mansit. Neque enim solitarias in ea Missas plene approbatas ante decimum seculum fuisse reperimus.

Apostolicis quidem temporibus nō aliter Eucharistiam quam in plurium cætu actam fuisse vel ipsum *Cœnæ Dominicæ* nomen, quo eam significavit Paulus, satis arguit. Cœna enim non unius est, sed totius familiæ simul vescentis. Neque res ipsa aliter apud divinos autores describitur; ut prima à Christo autore facta, præsentibus & communicantibus omnibus Apostolis, id est, tota Christi familia, quæ singularum non personarum, sed Ecclesiarum imago & exemplar fuit: quod

tamen non est vexandum, neque ita accipiendum, quasi neque paucio-res neque plures quam duodecim celebrare sacramentum possint. Scimus enim quam difficilia incidant sæpe tempora, vix ut pluribus convenire in unum locum ad sacra peragenda liceat. Quod prospiciens Christus Dominus vigilanter, illud dixit quod est in Evangelio. *l* *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Unde illud quoque Tertulliani, *m* *Ubi tres, Ecclesia est.* Sed exceptis his, & hujus generis necessitatibus, plures pro temporum & locorum ingenio colligi ad Eucharistiam decet. Verba Christi instituentis, *Accipite, edite, bibite*, quæ sunt omnia in numero multitudinis posita, non possunt ab uno præstari; Dantem ab accipiente alium, & accipientem ipsum non unum, sed alium atque alium significant. Atque ipsa Evangelistarum & Pauli in his narrandis diligentia indicat *n* hæc Christum non temere, sed certo consilio ita dixisse; nimirum his jam tum voculis synaxin piorum delineasse ac definivisse, non unius, sed plurium esse, ab uno panem & vinum sacrum accipientium ac sumentium.

l Matth. 18. 20.
m Tertul. de exhort. castr. c 7. p. 660. D.
n Matth 26. 26. 27. Marc. 14. 22. Luc. 22. 19. 20. 1. Cor. 11. 24.

Hanc Eucharistiæ non ab uno, sed pluribus una præsentibus & communicantibus celebrandæ datam præscriptamque à Christo auctore formam Apostolos religiose tenuisse, non modo summa eorum in Magistrum reverentia persuadet, sed ipsi quoque divini libri diserte testantur. Lucas de tribus illis credentium millibus, qui primi post Christi resurrectionem baptizati sunt, *o* *Erant* (inquit) *perseverantes in doctrina Apostolorum & communione*, sive ut habet vulgatus interpres, *in communicatione*, κοινωνίᾳ, *& fractione panis & orationibus.* Idem alibi de se & aliis Apostolorum discipulis Troade tam consistentibus, *Una* (inquit) *p* *Sabbathi, cum convenissemus ad frangendum panem.* Hinc videmus non unum sed plures in unam domum, in unum locum convenisse ad celebrandam Eucharistiam; quam ex familiari in omnibus linguis tropo, totam unius partis nomine *panem* dicit. Eundem morem apud Apostolicam Ecclesiam mansisse Paulus in priore ad Corinthios circa ann. D. 51. scripta epistola nos docet; quo loco Corinthiorum in hoc administrando sacramento peccatum grave correcturus ita orditur. *Primum*, inquit, *convenientibus vobis in Ecclesiam audio scissuras esse inter vos.* Tum interjecto per parenthesin uno versiculo, institutum de hac eorum in Ecclesiastico conventu ἀταξίᾳ sermonem resumens, ac pertexens; *Convenientibus ergo vobis* inquit, *r* *in unum, iam non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam Cœnam præsumit ad manducandum; & alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Ad Domini Cœnam Corinthios *convenisse* dicit *in unum*, id est, una, simul, & quidem in cœtum non contemnendum, quippe *in Ecclesiam* (rem enim eandem utraque phrasi *convenire in Ecclesiã, & convenire in unũ* à Paulo hic significari ipse orationis nexus ostendit) Fideles ergo qui Corinthi erant *omnes* vel *fere omnes*, id est plerosque convenisse cum celebranda erat Domini Cœna, hinc liquet

o Act. 2. 42.
p Act. 20. 7.
q 1. Cor. 11. 18.
r Ibid. 20. 21.

CAPVT V. liquet: Aliter enim non dicerentur *coïvisse*, sive *convenisse* aut collecti esse *in Ecclesiam*; quo nomine hic non locus ubi fiebat collectas, sed ipsa collecta, id est populi ad sacra coacti cœtus significatur. Quid à singulari illo unius hominis, sacro magis alienum dici potuit, quod etiam in solitudine, ubi nemo adsit, nisi ipse ille qui Missificat, peragi potest? Ac ne tu fideles in Ecclesiam collectos Ministrum quidem sacra agentem spectasse attentos, mirabundos & adorabundos fingas; ipsos vero sacro minime communicasse, valide obstat plurimus toti orationi insertus de esu & potu sermo; *s Vnusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum; Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Mox *quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem biberis. Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem indignè. Sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit.* Denique disputationem concludens, *Cum*, inquit, *conveneritis ad manducandum, invicem exspectate. Si quis esurit, domi manducet.* Ex his ultimis apparet in prioribus versiculis, ubi Apostolus dicebat, *convenisse eos in Ecclesiam*, & *convenisse in unum*, ad perficiendum orationis sensum hinc supplendum esse actionis, id est collectæ aut conventus finem, ac si plene dixisset, *Convenientibus vobis in Ecclesiam ad manducandum*, & *convenientibus vobis in unum ad manducandam*, sive *ad vescendum*, id est quod ipse planius eloquitur, ad *manducandam Cœnam Dominicam*. Hoc enim ipso quod dicit rem ita ut isti in suo conventu factitabant, facere, id vero non esse *Dominicam Cœnam manducare*, hoc, inquam, ipso clarissime significat eos ad hoc quidem convenisse, ut Domini Cœnam manducarent; hunc iis in illis collectis propositum finem; cæterum ipsos suæ ἀταξίας vitio rem sanctam ita totam corrupisse, ut nihil minus egisse videantur, quam id ad quod agendum in Ecclesiam convenerant. Bellarminus nostris ex Act. 2. colligentibus distributum fuisse in Ecclesia Apostolica sacramentum fidelibus qui Eucharistiæ sacro intererant, respondet *t nihil verius dici posse: sed non inde sequi non posse unquam sacrificium sine dispensatione* (id est distributione) *offerri.* Sed hic quid factum sit, non quid non fuerit factum, quærimus. Quod ille ait factum esse, id nos tandem postremis seculis, sed à solis Latinis factum esse videmus & dolemus. An fieri id debuerit, quod ab Apostolis & Apostolicis viris factum esse nunquam auditum erat, iudicent æqui cordatique homines. Ad locum Pauli idem negat *u* illic de sacramento agi, contendit agi *de convivio quod olim in Ecclesia in pauperum refrigerium fieri solebat.* Agapen ut opinor, dicit. Ego in eo Ecclesiæ conventu, de quo ibi Paulus, *agapen* factam confiteor; sed quæ in Eucharistiæ communionem desineret; Eo fieri ut Apostolus non agat præcipue de Eucharistia, pernego. Si ita esset, quorsum ille totam ejus institutionem Corinthiis suis repetitam ob oculos poneret; quorsum ejus sed digne sumendæ necessitatem doceret, etiam allatis exemplis eorum qui ob eam indigne sumptam immissis à Deo flagellis vapulabant?

s ibid. v. 26. 27. 28. 29. 33. 34.

t Bell. l. 1. de miss. c. 10. §. respondeo.

u Bell. ibid. § resp. 1.

Neque

Neque valet quod urget adversarius neminem vino in Eucharistia sumpto inebriari. Primo Cellotius Iesuita hoc ab ebrietate à Paulo memorata argumentum satis exsufflat x, dum præfatus *immoderator sumpta usque ad ebrietatem vini speciem ab homine intemperante solvi posse naturale jejunium*; negat *se vetari hoc Apostoli dictum*. Alius esurit, alius ebrius est, *eo referre. Nam*, inquit, *cum oblationem singuli suam deferrent, modicam tenues, pralargam divites, sua isti poterant inebriari, non minus sane quam illi mediocri sua temperate nutriri.* Si hæc vera sunt, nihil necesse est ad agapen Apostoli dictum referre; quod Cellotio judice, etiam de vino Eucharistico vere dici potest. Nos vero etiam aliter respondemus; ac primo quidem monemus Paulum hoc loco *ebrium* dicere, non qui vino obrutus, ac ut Poëta loquitur, *sepultus*; sed ex Hebrææ linguæ idiotismo, eum qui plus paulo quam decebat, bibit, etiam Latini interpretes y observarunt. Sed hanc à Paulo ita significatam in bibendo immodestiam, fateor non à vino sacro, quod longe minori modo propinatur quam ut inebriare possit, sed à potu in agape, quæ Eucharistiam præcesserat, nimio fuisse. Inde fieri nego ut Paulus de Eucharistia hoc in loco non disputet; quod eum facere omnis ejus oratio clamat. Sed & Pauli locum Patres, Augustinus, Theodoretus & alij, & ex recentioribus Latinis multi nobiscum de Eucharistico sacro interpretantur; & mirum est quemquam reperiri, (adeo res clara est) qui reclamet. Itaque Bellarminus id sentiens, aliter secundo respondet z; nimirum si donetur nobis per *Cœnam Domini* hic intelligi Eucharistiam, nihil hinc tamen pro nobis colligi posse. Paulum enim Eucharistiam privatam eam reprehendre, *à qua excluduntur alij, non ad quam non coguntur.* A suis autem Missis privatis sive solitariis Ecclesiam adeo neminem excludere, ut etiam optet, ut in singulis Missis, qui adstant communicent, ut affirmat Concilium Tridentinum, sess. 22. *Sed si nulli sunt*, (inquit) *qui communicare velint, nulla culpa est sacerdotis, nec reprehendi potest, quasi solus participare velit Cœnam Dominicam*; Ille vero nos de more ludos facit. Neque enim Paulus uspiam istos, quos objurgat, ait *solos voluisse participare cœnam Domini*; neque sane id verum est. Bellarmini mera imaginatio est, ab eo ficta & vafre lectoribus objecta, ut eos hoc fuco à causa abducat. Corinthiis id crimini vertit Apostolus, quod eorum unusquisque cœnam suam præsumeret, antequam tota fraternitas convenisset. Itaque illis quod peccabant corrigens, præcipit, ut cum conveniunt ad manducandum, *alij alios exspectent.* Non ergo Paulus cœnam eam reprehendit, à qua aliqui excluderentur, dicto, denunciatione, prohibitione cœnantium; sed eam, quæ sumebatur à solis, non exspectatis cæteris, qui nondum convenerant. Atqui id ipsum factitant solitarij sacerdotes; soli vescuntur, neminem qui cum iis vescatur expectant. Ergo ejusdem cum Corinthiis criminis rei sunt. Quamquam illi fortasse, ut se purgent, caussabuntur aliam esse suam, quam Corinthiorum rationem; Hos enim merito culpari, qui scirent eos quos non

CAP. V.

x Cellot. append. ad hist. Goet. Not. ad opusc. 7. in procem. p. 574. col. 2.

y Estius in loc.

z Ibid. §. 2. etiamsi.

Cap.V. non exspectarent, venturos; Se qui neminem invitarint, nemini ad cœnam condixerint, qui non modo nesciant quisquamne sit ad communionem venturus, sed etiam certo sciant venturum neminem, merito neminem exspectare. Sed hoc ipso peccant, quod cœnam instituant, cui unus qui eam parat, sit adfuturus; novo & inusitato, tum apud seculum, tum apud Ecclesiam more. Denique, etsi nemo eos culpet, quod ad suam Missam neminem consecraneorum *cogant*; quod omnes religionis actus voluntarios esse deceat, non autem coactos, & vi extortos; graviter tamen neque iniuria culpandi videntur, quod ad sua illa solitaria sacra neminem invitant vel adhortantur, aut *compellunt* a *intrare* ad cœnam magni Regis; quod à Domino facere jussus est ille ejus de parabola Evangelica servus; *Exi in vias & sepes & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Compelle intrare* ἀνάγκασον εἰσελθεῖν. vel *coge intrare*. Id enim est ἀναγκάζειν, & sæpe ita reddidit Latinus b. Qui servi Domini *non cogunt* homines hoc Evangelico sensu, *ad cœnam Dominicam*, id est, qui eos non urgent pastorali admonitione & adhortatione ardenti ad hoc communionis officium, ij profecto non videntur à culpa facile posse purgari. Veteres quidem ita sensisse adhortationes quibus plebem ad communicandum vel in ipsa sacri Liturgia invitant, nos satis docent; qualiter supra Pseudo Dionysium testantem c audivimus Episcopum confecto sacramento, non modo communicasse ipsum, sed etiam *alios ad communicandum invitasse vel esse cohortatum*. Tridentini vero, si id quod se *optare* dicunt, serio & ex animo voluissent, dedissent operam, ut mos vetus in usum revocaretur, solitariamque illam Missam penitus abrogassent, quæ plebis animos à Cœnæ Dominicæ communione ejusque studio avocat; homines vana spe ludificans, quasi sacerdotem ad sacrum pro piis agendum mercede conduxisse, vel eum missificantem spectasse satis sit, ut mensæ sacræ participes fiant. Boni vero isti Patres usque adeo ab hoc consilio abhorruerunt, ut etiam eos qui *optent*, anathemate perculserint. Quo satis produnt se orbi Christiano verba dare, cum loco à Bellarmino laudato aiunt, non quidem quod iste falso dicit, vel se, vel Ecclesiam *optare* ut in singulis Missis qui adstant, etiam *sacramentaliter communicent*; sed se id optaturos fuisse, nisi quid, quod non edunt, velle hoc eos prohibuisset. Non enim dicunt, ut fingit Bellarminus, *optat* Ecclesia, vel Synodus; sed *optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis, fideles adstantes, &c. Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent*. Iam vero ne ineruditorum quidem aures nesciunt multum hæc inter se differre, an dicas *opto hoc fieri*; an vero, *optarem quidem hoc fieri*. Prius enim te ait *optare* jam, ut id de quo loqueris, fiat. Alterum vero te hactenus negat id *optare*; optaturum fortasse significat, si quid quod te, ne id jam velis, remoratur, amoveri queat. Ex his patet, omnes synaxes, quæ à divinis scriptoribus Apostolorum temporibus memorantur, plures habuisse communicantes. Nulla affertur, nulla revera exstat quæ fuerit ἀκοινω-

a Luc xiv. 23.

b ut Matt.6. 45. Act. 28. 19 2.Cor.12. 11. Gal.6.12.

c Dion. Ar. Hier. Eccl. c.3.p.243.

ἀκοινωνητὶ sine communicantibus. Proximorum temporum eamdem quoque fuisse hac in parte disciplinam nihil est cur dubitemus. Primum ergo ut *Cœnæ* nomen Apostolicis temporibus, ita & secutis *synaxeos*, quo Eucharistia significata est, ostendit eam non fuisse nisi in plurium convẽtu celebratam. Synaxis enim *conventus*, conventus vero non est nisi plurium. Ejusdem est cum *synagoga* originis, à verbo συνάγεσθαι, quod est *colligi, convenire*. Vt ergo *synagoga*, ita & *synaxis*, nisi plurium, nulla vere est. Ac ut *Eucharistiæ* nomen ab Apostolo manasse videtur, qui *sacrum calicẽ* ποτήριον τῆς εὐλογίας *poculum benedictionis* vocat (nam apud divinos scriptores idem est εὐχαριστεῖν quod εὐλογεῖν; idem εὐχαριστία quod εὐλογία; idem *gratiarum actio* quod *benedictio*) ita ab eodem fluxisse credibile est & *synaxeos* appellationem. Ille enim ubi de Eucharistiæ sacro verba facturus est ait, *e Primum enim convenientibus vobis in Ecclesia* συνερχομένων ὑμῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. Hinc occasionem Veteres accepisse videntur Eucharistiam *synaxeos* nomine significandi. Nam συνάγεσθαι ubi de hominibus dicitur, idẽ quod συνέρχεσθαι; & σύναξις idem quod συνέλευσις, qua voce in eodem negotio usus est *f* Iustinus. *Die autem qua Solis dicitur, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit.* τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται. Συνέλευσιν, *conventum* dicit, quam σύναξιν *collectam* vel *congregationem* dicere licebat. Latini sane Eucharistiam *collectam* eodem sensu, eademque ratione qua Græci σύναξιν dixerunt. Vt συνάγεσθαι, ita & *colligi* plurium est; Nos jam vulgo *congregari* & *congregationem* diceremus. Hieronymus in Epiphanij ad Ioannem Hierosolymitanum epistola, quam Latine est interpretatus, *g Quando simul pergebamus ad sacrum locum cui vocabulum Bethel, ut ibi COLLECTAM ex more Ecclesiastico tecum facerem. Collectam* dicit, quam non dubitem synaxim Græce ab Epiphanio dictam. Idem paulo post, *collectam celebrare* dicit *h* eodem sensu. *Celebrare collectas* idem est quod συνάγεσθαι. Ita quod Græce est, καὶ εὑρὼν ἰδίᾳ συναγομένους τοὺς συνελθόντας αὐτῷ, vetus interpres in historia Tripartita Latinè his verbis reddidit, *Inveniensque seorsum celebrare collectas socios suos*. Rectè. Eadem est nominis *Missæ* ratio *amittendo* dictæ, quod ea peracta *mitterentur*, id est, dimitterentur fideles, ut *Missa Catechumenorum* ea Liturgiæ pars, qua peracta Catechumeni dimittebantur. Nam qui huius vocabuli originem petebant, vel ex Hebræorũ, ut multi parentum nostrorum ævo, vel ex Germanorum lingua, ut nuper Albaspinæus, illi jam, etiam à suis videntur. Eruditi nunc omnes fatentur id esse quod dixi, Missæ etymon. Sirmondus mihi omnium instar erit, qui in notis ad Alcimum Auitum candide ac prudenter observavit, *i A missa* (inquit) *ceu missione populi, quæ re peracta fiebat, trãslata vox fuit ad significandas res ipsas, quæ gerebantur*; Et eorũ *cassum laborẽ* dicit, *qui Missæ nomẽ exoticũ, id est Hebræum finxerũt*. Deniq; *Cœna Dominica* nomẽclatura quæ à Paulo, orta etiam apud Patres diu mãsit, vt ex August. *k* & aliis patet, qui sæpe Eucharistiã his verbis significãt, huc etiã pertinet. Neq; n. quod

CAP. VI.

d 1.Cor.10; 16.

e 1.Cor.11; 18.

f Iustin. Apol.2.p.77. l.2.2.

g Epiph. ad Ioan.Hier.

h Hist.Trip. l.6.c.23.

i Sir. not. ad Avit. ep.1. p. 2.

k Aug. ep. 118. serm. 33. de verb. Dom. c.1. &c 4.

Cap. V. quod jam diximus, *cœna* unius hominis est, quod vel ipsum vocabulum arguit, à Græco κοινὸς, id est *communis*, ortum, quod ea plurium esset communis, ut est à Plutarcho observatum, *l Cœnam,* inquit, *à communione dictam aiunt;* τὰ δεῖπνα φασὶ ΚΟΙ͂ΝΑ διὰ τὴν κοινωνίαν καλεῖσθαι. *quia seorsum prandebant prisci Romani modeste vel modice cum amicis vero cœnabant.* καθ' ἑαυτοὺς γὰρ ἠρίστων ἐπιεικῶς οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι, συνδειπνοῦντες τοῖς φίλοις. Quæ ergo hujus census est Eucharistia, ea plurium est; unius inepte ac ridicule dicitur. Isidorus Hispalensis, *Cœna dicitur à communione vescentium.* κοινὸν *quippe commune Græci dicunt; Unde & communicantes quod communiter id est pariter conveniant.* Eadem habent Rabanus *n* & Commentarius in Paulum Remigij Antissiodorensis, *o* Haymoni ab aliis perperam vindicatus. Idem etiam clarius vincit *convivij* nomen, quod tralatitium est de hoc eodem sacro *p* usurpare. Quis enim neget stulte id *convivium* dici, in quo nulli sunt *convivæ*? in quo unus edens ac bibens spectatur? nemine vel præsente vel certe una vescente? Neque tu sapientius *synaxin* dixeris, cum actum ad quem nemo præter eum *convenit*, qui sacra facit; vel *collectam*, cum ei qui celebrat, nemo adest; vel *missam* denique è qua nemo mittitur. Neque vero est quod ad hæc responses nomina à rerum ipsarum ratione sæpe discedere; adeoque infirmum esse quod ab eis ducitur argumentum. Fateor hanc esse temporis, ut in cætera, sic etiam in vocabula vim, ut ea varie commutet, & ad res à prima eorum significatione longissime remotas transferat; quod in omnibus linguis factum videmus. Ut temere nullaque ratione nomina rebus ab initio imposita fuerint, quorum sensus atque etymo res ipsæ quibus imponebantur, repugnarent; id vero nemo sapiens concesserit. Stulte, fateor, argumentaretur qui quod galea κυνῆ apud Græcos dicitur, eo putaret non alias apud Græcos scriptores, quoties hoc vocabulo utantur, galeas significari, quam quæ ex canis corio factæ sint, quod scilicet κυνῆ proprie sit *canis corium*; κυνῆ enim si plene dicatur est κυνῆ δορὰ, *canis corium*. Qui vero ex hoc nomine argumentetur apud antiquissimos Græcos, qui primi hoc galeæ nomen fecerunt, galeas ex canis corio fieri fuisse solitas, ille vero sapienter ac recte dissereret, idque diceret quod res est, quodque à sapientissimis scriptoribus est jampridem observatum, ut ab Eustathio doctissimo Homeri interprete. *q* Ita & fateor, mutatis longo tempore vocabulorum significationibus, frustra quemquam argumentaturum nunc apud Latinos nulla fieri Eucharistiæ sacra solitaria, quod ea ipsi perinde ac veteres, missas, synaxes, collectas vocent. Apud eos vero qui primi illa nomina Eucharistiæ imposuerant; nemo æquus rerũ arbiter recte ex his vocabulis concludi negaverit, nullum olim revera factũ fuisse Eucharistiæ sacrum, quo primum tempore eo nomine vocari cœpit, in quo non adessent plures, ad id *collecti, congregati, convenientes*, eoque peracto *missi*, sive dimissi. Sed jam veteres audiamus; an rem ipsam sic describant, ut aliter institutam fuisse doceant, quam nomen ei ab

l Plutarch. Sympos. l. 8. Problem. 6. p. 726. E.

m Isid. Orig. l. 20. c. 2.

n Rab. de nat. rer. l. 20. c. 1.

o Haym. in 1. Cor. 11.

p Greg. l. sacr. ad d. 15. Kal. sept. p. 125. col. 1.

Participatio cœlestis convivij.

q Eust. in Iliad. K. p. 803. l. 46. & in Odyss. Ω p. 1959. l. 52.

illis impositum præ se ferre videtur. Primus post Apostolos in eo ordine occurrit Iustinus qui fuse ac dilucide totius synaxeos rationem enarrat. Principio ad eam confluxisse *omnium* (fidelium scilicet) *qui in oppidis vel rare degunt, multitudinem, in eundem locum convenientium.* πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται. Quid? illinc adeo tam multi conveniebant, ut Eucharistiam adorarent, & sacrificum celebrantem spectarent, non ut ipsi communicarent? Nequaquam. De adorato quidem sacramento vel à plebe, vel à præside (sic enim eum vocat Iustinus, qui celebrat τὸν προεστῶτα) plane nihil hic legimus; ac ne de spectaculo quidem. Lecta primo memorantur *Apostolorum & Prophetarum scripta.* Inde *Præses orationem habet, qua populum instruit & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur.* Tum sequuntur *omnium una consurgentium* preces (ex prisco ut videtur more, ut die Dominico stantes præcarentur) Finita prece, Præpositus super oblatum panem & vinum preces & gratiarum actiones fundit. Vbi populus fauste clamavit *Amen, eorum*, inquit, *s quæ benedicta sunt sive per gratiarum actionem consecrata, distributio fit atque communicatio VNICVIQVE; Absentibus autem per Diaconos mittitur.* καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. Paulo ante, eadem omnia dixerat; atque hæc quidem postrema de omnium communione, etiam paulo quam hic fusius, *Postquam* (inquit) *Præpositus gratiarum actionem perficit, & populus universus fauste acclamavit, tum qui apud nos vocantur Diaconi,* (id est, ministri) *dant VNICVIQVE PRÆSENTIVM participare ex pane, vino & aqua benedictis, sive per gratiarum actionem consecratis, & ad absentes perferunt: hoc autem alimentum,* sive *hic cibus apud nos Eucharistia vocatur; cuius nemini alij quam credenti licet esse participem.* εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ΕΚΑΣΤΩ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία, ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχεῖν ἐξόν ἐστιν ἢ τῷ πιστεύοντι. Plenissimam hic vides non omnium modo præsentium, sed quorundam absentium communionem; quibus per Diaconos Eucharistiæ particulæ mittebantur. Id enim ita fieri cogebat illorum temporum necessitas, quibus cum sæviente ut plurimum persecutione, singulis fidelibus non liceret fraternæ synaxi interesse, si vel ab Ethnicorum plebe postulati erant ad necem, vel à delatoribus apud Principum ministros accusati, vel si ab ipsis Magistratibus ad judicium conquirerentur, vel ob claritatem deprehendi periclitarentur. His enim cum delitescere, ut vitæ consulerent, cogerentur, tutum non erat communibus suorum sacris frequenter interesse; ideoque eorum consolationi atque communioni, missa per Diaconos Eucharistia, consulebatur. Sed quæcumque hæc absentium causa fuerit, præsentes quidem certe ad unum omnes communicatos fuisse patet in Iustiniana synaxi. Sacerdotem qui unus solusque

CAP. V.

r Iust. Apol. 2. p. 77. l. 24.

s ibid. l. 34.

t ibid. p. 76. l. 41.

lusque Eucharistiam vel fecerit, vel sumpserit, frustra apud Iustinum, vel alios proxima memoriæ scriptores, Irenæum, Tertullianum, Clementem, Alexandrinum quæsieris; Nullum reperies.

CAPUT VI.

Argumentum V. contra solitarias Missas, veterum omnium de iis silentium. Bellarmini pro iis conjectura I. à presbyteris absolutè ordinatis ducta refellitur.

IAm cum & his primis seculis & consecutis ad annum Domini 500. temporibus superiori disputatione demonstratum sit, morem Ecclesiæ fuisse, ut quotquot synaxi intererant, ij omnes sacramentum sumerent, eadem quoque opera probatum est nullam tum fuisse synaxim solitariam, quæ quidem coram Ecclesia, vel aliqua saltem ejus parte perageretur. Si quas ergo synaxes tum solitarias fuisse pertendant, necesse est eas habitas fuisse sacerdote solo, cui sacra facienti nemo mortalium adesset, quique sibi & Deo solus seorsum caneret; quod genus nescio an adhuc illis temporibus exstiterit. Difficile quidem mihi videtur reperire. Sed quid amanti & egenti difficile est? Etiam in cœlum iturum si jusseris, esurientem Græculum Poëta festivissimus dixi Latinorum solitarias illas suas Missas mirifice depereuntium, ac ut si dicam esurientium, haudquaquam, credo, minor est, quam Græculorum istorum olim fuit solertia, vel industria. En tibi Bellarminum spondentem se arte sua effecturum, ut id fuisse videatur, quod nunquam fuit, quodque adeo ipse pæne fatetur nunquam fuisse. *Etiamsi* (inquit) *nusquam expresse legamus à veteribus oblatum sacrificium sine communione alicujus, vel aliquorum præter ipsum sacerdotem, tamen id possumus ex conjecturis facile colligere.* Atqui quod ille agnoscit *nusquam expresse legi* nullam apud veteres synaxin fuisse, in qua nemo præter celebrantem alius communicaret, quid aliud est quam fateri nullam revera hujusmodi apud veteres fuisse? Quis enim crediderit si qua talis olim fuisset, nullam ejus uspiam facturum fuisse mentionem aliquam, unum saltem aut alterum, ex ea veterum autorum multitudine, quantum habemus ex antiquitate superstitem, in libris qui ab iis scripti propemodum innumerabiles exstant? Pseudo Clemens, Pseudo-Dionysius, Liturgiæ Iacobi, Basilij, &c. Ex Latinis vetustioribus Augustinus, ex recentioribus Isidorus, Pseud-Ambrosius de sacramentis, & alij non pauci veteris synaxeos formam accurate expressam memoriæ mandarunt; sed ita, ut nemo sit qui eam aliter quam, cum fidelibus præter sacerdotem communicantibus exhibuerit. Quî factum est vt in hoc propriè argumento versantes, idque sane diligenter ac copiose exsequentes, rem in eo tam memorabilem, adeo insigne scilicet in hujus sacramenti administra-

nistratione discrimen nuspiam observarint, vel leviter innuerint? Præterea apud eos loca sunt in quibus notant rituum in Eucharistia administranda apud alias atque alias Ecclesias diversitatem; ut videre est apud Basilium, Augustinum, Socratem, Sozomenum; Atqui de hoc multo memorabiliori in una eadéq; Ecclesia discrimine ne unam quidem litteram uspiam scribunt. Quis hinc non intelligit, nullum nimiũ fuisse quod dicerent? Quod si revera fuisset, absque flagitio preteri mitti non poterat. Quid, quod eius ne illic quidem meminerunt, ubi suos ardentissime ad frequentem communionem hortantur? quo profecto loco de eo ritu aliquid necessario dicendum erat, ut communionem negligentibus, hunc suæ desidiæ colorem eriperent, quam synaxes istæ ἀκοινώνητοι fovere videntur, dum occasionem hanc quærentibus persuadent vel ipse Ecclesiæ præpositorum judicio, qui soli communicant, nihil usque adeo necesse esse crebro communicare; satis esse synaxi interesse, cuncta attente intueri, & panem ubi consecratione fatum mutavit, religiosissime adorare. Hæc objecissent illi, qui rarissime communicabant: hæc non sine aliqua specie objicientibus Patres satisfecissent; ostendissent se non sponte sua, suove judicio eo devenisse, ut soli interdum, imo sæpius quam vellent, communicent. Testati essent verius sane atque sincerius, quam Tridentini, *optare se quidem, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificij fructus uberior proveniret*; Verum per eorum socordiam, flagitiosamque apud Ecclesias, dum hoc sacrum peragitur, infrequentiam, vota sua ac desideria frustra esse; eo se cogi, ut vel soli communicent. Tu vero nihil istorum apud quemquam veterum reperies, ubi vel vehementissime suorum animos ad frequentem communionem accendere, atque inflammare student. Quid dixi nihil istorum apud veteres reperiri? Imo multa cum his apertissime pugnantia talibus apud eos locis reperies; ut ex illa Chrysostomi in epistolam ad Ephesios homilia apparet, quam nos supra x excussimus. Vt cætera mittant, quale quæso istud est, quod eum qui sacræ synaxi interfuit, neque communicavit, disertissimus vir rogat, *Quomodo* (inquit) *mansisti, & mensæ non es particeps*? Vel pueri intelligunt quantæ futurum fuerit infantiæ de Latinis nunc nostris aliquem ita rogare, *cur non communicaverit, qui Missam bona fide totam & viderit & audiverit*? Quasi vero apud istos non ita quotidie Missa exeant virorum mulierumque myriades, adoratione quidem & cætera omni in id sacrum religione absolutissime defuncta, cæterum à pane & vino sacro æque jejuna, ac si abfuissent. Fungus est qui ex his & aliis ejusdem gentis non sentit plane diversam veteris à Latina hodierna Ecclesia morem hac in parte fuisse. Itaque, quod Bellarminus fatetur, *nusquam nos expresse legere* aliquam apud veteres fuisse synaxin, in qua nemo præter sacerdotem communicaret, eo ipso nullam revera fuisse confitetur; quod hoc ex illo ita evidenter consequatur,

CAP. VI.

n Concil. Trid. sess. 22. cap. 6.

x supr. c. 2.

Cap.VI. ut id vir acutus & in versandis antiquitatis monumentis assiduus, nescire non potuerit. Sed ille tamen suis artibus ita confidit, ut speret se suis quibusdam fucis, sive, ut ipse honestius dicit, *conjecturis* effecturum, & quidem facile effecturum, ut apud Patres nos ea videamus, quæ nusquam apud eos exstant. Modestius, ut solet, Espensæus difficile esse fatetur, y quod Bellarminus facile esse pronunciat. *Missa* (inquit ille) *privata seu nullis præter ministrum communicantibus vestigium reportatum sanè difficile; Publica contra, plena Ritualia primitiva.* Sed Bellarminis conjecturas videamus. Quatuor affert, quarum quæ ad Ecclesiam quinque priorum à Christo nato seculorum pertinent, eas nunc excutiamus; reliquas postea suo loco ac tempore ubi ad sequentia tempora vestrum erit, expendemus. * Prioris census est conjectura quam Bellarminus secundam habet. z *Quidam* inquit, *initiabantur sacris absque ulla certa procuratione animorum, qui proinde non poterant ulli sacramentum administrare, & tamen sine dubio Missas celebrabant. Exemplum habemus in S. Paulino Nolano, qui Presbyter ordinatus fuit, ut ipse scribit epistola 6. ad Severum, in sacerdotium Domini, sed nulli certæ Ecclesiæ alligatus.* Hæc ille: sed neque id ex quo ducitur conjectura, satis solidum est; neque si solidum omni ex parte esse fingas, ideo valebit quod ex eo conjector colligit. Mos enim ille cui conjectura superstruitur, initiandi aliquem Clero absque certo titulo, non erat apud veteres legitimus; ideoque fuit non semel in antiquis Canonibus diserte vetitus. Notissimus est Canon ex Calchedonensi Synodo à Gratiano & aliis, in jus Ecclesiasticum relatus; *Neminem absolute ordinari presbyterum, vel diaconum, vel quemlibet in Ecclesiastica ordinatione constitutum*; quo etiam irrita esse decernitur cujuscumque absolute & absque certo titulo facta ordinatio. Zonaras ne Lectorem quidem, quem quidam ab hujus regulæ severitate eximebant, aliter posse rite ordinari contendit. Ex eo autem quod vitio fit, non magis quam ex eo quod nusquam est, ducitur argumentum. Ergo, si vel verum esset quod ponit Bellarminus, nihil tamen ex eo legitime concludi posset. Esto enim; Fuerint olim, non *quidam*, quod iste ait; sed *multi* absolute ordinati Presbyteri, iique soli absque communicante sacra peregerint. Quid tum? Ergo, inquis, olim licuit absque communicante Eucharistiam facere. Si ita fas est argumentari, quidni etiam inde pariter conclusero, ergo licuisse olim absolute ordinari? Atqui non licuisse ex Calchedonensi Synodo patet. Ergo neque ex hujusmodi exemplis si qua sint, quicquam pro solitariis Missis effici potest. Ejus enim qui vitio ordinatus est, nullus actus rectus legitimus est, qui exemplo esse vel possit vel debeat. Neque est quod quis Paulinum ante Calchedonensem Synodum vixisse censeat. Id enim juris est in Ecclesia perpetui, quod Calchedonensis Synodus non condidit, sed duntaxat promulgavit. Quam vero vitiosa illa ordinatio rara esset apud veteres, vel hinc vides, quod Latinus disputator nullum aliud ejus exemplum attulit, quam Paulinum. Quem si concessero, quod vult adversarius, obtulisse scilicet sine

y Esp-ns. de miss. publ. & priv. fol. 216 a.

* Infr. c. 14.

z Bell. l. 2. de miss. c. 9. §. Secunda conjectura.

a Dist. 70. c. 1. Neminem. Conc. Calch. c. 6. Zonar. ibi

commu-

communicante, nihil inde redibit ad Missas solitarias; quod ejus qui eas factitavit, ordinatio vitiosa disertissimo synodi universalis paulo post Paulini mortem habitæ decreto judicata sit. Quod si Bellarmino *conjicere* licet, me quoque suspicari nulla erit invidia, hujusmodi ordinationes præter alias rationes, ob hanc quoque vetitas fuisse, quod huic pravo & ab Ecclesiæ moribus alieno solitariæ communionis (ut loquimur) *abusui* januam aperiret. Denique si quod Bellarminiana conjectura statuit, non possunt illi absolutè ordinati aliter quam soli & absque communicante Eucharistiam facere, profecto nequiter atque improbe fecerunt Tridentini Patres, qui cum quod ipsi profitentur, *optarent* ut in singulis Missis qui adstant, communicent, eam tamen sementem ex qua copiosissima Missarum solitariarum messis provenit, non sustulerunt; id est quod absolutam illam Presbyterorum ordinationem, quâ fit ut quod ipsi optant, necessario inane & irritum maneat, de suæ Ecclesiæ finibus non exterminarint; præsertim cum id fas esset, cum & veteris omnium frequentissimæ, & post Nicænam celeberrimæ synodi lex, ipsæque juris Pontificij regulæ faverent ac suaderent: à quo tamen adeo longe abfuerunt sanctissimi illi Tridentini Patres, ut nunquam major apud Latinos fuerit sacerdotum absolute ordinatorum copia, quam nunc est & fuit his temporibus quæ ab illo habito Tridenti Concilio effluxerunt. Nam illius census Presbyteris huc illuc temere instar mendicabulorum, oberrantibus tam hodie quam olim plena esse omnia videmus. Ex quibus veri mihi simillimum videtur, vel mentitos esse Tridentinos cum se *optare* dicerent, *ut in singulis Missis* fideles sacramentum sumant; vel certe (quod nemo istorum, ut opinor, non mallet) peccasse Bellarminum, seque & lectores suos esse ludificatum, cum conjiceret non posse presbyteros absolute ordinatos consistere, nisi solitariæ ab iis Missæ cantentur. Ego utrum verius sit non valde laboro; & futuros suspicor qui utrumque verum putent, & Tridentinos à sincera veritate, & Bellarminum à recta ratiocinatione aberrasse. Certe si quod ille conjicit, per se consideretur, inane esse, & vel ipsa veri specie carere liquido deprehenditur. Qui (inquit) absolute ordinati erant, non *poterant ulli sacramentum administrare*, & eos tamen missificare necesse erat; alioqui munere, ad quod ordinati erant, carituros. Illud mitto, quod ponit absolute ordinatos in eo statu manentes necessario missas celebrasse. Atqui ne hoc quidem videtur, simpliciter affirmandum fuisse. Quid enim si sic ordinati essent, ut muneris ad quod ita ordinabantur, functionem illam propriam non ante exercerent, quam essent certum titulum, & Ecclesiæ vel Ecclesiolæ alicujus ministerium nacti? Sed hoc, inquam, quod est levius, mitto. Illud vero quod noster *conjector* confidentissime constituit presbyteros illos, si qui essent absolute ordinati, *non potuisse ulli sacramentum administrare*, quis ei sanus concesserit? Cui nullius *animæ procuratio* certo ac definite erat assignata, cum nemo negaverit sacramentum administrare nulli animæ potuisse, quæ sua, ut sic dicam, esset, hoc est CAP. VI.

cujus

Cap. VI. cujus ei ministerium jure ordinationis competeret, quæ ejus, ut loquimur, ovis proprie esset. Non potuisse eumdem oves alienas (id est quarum procuratio ad alium Pastorem jure pertinebat) cum ejus, cujus proprie erant, venia, imo eo etiam ad id vocante, rogante, saltem concedente, *procurare*, adeoque illis sacramentum, ut Catechumeno baptismum, baptizato Eucharistiam, peccatori pœnitentiã, pœnitenti absolutionem, morienti oleum ex usu Latinorum, *administrare*; id vero ab omni ratione, veritate, usu denique ita abhorret, ut non possim non mirari rem adeo stultam & absurdam Bellarmino excidisse. An Episcopis (ut vocant) *titularibus*, quibus non aliorum proprie hominum, quam Babyloniorum verbi gratia, aut Heliopolitanorum, quorum Præsules ordinati sunt, cura ac ministerium commissum est, non licet aliis quam Babyloniis & Heliopolitanis quicquam Episcopalis muneris administrare? Illi vero, si ea lege facti essent Episcopi, frustra facti essent; neque unquam illius quicquam muneris administrarent; qui Babylonem vel Heliopolim scilicet nunquam visuri sunt; neque earum urbium civem aliquem unquam conventuri. Sed quod reum ineluctabili necessitate facere in illis locis prohibentur; id alibi precario concedentibus ordinariis paræciarum Præsulibus facere eos & caritas jubet, neque leges vetant. Atqui istis non plus est in istos alienos quibus ministrant, juris quam presbyteris absolute ordinatis in illos fideles, quibus vel rogante, vel certe concedente eorum sacerdote, Eucharistiam administrant. Inefficax ergo, vel si verum licet dicere, inepta ac ridicula est omnis hæc Bellarmini *conjectura*, somniumque potius, vel delirantis hariolatio est, quam conjectura. Istos enim & Episcopos, & presbyteros, qui quod propriis careant ovibus, in procurandis alienis operam suam collocant, ministeria quæ apud eas exercent, nefas est aliter, alio modo, aliave ratione exercere, quam solennis mos, communesque leges ferunt, quamque ipsi in propriis si quas animas procurandas haberent, facturi erant. Nisi ergo Bellarminus ante præstruxerit morem & usum Pauliniani seculi fuisse, ut sacra Eucharistica fierent absque ullo præter sacerdotem communicante; frustra nobis Paulinum canit fuisse Barcinone presbyterum, sed absolute ordinatum. Quasi scilicet isti ita ordinati aliter facerent Eucharistiam, quam certo titulo ab ordinatore alligati. Ille vero

b Cham. l. 7. de Euch. c. 14. §. 14.

(quod festive quidem, sed tamen vere hoc loco scribit *b* Chamerius noster) plane sic argumentatur, ac si quis ex eo quod Monachi Dominicani absolute sic Prædicatores instituuntur, ut nulli singulari Ecclesiæ sint addicti, concludat hunc esse Latinorum morem, ut apud eos etiam absque adstantibus prædicetur. Ne illud quidem omiserim, quod est à

c Calist. de Miss. solit. §. 64. p. 51.

doctissimo Calisto observatum, *c* Paulinum hoc ipso loco quem laudat Bellarminus, satis id refellere, quod hic falso negat, *ulli eum homini sacramentum administrare potuisse*. Cum enim Severo suo in illa epistola suam illam absolutam in presbyterum ordinationem nuntiasset, statim eum invitat, ut ad se sacramentum à se sumpturus veniat. *Veni igitur* (inquit) *si pla-*

d si placet ante Pascha, quod nobis optatius est, ut sacras ferias me SACERDOTE concelebres. CAP. VII. d Paulin. ep. 6. p. 101.

CAPUT VII.

Refellitur secunda Bellarmini pro Missis solitariis conjectura, inde ducta, quod plurimi olim fuerint presbyteri, rari in multis locis Laïci communicantes. Presbyterorum Romæ sub Concilio numerus. Presbyteri quotidie offerentes rari olim. Laïcorum olim communio frequens an infrequens. Falsum esse arguitur, quod Græci post annum tantum communicaverint. Libri de sacramentis non sunt Ambrosii, neque Augustini sermo vicesimus octavus de verbis Domini.

ALtera conjectura, quæ Bellarmino tertia est, inde ducitur, *e* quod *cumplurimi olim sacerdotes quotidie celebrarent, populus tamen multis in locis raro admodum communicaret*, Respondeo primum in genere; Olim ut multi offerentes fuere, fuisse & multos communicantes certũ est, ac ut quibusdam in locis erant quotidianæ presbyterorum oblationes, ita & quotidianæ fuisse non paucis in Ecclesiis memorantur fideliũ communiones. Hieronymus, *Romana* (inquit) *Ecclesia & Hispaniæ id observare perhibentur*, ut scilicet quotidie accipiatur *Eucharistia*. Et alibi, *g scio* (inquit) *Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant, quod nec reprehendo nec probo.* Idem tamen alibi scribit, *h* ita nobis vivendum, ut eam (Eucharistiam) *quotidie accipere mereamur*. Quę si fuit, ut fuisse videtur communis illius Ecclesiæ sententia, apparet illis Bellarmini sacerdotibus quotidie celebrantibus non defuisse fideles cõmunicantes. Itaque vana est omnis hæc ejus conjectura. Quin & videtur non inepte colligi ex Patrum dictis Eucharistiam nullam olim oblatam fuisse quæ non distribueretur. Augustinus certe utrumque fere conjungit, ut cum de eo loquitur, *i quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione consumitur* (id est, ut patet, de pane & vino) dicit *hoc ipsum inter celebrationes sacramentorum OFFERRI & DARI*. Dari autem panem illum nemo dixerit, nisi quis sit alius præter offerentem, cui Eucharistia tradatur, Sic alibi, de eodem mysterio verba faciens, scribit *k id quod est in Domini mensa, benedici & cum benedicitur, sanctificari; & ad distribuendum COMMINUI*. Mox panis *sanctificationem & DISTRIBUTIONIS præparationem* memorat, ac illam *sanctificationem & distributionem* veluti duas hujus sacri partes cõsiderat. Denique docet, certe docere videtur, hoc mysteriũ rite non concludi nisi *peractis* prius precibus *quibus populus benedicitur, PARTICIPATO sacramento*. Sic quoq; in alio opere dicit *pro omnibus* illis *sacrificiis & oblationibus*, quæ veteris Testamenti temporibus celebrabantur, *nunc Christi corpus offerri, &*

e Bell. l. 2. de Miss. c. 9. §. Tertia conjectura.

f Hier. ep. 28. ad Lucin. t. 1 fol. 69. H.

g Ibid. ep. 50.

h Id. l. 6. in Ez. c. 16.

i Aug. l. 3. de Trinit. c. 10. t. 3. p. 108. C.

k Id. ep. 59 quæ est ad Paul. Q. 5. p. 114. col. 2. D.

l Lib. 17. de Civit. Dei. p. 1138. E.

Cap. VII. *PARTICIPANTIBUS ministrari.* Cum ergo ex his verisimillimum sit nunquam apud veteres offerri consuevisse hoc sacrū, quin & oblata communicantibus distribueretur, frustra sunt omnes Bellarmini hariolationes suas illas Missas solitarias in prisca Ecclesia reperturum se somniantis, in quibus oblata nemini participanda distribuitur. Si is modestius conjiceret in tanta synaxeon multitudine quasdam fuisse in quibus pauci de plebe communicarent iis seculis, quibus refrigescente Christianorum zelo, multo rarius quam olim communicandi mos invalescebat, non repugnarem quin conjectura sit satis probabilis. Nunc cum hinc aliud valde diversum conficere velit, nimirum jam tum fuisse aliquas synaxes præter morem illorum temporum, ut ex omnibus illius memoriæ libris apparet, communem, ita celebratas ut solus sacramentum qui confecerat sacerdos sumeret; nullum colorem habet conjectura, somnioque quam ratiocinationi similior, in auras abit, tamque facile rejicitur, quam obtruditur. Nunc ut sigillatim duo illa, quibus tota nititur, excutiamus; fateor multos fuisse in Ecclesiis antiquis Presbyteros; scilicet pro ratione & modo populi, cui ministrabant; ut Romæ Cornelij Episcopi temporibus, nō tantum, quod Bellarmino ait, *m quadraginta*; sed quod apud Eusebium* diserte scriptum est, *n sex & quadraginta* πρεσβύτεροι ἕξ. Quidni? cum ea jam esset Romæ Christianorum Ecclesia, quæ, ut idem ille Cornelius testatur, *immenso ac pœne innumerabili populo* abundaret. Μετὰ μεγίστου καὶ ἀναριθμήτου λαοῦ: quod etiamsi non diceret, facile tamen ex iis quæ ibidem narrat, quivis verum esse intelligeret. Ait enim præter illos sex & quadraginta Presbyteros ministrare eidem Ecclesiæ Diaconos septem cum totidem Subdiaconis, Acoluthos vero duos & quadraginta, Exorcistas, Lectores cum Ostiariis duos & quinquaginta, viduarum denique, infirmorum & egentium, qui Ecclesiæ benignitate & sumptibus alebantur multitudinem mille & quingentorum numerum superavisse. Quantum enim quamque copiosam fuisse necesse est eam plebem, quæ tam multis alendis par fuit? Ego vero fateor hæc inprimis Ecclesiæ Christianæ in qua urbe nostri quotidie crudelissime mactabantur tantillo ducentorum scilicet annorum spatio tanta incrementa stupenda videri: Neque hunc locum unquam legi quin statim animum meum de Christianismi divinitate cogitatio subiret, quod neque factum sit unquam, neque vero fieri posse videatur, ut ulla disciplina tam longe lateque absque omni humano præsidio, adversis infestisque omnibus mundi rectoribus, & in ejus innocentissimos sectatores omni cruciatuum, ac tormentorum genere bacchantibus, in tantum multitudinem diffunderetur, & in ipsa urbium principe tam brevi spatio excresceret. Sed hæc nihil ad sacra Bellarmini solitaria. Eadem est eorum ratio, quæ idem hoc allato exemplo subjicit deinceps magis ac magis crevisse *sacerdotum multitudinem.* Nihil mirum crevisse ministrorum numerum, pro ipsarum Ecclesiarum incremento, ad quarum usum illi ordinabantur. Sed

m Ibid. §. 2. multi erant.
* n Hist. l. 6. c. 43. Gr p. 244. A. B.

Sed non facile quemquam demonstraturum puto eo usque ex crevisse unquam sacerdotum in veteri Ecclesia multitudinem, ut aliquando æquarit illas sacrificulorum legiones, qui hodie vel certis titulis affini, vel errones & vagi, vel monasteriis clausi (si tamen clausi) ubique terrarum apud Latinos perstrepunt; qui urbes, agros, inclusas, littora, culta incultaque jampridem replent; neque dum tamen ullus est istius foeturæ sacerdotalis finis. Sed neque certum est quod ait) o Bellarminus *plurimos olim sacerdotes quotidie celebrasse* Eucharistiam. Quosdam ita fecisse, ut quem ipse supra memoraverat Cassium Narniensem (nam Andream quem edit, quotidie sacrificasse scriptori apocrypho nos certe non credimus; de Cassio constat ex Gregorio) Hoc ipso quod id de isto observatum est, intelligimus raros fuisse, qui sacra quotidie facerent. Quod denique idem subjicit p *populum in multis locis raro admodum communicasse*, pro diversis Ecclesiæ temporibus vere vel affirmari, vel negari potest ac debet. Primis temporibus, quibus ardentior erat pietas fideles quotidie communicasse multi affirmant. Postea, pace Ecclesiis reddita, tepescente, ut fit, multorum fide, verisimile est una refrixisse priscum illum assidue communicandi morem; atque ita accidisse scriptorum Ecclesiasticorum series docet; eoque pertinere concedo illam Chrysostomi de suis Antiochenis querelam, quam huc affert Bellarminus; *Frustra habetur quotidiana oblatio, cum nemo sit qui simul participet.* Quanquam enim Bellarmino minime concedam ita ad vivum resecanda, præciseque sumenda esse ac si significarent plane neminem fuisse, qui communicaret; fateor tamen ex his per hyperbolen in quotidiano sermone familiarem ita dictis intelligi paucos fuisse communicantes præ non communicantibus. Sed neque verum est, quod Bellarminus rem supra verum augens, dicit hunc ipsum Chrysostomum alibi scripsisse *plurimos tantum semel in anno ad sacramenti communionem accessisse. Multos* ille dicit, non *plurimos*. Quod vero vel in Græcorum gente, vel in Constantinopolitana civitate multi semel per annum communicarent, eo non fit, ut nemo in tota gente, vel urbe esset, qui sæpius communicaret. Aliud ait auctor eo ipso in loco, qui laudatur; q *Multi (inquit) hujus sacrificii semel toto anno sunt participes; alii autem bis; alii vero sæpe* πολλοὶ τῆς θυσίας ταύτης ἅπαξ μεταλαμβάνουσι τοῦ παντὸς ἐνιαυτοῦ ἄλλοι δὲ δίς. ἄλλοι δὲ πολλάκις. & mox significat *esse qui semel, esse qui sæpe, eesse qui raro communicarent.* τίνας ἀποδεξώμεθα, τοὺς ἅπαξ; τοὺς πολλάκις; τοὺς ὀλιγάκις; Sed & eremi incolas (id est anachoretas ibidem memorat, quos ait *semel in anno, sæpe etiam post biennium esse participes.* ἐκεῖνοι γὰρ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ μετέχουσι. πολλάκις δὲ καὶ διὰ δύο ἐτῶν. Sed neque tam de Græcis proprie, quam de quibusvis in genere Christianis loqui eo loco videtur. Illic enim non de singularum gentium institutis disputat; sed in genere de ea ratione, qua cum frustra & laude com-

CAP. VII.

o Bell. L. 2. de Miss. c. 9. §. Deinde negam.

p Greg. hom. 37.

q Chrysost. Hom. 17. in ep ad Hebr. p. 856. D.

Cap.VII. communicatur, quam in eo sitam esse ostendit, non ut vel raro, vel sæpe, sed ut digne id fiat. Itaque hic eos colligit, qui vel sæpe, vel raro, vel etiam semel in anno, imo etiam ut eremitæ, in biennio, communicant, cujuscumque de cætero sint vel gentis, vel loci, Græci Latini, Europæi, Afri, Asiatici. *Ad omnes* (inquit) *habetur oratio, non solum ad eos, qui hic sunt, sed etiam ad eos, qui sunt in deserto.* Tum; *Nos* (inquit) *neque eos, qui semel, neque qui sæpe, neque qui raro* (communicant) *laudabimus sed eos, qui cum munda conscientia, qui cum mundo corde, qui cum vita inculpabili.* Hoc vero de cujuslibet vel gentis, vel loci, vel temporis Christianis verum est. Ergo de nulla præcise ac definite gente dictum est; ut ridiculi sint, qui inde Græcos plærosque omnes in anno semel tantum vulgo communicasse colligunt quæ Bellarmini mens fuisse videtur. Huic enim gravissimi ac certissimi auctoris testimonio aliud noti ac incerti scriptoris de Græcis nominatim loquentis dictum continenter subjicit; r *Ambrosius etiam* (inquit) L.5. de Sacramentis, c.4. dicit *Græca post annum communicare solere.* Vel hoc ipsum, quod iste de Græcis dicit, præter alia non pauca satis eum arguit non esse Ambrosium; qui vir & ingenio & in omnem Ecclesiam affectu, rerumque divinarum ac humanarum peritia sic excellebat, ut nescire non potuerit, quid apud Græcos, quorum linguam didicerat, & callebat, suo ævo in religione gereretur, quive sacri essent eorum mores ac ritu, quod istum, qui hæc scripsit, ignorasse hic locus vincit. Græcos enim, quod iste scribit *post annum communicare solitos*, id de Ambrosiani ævi Græcis falsum esse ex veris certisque ac fide dignissimis illius memoria scriptoribus paret. Basilius, Ambrosij σύγχρονος, Græcus fuit. Atqui hic testatur s *apud suos morem fuisse quater in singulis hebdomadis communicandi, feria quarta, sexta, sabbato & Dominica, & alias etiam, siqua occurrerent Martyrum natalitia.* ἡμεῖς μέντοι γε τέταρτον καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα κοινωνοῦμεν. ἐν τῇ Κυριακῇ, ἐν τῇ τετράδι καὶ ἐν τῇ παρασκευῇ καὶ τῷ σαββάτῳ, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἡμέραις, ἐὰν ᾖ μνήμη μάρτυρος τινός. Tam Græcorum, quam Latinorum fuit Sardicense Concilium. Canon autem in eo extat in quo Patres Hosius ita compellat; t *Recordemini Patres nostros in tempore præterito indicavisse, ut siquis laïcus in aliqua urbe agens tribus diebus Dominicis in tribus hebdomadibus non conveniat, is communione moveatur* μέμνησθε δὲ ἐν τῷ προάγοντι χρόνῳ τοὺς πατέρας ἡμῶν κεκρικέναι, ἵνα εἴ τις λαϊκὸς ἐν πόλει διάγων τρεῖς κυριακὰς ἡμέρας ἐν τρισὶν ἑβδομάσι μὴ συνέρχοιτο, ἀποκινοῖτο τῆς κοινωνίας. Dionysius Exiguus hunc canonem, quem Synodi Sardicensis 14. putat, paulò aliter, sed eodem sensu exhibet; u *Memini autem superiore Concilio fratres nostros constituisse, ut siquis Laïcus in ea, in qua commoratur civitate, tres Dominicas dies, id est per tres septimanas non celebrasset conventum, communione privaretur.* Nemo mihi respondet *Laïcos convenire*, vel in *conventum* συνέρχεσθαι juberi; *communicare*, non juberi. Eo enim tempore nemo conveniebat, nisi qui communicaret; ut ex Apostolicis & Antio-

r Ambr. L.5. de Sacr. c. 4. p. 1252. C.

s Basil. ep. 289. ad Cas. Patr T.3. p. 279. A, B.

t Sardic. Conc. c. 11. T.1. Conc. p. 530.

u Dion. Exig. Collect. Can. Canone 14. Bibl. Iur. Canon. vet. p. 140.

& Antiochenis canonibus, aliisque locis supra demonstravimus; neque *conventum celebrasse*, eum facile quisquam dixerit, qui convenit quidem, id tamen ad quod convenitur, non præstitit. Atque hoc sensu canonem capit atque reddit Zonaras, quo loco eum citans, *x Synodi* (inquit) *Sardicensis canon est, & alter eius, quæ fuit in Trulso, & alius Antiochenæ, ut siquis per tres Dominicos præsens non communicavit hic ab Ecclesia separetur.* εἴ τις ἐπὶ τρεῖς ἑβδομάδας παρὼν μὴ μεταλάβοι ἀφοριζέσθω. Huc quoque respicit, quod Valafridus Strabo jam olim diu ante Zonaram, multo de Græcis verius, quam noster fuit Pseud-Ambrosius scripserat; *y Apud Græcos quoque* (inquit) *illi, qui duas Dominicas vel tres sine communione transierint, excommunicari dicuntur.* Quam vero Græci morem iis ab Ambrosio subdititio affictum post annum communicandi, probaverint, vel ea satis ostendunt, quos ex Chrysostomo supra recitavimus, quæque ille Antiochiæ, totius Orientis capite, eodem tempore perorabat, quo Mediolani Ambrosius Episcopus sedebat. In his autem audivimus sanctissimum virum suos vehementer cohortantem, ne vel ab Eucharistia sacro, cum id celebratur, absint, vel à communione, quoties adsunt, abstineant. Multos apud se desides, ac communionis negligentes, haud sane dissimulat; sed peccatum hoc istorum fuit, non fuit Ecclesiæ Græcę mos & usus. Sed & Socrates atque Sozomenus, qui annis circiter quadraginta post Chrysostomi mortem vixerunt, longe alia de Græcis quam Pseud-Ambrosius, narrant. Socrates quidem omnes ubique terrarum Ecclesias singulis hebdomadibus die sabbati mysteria celebrare, exemplis Romanis & Alexandrinis tradit; *z* Ægyptios Alexandrinis finitimos, & Thebaidos incolas, Sabbato quidem Synaxin facere, sed pransos, sub vesperam offerre & communicare. Sozomenus *a* vero eadem habet, & ex utroque Nicephorus Callisti sed & præter diem sabbati, omni die Dominica & obtulisse & communicasse non minus Græcos, quam Latinos, vel ex iis Basilij verbis paret, quæ nuper recitavimus. Epiphanius, qui & ipse quarto extremo seculo floruit, Constantiensis in Cypro Episcopus, cum adeo sacras solennesque in tota Ecclesia has diei Dominicæ & quartæ sextæque feriæ synaxes esse videret, non dubitaverit *b* eas ab Apostolis institutas dicere; tametsi suum interpretem Petavium *c* non habeat hac de re secum consentientem. Neque hic mihi quisquam Augustinum non modo paria, sed plane eadem cum Pseud-Ambrosio de Græcis tradentem objectet. *Si quotidianus* (inquit) *est panis, cur post annum illum suum si quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt.* Ille enim Augustinus, ne fallaris, non est verus Augustinus; sed hic ipse de sacramentis scriptor, qui pro Ambrosio objectus est. Theologi Lovanienses fraudem ipsi quoque deprehenderunt; hunc ideoque sermonem ex verorum, vel etiam probabilium Augusti operum censu in spuriorum classem id est in Appendicem, cum hoc titulo relegarunt; *e Fuit Sermo, non 18. quod mendose scriptũ est, sed 28. de verbis Domini, ex L. 5. Ambrosij de Sacramentis, c. 4.* His, ne plura addam, satis

CAP. VII.

x Zonar. in Can. 9. Apost. p. 6. B.

y Valafr. de reb. Eccl. c. 20. T. 10. Bibl. P. p. 679. A.

z Socr. L. 5. c. 21. edit. Lat.

a Sozom. L. 7. c. 19.

b Epiph. contr. Hær. extr. Exposi. fid. p. 1104. §. 22.

c Pet. Not. p. 354.

d Aug. Serm. 28. de verb. Dom.

e Aug. T. 9. Append. p. 643. col. 2.

Cap. VII. satis refellitur crassum auctoris librorum de sacramentis mendacium, inscite affirmantis *Gracos in Oriente, consuevisse panem sacrum post annum sumere*; in quibus verbis, & hoc absurdum est, quod *Gracos hoc in Oriente* facere dixit; quaq scilicet eorum diversus, pro diversis in quibus degebant locis, mos atque usus fuerit. Vnde, ut hoc obiter dicam, cernere est, quam temere Perronius, non aliis, quam illis duobus, Chrysostomi scilicet, & Pseud-Ambrosij nuper recitatis locis fretus *certum* esse pronuntiarit *f* apud omnes Græciæ, universique Orientis Ecclesias toto anno, die Paschatis festa, neque amplius communicasse fideles; paucas iterum, Natali Dominico. Chrysostomi quidem mentem ostendimus non eam esse, quam iste illi affingit; Ambrosium vero nequaquam esse, quem pro vero Ambrosio nobis obtrudit; quod tametsi tantum Antiquarium nescire minime decebat; non est tamen in Parronio usque adeo mirandum, quem hoc ipso capite, sed altam ad rem videmus pro veris Cypriani vocibus afferre *g* verba quædam scriptoris de Cœna Domini, id est ejus hominis, quem Bernardi ævo novem post Cyprianum seculis vixisse constat. Atque ita demonstratum est, quam infirmis, quamque futilibus, partim falsis, partim incertis nitatur hac Bellarmini conjectura; quæ eo quoque levior atque inanior est, quod etiamsi conjectori, quod nullo jure postulat, donaverimus, *plurimos olim sacerdotes quotidie celebrasse, & tamen populum in multis locis raro admodum communicasse*; ne sic quidem ulla erit ratio, cur ideo devinandum esse putemus fuisse tam sacerdotes, qui præter omnes illorum temporum regulas & omnia quæ supersunt exempla, soli in sacro, quod celebrabant, communicarent. Quantumcunque enim conjector fingat communicantium paucitatem, negare tamen non potest vel in illa Laïcorum turba fuisse ubique aliquos, qui communicarent, vel si nemo Laïcus esset (quod incredibile est) Clericos certe iis, qui sacra quali die faciebant, adfuisse. Quæ si vera claraque sunt (ut sunt certe) cur vel quotidie sacrificanti sacerdoti non potuit aliquis. Vel ex illis paucis Laïcis, vel certe ex Clericis, adesse, & una cum eo communicare? Nam neque sacerdotem sacra solum absque ullo Clerico facere, vel Clericum sacerdoti assistentem non communicare fas erat per illa ad sextum minimum seculum tempora; ut ex canonibus Ecclesiæ patet, quæ per illa tempora florebat. Ac prius quidem non licuisse etiam diu post anno. Domini 500. ex inferiorum seculorum disciplina constat. Certe Concilij Namnetensis canon, suo à nobis loco describendus, enixe præcipit * Presbyteros Eucharistiam celebrantes *cooperantes habere*; & *sacerdotem solum celebrare*. Vetant Theodulfus Aurelianensis Episcopus *h* & Moguntini Patres, *i* & Carolus Magnus in Capitulari, & sexta denique Parisiensis Synodus, *k* hi docent *Presbyterum solum celebrare* nihil aliud esse, quam sine ministris *solennia Missarum frequentare*. Quos enim *solos Missam celebrare* vetant, eos dicunt sine Ministris *Missarum solennia frequentare*. Sed nos de his infra, fusius cum bono

f Perr. Replic p. 918. c. 4. init.

g Ibid. p. 921. lin. 3.

* Concil. Namn. c. 30. ex Burch. l. 3. c. 68.

h Theodul. Capit. ad Presb. c 7.

i Capit. Car. M. L. 5. c. 93. & Cõc. Mog. [illegible]

k Conc. Par. 6. c. 48.

bono Deo dicemus, quo loco attendemus cæterorum Christianorum, Cap.VIII. Latinæ communionis expertium eundem esse morem. Posterius vero, Clericis, ut quibus adstant sacris non communicent, haut magis concessum esse constat ex iis Apostolorum Canonibus, quos Dionysius Exiguus, qui sexto jam adulto scripsit, Latine interpretatus Codici canonum Ecclesiasticorum præfixit. Eorum enim Canonum nonus hoc in ipso titulo vetat; *Quod ministri* (inquit) *altaris oblatione celebrata debeant communicare.* Tum sequitur ipse, etiam multo explicatior, canon; *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet ex sacerdotali catalogo, facta oblatione non communicaverit, causam dicat, ut si rationabilis fuerit, veniam consequatur, aut si non dixerit, communione privetur, tanquam qui populo causa læsionis extiterit, dans suspicionem de eo, qui sacrificaverit, quod recte non obtulerit.* Canonem Crisconius quoque breviavit, *m* & in collectione totum ex Dionysio Exiguo repræsentavit, *n*

l Can. Apost. c.9. edit. Dionys.
m Crisc. in Can. brev. c.11.
n Idem in coll. can. c. 11. in Bibl. Can. T.1. Append. p.59.

CAPUT VIII.

Tertia Bellarmini pro Missis solitariis conjectura, ex sacris pro particulari causa factis refellitur. IV. aliorum conjectura ex sacris in carcere apud Confessores celebratis ostenditur eo ipsa fuisse pluribus distributa.

Sequitur alia Bellarmini conjectura, quæ ipsi quarta est; *o Multa* (inquit) *sacra faciebant pro causa ita particulari, ut non sit ullo modo verisimile ministratam fuisse communionem in ejusmodi sacris:* quorum ex Augustino duo affert exempla; Prius ex confessionibus, ablati pro Monica Augustini matre sacrificio, cadavere juxta constituto; Alterum ex opere de Civitate Dei, in quo narrat *unum de suis presbyteris sacrificium obtulisse in domo rustica, ad eandem domum à malignorum spirituum vexatione liberandam.* Ille vero somniabat, cum ex his evanidis umbris serio ratiocinabatur. Quid enim prohibet, quo minus, etiam in hujusmodi sacris aliqui præster sacerdotem communicaverint? Nihil est facilius, quam & dicere & putare id verum fuisse, quod iste negat ullo modo *esse verisimile.* Cur vero non est verisimile? An quia nullus Hostiæ, ubi Monica sepulta est; nullus in territorio Fossatensi vbi sacrum ad abigendos spiritus domum Hesperij vexantes vel Clericus, vel Laïcus erat, qui vel honoris causa sacra facienti adessent? qui sacro peracto communicarent? Atque vix mapale ullum est ita solum, quo Latinorum hostia, si eo vel ad inter usum aliquem agricolam eundum est, non magno comitantium & adorantium agmine stipato vectetur. Sed huius census sacra, quæ pro causa particulari fierent, quam nulla primis seculis, quam raro hoc ipso quarto, quintoque sequenti fuerint,

o Bell.l.2.de Miss.c.9.ext.

Bellarmini

Cap. VIII. Bellarmini clamat inopia; qui ex his totis seculis nō alia, quam hęc duo, & quidem ex quarto jam præcipiti, petita exempla afferre potuit, & hæc ipsa ad eam quam agit causam plane inefficacia, atque inutilia. Prioribus duobus seculis nullum, quod meminerim, occurrit Eucharistiæ sacrum pro causa (ut Bellarminus loquitur) *particulari*, id est ad unius alicujus hominis usum. Ad quorumvis fidelium bonum, ut institutum erat, sic quoque peragebatur. Neque nostros aliter tertio seculo instituisse legimus. Quod enim Deo laudes in orationibus Ecclesiæ publicis dabant ob coronatos suos Martyros, id non pro *particulari* cujusquam, sed pro communi totius Ecclesiæ causa fiebat. Sanctissimum sacramentum ad communicandum piis animabus servatoris corpus & sanguinem, uberrimosque mortis ejus fructus institutum, melius fuerat & religiosius ad unum hoc opus adhibere; non ad privatas mortalis cujusquam hominis utilitates impendere. Sed pacis malo, animi luxuries, curiositas, & superstitio hæc, & alia non pauca in Christianismum invenere; quæ avide primo excepta, hoc semel gradu facto, malo inde gravioribus fidei & disciplinæ corruptelis sensim postea partam aperuerunt. Illa quidem fateor jam tum erant erupturi olim morbi semina, Solitariæ Missæ nondum ullæ erant. Frustra Latini ad conjecturas confugiunt. Nullus adeo sagax est hariolus, nullus tam doctus haruspex, qui toto hoc Ecclesiæ ad ann. D. 500. tractu ulla hujus census sacra reperire possit. Si humanis artibus ulla istis locis atque temporibus deprehendi possent, Bellarmini, quo nemo in his apud Latinos solertior artifex emersit, jamdudum ingenio & studio reperta essent. Fuere tamen & alij Bellarmino haudquaquam verecundiores apud Latinos conjectores, qui & in quibusdam ab his diversis antiquitatis locis solitarias sibi Missas visi sunt olfacere. Vt qui ad hanc rem Cyprianum laudant præcipientem, ut presbyteri, qui *apud confessores in carcere constitutos offerunt, singuli cum singulis Diaconis alternent*. Sed cur isti Presbyteros illos, qui *singuli offerebant* volunt solos communicasse. Quia, ut opinor, putant solum, qui offerebat, Presbyterum apud unum, & quidem solum Confessorem fuisse, eum quem, visitabat scilicet oblaturus. Atqui hoc, quod isti supponunt, incertum imo falsum esse, ex ipso Cypriano apparet. Primo enim non unum Confessorem, sed plures fuisse, quos Cyprianus intelligit Carthagine uno communi carcere ob Christi nomen conclusos, ex ipsis ejus verbis intelligimus; *Quantum* (inquit) *ad sumptus suggerendos illis, qui gloriosa voce Deum confessi in carcere sunt constituti*, &c. *peto nihil desit*. Audin' plures dici, non unum? Et mox vocat *Confessores bonos, quos illustravit sacra gloriosis initiis divina dignatio*. Denique *Presbyteri, qui illic* (in carcere) *apud Confessores offerunt*. Confessores semper dicit in numero plurium. Presbyteri ergo, qui singuli alternis eos invisebant, non apud unum confessorem, sed apud plures in uno carcere constitutos offerebant. Tum neque ipse, qui oblaturas

p Cypr. ep. 4. p. 10.

oblaturus erat Presbyter solus ad eas accedebat, sed Diacono comitatus, CAP. VIII.
Presbyteri (inquit) singuli cum singulis Diaconis per vices alternent. Sed & hoc quoque, quod conjectores supponunt, non modo incertum, sed also propius esse videtur, neminem ex Carthaginensi Ecclesia præter Presbyterum & Diaconum comitem fuisse cum Confessoribus, quo tempore apud eos offerebatur. Cyprianus satis testatur *fratres (* id est cæteros de eadem Ecclesia fideles *) pro sua dilectione cupidos fuisse ad visitandum & conveniendum illos* ipsos Confessores. Ac ipse quidem huic sanelaudando eorum studio ac desiderio ita moderatur; *ut caute hoc & non glomeratim, nec per multitudinem simul junctam faciant, ne ex hoc* (inquit) *invidia concitetur, & introeundi aditus denegetur*; quod sapientissimum Episcopum prudenter monuisse confiteor: Sed Confessores à fratribus *visitari, & conveniri*, qui *glomeratim* vetat, sigillatim à *singulis alternantibus* probat; Quos illuc ire per *multitudinem simul junctam* (quod futurum erat invidiosum) prohibet, iis profecto concedit *caute* ternos binos, singulos, si necesse esset, adire, & desiderium suum explere; sed tuto & cum hoc temperamento. Cum ergo his subductis rationibus constet apud Confessorum carcerem, quo tempore illic offerebatur, plures præter Presbyterum, ad communicandum idoneos fuisse, ipsos primum Confessores, quos plures fuisse demonstravimus; tum Diaconum, Presbyteri comitem, denique unum etiam aut alterum ex eadem Ecclesia fratres, quos & ex hoc & ex aliis locis scimus fuisse cum Confessoribus frequentes & quantum licebat assiduos, nemo non intelligit, quam vani sint augures, qui hinc devinant fuisse apud Cyprianeam Ecclesiam celebratas aliquas Eucharistias, quarum nemo alius particeps fuerit, quam qui eas offerebat Presbyter. Quid ni Confessoribus ipsis, quid ni Diacono, quid ni aliis fratribus, quos istic aliquos adesse licebat, communicare una cum Presbytero licuerit? Vna Lucianeæ in carcere communionis accurata, qua extat, relatio docet, quid in cæteris ejusdem generis synaxibus fieri potuerit, factumque adeo re vera fuerit, etiamsi qui eas perstringunt plus quam narrant, scriptores, multa quæ vere facta fuerunt, sigillatim non exsequantur. Neque enim necesse est, cum res solennes, & communis adeoque notissimi usus memorantur, singulas earum partes anxie describi. Vt cum Latini narrant suos sacerdotes pro anima alicujus defuncti sacrificium obtulisse, nemo tam stulte diligens ac severus est, ut ab iis exigat illud etiam, quod ab iis semper fieri nemo nescit, diserte memorari, sacerdotem scilicet oblatum *sacrificium consumsisse, ac hostiam quidem edisse, calicem vero exhausisse*, Nemo adeo stolidus est, ut si ista scriptor aliquis Latinus in hujusmodi narratione tacuerit, inde argumentetur sacerdotem apud Latinos cum sacrificia hujus generis offert, ea quidem offerre; oblata vero non sumere. Atqui par earum stultitia est, qui quod Cyprianus jubet quidem singulos Presbyteros

Cap. VIII. cum singulis Diaconis apud Confessores offerre; de Confessoris vero vel aliorum cum eo communione nihil dicit; ex eo inquam, tibi videntur sapienter conjicere neque Confessorem, neque Diaconum, neque ullum alium fratrem communicasse? Tu vero eadem ratione concluseris ne ipsum quidem, qui offerebat, Presbyterum communicasse; quem scilicet Cyprianus non magis, quam Confessorem & Diaconum communicasse memorat. Notum erat (inquit) neminem offerre, qui non communicet; Eo neque hoc dici necesse fuit. Atqui inquam, illo quoque seculo nunquam offerri sine communicantibus, æque notum fuit, adeoque ne hoc quidem dici necesse fuit. Quid ni enim tum temporis id omnes nossent, quod quotidie ita fieri videbant? quod nos ex vetustis omnibus monumentis factum ita fuisse, tametsi tam multis inde seculis absimus, certissime tamen scire possumus, si vel solæ istorum seculorum Liturgiæ extarent. Sed nos conjectorum impudentia ac iniquitas cogit, etiam clariora testimonia afferre, in quibus quod in oblationibus apud Confessorum carcerem celebratis factum non fuisse ipsi hariolantur, id ipsum talibus locis revera factum fuisse, diserte affirmatur. Ea ergo quid de Luciani Martyris in carcere oblatione sigillatim narret Nicephorus; quod totidem pæne verbis apud scriptorem multo quidem vetustiorem, sed Arianum, Philostorgium legitur. *De eo* (inquit Nicephorus) *Martyre* (Lucianum dicit) *illud est decantatum; eum moriturum, cum vis tyrannica neque templi, neque sacrarij copiam faceret, & vincula quoque atque plagæ motum prorsus denegarent, in suo ipsius pectore discumbentem horrendo illo operatum esse mysterio, ad eumque modum & ipsum participasse de immaculato sacrificio, & aliis ut participarent mandasse. Sacrum illud in carcere perficiebatur, & Ecclesiæ specimen sacer ille chorus repræsentabat, qui eum tanquam jam morientem stipabat. Aliam quoque ob causam sacris ita operabantur, ut scilicet quæ à piis peragebantur, ab iis qui alterius essent opinionis, non conspicerentur.* περὶ τοῦ μάρτυρος λόγος διατεθρύληται, τελευτᾷν μέλλοντος, τῆς τυραννικῆς βίας μήτε ναὸν, μήτε θυσιαστήριον παρεχούσης. ἀλλὰ μηδὲ τῶν δεσμῶν καὶ τῶν πληγῶν συγχωρούντων κινεῖσθαι, ἐν τῷ οἰκείῳ στέρνῳ ἀνακεκλιμένον τὴν φρικτὴν ἐπιτελέσαι μυσταγωγίαν. καὶ οὕτως αὐτόν τε μετασχεῖν τῆς ἀχράντου θυσίας, καὶ τοὺς ἄλλους μεταλαβεῖν ἐπιτρέψαι. τὰ δὲ τῆς λειτουργίας, ἐτελεῖτο ἐν τῇ εἱρκτῇ, καὶ ἐκκλησίας σχῆμα ὁ κυκλώσας ἐκεῖνον ἱερὸς ἐτύγχανε χορὸς, ὡς ἤδη ἀποβιοῦντα. ἄλλως τε καὶ τὸ μὴ καθορᾶσθαι τὰ δρώμενα παρὰ τῶν δυσσεβῶν τι: ἄλλως ἐχόντων δόξης, οὕτως ἐτέλουν. Cur istos circumstantes Martyr communicare voluit, cum res tota multo facilius, celerius, atque tutius expediri potuerit, si solus communicasset, istis nihil aliud, quam eum objecto donec communicasset corpore ab exterorum visu protegentibus, ne, quid ille faceret, scirent. Nulla alia facti huius apparet idonea ratio, præter hanc quod vir sanctus nefas putaret quemquam solum communicare.

q Niceph. Callist. l. 8. c. 31. T. 1. p. 600. a. b. ex Philost. l. 2. §. 14. p. 20.

Iam

Iam si Martyr apud impios in carcere versans, in ultimæ necessitatis articulo solennem ita communicandi usum violare tamen noluit; quanto minus id fecisse credendus est, vel Cyprianeus ille Presbyter, qui apud Confessorem, vel Augustinianus, sive ille qui pro Monica, sive iste alter, qui pro Hesperij domo Eucharistiam celebravit? His enim multo quam Luciano Martyri facilius fuisse constat habere, qui secum communicarent. Ergo & hi paribus locis ac temporibus, simili in causa, idem quoque ne dubites, fecerunt, quod Lucianum fecisse legimus; istos vero fecisse, non quidem legimus, sed ex congenere Luciani facto intelligimus. CAP. IX.

CAPVT IX.

V. Latinorum conjectura refellitur ex singularibus quorumdam veterum sacris ducta in extraordinariis locis celebrantium; ut Ambrosij, Nazianzeni, Theodoreti, Ioannis Eleemosynarij, & Cassij Narniensis.

EAdem est aliorum exemplorum ratio; Ambrosij, quem Romæ in clarissimæ cujusdam fœminæ domo; Gregorij Nazianzeni, quem Constantinopoli in æde perangusta sacra, celebrasse proditum est ab historicis; Theodoreti, qui se in Maris Anachoretæ cellula Eucharistiam fecisse tradit; Ioannis Eleemosynarij, Episcopi Alexandrini, qui apud Leontium dicit *sibi licuisse facere Missas in Episcopio*; Cassij Narniensis Episcopi, quem Gregorius narrat in Episcopi oratorio sacrum aliquando fecisse, cum eum morbus in Ecclesiam descendere prohiberet. Ad hæc & similia, si qua sunt, brevis responsio est, nihil eorum ad Missas solitarias pertinere. Esto; isti omnes sacra munera in locis privatis obtulisse dicantur; nemini oblata distribuisse ad communionem, nuspiam dicuntur Ambrosium Paulinus narrat, r cum is Romam venisset, *invitatum trans Tiberim apud quandam clarissimam fuisse, ut sacrificium in domo offerret*; Id oblatum fuisse in domo illius matronæ sacrificium, hinc discimus; neminem de sacro præter Ambrosium gustasse, non discimus. Verisimilius est, qui invitaverant, ideo maxime invitasse, ut ex ejus manu communicarent. Quod vero de Constantinopolitana Gregorij ædicula affertur, s id plane à re quæ agitur, alienum est. Arianis templa urbis omnia vi occupantibus; Gregorius ea temporum iniquitate coactus est Catholicos, qui pauci præ Arianis erant, in parvas ædes colligere, conventusque sacros istic habere. Cur in ea æde potius, quam in aliis Eucharistiam nemini communicaret? totam solus sumeret? Espensæus in libello à Genebrardo post mortem auctoris edito, cum illa de Gregorio recitasset,

r Paulin. in vita Ambr. c. 4.

s Sozom. l. 7. c. 5.

Cap. IX. rasset, *Quæ fateor*, inquit, *non video qui probent, aut etiam ad Missam privatam pertineant.* Et rationem addit idoneam, quod *quæ à Catholicis, Ecclesia ab hæreticis oppressa, fiebant in locis quantumlibet alias privatis doctrina, oblatio, communio, aliaque mysteria, publica si minus erant, habebantur tamen*; Hæc ille vere profecto, atque sapienter. Neque est ad hanc causam opportunius, quod Theodoretus Mari recluso Eucharistiam jam pridem desideranti, & flagitanti, ut in sua cellula fieret oblatio, annuens sacra vasa eo afferri jussit, u quod nec procul abesset locus, Diaconorumque manibus pro altari usus, sacrum quod erat rogatus peregerit. Res ut liquet, plane fuit extraordinaria ad sancti senis solatium concessa; ex qua tu frustra ac inepte collegeris, quid in mediis civitatibus, frequentissimisque Ecclesiis fieret; non magis quam siquis nunc Romæ & Lutetiæ sacerdotibus licere contenderet Missam sine altari in Diaconorum manibus ideo celebrare, quod Theodoretus narret se ita tum in Maris celluta obtulisse. Sed ne id quidem, quod nostri conjectores hinc elicere misere cupiunt, ullo modo probabile est; Theodoretum scilicet illius sacri, quod confecerat, solum fuisse participem. Quid ni enim ipse Maris sacri, quod ejus causa fiebat, particeps fuerit? Quid ni Diaconi, quorum in manibus fiebat, una ei communicaverint? Nulla nos id sentire ratio prohibet. Non est ad solitarias Latinorum Missas firmior illa ex Leontio decerpta de Ioanne Eleemosynario narratio, sanctum virum, cum multos animadverteret de Ecclesia simul lectum esset Evangelium, exire, & otiosis sermonibus pro oratione vocare, ut eos ab hoc flagitio deterreret, hac arte usum esse; Ipsum scilicet absoluta lectione Evangelii, de Ecclesia quoque exivisse, & cum turba sedisse; Cunctis vero obstupescentibus, qui aderant, his eos verbis esse allocutum; *Filioli, ubi oves, ibi Pastor. Aut intrate intro, & ingrediemur; aut manete hic; & ego manebo. Ego propter vos descendo in sanctam Ecclesiam. Nam poteram facere mihimet Missas in Episcopio.* Fateor hinc apparere in Patriarchæ Alexandrini ædibus locum extra Ecclesiam fuisse sacrum, in quo sacra peragere liceret, qualia hodie sunt magnorum Antistitum *sacella*, εὐκτήρια domestica; In his non communicasse quemquam una cum Episcopo; id vero pernego; neque eam in rem vel unum extat in toto Leontij libro verbum. Non sinunt nos ita sentire, quæ veterum extant Liturgiæ; in quibus omnem primo Clerum una cum Episcopo (si hic quidem adsit) circa altare, intra cancellos; deinde suo ordine populum extra adytum communicare cernimus hac Ioanni in suo Episcopio offerenti neminem adstitisse Laïcum; Omnis certe familia aderat, quæ plæraque Clericis constabat; Aderant & alii Ecclesiæ Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi, quibus maximam illam, & florentissimam Alexandria Ecclesiam abundasse scimus. Hos ne Clericos finges Episcopo suo adstitisse quidem offerenti, sed præter veterem disciplinam ita adstitisse, ut non communicarent? Hoc ex priscis Ecclesiæ

t Esp. de Miss. publ. & priv. p. 226. A.

u Theodoret. Hist. relig. c. 20. T. 3. Theod. p. 854. A. B.

x Leont. Vita Ioann. Eleemos. c. 4. Extat L. 1. de vitis Sanct. p. 201.

clesiæ monumentis demonstrari non potest.

Gregoriana vero de Cassio Narniensi narratio solitarias Missas adeo non firmat, ut eas aperte evertat. Cassius enim, cum eum morbus oppressisset, quem sibi supremum in terris futurum esse cœlitus agnoverat, Missam se Natalitio Apostolorum, quod agebatur, implere posse recusavit; sed suorum tamen precibus compulsus in Episcopii oratorio, *Missas* (inquit Gregorius) *fecit, & manu sua corpus Dominicum, & panem omnibus tribuit.* Neque publicus fateor, erat locus, in quo Cassius obtulit; neque tamen solitaria fuit ejus communio; quem Eucharistiam omnibus tribuisse Gregorius diserte dicit. Quo exemplo vides, quam cæca sit & inanis eorum aruspicina, qui solitarias nobis Missas somniant in omnibus sacris, quæ facta fuisse dicuntur in Episcopio, vel aliis similibus locis, quæ proprie non publica, sed privata potius dici, censerique debent. Atqui in iis quoque Missis, quæ in locis hujusmodi fiebant, non quosdam tantum, sed omnes præsentes scilicet, communicavisse, hoc Cassianæ in Episcopii oratorio Missæ exemplum docet. y Greg. Rom. Hom. 37. In Evang. fol. 342. H. 3.

Iam satis ni fallor patet, quem vanæ sint Latinorum suspiciones de solitariarum Missarum usu apud Christianos, qui ante a. D. 500. vixerunt. Vnum tantum iis, quæ hactenus disputavimus, veluti ad cumulum, adjiciemus; etiamsi Bellarminus & cæteri suis illis conjecturis effecissent (quod profecto minime effecerunt) ut solitariæ fuerint illæ veterum Missæ, de quibus ita hariolari ipsis libuit; ne sic quidem illas solitarias, quæ nunc in maximo ac quotidiano sunt apud eas usu, tuto ac solido loco futuras. Prima verbi gratia Bellarmini conjectura, si quid valeret, eo tantum valeret, ut Presbyteris absolute ordinatis (quos universalis Synodi Calchedonensis lex decernit nullos in Dei Ecclesia fieri) liceat dona à se consecrata solis consumere, si nullus alius sit, cui eorum particulas distribuere possint. Atqui apud Latinos non soli istius census Presbyteri, sed omnes cujuscunque sint ordinis ac loci solitarias Missas non modo impune, sed etiam cum laude ubique faciunt. Altera vero ejusdem conjectura, non alii Presbytero licere sacra à se confecta soli consumere probat, nisi ei, cui nemo communicare vult, quantumvis & publicæ Ecclesiæ leges & canones & ipsius quoque Ministri voces omnes ad communicandum frustra compulerint; quod hactenus in Ecclesia Romana adeo factum non est, ut Synodus ejus novissima Missas istas ἀκοινωνήτους etiam publico decreto probarit atque commendaverit. Quarta ejusdem conjectura ex Missis solitariis eos tantum purgat, quæ vel ad mortuorum sive expiandos, sive beandos manes, vel certe ad ædes à dæmonum incursu & vexatione liberandas fiunt; Cæteras, quarum est immanis apud Latinos multitudo, nihil juvat.

Neque alij fœlicius, quam Bellarminus, conjectarunt. Cyprianeus Presbyter apud Confessorem offerens, Gregorius in ædicula, Theodoretus in Maris cella, Ioannes Eleemosynarius, & Cassius Narniensis in suis Oratoriis sacra facientes, iis tantum prosunt, si qui sunt qui aliqua hujusmodi necessitate circumventi missificant, vel in alicujus Confessoris carcere, vel in qua urbe hæretici dominantur, vel in reclusi Monachi cellula vel denique morbo præpediti in sui Episcopij Oratorio. Nullum istorum exemplorum eas Missas juvat, quas quotidie, non in persecutorum carceribus, aut in ædiculis, aut in oratoriis, non in urbe sub hæreticorum jugo gemente, non in angustissimis, solisque Eremitarum cellulis, sed alta pace, florentissimo Ecclesiæ statu, in amplissimis ut religiosissimis templis, etiam in concione frequentissima, in magna & Clericorum & Laïcorum copia, interdum in pluribus unius ædis angulis simul semelque uno eodemque tempore diversas fieri à singulis sacerdotibus videmus, communicante cum unoquoque *nemine, sæpe ne ullo quidem operanti adstante.*

CAPUT X.

Demonstratur nullas apud veteres fuisse solitarias synaxes, ex eo quod nulla in omnibus antiquitatis Liturgicis libris hujusmodi nulli occurrunt. Id fuse primo probatur ex Græcorum libris, Constitutionibus, quæ vulgo dicuntur Apostolicæ, Cyrilli Hierosolymitani Mystagogicis, Dionysij Pseudareopagitæ Hierarchia Ecclesiastica; tum ex Liturgiis Iacobi, Marci, Basilij, Chrysostomi, & Præsanctificatorum Liturgia; in quibus omnibus plures una cum celebrante Clerici, Laïcique communicant.

His depulsis Latinorum conjecturis, nunc demonstremus totis primis quinque sexve seculis nullas fuisse synaxes solitarias, id est in quibus nemo sacra munera, præter eum, qui obtulerat, sumeret. Ad hoc vero non conjecturas, non suspiciones, & hariolationes nostras, sed vera liquidaque argumenta afferemus; quorum primum hoc esto, quod nullæ toto illo tempore in veterum libris occurrant synaxes solitariæ; Publicis vero, & communibus, id est iis, in quibus alij præter conficientem communicarent, plena sint omnia; *primitivâ* non tantum, quod ait Espenlæus, Ritualia, sed etiam cætera istorum temporum monumenta. Ac primis quidem tribus seculis quæ occurrunt, eorum supra z satis luculentum specimen dedimus. Sequentium ad sextum eadem ratio est; ut ex iis, quæ proxime disputavimus patet. Cum enim crebram quidem synaxeon apud horum temporum scriptores mentionem fieri clarum, confessumque

z Supr. c. 4. §16. init.

confessumque sit, nullius vero fieri, quæ esset sine communicantibus ex superiori disputatione appareat; omnino consequens est, ut quæcumque toto illo tempore memorantur synaxes, in iis omnibus plures communicaverint. Ac tametsi satis per se evidens sit argumentum, age tamen ex immensa exemplorum copia aliquid huc afferamus.

Constitutionum libros Apostolicarum videri sub quarti seculi initia conditos, & res ipsæ loquuntur, & nos propria alibi disputatione ostendimus *a* In his totus synaxeos ordo, qui qualisque tum fuit, accurate describitur. Nullam in toto opere Missæ solitariæ vestigium. Confecto sacramento; *b Postea* (inquit) *communicet*, sive *participet Episcopus; deinde Presbyteri & Diaconi, & Subdiaconi, & Lectores, & Cantores & Ascetæ, & ex fœmininis Diaconissæ & Virgines, & Viduæ; deinceps pueri; tum denique omnis populus ordinate, cum pudore & reverentia sine tumultu. Et Episcopus quidem oblationem tribuat dicens, Corpus Christi; & qui accipit, dicat, Amen. Diaconus vero retineat poculum, & distribuens dicat, Sanguis Christi, poculum vitæ, & qui bibit, dicat, Amen.* Hic est typus, hoc exemplar Synaxeon, quarti ineuntis seculi, haudquaquam sane ἀκοινωνήτων; in quibus vides copiosam omnis generis communicantium multitudinem. Ac prius quidem *Ordinis*, id est Cleri; tum deinceps & populi; ac in priori, non unum Episcopum, sed Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, & ex omnibus Cleri classibus aliquos; quibus proxime velut medio inter Clerum & Plebem loco succedunt Ascetæ, & ex fœminis Diaconissæ, Virgines, Viduæ, & Pueri. Postrema sequebatur communio, quæ populi erat, atque ea etiam κατὰ τάξιν *ordinate*, id est quæ sic fiebat, ut singuli de plebe suo loco atque ordine communicarent, viri prius, deinde mulieres. Ac ut id obiter dicam utramque tum communionem, Clericam & Laïcam distinctas fuisse apparet *tempore*, ita scilicet, ut Clerus prius; populus non nisi post Clerum communicaret. Nondum videmus alteram ab altera, etiam loco fuisse distinctam, quod paulo post obtinuit; sic nimirum, ut Clerus intra sacros cancellos ad Dominicam mensam communicaret; populus vero in templo extra velum & cancellos. Hic de omnium communione succinunt, quæ scriptor statim addit; *c Postquam cuncti cunctæque communicaverint, Diaconi ea quæ supersunt, in Pastophoria inferant* ὅταν πάντες μεταλάβωσι καὶ πᾶσαι, λαβόντες οἱ διάκονοι τὰ περισσεύσαντα εἰσφερέτωσαν εἰς παστοφόρια. Qui sic communicarent, non est obscurum quid significarent, cum paulo ante ore Episcopi à Deo poscebant *d sacra munera misso Spiritu Sancto in corpus & sanguinem Christi ideo consecrari, ut qui eum* (panem & calicem) *participarint ad pietatem firmentur, remissionem peccatorum consequantur, à fallaciis Diaboli liberentur Spiritu S. impleantur* &c. ἵνα οἱ μεταλαβόντες αὐτοῦ βεβαιωθῶσι πρὸς εὐσέβειαν. &c. Eos scilicet fideles intelligunt, qui aderant, quique adeo communicaturi erant. Idem quoque eorum verborum sensus est, quibus Diaconus fideles, qui aderant ad gratias Deo agendas post communionē hortatur, *e Participato pretioso corpore, pretiosoque sangui-*

a In opere de Pseud. Apostol.

b Constit. Apost. L. 8. c. 13 p. 1023. A.

c Ibid. B.

d Ibid. c. 12. p. 020. D.

Cap. X. *sanguine Christi, Agamus gratias* μεταλαβόντες τῦ τιμίε σώματος καὶ τῦ τιμίυ αἵματος τῦ χριςῦ εὐχαριςήσωμεν. Omnes ergo quos hortatur, *participaverunt*, μετέλαβον. Sed & quæ sequuntur idem quoque significant; *Agamus gratias ei* (Deo, vel Christo) *qui nos sanctorum suorum mysteriorum participatione dignatus est, & obsecremus, ut non fiat nobis in iudicium, sed in salutem* εὐχαριςήσωμεν τῷ μεταξιώσαντι ἡμᾶς μεταλαβεῖν τῶν ἁγίων αὐτῦ μυςηρίων

f Ibid. c. 15. D. &c. Sequitur ipsa Episcopi pro se & suo grege gratiarum actio; *f Domine Deus omnipotens &c. gratias agimus tibi, quod nos dignatus sic participatione, sanctorum tuorum mysteriorum* &c. Qui hæc ita loquuntur disertissime significant sacro Eucharistiæ plures & interfuisse & communicasse.

g Cyr. Hier. Hom. Myst. 5. p. 239. C. Cyrillus Hierosolymitanus eadem enarrans, sed quarto seculo adulto, primo sacerdotem exhibet, *g* qui sacramentum est confecturus, & Presbyteros Dei altare cingentes, & Diaconum iis aquam ad manus

h Ibid D. ministrantem. Diaconus paulo post clamat, *h Complectimini vos invicem, & alij alios osculamini* ἀλλήλους ἀπολάβετε. Nemo sanæ mentis hæc dixerit, nisi qui in medio plurium cœtu versetur. Sequitur illa Sacerdotis sane

i Ibid. 240. B. antiquissima vox, *i Sursum corda* ἄνω τὰς καρδίας. Quibus quæso, hoc dicit, si solus est? Sed quod statim ad hanc vocem resultat, *Habemus ad Dominum*, ἔχομεν πρὸς τὸν Κύριον, cujus quæso, est? Rupis-ne, an Sylvæ, ut in solis locis sæpe fit, hæc veluti echo est? Imo populi sacerdoti respondentis vox est. *Vox* (inquit) *respondetis, Ad Dominum habemus ei hoc ipso, quod professi estis assentientes.* εἶτα ἀποκρίνεσθε, ἔχομεν πρὸς τὸν Κύριον, τύτῳ συγκατα-

k Ibid. C. D θέμενοι δι' ὧν ὡμολογήσατε. Sed & quod adjicitur *k* sacerdotis & populi colloquium apertissime negat unius esse hanc Synaxin; *Inde Sacerdos dicit, Gratias agamus Domino* &c. *Ad hæc vos subjicitis; Dignum & justum est.* εἶτα ὁ ἱερεὺς λέγει, εὐχαριςήσωμεν τῷ Κυρίῳ κ.τ.λ. εἶτα λέγετε, ἄξιον καὶ δίκαιον. Inde hymnologium & Trisagion memorat. Confecto sacrificio, *Rogamus te nos omnes.* δεόμεθα σε πάντες ἡμεῖς. Omnia plurium sunt. Sic & de

l Ibid. p. 24. C. oratione Dominica; *l Postea dicimus orationem illam, quam Salvator suis discipulis tradidit.* Postremo ubi ad communionem ventum est, solus ne sacerdos sacramentum sumit? Minime vero. Sed ubi ille id sumpsit, cæ-

m Ibid. 244. B. teros sumpturos de officio sic monet; *m Sancta Sanctis*, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. Qui illi *sancti*, quibus sancta Dei munera conveniant? parataque ac destinata sunt? An Angeli si forte mysteriis nostris intercursantes? Imo; *Sancti & vos estis* (inquit auditores in synaxi præsentes alloquens) *Sancto Spiritu donati. Sancta igitur sanctis conveniunt.* ἅγιοι καὶ ὑμεῖς, πνεύματος ἁγίυ καταξιωθέντες. Sed quos sacerdos convenerit, suo ipsi responso do-

n Ibid. cent. *n Vos deinde respondetis* (inquit) *Unus Sanctus; unus Dominus Jesus Christus.* εἶτα ὑμεῖς λέγετε, εἷς ἅγιος, εἷς Κύριος Ἰησῦς Χριςός. Postremo his

o Ibid. C. è Psalmo verbis, *o Gustate & videte, quam suavis est Dominus*, istos, qui responderunt, ad sacram mysteriorum communionem invitatos fuisse docet. Erant ergo præter celebrantem, alij mysteria gustaturi. Denique

p Ibid. p. 245. A. accurate singulos instituit, *p* quomodo quamque reverenter sacramentum percipere debeant; prius corporis; tum & sanguinis Dominici.

Quem

Quem nam ista docet? An Sacerdotem? Nugæ. Planum est ei cum singulis communicantibus esse negotium. Ergo plures erant, quos singulos monet, ut exspectent orationem, qua Deo gratiæ aguntur, *quod tantis nos mysteriis dignatus sit*; planè, ut ex Pseudo-Clemente intelleximus. Commendat iis postremo sacram communionem: *Ne vos* (inquit) *à communione præcidatis; neu propter inquinamentum peccatorum hisce sacris spiritualibusque mysteriis vos ipsos privetis.* τῆς κοινωνίας ἑαυτοὺς μὴ ἀπορρήξητε. μὴ διὰ μολυσμὸν ἁμαρτιῶν, τῶν ἱερῶν τούτων καὶ πνευματικῶν ἑαυτοὺς ἀποστερήσητε μυστηρίων. Si ad hanc formam peragebantur Eucharistia sacra apud quarti seculi Christianos, clarum ex his, certumque est nullam illis temporibus apud nostros in usu fuisse Missam solitariam; à qua, quæ hic ex Clemente & Cyrillo attulimus, non minus absunt quam cœli à terra.

Dionysius Pseud Areopagita (qui videtur quinto exeunte seculo libros suos scripsisse) rem Eucharisticam tractans, & multos Eucharistiæ interfuisse, & qui intererant, omnes ad communionem vocatus esse disertè dicit; sic enim de Episcopo post confectum sacramentum loquitur, q *Exhibitis divinorum operum muneribus ad sacrosanctam eorumdem communionem, cum ipsemet accedit, tum cæteros invitat.* καὶ τοὺς ἄλλους προτρέπεται. *Accepta denique dataque divina communione in sacram desinit gratiarum actionem* μετασχὼν δὲ καὶ μεταδοὺς τῆς θεαρχικῆς κοινωνίας, εἰς εὐχαριστίαν ἱερὰν καταλήγει. Idem in Theoria mysterij: r *Postulat deinde* (Sacerdos) *hoc sacrificio Dei imitatione dignas effici esse non secundum Christi similitudinem divina celebrare, omninoque DISTRIBUERE, eosque qui divinis participabant mysteriis, iis dignè sanctèque communicare.* Hic ex ordine communicant ipse primum Sacerdos: tum alij, quibus ille sacra dona distribuit. Quæ paulo post iterum ibidem sic docet, s *Sumpta denique ac tradita divinissima communione, una cum totius Ecclesiæ sacra plenitudine in sacram desinit gratiarum actionem. Nam participatio communicationem, ipsaque perceptio mysteriorum, eorumdem distributionem mysticum accedit.* Vult nimirum Sacerdotem participare ac distribuere sacra dona: sic tamen ut prius participet, quam distribuat: *Est enim* (inquit) *iste generalis rerum ordo, ac distributio divinarum, ut prius ipsemet Antistes sacer communicet, ac donis iis, quæ per ipsum cæteris divinitus distribuenda sunt, satietur, & deinde illa tradat aliis.* Atque hæc quidem ille hactenus, ex quibus nemo non videt Synaxin Dionysianam, non magis, quam Clementinam, aut Cyrillianam, fuisse solitariam.

q Dion. Hier. Eccl. c. 3. myst. §. unic.

r Ibid. in Theor. §. 12. p. 258. C. D.

s Ibid. §. 14. p. 260. C.

In Liturgiis Græcis, quæ nobilissima maximorū & antiquissimorum auctorum nomina, sed falso, præferunt, multa sunt vetera seculi quarti & quinti, quædam etiam vetustiora: plurima verò vel interpolata, vel adjecta sequioribus seculis. Sed omnes hac in parte mirabiliter consentiunt, quod nulla earum est, in qua non eluceat plurium & Clericorum & Laicorum præsentia, atq; cōmunio. Prima apud Patrum Bibliothecam

Cap. X. occurrit ea, quæ Iacobi ideo, ut puto, dicitur, quod Ecclesiæ Hierosolymitanæ primum fuerit; cujus Iacobus primus Episcopus sedit; quemadmodum quæ sunt Ecclesiæ Romanæ, ea *Petri*; quæ Alexandrinæ, *Marci* dici passim solent. Hujus vero ut & cæterarum, hæc ratio est, ut qui sacrum facit sacerdos, plæraque, non suo unius, sed plurium nomine dicat, qui cum eo adsint, ac in rei, quæ fit, partem veniant, ipsisque veluti actionis præsidi ac principi actori suo quodammodo cooperentur; ut in oratione, quæ in ipso Missæ principio habetur; t *Purga nos omni macula, purosque nos siste sancto altari tuo, ut tibi laudis sacrificium offeramus* &c. *vi Spiritus tui sanctificante nos sanctificari.* Sic in sequenti; *Recipe ad te accedentem Ecclesiam per Christum tuum, & singulis quod utile est, perfice* &c. *Nos in Sanctam Ecclesiam tuam congregans.* In tertia, quæ succedit; *Accipe de manibus nostris, qui sumus peccatores, hoc thymiama, quod tibi adolemus, in odorem suavitatis, nostrorumque peccatorum remissionem, ac totius populi tui.* Ita fere in omnibus Liturgiæ partibus, quas nihil adscribere necesse est. Deinde & illud quoque in hac & cæteris Liturgiis observandum occurrit, quod in iis apertissime inter se colloquuntur, salutant, respondent Sacerdos, qui sacra facit, & qui ei adest populus. Ita ille ad altare ingressus, u *Pax* (inquit) *omnibus. Populus. Et Spiritui tuo. Sacerdos: Dominus benedicat nos omnes.* Diaconus crebro, ac pæne perpetuo interfatur; modo Sacerdotem, modo Clerum, interdum populum, aliquando omnes simul, suo sigillatim quosque ordine moriens de iis, quæ agenda sunt; ut statim post salutationem; *In pace Deum oremus.* Quin & Cantorum collegium suas quoque hic partes agit; x ut cum hymnus trisagij canitur. Sacerdote sic orante. *Respice & exaudi nos* &c. *Libera nos pro tua bonitate*; oranti populus *Amen* succinit. Sacerdos populo pacem imprecatur; Populus reponit; *Et Spiritui tuo.* y Cantores *Alleluja* clamant. Hæc & consimilia per totam deinceps Liturgiam subinde occurrunt; ut qui hæc omnia in multas diversasque personas distincta ac distributa unum solumque Sacerdotem egisse vel agere posse putet, is Liturgiam, totamque hanc gravissimam, sanctissimam, ac religiosissimam actionem in merum drama commutet; in quo res, non quidem aguntur ipsæ, sed olim actæ repræsentantur ab uno homine diversas auctorum personas, ut in scena fit, assumente. Hoc vero, quis nisi vel male sanus, vel certe impius cogitaverit? Sed hæc, quæ ubique in omnibus Liturgiis occurrunt semel hic observasse satis est; quæ quisquis eas legerit, facile est per se animadversurus. Illud etiam in omnibus Liturgiis exstat; quod apud Cyrillum notavimus; ut Sacerdos populum jubeat z *sursum habere mentem & corda*, populus annuat, respondens, alibi, *Habemus ad Dominum*; Alibi, a *Dignum & justum est.* Iam dona Sacerdos plurium nomine offert Deo, *Offerimus tibi Domine hoc sacrificium venerandū & incruentum, orantes* &c. *Populus enim tuus* (inquit) *& Ecclesia tua supplicant tibi.* Qui vere hæc ita dici possunt, si Deo, præter unum Sacerdotem, nemo suppli-

t Lit. Iac. Bibl. Patr. Gr. L. T. 2. p. 2. B. C. D.

u Ibid. p. 3. E.

x Ibid. p. 4. A B. Ibid. C.

y ibid D. E.

z Ibid. p. 12. D.

a Ibid. p. 14. D.

cat? Sed & populus hic ipse in has voces erumpit; *b Miserere nostri Domine Deus. Pater omnipotens.* Tum Sacerdos precari pergit; *Demitte super nos, & super hæc dona proposita Spiritum tuum sanctissimum*, quæ ibidem statim repetit. Sanctificari autem dona vi Spiritus Sancti in corpus & sanguinem Christi petit, *c ut sint* (inquit) *omnibus ex his sumentibus in remissionem peccatorum.* ἵνα γένηται πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτῶν λαμβάνουσιν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Hæc certe oblata non fiebat, ut unus eam sumeret. Sed & in prolixa oratione Sacerdos pro cæteris precatus, tandem pro se, proque adstantibus Diaconis; *d Memento* (inquit) *Domine, secundum multitudinem misericordiæ tuæ, & miserationum tuarum, mei etiam, qui abiectus & inutilis servus tuus sum, & Diaconorum sanctum altare tuum circumstantium.* Iterum in alia oratione, *e Sanctifica Domine & animas nostras, & corpora; & Spiritus.* Postquam una omnes Dominicam orationem dixerunt, Sacerdos multiplicem à Deo gratiam poscit, *f ut* (inquit) *efficiamur digni communicare, & participare sanctis tuis mysteriis* ἵνα ἄξιοι γενώμεθα κοινωνοὶ καὶ μέτοχοι γενέσθαι τῶν ἁγίων σου μυστηρίων; quæ non modo falso, sed etiam absurde & impudenter ita dicerentur, si nemo præter ipsum Sacerdotem, esset communicaturus. Post alia satis multa, sequitur ipsa communio; ipsius primo Sacerdotis & Cleri; tum populi. Ac pro se quidem Sacerdos Deum orat seorsum; *g Dignum me fac* (inquit) *gratia tua, ut citra condemnationem particeps fiam sancti corporis, & pretiosi sanguinis in remissionem peccatorum & vitam æternam.* Hic desinere debuerat, si solus Latino more, communicasset. Longe aliter instituit Iacobæa Liturgia. *Deinde* (inquit) *impertit Clero* (sacram scilicet communionem εἶτα μεταδίδωσι τῷ κλήρῳ. Succedit populi communio; Hic enim Diaconi attollunt discos & calices ad distribuendum, sive *impertiendum populo*; *h* εἰς τὸ μεταδίδοσθαι τῷ λαῷ. Itaque Diaconus; *Cum timore* (inquit) *& fide & caritate accedite.* Quam ridicule, si nemo præter sacerdotem jam communicatum aderat! Plures sequuntur de communione populi gratiarum actiones; *i Gratias agimus tibi Domine Deus noster, quoniam dignatus es nos participes fieri corporis & sanguinis tui, in remissionem peccatorum & vitam æternam.* Item; *Gratias tibi agimus Servatori universorum Deo, pro omnibus bonis, quæ nobis præbuisti, & pro sumptione sanctorum & immaculatorum tuorum mysteriorum.* Tum Diaconus in vestibulo, *Gloria tibi &c. Christe, quoniam dignatus es, ut nos peccatores & indigni servi tui frueremur immaculatis mysteriis tuis.* Idem mox jubet Deum orare, *ut perceptio sacrorum eius mysteriorum valeat nobis ad amoliendam omnem malam rem.* Tum Sacerdos una cum populo orans; *Deus* (inquit) *qui &c. dignatus es nos mensæ huius cœlestis participes facere, ne condemnes nos peccatores ob perceptionem mysteriorum tuorum immaculatorum.* Denique fit ἀπόλυσις *missio, dimissio* populi, *k* sive, vt Latini postea locuti sunt, *missa.* Quæ malum, *dimissio*, quæ missa, quæ populi ἀπόλυσις, si vnus altari adstitit sacerdos, nullus quod sæpe nunc fit) *interfuit populus? Sed & mox Sacerdos ab altari*

CAP. X.
b Ibid. p. 4. D.
c Ibid. p. 15. A.
d Ibid. p. 16. C.
e Ibid. p. 18. B. C.
f Ibid. p. 19. A.
g Ibid. p. 20. B.
h Ibid. p. 21. A.
i Ibid. D.
k Ibid. p. 23. A.

Cap. X. ad σκευοφυλάκιον procedens has Deo postremo gratias agit, *l Largitus es* l Ibid. D. *nobis Domine Deus, sanctificationem in perceptione sanctissimi corporis, & pretiosi sanguinis Filij tui Domini nostri Iesu Christi.* Hæc habet illa Iacobæa, quæ dicitur, Liturgia: quæ, qui Sacerdos apud altare non modo solus communicans, sed etiam interdum solus consistens, absque populo, absque Clero, absque Diacono, sicut scripta recitavimus, olim in Ecclesia dixisset, eum omnes haud dubiè veteres insanire, splendideque furere existimassent.

Proxima est Marci (id est Alexandrina) Liturgia: cui plures interfuisse ipsa statim clamat Sacerdotis ad populum salutatio, *m* & populi ad Sacerdotem fausta apprecatio: Diaconique ad eum alloquia: & illa Sacerdotis, quæ post alia plura sequitur oratio, qua Dominum ita precatur: *o In nos insuffla circumassistentes servos tuos.* ἐφ' ἡμᾶς τοὺς περιεστηκότας δούλους σου. Eo autem plures illos convenisse vt communicarent, docet illa Sacerdotis oratio, in qua Deum precatus, vt Spiritu suo immisso panem & vinum in corpus & sanguinem Christi consecret, sic pergit: *p vt* (inquit) *fiant omnibus nobis, qui ex iis participamus, in fidem &c. communionem beatitudinis vitæ æternæ.* ἵνα γένωνται πᾶσιν ἡμῖν τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν εἰς πίστιν &c. Dicta oratione Dominica, paulo ante communionem, Sacerdos à Domino poscit *q* sibi & suis lætitiam & lucem Spiritus S. & cœleste auxilium adversus peccati insultus: *vt* (inquit) *tui cognitione multiplicati digne participemus iis, quæ nobis proposita sunt, bonis, intemerati corporis & pretiosi sanguinis vnigeniti Filij tui.* ὅπως μετάσχωμεν τῶν προκειμένων ἡμῖν ἀγαθῶν &c. Finita Cleri communione, vbi Diaconus populum jussit ad orationem stare, Sacerdos hæc inter cætera precatur: *r Bone Domine, largire nobis communionem sancti corporis, & pretiosi sanguinis Vnigeniti Filii tui in fidem inconfusam.* Et paulò post in alia oratione. *s Ipse Domine per sumptionem intemerati corporis tui, & pretiosi sanguinis tui emitte invisibilem dextram tuam plenam benedictionum, & omnibus nobis benedicito.* Idem post dimissum populum, orans in Diaconico: *t Dedisti nobis Domine, sanctificationem in participatione sanctissimi corporis, & pretiosi sanguinis vnigeniti Filij tui.* Denique in vltima benedictione, qua totum sacrum claudit: *u Benedictus Deus, qui benedicit & sanctificat, & protegit, & conservat omnes nos per participationem sanctorum eius mysteriorum.* Cum ergo Alexandrina Ecclesia nullam nisi huic Liturgiæ conformem Synaxin olim celebraverit, apparet eam, non magis quam Hierosolymitanam vllas habuisse Eucharistias solitarias.

Succedit Basilij Liturgia Græca cui plures interfuisse, eo præter cætera docemur, quod Diaconus circumstantes hortetur, post Symbolum: *Stemus honestè: Stemus cum timore: Attendamus ad sanctam oblationem offerendam in pace.* Communicasse autem in ea plures, imo quotquot erant præsentes, patet ex iis, quæ Sacerdos Deum rogat *y* statim post Sacramenti confectionem: *Nos autem omnes ex vno pane, & poculo*

m Liturg. Marc. ibid. p.26.A.p.27. A C.E. p.28. D.p.29.A B.

o Ibid. p.28 B.

p Ibid. p.38. C.

q Ibid. p.39. C.D.

r Ibid. p.40. E.

s Ibid. p.41. A.

t Ibid. C.

u Ibid. E.

x Lit. Bas. ibid.p.48.D.

y Ibid. p.52. D.

& poculo participantes uni (conjunge in unum ἑνώσαι) *invicem, ad* CAP. XI.
unius Spiritus S. communionem; & fac ut nemo nostrum ad iudicium, vel condemnationem sit particeps sancti corporis & sanguinis Christi tui; & quæ sequuntur in eundem sensum. Idem probant, quæ paulo ante orationem Dominicam precatur z Sacerdos; *Tu Deus noster,* z Ibid.p.56. B.
qui hæc dona (panem & vinum consecrata) *suscepisti. Purga nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus &c. ut puro quidem testimonio conscientiæ nostræ suscipientes panem sanctificationum tuarum, uniamur sancto corpori, & sanguini Christi tui, & his digne susceptis habeamus Christum in cordibus nostris habitantem &c. & neminem ex nobis reum feceris horum venerandorum & supercœlestium sacramentorum tuorum* &c. Paulo post à Deo pro iis, qui istic capita sua inclinarunt, ita precatur a; *Dignare, ut citra condemnationem sint participes* a Ibid.p.57. A.
horum impollutorum & vivificorum sacramentorum. Idem mox converso ad Dominum Christum sermone; b *Dignare potenti manu* b Ibid.C.
tua impertiri nobis impollutum corpus tuum, & pretiosum sanguinem, & per nos toti populo. Sed neque ea gratiarum actione, quæ fit c post communionem, quicquam dici potest luculentius; c Ibid.E.
Gratias agimus tibi, Domine Deus noster, propter participationem tuorum sacramentorum &c. quæ dedisti nobis, propter beneficium, & sanctificationem, & medelam animarum, & corporum nostrorum. Tum; *Concede, ut fiat nobis communio sancti corporis & sanguinis Christi tui in fidem in confusam.* Inde Diaconus; d *Rectè participatis divinis, sanctis & sacramentis Domino gratias dignè agamus.* Mitto ejusdem rei d Ibid.
argumenta, quæ ex iis duci possent, quæ hæc Liturgia habet cum Iacobo, vel cum Chrysostomo communia.

Est & altera Basilij Liturgia, qua Syri utuntur, quamque Anaphoram vulgo vocant; ex lingua Syrorum Latinè ab Andrea Masio, viro doctissimo, reddita. In hac multa cæterarum similia habentur; & hoc imprimis, quod eam, non in angulo, neque ab uno Sacerdote, eoque solo, celebrari solitam omnia loquuntur. Plures autem in ea communicantes ista propriè testantur, quæ Sacerdos post orationem Dominicam dicit, e *Benedictus es Domine, qui non modo dignatus es usurpare memoriam testamenti sui sancti, perficereque sacrificium hoc reverendum & incruentum*; &c. f *Doce nos perficere, quod sanctum est in timore tui: ut cum testimonio sincero conscientiæ nostræ facti participes sanctificationum tuarum uniamur corpori & sanguini Christi tui.* Item: g *Præsta, ut sine noxa reddamur participes mysteriorum illius salutarium.* Post communionem, h *Exaltamus te Deum Patrem omnipotentem* &c. *quia dignatus es nos sumptione sanctorum vitaliumque sacramentorum.* Item: i *Cedat nobis eorum suavitas in remißionem peccatorum.* Paulo post omnes præsentes Diaconus sic monet: k *Post sumptionem sanctorum sacramentorum quæ exhibita sunt, coram Domino mysericorde capita nostra inclinemus.* Ex his videmus

e Anaph. Basil. T. 6. Bibl. Patr. p. 20. B.
f Ibid. C.
g Ibid. p. 21. A.
h Ibid. B.
i Ibid.
k Ibid. C.

Cap. X. & Cæsariensibus, cæterisque Cappadocibus, & Syris nullam fuisse synaxin solitariam; qui scilicet nullam, nisi ex his Basilij Liturgiis, celebrabant.

l Liturg. Chrys. T.2. Bibl. P. Gr. Lat.
m ibid. p 65. o. & passim Ibid p 66 c.
n Ibid. p.6?. c. & ?3. c.
o Ibid. p.70. A
p Ibid. p.82. A. C
q Ibid. p.83. C.
r Ibid. p.84. 85.
s Ibid. 86. A.
t Ibid. B.

Iam in ea Liturgia, quæ Chrysostomi est, omnia etiam clariora sunt. Tota enim Liturgia Diaconus, ut in cæteris indivulsus sacerdoti celebranti apparet & cooperatur ab initio ad finem. Et chorus sæpicule intervenit. Tum in prima Antiphona orans Sacerdos; *m Fac nobiscum* (inquit) *& cum iis qui nobiscum orant divinas misericordias.* Sic in Trisagio precatur; *n sanctifica animas nostras, & corpora*; quod non potest nisi de pluribus intelligi. Lector vero non semel occurrit. *o* Istos autem plures adfuisse vt communicarent, patet ex oratione, quæ confecto sacramento dicitur: *p Tibi commendamus &c. & oramus & supplicamus, vt mereamur esse participes super cælestium sacramentorum huius sacræ mensæ.* Post orationem Dominicam Christum, vt supra in Basiliana, precatur, *q vt sibi suum corpus impertiatur, per se omni populo.* Tum Sacerdos, & Diaconus vterque nominatim communicant. *r* Peracta Clerica communione ad Laïcam pergunt. Ac primo Diaconus è porta adyti poculum ostendens, *s Cum timore* (inquit) *& fide accedite.* Post communionem Sacerdos precans, *t Gratias agimus tibi benedicte Domine &c. quod etiam præsenti die dignatus es nos cælestibus tuis & immortalibus sacramentis.* Quo loco illa quoque Diaconi ad plebem verba occurrunt, quæ jam ad Basilium recensuimus, *Rectè participatis divinis &c. mysteriis digne Domino gratias agamus.* Atque hæc quidem de Chrysostomi, vt vulgo dicitur Liturgia. De qua operæ pretium est ea hic referri, quæ Espensæus pro suo candore nos docet; *u* nimitum in Latina Leonis Tusci circa a. D.1170. edita hujus Liturgiæ interpretatione, quo loco Diaconus dicit, *Cum timore Dei & fide accedite*, legi hoc scholion, *Sacerdos sumit corpus Dominicum, si solus fuerit.* Vnde quis suspicari posset jam à Chrysostomi ævo sacerdotem solum aliquando celebrasse. Verum doctissimus Espensæus Lectorem monet hoc scholion vel à Leone Tusco, vel ab alio aliquo adscriptum fuisse *ad sua magis, quam ad Chrysostomi tempora respiciente*; cum in hac ipsa Liturgia *passim fiat mentio populi, vel aliquot certe Clericorum cum Sacerdote communicantium sed* (inquit paucis interjectis Espensæus) *editio Parisiensis a.* 1537. *& Venetica* 1528. *nihil tale habet, aut admonet, præfetur licet scriptor inneminatus se exemplari inhæsisse, quod nuper Romæ à venerandis in Græca Ecclesia sacra pagina Magistris Archiepiscopo Cypri, & Rhodio Metropolita Græcis formis excusum fuerat.*

u Esp. de Miss. priv. & public p.219. b.220. A.

x Liturg Præsanct. vb. supr. p.97. C. T.2. Bibl. P.Gr.L.

Denique & in Græca Præsanctificatorum Liturgia eadem fere occurrunt, quæ ad superiores observavimus. Precatio fidelium secunda sic habet; *Domine sancte, bonitatem omnem superans obsecramus te, qui miseratione es dives, vt propitius sis nobis peccatoribus, & dignos nos effice perceptione vnigeniti Filij tui, & Dei nostri, Regis gloriæ.* Mox ibidem de corpore & sanguine Christi, quæ in mensa

mensa mystica proponebantur, verba faciens; *Quorum* (inquit) *communionem innocuam nobis tribue*; ὧν τὴν μετάληψιν ἀκατάκριτον ἡμῖν δώρησαι. CAP. X.
Sacerdos paulo post submisse orans; y *Sanctifica* (inquit) *omnium nostrum animas & corpora* (ἁγίασον πάντων ἡμῶν τὰς ψυχὰς καὶ τὰ σώματα) *sanctificatione stabili; vt conscientia pura facie secura, corde illuminato divinis his participantes sanctificationibus, & ab eis vivificati vniamur ipsi Christo vero Deo nostro.* ἵνα ἐν καθαρῷ συνειδότι &c. τῶν θείων τούτων μεταλαμβάνοντες ἁγιασμάτων &c. ἑνωθῶμεν αὐτῷ Χριστῷ. Iterum in alia simili ad Deum oratione; z *Dignare, vt cuncti nos citra condemnationem participes simus horum tuorum vivificorum mysteriorum* ἀξίωσον πάντας ἡμᾶς ἀκατακρίτως μετασχεῖν τῶν ζωοποιῶν σου τούτων μυστηρίων. Mox sequitur eadem illa sacerdotis ad Deum oratio, de qua jam supra diximus, qua ille scilicet Christum rogat, a *vt suum ipse corpus, venerandumque sanguinem communicet, & per se vniverso populo.* Eadem nos docent orationes post communionem Eucharistiæ; b *Gratias agimus tibi universorum Servatori Deo pro omnibus beneficiis, quæ præbuisti nobis, & pro communione sancti corporis & sanguinis Christi tui.* Denique his verbis suas gratiarum actiones concludunt, c *Domine Deus noster, qui adduxisti, nos ad venerabiles istos dies* (quadragesimales dicunt) *& participes nos fecisti tremendorum tuorum mysteriorum, conjunge nos rationali tuo ovili.*

y Ibid. p.93. D.

z Ibid. p 99. C. D.

a Ibid. G.

b Ibid. p.100. B.

c Ibid. p.101. A.

Hæ sunt celeberrimæ apud Græcos Liturgiæ: ex quibus, & ad quas fiebant olim omnes quotquot erant illius amplissimæ Ecclesiæ Synaxes; quarum nullam esse vidimus, in qua Sacerdos vel celebret, vel communicet solus.

Quæ has in Patrum Bibliotheca excipit, Petri Missa, ea ignobilior est: quam qui ediderunt, neque vnde sumserint, docent, neque vlla veterum auctoritate firmant: & ipsi non semel fatentur d *variis olim fuisse piorum hominum additamentis religiose excultam*; ego potius dixerim temere, pessimoque exemplo à male feriatis hominibus omnia ad suas novitates incrustandas inverecunde interpolantibus vitiatam ac deformatam. Sed qualiscunque de cætero sit, certe solitaria non est. Nam vbi ad communionem ventum est: e *Postquam* (inquit) *omnes communionem acceperint*, μετὰ τὸ πάντας μεταλαβεῖν *Sacerdos thymiama spargit.* Qui communicasse omnes ait, non potuit disertius negare celebrantem communicasse solum. Idem arguit illa, quæ in superioribus quoque Liturgiis occurrit Diaconi ad præsentes exhortatio: f *Erecti qui divinorum &c. mysteriorum fuimus participes, digne in omnibus gratias agamus Domino.* Illa itidem, quæ continuo sequitur oratio: g *Hæc nos Domine, quæsumus communio purget ab omni inquinamento carnis ac Spiritus.* Ac denique postrema illa gratiarum actio: h *Benedictus Deus, per quem immaculatum corpus & sanguinem ipsius participare dignati sumus. Ipse benedicat & custodiat nos omnes.*

d Lit. Petri ibid. p. 113. Not. margin.

e Ibid. B.

f Ibid. C.

g Ibid.

h Ibid. E.

CAPVT

CAPUT XI.

Idem confirmatur ex veteribus Latinorum Liturgicis libris; ex Gregoriano Sacramentorum opere; in quo cum Missæ omnis generis descriptæ habeantur, plures in omnibus cum Sacerdote communicantes occurrunt; quod longa inductione fuse probatur.

ATque hæc quidem ex Græcis Liturgiis nullam apud eas Synaxin exhiberi ostendunt, in qua non plures fuerint communicantes. Iam ad Latinos veniamus: è quibus nullum, quod sciam habemus, Gregoriano Sacramentorum libro vetustiorem Missarum enarratorem. Is enim quotidianas totius anni Synaxes, suo ævo solennes, & singularum formas exhibet: ac tametsi non putem tantæ esse antiquitatis codices, è quibus illum vir doctissimus Hugo Menardus edidit, quantæ ipse eos esse censuit: facile tamen concedo eos, & cæteris, siqui extant, fuisse vetustiores, & circa seculi decimi finem, aut vndecimi initia esse descriptos, cum jam quædam essent iis immissa à Gregorij & ævo & mente aliena: quale est verbi gratia, quod ipse Hugo notavit, *i* adscriptum quartæ infra quinquagesimam feriæ lemma, *Caput jejunij*: cum quatuor illas ante quadragesimam ferias (quadragesimalis jejunij nunc initiales) nondum à Latinis Gregorij temporibus eo loco ac numero habitas fuisse constet non solum ex disertissimo homiliæ XVI. in Evangelia Gregorianæ testimonio, quod hic Menardus attulit, sed etiam, quod miror à viro absolutissimæ diligentiæ fuisse prætermissum, ex hoc ipso Sacramentorum libro, in quo ad ejus Dominicæ Missam, quæ *Quadragesima* dicitur, hæc habetur super oblata oratio: *Sacrificium quadragesimalis INITII solenniter immolamus, te Domine deprecantes &c.* Plane hunc ipsum diem quadragesimalis observationis initium esse hic dicit Gregorius, à quo in Homilia illa XVI. putare incipit legitimum & ævo suo apud Romanos solenne Quadragesimæ tempus. Cætera, quæ ad hunc diem exhibet, præsertim in Præfatione ac Benedictione, ea quadragesimalem observationem auspicantibus ita ad vnguem congruunt, vt ad hoc ineundæ Quadragesimæ jejunium propriè pertineant. Sed nihil nostra, nunc quidem refert, sit-ne planè & omni ex parte integer atque sincerus Gregorianus hic Sacramentorum liber, an etiam in nonnullis interpolatus. In eo certè, quod nunc agimus, omnino cum Græcis Liturgiis congruit. Nam plures & in Synaxi præsentes, & eidem communicantes passim ac constanter exhibet: neque vllum toto libro solitariæ Missæ vestigium deprehendere licet. Vt in Græcis, ita & in his Gregorianis Sacerdotem videmus

i Menard. Not. ad l. Sacram. Greg. p. 52.

mus omnium, qui suo sacro interfuerunt, nomine Deo quidem primum supplicantem, vt digne communicent: deinde verò gratias agentem, quod communicaverint. Vtriusque generis exempla aliquot dabo, sed promiscue, non alio ordine, quam quo descripta in ipso libro habentur. CAP. XI.

De plurium in sacro præsentia, vel hic vnus locus sufficerit; k *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, Ill. & Ill. & omnium CIRCVMADSTANTIVM &c. qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus.* Convenisse vero se, vt communicarent, ipsi his verbis loquuntur; *Supplices te rogamus &c. vt* l *quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui corpus & sanguinem SVMSERIMVS omni benedictione cœlesti & gratia repleamur.* Ad Natalitium S. Stephani, ad complendum; *Auxilientur nobis Domine, sumta mysteria.* Add. 6. Kal. Ianuarij; ad compl. *Refecti cibo, potuque cœlesti, Deus noster, te supplices deprecamur.* Ad d. 18 Kal. Febr. *Quæsumus Domine, salutaribus repleti mysteriis.* Ad d. 17. Kal. Febr. *Satiasti Domine familiam tuam muneribus sacris.* D. 13 Kal. Febr. *Refecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine.* Ead. die; *Sacro munere satiati, supplices te Domine deprecamur.* D. 5 Kal. Febr. *Sumpsimus Domine, celebritati annuæ votiva Sacramenta.* Non. Febr. *Domine, quæsumus &c. vt per ea, quæ sumsimus æterna remedia capiamus.* Dominica 5. post Theophaniam; *Quæsumus omnipotens Deus, ut illius salutaris capiamus effectum, cujus per hæc mysteria pignus accepimus* Dom. 6. post Theoph. *Cœlestibus Domine pasti deliciis, quæsumus &c.* In Septuagesima; *Fideles tui Deus, per tua dona firmentur, vt eadem & percipiendo requirant & quærendo sine fine percipiant.* In Sexagesima; *Intende, quæsumus, Domine hostias familiæ tuæ, & quam sacri muneris facis esse participem, tribue ad ejus plenitudinem pervenire.* In Quinquagesima; *Repleti sumus Domine, donorum participatione cœlestium.* Feria 4. capite jejunij; *Percepta nobis Domine, præbeant sacramenta subsidium* Ibidem super populum; *Inclinantes se Domine Majestati tuæ propitiatus intende, vt qui divino munere sunt refecti, cœlestibus semper nutriantur auxiliis.* Feria 5. infra Quinquagesimam; *Cœlestis doni benedictione percepta, supplices te Deus omnipotens deprecamur.* Feria sexta infr. Quinq. *Spiritum nobis Domine, tuæ caritatis infunde, vt quos vno cœlesti pane satiasti tua facias pietate concordes.* In Quadragesima ad Missam; *Tui nos Domine, sacramenti libatio sancta restauret* Feria 2. infr. Quadrag. *Salutaris tui Domine, munere satiati supplices exoramus, vt cujus lætamur gustu renovemur effectu.* Feria 4. mensis 1. *Tui Domine perceptione sacramenti & à nostris mundemur occultis.* Dominica 2. in Quadragesima *Refecti Domine pane cœlesti ad vitam quæsumus nutriamur æternam.* Fer. 2. in hebdom 2. Quadr. *Hæc nos communio Domine purget à crimine &c.* Fer. 4. ejusdem hebdom. *Sumtis Domine sacramentis ad redemptionis æternæ quæsumus, proficiamus augmentum.* Ibidem feria 6. *Fac nos quæsumus Domine,*

k. L Sacr. Greg. p. 2. col. 1.

l ibid. p. 3. col. 1.

Cap. XI. *accepto pignore salutis æternæ sic tendere congruenter, ut ad eam pervenire possimus.* Ibidem Sabbato; *sacramenti tui Domine, divina libatio penetralia nostri cordis infundat.* Dominica tertia in Quadragesima. *Cunctis nos Domine reatibus, &c. absolve, quos tanti mysterij tribuis esse participes.* Hebd. 3. fer. 2. *Præsta &c. Deus, ut quæ ore contigimus, pura mente capiamus.* Ibid. fer. 4. *sanctificet nos Domine, qua pasti sumus mensa cœlestis.* Ibid. fer. 5. *Sacramenti tui Domine, veneranda perceptio, & mystico nos mundet effectu, & perpetua virtute defendat.* Ibid. Sabb. *Inter ejus membra numeremur, cujus corpori communicamus & sanguini* Dominica 4. in Quadragesima *Da nobis, &c. Deus, ut sancta tua, quibus incessanter explemur, sinceris tractemus obsequiis.* Ibid. Hebd. 4. fer. 4. *Sacramenta, quæ sumsimus Domine Deus noster & spiritalibus nos repleant alimentis, &c.* Ibid. fer. 6. *Hæc nos &c. participatio sacramenti & propriis reatibus expediat, &c.* Ibid. fer. 2. pag. 56. *Sacramenti tui Domine participatio salutaris & purificationem nobis præbeat, &c.* Fer. 4. Hebd. 5. *Cœlestis doni benedictione percepta supplices te Deus omnipotens deprecamur.* Ibid. fer. 6. *Sumti sacrificij Domine, perpetua nos tuitio non relinquat.* Sabb. ante Ram. *Domine, quos cœlestibus reficis sacramentis à terrenis conserva periculis.* Feria tertia post palm. *Repleti Domine sacri muneris gratia supplices exoramus, ut quæ gustu corporeo dulci veneratione contingimus, dulciora mentibus sentiamus.* Feria quarta in Albis. *Nos Sacramenti tui veneranda perceptio in novam transferat creaturam.* Sabb. in Alb. *Per quem (Christum) suplices exposcimus, ut cuius muneris pignus accepimus, manifesta dona compehendere valeamus.* Die 18. Kalend. Maij; *Cœlesti munere saginati quæsumus Domine, &c. ut hæc nobis dona Martyrum tuorum intercessio beata sanctificet.* Fest. Invent. cruc. p. 87. *Repleti alimonia cœlesti, & spiritali poculo recreati, quæsumus, &c.* Die 6. Id. Maij. *Quæsumus, &c. ut qui cœlestia alimenta percepimus, &c. per hæc contra adversa omnia muniamur.* Die 3. id. Mai. *Te rogamus, &c. ut quos tuis reficis sacramentis tibi etiam placitis moribus dignanter deservire concedas.* Fer. 2. post octav. Pasch. *ut dum dona tua in tribulatione percipimus de consolatione nostra in tuo amore crescamus.* Ibidem fer. 4. pagin. 94. *Tribue quæsumus Domine, ut per hæc sacra, quæ sumsimus illuc tendat nostræ devotionis affectus, &c.* Ibidem super oblat. *Munera præsentia sanctificans perceptione eorum occulta cordis nostri remedio tuæ clarifica pietatis* In Ascens. Dom. *Præsta nobis, &c. Deus ut quæ visibilibus mysteriis sumenda percepimus invisibili consequamur effectu.* Mens. 4. fer. 6. p. 102. *Sumpsimus Domine sacri dona mysterij, &c.* Dominica octava Pentecost. pag. 104. *Proficiat nobis ad salutem corporis & animæ Domine quæsumus hujus sacramenti perceptio.* Kalendis Iunij; *Te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis sacramentis, intercedente Beato Martyre Nicomede tibi etiam placitis moribus dignanter tribuas deservire* Prid. Idus Iunij. *Quæsumus Domine ut mysticis nos dapibus foveas.* Sabb. in 12. lect. pag. 108. *Sumtum quæsumus Domine venerabile*

Sa...

sacramentum & præsentis vitæ subsidiis nos foveat & æternæ D. 13. Kal. CAP. XI.
Iun. *Concede nobis omnipotens Deus, ut his muneribus &c. & te placemus exhibitis, & nos vivificemur acceptis.* D. 6. Kal. Iul. *Sumsimus Domine, cælestia sacramenta.* D. 6. Non. Iul. *Corporis sacri & pretiosi sanguinis repleti libamine, quæsumus Domine Deus noster, ut quod pia devotione gerimus, certa redemptione capiamus.* D. 8. Kal. Aug. *Corpore & sanguine Filij tui nos hodie refecisti Domine.* Kal. Aug. *Corporis sacri, & pretiosi sanguinis repleti libamine quæsumus Domine, ut quod pia devotione gerimus* &c. D. 6. 19. Aug. *Quæsumus Domine* &c. *ut sacrosancta mysteria, quæ sumsimus, actu subsequantur & sensu.* Natal. Laurent. *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos donis cælestibus satiasti &c. perpetua protectione custodias.* D. 3. Id. Aug. *Sumsimus Domine, pignus redemtionis æternæ, Sit nobis..* &c. Idib. Aug. *sacramentorum tuorum Domine, communio sumta nos salvet.* Vig. Assumt. B. Virg. *Cælesti munere satiatos omnipotens Deus, tua nos protectione custodi.* Assumt. S. Mariæ. *Mensæ cælestis participes effecti imploramus clementiam tuam Domine.* &c. D. 15. Kal. Sept. *Protegat quæsumus, Domine populum tuum & participatio cælestis indulta convivij &c.* Festo S. Timothei; p. 125. *Divini muneris largitate satiati, quæsumus Domine &c. ut ejus semper participatione vivamus.* Die Bartholomæi; *Sumsimus Domine pignus salutis æternæ.* Nat. S. Hermetis; *Repleti Domine, benedictione cælesti, quæsumus* &c. D. 6. Kal. Sept. *Purificet nos Domine Deus, & divini perceptio sacramenti* &c. Eadem die p. 128. *Conferat nobis Domine, S. Ioannis utrumque solennitas, ut & magnifica sacramenta, quæ sumsimus digne veneremur, & nobis salutaria sentiamus.* Nativ. S. Mariæ *Sumsimus Domine, celebritatis annua votiva sacramenta.* D. 18. Kal. Oct. Exalt. Cruc. *Iesu Christi Dom. N. corpore & sanguine saginati.* Nat. Cornelii & Cypriani; Quæsumus Domine salutaribus *repleti mysteriis.* &c. D. 17. Kal. Oct. *Purificent nos Domine sacramenta quæ sumsimus.* D. 16. Kal. Oct. *Sanctificet nos Domine quæsumus, tui perceptio sacramenti.* D. 17. Kal. Oct. p. 132. *Perceptis Domine sacramentis* &c *deprecamur.* Mens. 7. fer. 6. p. 134. *Quæsumus omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes beneficia potiora sumamus.* Vigil. Sim. & Iud. p. 138 *Sumto Domine sacramento suppliciter deprecamur.* &c. Nat. eorundem; *Perceptis Domine sacramentis* &c. ut supra Kal. Nov. *Quæsumus omnipotens Deus, ut qui cælestia alimenta percepimus &c. per hæc contra adversa omnia muniamur.* D. Nat. omn. Sanctorum; *Deus tribue nobis, quæsumus ut per hæc sancta, quæ sumsimus, tuorum admixti conciliis misericordia tua dapibus saginemur.* Nat. 4. Coronator. *Cælestibus refecti sacramentis & gaudiis supplices te Domine deprecamur* &c. Nat. S. Martini; *Tua Domine sancta sumentes suppliciter deprecamur* &c. D. 3. Kal. Dec. *Sanctificet nos Domine, quæsumus tui perceptio sacramenti.* Eod. die p. 145. *Perceptis Domine sacramentis suppliciter exoramus* &c. Nat. S. Andreæ; *Sumsimus Domine divina mysteria.* Nat. Luciæ Virg.

Cap. XII. *Laeti Domine sumsimus sacramenta cœlestia.* In dedic. Basilicæ: p. 159. *Multiplica Domine quæsumus per hæc sancta, quæ sumsimus, veritatem tuam in manibus nostris.* In vig. Apostolorum. p. 160. *Cujus* (Apostoli) *natalitia per hæc sancta, quæ sumpsimus, votivo prævenimus obsequio.* In Vig. unius Martyris p. 161. *Sancta tua Domine in Beati Ill. Martyris beata passione, quam prævimus, nos refoveant; quibus & jugiter satiamur.* Item pag. 162. *Sumsimus Domine sancti Ill. Martyris solennitate cœlestia sacramenta.* Vigil. unius Confessoris; *B. Confessoris tui Ill. suffragiis exoratus percepta nos sacramenti tui virtute defende.* Itidem pag. 167. *Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente B. Confessore tuo Ill. beneficia potiora sumamus.* Vigil. plurium Confessorum; *Quæsumus Domine salutaribus repleti mysteriis, ut &c.* Nat. Virginum; *Auxilientur nobis Domine, sumta mysteria.* Alia Missa p. 173. *Adjuvent nos quæsumus, Domine, & hæc mysteria sancta quæ sumpsimus, & B. Ill. Virginis intercessio veneranda* Hebdom. 2. post Pentecosten. p. 176. *Sanctis Domine repleti muneribus, quæsumus ut & salutaria dona capiamus, & à tua nunquam laude cessemus.* Hebdomade 3. post Pentecosten; *sumtis muneribus Domine quæsumus ut cũ frequentatione mysterij; crescat nostra salutis effectus.* Hebd. 4. post Pent. *Sacris muneribus Domine percepti; pio favore prosequere.* Hebd. 5. post Pent. *Sancta tua nos Domine, sumpta vivificent.* Hebd. 7. post Pent. *Quos cœlesti Domine, dono satiasti præsta quæsumus, ut à nostris mũdemur occultis.* Hebd 8. post Pent. *Repleti Domine, muneribus tuis, quæsumus, ut eorum mundemur effectu & muniamur auxilio.* Heb. 10. post Pentec. *Sumptis Domine, tuæ institutionis muneribus, quæsumus, ut nos eorum & munditia purges, & potenti virtute defendas.* Hebd. 11. post Pent. *Tui Domine, communio sacramenti & purificationem conferat, & tribuat unitatem.* Hebd. 14. post Pent. *Vivificet nos quæsumus, Domine hujus participatio sancta mysterij.* Hom. 15. post Pent. *Cœlestibus Domine, donis satiatos, quæsumus, ut & voluntate pie rectèque vivendi, & virtute &c. nos jugiter donare digneris.* Hebd. 16. post Pent. *Præstas nobis misericors Deus; ut &c. per sacramenta, quæ sumsimus, peccatorum veniam consequentes* &c. Hebd. 18. post Pent. *salutaris hostiæ participatione recreati, quæsumus omnipotens Deus, ut ejus potentia singulari nos ipsos tibi holocaustum facias, sempiternum.* Hebd. 19. post Pentec. *Cœlestis mensæ quæsumus Domine sacrosancta libatio corda nostra purget semper & pascat.* Hebd. 20. post Pent. super oblat. *Munda nos Domine sacrificij præsentis effectu, & perfice miseratus in nobis, ut ejus mereamur esse participes.* Hebdom. 22. post Pent. *Gratias tibi referimus* Domine *sacro munere vegetati, tuam misericordiam deprecantes, ut dignos nos ejus participatione perficias.* Hebdom. 25. post Pent. *Immortalitatis alimoniam consecuti, quæsumus* Domine, *ut quod ore percepimus, mente sectemur:* Hebdom. 26. post Pent. Deum rogant, *ut mysterium* (inquiunt) *cujus nos participes esse voluisti, & puro cernamus intuitu, & digna percipiamus effectu.* Hebd. 27. post Pent. Item Deum rogant, *ut quicquid*

(inquiunt)

(inquiunt) *in nostra mente vitiosum est, sacramenti, quod sumpsimus medicatione curetur.* Sic & Hebdom. 5. ante Nat. Domini; Animas suas spiritu sancto inflammari petunt, *ut* (inquiunt) *sicut lampades divino munere satiati ante conspectum venientis Christi, &c. fulgeamus.* Hebd. 4. ante Nat. Dom. *Intende quæsumus Domine sacrificium singulare, ut hujus participatione mysterij, quæ speranda credimus exspectata sumamus.* Hebd. 3. ante Nat. Dom. *Repleti cibo spiritualis alimonia supplices te Domine deprecamur, ut hujus participatione mysterij doceas nos terrena despicere.* Mensis decimi feria 6. *Prosint nobis Domine, sumpta mysteria,* &c. Sabbato super 12. lectiones mens. 10. super obl. *Concede ut per hæc veneranda mysteria pane cœlesti refici mereamur.* Ibidem *Quæsumus Domine, &c. ut sacro sancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, & præsens remedium esse facias & futurum* Dom. 1. ante Nat. Dom. super obl. Dona præsentia à Domino sanctificari possunt, *ut* (inquiunt) *eorum perceptione expiemur à crimine.* Ibid. *Tribue nobis Domine cœlestis mensæ virtute satiatis & desiderare, quo recta sunt, &c.* Missa pro peccat. pag. 215. *Præsta nobis æterne Salvator, ut percipientes hoc munere veniam peccatorum deinceps peccata vitemus.* Item alia Missa p. 218. b. *Purificent nos Domine, sacramenta, quæ sumpsimus,* Item alia Miss. tempore mortalitatis p. 219. *à Sancta tua nos Domine sumpta vivificent.* Item Miss. ad ordinandum Episcopum p. 240. b. *Hæc nos communio Domine purget à crimine,* &c. In Natali Papæ p. 241. *Corporis sacri & pretiosi sanguinis repleti libamine, quæsumus Domine Deus noster, ut gratiæ tuæ munus,* &c. *propitius muniendo custodias.* Alia Miss. pro Episcopo, &c. 254. b. *Sumentes Domine, perpetua sacramenta salutis tuam deprecamur clementiam,* Missa votiva p. 255. *Purificent nos Domine, quæsumus, sacramenta quæ sumpsimus.* Missa specialis Sacerdotis; *Hujus mihi Domine sacramenti perceptio sit peccatorum remissio.* Missa pro familiaribus; *Divina libantes mysteria, quæsumus Domine, ut hæc salutaria sacramenta illis proficiant ad prosperitatem & pacem, pro quorum dilectione hæc tuæ obtulimus Majestati* Missa pro quacumque tribulatione, super oblata p. 257. b. *Purificet nos Domine, quæsumus, muneris præsentis oblatio, & dignos sacra participatione perficiat.* Ibid. ad compl. *Præsta Domine, quæsumus, ut terrenis affectibus expiati ad plenitudinem sacramenti, cujus libavimus sancta tendamus.* CAP. XI.

Atque hæc quidem ex libro sacramentorum Gregoriano excerpsimus; quorum plæraque jam erant à Cassandro in Ecclesiasticarum precum collectione descripta, diverso tamen in multis, ordine, diversaque in quibusdam lectione, ut ea quærunt usus publici variè immutari, inverti, atque interpolari solent pro vario hominum gustu, & varia temporum conditione.

CAPUT XII.

Ex superioribus concluditur nullas fuisse apud veteres Latinos Missas solitarias. Ridiculum esse, quod nunc eorum posteri easdem veterum formulas in suis Officiis retinent. Frigida Bellarmini, Innocentij 3. & Odonis Cameracensis ad formulas glossa refelluntur. Aperitur tantæ absurditatis causa.

EX his autem in omni Missarum genere atque ordine plures fuisse communicantes clarius est, quam ut plura in eo demonstrando verba perdere necesse sit. Nam qui Missis adsunt, & iis quæ Dominicis diebus, vel Martyrum natalitiis, & iis quæ aliis hebdomadum feriis, & iis quæ ob communem & universalem rei usum, & iis quæ ob propriam aliquam & extraneam causam fiebant, ut pro peccato, pro tribulatione, pro Episcopi ordinatione, pro Papæ natali, pro voto, pro familiaribus, qui inquam, quibusvis horum sacrorum intersunt, illi ut intelleximus, omnes pariter ore Sacerdotis profitentur se *sumpturos esse*, vel *sumpsisse*, *ore contigisse*, *percepisse*, *libasse*. &c. *sacramenta*, *visibilia mysteria*, *dona*, *sacra munera*, *cœlestem panem*, *cœlestia alimenta*, *Dominicum corpus & sanguinem*, *sacramentorum Dominicorum communionem* &c. Nihil potuit dici disertius. Qui unus communicat, nisi si quis sit de fabulis vel tergeminus Geryon, vel centiceps & centimanus Briareus, ista sic loqui non potuit, nisi falso, stulte ac ridicule. Ergo Sacerdos qui hæc in quibuslibet Gregorianarum Missarum ita loquitur, in earum nulla unus communicavit. Scio, quid ad hæc Latini dicturi sint, perperam scilicet inde colligi nullas Gregorianis temporibus Missas fuisse solitarias, quod apud se nemo nesciat & abundare id generis Missas, & tamen eadem illa, quæ in Gregorianis observavimus, quotidie nunc quoque eodem modo dici, etiam in sacris, in quibus unus homo utramque paginam facit, id est in quibus unus idemque & communicat & altari adstat, nemine præter ipsum communicante. In his enim vere *privatis*, vere *solitariis*, *solisque* Missis, ille qui pro presbytero, pro Episcopo, pro presbyteris & Diaconis & Clericis, pro totius plebis corona, unus altari adstat sacrificulus sibi ipse & Sacerdos & minister, & plebs & omnia illa quæ erant olim Missificantibus solennia, *quotquot ex hac altaris participatione, sumpserimus*, &. *sacramenta*, *quæ sumsimus*, non minus in sua illa solitudine clare, diserteque dicit, *eloquitur*, ac *clamat*, quam si in frequentissimo multorum millium præsentium, ac communicantium conventu sacra perageret. Evolve Missale. In iste r ma Missis collectas illas, quas ex libro Gregoriano recitavimus, reperies pæne omnes; nisi quod in alias interdum sedes translatæ, & si forte nonnihil alicubi mutatæ & interpolatæ sunt. Illic quoque, ut olim, audies,

audies, *n quod de tuo altari sancto accepimus , & quod ore contingimus*; cum tamen præter unam , nemo *acceperit* , vel *contigerit*. Ego vero , quod pace Latinorum dixerim, ab uno ista homine , qui solus sumpturus fuit, solus sumpsit , solus accepit , ac contigit , absurde & inscite ita , quasi plures vel *sumturi sint* , vel *sumserint* & *contigerint* , in plurium numero dici putabam ; rectè , congruè , & appositè dici non ab alio posse rebar, quam ab eo , qui inter plures communicantes missificat. Suavis homo Bellarminus respondet *o* primo *illa verba dici in numero multitudinis propter plures communicantes, si qui adsint*. Quasi vero ille nesciat non aliis hæc à nobis objici , quam iis, qui illic missificant , ubi nemo adest, qui communicet , præter ipsum missificantem , Itaque aliò confugit solitariorum sacrorum patronus ; *Illa verba etiam* (inquit) *sic dicuntur propter eos , qui alibi communicant*. Ita-ne vero etiam de alibi communicantibus illa dicta censebimus , *Quotquot ex HAC altaris participatione sumserimus* ? Qui *hanc* dicit , quam dicit, velut intento in eam digito demonstrat ; Quæ alibi locorum , apud Seras si forte , aut Malabaras , vel Iaponas , vel certe apud Romam aut Hispalim Missæ fiunt , vix credo, digito monstraverit presbyter hic Lutetiæ in Iesuiticæ alicujus Ecclesiæ angulo missificans. Gregorianus quidem Presbyter nequaquam isto sensu formulas illas usurpabat ; qui quorum donorum perceptione expiari se & eos , quorum nomine loquitur *à crimine* petit , ea inquam dona *à Domino Deo sanctificanda assumi poscit* ; quod non potest de aliis, quam de iis , quæ ipse offerebat , intelligi. *p Hac tibi Domine* inquit, *oblata benignus sanctificanda assume libamina , ut eorum perceptione expiemur à crimine*. Idem quoque supra ita precabatur ; *q Purificet nos Domine quæsumus , muneris præsentis oblatio*. Qui Romæ hæc precabatur Sacerdos *munus præsens* de nullo ni fallor alio intelligebat , quam de eo uno, quod ipse suis manibus tractabat ; non de *muneribus* , quæ Deo Syracusis , vel Alexandriæ offerebantur. Et *munus erat præsens* & *præsentes ii* , qui munus sumsisse , vel sumturi esse dicuntur. Nam neque quod Romæ offerebatur , Alexandrini vel Syracusani fideles sumebant ; neque Romani siquid eodem momento Alexandriæ vel Syracusis offerebatur, percipiebant. Sed neque illud , quod à Latino Presbytero missificante dici ipse notat Innocentius , *Orate pro me* , quisquam Bellarmino ad eos, qui procul alibi communicant , dici affirmanti , facile credo , assentietur. Itaque frustra sunt , quæ hic iste declamitat ad molliendum orationis absurditatem, *Cum unum* (inquit) *corpus simus , non solum præsentes, sed etiam absentes pro omnibus oramus*. Vera ista quidem esse omnia confiteor , *nos unum in Christo corpus esse* ; *alios pro aliis etiam absentes orare*; Ista , quæ vera sunt , quid ad rem, quæ agitur faciant , non equidem intelligo. Non enim Sacerdoti Latino, quod pro absentibus oret , vel quod fideles unum esse corpus (ut loquuntur) *supponat* , controversiam ullam (quod à nobis absit) facimus. Illud nos pro nostra simplicitate consequi non posse confitemur , qui verè ac congruè dicat , *quotquot ex*

CAP XII.
n Miss. Rom. fest. Luc. item Vrsul. post comm. p. 650. 653.
o Bell. L. 2. de Miss. c. 10. §. Respondeo illa verba.
p Gregor. L. Sacram. Dom. ca. ant. Natal. D. p. 101 a.
q Ibid. p. 457. b.

Cap. XII. *hac altaris participatione sumsimus*, is qui unus sumsit; vel *Orate pro me*, qui quo loco hoc dicit ibi se solum esse, probe novit; alium præter se, neminem. Bene est profecto, quod Latini Sacerdotes Latinè hæc apud plebem latinè nescientem cantant. Plebs pro sua eos simplicitate facere putaret, si hæc eos dicentes intelligeret. Itaque Tridentini cum alia multa, tum hoc sapienter decreverunt, ne vlla vulgari lingua Missa pronuntiaretur. Quam nimirum homines irrisuros, si intelligerent, providebant, Patres illi prudentissimi non intelligi maluerunt, quam intellectam irrideri. Bellarminus verò frustra ac ineptè objicit *orationem Dominicam à singulis fidelibus in suo cubiculo solis dici, quæ tamen* (inquit) *ita composita est, ac si dicenda esset solum à multitudine congregata.* Sic esse compositam fateor, vt dici possit, & verò etiam dicatur à multitudine congregata; sic, vt solum ita dici, ac non etiam à singulis seorsum recitari possit nego. Liturgiæ Græcæ, & Missæ Gregorianæ planè alia ratio est; quas sic esse compositas liquet, vt à pluribus tantum vno in loco consistentibus dicendæ sint; vt ab vno homine celebrante solo dici, nisi stultè & indecorè non queant. Itaque quod ait Bellarminus has Missas orationis Dominicæ esse hac in parte similes, id non modo falsò, sed & parum verecundè dicit. Quis enim non videt, quantum sit illarum ab hac discrimen? In hac divina dona à Patre cœlesti, non sibi quisque soli, sed etiam fratribus suis petit; quod vbivis licet; In illis non modo hæc missificans sibi & aliis Dominum poscit, sed fratres recta alloquitur, & pro se, vt orent, petit. Atqui nulli isti hæc loquenti adsunt fratres, quos videat & ad hoc sibi præstandum officium vrgeat. In Missa Deum idem rogat, *meminerit omnium circumadstantium*, vbi bipedum nemo adstat; vbi ne vna quidem musca solitudinem ejus interpellat. In Missis disertè rogatur Presbyter *jubeat benedicere.* Atqui nemo ibi est, neque qui eum roget, neque quem benedicere jubeat. Fuit ne vnquam inscitius, aut inficetius drama? in quo rogatur is, quem tamen nemo rogat? Dialogismos mitto inter se salutantium, & cœtera, quæ etiam lippi, in iis quæ descripsimus, cernunt. Siccine instituta est oratio Dominica? Qui ait Bellarminus suos lectores pro totidem fungis habuit, quos sibi rem tam apertè falsam narranti fidem habituros putavit.

Sed Latinos, quid ad hanc absurditatem compulerit, vt quæ non in aliis, quam in plurium communibus & publicis sacris dici decebat, ea ipsi in solitariis suis præter omnem rationis ac decori speciem retinuerint; non est ut opinor, intellectu difficile. Nimirum homines antiquarij, qui nihil se, nisi *ex majorum* (ut loqui amat Baronius) more ac instituto in religione gerere rudi popello persuasum esse cupiunt, noluerunt has in veterum Liturgiis solennes formulas loco suo movere, ne viderentur antiquitatem contemsisse. Itaque eos, etiam iis temporibus, tametsi absurdè profecto ac præpostere retinuerunt, quibus jam immutata veteri Missificandi ratione, Presbyteri apud eos sacra sua soli

sine ullis aliis communicantibus facere cœperant. Sed cum animadverterent (nemo enim adeo obtusus est, ut rem in ipsos sensus incurrentem non videat) illas veterum, quas ipsi retinent, formulas validè ac irreconciliabiliter pugnare videri cum suo solitariarum synaxeon instituto; tum verò homines acuti ac ingeniosi ad *τὰ* illa *φάρμακα*, quæ nunquam iis, ubi opus est, desunt, de more confugerunt, suisque artibus moliri cœperunt, ut res duæ per se antehac insociabiles, amicè coirent ac conspirarent. Ita Innocentius ille magnus Canonistarum, magnus transsubstantiationis, magnus Papalis omnipotentia auctor & partim parens, in his conciliandis jam olim versabatur; quamquam ille quidem multo agit, quam Bellarminus, modestius ac verecundius; r *Statutum quidem est* (inquit) *in sacris Canonibus, ut nullus Presbyterorum Missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus ipse tertius habeatur. quia cum pluraliter ab eo dicitur*, Dominus vobiscum, *& illud in secretis*, Orate pro me, *apertissimè convenit, ut illius salutationi respondeatur à pluribus. Verum aliud est necessitatis articulus; aliud religionis contemtus.* Rotundè fatetur nullam olim fuisse factam Eucharistiam absque pluribus, duobus saltem præter Sacerdotem, præsentibus, idque *apertissimè* intelligi ex ipsis Sacerdotis in peragendo sacro ad circunstantes verbis. Hoc tantum, quod nemo nisi volens, nescit, nos monet *aliud esse necessitatis articulum, aliud religionis contentum.* Illud potius doceret, quæ necessitas coëgerit vel majora olim instituere, ut non nisi plures sacrorum solennia celebrarent, vel aliquot inde actis seculis latinos veterum posteros decernere, ut vel unus homo eadem solus ritè ac ligitimè conficeret. Apparet nihil apud utrosque necessitatis fuisse, cur Sacerdotis in hoc sacro & unitatem & solitudinem, vel illi non ferendam, vel hi etiam commendandam censerent, si verum est quod Latini sentire videntur utrumque, morem esse tolerabilem. Ergo Innocentius illi necessitati (quam hic falso, ubi nulla est, aliquam esse fingit) ipse ut videtur diffisus aliud respondet, & ex suo illo veritatis ac sapientiæ oraculo, aliud sanè lepidum fundit; *Pie quoque* (inquit) *creditur & sacris auctoribus comprobatur, quod Angeli Dei comites assistant.* Innocentio ne suus quidem Bellarminus de hujus glossæ invento credidit, qui hoc ejus spreto commento, aliud ipse attulit. Nam præterquam quod stultum est verba, quæ Sacerdos inter sacra facienda apud Dei plebem loquitur, ea ad Angelos referre, quos quantivis præsentes, nemo tamen videt; id profecto de Angelis capi non potest, quod in Missa dicitur, *Quotquot ex hac altaris participatione sumserimus.* Beatos enim illos Spiritus nostris sacramentis participare nemo (quod sciam) vel veterum vel recentiorum somniavit. Id quoque de Angelis absurdissimè diceretur, quod in Missæ Canone scriptum est, *Memento Domine*, &c. *omnium circumstantium, quorum tibi cognita est fides, & nota devotio*; quasi scilicet pro Angelis Latini sacrificuli precentur. Ad quæ verba Odo Cameracensis

CAP. XLI.

r Innoc. s. l. 2. c. 20. de Offic. Miss. edit. Par.

Cap. XIII. (annis minimum 84. ante Innocentij Pontificatum) difficultatem ex his exorientem solvere tentans, candidè ita præfatur; [s] *Cum primitus (inquit) Missæ sine collecta non fierent, postea mos inolevit Ecclesiæ solitarias & maxime in Cœnobiis fieri; & cum non habeant, quam pluraliter collectam salutent, nec plurales mutare poßint salutationes, convertunt se ad Ecclesiam, dicentes se Ecclesiam in Ecclesia salutare, & in corpore totum corpus alloqui, & virtute totius communionis in Ecclesia confici sancta mysteria per gratiam* Dei; *nec esse quempiam alicubi fidelium, qui vivificorum non fiat particeps & cooperatorius sacrosanctorum, dum in corpore Ecclesiæ adhæret capiti, velut utile membrum.* Ad id quod ait se *convertere ad totam Ecclesiam*, & *Ecclesiam in Ecclesia salutare*, quærit [t] Espensæus, *quam iste intelligat, absentem-ne, & ubilibet alibi locorum, an ad lapideam, materialem, cum præsentem aliam non habeant?* Sed Odo vix reliquit dubitandi locum, quin voluerit hæc verba priori sensu accipi; qui fere idem est cum Bellarminiano; idque clarius ac certius intelligitur ex iis, quæ mox subjicit; *secundum quem sensum*) inquit, verba de eo, quem posuerat, faciens) *in hoc loco circumstantes accipiuntur omnes ubique fideles, qui in unitate corporis & sibi adhærent invicem, & summo capiti.* Hoc verò est verba canonis non interpretari, sed inverecunde eludere. Quis enim cum Sacerdotem audit hæc dicentem, *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum N. & N. & omnium circumstantium*, alios eum suspicetur intelligere, quã eos fideles, qui sacro intersunt, stant circa sanctuarium, in quo sacramentum conficitur? Sed mos, qui invaluerat ab antiquo diversus miseros homines cogebat veterum verba his admotis fidiculis torquere, ineptosque & inusitatos sensus ex iis elicere, ne ab antiquitate descivisse viderentur, si usurpatas apud eam formulas mutarent. Eam fuisse hujus abnormis & prodigiosę interpretationis causam ipse Odo eo satis fatetur, quod dicit Monachos, *cum nec haberent, quam pluraliter salutarent collectam, nec plurales tamẽ mutare possent salutationes*, ideo ad has, sanè ineptissimas allegorias devenisse, ut scilicet circumstantes, quos salutant, non de fidelibus præsentibus, qui in solitariis Missis nulli sunt, sed de quibusvis mystici *corporis Domini membris intelligant.*

[s] Odo Cam. in San. Miss. T. 6 Bibl. P. p. 357. C.

[t] Esp. de Miss. publ. & priv. fol. 213. b.

CAPUT XIII.

Refertur ac refellitur alia quædam Petri Damiani pro sacris solitariis ad superiores veterum Liturgiarum formulas solutio. Tertium contra Missas solitarias argumentum ex ipsis Petri & coævorum Monachorum circa hæc difficultatibus ac dubitationibus ductum.

Sed & annis præ propter quinquaginta ante Odonem in eodem argumento æstuaverat. Petrus Damiani, cujus ea de re extat opusculum: Hoc titulo; *Dominus vobiscum.* Leonem quemdam Eremitam, quem laudibus supra cœlum vehit, in eo libro veluti consulens, causam

è vestigio

è vestigio ipse non tantum agit, sed planè liquidoque definit, arbitri sententiam occupans. Causam autem ita constituit; u *Nonnulli* (inquit) *fratres eremiticæ sectatores vitæ frequẽter interrogant cum singulares in cellulis commorentur, utrum illis liceat dicere*, Dominus vobiscum, Iube Domine benedicere; *atque ipsi, ut sunt soli, juxta morem Ecclesiasticum sibimet debeat respondere. Quidam enim inter se, quasi ratiocinantes, dicunt; Num quidnam à Lapidibus, aut tabulis cellulæ petenda est benedictio, aut illis dicendum est, ut Dominus sit cum eis? Quidam autem si quomodo Ecclesiasticæ traditionis ordinem deserant, se peccare, tanquam qui pensum divini servitij minuant pertimescunt. Unde nobis dum solutio quæritur, ad percunctationem potius mens æque nescia provocatur.* Hæ erant dubitantium in utramque partem rationes; in priorem quidem justæ; in alteram vero planè frivolæ ac futiles. Nam si, quod hæc pars stolidè ac perperam ponit, verum esset, scilicet etiam à solo synaxin celebrari fas esse; profecto illud quoque fas fuisset, quod isti tanquam piaculum, ridiculè aversantur, formulas à suo illo sacro alienas mittere, & alias quæ ei congruerent usurpare. Neque enim Evangelicus Dei cultus in verbis situs est, ut metuere debeat, qui verba absona & absurda & exterorum scandalo obnoxia abjicit, ne divini servitij *pensum minuat*; quod isti crassè ac monachaliter, ne dicam stultè pertimescebant. Sed & hi & illi pariter in eo errabant, quod solitarias illas Missas, quæ præter veram sanctissimi Sacramenti ingenium in Ecclesiam Latinam irrepserant, retinendas utrique statuebant; cùm ipsa veterum formarum ab illo abusu aliena abhorrensque ratio, eos si absque præjudicio attenderent clarissimè doceret nullum veteri Ecclesiæ fuisse *solitariarum* usum; adeoque abrogandas esse, veluti antiquo Christianismo ignotas. Quid autem judicarit iste Leo, ad quem Petrus, veluti *ad Angelum*, ut ipse vocat suum, rem totam defert, nos quidem nescimus; nisi quod fere lævus, & in deteriora ut plurimum pronus Eremitarum, de quorum genere erat Leo, animus nos cogit suspicari eum in Petri errorem facilè concessisse. Hic enim Leonis, quem tanti facit, non exspectata sententia, ipse pronuntiat, etiam solis retinendas esse illas, tametsi plurales formulas, quæ à veteribus acceptæ in Ecclesiæ solennes adhuc erant. Ita enim ille totam disputationem concludit: x *Quisquis* (inquit) *frater in cellula singulariter habitat, communia Ecclesiæ verbo proferre non timeat* (sacra nimirum faciens) *quem scilicet à conventu fidelium, etsi locale spatium dividit, cum omnibus tamen unitas fidei in caritate conjungit: qui licet absint per moles corporum, præsto sunt tamen per unitatis Ecclesiasticæ Sacramentum.* Hujus ineptissimi atque absurdissimi deliramenti non aliam toto ferè libro rationem affert, quam eam ipsam fidelium inter se communionem atque unitatem, qua hic quoque frustra nititur. Quod enim eas omnes, quantumvis locis atque spatiis inter se divisos fides atque caritas in Christo conjungit, eo non fit, ut eorum cuiquam, nedum Sacerdoti,

CAP. XIII.
u Petr. Damiani Opusc. 11. Dom. vobisc p. 96 &c.
x Petr. Dam. ibid. c. 18. extr. p. 103.

Cap.XIII. liceat verba inania, & ab omni sano sensu abhorrentia; imo etiam falsis propiora, ineptè & indecorè stultorum more profundere. Eum autem hominem, qui solus sit, quasi non unus modo aliquis, sed etiam plures adsint, salvere eos jubere, & verba illa dicere, quæ nemo sapiens dicit, nisi qui plures adesse intelligat, *Dominus vobiscum*; quin & illud alterum pronunciare. *Et cum spiritu tuo*, quod respondentis est, & salutem ei, à quo eam prior accepit, reponentis; hæc inquam, ita solum loqui & pronunciare, profecto non sani esse hominis vel ipse non sanus Orestes juret. Quid illud dicam, quod est in Missæ canone, *Memento Domine, famulorum famularumque tuarum N. & N. & omnium circumstantium*? Profecto quisquis hæc dicit, si is quidem sapit, liquido affirmat sibi plures adesse, & locum, in quo sacra fiunt, ambire ac *circumstare*. At, qui hæc Sacerdos solus missificans dicit, is certo novit se solum altari suo adstare, neque alium præterea cujusvis vel ætatis, vel sexus mortalem sibi in eo loco sacris operanti adesse; quod quid sit aliud, quam mentiri, non equidem capio. Quæ Petrus verbosissime contra profundit, plæraque nihil ad rem pertinent, & paralogismis adeo crassis scatent, ut ea vel retexere pigeat: Formulas è Scripturis ortas esse pertendit. Verum non hoc quæritur. Quæritur, utrum ubi locorum nemo plane alius homo adest, ibi virum gravem deceat solum ita alios homines salutare, alloqui, convenire, ac si complures adessent, & orationem ejus audirent, eique vicissim responderent. Dominus dixit de Israëlitis. y *Inhabitabo in illis*; Christus discipulis; *Ecce ego vobiscum sum*. Recte. Nam & Israëlitæ & discipuli plures erant. Stultè vero fecerit, si quis de uno homine illa eadem dixerit. Si Monachi vel Eremitæ aliter sapiunt, fruantur illi, ut libet, sua singulari & abnormi sapientia. Non est Ecclesiæ à trita humani, imo & divini sermonis consuetudine recedere. Sed Angelus, inquit, Mariam ita salutavit; *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum*. Quidni ita salutaret, quæ una mulier erat, & in eodem loco erat, sic, ut Angelum loquentem audiret? Boos vero messores, qui plures erant, & quidem præsentes aderant, & Dominus Apostolos, quorum similis erat ratio, merito uterque sic salutant, *Dominus vobiscum*. Horum & cætera gemina sunt, quæ Petrus veluti consulto, ad jugulandas Solitariorum solœcismos, sanè opportunè attulit. Angelus (inquit) dixisse Danieli in venitur; *Noli timere, vir desideriorum. Pax tibi. Confortare; & esto robustus*, & Dominus ita salutat discipulos. *Pax vobis*; *& in quamcumque* domum venerint, jubet eos dicere. *Pax huic domui*. At inquam, nemo istorum est, qui uni dixerit. *Pax vobis*, vel pluribus. *Pax tibi*; nedum, ut sit aliquis qui nemini utrumvis horum dixerit. Hunc ergo castissimum divinæ orationis canonem, tu quoque Petre sequere; ut congrue ac decore, præsertim in sacris loquaris; neque tibi licere putes vel unum instar plurium, vel plures instar unius, vel neminem, quod est plane monstrosum instar alicujus, imo instar aliquorum, instar multitudinis,

y Id. ibid. cap. 5.

tudinis, vel absentes instar præsentium, præter omnem Dei & sapientum hominum sermonem convenire, alloqui, salutare. Iam quod caussatur *il-* CAP. XIII. *licitum esse, ut Ecclesiastica traditio permutetur*; id ipsum, si, quid sit quod dicit, intelligeret, caussam ejus omnem in partes nostras traducit. Vel hæ enim formulæ docent tradidisse veterem cujus hæ erant, Ecclesiam, ne sacramentum ab uno solo homine celebraretur. Cur tu Petre, aliud tradis? Si manere debet Ecclesiæ traditio, tu eam revoca ac restitue, quam sustulisti; Novum hunc, quem induxisti, ritum jube facessere. Si feceris, nullum tibi hæ formulæ, nullum tuis eremitis facessent negotium. Verba rebus, res verbis convenirent. Sacro nulla repugnabit sacrificorũ oratio. Multis inde Petrus de Ecclesiæ vnitate philosophatur; quod com- z Id. ibid. petit toti, id parti etiam convenire, & quod vnius membri est, id cætero- c. 5. & 6. rum quoque esse. Ad quæ brevis responsio est, quæ fidelibus, qua Christi membra sunt, conveniunt, ea omnium & singulorum esse, qui membra sunt; vt credere, sperare, amare inter se, sacramenta percipere &c. Non ideo effici, vt cætera, quæ alicui Christiano conveniũt, qua homo est, qua civis, qua hujus aut illius singularis Ecclesiæ Episcopus, Presbyter, Clericus, Laicus &c. ea omniũ & singulorũ quoque aliorũ Christianorũ sint; quod ita manifestum est, vt à nemine negari possit. Iam eorum quæ in Liturgia dicuntur, non pauca sunt posterioris generis, non prioris, vt celebrantem hic aut illic, puta in Petri Damianici oratorio *circumstare*: vt *ex HAC* (quæ scilicet hic & nunc & ab hoc celebratur) *altaris participatione Christi corpus & sanguinem sumere*. Ergo hæc quidem non de omnibus in genere fidelibus (quod vult Petrus) neque de iis simpliciter & indeterminate qui vbivis alibi communicant (quod Bellarminus maluit) sed de certis tantum definitisque hominibus dicuntur in eo loco, vbi peragitur id ipsum sacrum, consistentibus, & in hac ipsa altaris participatione sive communione sacramentum sumentibus. Sed & frustra idem exemplis pugnat *a* eorũ, quæ in Psalmis & aliis libris sive divinis, sive Eccle- a Id. ibid. siasticis, in plurali numero posita soli legimus. Quæ enim sunt hujus ge- c. 7. neris ad auctoris, non ad lectoris personam referri, ad eamque accommodanda esse nemo nescit. Quæ verò ab Episcopo, vel presbytero in sacra synaxi dicuntur, ea & celebrantis & adstantium personis ita convenire debent, vt nihil sit ab eorum numero, professione, statu, actuque alienum. Neque procedit, quod Petrus ex nonnullis Canonis verbis colligere velle videtur, singula, quæ vocant, altaris sacrificia, etiam quæ ab vno solo Sacerdote fiunt, ab vniversa, qua per orbem patet, Ecclesia offerri. Verba Canonis sunt. *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, vt placatus accipias. Cuncta Dei familia*, est populus Ecclesiæ, non vniversalis (quod absurdissimè somniavit Petrus) sed ejus in qua fit oblatio, puta Parisiensis, Lugdunensis &c. Oblationẽ verò hanc Sacerdos, dicit, non suæ tantum, & Clericorum ministrantium; sed etiam *cuncta familia Dei*, id est totius Ecclesiæ, quæ illic Deo serviebat. Nimirum quod nos supra *b* in alia disputationis parte b Supr. L. 3. 3.

Cap.XIII. jam diximus, panem & vinum populus conferebat, ex quo fiebat Eucharistia; & Sirmondum memini ea verba ad hoc ipsum referre; c eoque etiam pertinent illa paulò ante posita Canonis verba, *famulos & famulas Domini offerre Deo hoc sacrificium laudis*; quia non solum viri, sed etiam mulieres panem apud altare conferebant, ex quo sacrum fiebat. Sed & hinc apparet certas definitasque esse eas personas, de quibus in Liturgia sermo est; quales verbi gratia fuisse hinc constat, qui *hoc sacrificium offerre* dicuntur. Non enim *vaga erant* (ut in scholis loquuntur) *individua*, sed certæ suis ... nominibus, aliisque singularibus notis distinctæ personæ. Ex his quippe vetustioribus formulis, quæ sic adscriptæ leguntur in codice Gregoriano; *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum Ill. & Ill.* in recentioribus vero, *N. & N.* constat fuisse hoc loco publicè recitata virorum, ac mulierum nomina, qui panem ac vinum ad sacrum Eucharisticum obtulerant. Itaque hæc non modo nihil ad confirmandas Missas solitarias valent, sed eas planè subvertunt; quibus scilicet ostenditur complurium fuisse, non tantum virorum, sed etiam mulierum munus, quod Deo in Ecclesia offerebatur ad Eucharistiam conficiendam. Mitto quæ his Petrus attexit à proposita quæstione paulò remotiora, *de unitate corporis Christi mystici, de altari à Galaaditis exstructo, de digamis à Sacerdotio repulsis, de festis quibusdam tempore non suo*, ut ipse putat, *celebrari solitis, deque indumentorum sacerdotalium mysteriis*, & nonnullis id genus aliis. Illud longè periculosissimæ præsumptionis esse videtur, quod iste scribit d tantam esse Ecclesiæ à Deo concessam potestatem, ut verba sibi famulantia ad suum convertat arbitrium, ut vel singuli plurium, vel plures singulorum eloquia proferant; quod nihil aliud est, quam verbi divini, quo ipsa judicanda est Ecclesia, rectæque rationis jugum excutere, jusque sibi usurpare omnia pro sua libidine susque deque invertendi, atque immutandi. Fateor similem sui hujus peccati fuisse, quem hic profert veteris Ecclesiæ errorem, quæ eam baptismi formam parvulis infantibus, præter omnem decori & honesti rationem ministravit, ac ministrandam esse decrevit, qua adultos olim Christianismo initiati acceperat.

c Sirm. de Agym. c. 1. p. 100.

d Ibid. c. 16.

Cæterum quantumcumque futiles ac pæne ludicræ sint Petri rationes, iis tamen eo profectum esse scribit e Espensæus, ut solis privatim non solum orare, aut canonicas horas recitare suo cuique in cubiculo liceat, sed Missas etiam ne uno quidem arbitro celebrare. Ex his autem tribus testimoniis, hæc tria intelligimus. Primum, Missas solitarias duodecimo seculo, quo ineunte Odo Lutetiæ, exeunte Innocentius Romæ scribebant, jam fuisse apud Latinos constitutas. Alterum, undecimo seculo, quo jam adulto Petrus Damiani floruit, eas jam quidem cœpisse frequentari, non tamen eodem more, modoque; cum alij resecari vellent quæcumque videbantur solis non satis convenire; aliis omnia retineri placeret; quorum Petrus sententiam sua auctorita-

e Esp. de Miss. prob. 1. & fol. 214. b.

ie plurimùm confirmavit. Tertio illud obiter quoque ex Petri & Odonis testimonio observandum est, hanc Christianismi labem, ut cæteras pæne omnes veteris disciplinæ corruptelas à Monachorum & Eremitarum instituto vel originem habuisse, vel certè incrementum accepisse. Id enim & Petrus significavit, & Odo disertè docuit; *Postea* (inquit) *mos inolevit Ecclesiæ solitarias, & maxime in cœnoblis fieri Missas.* Denique quod præcipuum est, id velim inprimis ex his tribus scriptoribus animadverti, ubi pravus iste mos apud Latinos præter veteris Ecclesiæ consuetudinem irrepsit, nostris statim in mentem venisse illas de solitariarum Missarum cum solennibus Ecclesiasticarum Liturgiarum formulis repugnantia dubitationes, quas Petrus clarius, ac fusius, quam alij, commemorat, *Nonnulli fratres Eremitæ frequenter interrogant, utrum solis liceat dicere.* Dominus vobiscum, *Iube Domine, benedicere. Quidam dicunt, Nunquid à lapidibus aut tabulis cellulæ petenda est benedictio?* CAP. XIII.

Iam ex his satis ni fallor, intelligere est, cur non sit eadem veterum, quæ nunc Latinorum est hac in parte ratio. His, quos suscepta, totiusque suæ Ecclesiæ, suique etiam, quod multis majus graviusque videtur, Papæ judicio commendata ac sancita, & Missæ solitariæ & formulæ veteris religio obligatos, obstrictosque tenet, neutram excutere licet. Velint nolint, utramque simul quantumvis repugnante rerum ipsarum natura, defendere coguntur. Quos tam dira, tamque ineluctabilis necessitas urget, ac subigit, frustra ab iis rationem ejus poscas, quod non ipsi voluntate sua sponte elegerunt, sed aliena auctoritate impositum acceperunt. Itaque quod mutare, quanquam absurdissimum, non possunt, ejus ab ingenio rationem excogitare student ne scilicet sine ratione insanire videantur. Veteres verò, quos nulla hujusmodi necessitas premebat, qui in suis sacris administrandis, non alienum arbitrium, sed solas pietatis ac rectæ rationis leges ob oculos habebant, planè est incredibile sic suas omnes Liturgias effecturos composituros que fuisse, ut nisi à pluribus ritè celebrari non possent, si solitarias illi Missas in solenni suæ Ecclesiæ usu esse scivissent. Quod ergo Liturgiarum, quas ipsi instituerunt, ea sit forma, quam supra ostendimus; inde validè conficitur, nullo apud eos in usu fuisse Missas Latinorum solitarias. Id ipsum etiam ni fallor ex hac ipsa disputandi ratione clarè sequitur, quam hic Latini usurpant. Neque enim negant hanc veterem, quam sequuntur liturgiæ formam vehementer videri cum solitariis sacris pugnare. Inde illi dubitationum fluctus, qui Petri Eremitas agitabant. Lapis est, qui ista non sentit. Itaque Eremitæ Petrum; Petrus Leonem consulunt. Petrus quæsitis subtilitatibus, & ab alto repetitis locis nodum solvere conatur, & totum librum elucubrat de duabus vocibus, *Dominus vobiscum.* Odo ut suos ex eodem luto extricet, non parū laborat. Aliā viam tētat Innocentius. Bellarm. suæ quoque. Dialecticæ symbolum confert. Ergo inquā, ipsi quoq; veteres, nisi tū eos plūbeos aut saxeos fuisse finxeris eadē absurda, eosdē nodos paribus locis, & sensissēt,

Cap. XIV. & solvere itidem ad suorum ædificationem conati essent, si eadem cum Latinis de Missarum solitariarum vsu existimassent. Atqui apud vetustiores nihil tale occurrit ergo veteres certum est suas omnes Liturgias pluribus præsentibus ac communicantibus fecisse; quæ ab vno solo fierent, eas plane penitusque nescivisse.

CAPUT XIV.

IV. *Argumentum contra Missas solitarias ex disertissimo Namnetensis Concilij Canone 30. Refelluntur Bellarmini ad hunc canonem inanes & inverecunda glossa, ductaque ex iis absurdissima conjectura.*

SEd quid ego dixi veteres eas difficultates, quibus nunc Latini vrgentur, vel rationes, quibus illæ solvuntur, nescivisse? Imò verò viderunt; deque iis dissolvendis adeo non laborarunt, vt eas ipsi rationes, quibus ad eas solvendas nunc Latini vtuntur, clarissimè exploserint. Horum enim omnis ad eas tollendas ratio in eo, vt nuper ostendimus sita est quod istos fideles, quos Liturgiæ veluti sacro Euchatistico adstantes & communicantes commemorant, Latini vel vt Innocentius de Angelis, qui cœtibus sacris interesse & dicantur à Scriptura, & à piis creduntur, vel certè de quibusvis vbique terrarum Christianis spirituali nobis cum nexu conjunctis, vt Petrus Damiani & Odo, vel denique de iis, qui alibi communicant, vt novissimè Bellarminus, intelligendos & accipiendos esse contendant. Mitto, quod hæ omnes solutiones ineptæ sunt & futiles, & ad id, quod cupiunt, conficiendum inutiles, vt vel ex iis paucis, quæ ad singulas diximus, satis patere arbitror. Sed non tam de re ipsa, quæ qualisque per se est nunc quæritur, quam de veterum sensu. Iam verò ipsi veteres clarissimè loquuntur se nihil istorum, quæ à Latinis obtenduntur, intellexisse; Se affirmant per istos fideles, quorum in Liturgiis fit mentio, non Angelos, non Christianos absentes, sed homines Sacerdoti missificanti, re vera, ac ut sic dicam, *corporaliter* adstantes significatos putasse ac voluisse. Id verò certissimè ex Namnetensis cujusdam Concilij canone apparet, antequam Missarum solitariarum vsus inolevisset, condito, qui sic habet; *Definivit sanctum Concilium, ut nullus Presbyter præsumat solus Missam cantare cui enim dicit*, Dominus vobiscum, *aut*, Sursum corda, *aut*, Gratias agamus Domino Deo nostro, *cum nullus sit, qui respondeat, aut in Canone.* Et omnium circum adstantium, *cum nemo adsit? aut quem invitat ad orationem, cum dicit*, Oremus, *cum nullus sit, qui secum oret? Aut igitur ista penitus reticenda sunt, & non solum non erit perfectum sacrificium, verum etiam incurret, quisquis ille est, terribilem illam sententiam*, Si quis tulerit de hoc, tollet Dominus partem ejus de libro vitæ, *aut si hæc muris, aut parietibus insusurraverit, ridiculosum est.*

* Ivo, celebrare. p. 1517.

est. Quapropter illa ridiculosa superstitio, maximè à monasteriis Monachorũ exterminanda est. Provideant autem Prælati, vt Presbyteri in Cœnobiis, & in alijs Ecclesiis cooperatores habeant in celebratione Missarum. Siquis hæc transgressus fuerit, ab officio suspendatur.* Burchardus vndecimo ineunte seculo, f Ivo duodecimo g hunc vterq; Canonẽ Namnetensis Concilij, ut ipsi numerant, trigesimũ, quẽ qualemque nos descripsimus; exhibent. Ivo etiã ejusdem, vt videtur, Concilij canones quintum & decimũ nonum in secunda sui operis parte retulerat. h Conciliũ vero ipsum, vnde hi canones citantur, Namnetense nullum quod sciam hodie exstat; vt difficile sit conjicere, quo propriè die ac Consule constitutus fuerit hic canon. Cassander eum quoq; exhibet: nõ tamen ex Burchardo, vel Ivone; sed ex Reginone libro de disciplinis Ecclesiasticis, capite XIX. descriptum. Fidem Cassandri novissimè firmavit k doctissimus Calixtus noster ex MS. codice Reginonis, qui in Bibliotheca Iulia asservatur. In eo legi ait, num. 191. totũ hunc canonem, planè qualem nos ex Burchardo & Ivone descripsimus. Vnde conficitur Conciliũ illud Namnetense, cui canonem omnes isti adscribunt, habitũ fuisse, vel ante Reginonis ævum, vel certè ejus ævo, esseque adeo decimo seculo antiquius; ad cujus scilicet initia Reginonem vivendo pervenisse certum est, tum ex eo, quod ipse Chron. a. D. 908. se absolvisse in Præfatione dicit, tũ eo quod eum testatur Trithemius libros de disciplina Ratbodi Episcopi Trevirensis jussu scripsisse; quem a. D. 906. neque vltra a. D. 913. vixisse constat. Ego diu ante Reginonẽ circa 7. seculi suprema habitum hoc Conciliũ ideo suspicor, quod Patres hoc, qui inde citatur, canone Missas solitarias à nonnullis quidem, maximè Monachis fieri jam cœptas eo ipso significant, quod earum vsum, vt vel impium, vel certè *ridiculosum* damnant; & qui illas, præter suã hanc legẽ vsurpaverit, eum ab officio suo suspendunt. Cæterum nondum ævo suo inolevisse illam corruptelam eo quoque arguunt, quod eam, non molliter vt noni seculi Patres fecisse videmus, sed apertè valideque feriunt, & qui soli missificaverint, eos pœnæ canonicæ subjiciunt: quo morbo primulum nascenti, nondum tamen plurium vsu confirmato maturè, vt apparet occurrerent. Vtcumque sit, istos certè videmus, non modo Petro Damiani, & Odone, & Innocentio, sed etiam ipso Reginone absque controversia vetustiores, primũ quidẽ ipsas solitarias Missas, quas Petrus jam olim tam animosè defendit, & Tridentini etiamnũ commendant, simpliciter damnare, & qui eas factitarint Sacerdotes, omnes adeo hodiernos Latinorum sacrificulos, *officio suo suspendere.* Vbi nunc illa, quę nostris Latinis semper in ore est, antiquitatis reverẽtia? Vbi illa inviolabilis *Majorum*, & fixorum ab iis Canonũ majestas? Omnia sc. postquã Papæ vrbico aliud placere cœpit, in fumos abierunt. Nunc volente Papa, Patrũ decreta impunè à posteris cõculcantur; & quos illi pœna mulctabant, eos hi palàm, etiã in Synodo vniversali securi cómendant. Tum & illud, quod est propriè hujus loci, observandũ venit, Patres Namnetenses verũ ac genuinum Liturgicarum formularum, quem diximus,

CAP. XIV.

* Regino periculosa.

f Burch. l. 5. c 68.

g Ivo Decr. P. 3. c 70.

h Id ibid. p. 2. c. 118. 122.

i Cass. Liturg. c. 33. p. 83.

k Calixt. de Miss. Solit. thesi 15. p. 14.

Cap.XIV. sensum apertissimè constituere, inanesque ac fanaticas Petri, & Odonis, & Innocentij & Bellarmini glossas exsufflare atque despuere. Presbyterum enim Missas *solum* cantare non debere eo probant, quod qui solus missificat, formulas illas Liturgicas, *Dominus vobiscum*, *Gratias agamus Domino Deo nostro, omnium circumstantium, Oremus*, vsurpare nisi absurdè, ac ut ipsi loquuntur *ridiculosè* non possit; ista, vbi nemo dicenti homo adest, *muris & parietibus* frustra ac ineptè insusurando. Qui sic argumentantur Patres, eos clarum est & indubitabile, intellexisse de singularibus personis carne in æde sacra præsentibus salutem à Sacerdote in Liturgiis dici: easdem altare circumstantes gratias Domino vna cum Sacerdote agere, atque orare; omnia illa denique de fidelibus illius Ecclesiæ, Clericis vel etiam Laïcis, certè pluribus, corpore eodem in loco, quo Presbyter sacra pro iis facit, consistentibus accepisse; non de mysticis illis, ac ut sic dicam, idealibus hominibus, quos Petrus Damianicus, & Latini exinde solitarij pæne omnes præter claras liquidasque veritatis, sensusque ipsius communis rationes, absurdissime ex vanis sui cerebri imaginationibus effinxerunt. Sed ego absurditatem huius commenti nunc mitto. Illud vnum vrgeo, quod Patrum, de quorum institutis quæritur, sensum plane alium fuisse patet. Quis enim dubitet hanc vere fuisse veteris Ecclesiæ in his formulis mentem, quam Namnetensis Canon exhibet? Certe qui sic eas interpretantur, Patres ipsi erant, & quidem in Concilio ab illius, & proximè sequentis ævi Ecclesia probato, & inter regulas Ecclesiasticas à Reginone primum, inde à Burchardo & Ivone Latinorum Canonistarum primipilis relato. Tunc Patres quis in iis, quæ quotidie factitabant ac pronuntiabant, sui animi sensus, quæ mens, quæ ratio esset, nescivisse ipsos dixeris? Petrum Damiani, Odonem, Innocentium, Bellarminum post aliquot demum secula, quid illi in Liturgiis sibi voluerint, atque cogitaverint, solos vere perspexisse, vel ut verius dicam, somniasse? Tu-ne hos multo posteriores illis antiquioribus, hos singulos, illis in Synodo congregatis, hos novi & introductitij ritus studio corruptos, illis liberè ac sincerè absque vllo animi affectu judicantibus antehabebis? Te quidem ad hanc iniquitatem, ne væsaniam dicam, devenire necesse est, qui ab vnis Papæ dictatis pendes; qui etiam atram esse nivem dejerare, si ille jusserit, paratus es. Neque ego sane intercedo, quin tu, quando ita tibi lubet, ex vno illius oraculo sentias ac sapias; dum mihi illud concedas, quod ex hoc Namnetensi canone invictè demonstravi, veteres illos Patres, de quorum nunc scitis ac ritibus quærimus, longè aliter sensisse, quam tuos illos novitios Paterculos Innocentium ac Tridentinos.

Atque ex his jam intelligimus, quam sit futilis prima illa Bellarmini, *l* quæ huc à nobis supra *m* rejecta est, ex hoc Namnetensi Concilio ducta conjectura, vel vt verius dicam, mera deliratio, Missas solitarias, in quibus vnus, solusque celebrans communicaret, jam apud veteres in vsu fuisse inde hariolantis, quod in hoc Canone *jubentur* (inquit) *Presbyteri*

l Bell. l. 2. de Miss. 55. c. 9. §. Tertio probatur.

m Supr. c. 6.

Presbyteri non celebrare soli Missam, nisi habeant saltem vnum secum, qui respondeat. Hæc verò mera sunt hominis causæ nimium studentis figmenta. Primo enim falso vt loquuntur, *supponit*, nos negare, quo seculo habitum est Namnetense illud Concilium, vllum fuisse, qui Missas solus *cantare* (quod Patres vetant) *præsumpserit.* Nos verò hoc de sex prioribus Christianismi seculis negamus; septimo si forte, certe octavo seculo primum cœpisse vitiosum illud Missarum genus; inde paulatim gliscente veteris disciplinæ fastidio atque oblivione ad plures propagatum esse; vndecimo latius esse diffusum, tandemque duodecimo, & secutis ad nos vsque seculis invaluisse planeque confirmatum esse, adeo non negamus, ut id in huius disputationis limine, etiam ipsi posuerimus Concilium vero Namnetense, ante septimum seculum fuisse, ne ipse quidem credo, Bellarminus contenderet, si adhuc esset in vivis. Cum enim neque de hujus, neque de alterius quod esset, Namnetensis Concilij tempore quicquam certi à scriptoribus traditum sit; neque vlla ratio sit, cur suspicemur hoc ipsum, de quo quæritur, ante septimum seculum habitum fuisse (quo nos id nuper, non immerito, ut videtur, retulimus) apparet omnem Bellarmini conjecturam plane fluxam esse & evanidam; quæ scilicet in ipso causæ, cui studet, constituendæ statu à vero vehementer aberravit. Atque hoc Bellarmini prius est in hac sua conjectura figmentum. Sequitur alterum, haudquaquam priori levius; dum Canoni, ex quo conjicit, sensum affingit, qui nullus in illo cernitur. Ait enim canonem jubere, ut qui missificat *Presbyter, habeat saltem VNVM secum, qui respondeat.* Atqui nihil huiusmodi Canonis verba tinniunt. Quid dixi nihil Patres simile significare? Illi vero plane aliud, & quidem disertissimè præcipiunt; *Provideant* (inquiunt) *Prelati, vt Presbyteri in cœnobiis, & in aliis Ecclesiis COOPERATORES habeant in celebratione Missarum.* Hæc enim verba Canonem claudunt, non apud Reginonem tantum, sed etiam apud Burchardum, & Ivonem. Nomen plurale *cooperatores,* nunquam quod sciam *UNVM SALTEM* significat, qui respondeat; sed plures, qui sacris vna cum celebrante operentur; verbi gratia ex veteris Ecclesiæ vsu *Diaconum*, qui Catechumenos & Pœnitentes dimittat; qui modo Sacerdotem, modo Clerum, modo plebem de officio moneant, quidque faciendum sit, singulis opportunè suggerat; *Cantores*, qui hymnos & cantica concinant; *Clericos & Laicos*, qui *Amen*, & alia quædam suis locis respondeant, quique pro Sacerdote orent, & votis precibusque suis omnem eius actum & sermonem prosequantur, ac denique suo quique ordine peracto sacro communicent. Hæc omnia nemo vnus præstabit. Sed præter vltima illa verba omnis Canonis ratio inverecundum Bellarmini figmentum refellit. Patres enim, vt Missas illas ab vno soloque presbytero cantatas refutent, vtque quod ipsi loquuntur, omnem earum vel *ridiculosam*, vel yt alij legunt, *periculosam, superstitionem* ex omni Ecclesia exterminent, hac ratione nituntur, quod

CAP. XIV.

Cap. XV. ipsæ Liturgiarum voces præscribant, non vnum, sed plures esse debere, quibus celebrans salutem his verbis dicat, *Dominus vobiscum*, & plures *qui circumadstent*; quorum neutrum vere dicetur, non modo si nullus, sed etiam, si vnus tantum presbytero operanti adsit. Patrum ergo tam ratio, quam sermo plures necessario debere Eucharistico sacro interesse, quoties id celebratur, clarissimè contra frivolam Bellarmini glossam conficiunt, nedum vt cuiquam Sacerdoti concedant vel soli, vel *vnum saltem hominem* secum habenti missificare.

CAPVT XV.

Quintum contra Missas solitarias argumentum ex Theodulpho VI. ex Synodo Moguntina, & Carolo Magno. VII. ex Synodo Parisiensi sexta, & Ludovico Pio.

NEque verò soli Namnetenses isti solitariæ Missæ primulũ tum venienti morbo occurrere studuerunt. Circa eadem tempora (si nostra de Namnetensi Concilio conjectura admittitur) idem quoque præstitit Theodulphus Aurelianensis Episcopus in Capitulari ad suæ Parochiæ Sacerdotes. Fallitur enim Baronius, qui id opusculum ad a. D.835. refert; quo tempore Theodulphus è vivis excesserat a.D.821.dum ad suos absolutus rediret, vt est ab eruditissimo Sirmondo observatum; *n* qui multo probabilius hoc ejus Capitulare refert ad a. D. 797. exordiis episcopatus ejus propiorem. Eum enim idem Sirmondus, etiam ante Francofordiensem a. D. 794. habitam Synodum jam Episcopum fuisse demonstrat *o* ex quarta Alcuini ad Carolum Magnum epistola. Theodulphus autem in illo suo libello sic præcipit; *p Sacerdos Missam solus nequaquam celebret; quia sicut illa celebrari non potest sine salutatione Sacerdotis, responsione nihilominus plebis; ita nimirum nequaquam ab vno debet celebrari. Esse enim debent, qui ei circumstent, quos ille salutet, à quibus ei respondeatur; & ad memoriam illi reducendum est illud Dominicum, Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, & ego in medio eorum* Cassander Canonem hunc describit; sed ex Capitulari Gregorij perperam citatum. Nullum enim inter Gregorij opera Capitulare à veteribus agnoscitur. Est haud dubie Theodulphi; vt habet eius liber, tam in Baronij, quam in Sirmondi editione. Hic autem vetus ille Aurelianensis Episcopus plane idem, quod Patres Namnetenses, iisdemque de causis ac rationibus decernit, hoc Sacrum celebrari posse negans *sine Sacerdotis salutatione & plebis responsione*: ita ut ei necessario plures adesse necesse sit; Tum, quod eodem recidit, esse debere, qui Sacerdoti circumstent, quos ille salutet, & qui ei respondeant;

n Sirm. ad Capit. Theodulph. & Præfat. ad Theod. opusc.

o Id. Not. ad Capit. Theodulph. T. 2. Conc. Gall. p.683.

p Theod. Capit. c.7. Ibid. p.213.

deant; quæ non possunt aliter consistere, nisi eos fideles, qui à celebrante salutantur, in Liturgiis, quique cum circumstant de fidelibus. & quidem partim laïcis, ibidem, ut vulgo loquimur, *corporaliter ac personaliter* præsentibus propriè intelligamus; non autem de hominibus illis idealibus, certè absentibus, ad quos hæc Petrus Damiani, & Odo, & Bellarminus & omnes hodie Latini ineptissimè referunt. Eadem quoque decernit Synodus Moguntiaca a. D. 813. Carolo Magno adhuc superstite habita, canone, qui in ipsius quoque Caroli & Ludovici filij Capitulare ab Ansegiso & Benedicto totidem verbis relatum, in hunc modum legitur; *u Nullus Presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cātare valet rectè. Quomodo enim dicet,* Dominus vobiscum, *vel* sursum corda *admonebit habere, & alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit?* Sic illi Patres Missas à Sacerdote solo cantatas disertè reprobant. Neque vero putandum est illis verbis, *ut nobis videtur*, molliri eorum severitatem, qui hujus commatis sacra ex omni Ecclesia exterminanda esset judicaverant. Verba sunt Synodis ubi quid censent ac sciscunt familiaria; ut in ipsa Hierosolymitana Synodo, *x Visum est Spiritui Sancto & nobis,* ἔδοξε πνεύματι ἁγίῳ καὶ ἡμῖν. Idem est quod in Latinis Conciliis passim occurrit, *Placuit*; quod siquis eo trahat, ut quæ hac formula enuntiantur, ea non præcipi, ut necessaria, sed suaderi tantùm, ut probabilia intelligantur; næ ille pessime Patrum mentem ceperit, & hac sua glossa plæraque eorum decreta dissolverit, & in nihilum redegerit. Ratio decreti, quā Patres afferūt, plane aliud significat, exsertè negans fieri posse, ut quis dicat, *Dominus vobiscum, & sursum corda*, & alia ejusdem generis non pauca, *si nemo alius cum eo sit.* Ratio eadem est cum ea, quam & Namnetenses & Theodulphus afferebāt; ex qua idem, quod ad duo illa superiora observabamus, colligitur, omnes illius ævi Patres omnes Liturgiarum formulas ad homines retulisse, non mysticos & ideales, & procul à nobis positos, sed veros & solidos, suisque corporibus, non spiritualiter & figuratè circumadstantes; musteas adeo atque inanes & chimæricas Latinorum glossas non tantum nescivisse, sed etiam explosisse & exsibilasse.

CAP. XV.

t Capit. Car. & Lud. L. 5. c. 93.

u Conc Mogunt c 45 T. 2 Conc. Gall. p. 184.

x Act. 15.

Post annos quatuordecim Lutetiæ apud Parisios, imperante Ludovico Pio, habita est sexta Parisiensis Synodus, in qua cum solitariarū Missarum usum gliscere, viresque eundo acquirere viderent, multo quam antea, clarius atque accuratius rem totam explicaverunt, severiusq; damnarunt. Dignus est hic recitari totus Synodi ea de re canon, quem etiam in capitulari Ludovici Pij Augusti, y paucissimis vel detractis, vel immutatis, totum legere est: *z Irrepsit in plærisque locis, partim incuria, partim avaritia reprehensibilis usus, & congrua emendatione dignus, quod nonnulli Presbyterorum sine ministris Missarum solemnia frequentent, quod nec verba Domini Salvatoris, quibus mysteria corporis & sanguinis sui discipulis celebranda tradidit, nec Apostoli Pauli documenta declarant, nec etiam in ipsis Actis Apostolorum, si enucleatim legantur, ita fieri debere ullo modo invenitur. Vnde conveniendus, imo* interro-

y Capitul. Car. & Lud. c 7. Addit. 2. c. 7.

z Concil. Par 6 c. 48. T 2. Conc. Gall. p. 515.

Cap. XV. *interrogandus nobis videtur huiusmodi corporis & sanguinis Domini solitarius consecrator, quibus dicit,* Dominus vobiscum, *& à quo illi respondetur,* Et cum Spiritu tuo, *vel pro quibus supplicando Domino inter cætera,* Memento Domine & omnium circumadstantium, *cum nullus circumstet, dicit. Quæ consuetudo, quia Apostolicæ & Ecclesiasticæ auctoritati refragabatur, & tanto mysterio quandam dehonorationem irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps huiusmodi usus inhibeatur; provideatque unusquisque Episcoporum, ne in sua parochia quisquam presbyterorum Missam solus celebrare præsumat; & si hanc definitionem superbiendo transgressus fuerit, Canonicæ correctioni subiaceat.* Nihil dici potuit vel ad rem ipsam, vel ad quæstionem, in qua nunc proprie versamur, luculentius Rem ipsam dico. Nam Missæ solitariæ usum Patres dicunt inprimis esse *reprehensibilem & congrua emendatione dignum*; quæ elogia sunt criminosæ & flagitiosæ, non certe laudandæ, & quod Tridentinis placuit, *commendandæ* consuetudinis. Tum usus originem, sane inhonestam ac probrosam denotant, *partim ab incuria, partim ab avaritia*, pessimis matribus, exortum affirmantes. Tertio rei novitatem indicant, cum eam *irrepsisse* aiunt in *plerisque locis*. Neque enim *irrepsisse* dicuntur in Ecclesiam, quæ vel ab Apostolorum, vel ab universalis Ecclesiæ instituto vel exemplo in usum recepta sunt. Non ergo hunc fuisse Patres isti putaverunt usum Ecclesiæ Apostolicæ & primitivæ, quæ Apostolicam ad propiora ævi sui tempora secuta est; sed furtim diu post eam ab operariis vel desidibus, vel avaris inductum tandem ad plæraque loca, velut luem aliquam pestilentem manasse. Quarto pravum illum usum docent neque à Christo Domino institutum, neque à Paulo ejusque Collegis fuisse traditum; eoque regulam hanc auream constituunt, ad quam ritus usúsque omnes Ecclesiasticos exigamus, ut siquid sit neque à Domino institutum, neque ab Apostolis traditum, *id reprehendendum, congruaque emendatione dignum* censeamus. Quinto ex ipsis quoque solennibus, & apud omnes Christianos receptis atque usitatis celebrandæ Eucharistiæ formulis, hunc abusum liquido coargui ostendunt. Ex his perorant illam consuetudinem tum Apostolicæ, tum *Ecclesiasticæ auctoritati refragari*, atque insuper Sanctissimum Sacramentum *dehonestare*; quod quam verum sit, facile intelliget, quisquis perpenderit, quod supra aiebant Patres Namnetenses, per pravum hunc unum plurima, quæ non ad alios, quam ad homines ratione & pietate præditos dici debuerant, à Sacerdotibus in illa sua solitudine *muris atque parietibus insusurrari*; quod illi ridiculum merito judicant; adeoque cum quodam Christianæ religionis dedecore conjunctum. Postremo nequid desit, Patres Parisienses his sane justissimis caussis permoti pronunciant hunc tam flagitiosum usum inhibendum; Episcopos jubent curare, ne is in Ecclesiis, quibus præsunt, in posterum usurpetur; siquis suam hanc definitionem transgrediatur, eum *correctioni canonicæ subiacere* voluntab jubent. Atque ita rem ipsam; id est Missas solitarias, quibus nemo præter celebrantem vel communicat, vel

vel etiam adstat, Canon disertissime damnat; etiam constituta in eos pœna, qui ita missificaverint. Sed neque obscurius refutat Latinorum, quas nunc proprie oppugnamus, glossas ad formulas Liturgiæ Solennes, *Dominus vobiscum, Et cum Spiritu tuo, Memento Domine, omnium circumadstantium*; *Quas* Petrus Damiani, & cæteri de quibus supra diximus, ad fideles non in æde ipsa, sed in celebrantis duntaxat mente per ideam præsentes, imo ne sic quidem fortasse præsentes, sed cum Sacerdote spirituali ejusdem fidei vinculo conjunctos, inepte profecto ac præter omnes usitati sermonis leges referebant: eas Patres Parisienses ad fideles *personaliter* (ut vulgo loquuntur) non solum spiritualiter, proprie, non mystice, in templo, non in mente præsentes, secundum elocutionis divinæ, Ecclesiasticæ, atque humanæ usum & morem referendas esse clarissime constituunt ac præscribunt. Solitarium enim consecrare quemquam ideo vetant, quod si solus consecret, nulli futuri sint, quibus dicat, *Dominus vobiscum*: nulli qui respondeant, *Et cum Spiritu tuo:* nulli pro quibus Domino sic inter cætera supplicet, *Memento Domine, omnium circumadstantium.* Atqui si ad rite recteque missificandum satis est, ut quod Latini volunt, fideles licet carne absentes, & apud Iaponas forte aut Sinas versantes, in mente Sacerdotis per ideam præsentes sint, eique saltem ex una fide conjuncti: apparet nullam has formulas vim habituras ad id, quòd isti Patres volunt, concludendum, Sacerdotem scilicet Eucharistiam celebrare solum non debere. *Interrogantibus* enim., *quibus dicat, Dominus vobiscum,* & cætera similia, *si nullus circumstet: solitarius consecrator* facilè & expeditè, ex Latinorum certe disciplina, ita satisfacturus erat, tametsi nemo carne præsens *circumstet*, sibi tamen etiam soli abunde esse, ad quos ista pertineant, Angelos ex Innocentio, omnes ex Petro Damianico fideles, omnes ex Bellarmino alibi diversis toto orbe locis communicantes: Istos juxta subtilissimum Petrum, *a licet absint per moles corporis, præstò esse tamen per unitatis Ecclesiasticæ Sacramentum: se verò ab horum conventu etsi locale spatium dividat, cum iis tamen omnibus unitate fidei in caritate coniungi.* Ita omnis illa Patrum ratiocinatio in auras soluta abit ex hodierna Latinorum Theologia. Atqui illi hoc argumento validissime argui ac revinci solitarium celebrantem putabant, neque eum habiturum sperabant, quod contra hisceret. *Conveniendus* (inquiunt) *imo interrogandus & nobis videtur huiusmodi corporis & sanguinis Domini solitarius consecrator, quibus dicit,* Dominus vobiscum &c. *cum nullus circumstet.* Qui sic loquuntur, apertissime ita futurum confidunt, ut solitarius Missificator his suarum interrogationum laqueis constrictus ac irretitus obmutescat. Quæ cum ita habeant, omnes vident omnia illa recentiorum de *ideali* fidelium, carne licet absentium, præsentia, deque conventu in vastissima licet solitudine, frequentissimo mysteria dicam, an somnia omni ævi illius Ecclesiæ incognita fuisse, etiam tum cum jam *in plerisque locis irrepsisset solitariæ Missæ usus.* Neque hęc unius, aut alterius Theologi ignorantia fuit: Concilij totius, & quidem frequentissi-

Cap. XV.

a Petr. Dam Opusc. 1. c. 8. p. 103. E.

quentissimi, fuit; Ac ne unius quidem Concilij, sed plurium, *Namnetensis, Moguntini, Parisiensis*, ad quorum sententiam Theodulphi quoque suffragium accedit, non ignobilis de octavo & nono seculo Episcopi eadem, ut ostendimus, decernentis. Cum ergo de horum Patrum, qui ab initio Christianismi ad noni seculi initia vixerunt, usu ac ritu quæratur; cumque eos ex his constet Liturgiæ Ecclesiasticæ solennes formulas ita, ut demonstravimus, intellexisse; stat, quod ex his duximus, nullas scilicet apud eos fuisse Missas solitarias, quorum omnes quotquot extant Liturgiæ, iis formulis constent, quæ ex ipsorum, qui iis utebantur, sensu ac mente plurium in hoc sacro præsentiam necessario desiderent ac requirant. Latinis, qui eas pro suo acumine longè aliter interpretantur, frustra fateor, formulas objeceris; frustra nullas esse apud eos solitarias Missas ex eo collegeris, quod ipsi quoque iisdem formulis utantur; Hi nimirum tam sunt ingeniosi, ut unitatem cum multitudine, solitudinem cum collecta, neminem cum plurimis; præsentiam cum absentia nullo negotio conciliaverint, unaque, simul ac semel consistere posse docuerint. De veteribus quidem certè, quibus ignotissima fuit tota hæc mirifica philosophia, valet nostrum argumentum, ut nullam apud eos fuisse Missam, quæ solitaria eadem & legitima censeretur, inde colligamus quod eorum nulla reperiatur Liturgia, quæ nobis non exhibeat plures in hoc sacro præsentes, Sacerdotem, Diaconos, Presbyteros, Clericos, plebem multa inter se gerentes ac loquentes, universos sacro postremo communicantes.

CAPUT XVI.

VIII. contr. Miss. solitarias Argumentum; ex quodam Pseudo-Soteris canone. Hujus epistolæ & aliarum antiquissimorum Romæ Episcoporum nomine vulgatarum auctores videntur circa octavi seculi finem, vel circa noni initium vixisse.

IDem quoque significat ille canon, quem Soteri Burchardus, *b* Ivo, *c* & post eos Gratianus, *d* tribuunt; quanquam in hujus margine notent Gregoriani editores *quædam exemplaria Anacletum, non Soterem* præferre. Sane Micrologus id, quod canon decernit, utrique, Soteri inquam & Anacleto tribuit. *e Hoc quoque* (inquit Canon) *statutum est, ut nullus Presbyterorum Missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus ipse tertius habeatur; quia cum pluraliter ab eo dicitur*, Dominus vobiscum; *& illud in secretis*, Orate pro me, *aptissime convenit, ut & ipsius respondeatur salutationi*. Quæ totidem verbis ab Innocentio ex sacris canonibus citatam supra *f* exhibuimus. Canon nullam fert Missam solitariã. Nam & tres, quo numero synaxin concludit, collegium faciunt, & Christus fidelibus, etiam tam paucis, in nomine suo congregatis præsentiam suam promittere dignatus est. Sed ratio, quam decreto subjicit

b Burch. L. 3. c. 74.
c Ivo p. 2. c. 127.
d De consecr. d. 1. c. 61. Hoc quoque
e Microl. c. 2.
f Supr. c. 12.

subjicit à formulis illis salutandi, precandique pluralibus *ducta inprimis* est observāda; quæ *canonis* auctorem idem cum Parisiensibus & Namnetensibus Patribus de formularū sensu ac mente censuisse docet; nimirum iis formulis plures significari, non Angelos, quod Innocentius vaticinabatur, sed homines fideles; corpore non absentes, quod Petrus Damiani & Bellarminus delirant, sed vere ac reapse præsentes. Hoc argumento præter alia non pauca, sollicitor credere auctorem illius canonis, & aliorū, qui antiquissimorum urbis Romæ Episcoporum nomine apud decretorum collectores passim occurrunt, circa hæc potissimum tempora (id est sub initia noni seculi) vixisse; eoq; factū est, ut in hunc maxime locum & istud capitulū, & alia pauca ejusdem furfuris distulerim. Quæ enim iis continentur, apprime congruunt istis temporibus, atq; ad ea fere pertinent, quæ octavo seculo & noni initiis apud Latinos vitabantur; quorum de numero hanc fuisse de Missis solitariis causam Theodulphus, Synodique tres Namnetensis, Moguntina, & Parisiensis apertissime docent; & statim sequuta, quæ mox reddemus, auctorū, qui adulto hoc nono seculo floruerūt, testimonia. Huc accedit, quod Dionysius Exiguus, in eo opere, quo Romanorum Episcoporum constitutiones & responsa collegit, plane istorū decretorū, vel epistolarum Papalium mentionem nullam facit, quæ jam à septingentis & amplius annis Paparum Siricio vetustiorū nomine circūferuntur. Quid, quod ne Crisconius quidem, in suo Canonum breviario, inter aliquor recentiorum Paparū qua illic miscet decreta, ullum istorum, ut creditur, lōge antiquissimorū, uspiam memoravisse reperitur? nequid de Hadriani collectione dicā, in qua cum quædā occurrant, quæ non alio consilio inseruisse videtur, quam ut suæ Sedis dignitatem extolleret, nihil tamē ex illis priscorum Paparum nomina præferentibus epistolis attulit, quæ si veræ essent plurimum ad eam rem valerent; quo apertissime conficitur, neq; epistolas, neq; decreta toto illo tempore, quo Hadrianus sedit, id est ab a. D. 785 ad 795. Latinis nostris innotuisse, adeoque nec extitisse. Quis enim ista, si jam tum extitissent, Dionysium & Hadrianū latere potuisse crediderit? Epistolas autem urbis Episcoporū Siricio anteriorū paulo post Hadriani mortē, circa noni seculi initia emersisse, vulgariq; cœpisse ex Hincmaro *g* patet, qui Riculfum Moguntinum eas ex Hispania in Gallias attulisse dicit, & istas id est Galliæ *regiones ex illo* (epistolarum libro) repleri fecit. Decretorū eadem, quæ epistolarum ratio esse videtur. Ab eo tempore nosci, paulatimq, celebrari, citari, & auctoritatē nancisci ita cœperūt, ut totum pæne Gratiani decretū istis quisquiliis refertū fuisse cernamus, quas ille Burchardū & Ivonē secutus pro veris ac genuinis antiquissimorū Patrum epistolis venditare nō dubitat.

g Hincm. Opusc. 55. capit. 24 T. 2. Hincm. p. 476.

CAPUT XVII.

IX. Cōtra Missas solitarias argumētū, ex quodā Pseud-Anacleti decreto ductum. Bellarmini παρερμηνείας *in hoc decretū refellūtur.*

HUc quoq; pertinet ejusdē furfuris canō ex spuria Anacleti epistola à Burch. *h* & Grat. *i* relatus: *Peracta cōsecratione, omnes communicēt, qui nolue-*

h Burch. L. 3. c. 77.

i Grat. de c. Cōsecr. d. 2. 10. Peracta.

Caput XVII.

noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia. Decretum impostor, ut ipse docet, ex canonibus, qui dicuntur *Apostolici*, confinxit, ut oratio personæ, quam assumpserat congrueret, dignaque secundi seculi, Episcopo videretur. Ad hunc Pseud Anacleti canonem Bellarminus primo respondet, *k eum quidem jubere, ut fideles communicent in Missa; sed non prohibere Sacerdoti sacrificare Si populus non adsit, aut communicare nolit.* Ego vero fateor Canonem non jubere diserte, ut plures intersint sacro; id tamen ipsum necessariò (ut loquuntur) supponere, quo tempore canon conditus est, non fuisse eum Ecclesiæ morem, ut Missæ celebrarentur, quibus nemo præter ipsum Sacerdoté interesset. Nam si jam tum solenne erat apud Latinos Missas hujusmodi solitarias celebrari, quid absurdius, aut stultius dici potest, quá quod istius canonis auctor loquitur? *Peracta* (inquit) *consecratione omnes communicent.* Qui malum, omnes communicabunt, si in plærisque Missis unus solusque adest presbyter? Nullum fit Eucharistiæ ut vocant, sacrificium, nisi in eo *consecratio peragatur.* Atqui canon peracta consecratione omnes communicare jubet, & quidem lata in cómunionem negligentes pœna. Ergo ne ullum quidem fieri sacrificium canó concedit, nisi ubi sint communicaturi. Siquid jam tum Missæ solitariæ fuisset, dixisset haud dubiè impostor, Peracta communione, siqui adsint præter consecratoré, ij omnes omnino communicent. Qui vero sic, ut ille, loquitur, apertissime significat non solere peragi consecrationem, nisi in aliquot fideliú cœtu, sive multorum, sive etiam paucorú, de quibus vere dici possit, *Omnes qui adfuerunt, communicarunt.* Qui verò vel tres aliquid fecerint, id ij omnes fecisse dici possunt, licet plures, non fecerint, quam tres; atq; ita de tribus locutus est Plato initio Epinomidis, si bene memini. Atq; hinc efficitur, id liquido falsú esse, quod Bellarminus supponit licuisse eo seculo Sacerdoti sacrificare, si nemo præter eum adesset. Apparet enim tum id moris non fuisse, neq; adeo licuisse. Cur enim non fieret, si licitú esset? Quod ergo nó fiebat, ut Sacerdos scilicet, solus sacrificaret; id prohiberi nihil necesse erat. Eo factum, ut quod à quibusdá fiebat, qui cum sacro adessent, communicare tamen ipsi nollent, id unum disertè prohibuerit Canon, *Omnes* (inquit) *communicent.* Qui noluerint, ij Ecclesiasticis careant liminibus. Quod Bellarmini secúdo respondet *canone Antiocheno secundo,* non alios damnari, quam eos, qui ob aliquam superstitioné, aut pravam opinionem aversantur *sacram communioné*, id inquam, & supra *m* confutatú est, & ad Pseud-Anacletum nihil pertinet, qui omnes non communicátes damnat simpliciter & absolutè; *Omnes* (inquit) *communicent; Qui noluerit, Ecclesiasticis careto liminibus*; eamq; ipsam esse pseud-Apostolici canonis, unde hic sumptus est, métem supra demonstravimus. Tertio respondet Bellarminus, *hoc decretum solos obligare Clericos Episcopo in diebus solennibus sacrificanti solenniter ministrantes. Quocirca* (inquit) *si die aliquod non solenni, aut sine aliorú Clericorú solenni ministerio quis sacrificet, non cogitur ex hoc decreto communionem dare.* Sed Bellarminus, dum sic agit, sua nobis narrat somnia.

k Bell. L. 2. de Miss. c 10. §. Resp. primum.

l Plato in Epinon.

m Supr. c. 1.

somnia. Fingit enim primo apud veteres, ut nunc apud Latinos, Eucharistiam aliquã celebrari solitã die non solenni apud eam Ecclesiam, in qua celebrabatur, quod probare debuit, non sumere. Sed & illud secundo supponit, quod multo etiam magis est ab omni veri specie alienũ fuisse scilicet apud veteres hunc morem, ut in quibusdam Synaxibus solenne quidem esset Clericorũ ministeriũ; in aliis vero nullus esset eorũ usus; cujus diversitatis nullũ in veterũ Liturgiis cernitur vestigiũ. In omnibus, quotquot exstant, occurrunt præter plebẽ, Clerici, & quidẽ plures. Tertio Bellarminus aliud quoq; fingit: Pseud Anacleti decretũ scilicet de solis Clericis, non etiã de Laïcis præcipere. Atqui de omnib. omnino fidelibus intelligendã esse hanc legem suadent primo canones illi Pseud-Apostolici, unde se hanc legẽ auctor hausisse fatetur. Canones enim illi diserte distincteq; Clericos primo, tum & Laïcos communicare jubent; omnes adeo, qui sacris intersunt: ut supra *n* suo loco docuimus: quod vel utriusq; Canonis tituli indicant: prioris quidẽ hic, *Quod ministri altaris oblatione celebrata cõmunicare debeãt:* posterioris vero hic: *Quod fideles laïci ingrediẽtes Ecclesiam cõmunicare debeant.* Cũ ergo ex hoc fonte sua se Pseud-Anacletus derivasse profiteatur, apparet hãc ejus quoq; esse sentẽtiã, ut omnes fideles tam Clerici, quam Laïci ordinis quibuscumque intersunt sacris, communicent. Sed Bellarminianam glossam falsam, ac vel de Laïcis maxime intelligendũ esse Pseud- Anacleti canonem clarissime, ut mihi videtur, arguit ipsa legis violatoribus constituta pœna. Quod enim hic eos decernit *Ecclesiasticis carere liminibus,* qui in legem hic à se latam peccaverit, id ad solos Laïcos primo directeque pertinet. Clericos qui peccaverant, ab officio primum amoveri mos erat: postremo si per hos pœnarum gradus minimè resipiscerent, tum demum ex Ecclesia ejici. Tertio ipsa legis verba tam latè patent, ut nullum nisi universalem sensum admittant: *OMNES* (inquit) *communicent,* peracta scilicet consecratione. Neminem ex iis, qui in Ecclesia remaneat peracta consecratione, absque communione abire patitur. Quibus ut videtur, rationibus, vel sola fortasse rei ipsius luce, victus Ioannes de Ragusio hoc PseudAnacleti decretum accipit *o* de Laïcorum communione. Neque obstat, quod PseudAnacletus de Episcopali Missa loquitur, quam fieri vult apparatu majori, quam presbyteralem. Quo enim dignior, ac ut sic dicam, celebrior erat Episcopi Missa, hoc ipso majorem, quam alias ei interfuisse Laïcorum numerum decuit. Itaque non est mirandum, quod de utrisque, Clericis, inquam & Laïcis, communem hic legem tulit, quos omnes, nullo ordinis discrimine, peracta consecratione communicare jubet: juxta canones Apostolicos: ad quos se noster respexisse profitetur: Ex quibus tandem patet futilem esse hãc omnem Bellarmini de hoc decreto disputationem: cujus ille legem ad quosdam tantum pro sua libidine restringit, quam verba ipsa, quibus constat, omnibus latam fuisse clamant. Quãquam rem Latinam Bellarmini glossa parum postremo juvat. Finge enim legem nõ de aliis, quam Clericis esse intelligendam. Quid hoc Latinis proderit,

CAPUT XVII.

n Supr. c. 1.

o I. de Rag. Or. at. de comm. sub utr. in Concil. Basil. T. 8. Conc. p. 313. A.

apud quos innumerae quotidie fiunt Missæ, in quibus præter celebrantem, nemo homo neque Laïcus neque Clericus, communicat? Postremo Bellarminus cum hæc præter verum ex uno caussæ studio, ita disputasset, tandem videtur manus dare, decreta ista, utpote *humani, non divini juris, si ad populum pertinebant, progressu temporis abrogata esse.* Nos ad populum pertinuisse probavimus; Abrogata fuisse apud Latinos certè, & res clamat, & nos videmus. Tempore Ambrosij & Chrysostomi jam cœpisse abrogari (quod Bellarminus videtur velle) id satis supra confutavimus. Et hic ipse Anacleti canon, quo tempore conditus est (octavo seculo ut videtur, extremo) nondum plane abrogata fuisse demonstrat; quod & ex allatis nuper Synodorum decretis satis patet. Denique Eucharistiam sine ulla distributione fieri non modo quod fatetur Bellarminus, nullius est divini juris; sed id præterea cum divino jure apertissime pugnat; cum Dominica puta institutione & cũ traditione & praxi Apostolica. Sed hæc nunc quidem minime urgemus; qui quærimus, non quid juris, sed quid moris olim apud Christianos fuerit.

CAPUT XVIII.

Missæ solitariæ seculo nono invaluisse videntur. Valafridi locus, in quo iis favet; sic tamen, ut neget esse legitimas. Monachos, & acephalos Presbyteros in Magnatum palatiis hanc labem Ecclesiasticæ disciplinæ obtulisse.

ATque hactenus quidem, id est ad annum usque D.829. quo habita est Parisiensis Synodus, irrepentem solitariæ Missæ usum patres coercere ac comprimere adhibitis canonum suorum veluti frœnis studuerunt. Exinde videtur acrius invaluisse; ut jam saniora consilia passim Solitarij consecratores respuerent. Mox vincente eorum multitudine, quod malum tolli posse desperabant primo ferre, paulo post quæsitis coloribus purgare; postremo etiam aperte defendere cœperunt. Valafridum certe Strabonem, optimum alioqui noni seculi scriptorem (quem Hepidanus tradit *p* a.D.849 è vivis excessisse) videmus tamen huic corruptelæ favere; dum præfatus per totam Missam *pro eis quam maxime, & quasi nominatim orari, qui ibi offerunt atque communicant,* statim hæc subjicit; *q Possumus autem & debemus* (inquit) *ut eadem sancta Missarum celebratio, non paucis, sed multis prodesse credatur, dicere cæteros in fide & devotione offerentium & communicantium persistentes, ejusdem oblationis & communionis dici & esse participes.* Paucis verbis & veterem Ecclesiæ fidem delet, non alios sacramenti *participes esse* sentientis, ac dicentis, quam qui panem & vinum sacrum sumpsissent, & flagitiosæ Sacrorum solitariorum consuetudini præsidia, tametsi imprudens subministrat. Ex his enim, quæ iste dicit, Sacramenti participationem, etiam ad absentes, modo ejusdem cum offerentibus & communicantibus fidei consortes extendens, exortę sunt illæ

p Hepidan. in Hann. ad an. 849.

q Valafr. de reb. Eccl. c. 22. T. 10. Bibl. Patr. p. 685. C. D.

illæ Petri Damiani & Odonis, & Innocentij, & Bellarmini ludicræ meteorologiæ, quas supra memoravimus. Sed quantumvis Strabo de his ita disputans à regia majorum via deflexerit, ea tamen his addit, quæ hodiernam disciplinam liquido subvertunt. *Quamvis autem* (inquit) *cum soli Sacerdotes Missas celebrant, intelligi possit illos ejusdem actioni esse cooperatores pro quibus tunc ipsa celebrantur officia, & quorum personam in quibusdam responsionibus Sacerdos exsequitur; tamen fatendum est illam esse LEGITIMAM MISSAM, cui intersunt Sacerdos, offerens, atque communicans; sicut ipsa compositio precum evidenti ratione demonstrat.* Hæc ille; quæ videntur inter se pugnare ea simul semelque ex vno ore profundens. Nam si (quod concedit) Sacerdotis, licet solius, cooperatores tamen intelligi possint, ij pro quibus tunc ipsa celebrantur officia, tametsi absentes (si enim adessent, Sacerdos non esset solus) profecto & illud sacrum, tametsi à solo celebretur, *cooperatores* tamen habebit, adeoque legitimum hactenus quidem erit. Tum si Sacerdos eorum, qui absunt, *personam in quibusdam responsionibus*, rectè (quod ait noster) riteque exsequi dici potest; quid ni etiam in ipsa communione eorumdem personam exsequetur? Quod vtrumque, si verum est, apparet nihil ad hoc, vt legitima sit Missa, necesse esse quemquam ei præter Sacerdotem interesse. Nimirum ex iis, quæ sunt à Strabone concessa, Sacerdos licet solus, in ea tamen habebit & cooperatores, & offerentes, & communicantes, eos scilicet quorum ipse personam sustinet, atque exsequitur: quosque cooperatores, & offerentes & communicantes dicere ideo licet, quod pro iis Sacerdos operetur, offerat, atque communicet. Sed his tamen ita positis ac vt videtur, concessis, id tamen concludit Strabo, quod recta fronte cum illis pugnat; dum fatetur non aliam esse *legitimam* Missam, nisi cui intersunt *Sacerdos, offerens, atque communicans*; idque ait *ipsam compositionem precum evidenti ratione demonstrare*; quod vere quidem diceret, si vna cum Synodi Parisiensis Patribus, & aliis vetustioribus poneret illos, qui in precibus *circumadstare, orare, communicare* dicuntur, re vera ac vt loquuntur, *personaliter* adesse ipsos, loqui, panem & vinum sacrum sumere. Atqui ille aliud hoc ipso in loco dicere videtur; quod si vere dicit, in manifestam contradictionem incidit, ea loquens, quæ inter se adeo non cohærent, vt etiam pugnent. Quamquam fortasse Strabonem ab hoc ἐναντιοφανεῖ quis liberaverit, si iis verbis, quæ prima adduximus significare eum voluisse dixerit Sacerdotes in synaxi *solos*, non quidem *esse*, sed tamen *celebrare*. Quod si ne hoc quidē ad hunc locum explicandum satis est, tum eo concedam, vt confitear virum doctum ac perspicacem in his peccasse quidem; sed ex quodam ignoscendo animi studio peccasse, dum veterum canones cum præsenti plærorumque sui ævi Sacerdotum praxi conciliare cupit. Videbat nimirum non sinere Canones, vt Missa, quæ sit ἀκοινώνητος, eadem legitima sit. Hoc ergo cum fateri veterum reverentia coegit. Videbat idem plærosque ævi sui Sacerdotes, præsertim vero

Capvt XVIII. Monachos & Eremitas suos planè aliter instituere, Missasque facere in quibus soli communicarent. Ergo vt hos quoque placaret, illud si fortè commentus est; quod diximus, Sacerdotis scilicet missificantis cooperatores esse, etiam qui absunt, si pro iis ipse operetur, eorumque personam sustineat, atque exsequatur. Omnes vident hoc, quod Strabo istis concedit, cum eo quod ex veterum canonibus statuit, pugnare. Vtrumque tamen pacis studio posuit. Ita eos nunc quoque sæpè peccare videmus, qui nostrorum cum Latinis conciliationem expetunt atque meditantur: quales parentum memoria fuerunt Cassander & Balduinus, nostra vero Milleterius, Grotius, & Nigrinus. Hi enim, quæ apud veteres, quos se præcipuo quodam studio venerari gloriantur, cum Latinorum doctrina ac ritibus non obscurè pugnare videntur, ea ita admittunt atque osculantur, ut sua tamen Latinis salva, atque integra pænè omnia dimittant.

Non est dubitandum, quin & supremis noni hujus seculi temporibus, totoque decimo insequenti per crassas illas ignorantiæ tenebras, quæ orbi nostro tum incubabant, senescente veteris disciplinæ reverentia, solitariatum Missarum apud Latinos vsus planè confirmatus fuerit: idque ex iis clarè perspicitur, quæ nos ex Petro Damiani supra attulimus. Inde enim discimus vndecimi seculi, quo Petrus vixit, homines de Missæ solitariæ ratione dubitasse: preces & formulas plurium numero conceptas, quæ in veteribus Liturgiis habentur, in hac solitaria resecandas aliis affirmantibus, aliis negantibus: de re ipsa, id est de Missis solitariis neminem dubitasse comperimus: vtrosque summo consensu earum vsum comprobasse: quasi putarent eas apud veteres quoque solennes semper fuisse.

Ad hunc autem, tam ab Eucharistiæ & prima institutione, & antiqua celebratione alienum morem multum contulisse videntur primo Eremitæ ac Monachi: à quibus hanc invidiam Espensæus amoliri frustra satagit. r Clariora sunt veterum in eam rem testimonia, quam vt nobis vllum dubitandi locum relinquant. Quid enim aliud Patres Namnetenses iis verbis, quæ supra exhibuimus, significabant, s *Quapropter* (inquiunt) *illa ridiculosa superstitio, maximè à Monasteriis Monachorum exterminanda est*? Cur solitariæ Missæ consuetudinem, quam *ridiculosam superstitionem* vocant, *MAXIME è Monachorum Monasteriis exterminandam* decernunt, nisi quod eam apud hos maximè vsurpari, & invalescere videbant? Quo etiam spectant ea quæ sequuntur, *Provideant Prælati vt Presbyteri in cœnobiis, & in aliis Ecclesiis cooperatores habeant in celebratione Missarum. Cœnobia* ante alias Ecclesias nominant; quæ nimirum hanc labem præcipuè invaluisse intelligebant. Itaque ex his Odo Cameracensis rectè omnino illa, quæ supra quoque recitavimus, scripsisse videtur; t *Cum primitus* (inquit) *Missæ sine collecta non fierent, postea mos inolevit Ecclesiæ solitarias, & maximè in cœnobiis fieri; vbi cum non habeant quam pluraliter collectam salutent, nec plurales*

r Espens. de Miss publ. & priv. fol. 227. init.

s Conc. Namnet. à 30.

t Odo Cam. in Can. Miss. T. 6. Bibl. P. p. 357. C.

rales mutare possint salutationes, convertunt se ad Ecclesiam. Eodem pertinet, quod Petrum Damiani supra quoque audivimus non aliorum, quam suorum Eremitarum ea de re dubitationes memorantem: *u* à quibus scilicet potissimum profectum esse hunc vsum sciebat: Iam neque hoc quisquam nescit, quanta de isto genere, à quo in Christianismo exortum est, fuerit apud omnes nostros opinio, atque admiratio, illa sanctitatis ex abstinentia & duritie cultusque ac habitus peregrinitate, imagine, quam præ se ferunt, quæsita. Decimo quidem & vndecimo seculis Monachos tanto in precio apud Latinos fuisse, ut vbique regnare viderentur, testantur quæ supersunt omnia illorum temporum monumenta: quibus bonarum omnium artium, ac veræ præsertim pietatis ignari homines Christianismum nusquam alibi præclarius vigere, ac florere existimabant, quam in istorum maleferiatorum cucullatorum cellulis ac syssitiis. Quæ vulgi ac pænè cæterorum omnium persuasio dubitandum non est, quin quas ab istis probari ac factitari cernebant Missas solitarias, commendarit, plurimumque ad hoc valuerit, vt eæ in publicum Ecclesiæ vsum facilè admitterentur.

CAPUT XVIII.

u Petr.Dam. opus c.11. vid.supr.c.

Sed præter Monachos à publicis, totiusque plebis communibus synaxibus segreges, sua sibi sacra seorsum in suis Monasteriis celebrantes, par magnatum sua sibi oratoria, & altaria in privatis ædibus ac palatiis habentium, ibique religioni procul à solenni Ecclesiæ conventu operantium, quæ seculo octavo & sequentibus ferè erupit, consuetudo, solitarias Missas non parum auxit, ac confirmavit. De sacellorum ac oratoriorum per illa tempora multitudine opportunior erit dicendi locus, vbi de locis sacris disputabitur. Hic satis est observare, cum ista, quod nemo negaverit, ita se haberent, Ecclesiarum quidem, singularum corpora imminuta esse, ac in plures partes lacerata, Monachorum quidem hinc cellis ac cœnobiis, inde verò potentiorum familiis non paucos sibi ex singularum plebium numero decerpentibus; vt mirum non sit, & ipsarum Ecclesiarum minus quam antea copiosos conventus, & eas synaxes quæ vel in Monachorum cœnobiis, vel in Magnatum palatiis fiebant, jejunas ac paucorum hominum fuisse. Vnde necessariò accidebat, vt in singulis illis conventiculis minor esset communicantium numerus, quam esse solebat, cum vna esset omnium publica & communis collecta, vtque ex communicantium paucitate, ad vnius plærumque Sacerdotis communionem deveniretur.

Ad hoc malum aliud accessit, presbyterorum immanis ex immenso illo sacellorum numero ebulliens multitudo. His enim ædiculis sui singulis Sacerdotes addicebantur, qui in Magnatum familiam transibant, ibique procul à communi totius Ecclesiæ luce multa perperam, quædam etiam nequiter ac flagitiosè factitabant; præsertim cum plærique essent vel rerum divinarum imperiti, vel vitæ parum probatæ. Ag.bardus vir noni seculi celeberrimus, Lugdunensis Ecclesiæ Antistes, horum Presbyterorum quanta esset ævo suo multitudo, fœditas

atque

Caput XVIII.

atque ἀταξία indignabundus luculentissimè demonstrat; x *Quandoquidem (inquit) increbruit consuetudo impia, vt panè nullus inveniatur anhelans, & quantulumcumque proficiens ad honores & gloriam temporalem, qui non domesticum habeat Sacerdotem, non cui obediat, sed à quo incessanter exigat licitam simul atque illicitam obedientiam, non solum in divinis officiis, verum etiam in humanis; ita vt plerique inveniantur, qui aut ad mensas ministrent, aut sacrata vina misceant, aut canes ducant, aut caballos, quibus fœminæ sedent, regant, aut agellos provideant. Et quia tales, de quibus hoc dicimus, bonos Sacerdotes in domibus suis habere non possunt (nam quis esset bonus Clericus, qui cum talibus hominibus dehonestari nomen & vitam ferret?) non curant omnino, quales Clerici illi sint, quanta ignorantia caci, quantis criminibus involuti; Tantum vt habeant Presbyteros proprios, quorum occasione deserant Ecclesias seniores, & officia publica. Quod autem non habeant eos propter religionis honorem, apparet ex hoc, quod non habent eos in honore. Vnde & contumeliose eos nominantes, quando volunt illos ordinari Presbyteros, rogant nos, aut jubent, dicentes; Habeo vnum Clericionem, quem mihi nutrivi de servis meis propriis, aut beneficialibus, sive pagensibus; aut obtinui ab illo, vel illo homine, sive de illo, vel illo pago. Volo, vt ordines eum mihi Presbyterum. Cumque factum fuerit, putant ex hoc, quod majoris ordinis Sacerdotes non eis sint necessarij, & derelinquunt frequenter publica officia & prædicamenta.* Hæc Agobardus; quibus eorum, quæ hodie apud Latinos fieri, & quidem etiam fœdius atque impudentius videmus, expressam imaginem depinxit. Stephanus Balugius, vir Doctissimus, ad hunc Agobardi locum multa de *acephalis* illis presbyteris, ex veteri illius temporis memoria pro sua eruditione, selecta observavit, scitu digna, quæ adeat, qui horum malorum originem, incrementa, & progressum accuratius cognoscere cupit. Ita invecta in communes Ecclesiæ conventus primo infrequentia, inde solitudo. In istis vero domesticarum ædicularum vt sic dicam, vmbraculis, præsertim sub hujusmodi rectoribus, omnia præter veteris Ecclesiæ ordinem, ac disciplinam, facta esse quis dubitet? Hæ Christianismi labes; hæc Laïcorum ac Clericorum flagitia Missas apud Latinos solitarias si non pepererunt, confirmarunt certè ac longè lateque propagarunt; gliscenteque in dies hominum, & Laïcorum ambitione, & Clericorum superbia atque avaritia & inverecundia, res postremo eo devenit, vt nunc Missæ illæ solitariæ omnem planè Latinorum religionem (vt sic dicam) inundarint; sic, vt pietatis pars habeatur suo singulos sacro ac Sacerdote seorsum vti, ac frui.

x Agob. de Sacerdot. privil. & jur. c. 11. T. 1 p. 134. edit. Bal.

y Balug Not. ad loc. Agob. T. 2. p. 61.

CAPVT

CAPUT XIX.

CAP. XIX.

Solitariarum inde Missarum amor, atque usus ita crevit, ut proximo retro seculo infrequentissima fuerit apud Latinos communio. Iesuitas gloriari eam à se, etiam Romæ restitutam. Quam mutila, quamque imperfecta fuerit Iesuitica illa reformatio.

DEnique Missarum solitariarum amor omnium Latinorum animos ita ceperat, tantumque communionis fastidium ac contemptum induxerat, ut superiore seculo vix aliis quam tribus totius anni diebus haberentur publicæ synaxes, id est hujusmodi in quibus vel unus aliquis præter Sacerdotem fidelis communicaret. Ita frequens communicandi usus, apud veteres celeberrimus apud hos exoleverat, etiam Romæ, sub ipsius Papæ oculis. Narrat Maffeius, & emendatam ab Ignatio Loyola, & suis hanc flagitiosam desuetudinem, atque negligentiam gloriatur; z *Assecuti sunt* (inquit) *ut sacræ confeßionis, & Eucharistiæ frequens usus* (*quo nihil est humano generi salutarius*) *Diaboli fraude jampridem exstinctus, magno utique Reipublicæ Christianæ commodo in principe magistraque orbis terrarum Ecclesia revivisceret.* Idem ferè Orlandinus de Stradæ Ignatiani hominis apud Montem Politianum prædicationibus ad sui sodalitij gloriam prædicat; a *Tum primum* (inquit) *frequentandæ Confeßionis, & sacrosanctæ Eucharistiæ mos post tot secula renovatus.* Idem quoque Socios Parmæ perfecisse significat, quod paulò post narrat; b *Nec defuere* (inquit) *qui pro concione tam crebram mysteriorum usurpationem vitio verterint; quod ea res potius contemptum quendam sacramentorum, quam pietatis incrementum habere videretur. Haud tamen languidiora facta sunt hominum studia, segniorve mysteriorum usus.* Alibi Iesuïtas Valentiæ apud Hispanos eadem molientes scribit c parum secundis vulgi auribus primum auditos, rem tandem perfecisse; *Cum* (inquit) *in præcipuis fructibus crebram confeßionem, crebramque Eucharistiam societas numeraret; Satanas, cui ea plerumque res plagas luculentas imponit, tam crebrum utriusque rei usum in magnam dubitationem ac suspicionem apud vulgus induxit, pugnantibus pro utraque parte tota civitate sententiis præstaret ne crebrius an rarius sacrosancta illa tractare mysteria, & de suggestibus orta lis erat; dum alij aliud pro concione probare, aut improbrare contendunt.* Sed Iesuïtis adfuisse Thomam Archiepiscopum, *qui* (inquit) *in dicta in diem Dominicam concione ipsemet de superiore loco duas ad horas ea de re verba fecit. Et antequam perorarct frequentem synaxin adeo populo commendavit, quod ex tota disputatione jam effici videbatur; ut potestatem cuique faceret octavo minimum quoque die sacra illa usurpandi mysteria.* Bononiæ in Societatis institutum scribit idem insurrexisse duos Eremitas; d

z Maffel. vita Ignat. L.2.c.7.

a Orland. l.2. §.72.

b Id. ib. §.75.

c Id. ibid. L. 8. §.61.

d Id ibid. L.14 §.28.29

C. P. XIX. *Revocaverat* (inquit) *illa* (Societas) *Bononiam magno animarum compendio priscum in sæpe usurpandis divinis mysteriis Ecclesiæ morem, cum ex adverso surrexit Eremitarum par, qui diuturnæ solitudinis latebris singularis sanctimoniæ fama collecta apud frequentissimam multitudinem, quæ ad eos undique convolabat, morem illum vitio verterent, inque crimen vocarent.* Sed illud gladiatorum par Iesuitæ consuetis artibus facile dejecerunt. Cum enim Ignatius Roma scripsisset. *Eremitarum doctrinam è Spiritu ortam non bono videri, quæ tam acriter oppugnaret animorum singulare præsidium*; cumque Episcopus ab Eremitarum errore in Iesuïtarum sententiam transiisset, *quæ* (inquit) *summa cum animorum incolumitate Sacramentorum crebritas cœperat, ejus* (Episcopi) *auctoritate ad hoc usque tempus continuata permansit.* Pares quoque Cæsaraugustæ ea de re coortas turbas enarrans de Iesuïtarum æmulis

e Ibid. L. 16. §. 46. hæc scribit; *Erant* (inquit) *qui palam è suggestu frequentem divinorum mysteriorum usum incesserent, eiusque commendatores in erroris suspicionem vocarent.* Mitigatos mox refert hominum animos Madridii cujusdam

* A.D. 1556. opere, *Libellus* (inquit) *de frequenti usu Eucharistiæ à P. Christophoro Madridio Romæ concinnatus, editusque hoc anno* * *Neapoli, & Cæsaraugustæ vulgatus per opportunus fuit; quippe planum factum est ea de re quid viri sanctissimi, doctissimique sentirent.* Ex his videre est, quanto in pretio apud Latinos essent Missæ solitariæ; quamque non modo non necessaria, sed etiam propemodum damnosa haberetur frequens Laïcorum communio; ut ei labanti nisi cœlitus missus Loyola subvenisset, eo res tandem ventura fuisse videri possit, ut Laïci vel communicare plane penitusque prohiberentur; vel fortasse non sæpius iis, quam post biennium ad sacram mensam accedere concederetur, pro veteri sanctissimorum

f Supr. c. 7. Eremitarum more, quem ex Chrysostomo supra *f* memoravimus. Laïcis certe communionem frequentem non fuisse ante actis temporibus usquequaque liberam, id innuit, quod Orlandinus narrat *Thomam Valentianum Archiepiscopum potestatem fecisse cuique de populo minimum octavo quoque die Sacra illa usurpandi mysteria.* Quæ enim per publicas Ecclesiæ leges licent, eorum à Præpositis potestatem fieri nihil necesse est.

g Cass. Consult. tit. de Miss. Solit. p. 996 ex h Henr. de Gorgh tr. de eff. Miss. Propos. 23. Quin & Cassander refert *g* ex Henrico quodam de Gorghen, *h* Theologo, quod ille ait, seculi decimi quinti *non indocto*, nonnullos fuisse ea tempestate *Pastores, qui ægre ferrent, quod nonnulli ex sua Parochia subiectis singulis Dominicis diebus Sacramentorum communionem peterent, etiamsi laudabiliter viverent*; Ipsum verò Gorghen istos reprehendere, ac negare *Pastorem indignari debere, si qui è vulgo sint, qui singulis Dominicis, aut etiam aliis diebus ad communionem sacrosanctam accedere cupiant.* Vt ille scriptor hac quidem in parte eadem diu ante Iesuitas de communione senserit, quorum illi se primos auctores fuisse nunc jactitant.

Quanquam illi quidem sibi falso plaudere videantur, quod vetus frequentandæ Eucharistiæ mos suis renovatus revixerit. Mos ab istis inductus, à veteri toto quod aiunt, cœlo distat. Neque

enim

enim veteres vel à fidelibus, quod nunc isti faciunt, clanculariam confessionem exigebant, antequam eos ad communionem admitterent; vel Pœnitentibus Dominicum Sacramentum ante peractam satisfactionem, Iesuitico more, concedebant; neque dimidiata mysteria communicantibus tradebant; poculo cæteros præter celebrantem fraudantes, neque quem tradebant panem sumentes de geniculis latria adorare cogebant: ut alia non pauca mittam, quæ nunc apud Loyolæ discipulos fiunt, veteribus ignota atque inaudita. Qui ergo Iesuitas hanc ex veteri usu, sed interpolatam ac tot modis deformatam communionis frequentiam inducentes ferre vix potuerunt Latini, turbantes & obstrepentes, sicuti ea res ad Sacramentorum contemptum spectaret: quid quæso facturi erant, si beatissimo illi Loyolæ libuisset veterem omnem disciplinam bona fide in usum revocare, Missas solitarias abrogare non alias probare, quam eas, in quibus non una, sed ambæ Sacramenti partes prisco ritu traderentur fidelibus, & quidem statim, quoties accederent, etiam absque prævia in Sacerdotis aurem confessione: pœnitentibus vero nullis nisi præstita & impleta satisfactione? Loyolam profecto suæ, quantumvis eximiæ artes defecissent, si hæc ita tractasset, cumque vix credo, furore ac fulminibus erepturę fuissent. Hoc quidem pro certo adfirmare ausim, non fuisse istum si sic egisset, in cœlum illud Papale unquam enisurum, in quo nunc inter Latinos primi ordinis Divos gloriosus fulget, ac longe lateque, qua sacrum Romæ imperium patet, omnium precibus *ac votis religiosissime colitur.*

CAPUT XX.

X. contra solitarias Missas Argumentum inde petitum, quod apud cæteras omnes Christiani nominis gentes, Græcos, Russos, Armenios, Syros, Ægyptios, Æthiopas, ignotus sit iste usus, qui apud unos ex toto Christianismo Latinos irrepsit & invaluit. Tanti discriminis rationes aperiuntur.

VEteres autem de his longè aliter, quam Latinos sensisse præter cætera, quæ hactenus disputavimus, illud etiam postremo valide, ut mihi quidem videtur, confirmat, quod præter istos nulli sint Christiani nominis populi, quantumvis acres antiquarum traditionum zelotæ quibus solitariæ illæ Missæ in usu sint. Adi Græcos, longè antiquissimam ac nobilissimam Christianismi portionem: Totum eorum Euchologium evolve: Ritus, sacra, mysteria gentis ad superstitionem religiosæ: nulla reperies Missæ solitariæ vestigia. Nulla apud eos fit Missa, nisi vel ex Chrysostomi, vel ex Basilii instituto. Quam autem supra exhibuimus utriusque Liturgiam, ea ut observavimus, suos ha-

Cap. XX.

i Genebrar. Admon. in Liturg. Præsanct. T. 2. Bibl. Patr. Gr. l. p. 102.

x Metroph. Confess. Fid. c. 23. p. 157.

* quando. † regnabant.

bet & quidem non paucos præter celebrantem communicantes. Genebrardus in admonitione ad lectorem de interpretatione Liturgiæ præsanctificatorum sua, de hodiernis Græcorum ritibus *i* verba faciens; *Hodie* (inquit) *propter tyrannidem Turcarum, opinor unam duntaxat Missam in singulis Ecclesiis dicunt, vixque aliis, quam Dominicis & festis diebus.* Huic ergo si credimus, nullas Græci dicunt Missas solitarias. Neque enim solitariam quisquam esse illam dixerit, quam iste *unam* eos habere testatur, quæque vix aliis diebus dicitur, quam Dominicis & festis. Hoc enim Missarum, quæ festis diebus fiunt genus, aliud esse à solitariarum censu omnes sciunt ac fatentur. Quod vero suspicatur Genebrardus Græcos Missis solitariis propter Turcorum tyrannidem abstinere, temere, ne dicam stultè, facit. Quis enim nescit Turcos Græcis exercitium avitæ religionis liberum reliquisse, & siquam cultus divini partem exciperet, qui omnibus concedit, ut simul cum libet, communicent, absurde prohibituros fuisse, ne Sacerdotes aliquando soli communicent? De Turcis certe longe alia narrat *x* Metrophanes Critopulus, ea in fidei gentis suæ in exegesi, quam in media Germania à Turcis pro eo tempore liber conscripsit. Postquam enim grave suorum sub Turcorum Sultane in temporalibus jugum exposuit; *Miretur vero quis* (inquit) illam Dei erga nos valde sapientem providentiam *& summam benignitatem; qui fiat scilicet, ut Antichristus, cum tot ac tanta mala Ecclesiæ quotidie inferat, religionem non impediat, idque cum ipse se persecutorem & hostem Christianæ fidei profiteatur verum permittat illam, quo ad cultum divinum, administrare NON MINUS QUAM SI * CHRISTIANI REGNARENT. † Nam & quatuor Patriarchæ libere utuntur legibus suis Ecclesiasticis, & Archiepiscopi, nec non Episcopi, nemine prohibente ea quæ ipsis incumbunt peragunt: similiter & PRESBYTERI ea quæ ab ipsis exiguntur præstant.* Θαυμάσει δ' ἄν τις τὴν τοῦ Θεοῦ περὶ ἡμᾶς ἐπίφρονα πρόνοιαν, καὶ ἄκραν φιλανθρωπίαν, πῶς ὁ ἀντίχριστος τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα κακὰ τῇ ἐκκλησίᾳ καθ' ἑκάστην ἐπάγων, τὴν θρησκείαν οὐ κωλύει. καὶ ταῦτα διώκτην καὶ πολέμιον αὐτὸς ἑαυτὸν ἐπιγράφων τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως. ἀλλ' ἐᾷ ταύτην πολιτεύεσθαι περὶ τὴν θρησκείαν κατ' οὐδὲν ἔλαττον ἢ ὅτε χριστιανοὶ ἐβασίλευον. οἵ τε γὰρ τέσσαρες πατριάρχαι ἐν ἐλευθερίᾳ χρῶνται τοῖς αὐτοῖς προσήκουσιν ἐκκλησιαστικοῖς νόμοις. οἵ τε ἀρχιεπίσκοποι καὶ ἐπίσκοποι ἀκωλύτως πράττουσι τὰ ἑαυτοῖς καθήκοντα. καὶ οἱ πρεσβύτεροι ὁμοίως τὰ παρ' αὐτῶν ἀπαιτούμενα. Hæc ille; quæ inanem Genebrardi suspicionem & calumniam funditus refellunt. Præterea huc accedit, quod qui Turci Latinorum Sacerdotum in sua ditione degentium vel commorantium neminem vetant solitarias Missas agere, nulla profecto ratio est, cur eos suspicemur non idem jus Græcis concessuros fuisse, si hi quidem eo uti vellent. Sed discriminis inter Latinos ac Græcos siti ratio clara certaque est. Turcus quidem utrisque suorum Sacrorum, ac rituum libertatem concedit, ut per ipsum non stet, quin vel illi solitariis, si libeat, abstineant vel eas hi, si placeat, usurpent.

Quod I

Quod ergo in illis partibus solitarias Missas & Latini faciant, & Graeci nullas faciant, nulla Turcorum tyrannis, quod Genebrardus somniavit, causa est. Et his, & illis, quod ita instituant, una ratio est, suae utrimque Ecclesiae mos à majoribus traditus. Neque Graecos ante Turcorum jugum aliter se hac in parte religionis gessisse quam nunc, ex ante actorum seculorum monumentis probari potest. Nullam Graecorum olim sub Imperatoribus Christianis Synaxin fuisse solitariam, illorum temporum Liturgiae, quas nos supra excussimus, clamant, & ad eas Germani, Cabasilae, & aliorum theoriae, quae non magis, quam Liturgię ipsae, ullam nobis indicant synaxin solitariam. Quod vero alius nonnemo ad hanc nostrorum de Gręcis objectionem negat eorum se usu commoveri, qui schismatici sunt; id speciem aliquam fortasse haberet, si Graecos ante exortum schisma solitarias usurpasse; post schisma, usurpare desiisse doceremur. Nunc cum eas minime appareat magis ante, quam post schisma, in usu apud Graecos fuisse; scissionis vero alterius ab altera gente factae causas longe alias fuisse constet; ridiculi sunt, qui schisma Orientalium ad hanc causam adferunt. Ruthenorum sive Moscovitarum eandem esse cum Graecis, in quorum communione vivunt, praxin, eundemque usum constat. Neque ulla ratio est, cur non idem quoque de Syris & Armeniis judicemus.

Cap. XX.

Æthiopum verò Ecclesiam nullas facere synaxes, in quibus non sint aliqui praeter unum celebrantem, communicantes; Franciscus Alvarez, oculatus testis, apertissimè docet, quo loco Æthiopas narrat, *l* cum iis inspectantibus, singulaque curiose observantibus, Missam ipse Latino ritu celebrasset, caetera quidem laudasse; hoc denotasse, quod Sacerdos Missam unus diceret, neque communionem omnibus adstantibus daret. Alibi idem hoc ipsum de Æthiopibus refert, *m* hoc insuper addens, *neminem apud eos hoc sacrum facere, nisi cui tres alii, vel quinque, vel etiam septem adsint*; velut ii, quos Patres olim Namnetenses *cooperatores* supra dicebant. His congruunt, quae apud Godignum de Abassinis refert Antonius *n* Fernandius, *Quinque* (inquit) *minimum ministri adesse solent litanti* (Sacerdoti scilicet) quaeque ibidem Ioannes de Sanctis Dominicanus; *Nullus* (inquit) *potest sacro interesse, qui eo finito non sumat Eucharistiam.* Sed & ille ex Ignatianis sodalibus Madridius, quem Orlandinus supra de frequenti communione librum a. D. 1556. edidisse memorabat, eadē omnia in sua illa disputatione de Æthiopibus affirmatissime tradit. *o* *Est* (inquit) *in ea Ecclesia mos, sicut & quidam scribit, & nos à gravissimis viris accepimus, ut quicunque ad sacrificium Missae audiendum conveniunt, ad unum omnes sacram communionem semper accipiant.* Tum objectionem quandam occupans; *Ac nequis* (inquit) *falso existimet apud hos populos raro fieri Sacrum, unde mirum non sit, si praesentes omnes in eo communicent, idem*

l Alvar. Viagg. d'Ethiop c. 81. nelle Navig. del Ramus. T. 1. K f. 1. 1149.

m Ibid. c. 13. fol. 214.

n Nicol. Godign. de Abass. L. 1. c. 35 p. 217.

o Christ. Madrid. L. de freq. comm. c. 4.

Cap. XX. *ille auctor, qui cum multis Occidentalis Ecclesiæ sociis oculatus testis fuit, & hæc memoriæ prodidit, refert apud eos hoc esse in more positum, ut quotidie in singulis Ecclesiis, vel Cœnobiis una tantum Missa celebretur, ad quam quicunque conveniunt, sacram synaxin percipiant.* Hæc ille. Quem autem auctorem innominatum laudat, is videtur esse Alvarez, qui ex Europæis primus ne rebus Abassinorum luculentas narrationes edidit. Ille certè, quæ hic Madridius de vna Æthiopum Missa habet, totidem verbis affirmat *p* in eodem illo opere, de quo nos quædam paulò ante recitavimus. His quoque concinunt, quæ Zagazabus indigena de suis Æthiopibus apud Damianum à Goës tradit ubi præfatus memini Dominicum Sacramentum dari, nisi in ipso templo, neque id alibi sumere, concedi Patriachæ, ac ne ipsi quidem *Pretioso Ioanni* (is est summus gentis Monarcha) paulò post ita scribit; *In nostris templis* (inquit) *singulis diebus una tantum celebratur Missa, quam sacrificij loco habemus, nec plures ex veteri instituto celebrare licet.* Tum; *Inibi* (inquit) *omnes Sacerdotes, & Diaconi, Subdiaconi & templum accedentes corpus Domini accipiunt.* Ex his constat, unis Latinis exceptis, cæteros Christiani nominis ordines Græcos, Rutheros, Armenios, Syros, Æthiopas, in eo omnes concordes consentire, quod nullas habet Missas solitarias. Gentes autem locis, moribus, etiam fide, & ritibus inter se divisas discordes, sed tamen avitarum traditionum tenacissimas, omnes in eo usu ita conspiraturas fuisse incredibile est, qui non esset à majoribus traditus. Itaque necessario confitendum videtur fuisse jam olim hunc apud eorum majores usum, ut synaxes nullas facerent solitarias; omnes adeo ex vetustissimis Canonibus ita instituerentur, ut plures iis communicarentur. Quod ipsum de Æthiopibus disertè candidéque affirmat Madridius, de hoc eorum in sacramenti communione usu ac more loquens; *r Ab Apostolorum* (inquit) *temporibus manasse, & usque ad hanc nostram ætatem durasse consuetudinem illam censemus, quam summa consensione, & perpetua religione retinet, servatque antiquissima Ecclesia Æthiopica.*

p Alvar. ub. sup. 1. c. 13.

q Dam. de morib. Æth. p. 507.

r Madr. ub. supr.

Cur autem hic antiquissimus distribuendi ac communicandi sacramenti ritus apud hos & cæteros manserit, apud Latinos mutatus sit, non una est, neque profectò obscura discriminis ratio. Ac prima quidem hæc fuisse videtur, quod illa sacellorum, altarium, oratoriorum, & ex his Missarum, etiam in una eademque Ecclesia, atque uno tempore multitudo, à qua solitariarum usus maxime profectus, confirmatusque videtur, apud Latinos ut diximus, nono seculo irrepsit atque invaluit; apud cæteros nunquam obtinuit; quos constat ad hanc diem illud servare, ut unicum sit in Ecclesiis singulis altare, & unica ad unum altare fiat Missa. Huc accedit, quod illa, quæ hinc apud Latinos profluxit, partim (ut sic dicam) privatorum, partim autem *absolutè* ordinatorum Presbytorum propemodum innumerabilis multitudo, non est æquè,

apud cæteros recepta. Tertio hoc etiam inter Latinos ac cæteros Christiani nominis populos discrimen intercedit, quod Eremitæ ac Monachi, apud quos Missas solitarias primum natas fuisse verisimillimum esse suprà demonstravimus, apud cæteras quidem gentes locorum, in quibus degunt, Episcopis ac Præpositis subjecti semper fuerunt, suntque etiam hodie; apud Latinos verò id, quantumvis justum ac legitimum jugum jam pridem excusserunt. Quo factum est, ut apud hos facilius fuerit novitatis ac singularitatis avidum genus, sua inventa primum tenere, deinde propagare, etiam aliquando invitis ac reluctantibus Episcopis; apud cæteros multo fuerit difficilius, Pastorum eos auctoritate in ordinem cogente. Et ex his sanè, quæ nos diximus, rem ita apud nostros accidisse clarum est. Nam etiamsi tria Episcoporum Concilia Namnetense, Moguntinum, ac Parisiense fœdam hanc sanctissimi sacramenti corruptelam ex Cœnobiis maximè exterminandam esse sapienter decrevissent, non potuit tamen saluberrima lex apud cerebrosum & pervicax hominum genus tantum valere, ut à se inventum, sibique commodum (ut loquimur) abusum dimitterent, ac non potius foverent, ac propagarent, ut est omnibus quidem ferè mortalibus, his verò maximè, singularitatis admiratoribus, innatum, in vetita niti. Monachus fuit Valafridus, neque is sanè ex deterioribus, qui primus solitarias lepido illo, de quo diximus, commento sublevavit, & à molesta, qua ab Episcopis urgebantur, formularum in Liturgiis solemnium auctoritate liberavit. Monachus quoque fuit, & eremitici instituti ultra omnem modum cultor & admirator Petrus ille Damiani, qui pro solitariis Missis animosissime si verum licet dicere, impudentissime toto illo, de quo supra diximus libro pugnavit. Postremo hoc quoque, quod maximum est, Latini à cæteris Christiani differunt, quod illis Papa pro Rege, ac pro lege est, cui non in omnibus parere, vltimam impietatem esse putant; cæteri, tametsi præpositis subsint, lege tamen, & Canonibus reguntur quod Alvarez alioqui Monachus, non dissimulavit tamen. Narrat *s* enim Æthiopas, cum iis aliquando quærentibus, an Latini facerent quicquid à Papa facere juberentur, ipse annuisset id illi in suos juris esse, seque adeo obstrictos ex illo fidei Christianæ articulo teneri, qui unam sanctam Ecclesiam, eamque Catholicam esse sancit; ad hæc inquam, Æthiopas respondisse dicit se verò si quid Papa imperaret, quod non esset ab Apostolis scriptum, minimè eum audituros; neque se Abunam suum aliter habere; hujus enim sic quod esset præceptum hujusmodi, id ipsum incunctanter incensuros. Eo factum est, ut cum alia multa, tum hoc etiam de synaxi solitaria, in religione novari apud Latinos quidem facile; apud cæteros verò, operosius ac difficilius fuerit; quod illi scilicet Papæ ad nutum obediant, etiam nova, insolita, & abnormia obtrudenti; hi præpositorum, etiam Patriacharum suorum, qualis ab Æthiopibus censetur suus ille Abuna, mandata, si à fide, & canone, maiorumque moribus aliena esse intelligant,

CAP. XX.

s Alvar. ub. supr. c. 83.

Caput. XXI. intelligant, impune aspernentur. Cum ergo jampridem apud Papam Monachorum ordo omnium aliorum ordinum longè sit gratiosissimus, quibus scilicet suæ omnipotentiæ nullos habet promptiores, aut paratiores, magisve devotos ministros; non est mirandum, quod inventæ ab iis & expetitæ solitariæ Missæ, tametsi à more majorum abhorrentes, apud Latinos, qui Papæ parent, obtinuerint; apud cæteros, quibus Papa nullus imperat, hactenus ignotæ & inusitatæ fuerint.

CAPUT XXI.

Ex ipsis Latinis, & veteris & recentioris memoriæ non paucos suas Missas solitarias fateri à priscæ Ecclesiæ moribus esse alienas; quod est XI. contra eas argumentum. Valafridi, Humberti, Micrologi, Odonis Cameracensis, etiam Innocentij P.R. III. Durantii Mimatensis, Cusani ex vetustioribus testimonia; tum ex recentioribus Erasmi, Hoffmeisterij, Beati Renani, Pamelij, Cassandri, Vicelij, Espensæi, Baronij, Bellarmini, Madridij.

SAtis nunc ut opinor, demonstratum est, quam alienus sit à priscæ Ecclesiæ moribus ac disciplina, ille Missæ solitariæ usus, qui ab aliquot seculis apud Latinos fervet. Sed ne quid omittamus, quod ad veritatis vel victoriam, vel certè triumphum pertineat, hic quoque postremo ex ipso Latinorum sinu testes excitandi sunt, qui de hujus traditionis novitate nobiscum vel omninò, vel partim certè consentiant.

E vetustioribus jam Strabonem audivimus, solitariis quidem faventem, sed ita tamen ut postremo fateatur t vel ut verius dicam, sciscat ac definiat *eam esse Missam legitimam, cui intersunt Sacerdos, offerens, atque communicans; idque ipsam compositionem precum evidenti ratione demonstrare.* Si ad hanc regulam exigitur quicquid nunc Missarum fit apud Latinos; quantula ex illo immenso numero supererit legitimarum portio?

t Valafr. Strab. de reb. Eccl. c. 22.

Strabonem, sed longo intervallo sequitur Humbertus, Sylvæ candidæ Episcopus, Cardinalis, qui in ipso undecimo seculo jam adulto longè aliter docet, quam qui iisdem pænè temporibus vixit, Petrus ille Damiani, de quo supra diximus. Is enim cum dixisset u in panis benedictione fractione, & communicatione perfectam Missam actioné esse sitá. *Quemadmodum* (inquit) *& ipsum Dominum legimus, non imperfectam, sed perfectam commemorationem discipulis suis tradidisse in pane à se benedicto, & mox fracto, atque distributo. Non enim benedixit tantum & servavit frangendum in crastinum; nec fregit tantum, & reposuit, sed fractum statim distribuit. Unde B. Alexander, Martyr & Papa quintus ab Apostolo Petro, passionem Domini inserens Canoni Missæ, non ait.* HOC quotiescumque

u Humbert. contr. Nicet. T. 4. Bibl. P. Part. 2 pag. 246. B.

cumque feceritis, *sed*, HÆC *quotiescumque feceritis, id est benedixeritis, fregeritis & distribueritis, in mei memoriam facietis; quia quodlibet horum trium, si sine reliquis fiat, scilicet benedictio sine fractione: aut fractio sine benedictione & distributione, perfectam Christi memoriam non repræsentant; sicut distributio nulla sine benedictione & fractione.* Bellarminus respondet x ad Valafridi & Humberti testimonium: *Si Missa (inquit) accipiatur pro sacrificio, perfectam & legitimam esse constat etiam sine communicantibus, modo sacrificium à Sacerdote consumatur. Quia tamen, ut diximus, Missæ celebratio, non solum ad sacrificium Deo offerendum, sed etiam ad populum nutriendum spirituali pabulo ordinatur; propterea ex hac parte negari non potest, quin sit magis perfecta & legitima Missa, ubi communicantes adsunt, quam ubi desunt.* Sed ille sua nobis de more somnia narrat, & his & cæteris Patribus indicta & ignota. Missam enim illi *sacrificium* non aliter esse dicunt vel sentiunt, quam quia Sacramentum est, memoria sacrificii à Domino in cruce oblati. Per se sacrificium non est, sed Sacramentum vere ac proprie est: *sacrificij* nomine, non proprie & univoce, sed improprie & ὁμωνύμως donatur ob aliquam cum sacrificio similitudinem, & ad sacrificium relationem: non quod ei vera propriaque & αὐθεντικὴ sacrificii ratio insit. Itaque futilis est tota ista Bellarmini vitilitigatio. Quæ Missa Sacramentum non est: ea ne sacrificium quidem est. Tum si Sacramentum est, sed imperfectum & illegitimum, ne sacrificium quidem erit perfectum & legitimum. Omnis enim illius sacrificii, cujus nomen Missæ sive Eucharistiæ tribuitur vis ac ratio à Sacramenti ratione apud Patres pendet, eaque una nititur: quique alterum ab altero dividit is à Patrum doctrina discedit. Præterea hic animadvertenda est crassa Bellarmini fraus. Non enim est ausus concedere, Missam ut Sacramentum est, ad nutriendum populum ordinatum, *imperfectam* fore & *illegitimam*, si hostia à solo celebrante sumatur. Atqui ex iis quæ ipse ponit *imperfectam* fore consequitur. Id enim *imperfectum* est, quod finem, ad quem *ordinatur*, non assequitur. Bellarmino autem fatente, hoc Sacramentum *ad populum nutriendum ordinatur*; Ergo *imperfectum* est, quoties non modo *nullum populum nutrit*, sed ne populo quidem ulli ad eum nutriendum porrigitur, aut distribuitur. Ille tantum concedit Missam ea ratione minus perfectam, minusque legitimam futuram. Atqui neque Strabo, neque Humbertus eam Missam, in qua nulla fit distributio Sacrorum munerum *minus legitimam*, *minusve perfectam* esse dicunt, quam eam in qua fit distributio. Strabo *legitimam* censens cui præter Sacerdotem alii aliqui communicant, eam simpliciter negat legitimam, cui præter celebrantem, nemo communicat. Humbertus similiter quæcumque fit absque *distributione*, eam habet pro imperfecta: atque negat *perfectam Christi memoriam repræsentari.* Denique Bellarminianum figmentum rationes ab utroque scriptore allatæ valide refellunt.

CAPUT XXI.

x Bell. l. 2 de Miss. c. 10. §. Resp. Si Missa.

Caput XXI.

Strabo enim quod eam tantum Missam, cui intersunt Sacerdos, offerens, & communicans, legitimam censeat, id ait ipsam *precum compositionem evidenti ratione demonstrare.* Atqui hæ preces, quas dicit, ad Missæ non minus *sacrificium*, quam *Sacramentum* pertinent, & ad utrumque necessario adhibentur. Ergo Strabo Missæ, etiam qua sacrificium est, communicantem ut legitima sit, necessario interesse debere censuit. Eadem quoque Humberti ratio est, qui observat in his canonis verbis, *Hæc quotiescunque feceritis*, &c. non *hoc* in singulari numero, sed *hæc* in plurali ideo dici, ut tres celebrantis actus significentur, *benedictio, fractio, distributio*; indeque colligit, si quis Sacerdos in celebrando unum aliquem horum trium ut, verbi gratia *distributionem* omittat ejus Missam esse imperfectam. Atqui hæc tam ad *sacrificium*, quam ad *Sacramentum* dici necesse est. Ergo qui missificans nulli hostiam distribuit, ejus Humbertus *sacrificium*, non *minus*, quam *Sacramentum* imperfectum esse definit. Genebrardus hic multo, quam Bellarminus, verecundius ac sincerius; *Nescio* (inquit y de Humberto verba faciens) *unde didicerit Missam illam* (præsanctificatorum scilicet) *esse imperfectam, quod ea demum perfecta sit, quæ constat consecratione, fractione, & distributione. Tum; Suspectum est* (inquit) *quod de fractione & distributione adjicit. Nam videtur annuere opinantibus sacrum non esse legitimum, nisi peracta consecratione omnes simul communicent.* Recte Genebrardus; nisi quod Humbertum aliquanto plus dicere fingit, quam revera dicit. Non enim ille *omnes*, sed *aliquos* communicare debere docet ei sacro, quod unum ipse perfectum censet. Qui Bibliothecam Patrum quarto ediderunt, iis non placet, quod Genebrardus ita acriter Humbertum reprehenderit; veluti ab hodierna Ecclesiæ Romanæ doctrina hac in parte dissentientem. Ac ut virum ostendant nihil hic scripsisse, quod sit à Romæ suæ placitis alienum, negant z *eum penitus perstringere, aut objicere ritum Græcorum de præsanctificatis.* Quam autem impudenter hoc negent, facile animadvertet quisquis ipsum Humberti librum legerit. Ego vero (ad quem nihil nunc quidem ista pertinent) id tantum vere meritoque à Genebrardo scriptum esse defendo, quod ille ait Humbertum cum iis sentire videri, qui sacrum, in quo solus Sacerdos communicat, perfectum aut legitimum, esse non putant. Imo Genebrardus minus dixit, quam quod vere dicere potuit ac debuit. Non enim Humbertus, quod iste ait, tantum videtur ita sentire; sed revera ita sensit, quod omnis ejus oratio, ut ostendimus, clamat.

y Genebr. Præf. in Liturg. Præsanct. ubi supr.

z Ibid. p. 201.

Prope iisdem cum Humberto temporibus vixit auctor Micrologi. Is quid verum sit, rotunde quoque confitetur; quo loco, postquam observavit a divinis mysteriis juxta antiquos Patres non alios interfuisse quam solos communicantes, hæc deinde verba subjicit; *Hoc quoque ipsa Sacramentorum innuit confectio; in qua Sacerdos non pro sola sua oblatione & communicatione, sed & aliorum rogat, & maxime in oratione post communionem pro solis communicantibus orare videtur.*

a Microl. c. 51. T. 10. Bibl. Patr. p. 761. C.

videtur. Nec proprie communio dici potest, nisi PLURES de eodem sacrificio participent. CAPUT XXI.

Proximo seculo, id est duodecimo, Odo ipse Cameracensis, licet Solitariorum patronus, confitetur *b* tamen *primitus Missas sine collecta* (id est absque populi ad sacrum collecti cœtu) *factas non fuisse; postea morem inolevisse solitarias, maxime in cœnobiis fieri.*

b Odo Cam. in Can. Bibl. P. T. 6. p. 357 C.

Ne ipse quidem, qui non multis post Odonem annis floruit, Innocentius hoc negat. *c* Dicit enim *statutum esse in Sacris Canonibus, ut nullus Presbyterorum Missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus ipse tertius habeatur.* Unde sequitur nullam olim *canonice* quidem, id est legitime, factam fuisse Missam solitariam. Res ipsa vera est, quam dicit Innocentius, nullam antiquis temporibus Missam factam fuisse solitariam. De Canone ipso, quem respicit, largiter falsus est. Non enim quod ipse putavit, canon ille, quem recitat, unus est è Sacris canonibus, quos vel ab Apostolis ipsis, vel certè à veteribus ante septimum seculum Patribus, aut Conciliis conditos prisca olim habuit Ecclesia: sed multo recentioris est, auctoris, qui vel Soteris, vel Anacleti nomen mentitus illa sub noni, ut videtur, seculi initia dictavit, orbique impudenter obtrusit: ut jam supra diximus.

c Innoc. 3. L. 2. de Offic. Miss. c. 10.

Durantes Mimatensis seculo decimo tertio jam præcipiti observat *d* quoque singulis diebus Dominicis fideles in primitiva Ecclesia celebrationi Missarum interfuisse ac omnes communicasse.

d Durant. Ration. L. 4. c. 53.

Cusanus Cardinalis ad Bohemos scribens a. D. 1452. agnoscit apud *e* antiquos omnes, qui Sacris intererant, communicasse, *cum quotquot non fuerunt parati ad perceptionem Eucharistiæ expellerentur ab Ecclesia.* Idem nullas fuisse antiquitus Missas solitarias aperte concedit: *f Hoc est* (inquit) *singulariter attendendum, quod Sacerdotes nunquam sine Diacono celebrarunt, & in omni missa Diaconus de manu † Sacerdotis accepit Eucharistiam sub specie panis, & Sacerdos de manu † Diaconi calicem; ut Gloss. in c. Pervenit. 93. dist. ponit causam; & ita præceptum fuit servari; & ut in Missali ponitur, Sumpsimus Domine, Sacramenta. Tunc clare videtur plures semper communicasse: quia servabatur illa ordinatio, cui nunc videmus in Romana Ecclesia (excepto Papali officio) derogatum.*

e Cusan. ep. 7. ad Boh. p. 854.
f Ibid. p 854. extr.
†† Inclusa desunt in edit. Basil a. 1565. supple- ta ex Cass. Liturg p. 81.

Erasmus seculi sequentis scriptor celeberrimus; *g Sunt* (inquit) *qui requirant in Missa communionem. Sic fateor fuit à Christo instiutum: & ita olim consuevit observari.* Tum culpam à Sacerdotibus (quamquam, quod supra ostendimus, falso in plebem transfert; &, *Nunc* (inquit) *quæ possit esse communio, cum quibusdam in locis templa fere sint vacua communionis tempore? Quidam adspersi mox abeunt domum, & ante introitum faciunt exitum. Alij post audi-*

g Erasm. de amab. Eccl. conc. T. 5. p. 422. extr.

Caput XXI. audiium, & non intellectum Evangelium abeunt. A qui posteaquam Sacerdos dixit, Sursum corda, &, Gratias agamus, tum præcipua populi partes erant, quando tacente Sacerdote, quisque cum Deo loquitur. Hæc ille; quæ licet multo leniore, ac indulgentiore, quam res ipsa poscebat, brachio tractaverit, non potuit tamen effugere, quin totus hic locus cum multis aliis ejusdem ingenii, quæ vel præcedunt, vel sequuntur, una litura à Biblomastigibus Hispanis omnia delerentur; *b* adeo nihil ferre potest Latinorum supercilium, quod à suis placitis vel tantillum discedere videatur.

b Ind Ex. purg Sandov. in Erasm. T. 5.

Ioannes Hoffmeisterus ejusdem quoque seculi Theologus; *h Res ipsa (inquit) clamat, tam in Græca, quam in Latina Ecclesia, non solum Sacerdotem sacrificantem, sed & reliquos Presbyteros, Diaconos, nec non reliquam plebem, aut saltem plebis aliquam partem communicasse: quod quomodo cessaverit, mirandum est, & ut bonus ille usus in Ecclesiam revocetur, laborandum, imo & à Deo precibus impetrandum est.*

h Hoffmeist. Sacrif Miss. Assert. ed. Mog. a. 1546.

Pamelius, quo vix quisquam fuit Latinorum rituum pertinacior patronus in longissima tamen annotatione, qua initio suarum in Tertullianum de Oratione exegeson Missæ suæ apud vetustissimos vestigia mira sagacitate quærit; etiam interdum, quæ nulla invenit, se invenisse somnians, refert, adjectoque suo calculo confirmat, quæ Beatus Renanus alibi in ejusdem auctoris librum de Corona observarat veteris synaxeos ordinem exsequens, ac de hoc ejus articulo verba faciens, quo oratio Dominica recitabatur; *i Deinde (inquit) populus communicabat: Unde adhuc in hunc usque diem ultimo Cantico communionis nomen mansit. Dum enim communicaret populus versus aliquot è Psalmis cantabantur.* His Renani recitatis Pamelius; *Utrumque (inquit) ex Liturgicis scriptoribus notius est, quam quod probatione indigeat.* Atqui horum duorum, quæ iste probat, prius de communione populi post recitatam Domini orationem, haud satis mihi videtur cum solitariis Latinorum Missis congruere, in quibus solus Sacerdos sacra dona sumit.

i Pamel in Tertull. de Orat. Ann. 1. p. 204.

Cassander totam hanc causam sincerè atque apertè egit, *Non esse omnino præter rationem, quod Protestantes de privatis Missis conqueruntur, si privatarum nomine intelligunt eas Missas, in quibus solus, Sacerdos confecta Sacramenta participat, nec ulla mysteriorum distributio fit;* quas ipse aptiori nomine *solitarias* vocari censet (has autem ipsas à Protestantibus intelligi apertius erat, quam ut de eo vel dubitare potuerit Cassander, vel certè satis verecundè fingere se de eo dubitare; & vero Calixtus diserte nuper monuit, ac demonstravit) *l Has veteribus quoque, cum primum in quibusdam monasteriis inolevissent, improbatas fuisse videri.* Id demonstrat ex Concilii Namnetensis Canone trigesimo;

k Cass. Consult. tit. de Miss. Solit. p. 995.

l Calixt. de Miss. Solit. Th. 5. p. 7.

gesimo; ex Concilio Paris. (quod ipse *Papiense* vocat; sed perperam, vel sua, vel, quod potius reor librorum culpa.) ex Odone Cameracensi, ex Valafrido Strabone, & Micrologo (quorum testimonia jam suis supra locis recitata hic nihil reponere necesse est) Observat nominatim antiquis esse consentaneum Æthiopum hac in parte morem; Hoffmeisteri, quem *reverendum Patrem, & virum doctissimum* appellat, à nobis nuper descriptum judicium ac votum recitat, cui totus ex animo subscribit. Tum quod de privatis Missis ex Gregorio, Paulino Afro, & Augustino objicitur; id occupat, easque Missas *privatim & extra publicum conventum factas* concedens, negat tamen esse credibile sine omni prorsus Synaxi & collecta: vero videri propius *in tali actione Sacerdotem aliquos licet paucos, vel ex ipso Clero seu Ministris Ecclesiæ habuisse, qui cum illo Sacramenta participarent*, idque ex eo patere, quod non licuerit Sacerdoti sine Diacono celebrare, quem de manu Sacerdotis Eucharistiam suscepisse Cusanus probat: Optandum esse, ut quæ in Collegiis, aut Monasteriis quotidie fiunt Missę, eæ ad unam in singulis ædibus reducerentur: *in qua viri religioni peculiariter consecrati, ii maxime, qui Presbytero celebranti ministrant, communionem sacram perciperent*; Eum *morem* fuisse diutissime in Ecclesia observatum: quin ejus etiamnum hodie vestigia apud Monachos Benedictinos retineri in quorum Monasteriis hujusmodi Missæ triduo ante Pascha fiunt, Cœnobitis ex Abbatis manu una communicantibus. Atque hoc quod Cassander de Monachis Benedictinis tradit, non nuper, sed jam olim factitatum esse intelligimus ex antiquioribus Cluniacensis Monasterii Consuetudinibus, à Dacherio superioribus annis vulgatis: in quibus, ubi Cœnæ Dominicæ officium describitur, hæc extant: m *Omnes* (inquit auctor) *accipiunt panem, omnesque communicant, & per illos quatuor dies* (Cœnæ Dominicæ, Parasceues, Sabbati, Dominicæ) *communicare non quisquam fratrum omiserit, etiamsi aliud quid tale contigerit dormiendo.* Ac ne paucos fuisse putes, qui ita communicabant, ibidem paulo post idem narrat n *fratrum tantam multitudinem his diebus colligi, ut plus aliquando sit, quam ducentorum.* Unde videmus nihil necesse fuisse vel ipsorum Monasteriorum Missas esse solitarias, facileque fuisse Monachis, si libuisset, Conciliorum veterum decretis obsequi, nec unquam nisi plures, quod illa jubebant, missificare. Hæc ergo Cassandri de veteribus sententia est: ea ipsa, ut liquet, quam nos defendimus. Quod postremos missificatores solitarios excusat, eorumque peccatum elevat, & sacrilegii expers putat: id viri facilitati condonandum est, qui nimio quodam pacis amore ac studio, etiam interdum ipsa antiquitatis, quam alias religiosissime colit, ac tantum non adorat, judicia liquido spernit, ut hoc ipso loco. Neque enim veteres illi Namnetensis Concilii Patres, quos ille ad hanc judicandam causam induxit *solitarios* illos *consecratores* ex omnibus Ecclesiis exterminari jussissent, si eorum tam leve esse peccatum censuissent, quam ipse existimasse videtur.

CATUP XXI.

m Ant. Consf. Cluniac. c. 14. T. 4. Spicil. Dacher. p. 54.

n Ibid. p. 56. init.

Cap.XXI. Georgius Vicelius ejusdem quidem ævi, sed tamen multo quam Cassander, fortius ac verius; o *In Ecclesia* (inquit) *redundant Missæ vitia; maxime autem circa privatas istas missationes; qui abusus de optimo Liturgiæ ac publico* (usu) *per hominum superstitionem ac avaritiam crevit &c. In confesso est hic non esse nec esse posse Cœnam Dominicam; nec communiter hoc opificio quæri aliud, quam pecuniam, & quadram alienam De paucissimorum pio affectu non loquor; quanquam nec hos tuebor, ni comparticipent vel in templo, vel domi. Tum; Mercenarias missationes & conductitias pro rejectis judicato, quisquis de Christo, & ejus Cœna ultima recte sentis. Quare? Quia sunt mercenariæ, & non illis, vel tantillum cum institutione originali, nec cum Apostolica traditione, convenit. Per Monachos irrepsit in mundum; Per Monarchas consopiatur.* Idem in alio opere, vbi auctorum Augustanæ Confessionis appellans; p *Vnicum* (inquit) *Sacrum in loco celebri, huicque rei sacro reverenter, nec indigne peragi debere haud inique iudicas, ubi frequens sit populus ad orandum, confitendum, gratias agendum & COMPARTICIBANDUM. Profecto qui veram antiquitatem sapiunt, non longe ab hac sunt sententia; modo servetur pristina Liturgiæ forma, restituta magis, quam reformata. Abominaris additamenta nova Missarum peculiarium sive privatarum, per Mendicantium quorumdam multiplicitatem introductarum. Nos equidem considerantes, quo initio ista & quibus auctoribus cœperint, & quibus nitantur nervis, non admodum refragabimur, si consopiantur cum auctoritate, non tumultu; quo in majori pretio apud fideles omnes sit publica hujus sacri actio, non vendita, sed gratis parata atque exhibita nulli non, qui esurit, sititque justitiam. Particulares missulæ non congruunt cum institutione Cœnæ, nec cum traditione Paulina, nec merentur Liturgiæ nomen, nec habent robur ex Evangelio, nec ex Ecclesia testimonium aut exemplum; nec sanctorum Patrum* (*de antiquis loquor*) *consensionem firmam, nec beatorum Martyrum, aut homologetarum adstipulationem, nec denique œcumenicorum Conciliorum veterum approbationem ullam; sed nuperis seculis adinvenit has vana hominum superstitio & hypocrisis, avaritia & φιλαργυρία. Divites huius mundi simplices, imo stolidi Midæ ab habendi cupidis persuasi has sibi proprias fecerunt. Alius numerata pecunia, alius agris, pratisque, vineis, alius aliis emolumentis ad redemptionem animarum peculiariter suarum; & quo negotiatio ista fieret certior, membranis sanxerunt indeletis, ut repeterentur ista vel omni die, vel omni mense, vel omni anno. Onerati ligatique peccatis, sic se solvi, & sic se pœnas; quas dicunt purgatorias, effugere posse putant; ac si in hunc finem pararetur in publico cœtu Cœna Dominica. Atque has emptiones vocant solennes fundationes, aut supremas morientium voluntates; quæ fons & origo sunt tot altarium per templa pæne omnia, tot Sacerdotum &c.* Hæc ille de origine & incrementis Missarum privatarum in eam quam videmus, multitudinem; haud absurde profecto sed vere ac sapienter philosophari videtur.

o Vicel. El-Euch. Abus. p. 368.

p Id. Via Reg. ad artic. de Missa p. 305. exit.

* excusum infideles; perperam ut videtur

Espensæi

Espensæi mens, fateor, paulo est, quam Cassandri, aut Vicelii CAP. occultior. Hi enim aperte rem gerunt & explicatæ. Ille tectior; in- XXI. volutus, & inter se commissis auctorum contrariis sententiis impeditus; dubitanti quam definienti pæne ubique propior, ita hoc argumentum in opere multo, quam aut Vicelianum, aut etiam Cassandræum est, prolixiori tractat ut veriora quidem malle, deterioribus tamen non planæ repugnare videatur. Sed & hic tamen in plurimis, ne in omnibus dicam, Cassandræus est; qui in primis scribit *q ex verbis salutatoriis, & resalutatoriis*, quæ in Missa habentur, *apparere Eucharistiæ actionem publicā fuisse ac solennē*, Ex eis Micrologum notare plures esse debere respondentes & unum salutantem; *Ut enim inepte responderetur.* Et cum spiritu vestro, *si unus esset salutator; ita incongrue salutari videri, per*, Dominus vobiscum, si unus tantum adsit vel nullus. Huc adfert Anacleti & Soteris decretum. Idem citatis nonnullis, quæ Missas solitarias primis iam seculis in usu apud Christianos fuisse propemodum suadere viderentur; *Verum* (inquit) *ab initio, & multo post non sic fuit.* Cænam ipsam primum dominicam *plurium indubie fuisse*, *s* quod ille accuratè demonstrat; & Canonem, *Peracta*, qui est Pseud'Anacleti, ab iis *eludi, non elucidari*, dicit, *t* qui eum ad solos Clericos restringunt. Et postquam Canones eadem de re Apostolicos & Antiochenos protulit, illud quod nos jam supra attigimus, subiicit, *u Missa privata, seu nullis præter Ministrum, communicantibus, vestigium reperiu tum sane difficile; Publica contra, plena Ritualia omnia*; quod deinceps ex Clemente Dionysio & Iustino probat Temporis *vero, quo communicare desitum est, articulum velut digito subindicare, perdifficile esse* dicit. *x* Paulo post, cum illa Valafridi verba, quæ nos supra recitavimus, descripsisset, ita desinentia, ut autor fateatur *illam legitimam esse Missam, cui intersunt sacerdos, offerens & communicans*; *Hæc ille* (inquit *y* Espensæus) liberè & ingenuè ante ann. 800. Et vero me dudum movet, & *συνάξεως seu κοινωνίας nomen, & ipse Canonis contextus, & cum alia in Missis, tum quæ post communiales vocantur orationes pæne, omnes, quod* * *in illis olim fieret sacrorum, nec tantum spiritualis, sed sacramentalis quoque communio. Quibus enim, aut pro quibus tum precabatur Liturgus*, Memento Domine, cum omnium, tum circumstantium, *nisi offerentibus? Quibus aut pro quibus, quod sequitur*, Vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui corpus, & sanguinem sumpserimus, *nisi de altari participaturis, & quæ ibi dispensabantur, sumpturis?* Et pauculis interiectis; *An vero credibile est Cœnam tum exhibitam fuisse non cœnaturis, aut cibum potumque propositum nihil horum gustaturis? cum pro se tantum Minister, non etiam pro iis quibuscum communicaverat, sive qui cum eo communicaverant precabatur? Quod ore (ore inquam, quoque nedum corde, & sacramento nedum spiritu) sumsimus pura mente capiamus, aut quando vere sic orabat, nisi quando & alij communicaverant?* Idem *probat ex illis quoque orationibus*,

q Espens. de Miss. privat. & publ. fol. 212. a.

r Ibid. f. 215. A.

s Ibid. B.

t Ibid.

u Ibid. p. 216. A. B.

x Ibid. p. 217. B.

y Ibid. p. 218. A.

* edit. liber. habet quidem male ut videtur.

Satiasti

CAPVT XXI.

Satiasti Domine familiam tuam muneribus sacris, & aliis consimilibus (quarum nos supra ex Gregoriano Sacramentorum volumine numerum edidimus non contemnendum) & ex Iacobi & Basilii Liturgiis, *a* & multorum Patrum locis. His mox Chrysostomi loca ex Liturgia & Homiliis in eandem sententiam adjungit. Cætera non describo. Illud non tacebo, quod Espensæus, quæ pro Missis solitariis à nonnullis adferuntur, ea ipse non semel negat esse efficacia. Canon est XXIX. Concilij Carthaginensis tertii, *si quorum pomeridiano tempore defunctorum Episcoporum, vel cæterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si qui faciunt, jam pransi inveniantur.* Quidam *inde colligunt à contrario: si quis cæteris pransis impransus reperiretur, ad altare quoque celebratione, non sola oratione defunctos commendari potuisse. Conjectura modo est* (inquit Espensæus) *multum à demonstratione distans.* Aliis (quod & supra diximus) eodem trahentibus Gregorij Nazianzeni exemplum orthodoxos Constantinopoli, Arianis templa occupantibus in parvo quodam oratorio colligentis, & ibi sacra celebrantis; *Non video, fateor* inquit *b* Espensæus) *qui hæc probent, aut etiam ad Missam privatam pertineant. Catholicorum enim templis tum per hæreticos occlusis, altaribus incultis, cœtibus impeditis, cessante doctrina, desinentibus hymnodiis, nec ulla spiritalium chrismatum communione amplius superstite &c. quæ tum Orthodoxi sacra in locis, quamlibet alias privatis faciebant, doctrina, oblatio, communio, aliaque mysteria publica si minus erant, habebantur tamen.* Iisdem solitarias quoque colligentibus ex Missis ab Ambrosio Romæ apud clarissimam quandam fœminam, ab uno ex Augustini Presbyteris apud Fussatensem Hesperii villam, & ab aliis alibi celebratis in privatorum hominum oratoriis; *Hæc* (inquit *b* Espensæus) *& similia pro privatarum Missarum usu & vetustate probabilia quidem sunt, sed minus aperta. Nec enim qui oblatum dicunt, communicatum negant, etiamsi taceant.* Est & ubi observat *c non ita privatas fuisse Missas, quæ in Monachorum cœnobiis Gregorio permittente fiebant, ut non & solennes ab ipso interdum Gregorio vocentur: sed privatas* dici, quod iis interesse hominibus laïcis, maxime fœminis non liceret; opposite *ad populares & promiscuas* (quales sunt quæ nunc dicuntur *parochiales*) quibus scilicet interessent Laici utriusque sexus. Sed & quas quotidie factas olim fuisse Missas vehementer contendit, in iis non repugnat, *d* quin alij præter Sacerdotem celebrantem communicaverint, si minus Laïci, certe Clerici, maxime altaris ministri; Imo hos communicasse, ex quadam Caroli Magni constitutione merito colligi posse significat, *e* quæ vetans *ne Sacerdos Missas faciens communicare ipse unquam omitteret*, additur, *quomodo recte dicere poterit, si non communicaverit, Sumpsimus Domine, Sacramenta?* Nimirum cum illud *Sumsimus* pluralis sit numeri, ut id Sacerdos vere possit dicere, necesse est, aliquos alios præter ipsum, communicasse. Espensæus enim id verbum de solo Sacerdote communicante intelligi non posse eo ipso docet; *f* quod eorũ glossã, qui sic interpretantur, quasi Presbyter in numero plurium,

z Ibid. B. & 2 0 a

a Ibid. B. & 210. a. 221. 222.

b Ibid. fol. 216. A.

b Ibid. b.

c Ibid. fol. 228. a.

d Ibid. fol. 230. a. b.

e Capitul. Car. M. L. 1. c. 6.

f Esp. ibid. ub. supr. f. 231. a.

plurium, *sumsimus*, dicat, non quod plures revera sumserint, sed quod ipse pro pluribus unus sumserit, eam inquam, glossam rejicit ac repudiat, velati absurdam, *Non puto* (inquit) Carolum *sensisse Ministros pro aliis non offerre tantum, sed & manducare; quasi quadam populi ora sint, ac etiam ventres* (*absit verbo invidia pariter & calumnia.*) Hoc verò glossema Carolo recentius fuisse putat, *forte Scholasticorum* (inquit) *nec eorum omnium*; & in horum numero Lyranum censendum esse ostendit allato ejus ad Luc. 15. loco, in quo ait *Sacerdotes hoc Sacramentum sumere non solum pro se, sed & pro populo.* Ipse contra, solerter sanè & acutè, notat apud veteres sæpè illa occurrere *Ministros pro aliis offerre, immolare, &c. Hæc non temere apud eos legi, alios pro aliis sumere bibere manducare.* Quibus hæc verè ac candide subjicit; *g* *Orationes ergo* (inquit) *postcommuniales pro communicantibus* (*ut & ex Rationariis Ecclesiasticis prædiximus*) *instituta; communione tamen desita retenta* (*ut & alia in sacris plura*) *commonent potius, quid olim factum sit, ac proinde facere debemus, quam quid faciamus.* Paucis verbis omnem suorum solitariorum praxin sugillat, quos vel quod olim fiebat, vel quod nunc fieri debebat, id facere rotunde ac liquido negat. Equidem vix istum puto id ex animo probasse, quod Tridentini solitarios Missificatores *commendant.* Neque enim is *commendari* merito videtur, qui id, quod facere *debet*, *non facit* tamen. Nunc evolutis, quæ Espensæus huc illuc in eo libello sparsit, apparet eum æquè ac Cassandrum, sensisse nullas fuisse apud veterem, ante ea, quæ diximus, tempora Ecclesiam Missas propriè *solitarias*, id est eas, in quibus nemo, præter ipsum celebrantem, non modo Laïcus, sed ne Clericus quidem, communicaret.

Quid, quod ne ipse quidem Baronius ab his multum discedere videtur? Ille enim, quod nos jam supra *h* observavimus, scribit ex Canonibus Apostolicis *i* & Antiochenis *k* antiquos Ecclesiæ fideles, quicumque Eucharistico sacro intererant, communicasse; etiam lata in eos pœna, qui non communicarent; synaxes autem ab Apostolis ex Epiphanio *l* ordinatas, *ut fierent feria quarta, prosabbato, & Dominica, in quibus populi ad eas convenientes communicarent.* Has autem leges, quas ipse verè Apostolicas fuisse putat, negare non potest diu apud Ecclesiam, mansisse. Quartò certè seculo in usu eas fuisse ex ipso Antiochenæ illis temporibus habitæ Synodi canone constat; anterioribus verò tribus primis Christianis in seculis, quibus majorem, quam postea, nostrorum fuisse pietatem, & in res divinas affectum credibile est, viguisse illas Baronius credo non dubitabat. Atqui ubi Ecclesia synaxes suas ita administrant, locum Missæ solitariæ vix ullum habere possunt. Primis autem illis seculis planè nullæ fuisse videntur; quod iis deessent omnes illæ causæ, ex quibus illæ postea ortæ sunt. Nec dum enim Eremitarum & solitariorum natio eruperat, apud quos illæ primum extitisse perhibentur; neque ulli tum erant vel vagi, solutique, vel privatarum familiarum usui addicti Presbyteri; nulla unius familiæ propria Ora-

Cap. XXI.

g lib. 2. extr.

h Bar. a. D. 57. §. 157

i can. Ap. 10.

k can. Antioch. 2.

l Epiph. in Comp. doct.

Cap. XXI. toria; neque in singulis Ecclesiis plures mensæ Dominicæ, sive ut nunc loquuntur, plura altaria; ex quibus causis vel primum extitisse, vel certè crevisse & inolevisse solitariarum usus videtur. Si Confessores & Martyres objicis, quibus nulla facultas fuit ad communem synaxin una cum cæteris fratribus conveniendi; Luciani, quod supra est explicatum, exemplum docet ne in ipsis quidem Martyrum carentibus absque communicantibus administratam fuisse Eucharistiam. Sed inclusis consulere etiam aliter facilè tum fuit; missis ex communi fratrum synaxin particulis sacris. Sic enim ad absentes mitti illis temporibus consuevisse ex Iustino constat; ne nunc illud dicam, quod infra pluribus suo loco demonstrabitur, plerosque fideles per illa tempora apud se habuisse ac servasse præsanctificatas particulas. Cum hæc ita se habeant, Baronius qui synaxes ter singulis hebdomadibus, ita factas concedit, ut quotquot iis interessent, communicarent; si sibi constare velit, confiteri debet nullas apud nostros primis illis seculis fuisse synaxes solitarias.

Eadem propemodum de Bellarmino dixerim. Is enim etiamsi de canone Apostolico, & Antiocheno, deque Anacleti decreto pugnet; tamen sentiens credo, quam vana atque improba esset omnis sua vitilitigatio, tandem admittit, ut ista non ad Clerum, sed etiam ad populum pertinuerint, abrogata postea fuisse, quod nemo negat contendit. Abrogata verò fuisse ante quartum seculum, quo ipso quædam eorum facta fuisse constat, non dicet. Ergo toto illo tempore, quo nondum erant abrogata, id est tribus quatuor vel primis seculis, etiam ex iis, quæ Bellarminus concedit, sequitur nullas adhuc fuisse apud nostros Missas solitarias; quod iis rationibus conficitur, quas ad Baronium adhibuimus.

Iam & Christophori Madridii, eo, quam Bellarmini, expeditior est ratio, quod is non modo admittit, sed etiam pro vero certoque constituit, non apud Æthiopas modo perennasse, sed apud multas alias Ecclesias diu durasse morem illum omnium fidelium communem, quicumque synaxi interessent communicandi, quem scilicet censet *m ab Apostolorum temporibus manasse*, & apud Æthiopas semper ad hunc diem, *in aliis vero Ecclesiis diu ad multa tempora servatum esse.*

m Madrid. de freq. comm. c. 4.

Cæterorum Iesuitarum, totiusque adeò illius Societatis eandem ferè fuisse sententiam illud *frequentis communionis* apud suos inducendæ studium suadere videtur, de quo Masseium & Orlandinum gloriante supra *n* audivimus. Sed illi ut apparet, synaxes utriusque generis, publicas & solitarias colunt; neque quod illas revocent, eo segnius has retinent. Ignatium ipsum tradit *o* Orlandinus Deo, si apud Papam res suæ succederent, tria hostiarum millia vovisse; votum postea, cum ejus esset reus, exsolvisse. Vix puto magnam fidelium multitudinem singulis Ignatij votis communicasse. Velim scire, cujus de veteri Christianismo fidelis exemplum Ignatius in hoc concipiendo voto sit sequutus. Ego quidem nullum me in toto Christianæ antiquitatis litterario

n Supr. c. 19.

o Orland. l. 2. Hist. §. 113.

rario instrumento simile invenire memini. Sed cum sint duo Missarum solitariarum genera; alterum earum, quibus nemo præter celebrantem, & unum si fortè alterumve, ministrantem quidem; minimè verò communicantem, interest; alterum earum, quæ in frequenti Ecclesiæ conventu fiunt multis quidem spectantibus, communicante verò præter celebrantem, nemine; Iesuitas, priores una cum frequenti ac pæne quotidiana veterum Christianorum communione retinere licet, Posteriores, in illo Ecclesiæ statu nullum habere locum poterant. Quæ enim istarum publicarum & apud Ecclesiæ conventum olim solennium synaxeon solitaria hoc sensu esse potuit, cum omnibus ex Apostolica traditione, & plebs tota, vel ejus certe aliqua portio interesset, & quicunque eis intererant eorum nemo absque communione abiret? Sed si hoc mihi Iesuitæ concesserint, quod ex eorum de frequenti communione doctrina necessariò consequitur; nescio qui prius illud solitariæ synaxeos genus, quæ vel uno vel altero tantum præsente peragitur, apud nostros tribus primis, imò & quatuor Christianismi seculis demonstraturi sint; cum tota hac memoria nullæ nostrorum aliæ nisi Ecclesiasticæ, solennes, ac ipsorum quidem respectu, publicæ synaxes fuisse reperiantur. Quæ enim, sed raro apud Martyrum & Confessorum custodias fiebant, ne eas quidem solitarias fuisse, eo, de quo diximus *p* Luciani Martyris exemplo satis docemur.

CAPUT XXI.

p Supr. c. 8.



DE CULTIBUS LATINORUM RELIGIOSIS

LIBER QUINTUS,

QUI DE EUCHARISTIA TERTIUS EST.

CAPUT PRIMUM.

Rejicitur in alium locum quæstio, An Diaconis aliquando Eucharistiam offerre licuerit. Novum esse & præter veteris Ecclesiæ morem, quod nunc apud Latinos solis presbyteris licet Eucharistiam vel fidelibus in sacro præsentibus porrigere, vel ad infirmos deferre? Olim Diaconis utrumque primo licuisse; & quidem utrumque ejus symbolum; deinceps sacrum saltem poculum. Vasquis solutio exploditur, ejusque & vanitas & τὸ ἀπροσδιόνυσον demonstratur.

ITA demonstratum est Eucharistiæ absque ulla symbolorum distributione celebrandæ morem nunc apud Latinos usitatissimum, novitium esse, & ipsis eorum majoribus per multa secula ignotum.

Nunc quod secundo loco propositum fuit, de distributionis Ministro dicendum est. Is hodie apud Latinos non alius est, quam Sacerdos, vel prioris ordinis, id est Episcopus, vel posterioris, id est Presbyter. Clericis inferioribus Eucharistiam distribuere nullis licet, sive apud ipsam sacram mensam, ubi ea confecta est, sive alibi in privatis locis, ut cum infirmis domi decumbentibus ministranda est.

Quæstionem de consecrationis ministro ideo prætermittimus, quod quamdiu & ubicumque stat Ecclesiæ ordo, nemini præter Presbyterum vel Episcopum (unum enim idemque munus utroque nomine à divinis scriptoribus

scriptoribus significatur) hujus sacramenti conficiendi potestatem & veteres & nostri cum iis unanimes consentiunt; tametsi, quod Latini ultra tendunt, neque vlla urgente, etiam summa necessitate fas esse homini suæ ordinationis experti sacrum hoc conficere concedunt, id non minus ab antiquioris, quam à nostræ Ecclesiæ sententia alienum esse videatur. De antiquioris Ecclesiæ sensu vetustissimum scriptorem Tertullianum testem habemus idoneum, qui quemlibet, etiam laïcum fidelem appellans, *a Vbi* (inquit) *Ecclesiastici ordinis non est concessus, & offers & tinguis, & Sacerdos es tibi solus.* Neque enim dubitandum est, quin illi, ut *tinguere*, baptizare est, ita & offerre sit εὐχαριστεῖν, Eucharistiam facere; idque ipsum firmat *Sacerdotis* nomen, quod viro laïco tali in tempore ac loco versanti donat. Quo minus mirum videri debet, quod Diaconi olim, etiam in Ecclesia ordinata id sibi juris antiquissimi illius Christianismi temporibus sumpsisse videri possint. Certè hoc in Romana ipsa Ecclesia circa ann. Domini 259. obtinuisse apertè docent apud Ambrosium *b* illæ Laurentij Diaconi ad Sixtum Episcopum suum egregiæ voces, cum hic ad martyrium præiret; *Quo progrederis sine filio pater? Quo Sacerdos sancte sine Diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid ergo in me displicuit Pater? Num degenerem probasti? Experire certè utrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici sanguinis CONSECRATIONEM, cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?* Sic enim hæc lego in veteri Ambrosij editione, quæ Parisiis anno Domini 1545. typis Ioanni Roigny prodiit, neque mihi consilium est veterem hanc lectionem cum novitia illa commutare, quam apud Baronium *c* reperio, fidei hoc in negotio suspectioris, quam ut huic correctori auscultare consultum putem. Hic enim pro Dominici sanguinis consecratione (quod Latinorum placita jugulat) legit *dispensationem*, quod non usque adeò illis repugnaturum sperat. Sed quæ hic à Diacono Romano consecratum Dominicum sanguinem invictè vel una probat *consecrationis* vox, ea verò hoc loco non sola est, quæ id probat. Idem vincit, quod Laurentius in eundem sensum statim sibi commissum addit *consummandorum consortium sacramentorum.* Non enim Diaconum credo dixeris *Dominici corporis ac sanguinis sacramenta consummasse*, qui nihil aliud, quam unam jam consummatorum partem communicaturo ministrarit. *Consummare* aliud est, quam jam consummata dispensare vel distribuere. Si verùm amamus *consummare Sacramenta* est vel utrumque Eucharistiæ symbolum, vel alterum certè è sacramentis (ut veteres passim loquuntur) id est è symbolis, consecrare. Quam dixerat Dominici sanguinis *consecrationem*, eam nunc consummationem *Sacramentorum* dicit. Hoc verò Diaconos per illa tempora factitasse, vel ex eo intelligere licet, quod annis post Laurentij mortem circiter 56. id Patres Arelatenses qui vetant, passim tamen factum fuisse testantur; *De Diaconis* (inquiunt) *quos cognovimus multis locis*

CAP. I.

a Tertul. de Exhort. Castit. c. 7. pag. 468. D.

b Ambr. L. 1. de offic. c. 41. p. 29. C.

c Bar. a. D. 261. §. 7.

Cap. I. *offerre, placuit minimè fieri debere.* Hoc ipsum Nicæna quoque Synodus paucos post annos secuta est, adimens Diaconis *offerendi potestatem*, exque regula ob summam illius Concilij auctoritatem, facile apud omnes obtinuit.

d Conc. Arelat. 1. c. 13.
e Conc. Nic. 1. c. 18.

Sed nunc prætermissa consecratione, *de distributione*, sive *dispensatione* Eucharistiæ quod instituimus, quæramus. Certe consecrata à Sacerdotibus dona cum præsentibus è mensa Dominica distribuere, tum ad absentes deferre. Diaconis olim primis Christianismi seculis licuisse disserte docet Iustinus, locupletissimus suorum temporum testis; *f Postquam* (inquit) *præpositus, vel præses* (Sacerdotem dicit) *gratiarum actionem* (qua scilicet consecratur Eucharistia) *perfecit, & populus universus læta apprecatione eum comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, super quo gratiæ actæ sunt, panem, & vinum, & aquam, & ad absentes perferunt.* εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. Id ad sua tempora servatum esse docet Ancyrana Synodus; *Diaconos* (inquit) *qui immolaverunt, postea autem reluctati sunt, honorem quidem habeant; cessare vero ab omni sacro ministerio, sive à pane, sive à calice offerendo, vel prædicando.* Διακόνους ὁμοίως θύσαντας, μετὰ δὲ ταῦτα ἀναπαλαίσαντας, τὴν μὲν ἄλλην τιμὴν ἔχειν. πεπαῦσθαι δὲ αὐτοὺς πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας, τοῦ τε τὸν ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν, ἢ κηρύσσειν. Ergo panem & calicem sacrum saltem offerre præsentibus, adeoque & absentibus deferre, solenne erat Diaconorum ministerium. Absurde enim iis functionibus multarentur, quas etiamsi minime deliquissent, nunquam tamen usurpaturi erant. Iam vero, qui Eucharistiam in ipsa synaxi distribuere solebant Diaconi, illis ejusdem ad absentes quoque (quod aiebat Iustinus) deferendæ potestantem fuisse, nemo eruditus dubitaverit. Quin & Acolythis hoc olim concessum fuisse, acta Tharsicij Romani Acolythi & Martyris docent, *h* quæ narrant Paganos eum invenisse *Christi Sacramenta portantem*, fustibusque & lapidibus, quid gereret prodere constanter renuentem, *tamdiu mactavisse donec exhalaret Spiritum.* Sed & pueris interdum Laïcis traditum illis temporibus fuisse sacramentum ad pœnitentes in pace dimittendos ostendit Serapionis senis historia, quam ex quadam Dionysij Alexandrini epistola circa ann. D. 260. data refert Eusebius. *i* Certe per Acolythos, etiam quinto seculo, Eucharistiam ad absentes deferri in ipsa Latinorum arce Roma solenne fuisse, constat ex Innocentij ad Decentium epistola; * quo loco de Ecclesiis intra civitatem suam constitutis verba faciens scribit *earum Presbyteros, quia die ipsa* (Dominica) *propter plebem sibi creditam secum convenire non possent, idcirco fermentum à se confectum per Acolythos accipere, ut se* (inquit) *à nostra communione, maxime illo die, non iudicent esse separatos.* Quod enim ille hic, & Melchiades & Siricius in suis apud Damasi quod dicitur Pontificale decretis, *t fermen-*

f Iust. Apol. 2. p. 76. lin. 41.
g Ancyr. Concil. c. 2
h Martyr. Rom. d. 15. Aug.
i Euseb. Hist. L. 4. c. 44.
* Innoc. ep. 1. c. 5.

† *fermentum vocant*, id nihil aliud est quam ipsissima Eucharistia ab Episcopo illa Domini die confecta, & ad civitatenses suos Presbyteros Missa unionis cum iis suæ testandæ ac confirmandæ causa, ne viderentur (ut ipse inquit, *ab ea separati*. Quo factum est, ut hæc proprie Eucharistia *fermenti* nomine à tribus illis Romæ Episcopis donaretur, quod *Ecclesiis, ad quas ab Episcopo mittebatur, fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vinculum esset, sicut fermentum massæ, cui commiscetur*; ut vere & acute, sicut plerumque solet, explicavit * eruditissimus Sirmondus. Baronij vero *fermentum* de eulogia sive *pane benedicto* in his locis accipientis † παρερμηνεία crassa & inscita est, ut sunt illius viri non pauca. Panis communis & usitatus, non minus, quam Sacer (sive tu hoc nomine eulogiam, sive Eucharistiam intelligas fermentatus est. Neutrum tamen ideo *fermentum* dixeris. Quis enim nescit *aliud* esse *fermentum*, aliud *fermentatum*? Eucharistia ergo non à materiæ, ex qua conficitur, qualitate, sed à fine & usu ad quem mittebatur, fermenti nomen sortita est. Huc accedit, quod Melchiades id, quod *fermentum declarari* dicit, ipse ait *oblationes* fuisse ab *Episcopo consecratas*; quo nomine vix est, ut aliæ oblationes, quam Eucharistiæ intelligantur. Sed ipse Innocentius satis demonstrat. Eucharistiam fuisse, non panem benedictum, illud quod dicit *fermentum*. Cur enim fermentum, quod ad Ecclesias civitatenses mittebat, non etiam ad *parochias*, id est ad exteras, sive *rusticas*, extra civitatem constitutas, mitteret, hanc rationem reddit, quod non longè asportanda sint sacramenta. *Quod* (inquit) *per parochias fieri* (id est mitti ad eas fermentum) *non puto*. Quid ni? *Quia* (inquit) *non longe asportanda sunt sacramenta*. Id ergo inquam fermentum de quo quærimus, ex eo est sacramentorum *genere, quæ non sunt longe asportanda*. Non autem erit si est quod vult acumen Baronianum) *eulogia*, quam mare trajecisse & ab Italica in Africam usque eo tempore navigasse ex Paulinianis * ad Augustinum & Alypium epistolis scimus. At ut olim ita, neque nunc ulla credo invidia est panem ut vocant, benedictum longe, imo in ultimas Sinarum, aut Iaponum terras portare. Ergo fermentum Innocentianum aliud est, quam Eulogia, sive panis benedictus. Est haud dubie Eucharistia; de qua id ipsum, quod hic se putare dicit Innocentius, Laudiceni Patres jam ante annos quinquaginta decreverant, † *Sancta* (id est Eucharistiæ particulas) *in alias parœcias transmitti vetantes*. Ergo non modo Diaconi, sed ipsi etiam Acolythi Eucharistiam quinto ipso seculo deferebant. *i* Hos nunc apud Latinos veterum mores frustra quæsieris. Illis Eucharistiam non modo ex sacra mensa distribuendam, sed vel ad infirmos deferendam, non modo Laïcis; vel Acolythis, sed ipsis etiam Diaconis tradere summa religio est. Non alia quam Sacerdotis manu tangi eam fas putant, Quin & Patres Tridentini pro ea qua pollent potestate omnia præterita atque ac præsentia

pro

CAP. I.

† Pontif. Dam. in Melch. & in Siric.

* Sirm. dissert. de Azym. c. 5 p. 127.

† Bar. a. D. 313. §. 53. 54.

* Pont. Dam. in Melch.

† Innoc. ub. supr.

* Paul. ep. 41. ad Aug. & ep 45. ad Alip.

† Conc. Laud. c. 14.

i Euseb. Hist. L. 4. c. 44.

CAP. I pro re sua immutandi, plane aliud de veteribus pronuntiarunt, quam quod nos ex ipsis eorum libris demonstravimus; *k In Sacramenti* (inquiunt) *sumptione SEMPER in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laïci à Sacerdotibus communionem acciperent, eumque morem tanquam ex traditione Apostolica descendentem iure ac merito retineri debere* decernunt. In futurum non repugno, quin illi pro sua sapientia quod libuerit prospiciant, ac præcipiant. De præterito, ut eum morem SEMPER fuisse in Ecclesia efficiant, quem Iustinus & Patres Ancyrani & Dionysius suo tempore fuisse negant: id vero non facile ut opinor, admissurus erat, vel Agatho, vel qui Agathonem laudat Aristoteles, *l* uterque ne Deum quidem hoc efficere posse putantes, ut infecta sint, quæcumque semel facti fuerint Ἀγένητα ποιεῖν ἂν ᾖ πεπραγμένα.

k Conc. Trid. Sess. 13. cap. 8.

l Ethic. ad Nicom. L. 7. c. 2.

Sed ecce sapientissimus Vasques omnem hanc nubeculam adhibita distinctiuncula, tanquam uno & quidem levi flatu disijcit: *m* Diaconos scilicet *hæc olim fecisse* concedit, sed *ex commißione fecisse, non ex officio, & potestate ordinaria.* Nimirum si huic Magistro credimus, Tridentini Patres, cum affirmant *semper hunc morem in Ecclesia fuisse, ut Laïci à Sacerdotibus communionem acciperent,* non negant *aliquando morem fuisse, ut Laïci à Diaconis communionem acciperent:* Hoc tantum intelligunt nunquam Laïcos communionem accepisse à quoquam, qui eam quidem ex officio & potestate ordinaria ministraret, nisi à Sacerdote: tametsi aliquando ab alio quam à Sacerdote, nimirum à Diacono eam accipere solenne atque usitatum fuerit, sed à Diacono non alio quam qui eam ex Sacerdotis commissione daret. Mirificum (inquit) glossema. Quid facias? Ita necesse est: Alioqui enim Tridentinorum Patrum veracitas periclitabitur. Siquis vero aliud Latinorum scitum huic objiciat hujus sacramenti solum Sacerdotem divino jure ministrum esse: quæ vero sunt divini juris ea non videri aliis committi posse, quibus de jure divino nihil hujusmodi competit: negat idem ille mirabilis Magister, *n* quod soli Sacerdotes hujus dispensationis jure divino ministri sunt, eo effici, *ut ij non possint aliis hoc munus committere* Atqui eadem quoque ratione concludetur (certe concludi posse videtur) nihil obstare, quo minus Presbyteri Diaconis, ut distribuendæ, sic & consecrandæ datum sibi divino jure manus, committere possint: quod Latinos concessuros non puto. Sed hæc nobis quidem homuncionibus captu ardua, apud illum vero sapientem clara atque indubitata mittamus: Ea enim qualiacumque de cætero sint, ad præsentem certe disputationem nihil valent, in qua, quod sæpe repetendum est, non de *iure*, sed *de facto* quæritur. De jure Vasques pro suo arbitrio statuat. Nihil hoc ad me nunc quidem: qui quid veteres fecerint, investigo: de jure, quo fecerint, non sum equidem in præsentia sollicitus. Vbi enim ex jure res agitur, ibi nulla antiquitatis ratio est. An quod fit, vel jure, vel injuria fiat, aliud est quæstionis genus. Latini ubi nobiscum pugnant, ipso antiquitatis titulo sua venditant: antiqua

m Vasq. in 3. Thom. disp. 219. c. 1. num. 4.

n Id. ibid. num. 2. 3.

antiq'a esse, etiam Apostolica sua omnia clamitant, & illud Poëtæ veteris de Roma, etiam sua, usurpant,

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Mihi ergo an vera sit hæc istarum gloriatio quærenti satis est utrorumque, veterum scilicet, & recentiorum Latinorum mores ac instituta simpliciter inter se contendere, ac comparare; quod horum, vel illorum jus sit, ad aliam disputationem pertinet. Cum ergo Iustini & Ancyranæ Synodi temporibus mos in Ecclesia illa vetustissima fuerit, ut etiam à Diaconis communionem vulgo ac passim Laici acceperint; profecto nullus Vasques hoc mihi, quod manu teneo extorserit Latinorum apud quos soli Sacerdotes hodie Eucharistiam dispensant, non esse eundem cum antiquissimi illius Christianismi usu, morem.

Postea etiam olim, aliquid mutatum fuisse ex veterum scriptis discimus. Nam Diaconis ademptam panis, calicis solam relictam distributionem ex Pseud-Apostolicis Constitutionibus patet: quæ circa initia quarti seculi editæ videntur Sic enim illæ præcipiunt; o *Episcopus quidem tribuat oblationem, dicens, Corpus Christi; & qui accipit, dicat, Amen, Diaconus vero calicem retineat, & tribuens aliis dicat, Sanguis Christi; vitæ poculum.* Res eodem modo habet in Liturgiis. Sacerdos Sacrum panem, Diaconus Sacrum poculum distribuit communicantibus, non Laïcis tantum, sed etiam Clericis. Id apud Latinos ipsos ultro a. D. millesimum servatum esse docet Ordo Romanus. In Missa Papæ de Episcoporũ & Presbyterorum communione; p *Archidiaconus* (inquit) *recepto calice de manu eius* (primi Episcopi) *confirmat omnes* (sanguine scilicet Dominico) *quos Papa communicaverit corpore Dominico.* Paulo post in communione laïca: *Postea* (inquit) Episcopi sive Presbyteri innuente Pontifice cómunicant populũ *& post eos Diaconi confirmant*, vino scilicet Sacro per pugillarem sive fistulam vitream, aut argenteam singulis propinato. Apud Æthiopes morem antiquum etiam hodie servari ex Francisci Alvarezij relationibus intelligimus narrantis istic Diaconũ ex lance Sacramentum q sumentem, idq; dextra manu tenentem minutatim distribuere ipsis etiam Sacerdotibus, qui altari adstant; inter eaque Subdiaconum pauxillum de sanguine, cochleari ex auro, argento, vel ære sumptum porrigere iis, qui sumpserunt sacramentum corporis: atque exinde cæteros fideles, qua laïcos, qua Clericos eodem modo communicari. Ex his omnes vident, quã diverso à veteri more Eucharistia hodie à Latinis distribuatur; cujus Diaconi neque utramq; partem, ut olim Iustini seculo, vel in ipsa Synaxi dispensant, vel ad absentes deferũt: neq; saltem alteram, id est sacrum calicem, quod postea quarto seculo & sequentibus ad undecimum obtinuerat. Sed calicis distribuendi munere, non solum Diaconum, sed ipsum etiam postremo Sacerdotem multarunt; qui quidem ipse Dominicum poculum invadit, ac strenue solus exhaurit; ejus neque de Clero, neque de plebe cuiquã vel unã guttulã propinat; quod à prisco Christianorum more quãtopere abhorreat, suo postmodum loco ostendemus. Hoc vero

o Const. L. 8. c. 13. p. 1023. B.

p Ord. Rom. Process. ad Miss. p. 6. C. T. 10. Bibl. Patr.

q Alvar. Viagg. della Eth c. 11. fol. 213. a.

Cap. II. Latinorum à veteribus de distributionis ministro discrimen ideo observandum duxi, quod id, ut multa alia, apud illas vel primum invexerit, vel certe haud modice confirmarit Transsubstantiationis fides, postquam semel undecimo seculo suscepta, & 13. ineunte plane *penitusque confirmata fuit.*

CAPUT II.

Novum esse quod apud Latinos Eucharisticus panis à Sacerdote in os communicantis immittitur veteres ab initio Christianismi ad seculum usque nonum communicantes Eucharistiam in manus suas accepisse; idque demonstratur testimonio, Scripturæ primo; tum & Patrum, Tertulliani, Clementis Alexandr. Cypriani C[illegible], Dionysij Alex. Basilij, Gregorij Nazianzeni, Ambrosij, Moschi, Cyrilli Hierosolym. Chrysostomi, Augustini, Bedæ, Caroli M. Nono vel decimo seculo antiquatus mos vetus; institutum primo ac mulieres manu, sed Dominicali linteo velata sacrum panem acciperent; qui mos vetitus an. D. 692. à Trullanis Patribus.

Sed his de distributionis ministro observatis, jam ad ejus modum, sive rationem, quâ illa fit veniamus; qua in parte Latini cultus insigne cernitur à veteri discrimen Eucharistiam Sacerdos in os communicantis ipse immittit, quasi infantulus sit quicumque ad Dominicam mensam accedit, qui cibum præ manuum debilitate nondum ipse accipere oblatum possit. Atqui ab hoc ritu plane diversa fuit antiquissima, & ab ipso religionis nostræ principe atque autore Christo instituta, ductaque per multa olim secula apud omnes Christianos consuetudo, ut panis & calix Sacer in manus fidelium traderentur. Christum ita instituisse consentiunt Maldonatus, *r* Iansenius; *s* Sa, *t* Salmero, *u* alij adversariorum fere coryphæi; Ecclesiam priscam secutam esse hunc morem iidem propemodum annuunt, & præter hos Pamelius, *x* Baronius, *y* Perronius, *z* Durantus Tolosanus, *a* Sanctius, *b* Garsias Loaysa, *c* Vasques; *d* neque quisquam, quod sciam, repugnat. Quam verum sit hunc usum ad an. D. 300. apud nostros perseverasse nos alibi *e* ex Tertulliano, Clemente Alexandrino, Cypriano, Cornelio Romę, Dionysio Alexandrię Episcopis abunde demonstravimus. Sed eundem etiam secutis temporibus morem apud utrosque, Græcos inquam, & Latinos, mansisse ex illius ævi scriptoribus discimus. Basilius, qui quarto seculo adulto floruit; *f In Ecclesia* (inquit) *Sacerdos particulam in manus tradit, quam qui excipit, tenet cum omni potestate, atque ita propria eandem manu ori suo admotam ingerit.* ὁ ἱερεὺς ἐπιδίδωσι τὴν μερίδα, καὶ κατέχει αὐτὴν ὁ ὑποδεχόμενος μετ᾽ ἐξουσίας ἁπάσης, καὶ οὕτω προσάγει τῷ στόματι, τῇ ἰδίᾳ χειρί. Nihil dici potuit in rem nostram disertius. Gregorius Nazianzenus Basilij æqualis, & amicus intimus, Iulianû Augu-

r Mald. in Matth. 26.
s Iansſ. Conc. Evang. c. 131.
t Sa. in loc.
u Salm T. 9. tract. 12.
x Pamel. in Cypr. de Lapſ.
y Baron. an. D. 57. §. 147. 148.
z Perr. L. 3. de Euch. c. 1. init.
a Durant L. 4. de Ritib. Eccl. c. 55. §. 17.
b Sanct. in Act. 2. 44.
c Loays. in Conc. Tolet. I. c. 14. T. 1. Concil gen.
d Vasq. in 3. Th. Disp. 196 num. 23.
e L. 2. de cult obi. c. 20. p 298.
f Basil. ep. 289. ad Cæ T. 3. p. 279. C.

Augustum tradit,g cum à Christianismo deficeret,*manus*,quibus Eucharistiam acceperat, sacrificiis Paganicis, nequid sibi Christi superesset, profanavisse τὰς χεῖρας (inquit) ἀφαγνίζεται τῆς ἀναιμάκτου θυσίας ἀποκαθαίρων, δι' ἧς ἡμεῖς Χριστῷ κοινωνοῦμεν, καὶ τῶν παθημάτων καὶ τῆς θεότητος. Idem in carmine elegiaco mulieres Christianas sese ambitiosius exornantes increpans, *Non horrens* (inquit) *palma, quas liba ad mystica tendis.*

CAP. II. g Greg Naz. Or. stetil. in Iulian. 1. T. 1. p. 70. & h Id. carm. 63. T. 2. p. 152. A.

Et queis depingis triste & inane decus.

οὐδὲ χέρας φρίσσουσα, τὰς ἐς μύστιν ἰδοῦσα

τείνεις, αἷς σὺ γράφεις πένθιμον ἀγλαΐην;

Idem cum eo argumentum est, quo Tertullianus pictores ac sculptores Christianos à fingendis idolis erat olim dehortatus, ingemens Christianum *u ab idolis in Ecclesiam venire, attollere ad Deum Patrem manus matres idolorum; denique eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis, corpora conferunt.* uterque scriptor clare indicat, hic viros, ille mulieres Eucharistiam manu apud Ecclesiam à mensæ sacræ ministro accepisse. Ambrosius quoque significat fuisse hunc Ecclesiæ suo seculo morem; *x Per manum* (inquit) *offerimus, & sumimus sacramenta.* Idem Theodosium Augustum ob cædem Thessalonicensem à sacra mensa apud Theodoretum y repellens, *Quomodo* (inquit) *manus extendes iniusta cædis sanguine adhuc stillantes? Quomodo iis manibus suscepturus es sacrosanctum Domini corpus?* πῶς τὰς χεῖρας ἐκτενεῖς ἀποστάζουσας ἔτι τοῦ ἀδίκου φόνου τὸ αἷμα; πῶς δὲ τοιαύταις ὑποδέξῃ χερσὶ τοῦ δεσπότου τὸ πανάγιον σῶμα; Quarum vocum eæ sunt geminæ, quas in simili argumento pia quædam anima apud Ioannem Moschum z usurpat ad sui tumuli, suique funeris nefarium prædonem; *Quo corde* (inquit) *quibusve manibus sanctum, ac pretiosum Domini nostri Iesu Christi corpus ac sanguinem accedens sumis?* ποίᾳ καρδίᾳ καὶ ποίαις χερσὶν προσερχόμενος μεταλαμβάνεις τοῦ παναγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ; Sed hic quidem Moschus circa septimi seculi initia scripsit. Cyrilli vero Hierosolymitani, qui quarto præcipiti obiit, præ cæteris insigne est de hoc ritu testimoniũ; *a Accedens* (inquit; ad mensam sacram scilicet) *ne expansis manuum velis accedas, neque cum disiunctis digitis: sed sinistram sedem dexteræ subiiciens, velut ei quæ regem susceptura est, concava manu Christi corpus suscipe* προσιὼν μὴ τεταμένοις τῶν χειρῶν καρποῖς προσέρχου, μηδὲ διηρημένοις τοῖς δακτύλοις. ἀλλὰ τὴν ἀριστερὰν θρόνον ποιήσας τῇ δεξιᾷ, ὡς μελλούσῃ βασιλέα ὑποδέχεσθαι, καὶ κοιλάνας τὴν παλάμην, δέχου τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. Hic etiam solennem nostris manus ad hoc officium statum ac formam graphice depinxit. Quæ Cyrillus quarto seculo, eadem octavo Ioannes Damascenus de hoc apud suos Græcos ritu his verbis testatur; *b Accedamus* (inquit) *ad eum* (Dominum dicit) *ardenti cupiditate manus in crucis formam componentes, crucifixi corpus suscipiamus, & appositis communioni oculis, labiis, & fronte divini carbonis fiamus participes, ut ignis desiderij, qui in nobis est, ex eo carbone accendatur, & comburat peccata nostra.* προσέλθωμεν αὐτῷ πόθῳ διακαεῖ. καὶ σταυροειδῶς τὰς παλάμας τυπώσαντες τοῦ ἐσταυρωμένου τὸ σῶμα ὑποδεξώμεθα. καὶ ἐπιθέντες ὀφθαλμοὺς καὶ χείλη

u Tertull. de Idolol. c. 7. p. 107. C.

x Ambr. Hexaem. L. 6. c. 9. p. 894. B.

y Theodor. Hist. Eccl. L. 5. c. 19.

z Mosch. Prat. Spir. c. 78. T. 2. Bibl. Patr. Gr. L. p. 1088. E.

a Cyr. Hier. Catech. Myst. 5. extr.

b Damasc. de fid. orthod. L. 4. c. 14. p. 460. edil Lat.

Cap.II. καὶ μέτωπα τοῦ θείου ἄνθρακος μεταλάβωμεν. ἵνα τὸ πῦρ τὸ ἐν ἡμῖν πόθου προσλαβὸν τὴν ἐκ τοῦ ἄνθρακος πύρωσιν καταφλέξῃ ἡμῶν τὰς ἁμαρτίας. Chrysostomus, qui anno quinti seculi septimo è terris ad meliorem vitam migravit, eadem docet cum Christum hora illa, qua fidelibus Eucharistia distribuitur, omnium manibus teneri scribit, *c* κατὰ τὴν ὥραν ἐκείνην ταῖς ἁπάντων χερσὶ ἐγχειρεῖ. Idem in alio opere; *d Quomodo stabis ad tribunal Christi, qui pollutis manibus & labris ipsum eius corpus audes invadere? Dic mihi, velles ne illotis manibus ad Sacrificium accedere? Non opinor, sed malles potius omnino non accedere, quam sordidis manibus. Et cum in re parva sis adeò religiosus, sordidam & immundam habens animam accedis & audes tangere? Atqui ad tempus quidem tenetur manibus; in illam autem totus & integer resolvitur.* πῶς παραστήσῃ τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ μιαραῖς χερσὶ καὶ χείλεσι κατατολμῶν αὐτοῦ τοῦ σώματος; εἰπέ μοι, ἆρ᾽ ἂν ἕλοιο χερσὶν ἀνίπτοις τῇ θυσίᾳ προσελθεῖν; οὐκ ἔγωγε οἶμαι, ἀλλ᾽ ἐθέλοις ἂν μηδὲ ὅλως προσελθεῖν, ἢ ῥυπαραῖς χερσίν. εἶτα ἐν τῷ μικρῷ οὕτως εὐλαβὴς, ψυχὴν ἔχων ῥυπαρὰν προσίεσαι καὶ ἅπτεσθαι τολμᾷς. καίτοι ὑπὸ μὲν τῶν χειρῶν πρὸς καιρὸν κατέχεται. εἰς δὲ ἐκείνην ὁλόκληρος ἀναλύεται. Idem alibi; *e Cogita quid manu capias* (in communione scilicet) *neque ullum unquam verberare audeas, neque tanto decoratam munere plaga crimine dedecores. Cogita, quid manu suscipias, & ipsam ab omni avaritia & rapina liberam conserva. Reputa, quod non tantum manu suscipis, verum & ori admoves, & linguam à contumeliosis, & turpibus verbis mundam custodi.* ἐννόησον τί δέχῃ τῇ χειρὶ καὶ μηδέποτε ἀνάσχου τὸ πλῆξαί τινα. &c. ἐννόησον τί δέχῃ τῇ χειρὶ, καὶ καθαρὰν αὐτὴν πλεονεξίας καὶ ἁρπαγῆς πάσης διατήρησον. λόγισαι ὅτι οὐ τῇ χειρὶ δεχόμενον, ἀλλὰ καὶ τῷ στόματι προσάγεις, καὶ καθαρὰν φύλαττε τὴν γλῶτταν αἰσχρῶν καὶ ὑβριστικῶν ῥημάτων. Sic & in homilia sequente; *f Non audes illotis manibus Sacrā victimā attrectare, etiamsi mille necessitatibus premaris. Ne igitur illota accedas anima.* μὴ τολμᾷς ἀνίπτοις χερσὶ τῆς ἱερᾶς ἅψασθαι θυσίας, κἂν πολλὴ ἀνάγκη ἐπικεῖται. μὴ τοίνυν ἀνίπτῳ προσέρχου ψυχῇ. Sed etiāsi taceret ipse Chrysostomus, aliunde tamen constaret hunc in ejus Ecclesia fuisse morem, nimirum ex Macedonianæ illius mulieris historia, *g* quæ se Catholicam mentiens, & ad mensam sacram cum fidelibus communicatura accedēs, id quod à Chrysostomo acceperat (id est panem Sacrum) *tenuisse* dicitur, neque *sumpsisse* (ὅπερ εἰλήφει κατέχουσα) & ejus loco alium ab ancilla clam datum panem sumpsisse.

Augustinus, qui tribus & viginti annis post Chrysostomum in Domino obdormivit, *Quanta* (inquit) *h Sollicitudine observamus, quando nobis corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat.* Idem alibi Donatistas Episcopos alloquens, de quodam eorum collega verba faciens, *In cuius* (inquit) *manibus Eucharistiam ponebatis, cui vicissim danti manus porrigebatis.* Hunc aperte dicit & porrectam à Collegis celebrantibus Eucharistiam manu ipsum cepisse, & eam vicissim Collegis celebrantem in manus tradidisse. Atque ad hunc Augustini locum ipsa Parisiensis novissima editio hanc in margine annotationem exhibet: *Sancta Eucharistia olim in manibus dabatur.*

c Chrys. l. 3. de Sacerd.
d Id. Hom. in Paul. ad Eph. p. 887.
e Id. hom. 21. ad prop. Ant. T. 1. p. 238. C.
f Ibid. Hom. 22 quæ est de simult. & ir. p. 260. C.
g Sozom. L. 8. c. 5. fol. 107. b. edit. Rob. Steph. Gr.
h Augustin. Homil. 26
i Id L. 2. contr. litt. Petiliani c. 23. T. 7. p 100. col. 1. D.

Sexti seculi a. 78. Autissiodorense apud nos Concilium testatur eundem adhuc usum fuisse; nisi quod Eucharistiam nuda soli viri, mulieres velata, cæterum utrique manu acceperint. k *Non licet* (inquit) *mulieri nuda manu Eucharistiam accipere.* Quo pertinet & canon ibidem paulo post sequens; *Ut unaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem suum habeat.* Quid autem iste fuerit, mulierum ut Patres vocant Dominicalis, quod eo scilicet Dominicum Sacramentum à mulieribus susciperetur, docet auctor Sermonis de Dedicatione Ecclesiæ (qui inter Augustinianos, sed absq; Augustini nomine circumfertur) ad hoc sextum, septimumve, ut probabile est, seculum, revocandus est, quo hic superstitiosus ritus cœpisse videtur; *omnes viri* (inquit) *quando communicare desiderant, lavant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Christi accipiant.* Itaque viros hortatur, *ut aqua manus, ita eleemosynis conscientias lavent*; mulieres, *ut corpus castum, & cor mundum exhibeant; quomodo nitidum exhibent linteolum ubi corpus Christi accipiant.* Ex his patet *Dominicalem* illum muliebrem, linteolum fuisse mundum ac nitidum. Similem quoque apud Græcos superstitionem invaluisse, sed seculo sequente, id est septimo, Trullani Patres a. D. 692. testantur. Sed illi melius ac fortius, quam Galli nostri, corruptelam à Christiana simplicitate alienam adeo non fovent, aut commendant, ut etiam acriter redarguant, pœnisque coërceant in superstitionis illius reos latis? Dignus videtur canon, qui totus hic describatur; *Corpus Christi* (inquiunt) *& templum, hominem ad imaginem Dei creatum divinus magna voce appellat Apostolus. Omnem ergo sensibilem creaturam superans is, qui salutari passione cœlestem dignitatem est assecutus Christum bibens, vel comedens æterna vita adoptatur, animam & corpus divina gratiæ participatione sanctificans. Quare si quis immaculati corporis in synaxis tempore particeps esse voluerit, & offerre se ad communionem, manus in crucis formam figurans sic accedat, & gratiæ communionem accipiat. Eos enim qui ex auro, vel ex alia materia quadam loco manus receptacula efficiunt ad divini muneris susceptionem, & per ipsa immaculatam communionem recipiunt, minime admittimus, ut qui inanimatam subjectamque materiam Dei imagini præferant. Si quis autem deprehensus fuerit immaculatam communionem iis impertiens, qui ejusmodi receptacula afferunt, & ipse segregetur, & is qui offert.* Postrema, quæ huc propriè spectant, sic habent, τοὺς γὰρ ἐκ χρυσίου ἢ ἄλλης ὕλης ἀντὶ χειρὸς τινα δοχεῖα κατασκευάζοντας πρὸς τὴν τοῦ θείου δώρου ὑποδοχὴν καὶ δι' αὐτῶν τῆς ἀχράντου κοινωνίας ἀξιουμένους οὐδαμῶς προσιέμεθα, ὡς προτιμῶντας τῆς τοῦ Θεοῦ εἰκόνος τὴν ἄψυχον ὕλην καὶ ὑποχείριον. εἰ δέ τις ἁλῷ τῆς ἀχράντου κοινωνίας μεταδιδοὺς τοῖς τὰ τοιαῦτα δοχεῖα προσφέρουσι, καὶ αὐτὸς ἀφοριζέσθω καὶ ὁ τοιαῦτα ἐπιφερόμενος. Hi à nostris Autissiodorensibus apertè dissentiunt, dum illa Sacramenti Dominici δοχεῖα *exceptoria*, ex quacumque materia parentur, adeoque etiam ea, quæ ex linteo, sive linteamine fiunt, reprobant, & qui iis utuntur, Sacramento interdicunt. Sed neque obscuris recentissimos Latinos pulsant, dum à quovis

CAP. II.

k Conc. Autiss. c. 38 & mox c. 42.

l Aug. Serm. 252. de Tēp. t. 10. §. 3, E. D

m Concil. Trull. Can. 101. T. 5. Conc. gen. p. 350.

Cap.II. communicante manu excipiendam esse Christi Eucharistiam docent. Sed quidquid de illo ad eam excipiendam apparatu dixeris, omnes ad id tempus sacramentum sua, non Sacerdotis manu accepisse, & in os suum immisisse, clarum certumque est. Mansisse apud Græcos priscum hunc morem ex Codino patet, ubi de Imperatoris communione verba faciens; n *Patriarcha* (inquit) *postquam communicavit pretioso corpori, dat Imperatori in manus particulam Dominici corporis* ὁ δὲ πατριάρχης μετὰ κοινωνῆσαι τοῦ τιμίου σώματος, δίδωσι τῷ βασιλεῖ εἰς χεῖρας μερίδα τοῦ δεσποτικοῦ σώματος. Octavo seculo eumdem usum apud Latinos quoque mansisse ex iis intelligimus, quæ Beda de Ceadmonis supremis narrat, quem dicit Eucharistiam expetivisse, eamque in manu excepisse. Sed & ad noni seculi initia idem observatum fuisse Caroli Magni Capitulare apertissimè nos docet, in quo lex hæc legitur; p *Placuit ut omnes, qui sacram acceperint Eucharistiam, & non sumpserint, ut sacrilegi repellantur.* Ergo sic eam accipiebant Caroli temporibus, ut qui *acceperant*, possent si vellent, non *sumère*, id est non edere. At ubi in os ipsum communicantis à Sacerdote immittitur, *accipi*, quin & *sumatur*, non potest. Nimirum *sumi* dicitur, cum ore *suscipitur*.

n Cod. de offic. const.

o Bed. Hist. Angl. l. 4. c. 24. t. 3. p. 108.

p Capit. Car. M. l. 7. c. 372.

Hactenus hæc certa clareque habemus prisci ritus argumenta. Postea mutatum apparet, & quidem hoc ipso ut videtur, id est nono seculo; qua verò seculi parte, non apparet. Ratherius Veronensis Episcopus, qui ann. D. 974. ad plures migravit, morem se vivente hunc jam fuisse significat, ut Eucharistia in os communicantis immitteretur; si verè ejus est alter de Pascha sermo nuper à Dacherio editus; ubi dum quosdam in suum ipsum Sacerdotem mala molientes denotat, q *Ipsi* (inquit) *qui sanctum panem mittebant in ore dicendo.* Corpus Domini nostri Iesu Christi prosit tibi in vitam æternam, *non cessabant perditionis laqueos tendere.* Burchardus, qui undecimo seculo ineunte vixit, a. ejusdem seculi 26. mortuus est, à Synodo quadam Rotomagensi conditum in hac verba decretum exhibet, post alia quædam Presbytero de Eucharistiâ communione præcepta, r *Nulli* (inquit) *Laico, aut fœminæ Eucharistiam in manibus ponat, sed tantum in os ejus cum his verbis ponat. Corpus Domini & sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum ad vitam æternam.* Quæ autem fuerit, & quo anno habita Rotomagensis illa Synodus, ex cujus capite secundo hæc laudat Burchardus, & an aliqua revera fuerit, incertum est; quod illius scriptoris valde sublesta sit fides, vera falsaque, certa & incerta, sincera & adulterata nullo pæne delectu in suam decretorum collectionem promiscuè congerentis, & vera ipsa non verum auctorum nominibus edentis. Illud quidem ex iis quæ proxime de Bedæ historia, deque Caroli Magni Capitulari deprompta attulimus, pro certo statui posse videtur, non fuisse hanc de immittendo in os communicantis Sacramento legem latam ante a. D. 814. quo Carolus fatis concessit, imò ne Ludovici quidem ejus filij temporibus (cujus hoc quoque Capitulare dicitur) publicatam fuisse.

q Rather. serm. 2. de Pasch. T. 2. Spicil. Dach. p. 314.

r Burch. Decret. l. 3. c. 76.

Vndecimo

Vndecimo verò seculo & proxime sequentibus obtinuisse, & ab omnibus presbyteris Eucharistiam apud Latinos distribuentibus observatam fuisse, non est quod dubitemus. Vdalricus in Consuetudinibus Monasterij Cluniacensis refert *s communicantes scutellæ cuidam se adjunxisse, ut si fortè (* inquit *) inter sumendum corpus Domini aliquando vel de ore sumentis, vel de manu porrigentis lapsum fuerit, nisi in scutellam cadere non possit.* Quod de *manu porrigentis, de ore sumentis* dicit, id clamat Eucharistiam illius Scriptoris ævo, qui ministrabat, eam *manu* quidem dispensasse; qui verò sumebat, eum non jam & ipsum ut olim, *manu*, sed *ore* duntaxat ingestam à Sacerdote sumpsisse. Vdalricum autem istum circa undecimi seculi suprema vixisse inde conjicio, quod librum hunc suum Guillelmo Hirsaugiensi Abbati inscripserit; quem Trithemius auctor est a. D. 1091. vivere desiisse. Ernulfus ex Monacho Benedictino Roffensis Episcopus, qui iisdem temporibus floruit, idem quoque indicat, dum panis sacri intinctionem defendens, hanc ejus potissimum rationem adfert, *t ne (* inquit *) accipientes, sive porrigentes peccemus, non habita fortè competenti cautela in labiis & manibus nostris. Labia accipientis* (id est fidelis communicantis) *manus porrigentis* (id est Sacerdotis Sacramentum tradentis) dicit; quia nimirum hic manibus, ille labiis tantum Eucharistiam tangebat. Ita paulatim pulso, tandemque plane antiquato veteri tradendæ in communicantium manus Eucharistiæ ritu, obtinuit apud Latinos ejus immittendæ in ora fidelium mos, iis temporibus, quibus invecta panis sacri per transsubstantionis fidem ἀνθρωπολατρεία hominum in novum numen religionem in immensum promovit.

C A P. III.

s Vdalr. in ant. consuet. Mon. Clun. c. 30. T. 4. Spic. Dach. p. 146.

t Ernulf. Roff. ep. 2. Spicil. Dach. T. 2. p. 435.

CAPUT III.

Alienum fuisse à veteris Ecclesiæ jam inde à Cypriani ævo ad duodecimum seculum, infantibus Eucharistiam communicantis more, quod ius nunc apud Latinos idem Sacramentum negatur. Veteres ita olim, ut diximus, factitasse demonstratur testimoniis Cypriani, Pseudo-Clementis, Theodori Mopsuesteni, Augustini, Innocenty, Chrysostomi; idque eos ita servasse, quod Eucharistiam ad salutem æque necessariam ac baptismum, putarent; quod ex Augustino, Pseudo-Clemente, Chrysostomo, & aliis probatur.

SEquitur tertia circa personas, quibus Eucharistia distribuitur, in Latinorum cultum, præter majorum suorum morem, inducta diversitas. Illi nimirum non aliis, quam adultis Christianis hostiam suam dispensant. Veteres sacra munera etiam parvulis infantibus, & quidem statim post susceptum baptismum, tradebant; perverso fateor, more, neque

Cap. III. neque ab initio tradito, imò cum Apostolica doctrinæ pugnante, sed tamen antiquissimo, adeoque hujusmodi, quem ab antiquitatis non modo mediæ, sed etiam infimæ adoratoribus retineri decebat; præsertim, qui eum adeo non damnent, ut *probabili* olim *de causa* institutum fuisse censeant. Ita enim de eo decernunt Tridentini Patres. u Quam autem sit antiquus ille à Latinis repudiatus ritus, Cyprianus de tertio seculo Episcopus & Martyr insignis; in primis testatur, ubi Dei in eos judicia narrans, qui funestis Paganorum sacris polluti ad mensam Domini nulla sui criminis facta exhomologesi accedere præsumpserant, parvulæ cujusdam Christianæ meminit, cui nutricis scelere ad Magistratus, sæviente in nostros persecutione, delatæ traditus erat panis de immolatione apud idola tinctus. Hanc postea mater receptam in fidelium synaxin intulit. *Ubi* (inquit Cyprianus) *solennibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ Majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus; In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit.* Hic parvulæ vides, de nutricis ubere pæne adhuc pendentis suum fuisse inter communicantes locum; Huic solennibus adimpletis, suo ordine æque ac cæteris fidelibus calicem sacrum à Diacono porrigi, etiam reluctanti infundi; quod propter effusionis periculum transsubstantiatorum nemo faceret, ne iis quidem temporibus, quibus nondum vel parvulis Eucharistiæ, vel Laïcis calicis usus ademptus erat. Idem alibi Fidum infantes ante octavum à natali diem *baptizandos*, aut *sacrificandos* (id est communicandos) negantem ita refellit, ut illam quidem ad octavum diem præscriptionem confutet haud sanè perfunctoriè; de baptizandis verò & *communicandis* in illa ætatula parvulis adeò nihil obloquitur, ut id ipse veluti rem extra controversiam positam ubique statuat, ac ut loquuntur, supponat.

u Côc. Trid. sess. 21. c. 4.

x Cypr. l. de Laps. p. 202.

y Id. ep 59. p. 108.

Idem alibi infantes parvulos suscepto baptismo Eucharistiam quoque sumpsisse clarissime testatur, quo loco dicit eosque *parentum manibus vel impositi, vel attracti* idolis communicaverant, *amisisse quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consecuti.* Hoc enim quod parvuli primum consecuti, parentum mox scelere amiserant, de Eucharistiæ sanctificatione intelligendum esse ipse statim docet; z dum eos quicquid hoc erat criminis apud Dominum supremi judicij die sic purgantes inducit; *Nos nihil fecimus, nec derelicto CIBO ac POCULO Domini ad profana contagia sponte properavimus. Perdidit nos aliena perfidia. Parentes sensimus parricidas.* Apertissime significant *cibum* se & *poculum* Domini, id est totum Eucharistiæ Sacramentum, fuisse *consecutos*, quod *se sponte dereliquisse* negant Theodorus Mopsuestiæ Episcopus apud Photium memorat a eos, quos oppugnat, docentes ne infantes quidem recens natos peccati expertes esse, id ex ministratis, etiam illi ætati

z Id. de Laps. p 198.

a Theodor. apud Phot. in Bibl. 177. p 205. edit. Gr.

Sacramentis

Sacramentis probare instituisse; *Sanctum*(inquit)*baptisma, sacrique corporis communionem, quæ in peccatorum remissionem etiam ipsis infantibus adhibentur ad propriæ opinionis confirmationem adferre.* καὶ αὐτὸ τὸ ἅγιον βάπτισμα καὶ τὴν τοῦ ἀχράντου σώματος κοινωνίαν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ τοῖς βρέφεσιν ἐπιφερόμενα, ταῦτα πρὸς σύστασιν ἐπὶ βεβαιώσει τῆς οἰκείας γνώμης. Ita fieri apud Pseudo-Apostolicas Constitutiones videmus; *b* in quibus post accuratissime expositum totius sacri Ordinem, Clerici primum, Virgines, & Viduæ; exindè τὰ παιδία *infantuli, pueruli* communicant; καὶ τότε πᾶς ὁ λαὸς; & *deinde totus populus.*

b Const. Apost. L.8. c. 13 p.1023. A.

Quinti seculi eandem quoque fuisse praxin testatur Augustinus *Infantes sunt* (inquit de parvulis contra Religiones disputans *c*) *sed Sacramenta ejus accipiunt. Infantes sunt, sed mensæ ejus participes fiunt, ut habeant in se vitam.* Idem in altero contra Iulianum opere; *d Cur ministratur sanguis, qui de similitudine carnis peccati in remissionem fusus est peccatorum, quem bibat parvulus, ut habere possit vitam; si de nulla peccati origine venit in mortem?* Nimirum hæc Iuliano objicit, veluti quæ in universa Christi Ecclesia ita palam, aperteque fieri solerent, ut negari ab eo non possent. Sed præterea, ex hoc scriptore observandum est, cur illi parvulos non solum baptizarent, sed etiam communicarent. Hoc enim ille docet ideo factum fuisse, ut parvuli habere possent vitam; quam scilicet absque baptismi & Eucharistiæ participatione, non modo ab adultis, sed vel ab ipsis infantibus haberi posse non putabam. Augustini quidem certe hæc fuit sententia, tam multis tamque apertis locis ab eo edita, ut mirum sit nonnullos ea de re dubitare. Ille passim hoc telo Pelagii perfidiam petit, peccatum originale negantis, ut in duobus istis locis quæ descripsit. Sed & alibi passim eadem docet, ex illis Christi verbis, quæ extant apud Ioannem, *Nisi manducaveritis carnem meam & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis*; constanter argumentans vita cariturum quisquis Eucharistiæ, adeoque & baptismi non fuerit particeps, absque quo scilicet nemini licet alterum Sacramentum sumere; *e Dominum*(inquit)*audiamus, non quidem hoc de Sacramento sancti lavacri dicentem, sed de Sacramento sanctæ mensæ suæ, quo nemo nisi rite baptizatus accedit,* Nisi manducaveritis carnem &c. *Quid ultra quærimus? Quid ad hoc responderi potest, nisi pertinacia pugnaces nervos adversus constantiam perspicuæ veritatis intendat?* Cum ex illis Domini ad Nicodemum verbis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cœlorum,* concluderet etiam parvulos non baptizatos cœlesti regno multari, adeoque peccasse, quod neminē peccati expertē puniat Deus; respondebant Pelagiani istos regno quidē multari; non tamen vita æterna privari. Ergo, ut hoc eis effugium præcludat. Augustinus, illam alteram ex capite Ioannis sexto sententiam affert, qua non modo regno, sed vita caritui dicuntur quicūque carnem & sanguinem Domini minime sumpserint; unde consequens est & vita ipsa æterna multatum iri quotquot non baptizati mortui fuerint; quia nemo istorum baptismum consecutus erat, cujus qui expers est ad

c Aug Serm. 8. de verb. Ap. c.6. T. 10. p.110.

d Id. ep. imp. contr. Iul. L. 2. § 30. in T. 7 Aug. fin. p. 51. A.

e Id. L. 1. de pecc. mer. & remiss. c. 20. T. 7. p 282. B.

Cap. III. Eucharistiam non admittitur. Hic autem, ut omnes vident, clare ac necessario (ut loquuntur in Scholis) supponit, qui Eucharistiæ expers ex hac vita discesserit eum vita æterna cariturum. Horum gemina sunt, quæ idem alibi eandem causam agens plurima scripsit; ut in epistola ad Paulinum, *f* ubi cum dixisset usurpata ad eandem veritatem confirmandam *ab Apostolica Sede* (id est ab Innocentio. P. R. I.) *illa Domini verba, Nisi manducaveritis* &c. *Si autem* (inquit) *cedunt* (Pelagiani) *Sedi Apostolicæ, vel potius ipsi Magistro & Domino Apostolorum, qui dicit non habituros vitam in semet ipsis, nisi manducaverint carnem Filij hominis, & biberint sanguinem ejus (quod nisi baptizati non utique possunt) nempe aliquando fatebuntur parvulos non baptizatos vitam habere non posse.* Quod enim hic dicit, *Christi manducare carnem & bibere sanguinem*, id de Sacramentali carnis & sanguinis Christi sumptione ab eo intelligi inde putet, quod id fieri posse nisi ab iis qui baptizati sunt, negat; cum Dominicum corpus & sanguinem spiritualiter sumere, credentes nihil vetet, etiamsi nondum baptizatos. Quo & illud accedit, quod quam hic dicit *carnem*, *panem* paulo ante eadem de re verba faciens dixerat, *g Istam* (inquiens) *mortem* (id est temporalem) *necesse est pati, etiam qui de ipso pane manducant.* Idem docent, quæ habet in epistola sequenti; *h Ipse* (inquit) *si in illa parva ætate moriuntur, utique secundum ea, quæ per corpus gesserunt, id est tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda & ora gestantium crediderunt, vel non crediderunt, quando baptizati sunt, vel non baptizati sunt, quando carnem Christi manducaverunt, vel non manducaverunt, quando & sanguinem biberunt vel non biberunt. Secundum hæc ergo, quæ per corpus gesserunt &c. judicantur.* Vult damnatum iri, qui vel non crediderint, vel baptizati non fuerint, vel carnem Dominicam non manducaverint. *Carnem* autem *Dominicam edere* apertissime dicit Sacramentum illius carnis ore sumere; quia quod his verbis significat id *per corpus geri* ait; quod Sacramentali esui convenit; à spirituali, plane alienum est. Cætera eadem de re loca ad hæc referenda sunt, & ex iis explicanda; ut cum eos negat *i habere nisi æternam mortem posse, qui sine participatione corporis & sanguinis Domini æternam vitam habere non possunt.* Item cum Pelagianos reprehendens; *k Nec illud* (inquit) *cogitatis eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes corporis & sanguinis Christi. dicente ipso, Nisi manducaveritis carnem, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* Libro secundo ejusdem operis, *l Ecce* (inquit) *beatæ memoriæ Innocentius Papa sine baptismo Christi; & sine participatione corporis & sanguinis Christi vitam non habere parvulos dicit. Si dixerit* (Celestius Pelagianus) *non erunt in vita* (scilicet æterna infantes absque Eucharistiæ perceptione mortui) *quomodo ergo non accipientes vitam æternam, utique consequenter æterna morte damnantur, si nullum trahunt originale peccatum?* Et in eodem opere; *m Hæc* (inquit) *est reconciliatio in lavacro regenerationis & Christi carne & sanguine, sine qua nec parvuli possunt habere vitam in semet ipsis.* Ita & Julianum Pelagianorum signife-

g ibid. B.

h Id. ep. 107. Sent. 8. p. 189. D.

i Id. de pecc. orig. contr. Pel. L. 2. p. 337 A.

k Id. contr. duas ep. Pelag. L. 1 c 22. p. 457. C.

l Id. ibid. L. 2. c 4. p. 459. A.

m Ibid. L. 4. c. 4 p. 473. B.

signiferum in priori adversus eum opere urget; *n Innocentius (inquit) parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filij hominis vitam prorsus habere non posse. Huic responde, imo ipsi Domino, cujus ille antistes usus est testimonio, & dic unde imago Dei tam capitali supplicio puniatur, ut vita privetur, si peccatum à nascentibus originaliter non trahatur?* Sic & libro ejusdem operis tertio Pelagium ipsum dicit *o timentem damnari damnavisse eos, qui dicunt infantes, etiamsi non baptizentur habere vitam aternam*; eumque factum apud suos, si id illi ægre ferant, & reprehendant, purgare posse ratione idonea ab ipsa Dominicæ vocis luce petita; *Qui tamen* (inquit) *si vobis maledicentibus, dicat. Et quid velletis, ut facerem? An dicente Christo, si non manducaveritis meam carnem, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis; dicturus fueram parvulum habiturum vitam, qui sine isto SACRAMENTO finiisset hanc vitam? Puto, quod vos maledixisse homini pœnitebit.* Ergo idoneam hanc Pelagij satisfactionem fuisse futuram putavit Augustinus; idoneam autem futuram falso putavit, si credidit hac Christi sententia non multari vita, quisquis absque hoc corporis & sanguinis Dominici Sacramento finierit hanc vitam. Ita in alio opere Pelagianos convinci affirmat *p parvulos non posse habere vitam æternam, quia non manducaverunt carnem, nec biberunt sanguinem Christi.* Et paulò post iterum pronuntiat *q sine accepto corpore & sanguine Christi parvulos vitam prorsus habere non posse.* Cujus dicti geminum est, quod in alio opere legitur, *r sine Sacramentis Ecclesiæ* (quæ de Christi latere manarunt) *ad vitam* (inquit) *quæ vera vita est, non intratur.* Neque verò hanc suam unius esse sententiam dicit; Eadem censuisse, imò & definivisse in hac ipsa aduersus Pelagium causa Innocentium urbi Episcopum testatur, ejusque sententiam identidem laudat, & aliquando, ut supra indicavimus, recitat. Ea autem etiam hodie legitur in epistola ejus ad Concilij Milevitani Patres, quæ inter Augustinianas extat numero 93. *s Illud vero* (inquit Innocentius) *quod eos* (Pelagianos) *vestra fraternitas asserit prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine baptismi gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filij hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis.* His verbis, quod sæpe affirmat Augustinus videmus ab Innocentio definitum neminem etiam parvulum, absque carnis Dominicæ esu sanguinisque potu vitam æternam posse consequi, id est, absque Eucharistiæ participatione, de qua & ipse & Augustinus & Chrysostomus, & multi alij Patres ea Domini verba vulgo accipiebant. Sed non solum Innocentium secum hac in parte sentire affirmat Augustinus. Suam sententiam liquido pronuntiat Apostolicam esse universæ Ecclesiæ traditionem. Hæc enim ejus hac de re verba sunt sanè disertissima; *t optime Punici Christiani baptismum ipsum, nihil aliud quam salutem, & sacramentum corporis Christi nihil aliud, quam vitam vocant. Unde nisi ex antiqua, ut existimo, & Apostolica traditione, qua Ecclesiæ Christi insitum tenent, præter baptismum, & participationem Dominicæ*

Cap. III.

n d.l.1. contr Iulian. c.4. p.368. A.

o Ibid. l.3. c. 1 p.382. B.

q Ib. de præd. Sanct. l.1. c. 13 sess.3. A.

q ibid. B.

r Id. in Ioan. Tract. 120. p.116. D.

s Innoc. 1. ep. ad conc. Milev. apud. Aug e.93 p. p.161. A.

t Aug. l.1. de pecc. mer. & remiss. c.24. p.294. C.

Cap. III. *mensa, non solum non ad regnum Dei, sed nec ad salutem & vitam aeternam posse quemquam hominum pervenire: Hoc enim & Scriptura testatur, secundum ea, quae supra diximus. Nam quid aliud tenent, qui babtismum nomine salutis appellant, nisi quod dictum est,* Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis? *Quid aliud etiam, qui Sacramentum Dominicae* (carnis) *vitam vocant, nisi quod dictum est,* Ego sum panis vivus &c. *&*, si non manducaveritis carnem &c *Si ergo, ut tot & tanta divina testimonia concinunt, nec salus, nec vita aeterna sine baptismo & corpore & sanguine Domini cuiquam speranda est, frustra sine his promittitur parvulis.* Atque hinc refellitur crassus Caietani error, fingentis morem illum tinctos infantes communicandi à Pelagio exortum esse, *qui* (inquit) *motus ex verbis Domini Ioann. 6. Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, &c. non habebitis vitã in vobis, utramque Sacramenti speciem etiam ad infantes baptizatos extendit, dogmatizando, quod si infans non posset Sacramentalem panem sumere, deberet panis contritus cum sanguine infundi in os infantis, & si quispiam eiectum esset, esse illud comburendum, iuxta antiquum de Agno Paschali, Siquid residuũ fuerit igne comburetis.* Sed haec totidem monstra sunt hominis de antiquitate sibi ignota quidvis pro sua libidine somniantis. Nam neq; Eucharistiae residua comburere, neq; intritum vino sacro panem pro tota Eucharistia porrigere à Pelagio est. Illud apud Ecclesiam Hierosolymitanam solenne fuisse ex Hesychio discimus; Hoc diu post Pelagium invetum ex Synodo Bracarensi, postremo Latinis in promiscuo usu fuisse ex undecimi seculi scriptorib. novimus. Illud vero, quod primo Caietanus posuit, omnium longe absurdissimum est, à Pelagio scilicet ortum parvulorum cõmunicandorum morem. Atqui plane contra esse ex Augustino & alijs Patribus intelligimus, qui eam consuetudinem Pelagio usq; adeo non imputant, ut etiam passim objectent, veluti communem totius Ecclesiae eo seculo militantis morem, quod sane quam verum sit & ex iis Augustini atq; Innocentij locis, quae nuper recitavimus, & ex caeteris illius aevi scriptoribus patet. Quod vero Augustinus hanc etiam vult fuisse traditionẽ Apostolicam, de eo frustra sibi falsoque vir magnus blanditur. Neq; enim re vera Apostoli uspiam docent neminem absq; Eucharistiae perceptione servari; qui multa insuper tradunt cum hac opinione recto pugnantia. Sed Augustinus more suo *Apostolicum* hic esse *existimat*, quod in omnibus sui aevi Ecclesiis teneri censebat, cujusque claram & certam in aliquo superiorum temporum Consilio originem nullam reperiebat; minus attendens, quod tamen & verissimum, multas & opiniones & consuetudines, ab uno & altero praeter primam Apostolorum traditionẽ exortas, inde primo à plurib. exceptas, paulatim, sensimq; ac sine sensu in omnium animos, sive ob auctorũ famã, sive ob veritatis, vel utilitatis speciẽ irrepsisse, postremoq; totius Ecclesiae communes factas esse, etiam absq; ullo superiorũ temporum Cõcilio praeeunte; Quod in hoc quoq; negotio accidisse non modo verisimile, sed verum est. Nam paucorũ primo error Eucharistiae eundem esse ac baptismi rationem putantium, urgente paterno in liberos affectu, persua-

Tit. 3.
Ioan. 6.
a Caiet. in 3. Th. q. 8. art. 12. p. 392. col. 1. Extr.

persuasit parvulos, nequid eis ad salutem deesset, non minus Eucharistia, CAP. III.
quam baptismo esse ad Christianismum initiandos, quod in adultis omnibus ita fieri videbant, quibus simul ac tincti erant, Dominicæ mensæ panis ac poculum tradebatur. Ita sensim opinio aliqua veri atque utilis specie in communem omnium usum facile transiit. Quod vero ab omnibus fieret, id necessario fieri proclive fuit, ut in cæteris, ita & in hoc credi. Ita quæ Apostolorum nulla revera, omnium non multis post Apostolos temporibus communis traditio facta est, necessariam esse ad salutem Eucharistiæ sumptionem. Hoc fateor Augustinum vere de sua illa sententia prædicare, eam scilicet *à Christi Ecclesiis*, (suæ scilicet ac paulo superioris memoria) teneri. Nam in iis, quæ exstant illius antiquitatis monumentis etiam hodie cernuntur aliquot hujus opinionis vestigia. Ritum ipsum mitto Eucharistiæ parvulis tradendæ, quem ex Cypriano apparet jam fuisse ejus ævo in communi ac publico Ecclesiarum usu; quemq; vix credibile est omnes ita suscepturos fuisse, nisi Eucharistiam etiam parvulis ad Salutem necessariam esse sibi persuasissent. Sane ipsa illa de sacramenti necessitate opinio apud vetustissimum Recognitionum scriptorem occurrit, quo loco Petrus inter cætera, quę longissimo sermone Clementi vel narrat, vel exponit; x *Ad ultimum* (inquit) *monui eos* (*Judæos*) *ut priusquam progrederemur ad gentes prædicare eis agnitionem Dei Patris, ipsi reconciliarentur Deo suscipiẽtes Filium eius. Aliter nullo modo eos ostendi Posse SALVARI, nisi per S Spiritus gratiam trinæ invocationis dilui baptismate properarent, & Eucharistiam Christi Domini sumerent.* Chrysostomus eadem sensisse ex his agnoscitur, quæ Sacerdotum dignitatem exstruens alicubi dicit; y *Si non potest quis* (inquit) *in regnum cœlorum ingredi, nisi per aquam & Spiritum regeneratus fuerit, & qui non manducat carnem Domini, & sanguinem eius non bibit, æterna vita privatur; omnia autem hæc haud aliter, quam per sacrosanctas illas manus perficiuntur, manus inquam, Sacerdotum; qui fiet, ut citra illarum opem aut gehennæ ignem evitare quis possit, aut reposita in cœlo coronæ præmia assequi?* εἰ γὰρ οὐ δύναταί τις εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ἐὰν μὴ δι' ὕδατος καὶ πνεύματος ἀναγεννηθῇ, καὶ ὁ μὴ τρώγων τὴν σάρκα τοῦ Κυρίου, καὶ τὸ αἷμα αὐτοῦ πίνων, ἐκβέβληται ἐκ τῆς αἰωνίου ζωῆς. πάντα δὲ ταῦτα δι' ἑτέρου μὲν οὐδενὸς, μόνον δὲ διὰ τῶν ἁγίων ἐκείνων ἐπιτελεῖται χειρῶν. τῶν τοῦ ἱερέως λέγω. πῶς ἄν τις τούτων ἐκτὸς ἢ τὸ τῆς γεέννης ἐκφυγεῖν δυνήσεται πῦρ ἢ τῶν ἀποκειμένων στεφάνων τυχεῖν; *Quid in hanc rem dici potuit disertius? Esu* enim *corporis Dominici & sanguinis potu* Eucharistiæ sumptionem intelligi inde patet, quod hæc aliter quã à Sacerdotũ manu haberi negat; quæ ad Eucharistiam quidem necessaria est, ad participationẽ vero corporis & sanguinis Dominici Spiritualẽ, minime. Vt nunc illud mittam, quod Vasques agnoscit, Chrysostomũ illa Domini apud Ioannem de carnis suæ esu verba, quæ hic adfert non aliter, quam de sacramentali participatione accipere. Idẽ alibi quoq; docet, z ubi adversus Manichæorum mortuos baptizantium insaniam disserens, baptismũ viventi, non mortuo, necessario ministrandum ex hoc inprimis loco probat; *Quibusnam* (inquit)

x Clem. Recogn. l. 1. fol. 8. M. exit.

y Chrys. l. 3. de Sacerd. c. 5. T. 4. p. 30. A.

z Id. Hom. 40. in 1. ad Cor. init. p. 450. D.

Caput IV.

(inquit) *Christus dixit. Nisi comederitis carnem meam & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis? Vivisne an mortuis, dic quæso?* τίσι δὲ ἔλεγεν, ἐὰν μὴ φάγητέ μου τὴν σάρκα, καὶ μὴ πίητέ μου τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν αὐτοῖς; τοῖς ζῶσιν ἢ τοῖς τετελευτηκόσιν εἰπέ μοι; Quorsum hæc quæso, nisi parem ille Eucharistiæ ac baptismi necessitatem esse statuerit, ac utrumque Sacramentum homini, & quidem viventi administrari, ad salutem necessarium esse crediderit? Nam his de Eucharistia statim illa quoque de baptismo subjecit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest videre regnum Dei.* Neque sanè aliud eos Patres hac de re sensisse credibile est, qui non pauci illa Domini de carnis suæ esu apud Ioannem *verba de Eucharistia sumptione intelligunt.*

CAPUT IV.

Refellitur Vasquis ad superiorem veterum de Eucharistiæ ad salutem necessitate opinionem cavillatio. Eumdem pueros & infantes communicandi morem postea etiam diu mansisse ad duodecimum seculum demonstratur testimoniis Prosperi, Isidori, Pelusiotæ, Cyrilli Alexandrini, Pseud'Amphilochii, Pseudo-Dionysii, Fulgentii (cujus sententia aperitur de Eucharistiæ necessitate) Ferrandi Diaconi, Cæsarii Arelatensis, Gregorii I. Concilii Toletani II. Caroli M. Iesse Ambianensis, Amalarii, codicum duorum MSS. Hugonis Menardi, Pseud'Alvini, Ordinis Romani, Rodulphi Ardentis, Paschalis P.R. II. Hugonis de S. Victore. Seculo demum 12. mutatum apud Latinos morem; sed apud cæteras Christiani nominis gentes, Græcos, Moscovitas, Armenios, Æthiopas in hunc diem mansisse. Ex his Concilii Tridentini ea de re definitio falsitatis, dissimulationis, ac non ferendæ in antiquitatem temeritatis ac irreverentiæ arguitur.

NEque quicquam contra hoc valet θεῶν Vasquis φάρμακον, Augustini descripta à nobis testimonia sic eludentis, ut neget eum & cæteros Patres putasse parvulis necessariam esse, *ad salutem communionem sacramentalem*, id est Eucharistiæ; contendens eos *per manducationem carnis Christi intelligere effectum illum communem baptismi, qui est incorporatio, seu participatio corporis Christi*; vel, ut paulò ante dixerat, *unitas cum corpore Christi, quæ fiat non virtute Sacramenti Eucharistiæ, sed solius sacramenti baptismi; incorporationem autem illam esse solam manducationem spiritualem.* Sed hæc de Augustino, quisquis ejus dicta attente expenderit, non modo temere ac falso sed etiam impudenter affirmari facile

a Vasq. in 3. Thom. Disp. 214. c. 4. § 35. 36.

facile perspiciet. Mitto, quam durum sit & inusitatum ita loqui ut dicas eum *carnem Christi manducare*, quem significare velis membrum fieri *corporis Christi mystici*; quam ineptum fuerit Augustinum toties, tum crebro, tum assidue illa ex Ioannis sexto loca, quæ nemo unquam mortalium ad baptismum pertinere somniavit, Pelagianis in hac disputatione objicere, obtrudere & inculcare, si nihil aliud probare intendebat, quam effectum illum baptismi communem; id est nostram per baptismum in Christum insitionem, ac ut Vasques loquitur, *incorporationem*; cum multa extent in divinis libris ad eam constituendam apertissima; qualis est exempli causa ille Apostoli ad Romanos nobilis locus, quo dicit nos Christo per baptismum consepultos & complantatos esse: & alibi nos per baptismum *Christum induisse*; & qui eodem pertinet, egregius ad Colossenses locus, *d* quo ait nos Christo *consepultos in baptismo & conresuscitatos fuisse, & conviuificatos*. Hæc Augustinus & alia ejusdem generis, quæ aperta sunt & obvia objectasset & inculcasset, si ei quam Vasques affingit, mens fuisset; neque ea ad baptismum inutiliter torsisset, quæ nihil ad eam pertinere omnes vident. Sed hæc inquam nunc mitto. Ipsas Augustini voces excutiamus; an novum illum Vasquis sensum ferre possint? an non clare liquidoque Eucharistiæ perceptionem significent? Quid enim? An aliud obsecro Augustinus quam Sacramentalem sanguinis Christi communionem intelligit, *e* cum parvulis illum dicit *sanguinem ministrari, quam bibant, ut vitam habere possint*? An fando unquam auditum est *sanguinẽ Christi in Baptismo ministrari cathechumeno, qui tingitur, bibendũ*? An ille nihil aliud quã baptizandos infantes intelligit, *f* qui eos *mensæ Dominicæ participes* fieri vult, ac dicit? qui illa Christi ex Ioann. 6. verba quibus omnis hæc ejus disputatio, *g non de sacramento sacri lavacri, sed de sacramento sanctæ mensæ suæ.* Dicta esse scribit? qui parvulus illud *manducare*, & illud *bibere* secundum quod olim judicandi sunt, *per corpus gessisse* ait? *h* quorum neutrum in ipso baptismo *per corpus* eos *gessisse* clarum & confessum est? Qui *sine Sacramento carnis & sanguinis Domini* eos hinc discedere significat, qui carnis & sanguinis Dominici eo, quod dicit, sensu expertes mortui sunt? Qui disertissime negat *sine iis Sacramentis, quæ de Christi latere* in cruce *manarunt* (id est sine baptismo & Eucharistia) *intrari ad vitam*? & alibi *præter baptismum & participationem Dominicæ mensæ neminem ad vitam æternam posse pervenire*? Ex his Augustinum in hoc negotio per *carnem & sanguinem Christi*, utriusque rei Sacramentum, id est Eucharistiam, intelligere tam clarum est, quam Solem meridie lucere. Huic tantæ luci nequaquam obtendit Vasques, quod Augustinus *n* alicubi negans Pelagianos causari posse aliquid esse ambigui in illa Christi toties ab eo objecta sententia, *Nisi manducaverint carnem Filij hominis, non habebunt vitam*, priora verba *manducare carnem Christi*, interpretans id esse dicit *participes fieri corporis Christi.* Ego contra hinc multo probabilius contenderim de Eucharistia eum loqui; qua notum est nos *participes fieri*

Dominici

CAP. IV.

b Rom. 6. 3.4.5.
c Gal. 3.27.
d Col. 2.12.13.
e Aug. contr. Iul. op. imp. l.2.§ 30.
f Id. Ser. 8. de verb. Ap. c. 6.
g Id l.1. de pecc. mer. & rem. c 20.
h Id ep. 107. sent. 8.
i Id. l.3. contr. Iul. c.1.
k Ib. Tr. 120. in Ioan.
l Id. l.1. de mer. & rem. c.24.
m Vasq. ub. supr. n. 36.
n Aug. l.3. de pecc mer. & remiss. c.4. p. 306. A.
* 1. Cor. 10.

Caput IV.

Dominici corporis; imò quæ illius corporis, ea Paulo* *communio est.* Sed quid tu huic homini feceris, qui Augustino clarè disertéque, & quidem in eodem libro neganti o *hæc à Christo de Sacramento sacri lavacri*, affirmanti *de Sacramento mensæ suæ* dici, audet obloqui, & nobis eum narrare hæc non de *mensæ*, sed de *lavacri* sacramento intellexisse? Tam-ne stupidos ac fatuos esse nos putavit, ut sibi potius, quam Augustino de hujus ipsius mente simus credituri? Istis non sunt hilo ad rem Vasquis validiora, quæ Augustini adfert, sequentia paulo post verba; cum negat parvulos non baptizatos vitam æternam posse habere præter Christi corpus, p *cui ut incorporentur Sacramento baptismatis imbuuntur. Incorporationem igitur cum Christo* (inquit Vasques) *tribuit baptismo.* Primo Augustinus neque hoc, neque aliud dicit, ex quo id sequatur. *Baptismo* dicit *imbui parvulos, ut Christo incorporentur*, vel *Christi corpori*; non dicit ipso *baptismo incorporari*, id est ipso baptismi Sacramento illam (ut sic dicam) *incorporationem perfici.* Minime gentium. Ille verò longè aliud significat, nimirum ideo primum baptizari, ut accepto deinceps ex illius Ecclesiæ disciplina, Dominici corporis Sacramento, Domino incorporentur; in unum cum eo corpus coalescunt. Nam cum *ad Sacramentum mensæ Dominicæ, nemo ritè nisi baptizatus accedat* (ut ipse nos supra in hoc argumento versans docebat q Augustinus) ablui prius *Sancti lavacri Sacramento* necesse erat, qui ad sacram mensam erant accessuri, ut Christo in Eucharistia incorporati vitam æternam adipiscerentur. Id ipsum in hac eadem disputatione iterum alibi inculcat; *Dominus* (inquit) *dicit non habituros vitam in semetipsis, nisi manducaverint carnem Filij hominis, & biberint sanguinem. quod nisi baptizati non utique possunt.* In his Augustinum vides duos actus inter se diversos requirere ad hoc, ut serventur etiam ipsi parvuli; Priorem, quo nisi præcedente posterior haberi non potest, ut baptismum recipiant; Alterum, ut *ad mensam Domini accedant*; quod cum aliter quam de Eucharistiæ sumptione intelligi non possit; hic quoque necesse est duo illa ejusdem verba *parvulos baptismo imbui, ut incorporentur*; de duobus utriusque Sacramenti actibus sic intelligi, ut eos baptizari prius significet, tum Eucharistia sumpta incorporari, quam nefas est quemquam, nisi baptizatum sumere. Hic verus loci Augustiniani sensus; ad quem auctor verbo appositissimo usus est, dum dixit eos imbui *baptismo. Imbuere* enim est non *perficere*, sed inchoare; ut apud Tertullianum Petrus *clavem imbuisse* dicitur, s qua primus ac primum uti cœpit. Sic Baptismus fidelem *imbui*, id est initiat, & inchoat, ac dedicat; Eucharistia, quæ τελετὴ τῶν τελετῶν est, summa Christianismi consummatio, perficiendum, id est Christo plane penitusque incorporandum. Nihil ergo egit Vasques. Stat Augustini, adeoque & Innocentij hæc sententia (utriusque enim eadem est) non modo baptismum, sed etiã Eucharistiam esse omnibus, ipsisque etiam parvulis ad salutem necessariam; quod ipse veteris Ecclesiæ utrumq; Sacramentum omnibus tam parvulis quam

o Aug. l.1. de pecc. mer. & remiss. c. 20.

p Id. ibid. B.

q Id. L.1. de pecc. mer. & remiss. c. 20.

r Id. ep. 106. u. supr.

s Tertull. de pudic. c. 21. p. 745. C.

quam adultis initiandis conferentis usus per se satis innuere ac suadere videbatur. CAP. IV.

Prosper, eximius Augustini discipulus, in his, ut in cæteris, præceptoris sententiam secutus, summam hominis antequam regeneretur corruptionem describens dicit *t* liberum hominis arbitrium, *ubi usum bonorum, quæ acceperat, fastidivit, bibisse omnium vitiorum venena, & totam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate madefecisse. Inde* (inquit) *priusquam edendo carnem Filij hominis, & bibendo sanguinem ejus letalem digerat cruditatem, labitur memoria, errat judicio &c.* Non aliter convalescere hominem discussa illa per peccatum contracta ebrietate statuit, quam carnis Dominicæ esu, sanguinisque potu, id est Eucharistiæ perceptione.

t Prosp. contr. Collat. c. 39.

Vt Prosper Augustinum, ita & Chrysostomum suum Isidorus Pelusiota sequitur Sacerdotij enim dignitatem, pariter ut ille, extollens, *u Illius enim*(inquit)*opera & regeneramur, & divinorum mysteriorum participes efficimur, SINE QVIBVS nemo cœlestia præmia consequi potest; quemadmodum ex ipsius veritatis oraculis ab omni mendacio alienis constat; primo quidem his verbis utentis, Nisi quis regeneratus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum; nunc autem, Nisi quis manducaveris carnem meam, & biberis sanguinem meum, non habebit partem mecum.* δι' αὐτῆς γὰρ καὶ ἀναγεννώμεθα καὶ τῶν θείων μετέχομεν μυστηρίων, ὧν ἄνευ τῶν οὐρανίων μεταλαχεῖν οὐκ ἔνεστι γερῶν, κατὰ τοὺς ἀψευδεῖς τῆς ἀληθείας χρησμούς· ποτὲ μὲν λεγούσης, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν· ποτὲ δὲ, ἐὰν μή τις φάγῃ μου τὴν σάρκα καὶ πίῃ μου τὸ αἷμα, οὐκ ἔχει μέρος μετ' ἐμοῦ. Tum sic pergit; *Quo circa si absque his sempiternam sedem consequi non possumus; hæc autem non alia ratione, quam per Sacerdotium perficiuntur; qui tandem fieri potest, quin is, qui illud contemnit contumeliam rebus divinis inferat, animamque ipse suam aspernetur?* εἰ τοίνυν ἄνευ τούτων οὐχ οἷόν τε τῆς θείας ἀξιωθῆναι λήξεως. ταῦτα δὲ δι' οὐδενὸς ἑτέρου ἢ τῆς ἱερωσύνης ἐπιτελεῖται. πῶς ἐστί τινα αὐτῆς καταφρονοῦντα μὴ εἰς τὰ θεῖα παροινῆσαι καὶ τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς καταφρονῆσαι; Hic Chrysostomi ipsa pæne verba, mentem quidem totam videmus; parem Eucharistiæ cum baptismo ad sempiternam sedem; cœlestiaque præmia consequenda necessitatem; & quidem duabus illis Christi apud Ioannem sententiis confirmatum, ex quibus eam & Chrysostomus primo, & postea quoque Augustinus & Innocentius arcessebant.

u Isid. Pelus. L. 2. ep. 52. p. 144. B.

Cyrillus Alexandriæ Episcopus, ad quem hujus Pelusiotæ aliquot extant epistolæ, eadem suo quoque calculo approbat. Ipsam enim illam Christi apud Ioannem de suæ carnis esu sententiam enarrans; *x Expertes enim* (inquit) *& plane vacui vita, quæ in sanctificatione ac fœlicitate est, remanent, qui per mysticam Eulogiam non susceperunt Filium.* ἀμέτοχοι γὰρ παντελῶς καὶ ἄγευστοι μένουσι τῆς ἐν ἁγιασμῷ καὶ μακαριότητι ζωῆς οἱ διὰ

x Cyr. Alex. L. 4. in Ioan. in c. 6. 54. p. 361. A.

Cap. IV. τὸ μυστικῆς εὐλογίας ἀξιωθῆναι ἀποδεξάμενοι τὸ Υἱόν. *Eulogiam*, ut alias fere, solens dicit, quæ cæteris est Eucharistiæ; cujus sane poculum Paulus *y* τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας nominat, *Eulogiæ* (id est benedictionis) *poculum*; Neque profecto, si bene rem putes, aliud est εὐλογία, quam εὐχαριστία. Iam non poterat Vasquis de participatione carnis Dominicæ non Sacramentali commentum clarius explodi, quam his Cyrilli verbis id explosum videmus, disertissime pronuntiantis Eucharistiæ sumptionem esse ad beatam illam vitam adipiscendam ita necessariam, ut qui eam non sumpserint, ii planè penitusque παντελῶς vitæ beatæ expertes remaneant.

y 1. Cor. 10. 16.

Incertum est, quo veteris Ecclesiæ seculo vixerit vetus vitæ Basilianæ scriptor; quæ Amphilochij nomine circumfertur. Illud constat, hoc opus non esse recens, quod ab Hincmaro ζ noni seculi homine, laudatum fuisse videmus. Sed is scriptor, quisquis est, hanc & suam & sui seculi de Eucharistiæ ad salutem necessitate sententiam fuisse docet, cum Basilium quodam loco ad Iudæum, quem in fide erudiebat, hæc verba facientem inducit; *a Fieri nequit, ut dictum est* (inquit) *ut quis intret in regnum Dei, nisi per aquam & Spiritum* (vel ut alij legunt ut quis *salvetur, nisi fuerit regeneratus per baptismum*) *& nisi vivifica antitypa intemerati corporis & sanguinis Christi sumpserit.* ἀδύνατον ἐστιν ἄνθρωπον, ὡς λέλεκται, εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰ μὴ δι' ὕδατος καὶ πνεύματος (ἄλλως σωθῆναι εἰ μὴ ἀναγεννηθῇ διὰ τοῦ βαπτίσματος) καὶ μετέχει τῶν ζωοποιῶν ἀντιτύπων τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ.

ζ Hincmar. de div Loth. Resp. 15. p. 658.

a Amphil. in vita Basil. c. 17. p. 221. B.

Non est mirum, qui hac de re ita sentiebant, quinti seculi Patres, eos Eucharistiam etiam parvulis ministrasse. Iam cum circa seculi sexti initia innotescere cœperint Pseudo-Dionysii Areopagitæ opera, idcirco eum in hunc locum reservavi. Isti vero, si credimus, qui se Pauli auditorem, Timotheique ac Titi condiscipulum esse narrat, non dubitabimus, quin hic ministrandæ parvulis Eucharistiæ usus ab Apostolis traditus fuerit. Is enim in loco jam alibi à nobis recitato testatur *b* infante *sanctissimorum divinæ communionis symbolorum participes suo ævo factos fuisse*, μετόχους γενέσθαι τῶν ἱερωτάτων τῆς θεαρχικῆς κοινωνίας συμβόλων. Quin *deiformes suos præceptores* (quos Paulum & cæteros Christi Apostolos fuisse fingit) moris hujus auctores esse affirmat. Iste quidem de Apostolorum seculo, quorum se æqualem & convictorem fuisse mentitur, mihi non persuadet, clarissimis indiciis & quidem multis prudens diu se post eorum tempora vixisse. Sed cum ille sua ad ejus Ecclesiæ mores ritusque componat, quæ quarto ac quinto seculo fuit, fidem in istis hactenus meretur, ut hæc, quæ de Apostolico seculo fingit, de eo quo ipse vixit, tempore vere ita ut narrat, sese apud Græcos suos habuisse non dubitemus.

b Dion. Areop. Hier. Eccl. c. 7. Theor. §. 11. p. 360 361.

Sed & aliundè patet iisdem sexti seculi initiis eundem morem servatum

servatum fuisse; ex epistola scilicet Ferrandi Diaconi ad Fulgentium, in qua ex occasione cujusdam famuli Æthiopis, qui paulo post quam baptismum in supremis, vocis & motus expers suscepisset, mortuus erat, suas non paucas de illius viri salute dubitationes proponit, & hanc postremo cæteris subjungit, c *hæsitans* (inquit) *qualis debeat habere sententia de his, qui etiamsi legitime sana mente baptizantur, præveniente velocius morte carnem Domini manducare, & sanguinem ejus bibere non sinantur. Nota quippe sunt fidelibus Salvatoris verba dicentis. Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vnde videre est communem tum fuisse, etiam eruditorum, qualis Ferrandus fuit, de Eucharistia ad salutem necessitate sententiam. Alioqui enim Ferrandus ea re neque commotus esset, neque in dubitatione solvenda hæsitasset. Scio & confiteor Fulgentium, quem ille de hac quæstione consulebat, negare d quemquam fidelium moveri debere in illis, qui baptzati repente moriuntur, antequam Eucharistiam sumere, potuerint, quod ipso quisque baptismo, quem suscipit, membrum Domini fiat; atque ita quodammodo *carnem Christi edere censeatur secundum mysterij veritatem*, etiamsi eam non sumat *secundum veritatis mysteria. Qui enim* (inquit e post multa eadem de re subjecta) *membrum corporis Christi fit, quomodo non accipit, quod ipse fit, quando utique illius fit verum corporis membrum, cujus corporis est in sacrificio Sacramentum? Hoc ergo fit ille regeneratione sancti baptismatis, quod est de sacrificio sumpturus altaris.* Epistolæ brevem Augustini ad infantes sermonem subtexit; f in quo de illa nostri per Eucharistiam, imò, & per baptismum cum Christo unione non pauca dicit; sed de proposita à Ferrando quæstione nihil dicit. Hæc autem Fulgentij ratio ea ipsa revera est, quam à Vasque adhibitam fuisse ad diluendam Augustini, & aliorum Patrum de Eucharistiæ necessitate sententiam paulò ante diximus, quamque ex ipso Augustino validè, ni fallor, confutavimus quo fit; ut mirer nullam esse de Fulgentio factam à Vasque in illa sua disputatione mentionem. Sed etiamsi Vasques causam juvare videatur, nihil tamen revera eam juvat. Planè enim à Fulgentiana discrepat Vasquis causa. Hic pugnat Eucharistiam infantibus absque necessitate datum à veteribus fuisse; Ille hoc unum contendit, quem mors subito ingruens, ita rapuit, ut Eucharistiam baptizatus suscipere non potuerit, ei nequaquam fraudi futurum, quod necessitate, non voluntate prohibitus est mensæ Dominicæ communicare. Qui autem possit Eucharistiam baptizatus accipere, accipiendæ debito neminem solvit. Plane, ut in quæstione de baptismo ipso factum esse videmus, cujus suscipiendi quamquam Latini summam esse necessitatem velint, nondum tamen suis omnibus persuadere potuerunt certo damnatum iri vel adultos, qui credentes & cupientes tingi improviso aliquo casu ita rapti sunt, ut quod voluerant, id implere non potuerint, vel etiam parvulos, quos

CAPUT IV.

c Ferrand. ep. ad Fulg. de bapt. Æth. apud Fulg. p. 570.

d Fulg ibid. p. 584. D. ep. de baptiz. Æth. c. 11.

e ibid. p. 585. extr. D.

f ibid. p. 586.

Caput IV.

acerba mors sic oppressit, ut volentibus aqua Christi ministrari non potuerit. Sic & de confessione auriculari philosophantur, cujus tametsi necessitatem arctissime adstringant, ejus tamen votum ad salutem satis esse iis definiunt, quibus Confessarij copia nulla neque fuit, neque esse potuit, quo momento è vivis exierunt. Horum causæ ea gemina est illius Æthiopis, de quo disputat hoc loco Fulgentius. Erat enim ille adultus, qui quam esset Eucharistiæ percipiendæ cupidus, vel eo satis testatus erat, quod se initiari voluisset, & baptismum, communioni prævium jam suscepisset, ne quod rei consequens erat communicaret uno sed ineluctabili; mortis telo prohibitus fuerat. Illa ergo hinc seclusa necessitate, cujus superandæ facultas, etiam vehementer volenti, nulla fuit; manet tamen illa altera paulo mitior necessitas, qua veteres ad Eucharistiam necessario sub pœna mortis æternæ suscipiendam obligatos credebant quibuscumque baptizatis, licet Eucharistiam ministrari, sic, ut neminem istorum vitam hibiturum putarent, qui tinctus sive dolo, sive negligentia Eucharistiam, quam liceret sumere, non sumpserit tamen. Itaque frivolum atque futile est, quod Caietanus huic, non quod ipse falso putavit, Pelagij, sed omnium illius seculi Catholicorum sententiæ objicit ex ea sequi infantes, si cum solo baptismo decedant, vita æterna carituros; *quod constat* (inquit) *hæresin esse damnatam*. Veteres enim si quis baptismo lotus repente ex hac vita ita rapiatur, ut Eucharistiam sumere non potuerit, ei homini non putasse fraudi futurum, quod non communicavit, docet certe Fulgentij exemplum, qui negat disertissime de hujusmodi neophiti salute esse desperandum. Baptizatos, qui altero cum sumere licet sacramento non sumpto mortui erant, eos vero vita æterna excludebant; An autem ita sentire apud Caietanum & Latinos *hæresis damnata* sit, nescio; Scio apud Augustinum, Innocentium, imò & Fulgentium, & cæteros ejusdem memoriæ Patres adeo non fuisse hanc hæresin, ut eam ipsi pro vera & Catholica sententia haberent.

g Caiet. ubi supr.

Certè Cæsarius, qui Fulgentio non plures quam decem in terris annos superfuit, hac de re, plane ut Augustinus contra Pelagianos argumentatur, instituto de Eucharistia sermone, *h Quid adhuc* (inquit) *de hac duplici specie inquirere debeas, ipso Domino attestante, cognosce, Nisi* (inquit) *manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quod testimonium contra Pelagij blasphemias evidentissimum atque validissimum est, qui asserere arrepta impietate præsumit, non propter vitam, sed propter regnum cœlorum baptismum parvulis conferendum, sub his enim Domini verbis, quibus Evangelista pronuntiat, non habebitis vitam in vobis, aperte intelligenda est omnis anima munere baptismi vacua, non solum gloria carere, sed vita.* Omnes vident vim argumenti ad hoc probandum nullam fore, nisi omnes, qui baptizabantur, adeoque ipsos etiam parvulos, simul atque tincti erant, Eucharistiam illo ævo sumpsisse confiteamur. Sed Pelagiani, qui hunc ubique obtinere apud Christianos morem sciebant, argumenti vim negare non poterant.

h Cæsar. Arelat. Hom. 7. Bibl. P. T. 7. p. 279. C. D.

Hunc

CAPVT IV.

Hunc verò ritum ad finem sexti seculi Romæ perseverasse docet Gregorianus Sacramentorum liber ex vetustissimis codicibus ab Hugone Menardo publicatus: in quo ad Sabbatum Paschale, in celebratione baptismi solennis, hæc leguntur. *i Qui infantes* (inquit) *non prohibentur lactari ante sacram communionem, si necesse fuerit.* Hinc etiam parvulos lactantes ad communionem post baptismum una cum adultis admissos fuisse patet. Menardus ad hunc locum notat *k* aliter præcipi in codice Remensi; sic nimirum. *Illud tamen providentes, ut postquam baptizati fuerint, nec ablactentur antequam communicent.* In codice verò Ratoldi sic legi; *l Illud providendum est baptizatis, ut nullus cibum accipiat, nec ablactetur, atque communicet, nisi post Missas.* Sed quomodocumque hæc legas, vel interpreteris, ex iis liquido constat, etiam parvulos, nondum à lacte depulsos ad baptismum, indeque ad communionem esse admissos, non tantum Romæ, sed etiam Remis, id est in nostra Gallia. In Hispania verò idem obtinuisse etiam septimo seculo, & quidem adulto dicimus *m* ex Toletano Concilio, quod undecimum a.D.675. habitum est; *Quicumq; fidelis* (inquit) *inevitabili qualibet infirmitate coactus Eucharistiã perceptam rejecerit, in nullo Ecclesiastica damnationi subjaceat. Similiter nec illos cujusquam punitionis censura redarguet, qui talia aut tempore INFANTIÆ faciunt, aut in qualibet mẽtis ab alienatione positi, quid fecerint, ignorare videntur.* Superflua, imò & ridicula erat infantium hoc loco mentio, nisi iis solenne tum fuisset Eucharistiam baptizatis tradere. Alioqui enim nullis, quod hic Patres aiunt accidere potuisset, *ut eam* perceptam rejicerent. Veram ergo ex iis quæ hactenus diximus, esse liquet, quod Maldonatus in Ioannem affirmat hanc fuisse Innocentij I. & Augustini sententiã Eucharistiam esse etiã infantibus necessariã. Ille hæc sane multo verius, quã Vasques ejusdem instituti socius recentior, qui nequicquam pugnat non putasse Patres eam esse parvulis necessariam. Sed multo, quam Tridentini Patres, candidius ac sincerius egit Maldonatus, qui illam de Eucharistiæ ad infantium salutem necessitate sententiam agnoscit *n sexcentos circiter annos viguisse in Ecclesia*, Tridentini vero parce ac maligne rem elevantes Patres illos dicunt *o nulla salutis necessitate id fecisse.* Atqui ipsorum Patrum plane alia fuit de suo hoc facto sententia, quos demonstravimus definivisse ne parvulos quidem absque Eucharistia morientes salvari posse, suaque hac illius necessitatis opinione adductos fuisse ad hoc sacramentum etiam infantulis, simulatque baptizati erant, tradendum. Refert prudentissimus historiæ Synodi Tridentinæ auctor mirabile visũ fuisse quod isti Patres *sine controversia credendum esse* decernant veteres parvulis communionem *nulla salutis necessitate* dedisse. Agi enim hic rem facti, cujus veritatem nulla mutare possit auctoritas; constare autem Augustinum novem locis non uno verbo dicere, sed rationibus atque argumentis constituere Eucharistiæ ad salutem infantium necessitatem; eam baptismi ipsius necessitati in duobus ex his locis exæquare, neque semel affirmare rem esse ab Ecclesia Romana definitam, idque allato Innocentij primi testimonio confirmare.

i Greg l. Sacram. ad Sabb. Pasch. p.73. extr.
k Men. in loc. l. Greg. Not. p. 73. extr.
l Men. ibid. p.73 init.
m Cõc. Tol. 11. c. 11. T. 4. Conc. gen. p.825.
n Maldon. in Ioan. 6. 53. §. 116.
o Cõc. Trid. sess. 21. c. 4.
p Pietr Soav. Hist. del Conc. Trid. l. 6. p. 525. ext.

Cap. IV. Iam quivis intelligere potest, quam juste, quam vere quamque sapienter iidem illi Tridentinæ Synodi Patres decernant id, quod ipsi hac de re falso dicunt, *esse sine controversia credendum*; sed etiam eos esse *anathemate feriendos,* q *qui dixerint parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem*; quo fulmine suum Innocentium, Augustinum, & alios à nobis supra laudatos sanctissimos, ac celeberrimos Patres, imo si Maldonatum audimus, ipsam sex priorum seculorum Ecclesiam peti, tangi, ac feriri, cernimus, in qua ipso Maldonato judice, ea sententia viguit, in quam mustei isti Salmonei brutum hoc suum, cassumque fulmen mittere non sunt veriti.

q Conc. Trid. Sess. 21. can. 4.

Ille vero Eucharistiæ parvulis communicandæ mos, non tantum ad sexcentesimum Christianismi annum (quod putavit Maldonatus) sed etiam multis infra eum annis mansit. Fuisse adhuc in Hispania, Maldonati patria, anno ultra id tempus septuagesimo quinto, ex Toletana Synodo 11. nuper ostendimus. Perronius etiam ad initia noni seculi mansisse concedit, r *Primitivam* (inquit) *Ecclesiam infantibus simul ac baptizati erant, Eucharistiam dedisse ex veterum monumentis discimus; eumque morem Carolus Magnus & Ludovicus Pius suo adhuc ævo in Occidente mansisse testantur.* Ego vero etiam ultra Ludovici tempora diu apud Latinos perseverasse facile demonstrabo. De Caroli quidem ævo res manifesta est ex Carolino de imaginibus opere, quo loco seu Carolus, seu quis alter Caroli jussu, & nomine libri scriptor Sacramentum Dominici corporis, ac sanguinis cum imaginibus comparans, & quanta sit ejus supra has excellentia demonstrans; s *Cum sine illius* (inquit) *perceptione nemo salvetur, sine istarum vero observatione omnes, qui recta fidei sunt salventur; constat eas à nullo eorum, qui sana mentis intelligentiam habent, tanto mysterio æquiparandas.* His verbis apertissime definit Eucharistiæ perceptionem esse ad salutem necessariam. Itaque suo adhuc seculo solenne fuisse infantes baptizatos communicare, ibidem paulo post ita docet; t *Si omnes* (inquit) *imaginum adoratione carentes secundum illorum falsissimam opinionem pereunt, infantes baptismatis unda loti, & corporis Dominici edulio, & sanguinis haustu satiati, qui necdum imagines odorare voluerunt, & sic è seculo migraverunt, pereunt.* Neque res est de Ludovici Pij ævo obscurior. Iesse Ambianensis hoc Pio imperante Episcopus in epistola ad sacerdotes non semel à Menardo laudata; u *Novissime* (inquit) *corpore & sanguine Christi confirmatur infans, ut eius possit esse membrum, qui pro eo passus est & resurrexit, ipso Domino attestante qui dixit, Qui manducat meam carnem in me manet.* Sed & cum hac praxi una quoque mansisse priscam de Eucharistiæ necessitate opinionem satis indicat Amalarius, qui sub eodem Ludovico scripsit ac floruit; x *Christi* (inquit) *iam emisit Spiritum; exivit ab eius latere sanguis & aqua. Sine his sacramentis nemo intrat in vitam æternam.* Baptismi & Eucharistiæ sacramenta intelligit, quæ ut est apud Augustinum, *ex Christi latere manarunt.* Eundem morem ad decimi seculi finem propagatum esse apparet ex duobus Hugonis Menardi manuscri-

r Perron de loc. Aug. ad Euch. pertinent. c. 10. p. 100.

s Car. M. de imag L. 2. c. 27. cxtt.

t Id. ibid.

u Iess. ep. Catech. ad Sacerd. apud Menard. Not. ad L. Greg Sacram. p. 107.

x Amald. de Offic. Eccl. L. 3. c. 26.

manuscriptis codicibus Ratoldi, & Remensi, quorum ipse priorem paulo ante an. D. 986. posteriorem circa annum millesimum scriptum fuisse *y* docet. Utrumque enim codicem, plane ut antiquiorem Eligianum testari dicit *z* infantes cum baptismo sumpsisse Eucharistiam. Scriptor de divinis officiis, qui Alcuini nomine sed falso, circumfertur (est enim auctoris, ut eruditi observarunt, multo recentioris) ubi de baptismi ordine agit; *Statim* (inquit) *confirmari eum* (qui baptizatus est scilicet) *a oportet chrismate, & postea communicare; & si Episcopus deest, communicetur à Presbytero, dicente ita*, Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in *vitam æternam. Amen.* Ac nequis putet de solis hæc adultis dici, neque ad parvulos siqui baptizentur, pertinere, admonitio, quæ paulo post sequitur, de his vel tantum, vel certe maxime ac præcipue agi ostendit *b Sed & hoc* (inquit) *pravidendum est, ut nullum cibum accipiant, neque LACTENTUR, antequam communicent. Lactari* parvulorum est; non est adultorum; ut mittam, quod jubet, non ab ipsis, sed ab eorum parentibus oblationes fieri; quo arguuntur fuisse adhuc sub manu & potestate paterna. Paria docet Ordinis Romani liber eodem, ut videtur, quo Pseudo-Alcuinus seculo, id est undecimo, editus; quæ de eo quoque est doctissimi viri Ioannis Morini sententia. * Is quisquis est scriptor, exposito omni baptismi ritu admonitionem hanc habet; *c Illud autem de parvulis providendum est, ne postquam baptizati fuerint, ullum cibum accipiant, neque LACTENTUR, sine summa necessitate antequam communicent sacramento corporis Domini.* Idem confirmat Radulphus Ardens, Pictavus, quem ad finem seculi undecimi claruisse tradunt. Is cum Eucharistiam epulum esse dixisset animabus nostris necessarium, & ad eam rem illa Domini apud Ioannem verba recitasset, *d Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c. non habebitis vitam &c. Unde statutum est* (inquit) *ut pueris baptizatis saltem in specie vini tradatur, ne sine necessario discedant sacramento.* Non dicit rescissam fuisse legem. Imo etiam tunc fuisse observatam objectio, quam verbis sequentibus occupat clarissime indicat. *Et siqui* (inquit) *discedant; numquid damnabuntur? Non fratres mei, quoniam in fide, si non sua, saltem Patrinorum salvabuntur.* Omnes istum intelligunt nequaquam sic fuisse locuturum, *Et si qui discedant*, si in ea Ecclesia vixisset, in qua nullus infans moreretur communicatus. Nunc quidem Latinorum, apud quos ita fit, nemo prudens hæc de suæ Ecclesiæ infantibus dixerit, *Siqui eorum sine communione discedant, non damnabuntur*, in quo scilicet notum & nullum infantem mori communicatum. Neque fortasse Ardentis ævo multo anterior fuit ille Monasticorum institutorum scriptor, ex quo Cassander hanc legem descripsit; *e In quinque solemnitatibus omnes ad pacem accedere, omnesque debent communicare, etiam INFANTES.* Sed duodecimi etiam seculi initio ministratam adhuc fuisse parvulis Eucharistiam, saltem intinctam, constat ex Paschalis P.R.II. a.D. 1118. mortui, epistola jam à nobis supra laudata, in qua intinctam porrigere vetans pueros & infirmos morbo debilitatos

CAP. IV.
y Men. Præfat. in Greg. L. Sacr.
z Id. Not. ad L. Greg. Sacr. p. 106. med.
a Alc. de offic. div. de Sabb. Pasch. p. 259. C.
b Ibid. E.
* L. Morin. Exerc. 9. de Diec. c. 1.
c Ord. Rom. Tit. de bapt. p. 84. C. T. 10. Bibl. P.
d Rad. Ard. Serm. prid. Pasch.
e Cass. in Liturg. c. 29. p. 66.

Cap IV. litatos ab hac lege excipit, *f Quem morem* (per se panem, per se vinum communicantibus tradendi sic semper *in Sancta Ecclesia conservatum, docemus, atque præcipimus, præter in parvulis ac omnino infirmis, qui panem absorbere non possunt.* Hugo à S. Victore, qui paucis post Paschalem annis circa an. D. 1130 floruit, cum hominem baptizatum dixisset, si ejus valetudinis est, statim à sacra tinctione sacramenta unitatis, id est corpus & sanguinem Christi percipere debere; *g Pueris* (inquit) *recens natis idem sacramentum in specie sanguinis est ministrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter sugere possunt.* Tam recitatis Augustini de sacramenti hujus *necessitate verbis*, eadem repetit; *Ergo* (inquit) *si sine periculo fieri potest, iuxta primam Ecclesiæ institutionem sacramentum Eucharistiæ in specie sanguinis tradendum est pueris.* Tum eos reprehendit, qui effusionem sacramenti, si calicem infantibus darent, metuentes vinum iis pro sacramento simplex dabant; *Unde* (inquit) *ignorantia Presbyterorum adhuc formam retinens, sed non rem, dat eis loco sanguinis vinum; quod penitus supervacuum arbitrarer, si sine scandalo simplicium dimitti posset.* Ac denique rem totam concludens, *Si autem* (inquit) *in reservando sanguinem Christi, vel ministrando pueris immineat periculum, potius supersedendum videtur.* Hæc Hugo hactenus; in quibus illud in primis observandum, quod licet superiori seculo jam constituta esset panis sacri ἀποθέωσις, ille tamen Eucharistiæ calicem pueris ministrari jubet, primaria, ut ex ejus verbis apparet, Ecclesiæ institutione permotus. Secundo, quod urgente effusionis metu vult illum, quem dicit Christi sanguinem ex digito Sacerdotis sugi à parvulo; quæ communionis ratio, & à Christi præcepto suos in hoc sacramento bibere, non sugere jubentis, & à communi universalis Ecclesiæ praxi aliena est, & apud omnes Christianos inaudita. Tertio quod testatur fuisse jam tum presbyteros, qui hinc effusionem vini sacri, illinc plebis scandalum timentes, si suis infantibus communio post baptismum negaretur, rati se falsa communionis imagine rudem popellum facile placaturos, vinum commune pro sacro parvulis dabant; quod Hugo, velut merum ludibrium ex istorum ignorantia ortum damnat, & si fieri possit citra simplicium scandalum, veluti supervacaneum omitti cupit. Ex quibus videre est titubasse illius ævi Latinos, animadverso periculo, in quod eos conjiciebat recepta Papæ auctoritate ac decretis sacri panis ἀποθέωσις; Alios alio confugisse, suis studentes ita consulere, ut neque infantium tradita à majoribus communio plane penitusque eriperetur Christianæ plebi, neque tamen novum de sacramenti ἀποθέωσι dogma pulsaretur. Et illud quidem, quod Hugo probat, ut vinum sacrum parvulis, sed ex Sacerdotis digito sugendum præberetur, brevi evanuisse videtur; cujus scilicet nulla, quod sciam, extat apud Latinos mentio. Illud vero alterum Presbyterorum inventum, quod ipse repudiat, multis adeo arrisit, ut diu hæserit in quibusdam locis. Lindanus sane Rurémundæ Episcopus, *h* memoriæ prodidit in Ecclesia Dordracena ad sua tempora servatum esse, ut vinum simplex pro sacra-

f Pasch. 2 ep. ad Pont. apud Baron. in Append. T. 12 ad a. D. 1118.

g Hug. de S. Vict. L. 1. c. 20. de Cærim. Eccles. T. 10. Bibl. Patr p. 1576. A. E.

h Lindan. Panopl. L. 4. c. 25. p. 214.

Sacramento recens baptizatis daretur. Sed sive Hugonis ævo, sive secu- Cap. V. tis tantum seculis hoc contigerit, illa certe infantium post baptismum communio, quæ à vetustissimis ducta temporibus huc usque apud Latinos perennaverat, eorum tandem formidini cessit, verentium nequid ea recens à se promulgato dogmati noceret, neve absurda atque incommoda ex ea, si retineretur, necessario profluentia Christianos de novæ illius fidei veritate dubitare subigerent. Nunc quidem veteris illius infantium communionis memoria sic apud illos evanuit, ut ea, si quando memoretur, prodigii instar habeatur.

Hujus rei certissimum argumentum est, quod cæteri priscis traditionibus addicti Christianorum ordines, qui novum hoc Latinorum de Eucharistiæ transsubstantiatione & ἀποθεώσει decretum inter publica fidei suæ capita non retulerunt, vt Græci, Armenii, Æthiopes, omnes antiquum ministrandæ parvulis Eucharistiæ morem retinuerunt, & adhuc hodie retinent. De Græcis Hieremiam primarium eorum Patriarcham, testem habemus idoneum; *i Divinam* (inquit) *iis* (parvulis infantibus) *communionem postea* (id est postquam rite baptizati sunt) *impertimur*. Tum utrumque *Sacramentum* oportere iis ministrari probat ex Ioannis capite sexto; quæ etiam olim Innocentij, Augustini & aliorum Patrum in hac causa ratio palmaria fuerat. Hanc Græcorum communem esse sententiam ex Symeone, Thessalonicensi, Nicolao Cabasila, Gabriele Philadelphiensi, & aliis notum est; quorum testimonia Arcudius *k* recitat. His adjiciendus novissimus dogmatum Græcanicorum exegeses Metrophanes Critopulus *l* qui docet infantes *apud suos incipiendo statim à sacro baptismate, deinde quoties parentes volunt, utramque qua Eucharistia constat, speciem participare* καὶ αὐτὰ τὰ βρέφη ἀρξάμενα εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, μετέχει τοῦ λοιποῦ ὁσάκις οἱ γονεῖς βούλονται (ἑκατέρου scilicet εἴδους τῶν ἐν τῇ δεσποτικῇ τραπέζῃ; quæ sunt ex superiori orationis parte supplenda) Mox hunc suorum *m* morem confirmat ex eadem illa Domini sententia, qua & Hieremias & ante eum veteres omnes nituntur, *Nisi ederitis carnem Filij hominis, &c.* Ruthenos & Moscovitas eadem sequi nemo dubitat, Ecclesiæ Græcæ portionem. Armenios tametsi à Græcis in quibusdam dissentientes, idem in parvulorum baptismo factitare, Eucharistiam iis quoque ministrantes, tradit Antonius Gouveanus. *n* De Abassinis, id est Æthiopibus, Osorius, Alvares, alij paria omnes affirmant. Alvares narrat *o* infantibus apud eos particulam exiguam magna aqua vi dilutam in fauces à Sacerdote adigi, atque ita in ventriculum protrudi; maribus ex patrio ritu die à natali quadragesimo, fœminis octogesimo.

Quia & in ipso Occidente, qui novam Latinorum de transsubstantiatione fidem olim repudiarant, Bohemos Taboritas, vetustiorum Valdensium non obscuram propaginem, hunc ipsos quoque ritum servasse, & Æneas Sylvius docet, *p* iis exprobrari quod Eucharistiam infantibus, & dementibus porrigerent, & ipsi confitentur

i Hier. in Act. cum Vittemb. Ep. 1. c. 9. p. 85.

k Arcud. l. 1. c. 40. p. 279.

l Metroph. Eccl Or. c. 9. p. 98.

m Ibid p. 99. extr.

n Gouv de bell. Cha-Abb. L. 3 c. 5. p. 388.

o Alvar. Viagg. d'Ethiop. c. 22.

p Æn. Sylv. ep. 129. Hist. Boh.

Cap. V. in Eucharistiam Pragensium articulis sancientes sub utraque specie sumendam esse *tam ab adultis*, quam ab infantibus; & articulo 19. *Infantes* (inquiunt) *baptizatos mox si idonei sunt, & cibi capaces, Sacramento corporis & sanguinis Domini communicent.* Neque vero solos Taboritas, sed etiam cæteros omnes *Sub-utraquistas* (ut vocabant) Bohemos in hac fuisse sententia patet ex petitionibus, quos illi Basiliensi Concilio a. D. 1438. obtulerunt. Earum enim hæc sexta est; *r Item supplicamus, quatenus paternitates vestra considerata magna affectione populi nostri velint dare nobis desideratam libertatem communicandi parvulos sacra Eucharistia. Nam si iste usus communicandi, quem regnum nostrum piè motum, magnorum Sanctorum Doctorum scripturis & exemplis inductum, ut Catholicum suscepit, & à multis annis effectualiter exercuit, aboletur; certe magnum & intolerabile scandalum in populo orietur imo eorum animus plurimum ex hoc implacabiliter perturbaretur.* Ex his, quæ affirmant hunc usum in suo regno *à multis annis exerceri*, probabile est hunc, qui apud omnes Latinos erat ante a. D. 1000. communis, jam inde ab illis temporibus apud Bohemos ad seculum illud 15. hæsisse; qui alibi nulla quidem publica lege, sed sponte ob effusionis metum, apud cæteros Latinos paulatim post undecimum seculum defecerat.

q Prag. Art. 5. in Vald. Lyd. p. 359. 365.

r Compend. Narrat. de Bohem. init. Conc. Basil. T. 8. Conc. gener. p. 11. B. Extat etiam in Fascic. rer. Expet.

Atque ita quidem demonstravimus hanc de Eucharistia parvulis post baptismum tradenda consuetudinem à Cyprianeis temporibus ad ipsa duodecimi seculi initia, non *in quibusdam locis*, quod causæ suæ studentes mentiuntur Tridentini, *s* sed in Oriente & in Occidente, apud Latinos omnes. Italos, Gallos, Hispanos, in ipsa urbe Roma, apud Afros & Ægyptios, Græcos cæterasque Christiani nominis gentes obtinuisse; non *aliquando*, (quod neque verius aiunt Tridentini) sed à tertio illo, quod signabimus, seculo constanter & perpetuo; neque denique, (quod iidem quoque falso affirmant) *ob propabilem duntaxat pro illius temporis ratione causam*, sed ob salutis creditam ab illis necessitatem, non quidem *absolutam*, sed tamen *hypotheticam*, si res scilicet fieri posset. Quo Latini inductæ in suam religionem novitatis, & quidem insignis, manifesti sunt; dum recepto contrario usu tandem Tridentino decreto tam vetustum, tamque universalem morem antiquarunt, & Eucharistiam infantibus nō solum necessariam esse negarunt, sed *ne iis quidem exhibēdam esse* pronuntiarunt, ut Caietanus, *t* vel quod eodem redit, non *licere eam dare* definiverunt, ut ait Maldonatus. *u* Quanquam Tridentini aliquantò etiam longius progressi sunt, dum non contenti veterem & avitum morem refigere, novumque inducere, hunc insuper Canonem contra aliud sentientes condiderunt, *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistia communionem, anathema sit.* Ita illi non obscure Innocentium, Augustinum, Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum, & alias sanctissimas ac de Christianismo optime meritos Patres, unaque veterum illorum temporum Ecclesiam eadem condemnatione cum iis involvunt, in quos fulmen illud suum dirigebant. Id ipsum enim quod

s Conc. Trid. Sess. 21. cap. 4.

t Caiet. in 3. Thom. q. 80. art. 12.

u Maldon. in Ioan. 6. 54.

x Conc. Trid. Sess. 21, can. 4.

quod Tridentini suo anathemate dignum putarunt de Eucharistiæ necessitate dogma, veneranda illa antiquitas ab eo, quod dixi, seculo aperte secuta *est, ut ex iis, quæ disputavimus*, satis patet. Cap. V.

CAPVT V.

Immanis & ab omni veteris Ecclesiæ exemplo aliena Latinorum novitas, apud quos Sacerdos celebrans calicem sacrum ipse quidem hausit, sed nemini communicantium dispensit, sive Laïco, sive Clerico. Controversiæ verus status, studio ab adversariis corruptus. Primum adversus unius speciei distributionem Argumentum, à Domini institutione & exemplo ductum.

SVperest ultima, eaque longe gravissima Latinorum à veteribus in Eucharistiæ distributione diversitas, qua in ipsis illis rebus versatur, quę communicantibus apud sacram mensam à Ministro dispensantur. Cum enim Christus Dominus panem & vinum discipulis distribuerit, neque aliter dispensandam Eucharistiam vel Apostoli docuerint, vel eorum ad ultima tempora posteri factitarint; ausi sunt Latini hanc legitimam sacrosancti illius mysterij administrationem mutare, novumque ritum inducere, ut ipsum quidem sacramentum in utroque, panis scilicet & vini elemento conficiatur; confecti vero utramque partem homo unus, is ipse scilicet Sacerdos, qui confecit, sumat; cæteris vero omnibus, quotquot Laïci, Clericive communicant; panem solum distribuat; calicem nemini ministret. Hęc mutatio, quam sit immanis, quam Christo & Apostolis, quam veteri omni Ecclesiæ, quam præsentibus Christianis contumeliosa, quam denique à rei ipsius ingenio & fine aliena, satis non modo nostri, sed etiam ex ipsis Latinis nonnulli demonstrarunt, ac inter eos nominatim Georgius Cassander, cum sæpe alibi, tum in libello hac una de re ex professo conscripto; qui primo ob argumenti apud suos invidiam sine auctoris nomine, sed tandem inter ejus opera Lutetia editus est *y* an. D. 1616. Nos ex instituto mutationis tantum historiam exsequemur; & aliud à veteribus factum hac in parte fuisse ostendemus, quam hodie fit apud Latinos.

y Cass. de comm. sub utraque spec.

Quod antequam aggrediar, inprimis operæ pretium videtur admonere propositæ quæstionis verum ac genuinum statum hunc esse, quid apud veteres fidelibus ad Dominicam mensam in sacra synaxi accedentibus ministri sive Sacerdotes distribuere rite & ex legitimo communique Ecclesiæ more solerent; panem ne tantum, quod hodie Latini factitant, an vero panem quidem prius, sed & mox calicem sacrum. Tametsi enim eodem redire videatur illa altera formula, *an communio fidelium sacramentalis fieri debeat sub utraque Specie, panis scilicet & vini, an vero*

Cap. V. *sub una tantum*; discrimen tamen est inter utramque quæstionem non contemnendum. Prior enim de Presbyteri communionem ministrantis; altera de fidelis eam suscipientis officio est. Iam ista inter se non parum differre manifestum est. Fidelis enim viri officium quidem est sanctissimi hujus sacramenti communionem sub utraque specie expetere, & quidem quoad à se fieri potest, percipere. Si tamen aliquo vel interno, & ab ipsius suscipientis corpore profecto, vel externo & ab aliis extra se causis exorto impedimento alteram speciem sumere prohibeatur; ille quidem etiamsi unam tantum sumpserit, criminis expers videtur, & commiseratione quã reprehensione dignior, qui id, quod decebat, quantum quidem in se fuit, fecit; quod non plane perfecerit, id ne perficeret, nõ sua voluntate, sed allata vel à natura, vel aliunde necessitate, prohibitus est. In priori genere sunt, qui vel per se ab ipso ortu, vel longa consuetudine, quæ altera natura esse dicitur, ita abhorrent à vino, ut eius gustũ ferre non possint. Qualis etiam eorum ratio est, qui vi morbi alicujus ita fracti ac debilitati sunt, ut panem siccum mandere, & per fauces in ventriculum demittere nequaquã valeant. Sed accidere præterea potest, vt mentis vel error, vel etiam latens hæresis, hominem veluti constrictũ teneat; ne poculum Domini ori admovere, & vinum sacrum libare ausit; quo sane in ordine, qui poculo abstinent, ij peccant, gravius leviusve, prout is error est, quo à bibendo vino sacro absterrentur. Necessitas aliunde, quam ab ipso sumente, ei affertur, vel quem mors sumpto pane ad mensam sacram stantem subito ante intercipit, quam vinum ei Dominicum gustare licuerit, vel cum vinũ domi, ut olim mos erat, servatũ, prius evanescit, acescit, vel alio aliquo casu corrumpitur, quam ille se ad Eucharistiam sumẽdam accinxerit. De istis non disputo, quos hac sacramenti parte aliqua vel *naturalis* (ut loquuntur) vel *moralis necessitas* fraudat. Itaque si quos mihi tales sub una specie communicãtes de veterum monumentis excitaris, tu vero nihil egeris. De ministrorum officio quæro; quos hæc exempla, ut quivis videt, minime probant unam tantum sacramẽti speciem obtulisse ac porrexisse communicantib. Ex his paucis, si memori mente teneantur, quivis facile perspiciet, quanta sit Tridentinorum, & omniũ exinde Latinorũ vafrities, qui totã hanc causam à ministris ad cõmunicãtes transferũnt; de solo horũ officio & usu verba faciunt, de illorum vero in distribuendo munere nihil dicunt. Tridentini accurate definiunt Laïcis & Clericis non conficientib. ad salutem sufficere *alterius speciei communionem*; an conficientẽm satis sit unam porrigere, non quærũt, quia prior quæstio argumentis & ratiocinationibus transigitur, traditione vix potest decerni, posterior ex veterum usu facile deciditur. Nos ergo hanc unam agitabimus; ex quo etiam prior illustrabitur. Neque enim vel Christum instituisse, vel Apostolos præcepisse, vel omnem veterem Ecclesiam observasse duarum specierum distributionem credibile est, si una quibus utraque distribuitur, iis ad salutem satis est; maxime ex Latinorum hypothesi, qui calicis promiscuam dispensationem immanibus difficulta-

x Conc. Trid. Sess. 21. cap. 1.

cultatibus, & periculis inevitabilibus necessario obnoxium esse vo- CAP. V.
lunt. Sed in hac disputatione ne ea quidem negligemus signa sunt, quæ utramque speciem à communicantibus sumptam esse arguant. Nam ex eo quidem quod communicantes vel omnes, vel saltem plerique utramque sumpserint, necessario & evidenter sequitur utramque fuisse à Ministris distributam; Quod aliqui unam tantum sumpserint, eo non conficitur unam tantum fuisse distributam.

Principio cum ipse Christus Eucharistiam instituens utrumque symbolum Apostolis omnibus dederit; *a* cum etiam omnes bibere de suo calice jusserit; *a* cum *omnes* audito ejus præcepto *bibisse* Evangelium diligenter ac diserte monuerit; ab omni veri specie abhorret, vel eos postea, vel eorum discipulos aliter, quam vel Christus præceperat, vel ipsi fecerunt, instituisse. Bellarminus æstuare se falso simulat *c* in explicanda vocula *omnes*; an *universalissime* pro omnibus & singulis hominibus sumenda sit, an pro omnibus duntaxat virilis sexus hominibus & similes nugas in cassum hic profundit; quæ nemini unquam nisi forte deliranti, venerint in mentem. Quasi vero obscurum sit *omnes* eo vocabulo à Christo significari, qui mensæ accumbebant, & quibus calicem simul suum porrigebat, & quidem in eo versantes, ut Eucharistia participarent. Ergo hoc primum & maxime authenticum Christianę synaxeos exemplum est, in quo calix cōmunicantibus, & à Christo omnibus distributus, & ab omnib. sumptus est; quod omnes adeo in illo sacro celebrando sequi ac imitari decet, iuxta Domini mandatum *Hoc facite*; quod Latini ad Apostolos, quatenus ministraturi erant hoc ipsum sacramentum vel unice, vel quod nos potius putamus, præcipue dictum intelligunt. Quod ergo iidem hic causari solent, istos tum omnes communicantes fuisse Apostolos, id argumentum adeo nō solvit, ut etiam arctius constringat. Quod enim Apostoli erant, id est sacramenti ministri, hoc ipso eos utramque speciem distribuere cōmunicaturis jubet Christi cum exemplum, tum præceptum *Hoc facite*. Sed & *bibere* communicantes debere omnes, nisi invita aliqua necessitas prohibeat; idē locus demonstrat. Quis enim eorum exemplum nobis omnibus sequendum neget, qui totius nostræ Societatis sanctissimi ac religiosissimi apices fuerunt? Neque enim communio solis Apostolis commendata est, sed etiam singulis fidelibus. Si Apostolorum esset propria, non panis magis quam calix cuiquam Christiano esset distribuendus; quod nemo post eos fuerit, vel futurus sit veri nominis Apostolus. Sin Sacerdotes suos Latini ab Apostolis in illo sacro repræsentatos finxerint; quanquam hoc profecto nisi absurdissime fingi non potest) cur ergo, quem Christus calicem Apostolis, licet non conficientibus, tradidit, eum ipsi suis Sacerdotibus negant, si quando id Sacramentum ab alio confectum sumunt? Cur Synodus Tridentina hoc ita decrevit *d* eos *sub una panis tantummodo specie communicans, quorum ex ipsis istorum regulis calix proprius* erat?

a Matth. 26. 27.
b Marc. 14. 23.
c Bell. L. 4. de Euchar. c. 25 §. Videndum ig.
d Conc. Trid. Sess. 21. cap. 2.

Cap.V. erat? Certè Apostoli eodem hic jure ac nomine *biberunt*, quo *ederunt*. Eadem utriusque rei ratio est. Vtramque Christus porrexit; idem de utraque præcepit; de pane. *Manducate*; De calice. *Bibite*. Vt duæ sunt Sacramenti partes, *panis & calix*; ita duo Sacramentum sumentis actus, *manducare & bibere*. Vt in conficiendo *panis* & *calix* necessario adhibentur; sic & in sumendo duo actus *esus & potus* necessario requiruntur. Itaque Christus utrumque sicut *benedixit*; ita & distribuit. Neutro in actu alterum ab altero divelli potest. Verissime Maldonatus; *e Duodecim, qui aderant Apostoli* (inquit) *omnis Ecclesiæ, cum qua fœdus inibat, personam repræsentabant*. Ergo, inquam, & sacri vini potus totius est Ecclesiæ; quam scilicet, qui tum vinum biberunt, repræsentabant. Ergo vinum sacrum, omnibus fidelibus, qui Ecclesiæ membra sunt, tam distribui nunc debet, quam tunc Apostolis distributum fuisse constat.

e Maldon. in Matth. 26.

Ipsa Sacramenti institutio, quam hic omnes haberi confitentur satis per se vincit Christi mentem, adeoque & mandatum fuisse, ut panis & calix omnibus uterque ad mensam suam accedentibus porrigatur gustandus. Cum enim ritus aliquis instituitur à posteris celebrandus, non aliter celebrari debere significatur, quam iis adhibitis rebus, quas qui ritum instituit vel adhibuisse ipse cognoscitur, vel certè adhibendas edixisse. Ita in veteri fœdere quascumque in Paschatis institutione species adhibendas, vel utendas dixit *f* Moyses eas in celebrando illo sacro adhibendas, utendasque esse præcepisse intelligitur, Agni anniculi carnes igne tostas, azymos panes, agrestes lactucas, &c. Harum rerum nullam ab illo sacro abesse fas fuit; nullum item celebrantium in eas actum à Moyse commemoratum, esum agni quidem & lactucarum nocte prima, azymorum vero per septem dies. Neque quisquam apud Iudæos repertus est, qui ad sacrum illud hircorum & vitulorum anniversarium, *g* quod Levitici capite sextodecimo describitur putaverit unum hircum satis esse, vel emissarium, vel eum, qui pro peccato offerebatur, vel duos hircos absque vitulo, vel vitulum sine hircis; quia scilicet, quæ sacrificij apud Mosem habetur, descriptio disertissimi mandati vice est, quo singulæ illic commemoratæ species adhiberi præcipiuntur. Eadem est cæterorum ratio, in quibus & species, quæ nominantur, adhibendas, & singulas vel edendas, vel cremandas, vel effundendas, vel spargendas, vel potandas, &c. præcipi à Legislatore intelligitur. Cum ergo Christum Evangelistæ, & Paulus duas in Eucharistia species, quo tempore sacrum ejus ritum instituit, assumpsisse narrent, *h* panem & calicem vino plenum; utrumque benedixisse, panem fregisse, alterum seorsum ab altero discipulis porrexisse, panem manducandum, *Accipite, comedite*; vinum bibendum, *Bibite ex hoc omnes*; tota hæc tam accurata rei totius descriptio clamat velle, manducare ac præcipere Christum totum hunc ritum ita à suis omnibus in posterum peragi, ut minister quidem duas illas species adhibeat, utramque benedicat, panem frangat, fractum primo communicantibus

f Exod. 12.

g Lev. 16.

h Matth. 26. 26. 27.

bus, tum & calicem distribuat; fideles vero communicantes panem acceptum comedant, & ex calice deinde bibant. Huc accedit & mandato utrique sua adjecta ratio, quæ actus utilitatem commendat; nimirum comedendum esse illum panem *i* quod *sit corpus Christi*, bibendum ex calice, quod *hic sit novi testamenti sanguis pro multis effusus in remissionem peccatorum.* Cum ergo nemo sit fidelium, cui non sit apprime utilis ac necessaria corporis sanguinisque Dominici participatio, cumque panis sacri esus, corporis: calicis potus, sanguinis Dominici participatio sit, ut illa nos Pauli docent apertissimè, *k Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est; Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* omninò necesse est, vel ad Laïcos, Clericosque non conficientes nihil istam Dominici sanguinis participationem pertinere; vel certè & calicis potum, æque ac panis esum utrorumque cum conficiente ministro communem esse. Sed hæc, quæ ad jus rei proprie pertinent. breviter attigisse, satis est, quæque adeo probant ex Dominicæ institutionis ratione Eucharistiam sub utraque specie tam distribui, quam confici debere; Alioqui Christi præceptum violari, peccatique in ejus Majestatem gravissimi reum esse quisquis hoc Sacramentum sub una tantum specie, vel fidelibus administrat, vel ipse sumit, nisi extrema aliqua eum necessitas altera carere invitum coëgit. Si quis de hoc ex divinis litteris argumento plura desiderat, nostros id locis suis tractantes adeat: præsertim vero Danielem Chamemerium, *l* & Georgium Calixtum. *m* Hi enim omnes Latinorum vitilitigationes, quæ de hoc capite sunt propemodum innumerabiles, accuratissime excutiunt ac refellunt, nihil ut necesse sit post summam eorum diligentiam idem agere, ac ut veteri verbo utar, Iliada post Homerum scribere. Nos qui nunc quidem, non quid sit juris, quærimus, sed quid olim apud Ecclesiam in hac religiosi cultus parte factum fuerit indagamus, illam Dominicæ institutionis historiam, ut unum de multis, sed tamen præ cæteris omnibus illustre, ac maxime observandum exemplum offerimus; quia primum in hoc ordine, & Christi ipsius ore ac manu gestum, quo merito verissima, ac tutissima omnium, quæ sunt hujus generis, norma censeri debet. Ex his ergo id conclusum esto primam omnium, quæ apud Ecclesiam factæ sunt, Eucharistiam ab ipso Christo, totius religionis principe ac auctore Apostolis primis, adeoque antiquissimis Christianorum omnium, iisdemque sanctissimis ac eminentissimis Patribus, administrata sub utraque specie fuisse; quod vel ipsi Constantienses primi licet de diverso ritu observando legislatores, adeo non negant, ut etiam dissertissime in ipso legis proœmio statim confiteantur *n Christum post cœnam instituisse & suis discipulis administravisse sub utraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum.*

CAP. V.

i Ibid. vers. 26.28.

k 1. Cor. 10. 16.

l Cham. Panstr. T 4. l. 8. de Euch. c. 1.2.3.

m Calixt. Disp. contr. comm. sub una.

n Conc. Const. sess. 13.

CAPUT

CAPVT VI.

Argumentum II. contra unius speciei distributionem, ab Apostolorum & Christianorum, quos illi docebant, exemplo petitum. Hos enim omnes Eucharistiam omnibus communicantibus sub utraque specie distribuisse; idque demonstratur ex 1. Cor. 11. Latinorum ex eodem loco versu 27. Cavillatio solvitur ac refellitur. Particulas ἢ, aut, vel, *aliquando pro conjunctivis à Græcis, Latinisque scriptoribus usurpari. Arg. III. ex 1. Cor. 10. 17. juxta veterem Latini interpretis versionem, apud Latinos olim vulgarem.*

SEd Apostolorum quæ supersunt monumenta docent ipsos quoque hoc summi Magistri exemplum religiosissime, quod decebat, esse secutos; à quo discedere Constantienses & Tridentini in ultima seculorum fæce primi solique omnium Christianorum ausi sunt. Paulus in priore ad Corinthios epistola, quam eruditi scriptam putant anno eræ Christianæ vulgaris quinquagesimo primo, clarissime testatur ad illud Domini exemplum à se & collegis institutam & administratam fuisse Eucharistiam. Profitetur *o* inprimis se à Domino accepisse, quod Corinthiis *tradiderat*. Ergo & his, & cæteris Ecclesiis, quas condidit, *tradiderat* Eucharistiam non sub una, sed sub duabus speciebus panis & vini scilicet, esse administrandam. Neque enim quisquam credo dixerit eum à Domino aliud de hoc Sacramento accepisse, quam quod ipse fecerat. Sed & si quis aliter ea de re sentiret, Paulus hanc suspicionem statim refellit, sigillatim, & quidem accuratissime illud ipsum enarrans, quod se à Domino accepisse dixerat. Quid nam ergo illud fuit? *Quod* (inquit) *Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, Accipite & manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens, Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque biberis, in meam commemorationem.* Hic vides panem & calicem à Domino, non modo acceptum, & gratiarum actione consecratum, sed etiam Apostolis manu Christi ministratum, panem quidem manducandum, calicem autem bibendum. Eucharistiam ergo ministratam sub utraque specie Paulus & à Domino acceperat, & Corinthiis tradiderat; quibus scilicet id tradiderat, quod à Domino acceperat. Si qua in re à Dominico exemplo hic discedi vel debere vel posse censuisset; siquid Laïcum inter & Clericum in Eucharistiæ usu discriminis statuisset, id quoque tibi à Domino, Corinthiis à se traditum dixisset. Nihil dixit. Ergo Eucharistiam Corinthiis tradiderat ad Dominicum illud exemplum & conficiendam, & dispensandam; sic, ut calix omnibus communicantibus ad bibendum distribueretur.

o 1. Cor. 11. 23.

Vnde

Vnde patet primæ illius antiquitatis Christianæ annis apud nostros ex Apostolica disciplina perseverasse primi à Domino ipso dati in Eucharistia exempli fidelem ac religiosam observationem. Quod ipsum Apostolus luculentius ibidem docet. Sic enim recitata Domini institutione ac traditione, ipse pergit; p &, *Quotiescumque enim* (inquit) *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Mitto, quod *mortis Domini annuntiationem*, quæ in Eucharistia necessario facienda est, panis esu, ac calicis potu, non alterutro seorsum, sed utroque simul, fieri definit, quo non modo ita tum servatum fuisse, sed & in perpetuum ab omnibus servari & ministrantibus, & communicantibus debere apertissime præscribit, nullo Laïci à Clerico hactenus discrimine; cum Laïcum non minus, quam Clericum Dominicam mortem in Eucharistia sumenda annuntiare necesse sit; Hoc inquam mitto. Vnum id in his Pauli verbis observo, quod *panem hunc manducare, & calicem hunc bibere*, manifeste dicit, pro *Eucharistia communicare*, vel *eam sumere*, aut *celebrare*. Qui vero sic loquitur eo ipso indicat Eucharistiam duobus illis actibus contineri, non horum altero tantum Fideles ergo in Ecclesiis Paulinis apud mensam Dominicam, non tantum mãducabant, sed etiam bibebant. Neque est quod quisquam hoc de Clericis conficiẽtibus concedat; de Laïcis neget. Omnis enim hic Pauli Sermo ad utriusque ordinis fideles pertinet; & quidem ad Laïcos magis, quam ad Clericos. Ab illis enim potissimum & profectum, & admissum fuisse apud Corinthios patet illud peccatum ad cujus emendationem spectat omnis hæc Apostoli disputatio. Idem ostendunt, q quæ sequuntur; *Itaque quicũque manducaverit panem hunc; vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* In his Eucharistiam utroque illo *manducandi* & *bibendi* actu contineri, ut in superioribus, videmus. Futilis est eorum cavillatio, qui ex particula disjunctiva *vel* argutantur jam tum panẽ sine calice à nonnullis communicantium sumptum fuisse. Primo enim si hæc cavillatio valeret, ne sic quidem quod est in controversia, id secundum Latinos adstrueret. Sic enim induceret quidem à nonnullis communicantium sumptam fuisse unam Sacramenti partem absque altera; non induceret, id, quod nunc inter nos quæritur, non fuisse utramque à ministro porrectam omnibus ad sacram mensam accedentibus. Secundo, si ea hic esset disjunctivæ illius voculæ vis, tam sine pane bibisse, quam sine potu edisse illos aliquos conficeret. At ne Latini quidem patiuntur suorum quemquam apud sacram mensam bibere, nisi qui prius manducaverit. Præterea si valet hæc argutia, eo valet, ut disjungat, non simpliciter esum à potu, vel potum ab esu, quasi quisquam tunc temporis in sacra synaxi vel ederet neque tamen biberet; vel biberet quidem, nequaquam tamen ederet, quo tendit Latinorum argumentatio. Sed hac particula disjungitur esus panis indignus à potu calicis digno; vel contra hujus potus indignus ab illius esu digno. Neque enim simpliciter dicit Apostolus, *Quicumque ederit panem hunc, vel biberit*

CAP. VI.

p 1. Cor. 11. 26.

q 1. Cor. 11. 27.

Cap. VI. *calicem Domini; sed, Quicumque vel illum ederit, vel hunc biberit INDIGNE.* Vnde hoc quidem recte concluseris, posse aliquem & indigne bibere qui non indigne ederit, & indigne edere qui non indigne bibat. Illud quod volunt Latini, nequaquam confeceris posse aliquem apud mensam Domini ritè ac legitime communicare, qui tantum edat, ac non etiam, postquam ederit, bibat. Si instant, ac id, quod nos supponimus, fieri posse negent, ut unus idemque homo Eucharistiæ ejusdem partem quidem unam digne, alteram vero indigne sumat; primo respondebo Apostoli orationem, non absolutam, sed hypotheticam revera esse. Nam ὃς ἂν ἐσθίῃ τὸν ἄρτον τοῦτον, idem est, ac si dixisset ἐάν τις ἐσθίῃ. *Quicumque ederit*, idem est ac si dixisset, *Siquis ederit*. Iam quæ in hypotheticis (ut vulgo loquimur) supponuntur, ea non est necesse omnia posse revera fieri, aut existere in rerum natura; Satis est si animo fingi possunt. Vt cum alibi ad Galatas scribit Paulus; r *Si nos* (ἐὰν ἡμεῖς) *aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*; Nemo inde colligit fieri re vera potuisse, ut vel ipse Paulus, vel cœlestis aliquis Angelus aliud à Paulino evangelium Galatis annuntiaret; sed id ipsum quod nequaquam fieri, etiam quam nos certius ac liquidius intelligebat, *supponit* tamen; significans tantam esse Evangelij à se prædicati veritatem, firmitatem ac perfectionem, ut si id accidat, quod per naturam ac ordinem à Deo constitutum accidere non potest, ut nimirum vel ipse, vel de sanctis Angelis unus aliquid præter illa prædicet, quæ Galatas de Christianismo docuerat; & ipse & Angelus si quid simile audeant, non audiendi, sed explodendi sint. Nihil ergo vetat quin hoc quoque loco supposuerit, qui panem sacrum digne ederit, eundem de calice indigne bibere; etiamsi concedamus id nequaquam fieri posse. Satis est, quod id animo fingi potest, ut ab Apostolo legitime supponi potuerit, quo tantam esse debere utriusque actus puritatem demonstret, ut si quod difficile ac pæne impossibile videtur, contingeret, aliquem nimirum vel edere, vel bibere indigne; etiam unius istorum actuum indignitas satis ad hoc futura sit, ut iste corporis & sanguinis Dominici reus sit. Sed neque illud concedendum videtur, quod nos hactenus donavimus, fieri scilicet non posse, ut horum duorum actuum, quas apud eandem mensam pæne eodem temporis puncto unus idemque homo exercuerit, alter digne alter indigne factus fuerit. Grotius quidem vir eruditionis notissimæ, studij que tam in Latinorum partes propensi, quam à nostris alieni, hoc adeo non censuit esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων, ut etiam id revera apud Corinthios contigisse putet. s *Potest* (inquit) *disjunctiva hic in sua proprietate sumi; quia fieri poterat, ut dives seorsum à pauperibus biberet, non ederet; aut ederet, non autem biberet seorsum.* Sed absque Latinorum cavillatione foret, nihil necesse erat ad has λεπτολογίας descendere. Notum enim est, & observatum à Iureconsultis antiquis, optimis & accuratissimis humani sermonis arbitris atque censoribus, disjunctivam *aut* non raro usurpari pro conjunctiva,

r Gal. i. 8.

s Grot. in 1. Cor. 11. 27.

conjunctiva, id est pro *ET*. *Sæpe ita comparatum est* (inquit Paulus vetus Iurisconsultus) *ut coniuncta pro disiunctis accipiamur, & disiuncta pro coniunctis.* Hujus generis exempla profert hæc, *Cum dicimus* (inquit) *super pecunia tutelave suæ, tutor separatim sine pecunia dari non potest; & cum dicimus, Quod dedi aut donavi, utraque continemus.* Apud Græcos quoque eodem quo apud Latinos modo, disiunctiva pro conjunctivis interdum usurpari ad Homerum observat Eustathius, eruditissimus Poëtæ interpres, & linguæ suæ judex idoneus. Ille hæc Tiresiæ ad Vlyssem verba *a* enarrans *ἐπὴν μνηστῆρας κτείνῃς ἠὲ δόλῳ ἢ ἀμφαδὸν* *Postquam procos occideris vel dolo, vel palam*, scribit veteres hic particulam *ἢ Vel.* quæ disiunctiva est, pro Καὶ *ET coniunctiva interpretari* *σημειῶσαι δὲ* (inquit) *ὅτι τὸ ἠὲ δόλῳ ἢ ἀμφαδὸν, ἀντὶ τοῦ καὶ δόλῳ καὶ ἀμφαδὸν, νοοῦσιν οἱ παλαιοί.* Et in librum ejusdem operis decimum in illud Poëtæ *Ἐ δ' ἐ φθεγξαμένη θεῶ, ἢ αὐδήεντος.* *Si te vocem mittentem vel loquentem audierit*, *ἢ aut* notat *posse* pro ΚΑΙ *ET accipi.* *καὶ ἴσως μὲν τις κἀνταῦθα λήψεται ἀντὶ τοῦ καὶ τὸν ἢ σύνδεσμον.* De Latinis idem non semel observavit utriusque linguæ consultissimus, & in his aliisque pæne omnibus versatissimus Salmasius noster. Sic accipit *y* illa summi Poëtæ, *magnus pietate vel armis, id est* (inquit) *pietate & armis*; & alibi passim apud auctores. Et in alio opere eodem sensu capiendum docet *z* illud Iulij Capitolini de Marco, *Viris claris permisit, ut eodem cultu, quo ipse Vel ministeriis similibus convivia exhiberent; id est & ministeriis: idque non semel apud istos scriptores observari posse monet.* Ita & sacri Scriptores loquuntur; ut ipse Paulus cum alibi dicit, *a Non enim per legem promissio Abrahæ, AVT semini eius*, id est, & semini ejus, quod in eodem argumento alio in loco *b* sic expressit, *Abrahæ dicta sunt promissiones, ET semini eius.* Sic etiam Lucas; *c In qua potestate hæc facis, AVT quis est, qui dedit tibi hanc potestatem?* pro eo, quod in eadem efferenda sententia habent Matthæus *d* & Marcus, *e ET quis tibi dedit hanc potestatem?* Ita quod apud Mosem in Hebræo est, *AVT postea intellexerit*, Latinus recte interpretatus est, *ET postea intellexerit peccatum suum.* Cum ergo hæc sit particulæ Ἢ, *AVT* apud Græcos & Latinos vis, ut quæ inter se nectit, ea non semper disiungat, sed etiam interdum conjungat, cumque ex rerum ipsarum de quibus agitur, ingenio, de ejus sensu judicandum sit, ut exemplo suo præscribit Paulus Iurisconsultus, apparet non posse Latinos ex his Apostoli verbis, *Quicumque manducaverit panem hunc, VEL biberit calicem Domini indigne* &c. valide concludere aliquos communicantium ita olim apud sacram mensam manducavisse, ut non etiam biberint, nisi prius demonstraverint res ipsas, id est esum & potum jam tum aliquando fuisse in hoc sacro disiunctas. Atqui hoc neque demonstrant, neque demonstrare possunt. Omnia alio ducunt, & hæc duo in Eucharistiæ sumptione conjunctissima fuisse ostendunt Domini institutio, & disertum præceptum, totius Ecclesiæ Apostolorum proximæ constans ac perpetuus

CAP. VI.

t Dig. L. 50. Tit. 116. L. 53. Sæpe ita.

u Eustat. in Odyss. L. XI. p. 16. edit. Rom.

x Id. ibid. in L. 10. p. 1641.

y Salmas. in Pall. Tertull. p. 372.

z Id. Not. in Hist. Aug. Script. p. 90. A.

a Rom. 4. 13.

b Gal. 3. 16.

c Luc. 20. 2.

d Matth. 24. 23.

e Marc. 11. 28.

f Levitic. 4. 23. Vide etiam Lev. 4. 27. 28. Cantic. 2. 7 & 3. 5.

Cap. VI. usus, ut mox docebimus. Ergo fatendum est, quod Paulus hic dicit *vel biberit*, id idem esse, ac si scripsisset *ET biberit*. Atque hoc ipse satis confirmat Apostolus, cum res easdem toto hoc loco tractans duo illa, de quibus quæritur, quater quidem conjunxerit; disiunxerit vero tantum semel. Ita versiculo hunc proxime antecedente, *Quotiescunque manducabitis panem hunc, ET calicem bibetis.* Versu statim sequente, *Sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Iterum continuo; *Qui manducat, ET bibit indigne, iudicium sibi manducat ET bibit.* Non est dubitandum, quin quam sæpius usurpavit particulam eam nativo, proprioque ac consueto sensu potius intellexerit, quam eam, quæ ab eo varius ac parcius usurpata hic occurrit. Atqui in versibus non pluribus, quam quatuor particulam. *ET*, qua conjungit, quater dixit; Vel quæ disiungit, semel tantum posuit. Quid superest, nisi ut veram ejus mentem vel ex ipso locutionum numero præscribamus fuisse hos, quos istis particulis inter se nectit, *edendi bibendique* actus, non quod Latini frustra contendunt *disiungere*, Quid, quod ne illud quidem, quod Latini sumunt, plane liquidoque certum est, Paulum scilicet hoc loco vel semel particula disiunctiva usum esse, & vere scripsisse, quod nunc in libris typis excusis Græcis Latinisque vulgo legimus, ὃς ἂν ἐσθίῃ ἢ πίνῃ, *Quicumque manducaverit Vel biberit*? Multa suadent & Paulum scripsisse ὃς ἂν ἐσθίῃ ΚΑῚ πίνῃ, & Latinum interpretem edidisse, *Quicumque manducaverit, ET biberit.* Certe qui hoc uno eodemque loco quater sic est locutus, cum voce diversa ad rem unam eandemque significandam usum ibidem esse, parum probabile videtur. Imo eandem hic quoque, ut in cæteris quatuor locis, & particulam ΚΑΊ, non autem Ἢ, scripsisse Apostolum suadet primo codex novi Testamenti Græcus, Thersæ Alexandrinæ mulieris manuscriptus, qui Regi magnæ Britanniæ Iacobo I. à Cyrillo Patriarcha Alexandrino dono missus, in Regia Bibliotheca apud Anglos servatur, & omnium codicum, qui hodie extant, vetustissimus esse putatur. In illo enim codice hic Pauli versiculus plane sic, ut diximus, scriptus legitur. ὥστε ὃς ἂν ἐσθίῃ τὸν ἄρτον. ΚΑΊ πίνῃ τὸ ποτήριον τοῦ Κυρίου ἀναξίως; ut est ad hunc Pauli locum in Bibliis Londinensibus πολυγλώττοις annotatum. Athanasius, sive quis alius auctor Græci in passionem & crucem Domini tractatus, qui inter Athanasij opera circumfertur, hunc quoque versiculum, plane ut Theclæ codex, exhibet; [g] ὃς γὰρ ἂν ἐσθίῃ τὸν ἄρτον, ΚΑΊ πίνῃ τὸ ποτήριον τοῦ Κυρίου ἀναξίως. Sic etiam Latinus interpres reddit in Bibliorum Complutensium laudatissima editione; *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, ET biberit calicem Domini indigne.* Codicem Latinorum Bibliorum habeo, manu sed Gothica in charta pergamena scriptum, qui 300. vel 400. annorum ætatem præ se fert, in quo hic idem versiculus, plane ut in editione Complutensi, scriptus legitur, *Quicumque manducaverit panem*

g Athan. de Pass. & cruc. Dom. T. 1. p 1027.

panem hunc, *ET biberit calicem Domini indigne.* Neque dubitandum est, quin multi fuerint manuscripti hujusmodi codices, qui eandem lectionem exhiberent. Neque enim ita edituros fuisse Complutenses verisimile est, nisi non modo aliquot, sed etiam plures & melioris notæ libros habuissent, qui hanc lectionem præferrent, quam qui diversam. Neque aliter Syrus, & Arabs legerunt; Ille sic; *Qui ederit unum panem*, *& biberit* &c. Arabs; *Qui comederit hunc panem*, *ET biberit calicem Domini absque merito*, *tenebitur crimine corporis & sanguinis eius.* Æthiopis eadem quoque ratio est; *Et nunc* (inquit) *qui edit hunc panem*, *ET bibit hunc calicem indignus existens*, *condemnabitur pro corpore & sanguine Christi.* Vetus, qui inter opera Hieronymi exstat, Latinus in Paulum commentarius eadem sequitur; *Quicumque manducaverit panem hunc*, *ET biberit calicem Domini indigne* &c. Quin & de sequioribus seculis Falbertus Carnotensis, *h* Anselmus, Thomas, Lyranus, Caietanus, & Guillandus eandem quoque lectionem habent. Atque ita sane vel legendum, vel (si vulgatam à Clemente P. R. 8. editionem sequimur) intelligendum esse hunc Pauli locum vincit versiculus sequens; *Probat autem se ipsum homo* (id est unusquisque, ex noto Hebraismo) *& sic de pane illo edat*, *& de calice bibat.* Hic enim Apostolus institutum sermonem persequens, ut caveatur à fidelibus, qui ex indigne sumpta eucharistia contrahitur reatus, jubet unumquemque communicantium se ipsum antequam ad sacram mensam accedat probare, atque ita demum panem & poculum Domini sumere. Non ita utrumque conjungeret, nisi omnes omnino communicantes utrumque accipere, & uniuscujusque fidelis officium, & totius, quæ tum erat Ecclesiæ communis mos fuisset. Itaque cum ejus, qui indigne communicat, jam commemoratum periculum versu proxime iterum inculcat, esum & potum conjunctim, non divisim & separatim eloquitur hoc modo, *Qui enim manducat, ET bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.*

CAP. VI.

h Fulb. ep. 1.

Ex his apertissime liquet Apostolos & Ecclesias ab iis conditas Domini institutionem & exemplum sequentes Eucharistiam sub utraque specie fidelibus quibusvis administrasse. Ac de illa Ecclesia ita aliquando sensisse, ipsos etiam Latinos, apparet ea cujusdam alterius Paulini loci veteri, & apud eos olim vulgari interpretatione, in quo Græci codices hodierni simpliciter habent, οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν, Latini apud suum interpretem vulgo legebant, *i Omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus*; mentem Pauli totius haud dubie Eucharistiæ participationem intelligentis, plenius addita *poculi* sacri mentione quod in Græco deest, mentione explicantes. Qui sic legebant, putabant Pauli ævo *quicumque corpus unum* in Domino sunt (id est omnes omnino fideles) de uno calice, æque ac de uno pane,

i 1. Cor. 10. 17.

Cap. VI.

k Bell. L. 4. de Euch. c. 24. §. Et miranda.

in Eucharistia participasse. Bellarminus respondet, *k illud* & ex uno calice, *non haberi in Bibliis correctioribus vulgatæ editionis, sed solum in paucis quibusdam minus emendatis.* Ego vero fateor, nunc quidem in omnibus Latinorum codicibus, qui ex Clementis editione excuduntur (neque fere alij quam ex hac hodie excuduntur) deesse quatuor illas voculas, *& ex uno calice* l. Olim vero, antequam nuper procurata à Clemente editio exiisset in lucem, falsum est vel pauca fuisse, vel *minus emendata habita esse* illis temporibus illa Latinæ interpretationis exemplaria, in quibus allatus Pauli locus quatuor istis voculis auctior legebatur, quam nunc habetur in Clementinis. Imo apparet ex libris ante Clementina Biblia edita, vel manu scriptis, vel typis excusis, communissimam hanc fuisse apud Latinos lectionem, *de uno pane & de uno poculo.* Vt de cæteris taceam, nulla Bibliorum ante Clementem editio emendatior aut castigatior, nulla clarior aut nobilior fuit, quam Complutensis, Francisci Ximenii amplissimi Hispaniæ Cardinalis auspiciis ac sumptu procurata, missis à Leone P. R. X. Cardinalis instituto favente ex Papali Bibliotheca antiquissimis, optimisque exemplaribus, *tantæ vetustatis, ut fidem eis abrogare nefas videretur.* Hæc enim *illi impressioni archetypa fuisse*, ipsi editores in Græco Latina novi fœderis libris præfixa Præfatione testantur. Atqui in ipsa illa editione Pauli locus plane ita, ut exhibuimus Latine excusus legitur; cum illa additione, *ET DE VNO CALICE.* Sed quid ego Ximenianam editione loquor? Sixtinam ipsam, quam Latini suam esse hodiernam, tametsi falso præ se tamen ferunt, & rerum ignaris persuadent, nos ipsi scimus ita quoque locum hunc exhibuisse *de uno pane & de uno calice*; & melius ac facilius, quam nos, scivit Bellarminus, sed quod probe scivit, vafre dissimulavit. Iam vero quam lectionem & Franciscus Ximenius, & Sixtus Papa V. omnium, qui apud Latinos sacrorum Bibliorum editionem emendare aggressi sunt, celeberrimi ac præstantissimi, retinuerant, eam apud Latinos olim multo communiorem ac emendatiorem habitam fuisse, nihil est, quod dubitemus; quantumvis Bellarminus sophistice verbis æquivocis & veteratoriis lectori credulo illudens aliud nobis persuadere voluisse videatur. Certe idem ille meus M. S. Bibliorum Latinorum liber, quem nuper memorabam, hic quoque idem habet, quod Complutenses, & Sixtus prætulerunt, *Omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus*; itidemque alter Latinus paulo minori forma, sed charactere grandiori manu in pergameno scriptus novi testamenti codex, qui & ipse noster est, locum Pauli cum iisdem vocibus repræsentavit, eodem additamento, *& de uno calice*, quam in nostris vulgatis auctiorem. Sed & præter hos, non dubito Côplutenses, plures quos sequerêtur, habuisse manuscriptos libros, quorum auctoritate coacti sint ista *de uno calice* præter vulgatos Græcos codices, huic versui inserere. Estius in quibusdam codicibus ita legi fatetur, *m* idque totum à plærisque mediæ ætatis tractatoribus exponi; quod magno argumento est. Latinos *mediæ* (ut ille dicit) *ætatis*

l Vide Jam. ad hunc loc in Bell. Papali.

m Est. in 1. Cor. 10. 17. 18.

ita

ita omnes legisse. Certe Biblia Latina Veneta minoris formæ a. D. 1533. & Biblia à Renato Benedicto, Parisiensi Theologo, in grandibus chartis a. D. 1565. Latine edita, utraque Complutensem lectionem sequuntur. Sed quid recentes loquor? Ipse ille vetustissimus Pauli commentator, qui inter Ambrosij opera circumfertur, hunc in Pauli ipsius, ut loquimur, *textu* cum Sixto & Complutensibus eundem versiculum Latine exhibet, quo loco explanat; *n* & paulo post eum ipse in commentario repetens iterum eundem describit, *Omnes de uno pane, & de uno calice participamus.* Ac nequis de lectionis antiquitate dubitet, extat & servatur apud Benedictinos, qui in S. Germani sub urbio sedes habent Græco-Latinus litteris capitalibus Romanis scriptus, novi instrumenti codex, ipsa suo antiquitate venerabilis (præ se fert enim ætatem mille annorum) in, quo hic Paulinus versiculus utraque lingua ita scriptus legitur, Græce, *οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου, καὶ τοῦ ποτηρίου μετέχομεν.* Latine; *Omnes enim de uno pane, & de uno calice participamus.* Hinc patet, quam vetusta sit illa lectio; quamque temere Bellarminus pronuntiarit exemplaria Latina, quæ ita legunt, *minus esse emendata*; in Græcis autem multis haberi verba illa, *& de uno calice*; in utroque, ut ostendimus halusinatus. Illud quidem, ut videtur, jam satis superque probatum est Latinos, apud quos hæc lectio, ante novissimam Clementis Criticam publica ac pæne omnium communis erat, & à plærisque teste Estio, tractatoribus mediæ ætatis exponebatur, id sensisse quod diximus, nempe primam illam ævi Paulini Ecclesiam, non tantum *uno pane* (qui hodie Latinorum mos est, sed etiam de *uno calice* apud mensam Dominicam *participasse.* Ex quibus, hoc etiam si me audis, disces, quod Clemens novissime quatuor illas voculas (*& de uno calice*) de suæ editionis codicibus expungi voluit, id eum non fecisse ullo veritatis, aut Græci fontis amore (nam alibi non pauca quæ in Græcis desunt, nihilosecius in Latino textu retinuit) sed uno Constantiensis, Tridentinique decreti studio, de mutilanda dimidia sui parte Christianorum hominum Eucharistia. Iamdudum enim isti pro correctioribus & emendatoribus habent, non quæ Hebraïcis Græcisve Scripturæ fontibus consentanea sunt, sed quæ suis dogmatis ac decretis minus nocent; pro minus emendatis, quæ sua placita validius pulsant, ac quatiunt; nihil fere ex vero, omnia ex præceptis Papæ & Papalis *Concilij decretis judicantes.*

Cap. VII.

n Ambr. in 1. Cor. 10. 17. 18.

CAPUT

CAPUT VII.

Pro distributione Eucharistiæ sub utraque specie, sequentis post Apostolicum seculum ad a. D. 325. Ecclesiæ testimonia, Iustini, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Pseudo-Ignatij, Dionysii Alexandrini.

AB Apostolorum ævo digressis, altero Christianismi seculo primus occurrit a. D. 150. Iustinus Martyr, qui apud Principes Romanos omnem sacrarum synaxeon ordinem explicaturus post communes peractas preces, mutuaque fratrum inter se oscula oblatum dicit ei fuisse, qui cœtui præest, panem & aquæ vinique poculum; atque *ubi* (inquit) *ille preces & gratiarum actiones absolvit* (quibus scilicet conficitur Eucharistia) *populusque qui adest, omnis fausta approbatione acclamavit, dicens Amen*, tum *qui apud nos* (inquit) *vocantur Diaconi distribuunt unicuique præsentium, ut participent ex pane & vino & aqua benedictis* (id est per gratiarum actionem super iis factam consecratis) *& ad absentes perferunt, & hoc alimentum apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alij participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita ut Christus tradidit viventi* οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν, ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος. καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρειν. Hic vides in solenni ac publica Eucharistiæ celebratione *panem* non solum sed una quoque *vinum aqua mixtum gratiarum actione confecta*, εὐχαριστηθέντα, dari non uni de Clero, sed unicuique fidelium, qui adsunt, adeoque omnibus clericis Laïcisque nullo discrimine communicantibus dispensari; & quidem quod neque est omittendum, Diaconorum manu, quod nunc apud Latinos nefas est, neque præsentibus solis dari, sed etiam ad eos, qui absunt deferri. Non potuit clarius nos docere tam quosvis Laïcos ac Clericos, quam ipsum Præpositum, qui Eucharistiam confecerat, in hoc sacro bibisse; certe omnibus utramque Eucharistiæ speciem ministratam ac traditam fuisse. Ac nequis putaret hæc temere apud eos ex posterorum voluntate ac mandato fieri, paulo post ita scribit; *Nam Apostoli in commentariis à se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita sibi præcepisse Iesum tradiderunt.* οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασι. ἃ καλεῖται εὐαγγέλια. οὕτως παρέδωκαν ἐντετάλθαι αὐτοῖς τὸν Ἰησοῦν. Quo loco breviter ex Evangeliis repetit Eucharistiæ institutionem. Non ergo putavit hanc tradendæ omnibus communicantibus utriusque speciei disciplinam liberæ esse apud Christianos observationis, sic, ut à Præpositis, vel à Pontificibus pars ejus dari communicantibus, pars negari possit. Præceptam à Christo diserte dicit. ἐντετάλθαι τὸν Ἰησοῦν, atque id ita traditum esse ab Apostolis. οἱ

a Iustin. Apol. 2. p. 76. lin. 43.

b Ibid. p. 77. lin. 5. 6.

ἀπόστολοι οὕτως παρέδωκαν ἐντετάλθαι. Ergo hunc usum necessarium esse censuerunt, *Christi precepto*; Quo refellit musteas Latinorum glossas, comminiscentium à Christo quidem institutam Eucharistiam, non & præceptam sub duplici specie in Evangeliis memorari. Iustinus contra Iesum *ita præcepisse* dicit, & quidem eo ipso Evangelij loco, in quo narratur hujus Sacramenti institutio. Quo fit, ut Iustini tempore, hanc fuisse Christianorum sententiam appareat, & ipsam institutionem præcepti instar esse quo ad bibendum obligamur, & illis Christi verbis, *Bibite ex hoc omnes* præceptum, quod ipsa etiam verba præferunt contineri, ut omnes non modo qui tum una cum Christo erant Apostoli, sed etiam post futuri Christiani ex sacro calice communicantes biberent. Alioqui frustra hæc Iustinus afferret, nisi iis ad eadem facienda obstringi putasset, & sui ævi Christianos, quorum synaxin, in qua calix omnibus dabatur, Christi verbo & auctoritate constituit ac defendit hoc prolato ex Evangeliis loco; ut non sit mirandum, veteres hunc calicis quibusvis communicandi ritum tam arcte retinuisse, quem suis à Christo & ipsa institutione & diserta lege commendatum præceptamque, ut est sane ita esse existimabant. Neque hic audiendus Bellarminus, qui hoc Iustini de Christi præcepto dictum ad solam Eucharistiæ consecrationem, non etiam ad communionem pertinere fingit. *q* Quinimo ad ea omnia, quæ Iustinus superius dixerat, referri indicat primo ipsa totius orationis series, ut legenti patet. At in superioribus, non *aliquid* ut Bellarminus rem elevans loquitur, sed omnia de communione planissime dixerat quæ locus requirebat, quæque à nobis jam descripta hic reponere nihil necesse est. Secundo idem ex ipsis illis posterioribus Iustini verbis apparet, in quibus hoc Christi ex Evangelio dictum diserte, & quidem primo recitat, *r* *Hoc facite, quotiescumque BIBETIS, in meam commemorationem. Bibere* communicare est; non est Sacramentum conficere. Quod ipse Paulus statim enarrans ad utriusque symboli participationem extendit, *Quotiescumque enim* (inquit) *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Hinc constat illud, *Hoc facite*, idem auctore ac interprete Paulo, esse, ac si Christus dixisset, *Panem sic benedictum, ut à me benedici vidistis, manducate & calicem bibite in mei recordationem.* Quibus duobus cum tota à Iustino commemorata panis vinique communio contineatur, clarum est eam his quoque Domini recitatis verbis esse ab eo constitutam ac confirmatam; non adeo solam, quod frustra vult Bellarminus, consecrationem. Sed & præter hanc alia quædam Iustinum voluisse confirmare ipse satis clamat, dum ibidem postremo ex Evangelio observat *Christum Eucharistiam solis Apostolis tradidisse.* Atqui hoc nihil ad confectionem Sacramenti pertinet; ad id quod supra præmiserat, probandum manifeste pertinet, Eucharistiam scilicet nulli alij participare licere, nisi ei, qui credit verum esse Christianismi dogma, quique accepto ad remissionem peccatorum & regenerationem

Hhhh baptismo,

CAP. VII.

q Bell. L. 4. de Euch. c. 26. §. Resp. illa verba Iust.

r 1. Cor. 11. 25. 26.

Cap. VII. baptismo, de cætero vitam ex tradita à Christo disciplina instituit. Atque hæc fortasse causa fuit, cur Bellarminus verba illa Iustini ultima de Eucharistia solis Apostolis tradita supprimeret, ne id quod ipse dicit hunc ejus locum ad solam consecrationem pertinere, falso ab eo affirmari, illa si addita essent, nimis aperte proderent.

Paulo post, Iustinus ubi diei Dominicæ solennem apud nostros conventum actusque religiosos enarrat, postquam de Eucharistia ex pane & vino confectione dixit, tum; *s Distributio* (inquit) *communicatioque eorum, super quæ gratiæ actæ sunt* (id est panis, vinique & aquæ mixtæ, quæ hic quoque Præposito oblata fuisse dicit) *fit unicuique* (præsenti scilicet) *absentibus autem per Diaconos mittitur.* καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. Eadem omnia quæ supra τὰ εὐχαριστηθέντα *sunt* ὁ εὐχαριστηθεὶς ἄρτος καὶ οἶνος. Ergo præsentium unicuique tam vinum quam panis distribuebatur & absentibus mittebatur.

s Iust. Apol. 2. p. 77. lin. 34.

Idipsum Iustino paulo junior Irenæus eo docet, quod scribit *t carnem fidelium à corpore & sanguine Domini ali*; id est à pane, qui carnis, & vino, quod sanguinis sacramentum est; idque latius & planius alibi explicat, *u Christum dicens ex eo calicem, quem sanguinem suum confessus est, augere corpora nostra, & ex pane, quem corpus suum esse confirmavit, nostra augere corpora. Quando ergo* (inquit) *mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia; quomodo carnem negant* (hæretici scilicet) *quæ corpore & sanguine Christi nutritur, & membrum est eius, capacem esse donationis Dei, quæ est vita æterna?* ὁπότε οὖν καὶ τὸ κεκραμένον ποτήριον, καὶ ὁ γεγονὼς ἄρτος ἐπιδέχεται τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ γίνεται ἡ εὐχαριστία σῶμα Χριστοῦ. ἐκ τούτων δὲ αὔξει καὶ συνίσταται ἡ τῆς σαρκὸς ἡμῶν ὑπόστασις πῶς δεκτικὴν μὴ εἶναι λέγουσι τὴν σάρκα τῆς δωρεᾶς τοῦ Θεοῦ, ἥτις ἐστὶ ζωὴ αἰώνιος, τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ τρεφομένην, καὶ μέλος αὐτοῦ ὑπάρχουσαν; Mox de eadem fidelium carne, *Quæ* (inquit) *de calice, qui est sanguis eius, nutritur; & de pane, quæ est corpus eius, augetur.* ἥτις καὶ ἐκ τοῦ ποτηρίου αὐτοῦ ὅ ἐστι τὸ αἷμα αὐτοῦ τρέφεται. καὶ ἐκ τοῦ ἄρτου ὅ ἐστι σῶμα αὐτοῦ αὔξεται. Apertissime ponit, fidelium, qui olim in beatam immortalitatem resurrecturi sunt, carnem non minus sanguine Christi sive vino, sanguinis sacramento, quam carne Christi, sive pane, carnis ejus sacramento, nutriri atque augeri; quod ipsum quoque disertissime scripserat Iustinus, in eo loco quē novissime laudabamus, in quo legimus *x ex alimento Eucharistiæ sanguinem & carnes nostras per mutationem ali*, ἐκ τῆς εὐχαριστηθείσης τροφῆς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν. Atqui sacro illo & mystico vino, Dominici sanguinis symbolo & antitypo carnes nostræ, nosterque sanguis nutriri non aliter possunt, nisi non modo mysticam Christi carnem, sed etiam mysticum ejus sanguinem caro nostra suscipiat; quod aliter fieri non potest, nisi illud ipsum mysticum vinum sumant. Sumebant ergo Irenæanorum temporum Christiani calicem non minus, quam panem.

t Iren. L. 4. c. 34.
u Id. L. 5. c. 2.

Græca hæc Damasceni Parallela exhibent.

Idem

CAP. VII.

Idem quoque apud Tertullianum, supparem horum scriptorem, legitur. Is enim, æque ac isti, de cujusvis ex quolibet ordine fidelis carne scribit, y *Caro* (inquit) *corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Qui fidelium caro Christi sanguine, id est vino mystico, *vescebatur*, si unus qui sacramentum confecerat Sacerdos, id vinum gustabat? Bellarminus observat *Tertullianum dixisse nos vesci sanguine; non dixisse nos bibere sanguinem.* Ego vero observo, ne illud quidem, quod iste ait, Tertullianum dixisse, *nos* scilicet *vesci sanguine Christi.* Dicit ille, non *nos*, sed *carnem* nostram scilicet, *vesci corpore & sanguine Christi.* Carnem autem vesci liquido sanguine, qualis ille est, qui Domini dicitur sanguis, nisi quam biberit, inauditum. Hoc vero nisi de calice intellexeris, in Eucharistia capi non potest, in qua id, quod Domini sanguis dicitur, sumi quidem dicitur, sed bibendo. In verbo *vescendi* præsidium frustra Bellarminus quærit; quasi eo significet auctor Christi tam sanguinem, quam carnem, edendo carnem, simul semelque utrumque sumi; quod Transsubstantiatorum somnium est, Tertulliano, cæterisque omnibus veteris memoriæ Christianis plane incognitum. Primo nihil necesse est *vescendi* verbum de unius panis esu accipere. Id enim commune esse tum escæ, quæ editur, tum liquoris, qui bibitur, nostri jampridem demonstrarunt; ut ex illo Ciceronis de sideribus patet, ubi illa negat a *iis escis, aut potionibus vesci, ut aut nimis acres, aut nimis concretos humores colligant.* Sed & ex Nonio observant *vesci* Latinos dixisse pro *uti*; ut apud Poëtam de Ænea, *Si vescitur aura Ætherea*; apud Pacuvium *arte vesci*, *vesci armis.* Itaque Tertullianum nihil vetabat ad significandam utriusque speciei sumptionem, dicere carnem nostram, vesci Domini & carne, panem sacrum edendo, *& sanguine*, vinum sacrum bibendo. Denique si vel aliter esset, & *vesci* non aliud significaret, quam *edere* vel manducare; non ideo sequeretur id verbum non posse utramque speciem complecti, per syllepsin ejus similem, qua optimos auctores sæpe usos scimus; qualis illa plane est, apud Homerum etiam pueris nota, σῖτον & οἶνον ἔδοντες *panem & vinum edentes.* Grammatici notant b hic esse syllepsin; subaudiri enim analogum verbū *bibentes.* ἀπὸ κοινοῦ τὸ πίνοντες ... ἐνδεῖ. Ita & Tertullianus, si carnem nostram dixisset, *Domini carnem & sanguinem edere*, *edendi* verbo & ipsum edere, & κατ' ἀνάλογον bibere quoque significasset. Qui idem habet alibi de muliere Christiana viro Ethnico nupta, c *Cujus manum desiderabit? De cujus poculo participabit?* Si Pamelium de Eucharistia accipientem audimus, etiam fœminis poculum sacrum fuisse apud nostros ministratum, probabunt. Sed quod hæc Rigaltius ad agaparum convivia appositius, ut opinor, refert; nolo adversarii si forte, errore in rem meam abuti.

y Tertull. L. de resurr. carn c. 8. p. 385. A.
z Bell. L. 4. de Euch. c. 26 §. Eadem solutio.
a Cicer. L. 2: de nat. deor. p. 75. Juit.
b Eustath. ad Odyss. 9. p. 1598. lin. 10.
c Tertull. L. 2. ad Uxor. c. 6. p. 190. B.

Origenes tertii seculi jam adulti celeberrimus scriptor, testatur Christianis omnibus solenne tum fuisse *de Dominico calice bibere*, cum hos unum esse dicit à Deo laudatur populum, *qui in usu habeat sanguinem bibere.* Hoc autem etiam de mensæ Dominicæ mystico

Cap. VII. vino esse cupiendum docet, *d* quod paulo post sequitur, *Bibere dicimur sanguinem Christi, non solum sacramentorum ritu sed & cum sermones eius recipimus, in quibus vita consistit.* Ergo & *sacramentorum ritu, populus* tum noster *sanguinem Domini bibebat* Quomodo, si Dominici calicis expers erat?

d Orig. Hom. 16. In Num. p. 236.

Cyprianus ejusdem seculi clarissimus Episcopus & Martyr quosdam reprehendit, *e quod vel ignoranter, vel simpliciter in calice Dominico sanctificando, & PLEBI ministrando, non hoc faciant, quod Iesus Christus, Dominus & Deus noster, sacrificij huius auctor & doctor, fecit & docuit.* Vel hæc sola docent, tum temporis Dominicum calicem plebi ministratum fuisse. Respondet Bellarminus *f* non agere hoc loco *Cyprianum, oporteat ne calicem populo prabere, an non? sed tantum, ut si ministretur, ex vino mixto, non ex aqua sola constet, & hoc dicit Dominum docuisse.* Sed hæc nihil ad me, qui neque hoc loco *ago, oporteat ne populo calicem prabere, an non.* Hoc ago, an veteres populo calicem præbuerint. Præbuisse autem eos populo calicem Cypriani tempore, vincit hic locus. Nam si nullus populo præbebatur calix, Stulte Cyprianus istorum ignorantiam vel simplicitatem in calice plebi ministrando argueret. Arguenda erat eorum præsumptio atque temeritas, quod calicem plebi concederent, quem ei Ecclesia negaret, ut hodie Latinos facere videmus, qui etiam impietatis eos damnare non verentur, qui plebem sub utraque specie communicandam putant; vel certe denotanda fuerat istorum Aquariorum stultitia, qui non vinum, sed aquam in matutina synaxi præbendam in calice Sacro ideo putabant, non quod vinum alias ministrari non debere contenderent, sed quod vererentur ne quis per saporem vini in sacrificiis matutinis sumpti *redoleat sanguinem Christi.* Tales enim Cyprianus vel omnes, quos oppugnat, fuisse, vel eorum certe aliquos liquido testatur in ultima epistolæ parte; *g* quo loco cum dixisset actum esse de religionis disciplina, *nisi quod specialiter præcipitur & fideliter observetur,* * statim addit, *nisi si in sacrificiis matutinis hoc quis vereiur, ne per saporem vini redoleat sanguinem Christi.* Hos certe satis erat leniter monere, esse quo sibi facile consulere possent, si calice, quod per Ecclesiæ leges liberum erat scilicet (si Bellarminum audimus) mane abstinerent; cum non alias, quam in vespertinis Sacris sumerent, quo tempore nihil esse ab eo periculi confirebantur, ne ex vini odore Christiani deprehenderentur. Atqui istos Cyprianus longe aliter excipit; Perfidiæ accusat; *eorum exemplo fraternitatem queritur à passione Christi in persecutionibus retardari,* dum in oblationibus dicit *de sanguine eius & cruore confundi.* Minas iis cælestes inculcat, *Qui confusus me fuerit, confundetur eum Filius hominis. Si hominibus placerem Christi servus non essem. Quomodo (* inquit *) possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere?* Ille vero frustra tumultuatur, & fluctus (quod aiunt) in simpulo excitat,

e Cypr. ep. 63. p. 114. extr.

f Bell. L. 4. de Euch. c. 16. §. Secundus locus.

g Cypr. ub. supr. p. 120.

* Ita legendum ex cod. Vatic. monet. Rigalt. not. p. 94.

excitat, si per veteris illius Ecclesiæ leges, non dico necessarium, ut nunc est apud Latinos, sed vel liberum erat solum panem, non autem & una calicem communicantibus dispensare. Non enim is erat Cyprianus, qui humanæ infirmitati nihil concedere est; qui Christum ab eo *confundi* statim putaret, quisquis deprehendi & ad mortem ex indicio rapi metuens officium in præsens non plane necessarium mittit, & in horam diei opportuniorem differt. Ex illa ergo tam acri, tamque vehementi Cyprianea istorum objurgatione luce meridiano clarius patet apud vetustissimam illam Ecclesiam non modo calicem non ministrare, sed etiam ab eo ministrato abstinere, adeo non fuisse, ut nunc est apud Latinos, Christiani vel Sacerdotis vel hominis fidelis officium, ut plane contra, qui vel ex simplici metu vel à ministrando, vel à sumendo calice abstineret, is omnibus illius ævi Christianis esset scandalo, Christianismique disciplinam subvertere, Christum & evangelium erubescere, ejus signa deserere, pugnamque pro Nomine detrectare videretur. Hac Cyprianea cum suis comparet Bellarminus, missaque sophistice pronuntiet, an illa his congruant? Quanquam si hic esset locus, ex his Cypriani facile vincere possem & Martyrem ipsum, & cæteros illius ævi fideles Ecclesiarum Pastores in ea fuisse sententia, ut putarent oportere calicem plebi Christiana præberi. Quid enim ista aliud, quæ ex Martyre recitavimus, sibi volunt, *Omnis veritatis & religionis disciplina subvertitur, nisi id quod specialiter præcipitur, & fideliter observetur*? An ille *specialiter præceptum* esse diceret, ut vinum plebi in Sacro calice ministretur, si cum Latinis sensisset ne illud quidem præceptum esse, ut ullus plebi calix ministretur? Diceret ne omnem religionis & veritatis displinam eo subverti, nisi *id fideliter* observetur, quod adeo non est necessarium, ut id etiam melius, tutius, ac consultius fuerit in totum omitti? Sed hæc ego nunc quidem mitto. Satis est, quod solenne tum nostris fuisse *calicem plebi præberi*, eo clarissime testatur Cyprianus, quod quosdam arguat *in calice plebi ministrando à Domini exemplo & verbis discedere*; quod primis statim epistolæ verbis Episcopos laudet (quos plurimos toto mundo Ecclesiis præpositos esse dicit) *b* qui calicem vino mixtum sanctificarent, plebique ministrarent, eosque scribat *Evangelicæ veritatis, ac Dominicæ traditionis tenere rationem*, nec ab eo quod Christus magister, & præcepit & gessit humana & novella institutione decedere. Satis est, quod toties & hic & alibi clamat *i non observari à nobis quod mandatum est, nisi eadem quæ Dominus fecit nos quoque faciamus; ab Evangeliis præceptis omnino recedendum non esse; eadem quæ magister docuit ac fecit discipulos quoque observare* & facere debere; Non hoc idem facere, quod fecit Dominus, nihil aliud esse, quam ejus disciplinam contemnere. Qui

Cap. VII.

b Cypr. ubi

i Ibid. p. 111. sups. p. 114.

Cap. VII. meminerit Christum calicem discipulis dedisse, jussisseque, ut ex eo omnes biberent, facile ex his Cypriani regulis perspicies, quid ille de Latinis calicem plebi præfracte negantibus, judicaturus fuerit, neque difficilius intelliges, quid illi ab ipso laudati totius orbis Episcopi fecerint, id est calicem ne plebi dederint, an negarint.

Eadem docent, quæ idem Martyr in epistola ad plebem Thibaritanam scribit; k *Gravior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta, & virtute robusta parare se debent milites Christi, considerantes se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere.* Vel negandum est Laïcos Christi esse milites, aut sanguinem propter Dominum fundere debere; vel confitendum hos quoque ipsos Cypriani seculo calicem sanguinis Christi quotidie bibisse. Quanquam ipsa epistolæ ad plebem Thibaritanam inscriptio satis indicat ad Laïcos vel ea potissimum pertinere, quæ tota hac epistola tractat.

k Id. ep. 56. p. 99.

Ejusdem sunt argumenti, quæ ad Cornelium Romæ Episcopum de communione lapsis, sed pœnitentia à primo lapsus sui die fungentibus mature restituenda ob imminentem persecutionem disputat; l *ut quos* (inquit) *excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus.* Hinc vides calicem sacrum, quo sanguis Domini communicatur, iis ministratum esse, quibuscumque jus esset ad sacram mensam accedendi. Mox; m *Quomodo* (inquit) *docemus, aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad BIBENDUM in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus? Hoc loco* (inquit Bellarminus) *confirmatur potius, quam infirmatur sententia nostra.* Tunc ergo (inquam) *inermes & nudos*, neque *ad martyrii poculum idoneos* relinqui putas fideles, quoscumque ad *bibendum Domini poculum non admittis?* Si ita est, tu profecto non aliquot lapsos pœnitentia, quibus licuit, junctos, sed universos Christiani populi fideles *nudos & inermes* hosti objicis; quos omnes scilicet leges tuæ à poculo Dominico arcent ac prohibent. Sed videamus tamen quibus præstigiis Bellarminus factum suum exemplo plane contrario defensurus sit. Mitto, quæ de Cypriano Cornelium hortante fabulatur, *ut lapsis imminente nova persecutione restituatur jus communicandi*, Papam ubicumque de more palpans, quasi Cyprianus Cornelii ea de causa judicium trepidus & animi pendens exspectaret, neque ipse & tota Synodus, cujus nomine scripta est Epistola, quicquam de re tota jam statuisset. Ad rem nostram venio; *Loquitur* (inquit) *Cyprianus de lapsis, quibus ab Episcopis oblatum erat jus communionis.* Quid ni, quibus ex jure divino & sacris litteris hujus censuræ medicinam adhiberi æquum & salutare est? Sed hinc argumentatur Bellarminus *jus laicorum ad communicandum à Sacerdotibus dari & tolli.* Modeste inquam. Si proprie loquendum est, hoc jus à Sacerdotibus neque datum est, neque tolli potuit. Iuris à Christo constituti administratio

l Cyp. ibid. ep. 54.

m Ibid. & p. 86. init.

ministratio æque procuratio Episcopis ab eodem commissa est, suæ villicationis rationem Domino olim reddituris, & bene an secus gestorum mercedem suo tempore recepturis. Iam jus communioni laico vel stanti, neque ullius illi Dominicam disciplinam criminis competito tollere, vel lapso neque ulla legitima pœnitentia functo reddere, nulli cuiquam Sacerdoti, nulli Metropolitæ, nulli Patriarchæ, nulli Romano ipsi Papa potestas, nullum jus est; & si quis alterum istorum fecerit, sit licet vel Episcopus vel Papa pœnas dabit, & judicium feret servi illius nequam, qui constitutus à Domino super familium suam, ut daret illis cibum in tempore, cum conservos suos pro sua libidine percutere cœpisset, divisus est justa summi judicis sententiam & partem jussus habere cum hypocritis. Ex his patet, quam futilis sit & ridicula omnis adversarij ex loco Cypriani argumentatio; *Sicut possunt Prælati ob crimina tollere jus communicandi, ita possunt ob alias justas causas disponere & ordinare de modo communicandi sub una specie vel altera.* O acumen! Fas est Episcopum lapsos mensæ Dominicæ communionem interdicere. Ergo eidem quoque licet fideles, ac ut veteres loquebantur, justos, sanctos, nullius Ecclesiasticæ pœnitentiæ, nullius criminis reos, non paucos aliquot, sed omnes omnino, quicumque Christi nomen profitentur, præter mysterium conficientem, communione Dominici calicis, non ad aliquod tempus, sed in æternum privare. Nonne bella consecutio? Eadem ratione collegeris medico quod ei jus sit hominem ægrotantem cibo vel poculo, vel etiam utroque ad breve tempus fraudare, licere quoque eum valentem, imo & cum eo cæteros cives suos, ab omni potu arcere non ad diem unum & alterum, sed in omne vitæ tempus; vel Pastori licere æves suas omnino à potu arcere, satisque habere pabulum iis ministrare; quod interdum si morbus id requirat, iis potum ad breve tempus neget. Sed neque illud concedo, quod Bellarminus posuit, quasi Regnum nobis aut Satraparum de seculo jura narret, *posse Prælatos ob crimina tollere jus communicandi.* Crimen reo hoc jus, vel potius juris usum per se tollit ex Dei lege ac disciplina. Episcopus peccatorem, quid juris amiserit, docet; obtestatur ne manus impuras rebus sacris admoveat; pœnitentiam legitimam indicit; mensa Domini interim excludit, donec resipiscentiam suam obsequi probaverit. Ius ergo reo, quod ad communicandum inquinato nullum est, adeo non tollit, ut siquid ei juris revera sit, quo Episcopus eum fraudet, non ipse hactenus, sed Episcopus damnandus sit. Quod addit Bellarminus jus experendi calicis Dominici ex una hominum consuetudine, laïcos & Cyprianeis & nostris temporibus habere: id & per se absurdum & falsum est, cum communionis hujus jura ex Domini ipsius institutione mandato, & præcepto satis superque manifesta sint; & qualiacumque de cætero sint, certe ab hac nostra disputatione aliena sunt, qui non quid sit plebi hac in causa juris quærimus, sed quis veterum Christianorum fuerit hac in parte mos & usus, nunc quærimus. Bellarminus vero neque

CAP. VII.

Matth. 24. 49. 51.

Cap. VII. que hic, neque fere usquam alibi, quicquam clare ac rotunde de hoc usu respondet; neque de eo quid sentiat, quid neget, quid concedat eloquitur; sed effugia captans ab hac se quæstione ut sic dicam, astute proripit, ex solenni Sophistarum fraude. Sed utrumque se habeat illa omnis, qua hic usus est de jure cavillatio, allatus Cypriani locus invicte probat ejus ævo solenne fuisse administrare Eucharistiam sub utraque specie.

Sunt & alia Cypriani loca, quæ id ipsum haud quaquam obscurius confirmant; ut cum eos, qui sæviente persecutione fortiter steterant prolixe laudans, *n Sanctificata* (inquit) *ora cœlestibus cibis, post corpus & SANGVINEM Domini profana contagia & idolorum reliquias respuerunt.* Necesse est vel confessores istos Clericos omnes fuisse, quod dictu stultum & absurdum est; vel certe etiam Laïcos sanguinem Domini ore tum temporis sumpsisse. Ibidem ubi infantes parentum manibus ad idololatriam in eadem persecutionem compulsos complorans, eas se se de crimine ita apud Deum die judicij purgantes inducit; *o Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & POCVLO Domini ad profana contagia sponte properavimus. Perdidit nos aliena perfidia. Parentes sensimus parricidas.* Ergo ipsi etiam infantes poculum Domini libabant; nedum ut ab eo adulti & maturi & senes arcerentur; Idemque ex illius infantis casu patet, quam paulo post narrat, quod ei de calicis Sacramento, licet reluctanti, in os erat à Diacono infusum, id statim evomuisse; in qua historia narranda illa sancti Martyris verba notanda sunt; *p Ubi vero* (inquit) *solennibus adimpletis CALICEM Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ Majestatis avertere &c* Ex his enim discimus, quis apud Ecclesiam illius ævi Eucharistiæ ministrandæ ordo fuerit; ut scilicet peracta panis & calicis per consuetas preces & gratiarum actiones consecratione (quod his verbis significatur *solennibus adimpletis*) tum ministrarentur duæ, ut loquuntur, confecti Sacramenti species; prius panis sacer, de quo Cyprianus tacuit, ad hujus narrationis, quem præcipue intelligi & observari volebat exitum properans; deinceps calix, quem Diaconus præsentibus (omnibus scilicet communicaturis) *offerebat*, suo singulis ordine & loco; Præsentes oblatum calicem acciperent, ac de eo biberent; inter istos ut esset etiam infantibus, & quidem tam sequioris, quam virilis sexus locus. Nihil hac de re clarius, aut absolutius dici potuit. Iam quid ista, quæso, sibi volunt, quæ ibidem dixerat *q* de lapsis communionem sibi dari præmature flagitantibus? *Spretis* (inquit) *his omnibus atque contemptis, ante expiata delicta, ante exhomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini & minantis, vis infertur corpori ejus & SANGVINI.* Hoc unum in istis & hic & alibi non semel damnat, quod præpostere nulla peracta gravissimi criminis legitima pœnitentia communionem rapere, & de reluctantium Presbyterorum manu extorquere

n Cypr. de Laps. p. 193.

o Id. ibid. p. 196.

p Ibid. p. 202.

q Id. Ibid. p. 198.

extorquere vellent. Communionem ipsam fidelium, qua nondum isti digni erant *corporis* & sanguinis fuisse, id est panis & poculi sacri participationem definit, cum ab illis *vim inferri* dicit Christi *corpori & sanguini*. Non ergo, qui legitime communicabant panem solum, quo corpus, sed etiam poculum quo sanguis communicatur, apud Domini mensam accipiebant. Eodem illa quoque pertinent, quæ in eosdem lapsos postea dicit, *r* Ecclesiasticam disciplinam contumaciter contemnentes, & in ipsos Domini ministros insurgentes; *Jacens* (inquit) *stantibus, & integris vulneratus minatur; & quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini SANGVINEM bibat, Sacerdotibus Sacrilegus irascitur.* Quod lapsis ante satisfactionem negabatur, id profecto & ipsi peracta pœnitentia lapsi, & fideles quoties volebant, ab Ecclesiæ ministris accipiebant. At lapsis istis, quod nondum satisfecissent, corpus Domini accipere, ejusque sanguinem ORE bibere petentibus negabatur. Ergo cæteris in solenni Ecclesiæ cultu utrumque concedebatur; ut nimirum communicantes non solum Sacramentum corporis acciperét, sed etiam ut ore sanguinis poculum biberent. Denique ne quod supersit vel sexus vel ætatis discrimen, quo communicantes à sacro calice exclusos fuisse suspicemur, Cyprianus paulo post mulieris cujusdam, jam ætate provectæ morté describit, *s* quæ cum lapsa & idololatriæ ut videtur, rea, scelus suum occultans, ut pœnitentiæ & exhomologeseos ignominiam vitaret Cypriano sacra faciente *in Ecclesiam latenter obrepsisset*, ubi apud sacram mensam *inter fauces & pectus SANGVINEM* (id est sanguinis Sacramentum) *admisit, angi* (inquit) *& anima exæstuante concludi postmodum cœpit, tandemque palpitans & tremens concidit.*

r Id. ibid. p. 201.

s Id. ibid. p. 202.

Ignatius, si qui extat, is vere esset, cujus nomine jampridem gaudet, omnibus, qui hactenus laudati sunt, præire debuisset. Sed quia nobis valde suspectus est, hunc in locum dilatus est, quod tertio demum seculo prodiisse videantur affictæ ei epistolæ. In harum una de eo, quod nunc quærimus, ita scribit; *t Vna est caro Domini nostri Iesu Christi, & unus illius sanguis, qui pro nobis effusus est, & unus panis omnibus fractus est, & unus calix OMNIBVS distributus.* εἷς καὶ ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη.

t Ignat. ep. ad Philadelph.

Dionysius Alexãdriæ Episcopus, qui annos circiter duodecim Cypriano superfuit eandem fuisse apud suos cõmunionis Eucharisticę rationem eo satis nos docet, quod in ępistola ad Basilidẽ scribit *u se putare mulieres pias & fideles ne ipsas quidem ausuras, quo tẽpore in purgatione menstrua versantur, vel ad sanctam mensam accedere, vel corpus & sanguinem Domini attingere.* Hæc enim de menstruo tempore exceptio firmat aliis, extra hoc temporibus pias mulieres Domini nõ modo corpus, sed etiam sanguinem, id est sacrum vinum, attigisse & sumpsisse. Idem in narratione de quodã sene ex hæresi ad veram fidem converso, hominis sincere Christiani, qualem istum fuisse ait, hos in Ecclesiæ collectis religiosos actus recenset, *x gratiarum actiones frequenter audire, & cum cæteris respondere Amen, ad sacram*

u Dion. Alex. ep. ad Basil. T 1. Bibl. Patr. G. lat. p. 308. C.

x Id apud Euseb. Hist. L. 7. c. 9. p. 255.

CAPVT VIII. *mensam adstare, & manus ad suscipiendum sacrum cibum porrigere, illum excipere, corporis ac sanguinis Domini nostri Iesu Christi participem fieri,* εὐχαριστίας ἐπακούσαντα, καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμὴν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα, καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα, καὶ ταύτην καταδεξάμενον, καὶ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετασχόντα ἱκανῷ χρόνῳ. Ergo & apud Alexandrinam, cæterasque Alexandrinæ subjectas Ecclesias solenne erat fidelibus in sancti alimenti susceptione non corpus tantum, sed etiam SANGVINEM Dominicum ministrari. Atque ex his omnibus satis jam ni fallor, patet tribus primis seculis, quæ Christianismi ut sic dicam, ipsa arx est, & metropolis solennem apud omnem Ecclesiam fuisse Eucharistiæ sub utraque, ut loquuntur, specie dispensationem & communionem.

CAPVT VIII.

Quarti seculi pro Eucharistia sub utraque specie distributione testimonia; Pseudo-Clementis, Athanasij, Optati Milevitani, Hilarij Pseud-Ambrosij, Basilij, Gregorij Nazianzeni, Cyrilli Hierosolymitani, Ioannis Chrysostomi.

NVnc sequuta ad constitutam apud Latinos transsubstantiationis fidem, tempora videamus. Qui paulo post quarti seculi initium vixisse videtur, Constitutionem Pseud Apostolicarum parens; y *Fiat* (inquit) *sacrificium cuncto populo stante, & silentio precante, & oblatione facta quisque ordo seorsum corpus Domini & pretiosum sanguinem sumat accedentes ordine.* γινέσθω ἡ θυσία, ἑστῶτος παντὸς τοῦ λαοῦ, καὶ προσευχομένου ἡσυχῶς. καὶ ὅταν ἀνενεχθῇ, μεταλαμβανέτω ἑκάστη τάξις καθ' ἑαυτὴν τοῦ Κυριακοῦ σώματος, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος. Et paucis interjectis in his communicantium ordinibus fuisse & mulieres nominatim significat; *Item mulieres operto capite, ut ordinem earum decet, accedant.* καὶ αἱ γυναῖκες καταλελυμμέναι τὴν κεφαλὴν, ὡς ἁρμόζει γυναικῶν τάξει, προσερχέσθωσαν. Idem in alia parte operis, ubi totam Liturgiam fuse accurateque describit, addit z de confecto Sacramento communicasse primo Episcopum, totumque sacrum ordinem; tum Ascetas, Diaconissas Virgines, Viduas, & postea pueros, denique totum populum cum verecundia, & reverentia, sine tumultu & strepitu; Ministratum autem hoc modo fuisse omnibus Sacramentum deinceps statim docet; *Atque Episcopus quidem* (inquit) *det oblationem, dicens, Corpus Christi, & qui accipit, dicat Amen. Diaconus vero retineat calicem, & tribuens aliis dicat, Sanguis Christi, calix vitæ. Et qui bibit, dicat, Amen.* Nihil inter sumentes distinguit. Omnes nullo discrimine ab Episcopo quidem sacrum panem; à Diacono sacrum calicem accepisse & bibisse dicit. ὁ δὲ διάκονος κατεχέτω τὸ ποτήριον καὶ λεγέτω· αἷμα Χριστοῦ, ποτήριον ζωῆς. καὶ ὁ πίνων λεγέτω Ἀμήν. Atque hoc modo, id est sub utraque specie, omnes communicasse significat, tunc mox subjicit, *Et postquam cuncti, cunctaque, communicaverint,* καὶ ὅταν πάντες μεταλάβωσι καὶ πᾶσαι, sumam Diaconi reliquias & inferam in Pastophoria.

y Const. Apost. L. 2. c. 57. p. 881. B. C.

z Id. ibid. L. 8. c. 13. p. 1023 A. B.

Athanasius,

Athanasius, qui quarti seculi Ecclesiam ultra an. D. 360. diutissime illustravit, de Eucharistico calice alloquens Sacerdotes, *a Eo* (inquit) *vos legitimo ritu propinatis populo.* τῷ ὑμεῖς νομίμως προπίνετε τοῖς λαοῖς. Ergo etiam populis è sacro calice Christi sanguis *rite* ac legitime νομίμως ministrabatur; idque non aliorum esse dicit, quam Sacerdotum, μόνον γὰρ ὑμῶν ἐστι προπίνειν τὸ αἷμα τοῦ χριστοῦ. CAP. IX. a Athan. Apolog. ad Const. T. 1. p. 732. A.

Optatus id moris apud Afros quoque suos fuisse olim, & suo ævo (id est post an. D. 364. circa quod tempus vixit) apertissime nos docet iis, quæ de Lucilla narrat; Hanc in Ecclesia Carthaginensi degentem jam ante concussam (Diocletianeæ (scilicet persecutionis an Donatianæ scissionis, turbinibus) pacem, dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia; illam inquam narrat, *b cum* ante spiritualem cibum & potum, os nescio cujus Martyris, si tamen Martyris, libare diceretur, correptam fuisse ab Archidiacono Cæciliano, quod *præponeret calici salutari os nescio cuius hominis mortui, & si Martyris, sed nec dum vindicati*; Mulierem autem animi impotentem non tulisse Archidiaconi correptionem, cum confusione iratam discessisse; atque ex hac unius factiosæ fœminæ ira exortam omnem illam nobilem Donatistarum tragœdiam, quæ in Cæcilianum primo coorta totam mox Africanam Ecclesiam diu turbavit. Hic videmus Dominici potus calicem etiam muliercularum cum Sacerdotibus fuisse communem. b Optat. L. 1. p. 40.

Iisdem cum Optato temporibus vixisse videtur auctor Commentarij in Paulum qui multis seculis sub Ambrosij nomine latuit, nunc longe ab eo alius deprehensus est, utilis tamen, quia vetustissimus est, ipso etiam (ut videtur) Ambrosio anterior. Is ergo quisquis est, *c* Nos (inquit, de quibusvis in genere Christianis loquens) *de uno pane & de uno calice percipientes, participes sumus & consortes corporis Domini.* Idem; *d Quia morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo & POTANDO carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus, &c. quod est nova lex, quæ obedientem sibi tradit cœlestibus regnis.* Et mox; *e In cuius* (sanguinis) *typum* nos *calicem mysticum sanguinis ad tuitionem corporis & animæ nostræ sumimus.* Idem de fideli anima se ad communionem præparante; *Hoc enim* (inquit) *apud se debet judicare, quia Dominus est, cujus in mysterio sanguinem potat, qui testis est beneficij Dei.* c Ambr. In 1. Cor. 10. 17. p. 1911. D. d Id. in 1. Cor. 11. 21. p. 1915. 13. C. e Id. ibid. in vers. 27. p. 1916.

Circa hæc tempora passus est sub Iuliano Apostata, Donatus Aretij Episcopus; in cujus martyrio narrat Ado Viennensis rem contigisse, quæ docet utramque speciem ministratam fuisse fidelibus quibusvis. *g Cum* (inquit) *die quadam Missas celebrasset populo, & de corpore Christi & sanguine ipsius populus venerabiliter recrearetur, Diaconus quidam nomine Antimus tradebat sacrum sanguinem Christi, & subito Paganorum impulsu recidit, & sanctum calicem comminuit.* Hic in Missa populum vides *Christi sanguine recreari*; Diaconum vides sanguinem in calice tradentem. g Ado. Martyr. d. 7. Id. Aug.

Basilius & Gregorius Nazianzenus, duo lucidissima Ecclesiæ Græcæ

Cap. IX. sidera, eundem apud suos morem fuisse testantur. Basilius; *b Si is, qui fratrem (inquit) propter cibum offendit, à caritate excidit; quid nam de eo quis dixerit, qui otiose & inutiliter audet edere corpus & bibere sanguinem Domini nostri Iesu Christi?* τί ἄν τις εἴποι περὶ τοῦ ἀργῶς καὶ ἀνωφελῶς τολμῶντος φαγεῖν τὸ σῶμα καὶ πίνειν τὸ αἷμα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ; Idem alibi cum dixisset *i proprium esse Christiani mundari ab omni inquinamento carnis & Spiritus*, &c. *esse sanctum & immaculatum, & edere corpus Christi & bibere sanguinem, quia qui manducat & bibit indigne iudicium sibi manducat & bibit*; deinceps quærit, *quid sit proprium illorum, qui manducant panem & bibunt poculum Dei*, id est quorumvis hominum vere Christianorum, ut ex præcedentibus liquet. τί ἴδιον τῶν ἐσθιόντων τὸν ἄρτον καὶ πινόντων τὸ ποτήριον τοῦ Θεοῦ. Eodem pertinet, quod in epistola ad Cæsariam in ipso statim limine occurrit, *k singulis diebus communicare & participare sancti corporis & sanguinis Christi* (μεταλαμβάνειν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ. *bonum est* (inquit) *& fructuosum*. Sed neque Gregorius, amicus Basilij singularis, suam nobis symbolam in hoc argumento negat; *l Sine pudore (inquit) ac dubitatione corpus ede, sanguinem bibe, si modo vita desiderio teneris.* ἀνεπαισχύντως καὶ ἀνενδοιάστως φάγε τὸ σῶμα, πίε τὸ αἷμα, εἰ τῆς ζωῆς ἐπιθυμητικῶς ἔχεις. Idem alibi, quod infra demonstrabitur, testatur *m* fidelibus tum temporis concessum fuisse, ut antitypa non corporis tantum, sed etiam sanguinis Dominici secum ex Ecclesia efferrent, domique haberent. Quanto magis iisdem licuit utrumque apud ipsam Domini mensam sumere?

b Basil. L. 1. de Bapt. c. 3. extr. T. 1. p. 582. A.
i Id. Moral. reg. 80. c. 22. T. 2. p. 507. D.
k Id ep. 289. T. 3. p. 279. A.
l Greg Naz. Orat. 42. T. 1. p. 690 A.
m Id. Orat. 11.

Cyrillus Hierosolymitanus, qui ad a. D. 386. vitam produxit in Catechesibus, quas juvenis scripsisse traditur, auditores qui ad communionem convenerant hortatur *n* omni cum certitudine dona sacra participare, *ut corpus & sanguinem Christi. Nam (inquit) in panis typo corpus tibi datur; & in vini typo datur tibi sanguis, ut Christi sumpto corpore & sanguine efficiaris eiusdem cum eo corporis & sanguinis.* μετὰ πάσης πληροφορίας, ὡς σώματος καὶ αἵματος μεταλαμβάνομεν Χριστοῦ. ἐν τύπῳ γὰρ ἄρτου δίδοταί σοι τὸ σῶμα. καὶ ἐν τύπῳ οἴνου δίδοταί σοι τὸ αἷμα, ἵνα γένῃ μεταλαβὼν σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ σύσσωμος καὶ σύναιμος αὐτοῦ. Idem in homilia sequente quemvis fidelem communicaturum docens quam reverenter Eucharistia suscipienda sit, postquam de Sacro pane multis dixit, *o Accede (inquit) & ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus in modum adorationis & venerationis, dicens, Amen, sanctificare ex Christi quoque sanguine participans. Et cum adhuc in labiis tuis superest humor, manibus attingens oculos & frontem & reliqua sensuum organa sanctifica*, ejus scilicet contactu. προσέρχου καὶ τῷ ποτηρίῳ τοῦ αἵματος, μὴ ἀνατείνων τὰς χεῖρας, ἀλλὰ κύπτων καὶ τρόπῳ προσκυνήσεως καὶ σεβάσματος, λέγων τὸ Ἀμὴν, ἁγιάζου καὶ ἐκ τοῦ αἵματος μεταλαμβάνων Χριστοῦ. ἔτι δὲ τῆς ἰκμάδος ἐνούσης τοῖς χείλεσί σου χερσὶν ἐπαφώμενος, καὶ ὀφθαλμοὺς καὶ μέτωπον καὶ τὰ λοιπὰ ἁγίαζε αἰσθητήρια. Quorsum hæc, nisi tum hic mos totius Ecclesiæ communis, solennisque fuisset quibusvis nullo discri-

n Cyrill. Hieros. Hom. Myst. 4. p. 237. B. C.
o Id. ibid. Hom. 5. extr. p. 245. A.

mine communicantibus ministrari sacrum poculum? Itaque hæc Cy- CAP. IX.
rillus cum cæteris, quæ de hoc argumento tradiderat, auditoribus enixe commendat, p *Has* (inquit) *traditiones sine labe retinete, vosque ipsos sine ullo offendiculo conservate* κατέχετε ταύτας παραδόσεις ἀσπίλους, καὶ ἀπροσκόπους ἑαυτοὺς διαφυλάξατε. ibid. B.

Chrysostomus, qui quarto & ipse seculo floruit, quinti ineuntis anno septimo obiit, plurima nobis exhibet de eadem Ecclesiæ consuetudine luculentissima testimonia; quale est, quod scribit r in opere de Sacerdotio; *Dum conspicis Dominum immolatum, & illic situm*, &c. *tum vero omnes pretioso illo sanguine purpuratos, ac rubefactos; etiamne te inter homines, versari censes?* ὅταν ἴδῃς τὸν Κύριον τεθυμένον καὶ κείμενον, &c. καὶ ΠΑΝΤΑΣ ἐκείνῳ τῷ τιμίῳ φοινισσομένους αἵματι, ἆρα ἔτι μετὰ ἀνθρώπων εἶναι νομίζεις; Si sanguinem illum, de quo dicit, nemo præter unum Sacerdotem biberat, inepte ac frigide falsoque dicit *OMNES* eo tinctos, ac purpuratos conspici. Vt hæc oratio digna sit illo ore Ioannis nostri aureo, necesse est omnem communicantium turbam de Dominico calice bibisse. Idem alibi Christianos cum Israelitis in genere omnes cum omnibus comparans; s *Quomodo tu* (inquit) *comedis corpus Domini, sic illi manna; & quomodo tu bibis sanguinem; sic illi aquam e petra.* καθάπερ σὺ τὸ σῶμα ἐσθίεις τὸ δεσποτικὸν. οὕτως ἐκεῖνοι τὸ μάννα καὶ ὥσπερ σὺ τὸ αἷμα πίνεις. οὕτως ἐκεῖνοι ὕδωρ ἐκ πέτρας. Quomodo hæc consistunt, si illi quidem aquam istam omnes bibebant, sanguinem unus de nobis bibit, cæteris bibentem spectantibus, calicem quo ille se proluit, ne summo quidem digito contingere audentibus? Idem alibi plebis suæ amentiam, ut dignum erat, exagitans, quæ relicta Ecclesiæ salutari mensa ad turpia spectacula concurrebat, t *Tu relinquis* (inquit) *huius sanguinis fontem, calicemque reverendum, & ad diabolicum illum fontem festinus accurris, ut spectes meretricem natantem.* σὺ δὲ ἀφεὶς τὴν πηγὴν τοῦ αἵματος, τὸ ποτήριον τὸ φρικῶδες, εἰς τὴν πηγὴν ἀπέρχῃ τὴν διαβολικὴν ὥστε νηχομένην πόρνην ἰδεῖν. Absurde relictum ab auditoribus calicem dicit si de eo nulli istorum bibere licebat. Ergo cuivis tum fideli licebat. In iisdem homiliis Antiochiæ, ut ex 67. apparet, habitis, ubi de Sacerdotum cum iis, quibus præsunt plebibus, conjunctione ac in Domino paritate verba faciens; u *Multa nos* (inquit) *coniungunt ac copulant; Una mensa omnibus nobis proposita est. Vnus nos omnes genuit Pater; eosdem omnes partus dolores intulimus parenti. Idem potus omnibus. Quid dico unus ac idem potus, cum etiam ex uno & eodem calice detur? Pater enim noster magno caritatis vinculo studens nos unire, ut etiam ex uno calice biberemus effecit; quæ res maxima nos caritate copulat.* καὶ γὰρ πολλά ἡμᾶς ἐστι συνάγοντα. μία τράπεζα πρόκειται πᾶσιν. εἷς ἐγέννησεν ἡμᾶς πατὴρ. τὰς αὐτὰς πάντες ἐλύσαμεν ὠδῖνας. τὸ αὐτὸ ποτὸν ἅπασι δίδοται. μᾶλλον δὲ οὐ μόνον τὸ αὐτὸ ποτὸν, ἀλλὰ καὶ ἐξ ἑνὸς ποτηρίου πίνειν. ὁ γὰρ πατὴρ βουλόμενος ἡμᾶς εἰς φιλοσοφίαν

r Chrys. L. 3. de Sacerd. c. 4. T. 4. p. 28.

s Id. hom. 23. in 1. Cor. p. 243. E.

t Id. hom. 7. in Matth. p. 86. C.

u Id. ibid. homil. Gr. 22. p. 388. C.

Cap. VIII. γοργίαν ἀγαγεῖν, καὶ τῶν ἱμηχανήσατο, ἐξ ἑνὸς ποτηρίου πίνειν πάντας ἡμᾶς. ὑπὸ ἐπιτεταμένης ἑαυτοῦ ἀγάπης. Vnum vides plebis cum Sacerdote potum; unum poculum; plebem ex eodem calice una cum Sacerdote bibentem; & quidem Dei voluntate ac providentia, utrosque hoc vinculo inter se copulare studentis. Nihil potuit dici disertius. Occurrit apud eundem hujus geminus alter alibi locus; x *Est ubi neque Sacerdotis* (inquit) *ullum est ab eo, cui praeest, discrimen; veluti cum tremenda mysteria percipere oportet. Æque enim omnes ad ea admittimur; Non ut in veteri testamento alia quidem Sacerdos; alia subditus Sacerdoti edebat, nec plebi fas erat ea participare, quorum Sacerdos erat particeps. Nunc vero secus se res habet. Omnibus siquidem unum corpus, & unum poculum proponitur.* Θέμις οὐκ ἦν τῷ λαῷ μετέχειν ὧν μετεῖχεν ὁ ἱερεύς. ἀλλ' οὐ νῦν. ἀλλὰ πᾶσιν ἓν σῶμα πρόκειται, καὶ ΠΟΤΗΡΙΟΝ ἕν Ad hunc locum Bellarminus sua nobis narrat y somnia, Chrysostomum *vim facere in re, qua sumitur, non in speciebus, vel in modo sumendi.* Sed omnem Bellarminianæ frontis duritiem frangunt diserta Chrysostomi verba; non modo unum corpus, & unum potum, sed etiam *unum poculum* proponi *omnibus*, id est & Sacerdoti, & populo. Ergo & populi calix erat. Atqui calicis alia quam panis species. Ergo & hanc cum Sacerdote eandem populus sumebat speciem eodemque modo. Neque enim aliud è calice, quam vinum sacrum; neque aliter opinor, quam bibendo sumitur. Superior quoq; locus disertior erat, quam ut eludi possit, quod ex eo recitatum est, effecisse Deum, ut plebs & Sacerdos ex uno calice biberent. Non ergo vult Chrysostomus, quam rem accipit Sacerdos, eam quidem à plebe accipi; cæterum à Sacerdote sub ea specie accipi, qua plebs caret, illum adeo aliter, plebem aliter sumere. Ista Bellarmini aliud agentis mera sunt insomnia Chrysostomus clarissime & rem & speciem eandem, & eodem modo ab utrisque sumi affirmat; corpus Christi, sanguinem Christi, panem, poculum utrosque sumere; eodem adeo utrosque modo; Neutri enim vel panem bibebant, vel poculum edebant. Quæ de potu habet Chrysostomus eodem modo ac sensu dicit, quo quæ dicit de esu. Si potus Laïcorū speciē & modū intellexit à potus Sacerdotalis specie & modo differre; ergo & differre voluit esus utrorumq; speciem & modū; quod omnes quam stultū sit & absurdum vident. Quis enim nescit eandem speciē, panem scilicet, eodemque modo, ore nimirum, edere tam Laïcos quam Sacerdotes? Eandem ergo esse necesse est & potus apud Chrysostomum rationem. Ille vero alibi eadem docet, ubi Diaconū de officio admonens, z quod erat poculum sacrū distribuere, *Etiam si* (inquit) *dux sit, etiamsi præfectus, etiamsi ille sit, qui diademate redimitus est, tamē si indigne accesserit, probibe.* κἂν στρατηγός τις ᾖ, κἂν ὕπαρχος, κἂν ὁ τὸ διάδημα περικείμενος, ἀναξίως δὲ προσίῃ, κώλυσον. Et hæc, & sequentia etiam clarius significant eum velle calicem sacrum quibusvis Laïcis, etiam magnæ, etiam maximæ dignitatis negari, si peccatis contaminati sunt excommunicatione dignis. Quorsum hanc quæso severitatem Diacono calicis dispensatori præcipit, si istorum nemini quan-

x Id. hom. 18. in 2. Cor. p. 673. E.

y Bell. l. 4. de Euch. c. 26. §. Nono proferunt.

z Chrys. Hom. in Matth. Lat. 83. (gr. 82.) p. 870.

quantumvis digno calix concedebatur? Quod etiam ista vel ejusdem vel alterius ejus nomine editi scriptoris significant. *a Tu & pauper* (inquit, quemvis de populo Christiano fidelem alloquens) *corpus ipsius* (Christi) *communiter de mensa participatis; poculi similiter estis participes; in magnis atque tremendis tecum communicat.* σὺ καὶ ὁ πένης κοινῶς ἐκ τῆς τραπέζης μεταλαμβάνετε. τοῦ ποτηρίου ὁμοίως μετέχετε. ἐν τοῖς μεγάλοις σοι, καὶ φρικτοῖς κοινωνεῖ. Itaque de quibusvis communicantibus loquens, *Quicumque* (inquit) *corporis sumus participes; quicumque sanguinem gustamus;* ὅσοι μετέχομεν τοῦ σώματος, ὅσοι τοῦ αἵματος ἀπογευόμεθα. Huc quoque haud dubie pertinent quæ scriptor facundissimus alibi habet de hoc ipso argumento; *b Omnia* (inquit) *vobis* (Laïcis *& nobis* (Episcopis) *sunt æqualia, & eadem sunt bonorum capita. Non ego quidem maiori copia, vos autem minori sacræ sumus mensæ participes; sed utrique eam similiter tangimus. Si autem ego prior, non magni refert. Nam & inter liberos maior natu prior manum extendit ad epulas; sed ex eo tamen nihil accrescit, sed sunt nobis omnia æqualia.* πάντα ἡμῖν καὶ ὑμῖν ἴσα, καὶ αὐτὰ τὰ κεφάλαια τῶν ἀγαθῶν. οὐ μετὰ πλείονος μὲν ἐγὼ δαψιλείας, ὑμεῖς δὲ μετὰ ἐλάττονος μετέχομεν τῆς ἱερᾶς τραπέζης, ἀλλ' ὁμοίως ἑκάτερος ταύτης ἐφαπτόμεθα. εἰ δὲ ἐγὼ πρότερος, οὐδὲν τοῦτο μέγα. ἐπεὶ καὶ ἐν τοῖς παισὶν ὁ πρεσβύτερος πρότερος τὴν χεῖρα ἐκτείνει εἰς τὴν ἑστίασιν. ἀλλ' ὅμως οὐδὲν πλέον αὐτῷ γίνεται, ἀλλὰ πάντα ἴσα ἡμῖν. Hæc omnes intelligunt; non modo falso, sed etiam impudenter affirmari, si apud Dominicam mensam bibere Sacerdoti quidem licebat, Laïcis vero non licebat.

CAP. IX.

a Id. Serm. de ieiun. & eleem. T. 6. Chrys. p. 637. B.

b Id. hom. 4. in 2 ad Thessal. p. 391. A.

CAPUT IX.

Testimonia ex quinto seculo; Hieronymi, Augustini, Arnobij junioris, Clericorum Edessenorum in Synodo Calchedonensi, Leonis P. R. I. Theodoreti, Gelasij P. R. I. Pseudo-Dionysij Areopagitæ.

Hieronymus, qui quarto extremo, quinto ineunte seculo ad an. D. 420. vixit: *c Sacerdotes* (inquit) *Eucharistiæ serviunt, & SANGUINEM Domini, populis eius dividunt. Idem alibi; d Polluimus panem, id est corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus.* Sic in eodem quoque commentario; *Polluit Christi mysteria indigne accipiẽs corpus eius & sanguinem.* Corpus Christi & sanguinem sumere ubique dicit, pro Eucharistiæ communicare, quam adeo sub utraque specie ministratam atque sumptam fuisse significat. Nam quod diu postea Transsubstantiatores commenti sunt, corpus in calice, & sanguinem in pane sumi, id Hieronymo & omni antiquitati ignotum & inauditum fuit. Huc quoque pertinet, quod Hieronymus de virginibus sui seculi quibusdam sacris, sed parum sobriis refert. *e Si quando festive & lepide volunt vivere, ubi se* (inquit) *mero ingurgitaverint, ebrietati sacrilegium copulantes, aiunt, Absit, ut ego me à Christi sanguine abstineam.* Atqui nullus

c Hieron. in Sophon. c. 2. fol. 98. E.

d Id. in Malach. ibid. fol. 128. M.

e Id. ep. 22. quæ est ad Eustoch. T. 1. fol. 49. L.

Cap. IX. nullus huic sacrilego joco locus erat, si Domini sanguinem, id est vinum mysticum, nulla virgo, nulla mulier seu vidua, seu conjux, bibebat. Idem ex his ejusdem de Exuperio Tolosano Episcopo verbis; colligitur; f *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Quorsum enim sanguis ille *in vitro portatur*, nisi ad præbendum sanguinis Sacramentum communicantibus vel in ipsa Ecclesia, sed in remotiori à sacra mensa parte consistentibus, vel absentibus.

f Id. ep. 4. ad Rust. fol. 18. A.

Augustinus qui Hieronymo annos non plures quam decem superfuit, testis est ejusdem vsus locupletissimus. Is neophytos alloquens; g *Vos* (inquit) *post illa jejunia, post labores, post humilitatem, post contritionem cordis; jam in nomine Christi, tanquam ad calicem Domini venistis* (id est veluti vinum Domini facti estis) *& ibi vos estis in mensa, & ibi vos estis in calice. Nobiscum vos estis. Simul enim hoc sumimus. Simul bibimus; quia simul vivimus*, Item alibi; h *Quid aliud agit totum tempus, quo Catechumenorum locum & nomen tenent, nisi ut audient, quæ fides, & qualis vita debeat esse Christiani, ut cum se ipsos probaverint, tunc de mensa Domini manducent, & de calice BIBANT?* In alio item opere, i *Ab hujus* (Dominici) *sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ad BIBENDUM omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.* Item; k *Qui jam manducant carnem Domini, & bibunt sanguinem ejus, cogitent quid manducent, & quid bibant, ne sicut Apostolus dixit, judicium sibi manducent & bibant.* Mox ibidem; l *Qui uxores nondum habetis, & tamen ad mensam Dominicam acceditis, & carnem Christi manducatis, & sanguinem bibitis. Si ducturi estis uxores, servate vos uxoribus vestris.* Denique, *Cogitantes* (inquit) *gradus vestros, servantes & professionem vestram, accedite ad carnem Domini, accedite ad sanguinem Domini.* Toto hoc Sermone fideles à Catechumenis eo distinguit, quod illi Domini carnem & sanguinem in Ecclesia accipiant; hi nondum accipiant. Idem in Ioannem, n *Non scandalizemur* (inquit) *etiamsi multi modo nobiscum manducant & bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta.* Nullum aliud præter calicis Dominici Sacramentum in Ecclesia nunc bibitur. Ergo hoc promiscuè à veris fictisque Christianis apud mensam Domini sumebatur. Idem alibi de Cypriano; o *In eo* (inquit) *loco, ubi posuit carnis exuvias &c. ibi hodie venerans multitudo concurrit, quæ propter natalem Cypriani bibit sanguinem Christi.* Sed & quod alibi dicit p *hypocritas corporis & sanguinis Christi Sacramento cum fidelibus communicare*, liquido arguit solenne tum fuisse omnes, qui ad mensam Domini admittebantur vtramque speciem accipere. Idem in secundo, eoque imperfecto contra Iulianum opere: q *Cur* (inquit) *ministratur sanguis Dominicus &c. quem bibat parvulus, ut habere possit vitam, si de nulla peccati origine venit in mortem?* Hinc & ex aliis non paucis ejusdem consimilibus locis, quorum satis multa supra attulimus, r patet illis temporibus calicem sacrum ipsis etiam infantulis administratum fuisse; nedum, ut cuiquam adultorum negaretur.

g Aug. Serm. fidel. fer. 2. Pasch. apud Bedam in 1. Cor. 10. 17. p. 365.
h Id. de fid. & oper. c. 6.
i Id. Quæst. 57. in Lev.
k Id. Serm. 46. de verb. Dom. c. 1.
l Ibid. c. 2. D.
m Ibid. c. 4. B.
n Id. in Ioan. Tract.
o Id. Serm. 113. de divers. c. 2.
p Id. de 1. Quæst. Dulcit. p. 283. A.
q Id. op. imperf. contr. Iulian. L. 2. §. 30 in supplem Aug. P. 2. p. 57. D.
r Supr. c. 3. & 4.

Non

Non multo post Augustinum vixisse videtur junior ille Arnobius, qui commentarium scripsit in Psalmos. Ille ad hanc sub utraque [r] specie omnium fidelium communionem respicit, [s] *Data est* (inquit) *letitia in corde nostro ab illo tempore, quo accepimus frumentum in corpore, vinum in sanguine, oleum in chrismate.* Iterum alibi; [t] *Accipimus panem, quod confirmat cor nostrum. Accipimus vinum, quod latificet cor nostrum, & duabus confirmationibus cordis acceptis exhilarantur facies nostra oleo chrismatis, ita ut per lignum crucis satientur omnia ligna campi, id est omnis turba simplicitatis.* Hactenus Arnobius.

CAP. IX.
[r] Supr c.3. & 4.
[s] Arnob. in Ps. 4. extr.
[t] Id. in Ps. 108. p. 280.

Ejusdem sub utraque specie communionis insigne extat documentum in libello contra Ibam Edessæ Episcopum à quibusdam Presbyteris oblato, & Actis Calchedonensis Synodi inserto. Libelli caput nonum sic habet; [u] *Quia dum memoria fieret sanctorum Martyrum non est datum vinum ad sacrificium altaris* (in Ibæ scilicet Ecclesia) *ad sanctificationem, & populi distributionem, nisi admodum exiguum & vitiosum, ac lutosum, & quasi eo ipso tempore vindemiatum, ut ex hoc cogeremur, qui deputati fuerant ministrare, de tabernis omnino vitiosi comparare sex sextarios, qui nec sufficerent; ita ut his, qui sanctum corpus distribuebant, innueret, ut ingrederemur, quia sanguis non inveniretur, cum ipsi bibant, & habuerint, & semper habeant excellens & mirabile vinum.* ὅτι μνείας οὔσης τῶν ἁγίων μαρτύρων, οὐκ ἐδόθη οἶνος προσενεχθῆναι τῷ ἁγίῳ θυσιαστηρίῳ, καὶ τῷ λαῷ διαδοθῆναι, εἰ μὴ ὀλίγος πάνυ καὶ οὗτος φαῦλος καὶ πηλώδης καὶ ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ τρυγηθείς. ὡς ἀναγκασθῆναι τοὺς ἀφορισθέντας ὑπηρετῆσαι, ἀπὸ καπηλείου φαῦλον πάνυ ἀγοράσαι ἓξ ξέστας τοὺς μηδὲ ἐπαρκέσαντας, ὥστε τοὺς τὸ ἅγιον σῶμα διανέμοντας νεῦσαι ἐξελθεῖν αὐτούς, ὡς τοῦ αἵματος μὴ εὑρισκομένου, αὐτῶν πινόντων καὶ ἐσχηκότων καὶ ἀεὶ ἐχόντων διάφορον καὶ θαυμαστὸν οἶνον. Solennem hunc fuisse Eucharistiæ celebrandæ, in omni Ecclesia morem, ut vinum ea copia adhiberetur, quæ ad distribuendum toti communicantium populo satis esset, Ibæ accusatores eo ipso constituunt, quod Episcopo apud Synodum Oecumenicam crimini vertunt, quod neque tanto mysterio congruum, neque satis ad distributionem copiosum vinum tali loco ac tempore ad hoc sacrum sufficì providisset. Nunc apud Latinos nullum Episcopi crimen est, etiam maximæ populi multitudini communicaturæ hostiarum duntaxat, quantum satis est, vini plane nihil providisse, aut parasse; crimen esset vel uni de populo vini sacri vel unam guttulam propinasse. Neque vero est, quod quis suspicetur vinum commune desideratũ fuisse in illo sacro, non quod ad cõmunionem, sed quod ad oris ablutionẽ, ut fit apud Latinos, plebi daretur. Ne id fingi possit, diserta libelli verba prohibent, ideo solutam fuisse synaxin, populo licet nondum omni communicato, *quia* (inquit) *sanguis non inveniretur*, ὡς τοῦ αἵματος μὴ εὑρισκομένου. Non enim *sanguis* dicitur aliud vinũ, quam quod verũ sanguinis Dominici sacramentũ est, id est ad veram cõmunionem, non ad solã oris ablutionem confectum ac comparatum. Sed hinc quoque apparet ne illud quidem

[u] Conc Calched. P. 2. Act. 10. T. 3. Conc. gener. p. 382. T.

Kkkk tunc

Cap. IX. tunc fuisse liberum, ut absque vino sicca Eucharistia in solenni ad sacram mensam synaxi populo ministraretur; quod cum in Edessena Ecclesia in hoc celebrando sacramento vinum defecisset, Sacerdotes communionem ministrare desierint,& ab altari discesserint. Nam si mos tum quoque fuisset panem sacrum absque calice in solenni ad Ecclesiasticam mensam Eucharistia populo vel aliquando, licet non semper, ministrare; facile erat Ibæ Clericis, ut hoc tantum scandalum vitarent, siccis particulis reliquam plebem communicare. Quod re imperfecta, statim ut vinum deesse animadverterunt, sacrum inchoatum necdum finitum reliquerunt, plebisque partem minime communicatam dimiserunt, id inquam clamat nefas tum fuisse in hoc solenni sacro alteram sine altera Eucharistiæ partem cuiquam vel de plebe ministrare.

Hujus Calchedonensis Synodi temporibus apud Latinos florebat Leo Romæ Episcopus; apud quem illustre ejusdem sub utraque specie communionis argumentum superest. Is enim de cavendis Manichæorum venenis, & ineptis profanisque superstitionibus apud concionem Romanam verba faciens, hæc de illis hæreticis tradit; *x Cum (inquit) ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant; ore indigno Christi corpus accipiunt; sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis huiuscemodi homines & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à sanctorum societate, sacerdotali auctoritate pellantur.* Hæc ille; ex quibus liquido intelligimus apud ipsam Christianismi si Latinis credimus, magistram Romam non aliter, quam sub utraque specie ex sacra Eucharistiæ mensa ministratum illis temporibus fuisse sacramentum. Nam si mos hodiernus vel in aliqua urbis Ecclesiola obtinuisset, ut siccæ plebi particulæ absque poculo ministrarentur, Manichæis facilè erat illuc convenire, ac sine ullo incommodo vel periculo Catholicos se simulare. Nihil necesse eos fuisset *poculum haurire declinare*; *Declinasse* id absurde dicerentur, quod neque ipsis, neque Catholicis ibi communicantibus à Sacerdote porrigeretur. Hic vero deprehensus Bellarminus ad suas artes confugit. Fingit *y* Leonem ad detegendos Manichæos *observari iubere, non eos qui modo sub una, modo sub utraque specie communicabant; sed eos tantum, qui nunquam sub utraque communicabant.* Atqui si hoc istius, quantumvis futile & absurdum figmentum admittatur; ne sic quidem efficiet, ut Leo si hodie reviviscat, & hodiernos suæ olim civitatis mores ritusque contempletur, non sit ex hoc ipso Bellarminiano hæreseos *indicio* suam omnem plebem Manichæismi non modo suspectam, sed etiam manifestam habiturus, quam videret à Sacro calice non minus accurate, religiosèque, quam ab interdicto, abstinentem *nunquam sub utraque specie*

x Leo Serm. 4. de Quadrag. c. 5. p. 108. C.

y Bell. L. 4. de Euch. c. 26. §. Altera solutio.

communicare. Vide quæso, quanta in illius civitatis moribus facta fuerit à Leonis tempore mutatio. *Semper sub una specie communicare* olim quidem Manichæismi indicium erat; Nunc est Catholicismi. Qui sub utraque vel semper, vel saltem aliquando communicabat, olim ad unguem Catholicus apud Papam urbicum erat. Nunc nullum certius apud Romanum tribunal hæreseos argumentum est, quam si vel semel sub utraque, specie communicasse deprehendaris. Sed & stante licet Bellarminiano commento, salva certe atque incolumis manebit communionis sub utraque specie ministratio. Bellarmino tantisper donemus, quod ei somniare libuit, Leoni scilicet non satis fuisse semel atque iterum sub una specie communicantem deprehendi, ut homo Manichæismi reus perageretur; ad hoc necesse fuisse, ut nunquam aliter communicasse vinceretur. Certe ut hoc ipsum deprehendi, argui, convinci posset; necesse erat Sacerdotes omni apud mensam Sacram communicanti calicem ipsos porrigere, ut in communicantis arbitrio esset eum vel omittere, vel sumere. Alioqui nullum ex communione indicium contra Manichæos futurum erat. Sed neque consistere cum Leonis mente potest Bellarmini figmentum. Leo enim plebi suæ hanc Manichæorum fraudem aperit, *ut vobis* (inquit) *huiuscemodi homines & his manifestentur indiciis, & quorum, deprehensa fuerit sacrilega Simulatio, notati & proditi à Sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.* At si verum esset, quod Bellarminus fingit, nihil Catholicum hominem ad hoc deprehendendum sicca Manichæi communio adjuvare poterat, cui scilicet ne Manichæus argueretur, in promptu erat mentiri se alias sub utraque specie communicasse, & nunc causam aliquam simulare cur calice in præsenti abstinuerit. Ad hæc quivis de plebe Catholicus, cui urgendi ultra hominis jus nullum erat, nihil habebat reliquum, quod amplius suspicaretur. Sua autem indicia Leo hujusmodi fuisse dicit, ut ex his suis auditorib. manifestarētur Manichęi. Ergo nihil ad hoc opus fuit omnes Manichæi cōmuniones accurate, quod vult Bellarminus, observare, compertumq; habere, nunquam, eum vel semel sub utraq; specie cōmunicasse. Satis erat hominem vel semel sub una cōmunicantem vidisse, ut Manichæū fuisse intelligeret. Vnde necessario consequitur omnibus illius temporis Romanis Catholicis utramq; speciem apud Domini mensam fuisse porrectam à celebrantibus; ratum fuisse, qui poculo abstineret. Aliter enim nullū futurū erat Catholici à Manichæo hac in parte discrimen; nullum adeo Manichæismi ex sicca communione indicium. Denique id in his Leonis verbis observandum videtur, quod *Christi corpus ore accipere, & sanguinem eius haurire*, veluti duæ res ita inter se distinctæ dicuntur, ut altera seorsum ab altera fieri possit, sic nimirum ut ore Christi quidem corpus accipiatur, sanguis vero minime hauriatur; quod istos Manichæos, vaste, ut laterent, fecisse dicit Leo. Hinc enim intelligimus & hunc Leonem, & cæteros Patres *corporis & sanguinis Dominici* CAP. IX.

Cap. IX. in communionis Ecclesiasticæ negotio, vocabula non ad res ipsas simpliciter, ut Latini nunc solent sed ad species sacramentales referre, ut iis *corpus Domini accipere* idem sit, quod *panem Dominici corporis sacramentum sumere*; *Domini sanguinem haurire, bibere, potare*, idem quod *calicem vel poculum Eucharisticum participare*; quo non modo plæreque Bellarmini ad objecta à nobis Patrum hac de re loca cavillationes refelluntur, sed etiam valide, siquis attente animadverterit, demonstratur ignotum fuisse Leoni & cæteris illius ævi Patribus transsubstantiationem Sacramenti nunc à Latinis creditam.

Leonis æqualis, imo & amicus, Theodoretus Cyri Episcopus, vir doctissimus, eadem de Ecclesiastica illius seculi communione non semel testatur; ut cum expendens quod in Regum libris scriptum est Davidem impune, ac sine ulla reprehensione ex sacris panibus edisse (quod alioqui solis Sacerdotibus concessum erat) ait z eum *hoc ipso præfigurasse mysticam mensam piis omnibus proponendam. Non enim* (inquit) *ii soli, qui sunt consecrati, sunt participes Dominici corporis & sanguinis, sed omnes, qui sunt sanctum assecuti baptismum.* οὐ γὰρ οἱ ἱερώμενοι μόνοι μεταλαμβάνουσι τοῦ δεσποτικοῦ σώματός τε καὶ αἵματος, ἀλλὰ πάντες οἱ τετυχηκότες τοῦ ἁγίου βαπτίσματος. Hic præter solennem Patrum quem dixi, loquendi morem, ipsa quoque res cogit *corporis & sanguinis Dominici participationem* de sacramenti sub utraque specie perceptione intelligere. Aliter si capias populi à Sacerdote distinctio, eadem sub novo fœdere manebit, quæ olim sub veteri fuit. Nam neque Laïci olim in Israële fideles rerum per signa significatarum veritate excludebantur, magis quam Sacerdotes. Eo tantum ab his differebant, quod signorum Sacerdotes quidem participes erant; Laïci vero minime. Id autem inter utrosque discrimen aliquando sub novo fœdere sublatum iri, significatum fuisse eo Theodoretus putat, a quod David è sacris panibus sine culpa aliquando comedit. Huc etiam pertinet, quod idem scriptor alibi aliis verbis eodem sensu eloquitur; *Omnes cuiuscumque ordinis homines una* (inquit) *excipit piscina; una omnibus offertur doctrina; una omnibus mystica mensa proponitur, & quilibet credentium æquali parte fruitur.* μία πᾶσι μυστικὴ προτίθεται τράπεζα, καὶ τῶν πιστευόντων ἕκαστος ἴσης ἀπολαύει μερίδος. Hanc omnium communicantium, quod pertinet ad mensæ Dominicæ munera, paritatem sive æqualitatem etiam affirmat, ubi de Sacramento Dominico loquens; b *Illius* (inquit) *omnes sunt æque participes, & qui in paupertate degunt, & quibus divitiæ abundant, & Domini & servi, & qui præsunt & qui parent.* καὶ ἄρχοντες καὶ ἀρχόμενοι ὁμοίως πάντες μεταλαμβάνουσι. Statim addit de mensa Dominica, *Hæc*, inquit, *omnibus ex æquo proponitur* ἣ πᾶσιν ὁμοίως πρόκειται. De eadem mox; *Ex ea omnes ex æquo participant.* ἐξ ὁμοίως μὲν γὰρ ἴσως μεταλαμβάνουσιν ἅπαντες. Nulla erit ista paritas, si celebrans quidem calicem unus exhaurit, nemo præter eum bibit. Potius erit hæc mensa illis communibus Corinthiorum epulis similis, ita inæqua-

z Theodoret. Q. in 1. Reg. q. 52 T. 1. p. 253.

a Id. Dial. 1. T. 4. p. 25. B.

b Id. in 1. ad Cor. 11. 20. T. 3.

c Ibid. ad vers. 21. D.

inæqualibus, ut alij quidem esurirent & sitirent, alij etiam plusquam necesse erat vescerentur & biberent. Cap. X.

Sed age non testimonium, sed legem de hac Ecclesiastica communione celeberrimam, & quidem à Papa urbico Gelasio seculo quinto extremo latam proferamus. Lex extat apud Gratianum, *d* jam olim relata à veteribus Canonistis Anselmo, Polycarpo, Ivone, & aliis. *Comperimus* (inquit) *quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio* (*quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi*) *aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Titulus canoni apud Gratianum præfixus sic habet; *Corpus Christi sine sanguine Sacerdos non debet accipere*; quasi soli Sacerdoti conficienti hanc legem posuerint Gelasius; quod ineptum, falsumque est. Nullus enim in lege de Sacerdote proprius sermo est; communis est de omnibus communicantibus. Quosdam in genere damnat, qui sumpta tantummodo corporis sacri portione à calice abstinebant; neque eos Sacerdotes fuisse ullo verbo significat, non fuisse satis significat pœna iis imposita, ut sacramenta (id est utrumque Eucharistiæ symbolum) *aut integra accipiant; aut ab integris arceantur.* Si quos damnat, Sacerdotes fuissent, eos non tantum à Sacramentis sumendis, sed vel maxime à conficiendis, dispensandisque arceret. Sed quia isti Laïci erant, non aliam iis pœnam imponit, si calicem una cum pane sumere nolint, nisi ut ab utroque sumendo arceantur. Itaque restituendus canoni titulus verior, quem sane apposite jampridem ei Ivo præfixerat; *e Non esse sumendum corpus Domini sine calice.* Ivoni congruebant manuscript. Cassandri codices; *Canonis quoque* (inquit) *illius Gelasiani invetustis, qui apud nos adhuc sunt, manuscriptis libris intitulationem, vel summationem reperi; Quod nulli liceat absque sanguinis participatione solius carnis communionem percipere.* Micrologi auctor, quem iisdem cum Ivone temporibus vixisse constat, Gelasij verba eodem sensu cœpit; *g Gelasius* (inquit) *scribens quibusdam Episcopis* (Majorico & Ioanni) *excommunicari illos præcepit QVICVMQVE sumpto corpore Dominico à calicis participatione se abstinuerint. Nam* (*ut ipse in eodem decreto asserit*) *huiusmodi sacramentorum divisio sine grandi sacrilegio, provenire non poterit.* Ipse Algerus, qui duodecimo seculo acerrimus transsubstantiationis assertor extitit, hunc & ipse locum de populo communicante, non de Sacerdote conficiente intellexisse cognoscitur. *h* Hunc autem Gelasij locum partem esse ejusdem epistolæ, cujus altera pars prolixior à Gratiano alibi *i* refertur, recte conjiciunt Gregoriani emendatores juris Pontificij *k* ex antiquioribus Canonistis. Epistola erat Gelasij, in qua Majorico & Ioanni Ecclesiā Scyllacij apud Brutios commendat, quā ob occisos in ea duos Episcopos episcopali dignitate multādā judicat, ut ex priori parte

d Grat. de consecr. d. 2. c. 12. Comperimus.

e Ivo Decr. P. 2 c. 89.

f Cass. ep. 19. p. 110.

g Microl. c. 19. T 10. Bibl. Patr.

h Alger. L. 2. de corp. Dom. c. 8.

i Cass. 25. q. 2. c. ult.

k de cons. d. 2. ad can. 12.

Cap. IX. epiſtolæ apparet, quam apud Gratianum alibi extare diximus. Hinc doctiſſimus Calixtus noſter acute ſane ac vere colligit *l* Gelaſium, quibus Scyllacij curam & viſitationem commiſerat eoſdem in illa quoque epiſtola admonere, quid vel de illius oppidi incolis, vel de vicinis didiciſſet, eſſe quoſdam ſcilicet in illo tractu, qui panem ſacrum abſque poculo ſumerent; hos ſi in perverſo illo uſu perſeverare voluerint, eſſe communione omnino privandos. Quo pariter efficitur Laïcos iſtos fuiſſe, non Clericos. Baronius Gelaſium ipſe quoque ſic accipit, ſuorumque hoc decretum de Sacerdote ſacrificante interpretantium errorem arguit; *m* *Nam revera* (inquit) *nulla ibi de Sacerdote ſacrificante mentio habetur; ut quod plane generaliter dictum eſſe apparet, ad Sacerdotes minime reſtringi debere ſatis intelligi poſſit. Reÿcimus ergo* (inquit) *frigidam huiuſmodi ſolutionem*; quibus verbis Bellarmini ſui Collegæ judicium ſugillat, qui quam hic *frigidam* dicit *ſolutionem*, probabilem eſſe ideo pronuntiaverat, quod ei titulus præfixus faveret; caſſo & futili argumento; quia neque Gratianum hujus, quod Bellarminus temere affirmat, *n* tituli auctorem eſſe conſtat, neque ea ſi de hoc conſtaret, eſt Gratiani auctoritas, quæ Ivonis & Micrologi, vetuſtiorum, & ſane doctiorum ſententiæ antehaberi debeat; nequid de Algero & Baronio dicam, quos omnes Gelaſij verba de quibuſcumque communicantibus accepiſſe demonſtravimus. Maneat ergo fixum & conſtitutum Gelaſio P. R. I. auctore non poſſe ſine grandi ſacrilegio calicem à pane ſacro, non modo à conficiente, ſed ne à laïcis quidem communicantibus dividi. Hæc eſt Paparum urbicorum qui hodie regnant, cum ſuis majoribus concordia. Quod hi grandis ſacrilegij damnant, hoc illi nunc lata, & quidem in duabus Synodis generalibus lege ſuis omnibus exſerte præcipiunt, & qui ipſos erroris denotare, vel hanc ſuam de communione ſub una ſpecie legem reprehendere auſint, iis anathema dicunt. Atqui Gelaſius, non *legem*, ſed vel ipſum factum lege præceptum, non *erroris*, ſed quod incomparabiliter gravius eſt, *ſacrilegij*, imo *grandis ſacrilegij* ante annos mille & amplius damnaverat. Ergo illi Gelaſio non unam, ſed triplex anathema dixiſſe cenſendi ſunt. Bellarminus ut antiquos Papas cum nuperis & hodiernis reconciliet, negat *o* Gelaſium eos damnare, qui *juſta de cauſa à calice ſe abſtinent*; quod plane idem eſt, ac ſi tu neges lege eos damnari, qui juſta de cauſa furtum faciunt, vel adulterium committunt, ut amicum purges horum criminum poſtulatum. Vt enim lex furari, & mœchari ſimpliciter vetans, nullam eſſe juſtam furandi aut mœchandi cauſam ſtatuit; ita & Gelaſius eos ſimpliciter excommunicans, qui apud menſam Domini panem ſacrum ſic ſumunt, ut à calice abſtineant, eo ipſo apertiſſime oſtendit nullam eſſe legitimam poculi à pane in comunicando devidendi cauſam. Quid quod hanc diviſionem non poſſe ſine grandi ſacrilegio provenire exſerte pronuntiat? Aliqua ne eſt juſta ſacrilegij & quidem grandis committendi cauſa? Sed Bellarminus reclamat ſacrilegium cujus iſti à Gelaſio arguuntur, negat in hoc ſitum eſſe, quod ii Sacramentum quod

l Calixt. diſp. de comm. ſub una. §. 9. p. 86.

m Bar. a. D. 496. §. 20.

n Bell. L. 4. de Euch. c. 26.

o Id. ibid 9. Altera ſolutio.

quod unum est, dividerent, unam tantum ejus partem sumentes, alteram detrectantes; Id *sacrilegium* errorem fuisse hariolatur Manichæicum, quo isti scilicet laborabant, Iesum solventes, quem existimabant non habuisse verum sanguinem. Auctor Micrologi aliter olim judicavit, quia scilicet absque ullo animi studio judicabat; Gelasij verba de *hujusmodi Sacramentorum divisione* accipiens, qua alterum (scilicet panis sacer) sine altero (id est sacro poculo) sumitur; quod ipsum ab iis, quos Gelasius damnat, factum fuisse certum est. Ego vero à Bellarmino & Baronio primum quæro (nam & hic latam hunc in Manichæos à Gelasio fuisse legem divinat) *p* unde resciverint istos Sacramenti divisores Gelasianos, fuisse Manichæos vel Priscillianistas? Quis hoc iis arcanum revelavit? Non certe Gelasius, qui eos simpliciter damnat, *QVICVMQVE*, quod ait Micrologus, *sumpto corpore Dominico à calicis participatione abstinuerint*, quiqui de cætero fuerint, Troes, an Rutuli, Græci an Latini, Manichæi hæretici, an Constantienses aut Tridentini etiam, si vis, Catholicissimi. Quis istis id juris dedit, ut quos lex non distinguit, ipsi de suo ingenio, & ex usu suo dividant? Sed hæ sunt solennes illorum artes, quoties iis aqua hæret. Ita Moysem, ubi urgentur, Paganorum, & Iudæorum, & aliquorum etiam si forte Gnosticorum simulacra dejecisse concedunt; sua, ne attigisse quidem caussificantur; Paulum quorundam de veteri memoria hæreticorum in Angelos religionem prohibuisse, de sua, nequaquam cogitasse; & Tatianorum & Marcionitarum, & Montanistarum de abstinentiis ac cœlibatu leges mature detestatum esse; nihil minus, quam suas in animo habuisse; Petrum idololatriam, illicitam quidem damnasse; *licitam*, id est ut volunt suam, non denotasse. Non miror Bellarminum hoc exemplo eos qui *iusta de causa* id faciunt, quod Gelasius prohibet, & sacrilegium appellat; ab illis distinguere qui id ipsum faciunt justa de causa. Nimirum vbi id Papæ expedit, vt *idololatria* aliqua *licita* est; ita & *sacrilegium* aliquod est, quod *iusta de causa* fit. Illud, Valentia diserte præfracteque posuit; Hoc pene Bellarminus admittit. Non fuit istis difficilius hac in Gelasium commentandi licentia uti, quam virorum divinorum, imo Dei ipsius leges ita pro libitu, quoties id rebus suis commodum est, restringere, ut eas à se suisque capitibus amoliantur. Tum quæro, cur Gelasius istos Manichæos fuisse non dixit, quod in eodem argumento fecit Leo, si Manichæos vere esse norat? Quæ invidia, quis metus, hunc Gelasium, unum de generosioribus Papis, verum reorum, quos damnat, nomen edere prohibuit? Atqui non solet ille, quos damnat, iis parcere. Sed si Manichæi vere erant, cur de iis tam molliter loquitur? *Nescio qua superstitione*, inquit, *docentur obstringi*. Nesciebat scilicet Papa doctissimus, quæ Manichæorum vel Priscillianistarum esset *superstitio*. Nesciebat funestissimorum ac perditissimorum hominum prodigiosis deliramentis dirius aliquod, quam *superstitionis* nomen congruere? Nesciebat istorum dogmata, non *superstitiones*, sed *hæreses*, sed venena, sed pestes, sed monstra fuisse

CAP. IX.

p Bar. a. D. 496. §. 20.

Cap. IX. fuisse letalia, quibus Satan nihil unquam in hominum genus invexit tetrius, nocentius, aut capitalius? Cur non saltem eorum morbum repetitis ex Leonis antecessoris sui myrothecio elogiis ornavit? Cur *superstitionem*, & quidem *nescio quam* dicit, quam ille multo dignius *infidelitatem* dixerat? Cur *sacrilegam simulationem*? cur fallendi & latendi consilium tacuit? Cur denique pœnam istis, multo quam Leo mitiorem, si proditi fuerint decernit? Leo vult in istis inquirendis ac detegendis vigilare suorum industriam; deprehensos, à *Sanctorum societate Sacerdotali auctoritate pelli.* Gelasius de suis istis, nihil simile Nullius eos fraudis arguit; non dicit hoc vel mutuæ communionis colore ulcus aliquod texisse; ne occultasse quidem hoc ipsum, quod dimidiam tantum Sacramenti partem sumerent; ut videantur hoc isti, non clam, sed aperte fecisse, ac præ se tulisse. Gelasius certe nihil se compertum habere dicit de iis causis, quæ illas ad hanc dimidiatam communionem impellerent; hocque ipse satis ostendit, quod eos dicit nescio qua superstitione, non *obstringi* simpliciter; sed *obstringi doceri*; sive quid ab hujus ad se delati de istis sermonis auctoribus didicisset, significare his verbis voluerit, sive etiam quid ipsa hæc calicis abstinentia argueret, quod eam scilicet vix aliunde proficisci putaret, quam ab inani aliqua superstitione. Denique nihil in eos durius aut acerbius, nihil quale Manichæismi, aut Priscillianismi crimen merebatur, decernit; sed hoc tantum, quod æquissimum fuisse nemo negaverit; *aut integra* (inquit) *Sacramento percipiant, aut ab integris arceantur.* Quid, si Manichæus paratum se diceret integram Eucharistiam percipere? eo ne satis Ecclesiæ fecisse putabatur? Non hæresin ejerare? non dicis perditissimæ sectæ deliramentis, fœdissimæque disciplinæ, & impiis in Deum & Christum blasphemiis nuntium remittere adigebatur? Certe aliquid horum dixisset Gelasius, si Manichæos putasset esse hos, de quibus decernit; si in illa nescioqua à calice abstinendi superstitione perstarent? *Ab integris* (inquit) *Sacramentis arceantur*; id est ne sacrum quidem panem accipiant, quem scilicet sine calice sumere sacrilegium est, quo ea devidebantur, quæ Christus conjunxerat. Nullam-ne ergo aliam istis pœnam, quam hanc constituit, quæ beneficium Manichæo homini erat potius, quam pœna. Neque enim putandum est gravet eis fuisse futurum Ecclesiastico Dominici corporis Sacramento carere. Hanc jacturam pro magno lucro habuissent; qui scilicet nostra fere omnia exsecrabatur; neque sacro pane nostro alio animo vescebantur, quam ut ita se Catholicos simulantes multa gravia atque incommoda effugerent, quæ in publicis legibus adversus Manichæos constituta erant. Profecto non ita cum Manichæis deprehensis agit Leo. Hos non tantum altera illa Sacramenti parte, quam per hypocrisin acceperant, multat; sed eos Sacerdotali auctoritate penitus à sanctorum societate pelli jubet; quæ maxima supremaque est omnium Ecclesiasticarum pœnarum. Istos ergo Gelasianos sub una specie communicantes nihil minus, quam Manichæos, aut Priscillianistas fuisse ex his,

ni fallor satis patet. Infirmos fuisse potius crediderim ex illo hominum genere, quos *devotos* vulgo dicimus; quorum animos multiplices formidines ac religiones, sæpe levissimis, interdum nullis de causis exortæ, conturbant, ad quas illi sic adhærescunt, ut vix inde avelli possint. Ex his porro jam quivis intelligit quam sit absurdum Bellarmini commentum, qui somnia somniis superstruens, ex eo, quod temere falsoque hariolatus est istos fuisse Manichæos, conclusit illud grande divisionis *sacrilegium*, de quo Gelasius, intelligendum esse de Manichaïco circa incarnationis Dominicæ mysterium errore. Cum enim istos nullo jure, nulla ratione, nullo merito Manichæos fuisse præsumat, quos Manichæos revera non fuisse demonstravit non potest nisi stulte & absurde sacrilegium, cujus notatum à Gelasio eorum factum arguitur, de errore illo Manichaïco accipi; cujus Gelasius in toto hoc decreto plane nullus meminit. Mysterium illud, quod unum idemque negat Gelasius absque sacrilegio posse dividi, proculdubio, ut optime jampridem judicavit auctor Micrologi, nihil aliud est, quam hoc ipsum Eucharistiæ *Sacramentum*, de quo uno totus est hic ex Gelasiana epistola decerptus, canon. Duas itaque illas partes, quibus constat, panem scilicet & vinum sacrum, alterum ab altera dividi sic, ut una absque altera sumatur, rem esse sacrilegij plenam pronuntiat Gelasius. Mitto, quod Vasques observavit, *q* nihil opus fuisse istos, quo se à Manichaïco de incarnatione Dominica errore alienos esse testarentur, ad sumendum calicem compelli; *Sola enim* (inquit ille) *corporis Christi communione errori illi satis superque occurrebatur. Qui enim tantum sumeret speciem panis consecrati, vere credens corpus Christi verum ibi contineri, errori Manichæorum omnino adversaretur.*

q Vasq. in 3. Thom. Disp. 216. c. 6.

CAP. X.

Huc quoque pertinet alter Gelasij locus ex opusculo de duabus Christi naturis; *r Certe Sacramenta, quæ sumimus corporis & sanguinis Christi, divina res est; propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini.* Cum dicit SVMIMVS de omnibus & singulis Christianis loquitur. Quæ nam vero sint quæ sumerent, nemo dixit explicatius; nimirum non corpus & sanguinem Christi, quæ ejus posteri sub una panis specie ambo contineri fabulantur; sed *Sacramenta corporis & sanguinis* Christi, ac nequis subesset cavillationi locus, *Sacramenta quæ sunt substantia panis & vini* Ergo non una, sed ambæ Eucharistiæ species sumebantur à fidelibus.

r Gelas. de duab. nat. Chr. T. 4. Bibl. Patr. p. 422. D.

Hic Dionysio Pseudareopagitæ locus concedendus, quod is a. D. 532. nosci apud nostros cœpit. Is vero ministratam fidelibus sub utraque specie fuisse Eucharistiam testatur disertissime, ubi Episcopum narrat, *s* postquam is Sacramentum confecit, *panem quidem retegere, & in multa dividere; calicem vero unum ac singularem OMNIBVS impertiri, atque ita unitatem symbolice multiplicare ac distribuere.* ἄρτον ἀνακαλύψας καὶ εἰς πολλὰ διελὼν, καὶ τὸ ἑνιαῖον τοῦ ποτηρίου ΠΑΣΙ καταμερίσας συμβολικῶς τὴν ἑνότητα πληθύνει καὶ διανέμει. Quo & illa pertinēt, quæ ibidem philosophatur

s Dionys. Hier. Eccl. c. 3. Ther. §. 12. p. 258. D.

Cap. X. t ibid. Theor.§.1. p.244.C.

t communem ac pacificam unius ejusdemque cum panis tum calicis participationem divinam communicantibus mortum conformitatem præscribere tanquam iis, qui simul nutriuntur, εἰς ὁμοτρόφοις; Quæ præclare sane ac splendide, si unus idemque est omnium communicantium cibus ac potus; stulte vero ac ridicule dicuntur, si paucorum proprius est potus; omnium communis unus est duntaxat panis esus.

CAPUT X.

Ex seculis 6.7.8. & testimonia Patrum de Eucharistiæ distributione sub utraque specie, Remigij Remensis, Cassiodori, Pseudo-Ambrosij de Sacramentis, Gregorij P.R.I. Isidori Hispalensis; Beda, Paulini Aquileiensis, Alcuini, Theodulfi, Leonis P.R.3. Caroli M. Concilij Cabilonensis. Ionæ Aurelianensis, Concilij Paris. 6. Paschasij Radberti, Remigij Altissiodor. Ratherij Veronensis.

EAndem in Galliæ nostræ Ecclesiis etiam post an. D. 500. fuisse communionis rationem loquuntur vel hi Remigij Remensis ineunte sexto seculo Episcopi, versus, calici ejus Sacro inscripti, quos Flodoardus exhibet, u

u Flodoard. Hist. Rem L.1. c. 10. p. 25.

Hauriat hinc POPULUS vitam de sanguine sacro
Ingesto æternus quem fudit vulnere Christus;
Remigius Domino reddit sua vota Sacerdos.

Senator Cassiodorus, qui annum Domini 514. suo nomine Consul signavit, jubet x monasterij sui Ascetas inter cætera Dei maxima in nos beneficia *agnoscere; quod communicationem corporis & sanguinis sui clementissimus Redemptor indulserit.*

x Cassiod. de div. Lect. L. 2. c. 32. extr. p. 248.

Scriptor homiliæ quintæ de Paschate, quæ Eusebij Emisseni nomine circumfertur, sed quam Cæsario Arelatensi, nobilissimo sexti seculi scriptori potius tribuendam putant, inter cujus homilias ipsa quoque sub numero septimo habetur, y *Cum* (inquit) *ad reverendum altare salutari cibo, POTUque reficiendus accedis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honore mirare, mente continge.* Ad mensam ergo Domini quisquis Christianus accedebat POTUM æque ac cibum, poculum æque ac panem accipiebat.

y Euseb. Emiss. hom. 5. de Pasch. fol. 45. A.

His sexti seculi scriptoribus accensere libet librorum de Sacramentis auctorem qui diu post Ambrosium, tametsi inter ejus opera jampridem circumferatur, omnino vixisse videtur; *Sicut mortis* (inquit) z *similitudinem sumpsisti; ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis.* Quam & unde, nisi vinum ex calice mystico? Ibidem; a *Et tu bibe* (inquit, quemvis communicaturum alloquens) *ut te Christus sequatur.* Item; b *Tangit Sacerdos calicem, & redundat aqua in calice. Salit in vitam æternam, & bibit populus*

z Ambr. L. 4. de Sacr. c. 4.
a Id L. 5. c. 1.
b Id. ibid.

Dei, qui Dei gratiam consecutus est. Comparat autem Sacerdotem cum Moyse petram in deserto tangente; populum Christianum cum Israele; illius poculum cum hujus aqua. Denique; *Quotiescumque* (inquit) *BIBIS, remissionem accipis peccatorum, & inebriaris in Spiritu.* Omnia, ut quivis videt, absurdissime, si fideles, quos alloquitur, nunquam bibebant apud mensam Domini.

CAP. X.

c Id. ibid. c. 3.

De sexti seculi exeuntis, septimique ineuntis usu testatur non semel Gregorius P.R.I. *Quid sit* (inquit) *d Sanguis Agni, non iam audiendo, sed BIBENDO didicistis; qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.* Ex quo loco refellitur Bellarmini solutio ad hunc & alterum Gregorij locum; Is enim negat, *e* nimium profecto inverecunde, *Gregorium dicere Christi sanguinem bibi debere ore corporis.* Quid enim disertius hoc dici potest, quam hoc loco dicit Gregorius, nos non *audiendo, sed BIBENDO* didicisse, quid sit *Agni sanguis,* & illum sanguinem *ore corporis hauriri?* Sed & alterius loci eundem esse sensum patet, quem à nostris objectum eadem frontis duritie similiter quoque Bellarminus eludit. Sic autem habet ille locus; *f ibi* (id est in mysterio sacræ immolationis) *Christi corpus sumitur; eius caro in populi salutem partitur; Eius sanguis, non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur.* His ad amussim congruunt, quæ in Gregoriano Sacramentorum libro ab Hugone Menardo ex antiquissimis MS. codicibus edito leguntur. In Missa, qui eam celebrant, Deum rogant, *g ut suas oblationes jubeat perferri in sublime altare suum, ut* (inquiunt) *quotquot ex hac altaris Participatione sacrosanctum Filij tui corpus, & SANGVINEM sumpserimus, omni benedictione cœlesti & gratia repleamur.* Clare dicunt, non unum Sacerdotem, sed plures fideles, sed cæteros omnes communicante sanguinem æque ac corpus sumpsisse. Ibidem. *h Ipsi qui sumimus communionem huius sancti panis & calicis, unum Christi corpus efficimur.* Si soli, qui conficiunt, Sacerdotes, Christi corpus sunt, fatebor solos de Domini calice bibisse. Sin omnes fideles corpus Christi esse, nemo negat: omnes quoque sumpsisse calicis communionem fatendum est. Item: *i Cuius* (inquit de Christo loquens) *carne pascimur, roboramur & sanguine, dum POTAMVR, abluimur.* Idem alibi: k *Quæsumus omnipotens Deus, ut inter eius membra numeremur, cuius corpori communicamus & SANGVINI.* Item in natali Iacobi Apostoli: *l Corpore & sanguine Filij tui nos refecisti;* ut paulo ante in natali Processi & Martiniani dixerant *m se corporis sacri & pretiosi sanguinis repletos libamine:* & in festo exaltationis crucis, *n se Domini corpore & sanguine saginatos.* Ita &, alibi Deum suppliciter rogant, *o ut expulsis azymis vetustatis illius Agni cibo satiemur & poculo, qui nostram imaginem reparavit.*

d Greg. hom. 22. in Evang. p. 277. B.
e Bell. L. 4. de Euch. c. 26. §. Decimo tertio.
f Greg. L. 4. Dial. c. 58. T. 2. fol. 255. K.
g Id. L. Sacrament p. 3. col. 1. extr.
h Id. ibid. p. 27. Dom. post Theoph. in Præf.
i Ibid. p. 39. fer. 3. primi mens. Præf.
k Ibid. a 50. Dom. 5. quadrag.
l Ibid. p. 116. ad Compl.
m Ibid. p. 130. ad compl.
n Ibid.
o Ibid. p. 193. hebd. 4. post Pont. Præf.

Gregorius Turonicus, Romani æqualis, de muliere quadã vidua communicante verba faciens: *p Expletis* (inquit) *celebratisque Missis accedit ad poculum salutare, quæ tam fervens acetum hausit ex calice, ut putaret sibi dentes excuti.* Nimirum, pro generoso vino, quod ipsa præbuerat ad sacrificium,

p Greg. Tur. de Glor. Confess. c. 65.

CAP. X. crificium, id nequam Diaconus suæ gulæ reservemus, acetum vehementissimum in calice obtulerat, ut ibidem narrat Gregorius. Alibi notam idem ex Græcis de vitrarij Hebræi filio historiam narrans, q *Ad participationem* (inquit) *gloriosi corporis & sanguinis Dominici cum aliis infantibus infans Iudæus accessit.*

q Id. de glor. Martyr. c. 10.

Anno seculi septimi 36. Isidorum Hispalensem, Redemptus viri suprema narrans, r scribit *corpus & sanguinem Domini cum profundo gemitu cordis ab ipsis suscepisse Pontificibus.*

r Redempt. de obit. Isid. init. op. Isid.

Apud Moschum Eviratum, qui his quoque septimi seculi temporibus vixisse videtur, in loco jam supra s ad aliam rem allato, anima piæ mulieris sui sepulchri prædonem objurgans, t *Quo corde* (inquit) *quibusve manibus sanctum ac pretiosum Domini nostri Iesu Christi corpus ac sanguinem accedens sumis?*

s Supr. c. 2. init.
t Mosch. Prat. c. 78. T. 2. Bibl. p. Gr. Lat.

A. D. 675. habitum est apud Hispanos Concilium Toletanum undecimum, in quo Patres aiunt u *infirmos quosdam præter Dominici calicis haustum traditam sibi non posse Eucharistiam deglutire.* Ergo etiam infirmis utraque species tradebatur.

u Conc. Tol. 11. c. 11. T. 1. Concil. gen. p. 825.

Ex octavo seculo Bedam primum testem citamus, a. D. 735. mortuum, qui in sermone de Epiphania cum *panis & vini creaturam in sacramentum corporis & sanguinis Dominici ineffabili Spiritus sanctificatione transferri* dixisset, *sicque* (inquit) *corpus & sanguis illius, non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur & occiditur; sed fidelium ore suam sumitur in salutem. Idem Ceaddam Britannum Episcopum, suprema eius narrans, scribit* x *obitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione septimo ante mortem die munivisse*, eodemque in opere puero cuidam Saxoni, animi simplicis ac mansueti, prædictum esse, oblata vigilanti visione, y ipsum *viatico corporis ac sanguinis accepto sic infirmitate simul & morte, absolutum ad æterna in cœlis gaudia sublevatum iri*; idque eodem die impletum. Unde intelligimus, quam sit inanis Bellarmini suspicio, ex alio quodam Bedæ loco, jam ejus ævo cœpisse in Anglia communionis sub una specie usum hariolantis, quod ibi Christiani cujusdam Regis filij, sed ipsi Pagani querebantur, z quod Episcopus *panem nitidum*, quem Patri dabat, sibi minime porrigeret; Quasi vero ex Paganorum sermonibus discendum sit, quæ vera & legitima fuerit populi Christiani communio; vel quasi qui panem communicatum dicunt, eo vinum communicatum negent, cum sit hæc vulgaris locutio sub uno *panis* nomine vinum quoque & totum convivium significare

x Bed. Hist. Angl. L. 4. c. 3. T. 3. p. 87.
y Id. ibid. L. 4. c. 14 p. 97.
z Id L. 2. c. 5.

Paulinus Aquileiensis octavi seculi excitū vidit, & noni initiū. Ejus est hymnus in dedicationē Ecclesiæ, de qua Dominum alloquens ita canit; a

Tuo sacrato hic depasti corpore,
Tuoque sancto satiati sanguine,
Ab hoste tuo defensi munimine
Læti fideles sortiamur servuli
Vita perennis sine fine, gaudia.

a Paulin. Aquil. hymn. in ded. Eccl. apud Cass. in Hymn. p. 252. in.

Huic

Huic hymno alter præmittitur, licet auctoris multo recentioris, in quo hi versus, in eandem sententiam leguntur; *b*

CAP. X.

b Ibi l. p. 251.

Hæc domus summo tibi dedicata,
Semper est, in qua populus sacratum
Corpus assumit; bibit & beatum
Sanguinis haustum

Sirmondus Theodulfi Aurelianensis Capitulare ad Presbyteros à se editum, refert ad an. D. 797. In eo hic extat canon; *c Admonendus est populus, ut ad sacrosanctum sacramentum corporis, & SANGVINIS Domini nequaquam indifferenter accedat.* Item; *singulis diebus Dominicis in quadragesima, præter hos, qui excommunicati sunt, sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt, & in Cœna Domini, & in Parasceve, in vigilia Paschæ, & in die resurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum est.* Amalarius hoc quoque pane totidem verbis habet in fine libri tertij, in manu scriptis quidem codicibus, ut refert atque exhibet *d* Lucas Dacherius. Eadem quoque extant apud Burchardum, *e* veluti *ex dictis Papæ Silverij*, & in capitulis Ecclesiæ Britannicæ apud Spelmannum, *f* nisi quod istic omissa est Parasceues memorata à Theodulfo communio.

c Theod Capit. c. 44. & c. 41. T. 2. Conc. Gall. p. 222.

d Dacher. Spic. T. 7. p. 173. extr. 174. init.

Circa ultimum annum octavi seculi, cum Romani Leonem P.R. 3. è Gallia, quo ad Carolum confugerat, reducem magno triumpho exceptum in Ecclesiam B. Petri deduxissent; ibi & *Missarum solennia* (inquit Anastasius) *g celebravit, & omnes communiter corpus & sanguinem Domini fideliter participati sunt.*

e Burch L 5. c 19.

f Spelm. Conc. Britann. p. 615. 616 c. 41. 44.

Iam sub ipsa noni seculi initia Alcuinus occurrit, qui de quovis Christiano, postquam baptismum suscepit, *Sic* (inquit) *h corpore & sanguine Dominico confirmatur, ut illius sit membrum, qui pro eo passus est & resurrexit.* Alcuinum in ejus vita legimus. *i* Pipino ac Ludovico Caroli Magni filiis, qui in urbem Turonum una cum Patre venerant, *communionem corporis Christi, & SANGVINIS manu propria misisse.*

g Anast. in Pōtif. Rom. in Leon 3.

h Alcuin. ep. 70 p. 1592. B.

i Vita Alc. T. 2 Francic. Chesn. p. 384.

Iisdem temporibus Carolus Magnus illustrissimus ejusdem sub utraque specie communionis testis habetur. Supra jam in alio argumento edidimus locum ejus insignem, in quo ipsos etiam infantes parvulos docet fuisse ita communicatos; quanto magis adultos? Ipse vero Augustissimus Princeps, cum esset in supremis, *sacra communione percepta*, ut ait Eginhartus, *l ex terris migravit, septimo postquam decubuit die.* Si aves scire, qualis illa communio fuerit, dicet Theganus, *m* scriptor ejusdem seculi; *Septimo* (inquit) *die postquam laborare cœpit, jussit familiarissimum Pontificem suum Hiltibaldum venire ad se, ut ei sacramenta Dominici corporis, & sanguinis tribueret, ut exitum suum confirmaret.* Quo facto, sequentis diei diluculo ex hac vita migrasse eum dicit. Ne dubites eodem quoque sensu accipiendum, quod idem scriptor tradit *n* Ludovicum Pium Caroli filium an. D. 840. *sacram communionem de more per manus Dragonis paulo ante mortem sumpsisse.*

k Supr. c. 4. ex L. 2. c. 27. de Imag.

l Eginh. Vita Car. M. T. 2. Chesn. p. 104.

m Ibid. p. 277. Thegan. Vita Lud. Pij

n Id. ibid. p. 319.

Cap. X.

Ionas Aurelianensis Episcopus Ludovici Pij temporibus, homines laïcos instituens ad vitam Christiane agendam, præcipit *o* inter cætera, *reverenter & salubriter percipiendum esse sacro-sanctum corpus & sanguinem Domini*; eaque de re proprio capite satis fuse disputat, cui in libris titulus hic præscribitur, *p Quod ad perceptionem Dominici corporis & sanguinis frequenter & discrete sit accedendum.* Sub finem capitis, scribit *conventum Christianorum ad Ecclesiam ideo præcipue institutum esse, ut inter hymnorum & laudum solennia participatio corporis & sanguinis Domini celebretur.* Idem pæne eadem repetit *q* in altero de Regia institutione opusculo; *In basilicis* (inquit) *sanguis & corpus Christi conficitur, & à fidelibus percipitur*; quorum gemina quoque leguntur in priori opere. *r* Sed & in secundo, *s* itidem ut in priori, *Ad perceptionem* (inquit) *sacri corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vos salubriter præparetis.*

o Ion. L. 2 de instit. Laïc. c. 18. T. 1. Spic. Dacher. p. 103.
p Ibid. p. 106.
q Id. L. de instit. Reg. c. 13. T. 5 Dach. p. 96.
r Id. de inst. Laïc. L. 1. c. 11.
s Id ibid. c. 16.

Hæc cum decretis Concilij Cabilonensis secundi uno ante Caroli mortem anno habito, congruunt; quo loco Patres præfati magnam adhibendam esse discretionem in perceptione corporis & sanguinis Dominici, recitatis quibusdam verbis Christi & Pauli, ita pergunt; *t Iuxta ejusdem ergo Apostoli documentum probare se debet homo, & sic de pane illo manducare, & de calice bibere; ut videlicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus, animamque suam præparet se ad percipiendum tantum Sacramentum.* His clare significant corpus & sanguinem Dominicum, de cujus perceptione præcipiunt, idem sibi esse, quod est Paulo *panis & calix Domini.* Iidem mox Eucharistiam ab omnibus fidelibus in Cœna Domini percipiendam esse *u Ecclesiasticus* (inquiunt) *usus demonstrat, cum etiam Pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis Dominici Sacramenta reconciliat.* Eucharistiam *corporis & sanguinis Dominici Sacramentis*, id est symbolis, pane scilicet, & poculo sacro definiunt. Eadem verba etiam Burchardus habet, & Amalarius, & Britannici canones; ut alibi est à nobis observatum.

t Conc. Cabil. 2. c. 46. T. 2. Conc. Gall. p. 518
u Ibid. c. 47.

Ipse Paschasius, primus licet transsubstantiationis apud Latinos sator, vel nondum satis animadvertens, quid ex suo invento sequeretur, vel certe tam antiquam, tamque universalem consuetudinem pulsare veritus, eam quoque circa hæc tempora confirmat, cum de Christo, *x Hic* (inquit) *solus est, qui frangit hunc panem, & per manus ministrorum distribuit credentibus dicens, Accipite & bibite ex hoc omnes, tam ministri, quam & reliqui credentes.* Paucis verbis omnia suorum sectatorum in illa Christi verba, *Bibite ex hoc omnes*, commenta ac glossemata disjecit, fregit, ac dissipavit; hoc Christi præceptum esse, idque non solis Apostolis, sed omnibus credentibus datum liquido affirmans. Ac tametsi hoc sit longe disertissimum, non desunt tamen & alia ad rem nostram Paschasij dicta; *y Sacerdos* (inquit) *quia vices Christi visibili specie inter Deum & populum agere videtur, infert per manum Angeli vota populi ad Deum, & refert. Vota quidem offert & munera; refert autem impetrata per corpus & sanguinem, & distribuit SINGVLIS.* Item; *z Non recte caro sine sanguine communica-*

x Paschas. de corp. & sang. Dom. c. 15 p 15 8. D.
y Id. ibid. c. 12. p 1590. B.
z Id. ibid. c. 19. p. 1603. B.
z Id. ibid.

tur;

tur; Item, *Christi corpore quotidie pascimur, & potamur sanguine.*

Concilium Parisiense 6. a. D. 829. celebratum ejusdem sub utraque specie communionis non semel meminit; vbi cavet, *a ne populus Dei sine Missarum celebratione, & Corporis & SANGVINIS Dominici perceptione maneat*; & alio in loco Eucharistiæ communionem definiens, *b perceptionem* itidem vocat, non *Corporis* simpliciter, ut nunc Latinis familiare est, sed *Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi.*

Ita & Patres Concilii apud S. Macram. D. 881. eandem rem agentes dicunt *c periculum esse communicare* (indigne scilicet) *Corpori & Sanguini Domini.*

Hoc quoque nono seculo & quidem præcipiti vixit auctor commentarij in Paulú à Villalpando sub falso Remigij Remensis nomine publicati, cujus esse nó potest Doctiss. Vsserius opus Remigio Lugdunensi tribuebat. *d* Esse revera Remigij Altissiodorensis Albertinus *e* noster solide demonstravit. Hujus scriptoris hæc verba sunt *f* in 1. Cor. 10. *Calix benedictionis dicitur, quia benedicitur à Sacerdotibus in altari. Appellatur & ipse calix communicatio, quasi participatio quia OMNES communicant ex illo, partemque sumunt ex sanguine Domini, quem continet in se.*

Ratherius Veronensis Episcopus, vir decimi seculi, & quidem jam adulti; *g Quater in anno* (inquit) *id est Natali Domini, & Cœna Domini, Pascha & Pentecoste omnes fideles ad communionem corporis & sanguinis Domini accedere admonete.* Item; *h Omnis* inquit, *malevola extruditur, tam à sumpturis, quam & porrecturis corpus & SANGVINEM Domini, intentio.* Item; *i Preparemus* (inquit) *cordium nostrorum habitacula venturo ad nos per corporis & SANGVINIS sui substantiam Christo.* Idem ad illud Apostoli 1. Cor. 5. 8. ad omnes fideles dictum, *k Epulemur, id est* (inquit) *carnem Domini manducemus, & sanguinem ipsius bibamus.* Item; *l Cœnare* (inquit) *cum Domino est corporis & sanguinis Domini initiata percipere Sacramenta.* Et alibi ad populum, *m Agni corpus & SANGVINEM solennius hodie tractaturi, vestraque dilectionis propinaturi.* Ibidem, *n Nequitiam relinquite, si Agni Dei carnem vultis comedere, & ejus sanguinem bibere.* Ibidem eundem actum dicit, *o Ad Agni Dei sumendum corpus, & sanguinem accedere, & sine gemitu atque suspirio corpus & sanguinem Domini accipere*; & alibi, *p corpus & sanguinem Christi cum exultatione sumere.* Item; *q Interroget se quisque, si in azymis sinceritatis & veritatis corpus & sanguinem Domini sumpsit* Idem ad 1. Cor. 11. 27. *r Culpa effusionis sanguinis Christi imputabitur, si ausus fuerit bibere sanguinem Christi indigne.* Idem ait *s corpore & sanguine Domini reficiendis necesse esse preparationem facere.*

a Conc. Par. 6 L. 1. c. 47.
b Ibid. L. 3. c. 20.
c Conc. ad S. Macr. c. 5. T. 3. Conc. Gall. p. 506.
d Vsser. Hist. Gotthesc. p. 175.
e Albertin. L. 3. de Euch. p. 937.
f Remig. in 1. Cor. 10.
g Rather. Synod. ad Presb. T. 2. Spic. Dach. p. 262.
h Ibid. p. 182. de cont. Can.
i Ibid p. 258. Syn. ad Presb.
k Ibid. p. 259
l Ibid. p. 282. Serm. 1. de quadr. § 3.
m Ibid. p. 308.
n Ibid. p. 310.
o ibid. p. 312.
p Ibid. p. 312.
q Ibid. p. 313. Serm. 2. de Pasch.
r Ibid. p. 320. Serm. 3. de Pasch.
s Ibid. p. 322. Serm. 4. post. Pasch.
s Ibid. p. 330. Serm. 2. de Ascens.

CAPVT

CAPUT XI.

Loca miscellanea ex mediæ antiquitatis auctoribus, in quibus vel lapsi à corpore & sanguine Domini separari, vel morientes sub utraque specie communicari dicuntur.

t Conc. Tul. 2. C. 1. T. 3. Conc. Gall. u Ibid. p. 159. Nicol. ep. 1. x Ibid. p. 189. y Ibid. p. 532. Nic. ep. ad Hincm. & Tirothar. z Hincm. opusculo 55. T. 2. p. 262. a Conc. Duziac. 2. ibid. p. 409. b Ibid. p. 417. in jud. Dud. & c. 5. c Ioan. 8. Ibid. p. 477. d Id. ibid. p. 487. e Id. ep. 51. T. 3. Francic. Chesn. p. 8. f Anast. in Steph. 3. p. 236. g Leo 7. ep. ad Iuvav Ep. in Chron. Reitch. p. 11. h Vrb. 2. priv. Eccl. Atreb. T. 3. Spic. Dach. p. 125. i I. confirm. don. Raim. T. 6. Dach. p. 22.

HInc illa est istis seculis vulgaris excommunicationis descriptio, *à corpore & sanguine Domini separari*; quæ subinde apud illorum temporum homines occurrit; vt in Concilio Tullensi. a. D. 860. apud Tusiacum habito, *t* cum *pervasorem rerum Sacrarum à corpore & SANGVINE Domini ita separari jubet; ut nec in fine communionem accipiat.* Sic Nicolaus P.R. I. *u* Episcopis in Caroli Calvi regno constitutis præcipit, ut Bosonis Comitis uxorem fugitivam, si ad virum redire contemnat, *corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi excommunicare festinent.* Idem in alia ad Rivoladrum Episcopum epistola, præter cæteras, quas Vuimaro cuidam trium filiorum suorum homicidæ, imponit satisfactiones, decernit, *x* ut *is septem annorum curricula absque communione Dominici corporis & sanguinis ducat.* Idem Eriarthum quemdam pro occiso Presbytero jubet *y quinque primos pœnitentiæ annos absque corporis & sanguinis Domini susceptione agere.* Hincmarus Remensis Fulcherum & Hardoïnam *propter incestas nuptias* decernit *z à sacra communione corporis & SANGVINIS Christi abjectos esse usque dum resipiscant.* Concilium Duziacense 2. a. D. 874. ex Gregorio I. hæc repetit; *a Non tamen pro hac re* (inquit) *sacri corporis & sanguinis communione privandi sunt.* Iidem Patres, quod in Apostolicis Canonibus simpliciter dicitur *communione privari* explicatius *sic eloquuntur*, *b excommunicari à communione corporis & SANGVINIS Christi.*

Ioannis. P. R. 8. a. D. 878. cum Concilio Tricassino 2. *c* rerum sacrarum pervasores, nisi res Ecclesiasticas restituerint, *à communione corporis & sanguinis Christi alienos haberi jubet.* Bernardum nominatim Comitem idem Papa *à corpore & SANGVINE Domini nostri Iesu Christi alienum* decernit. *d* Idem alibi Liutegridum Comitem, ejusq; una conjugem, sed aliud ob crimen *à corpore & sanguin Domini separat. e*

Stephanus P. R. 3. a. D. 885. contra maleficos & incantatores, *f Quisquis* (inquit) *deinceps tali contagio se polluere tentaverit, alienum vivifici fieri corporis & SANGVINIS Domini nostri Iesu Christi* &c. *judicamus.*

Leo, P. R. 7. post a. D. 936. de vetitis conjugiis loquens, *g Qui hujusmodi opus perpetravit, sciat se* &c. *à sacro corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi alienum.*

Vrbanus P. R. 2. in privilegio Ecclesiæ Atrebalensis a. 1093. jubet *h qui id violaverit, à sacratissimo corpore & sanguine Dei ac Domini, Redemptoris* nostri Iesu christi alienum *fieri.* Idem Papa eadem formula utitur *i* in

[illegible] con-

confirmatione donationis Raimundi Comitiis, an. 1196. ut qui eam violaverit, *à sacratissimo corpore & sanguine Dei ac Domini &c. alienus fiat.* CAP. XI.

Ita etiam Paschalis, P. R. 2. in epistola ad Episcopum Atrebatensem, *k personam, quæ suas* quædam mandata violaverit, *alienam* jubet *fieri à sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini, Redemptoris nostri Iesu Christi.* Idem Papa in Besuensi privilegio, data an. D. 1105. *l Siquis* (inquit) *hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra venire tentaverit*, &c *à sacratissimo corpore ac SANGVINE Domini & Dei Redemptoris nostri Iesu Christi* &c. ut supra, *alienus fiat.*

Calixtus P. R. 2. in Concilio Tolosano, *m* an. D. 1119. qui suum quoddam decretum violaverit, eum pariter jubet *à sacratissimo corpore ac sanguine Domini ac Dei. Redemptoris nostri Iesu Christi alienum fieri* idem eadem quoque formula in Privilegio Monasterij Piscariensis utitur, *n* quod extat in Chronico ejusdem Monasterij.

Aliquando formula utuntur paulo pleniori, ut cum reos interdicunt vel *communione*, vel *sacramento* Dominici corporis ac sanguinis; *Communione*, ut in Chronico Senoniensi, *o* ubi quidam *Iacobus de Salmis*, post an. D. 1251. *à communione sacratissimi corporis & SANGVINIS Domini Iesu Christi alienatur*; *Sacramento*, ut cum Adrianus P. R. 2. circa a. D. 869. nunciat Hincmaro Remensi *p quicumque aliquid detrimenti Hincmari Laudunensis absentis rebus & Ecclesiæ intulerint, eos sacramento corporis & SANGVINIS fore privandos.*

Eodem spectant, quæ de peccatorum post pœnitentiam reconciliatione eodem modo dicta sunt. Lotharium verbi gratia à Nicolao 1. excommunicatum, cum Ecclesia ab Adriano 2. reconciliatum narrat *q* Regino, scribit eum *communionem corporis & SANGVINIS Domini de manu Pontificis sumpsisse*, cum antea *Adrianum* dixisset *accepto in manibus corpore & SANGVINE Domini Lotharium ad mensam Domini invitasse*; & continuo addit Adrianum *communionem quoque sequacibus & fautoribus Lotharij dedisse* cum his verbis, *Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi prosit tibi in vitam æternam.* Eadem narrat Richerspergense à Chronicon *r* Gretsero Iesuitarum maledicentissimo, editum & laudatum.

Huc quoque pertinent loca, in quibus piorum mortes describuntur. Cum enim tali tempore Eucharistia memoretur, solet ea ab hujus noni seculi, superiorumque & inferiorum etiam ad Constantiensem Synodum temporum scriptoribus, non solo (ut nunc fere fit à Latinis) *corporis*, sed corporis & sanguinis Dominici nomine expresso significari. Ita quinto seculo Valentinus Pataviensis legitur *s ante obitum propriis manibus accepisse corporis & sanguinis Domini sacramentum.* De septimo seculo Remaclus Trajectensis Episcopus, dicitur, *t cum se sacrosancto corporis & sanguinis Domini sacramento confirmaret, animam reddidisse* Audomarus Morinorum Episcopus, qui ann. D. 661. ex hac vita migravit, itidem narratur *u* in supremis *sacramento corporis & sanguinis Domini sacrosancto pectus suum communivisse.* Eadem de Hermelandro Antrensi Abbate ann. D. 690. moriente leguntur

k Pasch. 2. ep ad Lamb. T. 3. Spic. Dach. p. 127.
l Chron. Besensu T. 1. Spic. Dach. p. 637.
m Calixt. 2. in Conc. Tol. T. 6. Spic. Dach. p. 28.
n Chron. Casaur. vel Pisc. L. 3. p. 424. T. 5. Spic. Dach.
o Chron. Senoniens. L. 5. c. 7. T. 3. Dach. p. 424.
p Adr. 2. ep. ad Hincm. T. 3. Conc. Gall. p. 375.
q Regino Chron. ad a. 869.
r Chron. Richersp. a. D. 870.
s Sur. d. Aug 4. p. 35.
t Id. d. 3. Sept p. 29.
u Id d. 9. Sept. p. 253.
x Id d. 25. Mart. p. 293.

Cap. XI. tur *x* apud Surianum scriptorem 1. Qui *viaticum* dicunt rem eandem tametsi alio nomine, ut notum est, significant. Vt qui Vedasti vitam scripsit, sive Beda, sive Alcuinus, eum memorat *y Sacrosancto corporis, & sanguinis Dominici Viatico confirmatum obiisse*; quod contigit ann. D. 570. aut circiter. Sic Richarius ex Alcuino vitæ ejus scriptore ad Dominum hinc migrat *z postquam salutifero corporis & sanguinis Christi viatico iter suum munivisset*. Septimi seculi an. 23. Radbertus Vangiorum Episcopus, *a munitus sacrosancto corporis & sanguinis Christi viatico moritur* apud Surianum vitæ ejus auctorem. Bertulfum quoque tradunt *b* a. D. 655. in supremis *percepisse corporis & sanguinis Domini sacrosanctum viaticum*. A. D. 664. Gertrudem vitæ ejus scriptor tradit *c* de obitu admonitam *Sacratissimum Christi corporis & sanguinis viaticum accepisse*. Liobam Abbatissam Rudolfus Rabani discipulus scribit *d* similiter *accepto corporis & sanguinis Christi viatico esse mortuam*. Idem est eorum sensus, qui paribus locis *corpus & sanguinem Christi percipere*, vel eorum perceptionem dicant. Ita Lætum Diaconum apud Surianum βίου γραφον legimus *e* de imminenti morte divinitus admonitum, exitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione munivisse. Vixit autem Lætus sexto seculo, a. D. 540. Benedictum, celeberrimum Monachorum in nostro occidente parentem, Gregorius P. R. 1. itidem scribit *f languore ingravescente exitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione munivisse*, a. D. ut tradunt, 543. Paria de Ansberto Rotomagensi Episcopo legimus, *g* quem a. D. 695. obiisse ferunt; *Perceptione corporis & sanguinis Domini se muniens* (inquit auctor vitæ ejus) *ac sancta Crucis vexillo se cunctosque circumstantes signans obiit.*

x Id. d. 25. Mart. P. 293.
y Id. d. 6. Feb. p. 69.
z Id. 3. Apr. d. 26. p. 331.
a Id. d. 27. Mart. p. 268.
b Id. d. 5. Feb. p 55.
c Id. d. 17. Mart. c. 7. p. 198.
d Id. d. 28. Sept. p. 301.
e Id. d. 5. Nov. p. 164.
f Apud Sur. d. 23. Mart. p. 238.
g apud Sur. d. 9. Febr. c. 24. p 95.

Bedam eadem de Ceadda narrantem jam supra exhibuimus. *h* Idem de Cuthberto, Linsfarnensi Episcopo tradit, *i* vel circa septimi seculi suprema, vel circa octavi initia mortuo; *Acceptis*, inquit, *à me sacramentis salutaribus exitum suum, quem jam venisse cognovit, Dominici corporis & sanguinis communione munivit*. Vulframum Senonensem, qui vitam ejus apud Surium scribit, similiter narrat, *k* antequam de hoc mundo transiret, *obitum suum Dominici corporis, & sanguinis perceptione munivisse*. Hujus autem obitus ad a. D. 720. refertur. Neque aliter Corbianum, Frisingensem Episcopum, vitam a. D. 730. clausisse tradit *l* Suriana ejus Legenda, *post perceptionem corporis & sanguinis Christi* narrans *mox Deo spiritum reddidisse*. Carolum magnum supra *m* ex Thegano audiebamus *Sacramenta Dominici corporis & sanguinis*, supremo vitæ die ab Hiltibaldo accepisse. Ex his & aliis ejusdem generis pæne innumerabilibus intelligimus illorum seculorum scriptores, quoties in locis istorum paribus *vivifica sacramenta*, aut *mysteria* dicunt, nihil aliud significavisse, quam duo Eucharistiæ sacra symbola, panem scilicet & calicem sacrum; Verbi gratia, ubi Maurum Benedicti discipulum tradunt *n* circa a. D. 584. *exitum suum vivificorum munivisse perceptione sacramentorum*. Item ubi Trudonem post a. D. 640. *allatis vivificis mysteriorum sacramentis participasse o* antequam de seculo; ne dubites *hæc sacramenta*

h Supr. c. 10.
i Bed. vitæ Cuthb. c 39. p. 180. T. 3.
k apud Sur. d. 20. Mart. p. 214.
l ibid. d 8. Sept. p. 99.
m supr. c 10.
n apud Sur. d. 15. Ian. p. 244.
o ibid. d 23. Nov. p. 532.

cramenta, *hæc mysteria* fuisse panem & poculum Eucharisticum. Atque hæc ita intelligenda esse, tametsi per se satis manifestum sit, apertissime insuper ex Mosomensi Chronico discimus, ubi S. Arnulfum *p* narrat *p* (is vixit diu ante a. D. 971. in supremis versantem; cum negasset Sacerdotem ad dandam sibi *Eucharistiam* acciri, *mox facta oratione, & dicto symbolo participantem vivificis mysteriis, &c.* obiisse Eucharistiæ mentio ejus hæc mysteria sive sacramenta fuisse, id est symbola, aperte significat. Vnde patet, quam sit futilis Bellarmini *q* & aliorum vitilitigatio, qui cum apud scriptores in locis hujusmodi *corpus & sanguinem Christi* simpliciter dicta audiunt, contendunt utrumque solo panis symbolo contineri ac significari; itaque qui solum panem perceperit, cum nihilominus recte vereque dici *corpus & sanguinem Christi* accepisse; quia scilicet corpore, quod in pane sumpsit, ipse etiam ejus sanguis contineatur. Primum ego hoc miror, quod quam Latini rectam esse nunc aiunt locutionem, ea ipsi uti nunquam soleant. Equidem non memini me ab ullo homine Latini ritus vel loquente, vel scribente de alicujus ex suis communione sacramentali narrante, illam veteribus familiarem ac pæne perpetuam locutionem usurpasse; ita ut de illo laïce communicante diceret *corpus & sanguinem Christi* eum vel in supremis, vel in aliis vitæ partibus sumpsisse. *Corpus Christi* se suasque accepisse vulgo omnes tam in familiari, quam in composito ac meditato sermone dicunt. Si quem suorum *corpus & sanguinem Dominicum* sumpsisse quis diceret; vel à nemine intelligeretur, vel certe putaretur, non de homine Latino loqui, sed de *Lutherano* aliquo (ut nos isti διατυπωτικῶς appellant) Nimirum ipsos vel suus sermo demonstrat aliud revera sentire quam quod æstus disputationis eos cogit nunc adversum nos contendere. In omni certe & veterum & recentiorum sermone *corpus Christi*, unam Eucharistiæ speciem, panem; *sanguis Christi*, alteram significat, vinum, neque quisquam est tam singulari tamque abnormi sensu præditus, qui ut *vinum sacrum* significet, *corpus Christi* dicat, vel qui contra, ut *panem sacrum* significet, *sanguinem Christi* nominet. Sed etiamsi Latini ita loquerentur (quod ipsa rei in sensus incurrente absurditate deterriti non faciunt) non ideo sequeretur ita locutos fuisse, qui ante undecimum seculum vixerunt Patres. Nam hi diserte docent quod nunc Latini, admissa transsubstantiationis fide, negare, coguntur, qui alterum Eucharistiæ symbolum sumpserit, puta panem, eum Christi quidem percepisse; non ideo tamen & eius sanguinem percepisse. Latini enim, ut notum est, serio credunt ac docent tantundem sub una specie sumi, quantum sub utraque; adeoque ab eo qui unum vel panem, vel calicem seorsum alterum ab altero sumpsit, non minus & *corpus*, & *sanguinem* Christi percipi, quam ab eo qui utramque panis & vini speciem sumpsit. Patres vero idem sensisse, non modo non constat, sed aliud etiam sensisse constat. Leo enim Manichæos solam panis speciem in communione sumentes ait *r* *corpus quidem Christi accipere, sanguinem*

p Chron. Mosom. T. 4. Dach. p. 627.

q Bell. l. 4. de Euch c. 26. resp. ad 3. loc. Cypr. & §. Decimo loco. & ib. bis. & §. Decimo tertio proferuat. & §. Tertio observandum est Pasch.

r Leo Serm. 4. de Quadr. c. 5.

Cap. XI. vero *nostræ redemptionis haurire* negat, quia scilicet calicem sacrum sumere declinabant. Ita Concilij apud Burchardum Turonensis Patres in canone qui mox recitabitur, negant ei, qui solum Eucharistiæ panem, nullam autem sacri vini speciem susceperit, Sacerdotem *veraciter posse dicere, Corpus & sanguis Domini proficiat tibi.* Atqui si corpus & sanguis una panis sacri specie continetur, nihil prohibet, quo minus id isti vere dici possit. Qui ergo hoc isti veraciter dici posse, negans, apertissime eum negant *sanguinem Christi* percepisse. Etiamsi ergo Latinis id quod postulant donaverimus eos, qui secum sentiunt, ita posse recte & congrue loqui, ut uno *corporis Christi* nomine & *corpus & sanguinem* completantur; non sequitur tamen Patres, qui plane aliud quam Latini sentiebant, eodem quoque modo ac sensu esse loquutos, cum aiunt fideles vel in supremis vel alias *corpus & sanguinem Christi sumpsisse.* Qui enim Christi sanguinem in Eucharistia falso dici eum sumpsisse putabant, qui vinum sacrum nullus gustasset, eos palam est, quoties de *corpore & sanguine Christi* ab aliquo fideli in Eucharistia sumpto, accepto, vel percepto loquuntur, toties significare ab eo utrumque Sacramenti symbolum, id est non panem solum, sed etiam vinum sacrum sumptum esse. Atque his Turonensium Patrum verbis id liquido confirmatur, quod nos infra * observabimus, eam fuisse veterum etiam citimæ post Paschasium antiquitatis scriptorum sententiam, neque cum pane sanguinem, neque cum vino corpus Christi vel dari, vel sumi, sed utrumque seorsum, corpus pane absque sanguine, sanguinem vino absque corpore. Quod etiam inde secundo intelligitur, quod aliquando *sanguinem Christi* in similibus locis non simpliciter *sumptum*, sed *bibendo* sumptum esse dicunt; qualiter supra Gregorium audivimus affirmantem, *t* fideles in sacra communione *sanguinem Agni, non audiendo, sed bibendo didicisse.* At *sanguis Christi*, si vel quod singunt Latini verum esset, eum in pane sumi scilicet, certe ne sic quidem *bibendo* sumeretur, sed *edendo.* Tertio hic veterum sensus, quem diximus, inde validissime postremo atque apertissime constituitur, quod ea, quæ à fidelibus in communione sumebantur, non modo *Christi corpus & sanguinem*, vel *Dominici corporis & sanguinis Sacramentum*, sed etiam in numero plurium, *Sacramenta, & mysteria* dicunt; id est ex usu veterum *sacra symbola.* Quo docemur eos quoties de communione Sacramentali loquuntur, non modo res duas diversas in Eucharistia significari corpus scilicet & sanguinem putasse, sed etiam duo in ea symbola panem & vinum necessario intellexisse. Neque vero ea locutio nova est, vel apud infimam tantum antiquitatem usurpata, sed etiam vetustioribus usitata, qui non raro duas Eucharistiæ partes *panem & vinum, Sacramenta & mysteria* in plurali numero appellant, tametsi unum revera proprie dictum Sacramentum constituant; unum inquam re & fine, tametsi ex duabus speciebus coagmentatum. Ambrosius; *u Manus sacris infertur altaribus, per quam afferimus & sumimus Sacramenta. Panem ergo & vinum,* ut offerebant, ita & sumebant. Alioqui

s Burch. L. 5. c. 9.

* infr. hoc libro, c. 25. extr.

t Greg. hom. 22. in Ev. supr. c. 10.

u Ambr. L. 6. Hexaëm. c. 9. p. 694. E.

Alioqui, *Sacramenta*, non ut *oblalisse*, ita & *sumpsisse* dicerentur. Latinos *offerre* quidem *Sacramenta* recte dixeris; *sumere*, perperam dixeris; qui merum *panem*, id est Sacramentum unum, non duo, non adeo plura sumunt. Chrysostomus; *x Si advenerit tempus sanctæ quadragesimæ, quivis qualiscumque fuerit particeps fit Sacramentorum* μετέχει τῶν μυστηρίων. Ergo inquam, utrumque Eucharistiæ symbolum, panem & vinum sumebant. Aliter non *Sacramentorum* in plurali numero, sed *Sacramenti* in singulari *participes* tantum fuissent. Idem & quidem eodem loco iterum atque iterum sic loquitur. *y* ὁ μὴ μετέχων τῶν μυστηρίων, *qui Sacramentis non participat*; & τυχεῖν μυστηρίων *mysteriorum z participem fuisse*, & alibi eodem sensu *frui Sacramentis* ἀπολαύειν τῶν μυστηρίων. Sic Augustinus dicit *a hypocritas corporis & sanguinis Christi Sacramenta temporaliter communicare*. Et Gelasius P.R.I. *b sumere Sacramenta corporis & sanguinis Dominici*, à quo si quæras quæ qualiaque sint hæc, quæ dicit Sacramenta, respondet *rem* quidem *esse divinam*, sed quæ *tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini*. Ergo effugere non potes, quin & ipse & cæteri Patres, quoties dicunt à fidelibus vel in supremis, vel alias sumi Sacramenta corporis & sanguinis *Dominici*, toties intelligant ab iis *sumi panis & vini sive substantiam & naturam*, ut nos cum tanto Papa profitemur, vel certe ut vos loquimini, duas species; Vt verbi gratia Theganus, ubi dixit *c* Carolum Magnum ultimo vitæ die accepisse ab Episcopo *Sacramenta corporis & sanguinis Domini*; Vt Synodus Cabilonensis 2. ubi dicit *d* in Cœna Domini à reconciliatis pœnitentibus *percipi corporis & sanguinis Dominici Sacramenta*; Vt Ratherius, cum scribit *e cœnare cum Domino esse corporis & sanguinis Domini initiata percipere Sacramenta*(quem, ut hoc obiter dicam, si sequimur, nemo nunc apud Latinos cœnat cum Domino præter unum celebrantem) Vt qui scriptor Maurum narrat *f* suum *exitum vivificorum munivisse perceptione Sacramentorum*, & qui Trudonem tradit *g vivificis mysteriorum Sacramentis participasse* ante exitum; Ac ne plura congeram, ut Theodulphus Aurelianensis, *h* ut Amalarius Trevirensis, *i* ut ex Silverio Burchardus, *k* ut veteris Ecclesiæ Britannicæ Capitula, cum decernunt certis anni diebus *Sacramenta corporis & sanguinis Christi à fidelibus esse sumenda*. Ita confutatis Latinorum in vetera Patrum dicta perversissimis glossis patet communionem sub utraque specie in iis, esse intelligendam, ubicumque percepta à sui ævi Christianis fuisse tradunt *corporis & sanguinis Dominici Sacramenta*, sive *mysteria*; neque alia sensu capienda quæ apud eos frequentissima occurrunt *de corporis & sanguinis Dominici perceptione* loca; cum ex eorum quæ satis multa nuper exhibuimus, accurata inter se collatione meridiano Sole clarius elucescat plane idem omnibus istis veteris memoriæ scriptoribus fuisse *corpus sanguinemque Dominicum sumere*, & *corporis sanguinisque Dominici Sacramenta percipere*. Iam ex his omnibus ita explicatis

CAP. XI.

x Chrys. Homil. 3 ad Eph. p. 886. D.

y Ibid p. 888. A

z Ibid E.

a Id. hom. 18. in 2. ad Cor. p 673.

b Gelas. de duab. Chr. nat. su . c. 9. extr.

c Thegan. in Vita Ludov. Pii. c. 7.

d Conc. Cabil 2. c. 47.

e Rather. Synod. ad Presb.

f Apud Sur. d. 15 Ian.

g Ibid d. 23. Nov

h Theod. c. 41.

i Amal apud Dach. T. 7. p. 173.

k Burch L. 5. c. 19

l Cap. Brit. apud Spelm. c. 41 44. p. 615.

Cap.XII. omnes ni fallor intelligunt validam & ineluctabilem exſurgere communionis ſub utraque ſpecie apud veteres ſolennis demonſtrationem.

Nunc deſcribendus eſt ille à nobis nuper memoratus Concilij Turonenſis à Burchardo in ſua decreta relatus Canon; quo de viatico ſive de oblata fidelibus à ſeculo recedétibus danda, Patres illi ſic præcipiunt, m *Quæ tantum ſacra oblatio intincta debet eſſe in ſanguine Chriſti, ut veraciter* (inquiunt) *Presbyter poſſit dicere infirmo, corpus & ſanguis Domini proficiat tibi.* Hæc illi; unde primo intelligimus, Euchariſtiam ſub utraque ſpecie neceſſario miniſtratam fuiſſe, ac ex horum quidem ſententia, miniſtrandam eſſe atque ſumendam; qui eam ſcilicet ne moribundis quidem ſub una ſpecie concedunt; quanto minus bene valentibus conceſſuri erant? Secundò hinc diſcimus (quod jam ſupra libavimus) qui ſolum panem ſumit, *ei veraciter dici non poſſe, Corpus & ſanguis Domini proficiat tibi.* Atqui hoc iſti tam vere, quam illi qui utramque ſpeciem ſumpſit, dici poteſt, ſi quod Latini contendunt, verum eſt, totam cum ſanguine corpus altera, & quidem utralibet ſpecie contineri. Ergo aliud ſenſerunt iſti Patres; nimirum Chriſti corpus quidem ab eo ſumi, qui panem; ſanguinem vero ab eo, qui calicem ſumit; non ſanguinem, ab eo, qui panem; neque corpus ab eo, qui calicem duntaxat ſumit. Eundem fuiſſe eorum ſenſum patet, qui populum intincto pane in Miſſa communicabant, quod circa ann. Dom. 1070. videtur in Eccleſia Anglicana, & alibi fuiſſe uſitatum ex epiſtola Ernulfi ad Lambertum ſuo loco recitata, in qua iſte hunc uſum neceſſario obſervari acriter diſputat ob effuſionis periculum. Nunquam enim ille eo veniſſet niſi communionem ſub utraque ſpecie neceſſariam eſſe quibuſvis fidelibus exiſtimaſſet. Ex his ruunt omnes Latinorum in veterum dicta gloſſæ; Vt nunc illud mittam, quod iſtis Turonenſium verbis ipſa tranſſubſtantiatio funditus evertitur; quæ ſi qua vere eſſet, efficeret ut corpus & ſanguis Chriſti, non minus in una ſeorſum, quam in utraque conjuncta ſpecie neceſſario reperiretur; quam & ipſam eſſe Latinorum ſententiam neminem latet.

m Burch. l.5. c.9.

CAPUT XII.

Ex undecimo & duodecimo ſeculo teſtimonia Humberti, Lanfranci, Micrologi, Deſiderij Caſsinenſis, Leonis Hoſtienſis, Petri Damiani, Vrbani P. R. II. Paſchalis Pontificis Romani II. Ordinis Romani, Chronici Novall. Radulphi Ardentis, Algeri, Ruperti Tuitienſis, Bernardi, Petri Cluniacenſis, Thomæ, Lucæ Tudenſis, & aliorum.

SEd tametſi inventum, & vulgatum à Paſchaſio tranſſubſtantiationis dogma, labente nono, quo exortum eſt, ſeculo, & decimo, quo obſtetri-

obstetricante ac fovente crassa, quæ Occidenti nostro incubabat, ignorantiæ caligine, confirmatum ac longe lateque diffusum est, hominum animos novis, & hactenus apud Christianos inauditis in Eucharistiæ sacramentum religionibus implevisset, ne sic quidem potuit illa sub utraque specie communio tam longo, tamque universali totius Ecclesiæ usu propagata excuti. Quinimo, quod mireris, ea etiam undecimo ac duodecimo seculo mansit, cum jam multis Paparum judiciis constituta ubique esset transsubstantiationis fides. Docent, quæ supersunt, duorum illorum à decimo seculorum monumenta. CAP. XII.

Ex undecimo seculo S. Gulielmus Abbas circa a. D. 1020. *sumpto corporis & sanguinis Christi Sacramento reddidit Deo spiritum*, inquit *n* auctor Chronici S. Benigni. Ex eodem seculo, & quidem jam adulto, testis alter adest locupletissimus, Humbertus, Sylvæ-candidæ Episcopus; primus, isque acerrimus transsubstantiationis adversus Berengarium assertor ac defensor, qui Leoni P. R 9. cum ad palinodiam adigenti adfuit, & ipsam illam confessionem, cui invitus subscripsit Berengarius, dictasse fertur. Is enim Græcos in disputatione contra eos sua reprehendit, & exagitat, quod panem Eucharisticum, in calice intritum, vinoque sacro intinctum cum cochleari sumerent; Tradit *o* in Romana Ecclesia ex utraque sed seorsum ministrata specie communicatum fuisse; *siquidem* (inquit) *tenues oblatas ex simila præparatas, integras & sanas sacris altaribus nos quoque* * *superponimus, & ex ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamus. Et tunc demum calice meri, & liquidi cruoris potamur; quando quidem nemini discipulorum nisi Iudæ proditori, intinctum panem à Domino porrectum invenimus.*

n Chron. S. Benig. & ach. T. 1. p. 458.

o Humbert. cont Græc. cal T. 4. Bibl. P. Part. 2. p 217. A.

* id. est sicut Hierosolym. Ecclesia, de qua idem dixerat.

Lanfrancus alter Berengarij primarius antagonista; *p Sacramenta illarum rerum, quarum sacramenta sunt, semper similitudinem gerunt; sicut in sacramento, de quo hæc quæstio ventilatur, dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur; quid aliud, quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio significatur?* Mox, *q Alterum dum frangitur, & in populi salutem dividitur; alterum vero effusum de calice ab ore FIDELIVM sumitur; mors eius in cruce, & sanguinis eius de latere emanatio figuratur.*

p Lanfr. de corp. Dom. med. libri.

q Ibid.

Micrologi auctor, quem iisdem temporibus sub Gregorio P. R. 7. vixisse constat, ipse *r* quoque ut Humbertus, *intinctum* refellens, *quod quidam pro complemento communionis populo distribuebant, Iulius* (inquit) *Papa hujusmodi intinctionem prohibet, & seorsum panem, & seorsum calicem juxta Dominicam constitutionem sumenda docet. Vnde & B. Gelasius Papa in ordine 51. scribens quibusdam Episcopis excommunicari illos præcipit quicumque sumpto corpore Dominico à calicis participatione se abstinuerint.*

r Microl. c. 19.

Istorum doctrinæ congruit undecimi seculi plærorumque Latinorum praxis, de qua constat ex variis scriptorum ejus ævi testimoniis. Desiderius Cassinensis Abbas, qui a. D. 1087. mortuus est, de rustico quodam

Cap. XII. quodam verba faciens festum B. Nicolai devotissime cum tota familia celebrante: *s Expletis (inquit) Missarum solemniis, & communione sacri corporis & SANGVINIS Domini participata ad domum propriam sunt reversi.* Leo Hostiensis, res narrans paucis post mortem Henrici Imperatoris, id est post a. D. 1025. gestas, Todini nescio cujus scelus exaggerans refert *t* eum Cassinenses Monachos in tantam penuriam ac dedecus redegisse, *ut in ipsa sanctæ Dei genitricis assumptione, etiam in ministerium altaris vinum eis defuerit.* At quantacumque fuisse fingatur Todini illius immanitas, non est credibile istos vinum fuisse desideraturos, quod uni tantum Sacerdoti conficienti satis esset. Apparet ergo majori vini copia opus fuisse; quod plures scilicet, id est omnes communicantes de calice sacro biberent. Petrus Damiani, cujus mors ad a. D. 1072. refertur, nepoti Damiano Monacho adolescenti inter cætera castitatis præsidia suggerit, *u* *ut se quotidie Dominici corporis & SANGVINIS perceptione munire satagat. Videat (inquit) occultus hostis labia tua Christi cruore rubentia, quæ territus perhorrescat, & mox in tenebrarum suarum latibula pavescendo diffugiat. Quod enim tu per visibilem panis & VINI speciem suscipis, ille velit nolit, Dominici corporis ac sanguinis intelligit veritatem.* Testimonium satis per se disertum firmat ibidem à Petro subjecta Rainaldi Cumanæ Ecclesiæ Episcopi, æqualis atque amici viri narratio de quodam miraculo eorum, quæ illis seculis non pauca ad transsubstantiationem plebi persuadendam ficta & vulgata sunt, gemino; *Presbyterum quemdam Cumanæ Ecclesiæ aliquando sacri muneris Eucharistiam detulisse ægroto; illum mox, cum in Ecclesiam rediens aliquantulum Dominici sanguinis comperisset remansisse in calice, fastidio præpeditum noluisse accipere, sed mox calicem lavisse, & in labrum marmoreum, in quo erat aqua sanctifica, proiecisse: illam vero labri partem, quem id, quod effusum erat de calice contigit, in sanguineum ruborem repente convertisse, neque guttas illas potuisse ullo studio, vel ablui, vel abstergi, quo rubor impressi sanguinis aliquatenus valeret aboleri.* Petrus hanc sui Rainaldi narrationem exsecutus; *Cum ergo,* inquit, *purpureus ille cruor tam tenaciter hæserit in vase lapideo, quantum putamus jus sibi potestatis vindicat virtus illa cœlestis in pectore Christiano? His itaque cœlestibus sacramentis fili carissime, munire te non differas.* Hactenus Petrus. Eucharistiæ non unam, sed duas partes communicatas etiam tum fuisse fidelibus, & quidem infirmis, & Petri sermo, & tota de calice ad ægrotum delato, ab eoque sumpto narratio, pluraque denique *Sacramentorum* nomen mysterio datum tam clare significant, ut nullis strophis testimonij vis eludi possit.

Sed quid in hanc rem dici potuit ea lege disertius, quam ab Vrbano P. R. 2. a. D. 1095. in Synodo Claromontana latam scribit Ordericus Vitalis, *x Corpus Dominicum & Dominicus sanguis singulatim accipiatur;* vel ut legem explicatius expressam refert Baronius, *y* ab Antonio Augustino ex codice Lamberti Episcopi Arelatensis descriptam; *Nequis communicet*

s Desid. Cass. l. 2. Dial. Ms. Refert. in Chron. Cass. Add. p. 446. in.
t Leo in Chron. Cass. l. 2. c. 8.
u P. Dam. Opusc. 47. Cal. ep. 21. libri 2. c. 2.
x Order. l. 9. a. D. 1095. p. 720.
y Bar. a. D. 1095. §. 24. 27.

communicet de altari, nisi corpus separatim & sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem & cautelam. Hæc exceptio, quæ apud Ordericum deest, non rem, sed rei modum respicit, eo addita scilicet, non ut alteram aliquando speciem ita sumi concedat, ut altera non sumatur; sed ut utraque semper quidem sumenda à communicante significetur, non tamen semper una seorsum ab altera, sed interdum utraque simul ac conjunctim, id est panis vino Sacro intinctus. Omnes de hoc Vrbani sensu consentiunt, ut supra suo loco diximus. Eadem quoque Paschalis P.R.2. mens est z in epistola ad Pontium supra jam à nobis ex Baronio relata in quæstione de intincto pane, in qua cum Christum Dominum observasset *panem per se, & per se vinum* (id est utrumque quidem, sed alterum seorsum ab altero) *tradidisse*, *Quem morem* (inquit) *sic semper in sancta Ecclesia conservandum docemus, atque præcipimus, præter in parvulis, ac omnino infirmis, qui panem absorbere non possunt.*

z Pasch 2. ep. ad Pont. apud Baron. Append. ad T. 12. p. 78. ext.

His consentanea Ordo Romanus exhibet qui qualisque hodie extat hoc undecimo seculo præcipiti, ut videtur compositus, ac editus. In eo enim libro videmus a primum Episcopum in Synaxi Papali *confirmare calice* sequentes ordines quicumque pane à Papa communicati sunt usque ad primicerium D. fensorum; Archidiaconum vero *confirmare* (è scypho Sacro) *populum cum pugillari*; id est fistula vitrea, aut argentea. Tum Papam *communicare*, Archidiaconum *confirmare*, qui in Senatorio sunt; Post hæc Episcopos *communicare*. Diaconos confirmare populum. Denique Presbyteros quoque *communicare*, vicissimque *confirmare* populum. *Confirmari* autem in Eucharistiæ negotio is dicitur, cui sacrum poculum; *communicari*, cui panis sacer dispensatur. Vt enim baptisma chrismate, sic & panem hic poculo sacro confirmari dicebant; pariterque *confirmari*, ut baptizatos, cum chrismabantur; sic & *communicatos* (sacro scilicet pane) cum è poculo sacro bibebant.

a Ord Rom. in Miss. celebr. p. 16. Bibl. P. T. 10.

Anno undecimi seculi ultimo Anselmus de Ribodimonte, Christianorum cum Saracenis ad Antiochiam prælia, quibus ipse interfuit, describens, *b Christiani* (inquit) *confectione mandati, perceptione corporis & SANGVINIS Christi firmiter armati, parati ad prælium portam egressi sunt.*

b Ans. de Ribod. ep ad Manass. T. 4. Dach. p. 195.

Seculo quoque duodecimo similia exempla occurrunt; ut Henrici Imperatoris, an. D. 116. apud Hugonem Cluniacensem de hostium crudelitate conquerentis; *Nec est* (inquit) *nobis relictus Sacerdos, cum de vita nostra desperaremus, a quo possemus corpus & SANGVINEM Domini pro viatico accipere.* Circa hoc quoque tempus contigisse videtur, quod Chronicon Novaliriense tradit *d Vidonem quemdam Marchionem, hominem parum religiosum absque munimine corporis & sanguinis Domini subito mortuum esse.* Hic quoque Rodulfum Ardentem colloco, qui circa hæc tempora vixisse videtur. Is autem, cum etiam infantibus necessariam esse putarit calicis sumptionem multo minus adultos eo fraudasse putandus est. *e* Qui circa a. D. 1160. vixit Odo Canonicus Regularis eodem

c Henr. Imp. ep. 1. ad Hug. T. 2. Dach. p. 393.

d Chron. Navalic. T. 3 Franc. Chein. p. 640 extr.

e Radulf. Ard. Hom. in Pasch. p. 173.

Cap. XII. modo, quo superiores loquitur, *Nemo* (inquit) *se putet propter unam Dominici corporis & SANGUINIS perceptionem implesse communionis professionem*. Algerus, Triumvirorum qui Berengarium oppugnarunt unus, circa a. D 1130. hæc scribebat; g *Ut signetur animos nostras & corpora animæ Christi & corpori uniri & conformari debere, simul corpus & sanguis sumitur à fidelibus*. Mox pro Augustinianis quasdam Paschasij voces falso laudans; *Unde ut ait Augustinus, nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne jure communicatur*. His præmissis Gelasij jam supra recitatum à nobis canonem in hanc quoque rem vere & apposite citat. Rupertus Abbas Tuitiensis quem a. D. 1135. fatis concessisse constat ex Trithemio, eadem pluribus locis docet, ex quibus unum describere satis est, ubi illa Christi de necessario suæ carnis esu sanguinisque potu apud Ioannem dictu tractans hæc habet; h *Nam quantumvis fidelis & Catholicæ professionis homo sis, si manducare & BIBERE recuses de hoc cibo, potuque visibili, eo ipso quod tibi hunc necessarium non esse præsumis, à societate membrorum Christi, quod est Ecclesia, te præcidis*. Bernardus, quem anno ejusdem seculi 53 ad Dominum migrasse scimus, i *Confidite* (inquit) *quia & in hoc gratia subvenit, & ut securi sitis Sacramenti Dominici corporis & sanguinis pretiosi investituram habetis*. Bernardi σύγχρονος Petrus Cluniacensis; k *Verum est Apostolica auctoritate hoc docente quemcumque, hoc est omnem hominem posse manducare panem Domini, & BIBERE calicem Domini*. Habet & alia plura in eandem sententiam. A. D. 1179. Concilium Lateranense 3. sub Alexandro P. R. 3. l *Illis qui admonitioni Episcoporum in hujusmodi parere contempserint, à perceptione corporis & SANGUINIS Domini jubemus fieri alienos*.

f Od. Canon. ep. 1. T. 3. Dach. p. 417.
g Alg. de Sacr. L. 2. c. 8. T. 6. Bibl. P. p. 354. C. D.
h Rup. Tuit. in Ioan. 6.
i Bern. Serm. 1. in cœna Dom.
k Petr. Cluniac. contr. Petr. de Bruits art. 4.
l Conc. Later. 3. c. 27. T. 7. Conc. gen. p. 661.

Sed ne seculo quidem decimotertio desiisse apud Latinos communionem sub utraque specie, multa nos illius ævi monumenta docent. Lucas, Tudensis Episcopus, qui se ipse testatur Gregorij P. R. 9. temporibus, id est post a. D. 1227. vixisse, mulierem quandam tradit m religiosissimam febre correptam die undecimo post perceptionem corporis & sanguinis Dominici spiritum exhalavisse; & alibi n hæreticum quemdam ignotum in supremis versantem monitum à Xenodocho fuisse, *ut vocato Presbytero loqueretur cum eo more Pœnitentium & corporis & SANGUINIS Domini sanctissimum acciperet Sacramentum*. Is, qui scripsit victoriam Caroli Regis Siciliæ a. D. 1265. de Manfredo reportatam, dicit o cum exercitus essent in procinctu, Decanum *Meldensem associatis sibi Monachis corpus & sanguinem Christi Regiis militibus dedisse*. Ipse Thomas, qui ad a. D. 1274. superfuit, quo primum seculo erupisse apud Latinos videtur illa hodierna plane sicca sub una specie communio, non dissimulat p tamen veterem sub utraque communicandi morem suo etiam tempore *in quibusdam Ecclesiis servari; in aliquibus propter periculum effusionis solum Sacerdotem communicare sanguine*. Certe in Chronico Senoniensi legimus q Sacerdotem quemdam pium ab homine excommunicato re-

m Luc. Tud. L. 2. contr. Albig. c. 10. T. 4. Bibl. P. Part. 2.
n Id. ibid. L. 3. c. 7. p. 697. c. lb. l. c. 14. p. 704. B.
o Apud Chesn. T. 5. Franc. p. 840.
p Thom. in Ioan. 6.
q Chron. Senon. T. 3. Dach. p. 417.

fatis

farie cæsum Sacerdotes alios cum adhuc palpitantem reperissent pro virili sua curasse & corporis & SANGVINIS *Domini Sacramentis ejus exitum munivisse.* CAP. XIII.

Quid quod ne seculo quidem decimo quarto jam vergente plane desiisse videtur apud Latinos, ritus sub utraque specie communicandi? Certe hoc refert Pileus de Præta Cardinalis, Ravennæ Archiepiscopus de Vrbano P. R. 6. in epistola, qua ejus electionem describit; r *Vltimo* (inquit) *omnes Diaconos Cardinales sua propria manu pretioso corpore & sanguine Christi communicavit, sicut de more summorum Pontificum semper fuit.* Illis autem ab undecimo ad 14. seculis mansisse adhuc apud Latinos veterem sub utraque specie communicandi ritum, inde quoque argumentari licet, quod Iacobus Vitriacensis Cardinalis, a. D. 1240. mortuus, dum Surianorum Christianorum fidem ac mores enarrat, cætera eorum cum Græcis fere communia, à Latinorum usu & dogmate discrimina memorans, refert s quidem eos Spiritus sancti à Filio processionem negare, ex pane fermentato Eucharistiam conficere, Sacerdotibus & Diaconis usum uxorem ante susceptos sacros ordines ductarum concedere, chrismandi in fronte jus presbyteris permittere, sabbato minime jejunare, & cætera ejusdem census; de communione vero sub utraque specie, quæ apud istos juxta, ut apud Græcos, aliosque Orientis Christianos obtinebat, plane nihil dixit; quam nemo nunc Latinorum prætermittit, dum utriusque Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis diversos ritus recensent. Nimirum quæ ubique nunc apud Latinos regnat sub una specie communio, Iacobi tempore apud quasdam tantum Latinorum Ecclesias, nullas publica lege, sed ex privato tantum Præpositarum & populorum arbitrio ac voluntate irrepserat. Sed neque postea Vitriacensis, vel Iacobitas, vel Nestorianos, vel alios Orientis Christianos, de iis fuse narrans, uspiam denotat t sub utraque specie communicasse; quia scilicet nullam istorum à Latinis adhuc sub utraque specie libere passim communicantibus hac de re discidium fuit.

r Pil. à Prat. ad Lud. Com Fl. landr. T. 4. Dach. p. 506.

s Iacob. à Vitriac. Histor. Hier. c. 74. in Sect. Franç. Bongarf. p. 1091.

t Id. ibid. c. 75. 76. 77. 78. 79.

CAPVT XIII.

Testimonia veterum Liturgiarum, quæ Basilij, Chrysostomi, Petri, Iacobi, Marci, Gregorij, Cyrilli nomina præferunt, & Missa Mosarabica, & veterum aliquot Missarum ex antiquis MS. codicibus à Menardo editarum.

AD hæc singulorum seculorum ex antiquis scriptoribus testimonia accedit Liturgiarum falsis quidem nominibus inscriptorum, veterum tamen; aliorum insuper Ritualium librorum auctoritas, in quibus veluti totidem tabellis depicta habetur Ecclesiarum cujusque civitatis

Cap. XIII. & gentis in administrando hoc sacro forma. In hoc censu, præter Constitutionum Pseudopostolicarum & Pseudo-Dionysianæ Hierarchiæ, quæ supra exhibuimus loca, primam hic collocabo Liturgiam, quæ Basilij dicitur; in qua Sacerdos secrete orans; *u Nos (inquit) omnes, qui ex uno pane, & CALICE participamus, unito, invicem ad unius Spiritus communionem* ἡμᾶς δὲ πάντας τοὺς ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου μετέχοντας ἑνῶσαι εἰς ἑνὸς πνεύματος ἁγίου κοινωνίαν. Qui sic loquitur Sacerdos, sacri calicis non est unus particeps. Ex eo una cum ipso bibunt isti, quos *omnes* dicit illius secum esse participes. Et in alia oratione; *x Attende Domine Iesu Christe*; &c. *Dignare potenti manu tua impertiri nobis impollutum corpus tuum, & pretiosum sanguinem, & per nos toti populo.* καταξίωσον κραταιᾷ σου χειρὶ μεταδοῦναι ἡμῖν τοῦ ἀχράντου σώματός σου καὶ τοῦ τιμίου αἵματος, καὶ δι' ἡμῶν παντὶ τῷ ΛΑΩ. Idem post Cleri & populi communionem secrete orans, *y Ipse (inquit) Domine omnium concede, ut fiat nobis communio sancti corporis & SANGVINIS Christi tui ad fidem inconfusam.* Αὐτὸς δέσποτα τῶν ἁπάντων, δὸς γενέσθαι ἡμῖν τὴν κοινωνίαν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ σου εἰς πίστιν ἀκαταίσχυντον &c.

In ea Liturgia, quæ Chrysostomi dicitur, Sacerdos secreto, ut in Basiliana, orans, *z Dignare* (inquit) *tribuere nobis immaculatum corpus & sanguinem tuum, & per nos omni POPVLO.* Tum in Clericali communione Sacerdos tenens calicem, Diaconum ad se vocatum sic affatur; *a sumis (inquit) serve Dei Diacone N. pretiosum & sanctum corpus, & sanguinem Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum tuorum, & in vitam æternam. Et ubi Diaconus sumpsit* (vinum sacrum ex calice) *dicit b Sacerdos. Hoc attigit labia tua, & auferet iniquitates tuas, & peccata tua purgabit*; sicut ipse sumpto calice de se dixerat. *c Sciendum, quod primus Sacerdotum impertit d panem Sacerdotibus & Diaconis: secundus autem sanctum sanguinem.* Quæ observatio deest hic in Græcis, & Latine tantum habetur. Sed Goar *haberi eam*, testatur *in vetustioribus exemplaribus* Græcis *plane* eandem, quæ hic Latine extat in hæc verba. ἰστέον ὅτι ὁ πρῶτος τῶν ἱερέων μεταδίδωσι τὸν ἄρτον τοῖς ἱερεῦσι καὶ τοῖς διακόνοις· ὁ δὲ δεύτερος τὸ ἅγιον αἷμα. Post Clericalem communionem, sequebatur Laica, quæ quod nihil haberet à Clericali diversum, breviter potius indicata quam descripta est in libris, hac superioribus adjecta observatione; *f Sciendum, quod si sint quidem aliqui* de populo (scilicet, cujus proxime meminerat) *accipit è manibus Diaconi sanctum calicem, & eis impertit*; Sacerdos scilicet. Et hæc quidem plane ut superior, observatio in Græcis hic deest; in Latinis tantum habetur. Sed docet *g* nos idem Goar vetustiora Veneta exemplaria eam superioribus addere; ἰστέον ὅτι εἰ μέν εἰσί τινες οἱ μεταλαβεῖν βουλόμενοι, αἴρει ἀπὸ τῶν τοῦ διακόνου χειρῶν τὸ ἅγιον ποτήριον, καὶ μεταδίδωσιν αὐτοῖς.

In Liturgia præsanctificatorum eadem quoque illa oratio habetur, qua petit *h* Sacerdos *sibi à Domino communicari immaculatum corpus suum, & venerabilem SANGVINEM, & per se universo POPVLO.*

u Miss. Basil. T. 2. Bibl. P. G. Lat. p. 52. D.
x Ibid. p. 57. C.
y Ibid. E.
z Ibid. p. 83.
c Liturg. Chrysost.
a Ibid. p. 85. D.
a Ibid. p. 85. D.
b Ibid. D.
c Ibid. E.
d Ibid.
e Goar. in loc Euch. p. 93. nn.
f Miss. Chrys. ub. sup. § 8 A.
g Goar ub. sup. pp.
h Liturg. Præs. Bibl. Patr G. L. T. 2. p. 99. E.

Peracta

Peracta deinceps participatione sacramenti, Sacerdos orat submisse; CAP. XIII.
i Gratias tibi agimus universorum Servatori Deo pro omnibus, quæ præbuisti nobis, beneficiis, & pro communione sancti corporis, & SANGVINIS Christi tui, & quæ sequuntur. ἐπὶ τῇ μεταλήψει τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ σου &c. i Ibid.

Missa sive Liturgia S. Petri hac gratiarum ad Deum actione clauditur; *k Benedictus Deus, per quem immaculatum corpus & pretiosum sanguinem ipsius participare dignati sumus*, Εὐλογητὸς ὁ θεός, δι' οὗ τὸ ἄχραντον αὐτοῦ σῶμα, καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ ΑΙΜΑ μεταλαβεῖν κατηξιώθημεν. k Liturg. Petr. ibidem p. 12. B.

In ea, quæ Iacobi, fratris Domini dicitur, postquam celebrans à Deo petivit panem & vinum Spiritus advenientis vi & efficacia sanctificari, & effici corpus & sanguinem Christi, *ut sint omnibus* (inquit) *l ex HIS sumentibus in remissionem peccatorum* &c. ἵνα γένηται πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσι εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Non diceret *omnes ex his sumentes*, si ex sanguine non omnes, sed unus tantum sumpturus erat. Post communicatum Clerum, *m Cum autem* (inquit) *attollunt Diaconi discos, & CALICES ad impertiendum populo, Diaconus ait* &c. ὅτι δὲ ἐπαίρουσιν οἱ διάκονοι τοὺς δίσκους καὶ τοὺς κρατῆρας εἰς τὸ μεταδοῦναι τῷ λαῷ &c. Quorsum calices ad impertiendum populo, si populus calicis nullus erat particeps? Mox populus præeuntibus Diaconis; *n Gratias agimus tibi Christe Deus noster, quoniam dignatus es nos participes fieri corporis & SANGVINIS tui*. Εὐχαριστοῦμέν σοι χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν, ὅτι ἠξίωσας ἡμᾶς μετασχεῖν τοῦ σώματος καὶ αἵματός σου. Et Sacerdos post Missam gratias de communione agens, *o Largitus es nobis Domine Deus, sanctificationem in perceptione sanctissimi corporis, & pretiosi sanguinis unigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi*. ἔδωκας ἡμῖν δέσποτα τὸν ἁγιασμὸν ἐν τῇ μετουσίᾳ τοῦ παναγίου σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, Κυρίου δὲ ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ. l Lit. Iacob. ibid. p. 5. B. m Ibid. p. 21. A. n Ibid. D. o Ibid. p. 23. D.

Eadem in Liturgia, quæ Marci nomine circumfertur, occurrunt. Nam & ibi postquam Sacerdos Deum rogavit, ut panem & calicem sanctificet & consecret, *p ut fiant* (inquit) *omnibus nobis, qui ex iis participamus, in fidem, in sobrietatem*, ἵνα γένηται πᾶσιν ἡμῖν τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσι εἰς πίστιν, εἰς νῆψιν &c. Stulte diceret, *nobis OMNIBVS ex iis participantibus*, si unus ipse de calice, nemo præter ipsum participaret. Deinde Sacerdos in prece pro communicaturis petit *q* à Deo ea quæ ad dignam communionem necessaria sunt, *ut* (inquit) *digne participemus iis, quæ nobis proposita sunt bonis, intemerato corpori & pretioso sanguini unigeniti Filij tui, Domini & Dei & Servatoris nostri Iesu Christi*, ὅπως ἀξίως μετάσχωμεν τῶν προκειμένων ἡμῖν ἀγαθῶν, τοῦ ἀχράντου σώματος, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ μονογενοῦς σου Υἱοῦ, Κυρίου καὶ θεοῦ καὶ ΣΩΤΗΡΟΣ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. In communione Cleri Sacerdos dicit *r* de p Lit. Marc. Ibid p. 35. C. q Ibid. p. 29. D. r Ibid. p. 40. D.

Cap.XIII. de calice (quem scilicet singulis de Clero communicaturis tradit) *sanguis pretiosus Domini & Dei & Servatoris nostri.* Tam ergo cæteri Clerici, quam is, qui Eucharistiam consecerat, sacrum calicem sumebant. Peracta omnium, id est Cleri & populi communione, Sacerdos Deo gratias agit: ubi illa, quæ in aliis vidimus, occurrunt. *s Bone Domine largire nobis communionem sancti corporis, & pretiosi SANGVINIS unigeniti Filij tui in fidem inconfusam.* Mox in alia oratione; *t Domine, persumptionem intemerati corporis, & pretiosi sanguinis tui, emitte invisibilem dextram tuam plenam benedictionum.* Et dimisso populo idem in sacrario, *Dedisti nobis* (inquit) *Domine sanctificationem in participatione sanctissimi corporis & pretiosi sanguinis unigeniti filij tui,* &c. ut supra in aliis.

s Ibid. E.

t Ibid. p. 41. A.

In Liturgia Gregorij Papæ cognomento *Dialogi*, quæ cum interpretatione Codini Græca edita est, Sacerdos in ea oratione, quam calicem tenens dicit; *u ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui corpus, & SANGVINEM sumpserimus, omni benedictione cœlesti & gratia repleamur.* Cur in plurali *quotquot sumpserimus* dicit, si sanguinem ipse unus, neque præter eum, quæquam alius, erat sumpturus?

u Lit. Greg. Ibid. p. 129. C.

In Liturgia Cyrilli, Sacerdos similiter de pane & calice consecratis; *x Vt sint* (inquit) *nobis omnibus sumentibus ex eis fides sine investigatione & renovatio animi, corporis & Spiritus.* Mox in oratione divisionis; *y Da nobis tunc carbonem verum & vivificantem animas nostras, & corpora & Spiritus, quod est corpus sacrosanctum & sanguis pretiosus Christi tui. Ne accipiamus in iudicium.* Ista non pro se uno, sed pro omnibus secum communicaturis rogat. Ergo illis omnibus una cum corpore sanguinem quoque Dominicum dari postulat.

x Lit. Cyr. T. 6. Bibl. P. p. 101 H.

y Ibid. p. 102. A.

Præter has Liturgias, Hugo Menardus, vir & doctrinæ & diligentiæ singularis, Missas aliquot ex vetustis libris descriptas ad calcem Gregoriani Sacramentorum operis exhibuit. Primam ex quodam Ratoldi Abbatis Corbeiensis codice ante an. D. 986. scripto, se habere profitetur. In ea celebrans, ubi ad communicationem sacri panis cum vino calicis ventum est, *z Hæc* (inquit) *sacrosancta commixtio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, fiat omnibus sumentibus salus mentis & corporis.* Non ita loqueretur, si unus sanguinis particeps erat futurus. Tum paulo post, *a Et Episcopus* (inquit) *communicet Presbyteros & Diaconos cum osculo pacis, sicco tamen sacrificio, & subdiaconos mixto sacrificio. Et Diaconi & Presbyteri summatim gustent cum calice tenente subdiacono de ipso sanguine.* Hic vides Presbyteros & Diaconos primo panem ab ipso Episcopo accipere; tum *de ipso sanguine gustare cum calice*, id est ex calice; non ut subdiaconos, qui & ipsi quoque sanguinem sumebant, sed pani mixtum, non *de calice*, vel *cum calice* seorsum. Vnde quivis intelligit, quod de *sicco sacrificio* Presbyteris communicato hic dicitur, id verissime interpretatum esse Menardum, *b* de *corpore Christi*, id est de pane sacro *separatim à sanguine* (id est à calice sacro) per se *dato*, vicissimque quod de *sacrificio mixto* adjicitur, id cepisse *de corpore Christi sanguini eius immixto.*

z Miss. Rat. Assend. ad L. Greg. Sacrum p. 265. a.

a Ibid. b.

b Menard. Not. ad loc. p. 379.

In

In tertio libello, qui ibidem extat à Ioanne Abrincacensi Episcopo ante an. D. 1067. scriptus; *c Seorsum corpore, seorsum sanguine Sacerdos* (inquit) *communicet; excepto populo, quem intincto pane, non auctoritate, sed summa necessitate timoris sanguinis Christi effusionis permittitur communicare.* Hic vides populum ipsum *sanguine*; id est vino Sacro adhuc communicari, sed una cum pane *commixto*; quod confitetur nulla *auctoritate* fieri; *quia* (inquit *d* Menardus) *nullum antea Concilium id permiserat*; imo Bracarense diserte vetuerat; permitti tamen *summa necessitate* dicit, ne scilicet in promiscua multorum mortalium communione *effunderetur* Christi sanguis. Quasi vero ista veteribus, æque ac istis, non fuerint timenda; quos tamen ipsi confitentur nihil simile præcipisse. Omnino insignis est hic locus, rem ingenue qualiter gesta est, explicans. Hos nimirum undecimi seculi Latinos nimius ille & plane in Ecclesia novus effusionis metus ultra modum ideo percellebat, quod satum duobus ante seculis à Paschasio transsubstantiationis dogma paulatim apud omnes invalescens, & hoc quo liber ille Abrincarensis scriptus est, tempore jam uno & altero sedis Papalis judicio sancitum, plærisque persuaserat Eucharistiam ipsissimam ipsi esse Dominici corporis & sanguinis substantiam; ipsum adeo αὐτόχριστον Christum, Deum & Servatorem neutrum. Inde ille Christianos insolitus & hactenus inauditus pavor istos coëgit ad illam tametsi à majoribus diserte, ut dixi, vetitam intinctionem confugere; satis multa supra diximus. Vnde patet, quam necessaria habita fuerit etiam apud istos sequiorum seculorum Latinos, calicis sacri communio, quam hic ipse tametsi validissimus, effusionis timor, excutere adeo non potuit, ut mallent illius ævi homines suorum majorum scita spernere, & intinctionem ab ijs districte vetitam usurpare, quam Sacro poculo plane penitusque carere.

CAP. XIII.

c Append. ub. supr. p. 277. a.

d Men. ad loc. in Not. p. 380.

Extat & alius apud Menardum veteris Missæ ordo, secundo loco ante hunc tertium de quo dixi, collocatus. Ipse ex Tiliano quodam codice habuit, quem sub Henrico Rege circa an. D. 1032. scriptum fuisse putat. *e* Ego multo recentiorem suspicor, in quo scilicet de calicis communione nihil cernitur: nisi quod ubi ad commixtionem panis cum vino ventum est, Sacerdos precatur, *ut ea prosit omnibus sumentibus ad vitam æternam.* Absurde & ridicule, si eam, præter ipsum Sacerdotem, nemo erat sumpturus. Sed Menardus Tilianæ Missæ quamsimillimam eam esse non dissimulat, quæ jampridem à Matthia Illyrico ex Bibliotheca Palatina edita est, ideoque in suis ad Tilianam notis ambas inter se diligenter comparat. Iam hæc quæ in Tiliana deesse videmus, in Illyriciana haberi monet: Calicem vero cum sacrosancta communione dando Presbyteris & Diaconibus, unicuique dicat, *Perceptio corporis & sanguinis Domini nostri sanctificet corpus & animam tuam in vitam æternam Amen.* Statim vero, ubi in Tiliana simpliciter habetur in communicando Clero & populo, *Perceptio corporis Domini nostri tibi sit vita, & salus,* &c. Docet Menardus in Illyriciana sic legi; *f In populo communicando dicat* (Sacerdos scilicet) *Corpus*

e Ibid. p. 271. B.

f Men. Not. ad L. Sacr. Greg. p. 390 & 391.

Cap. XIII. *Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi prosit tibi in remissionem omnium peccatorum*; sequi orationes quasdam; hanc inter cæteras, *Praesto Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, ut qui corpus & sanguinem proprium pro nobis indignis datum edimus & BIBIMUS, fiat nobis ad salutem, & ad redem-*
g Id. ibid. p. 380. *ptionis remedium sempiternum omnium criminum nostrorum* &c. Neque hic omiserim, quod idem Menardus alibi ex libro quodam veteri MS. refert de visitatione infirmorum, ægroto, quem vis morbi non ad tantam virium imbecillitatem adduxisset, dictum fuisse à Sacerdote eum communicante, *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam æternam. Sanguis Domini nostri Iesu Christi redimat te in vitam æternam.* At si infirmus ingravari cœpisset, ei tantum dictum fuisse, *Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam*; Ex
h Id. ibid. cujus duplicis formæ discrimine jure meritoque colligit doctissimus Menardus duos fuisse olim communicandæ ægrotis Eucharistiæ pro diverso eorum statu modos, Nondum plane deliberato ægroto unamquamque speciem seorsum distincteque ministratam fuisse; ac tum usurpatam à Sacerdote porrigente priorem formam, in qua distincte ac seorsum dicitur primo, *Corpus Domini* &c, deinde, *Sanguis Domini nostri* &c. Sin plane afflictæ prostratæque essent ægrotantis vires, eum tum utraque specie sed simul semelque, pane scilicet in vinum sacrum intincto, fuisse communicatum, Sacerdote posteriorem in hac causa benedictionem usurpante, nimirum, *Corpus & sanguis Domini* &c. Iam vero si illo tempore utramque distincte & separatim speciem ei infirmo dabant, cujus nondum prostratæ essent vires; quanto credibilius est bene valentibus & in publica synaxi ad mensam Domini accedentibus communionem eodem modo datam, ex utraque specie, pane seorsum & vino seorsum porrecto? Atque his congruit, quod de priscis Missalibus à Ioanne
i Hus de Sang. Chr. T. 1. p. 43. B. Husso in opusculo de Christi sanguine memoriæ proditum legimus, *i In antiquo* (inquit ille) *Canone Missæ ponitur sic; Communicans aliis dicat, Perceptio corporis Domini nostri Iesu Christi prosit animæ tuæ, & corpori tuo in vitam æternam. Sanguis Domini nostri Iesu Christi proficiat tibi in remissionem omnium peccatorum tuorum ad vitam æternam. Amen.*

Missam Mosarabum olim in tota Hispania solennem non habemus; sed ejus breve duntaxat à Latinis adornatum compendium; in quo ea fortasse, quæ suis vel dogmatis, vel ritibus adversantur, ut in aliis solent, rejecerunt; Qualiter in in Mozarabico Missali olim Cardinalis Ximenij jussu impresso, multa ex recentiorum Officiorum ritu addita fuisse tradit Eugenius Roblasius, Toletanæ Ecclesiæ Parochus, in Ximenij
k Roblas. Vita Ximen. Card. c. 32. vita. *k* Ex ea autem Mozarabum Missa, si ea sincera extaret, non dubito quin intellecturi essemus populum olim sub utraque specie communicasse; plane ut id ipsum ex aliis Liturgiis intelligimus. Quod ut ita sentiam, quadam suadent apud eundem Roblasium ex iis capitibus, quæ ad
l Id. c. 26. T. 6. Bibl. P. p. 114. B. Mozarabum officium pertinentia, Tomo Bibliothecæ Patrum addita sunt: Quale est quod iste dicit *l fideles omnes antiquitus cum Sacerdote communicasse.*

municasse. Item, quod communionem, quæ juxta illud officium fiebat, postea enarrans ait *m Sacerdotem offerre orationem peculiarem pro susceptione Dominici corporis & sanguinis, hisque piis sermonibus prolatis,* Ave in ævum sanctissima caro Christi in perpetuum summa dulcedo, *ter pectus percutere, dicendo,* Domine, non sum dignus. *His dictis,* inquit, *particulam, quam præ manibus habet suscipit, cæterasque suo ordine, primo sumens eas, quæ postremæ fuerunt in patena, statimque populo communionem largitur. Consumptis ordine particulis, dicendo,* Ave in ævum cœlestis potus, qui mihi ante omnia dulcis es, *sanguinem suscipit, aliamque dicens orationem lavat.* Calicem inde populo fuisse communicatum eodem modo, quo particulam communicatam fuisse dixerat, indicant ea, quæ auctor statim subjicit, *Postea* (inquit) *canitur, aut recitatur Antiphona,* Refecti Christi corpore & sanguine te laudamus Domine. *Alleluia. Alleluia. Alleluia.* Absurde *sanguine Dominico refecti* dicerentur in numero plurium, si unus celebrans sacri calicis potu refectus *esset.*

CAP. XIV.

m Ibid. c. 27. p. 115. G.

CAPVT XIV.

Consensus cæterorum Christianorum, qui præter unos Latinos, Eucharistiam omnes sub utraque specie communicantibus distribuunt, Græci, Russi, Armeny, Suriani, Iacobitæ, Nestoriani, Æthiopes.

SEd præter superiora, hunc fuisse veteris Ecclesiæ communem atque universalem usum, illud postremo docet, quod post tam multa passim in Christianismo ubique terrarum vel mutata, vel novata, manet tamen in hunc diem apud cæteros omnes gentes, exceptis unis Latinis, antiqua illa Eucharistiæ sub utraque specie quibusvis apud sacram mensam communicantibus tradendæ ab Apostolicis usque temporibus ducta consuetudo.

De Græcis nemo ambigit; & Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in epistola ad Theologos Virtembergenses an. D. 1576. data testis est locupletissimus, ac luculentissimus, ubi de abusibus à Protestantibus notatis dicere incipiens; *n Dicitis itaque primum in Sacra Cœna* (inquit) *percipiendam esse utramque speciem; & recte dicitis. Sic enim & nos facimus, quando veneranda percipimus mysteria, qui quidem digni sumus; verum non in azymo, sed in pane fermentato specie panis utimur.* φατὲ οὖν α΄. ὅτι μεταλαμβάνειν δεῖ ἐξ ἀμφοτέρων τῶν εἰδῶν· καὶ καλῶς λέγετε, οὕτω γὰρ ἡμεῖς ἐκτελοῦμεν τῶν φρικτῶν μεταλαμβάνοντες μυστηρίων. πλὴν οὐκ ἐν ἀζύμοις ἀλλ' ἐν ἄρτῳ ἐνζύμῳ τῷ τοῦ ἄρτου εἴδει χρώμεθα. Sic quoque Metrophanes Critopulus, qui nostra memoria Alexandrinus

n Hier. Resp. 1. ad Virt. c. 21. p. 129.

Cap. XIV. Patriarcha fuit; *o Omnes* (inquit) *eorum, quæ in mensa Dominica sunt, utramque speciem participant, panis inquam & calicis, tam Ecclesiastici, quam Laïci, viri & fœminæ, quin etiam & ipsi infantes.* μετέχουσι δὲ πάντες ἑκατέρου τοῦ εἴδους τῶν ἐν τῇ τραπέζῃ δεσποτικῇ. τοῦ ἄρτου φημὶ καὶ τοῦ ποτηρίου. ἐκκλησιαστικοί τε καὶ λαϊκοὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες. ἀλλὰ δὴ καὶ αὐτὰ τὰ βρέφη. Quin & hujus sui moris rationem reddit; *p Causa quare omnes Cœnam Dominicam in utraque specie participent est hæc, quod omnes vita indigeant, quam sine sumptione Dominici corporis & sanguinis adipisci impossibile est,* quod ex Ioannis 6.53. probat, plane ut olim Chrysostomus, Augustinus, & Innocentius. ἡ αἰτία δὲ τοῦ πάντας τοῦ Κυριακοῦ δείπνου ἐν ἑκατέρῳ εἴδει μετέχειν, ὅτι πάντες δέονται τῆς ζωῆς. εἰς ἣν ἀδύνατον τυχεῖν ἄνευ τῆς μεταλήψεως τοῦ Κυριακοῦ σώματος καὶ αἵματος.

o Metroph Confess. Eccl. Orient. c. 9 p. 98.

p Id. ibid. p. 99.

Neque vero obscurum est eadem Moscovitas & Ruthenos sequi, gentes Græcæ fidei, Græcique ut notum est ritus. Sigismundus Herbersteinius de Moscovitis; *q Communicant* inquit *sub utraque specie, miscentes panem vino. Sumit Sacerdos cochleari ex calice portiunculam, porrigitque communicanti.* Paulus Iovius de iisdem; *r Sacramentum non ex azymo, uti iure debemus, sed ex fermentato pane conficiunt; idque sub utraque specie, sicuti soli apud nos Sacerdotes, panis scilicet divinique sanguinis ab eorum Presbyteris universo populo communicatur.* Guagninus præfatus *s* Ruthenos Eucharistia sub utraque specie communicari, sigillatim exsequitur, quomodo eam & valentibus, & infirmis, ac denique pueris ministrent.

q Sig. Herb. de reb. Moscov. p. 29.

r Iov. de Leg. Moscov. ibid. p. 126.

s Guaguin. ibid. p. 176.

Iam Syros & Georgianos eodem quoque ritu communicare affirmat *t* oculatus testis Ioannes Cotovicus Vltrajectinus. Cum enim dixisset *à Græcis Laïcos sub utraque specie communicari, erectos, non genibus nixos, & ab iisdem damnari qui sub una specie sacramentum percipiunt;* continuo addit, *Syri sive Suriani* (inquit) *conformes sunt Græcis. Georgiani in rebus fidei, sacrisque cærimoniis ac ritibus Græcorum consuetudines observant.* De Maronitis montem Libanum præcipue inhabitantibus, idem paulo ante docuerat; *Laïcos* (inquit) *sub utraque specie communicant.*

t Cotov. Itin Syr. & Pal. L. 2. c. 6.

De Armeniis, tametsi à Græca Ecclesia jampridem segregibus, præter Cotovicum, eadem refert *u* Antonius Gouveanus, Monachus Lusitanus in Relatione de rebus Persicis sua. Neque vero diversus est eorum Christianorum usus, qui à Latina Græcaque pariter Ecclesia in Oriente dissident. *Iacobitæ* (inquit *x* idem Cotovicus) *quorum Patriarcha hodie residet in urbe Caharemida, vel Caramit, priscis Amida, omnes sub utraque specie communicant, Cophti seu Copti, vel Cophiti, quos Syri vulgo Ægyphtos, quasi Ægyptios nuncupant &c. de reliquis fidei rebus cum Iacobitis sentiunt.* Hos autem in Eucharistia ministranda eundem cum Iacobitis Amidensibus ritum observare, parilis Æthiopum sive Abassinorum, Iacobiticæ sectæ addictorum usus arguit. Hos enim & hic idem Cotovicus, & cæteri, qui de eorum rebus aliquid memoriæ tradiderunt, Eucharistiam sub utraque specie & ministrare & sumere omnes consentiunt

u Gouv. L. 3. de bellis Scha Abb. c. 5. p. 387.

x Cotou. ub. supr.

c[illegible] tiunt

tiunt. Hieronymus Osorius, y Franciscus Alvares diu in Æthiopia in aula Principis versatus, qui religiosos eorum ritus describens, z *Quotquot* (inquit) *Dominicum corpus sumunt, totidem & de sanguine communicant*; Iesuitæ, qui ante hos quadraginta proximos retro annos apud Abyssinos magno in pretio & honore fuerunt, narrant a gentis illius homines aliquot eruditos ab Imperatore ad se missos, inter cætera quæsivisse, *cur Latini Christianam plebem eo fructu fraudent, quem ex Christi sanguine percipiunt, quibus sacrum poculum communicatur.* Godignus Antonij cujusdam, Sodalis ut videtur, Ignatiani, hoc de Abassinorum communione testimonium recitat; b *sub utraque specie omnes Eucharistiam sumunt. Ex calice, cui similis capaci patera figura est, cochleari hauritur sanguis, & communicantibus porrigitur.*

CAP. XIV. y Osor. Hist. L.5. p.270. z Alvar. Viagg d. Ethiop. c. 11. p. 93. a. a Relat. Æthiop. an. D. 1620. b Godign. L. 1. c. 35. de Mass. p. 218.

Præter Iacobitas, alios quoque memorat c idem, de quo nuper diximus, Cotovicus, in Oriente Christianos, *Chaldaos, qui Syriam, Mesopotamiam, Assyriam & Chaldaam regiones passim inhabitant; præcipue vero eam, quæ inter Mediam, & Mesopotamiam Assyrios adiacet, Curdistan Turcis dictam, & duobus hodie subsunt Patriarchis.* Hos autem, quos Nestoriano dogmati addictos esse constat, narrat Cotovicus, itidem ut superiores, *parvulis non minus quam adultis Eucharistia sacramentum sub utraque specie porrigere.* Atque hoc ipsum inde confirmatur, quod Thomæi nominis in India Orientali Christianos, Chaldæorum istorum propaginem, quorum & dogma Nestorianum sequebantur, & Episcopum ab illorum Patriarcha consecratum accipere consuevisse constat, antequam Latinico fermento à Iesuitis corrupti, & in nomen Romanum transcripti essent. hos inquam, Thomæos scimus inter cætera, quibus à Latinis dissentiebant, id quoque habuisse, quod sub utraque specie communicarent. Osorius istos, ubi eorum fidem & ritus exsequitur, præfatus *subesse Episcopo in Chaldea degenti*, diserte scribit d *sub utraque specie communicare.* Idem affirmat Iarricus, e Ignatianæ Societatis scriptor, in commentariis de rebus à suis apud utramque Indiam gestis, quo loco Thomæorum fidem, sacra & origines fusissimè enarrat. Duartus Bettonus, ipse quoque Iesuita, in epistola an. D 1581. Cocini apud Indos data, idem eo fatetur, f quod quo ipse tempore scribit, Thomæos narret *sub utraque specie communicare desiisse.* Nimirum eos jam tum Iesuitæ cœperant Latinis dogmatis ac ritibus imbuere.

c Cotov. ub. supr. d Osor. L. 3. Hist. p. 107. e Iarr. Indic. L. 2. c. 18. p. 514. f Litt. ann. Cocin. an. 1581.

Sed ne in ipso quidem Occidente defuisse Ecclesias, quæ veterem illam sub utraque specie communionem, etiam post Constantiensem Latinorum Synodum ad ipsa ævorum nostrorum tempora retinerent, testis est Lindanus; g *Ecclesiæ Orientales* (inquit) *& uti audio, Dalmatiana, & quædam Septentrionales, nunquam utriusque communionem intermisere, sed maiori semper ex parte utramque sumpsere.* Septentrionales illas Ecclesias in animo habebat; cum ibidem paulo ante scriberet h *Ecclesias diu post Gregorij P. R. tempora; quasi Gentium in Occidente reliquias, ad Christum conversas, calices in hunc usque diem nobis ostendere, unde populo sanguis*

g Lindan. Panopl. L. 4. c. 56. p. 343. h Ibid. p. 342. §. Cæterum quod.

Cap. XV. *Dominicus communicabatur.* Quin & eo progreditur, ut ne Romæ quidem in ipsa urbici Papæ Synaxi plane penitusque post Constantiense decretum desiisse narret *i* communionem sub utraque specie; *Absoluto* (inquit) *Concilio* (Constantiensi) *Martinus ipse P. R. 5. utrumque legitur Romæ administrasse, speciem, quod non de Diacono Pontificis administro solum accipiendum est, sed & de populo. Testatur enim Rever. Pater Henricus Kaltisen, Archiepiscopus Nidrosiensis Martinum Romam reversum Laïcos* (ait) *sub utraque specie communicasse.* Quin & paulo ante dixerat idem Lindanus, in hunc usque diem morem esse Romæ, *ut Sacros operante Pontifice maximo Diaconus* veteri ex more, non solum de hostia comedat, sed & de calice combibat. *Narrant enim* (inquit) *viri gravissimi, qui se suis vidisse aiunt oculis Diaconum fistula crystallina de calice Domini sanguinem exsugere.* Sed utcumque se res habeat de istis à Lindano commemoratis Latinis, cæteros sane veteri majorum suorum traditioni addictos Christianos ex iis, quæ diximus, constat omnes sub utraque specie communicasse. Iam vero plane incredibile videtur apud homines tam variarum gentium, ac linguarum, & multos non modo diversarum, sed etiam inter se oppositarum sectarum, tam constanter ad hæc usque ultima tempora permansurum fuisse illum Eucharistiæ sub utraque specie promiscue omnibus communicantibus ministrandæ ritum, nisi id fuisset ab antiquissimis temporibus, *& ab ipsis* Christianismi primordiis ita institutum.

i Ibid. p. 343. extr.

k Ibid. §. Deinde hoc.

CAPUT XV.

De Eucharistia à veteribus sub utraque specie distributa, quorumdam ex ipsis Latinis doctissimorum virorum consensu Cassandri, Georgii Vicelii, Francisci Cordubensis, Ruardi, Lindani, Petavii.

EX his, ni fallor, satis demonstratum est Eucharistiæ utramque speciem apud mensam Domini quibuslibet rite ac solenniter communicantibus fuisse administratam, & ab iis sumptam, in cæteris quidem Ecclesiis semper ad hæc ultima tempora; apud Latinos vere pene ad seculum decimum quintum. Quod ex veterum monumentis ita clarum atque apertum est, ut ex ipsis Latinis non pauci, vi veritatis compulsi sint de hoc argumento tantum non eadem ultro concedere ac confiteri.

Cassander quid ea de re senserit, *l* pluribus locis exposuit. In Liturgicis ad Iustini & Pseudareopagitæ loca, & mox ad Chrysostomi Liturgiam omnes olim fideles sub utraque specie communicasse notat. *l* Eadem de Æthiopibus, de Armeniis, de Moscovitis, de Romanis ipsis ex ordinis Romani libellis docet. *m* Latius idem probat *n* allatis compluribus

l Cass. Liturg. c. 4. 5. 7.
m Ibid. c. 11. & 15. 22.
n Ibid. c. 31. p. 71. 72.

in eodem libro, ubi de forma tradendæ & accipiendæ Eucharistiæ tractat. Alibi suam illam observationem apud Ioannem Molinæum de *o* ea subdubitantem docte fuseque asserit ac defendit; *o* ubi cum illam sub utraque specie communionem *solentem* dici à Thoma Valdensi docuisset, *Hanc* (inquit) *consuetudinem communicationi corporis Domini in solenni & ordinaria ministratione communicationem quoque sanguinis adiungendi, adeo manifeste omnium veterum scripta testantur, ut non putem aliquem paulo eruditionem tam impudentem esse qui id negare possit*; quod quam vere ab eo dictum sit, & ex iis quæ ipse ibidem disputat, & ex hac nostra dissertatione patet. Sed & in alia quadam epistola multa præclara dicit, *p* & Hesselium ad quem scribit sua hac de re sententia, ut apparet, offensum placans, hoc inter cætera mihi observandum dicit. *q se existimare veteres totis mille annis in solenni administratione huius sacramenti,* *hoc sacramentum corporis & sanguinis Domini fideli populo vel seorsum, vel certe pane in calice intincto distribuisse; huncque communicandi modum nunc utiliter ac pane necessario restitui posse.* Ejusdem etiam plenior ac distinctior est de veritate à nobis probata consensio in Consultatione; *r De administratione* (inquit) *sacrosancti sacramenti Eucharistiæ satis compertum est universalem Christi Ecclesiam in hunc neque diem; occidentalem vero seu Romanam mille amplius à Christo amoris, in solenni præsertim & ordinaria huius sacramenti dispensatione utramque panis & vini speciem omnibus Ecclesiæ Christi membris exhibuisse; id quod ex innumeris veterum scriptorum tam Græcorum, quam Latinorum testimoniis manifestum est.* Quibus nonnihil de hujus apud Latinos usus desuetudine & contrarij admissione locutus scribit *s se Ecclesiastica paci & unitati conveniens & propè necessarium futurum putare, ut mos pristinus revocetur, ac reducatur in Ecclesiam.* Sed nuspiam rem hanc totam excussit accuratius, quam in libello de hoc ipso argumento elucubrato, in quo & quæ vera sunt validissime constituit, *t* & quæ veris afferuntur adversa perspicue & acute explicat atque dissolvit; quæ si hic omnia recitare velim, totus mihi liber describendus erit, Parco cætera ejusdem Theologi aliis *u* suis opusculis passim eadem de re inserta commemorare, quod hęc abunde nos doceant, quis viri de hac controversia sensus, quæ mens, quæ vota ac desideria fuerint; pro quibus non modo docte ac erudite, sed etiam moderate ac Christiano consultis ac in medium prolatis nihil à magnanimis Romuli nepotibus, nisi convitia, & diras, interdicta, & infame *heretici* elogium retulit.

Neque hoc unius Cassandri per illa tempora votum fuisse & aliunde apparet, & ipse clare diserteque affirmat *x* in illo Dialogo, quem, quod in Cassandri operibus Lutetiæ excusis deesset, Calixtus noster exhibuit. Illic enim pręf[illegible]us religiosissimos Principes Ferdinandum Imperatorē Romanū, & Albertum Bavariæ Ducem, & Galliæ Antistites postulasse in ipso Triden-

CAP. XV.

o Id. ep. 29. p. 1105.

p Id. ep. 106. p. 1209.

q Ibid. p. 1211.

r Id. Consult. Art. 22. init.

s Ibid. p. 981.

t Id. de commun. sub utr. sp. p. 1019. & seq.

u Vide und. in Hymn. p. 218. 248. L. de bapt. Inf. p. 247 & Dialog. de ead. hac re apud Calixt. Disput. 6tr. comm. sub una specie. p. 1. 2.

x Id Dial. apud G. l. p. 3. 4.

Cap.XV. Tridentino Concilio, ut sibi suisque publicus veteris sub utraque specie communionis usus restitueretur, addit *his istorum postulatis multorum quoque millium per universum orbem Christianum omnis* ordinis & generis hominum vota contineri. Tum ad id confirmandum adfert Francisci cujusdam Cordubensis Monachi scriptum editum; in quo apud Papam ipsum multis diligenter disputabat *expedire Ecclesiæ, ut quibusdam certe, nempe* Germanis, calicis usus concederetur. Id in eo desiderabat Cassander, quod hoc de solis Germanis, non autem de omnibus potius professionis Christianæ nationibus dixisset; Neque enim dubitandum esse, quin in omnibus *viri sint doctissimi, & Catholicæ fidei reverentissimi, qui eodem Dominici calicis fruendi desiderio teneantur.* Sed se & in hoc ab isto Francisco dissentire profitetur, quod cum hic *indifferentem in veteri Ecclesia fuisse usum scripsisset communionis sub altera, vel utraque specie*; ipse negat *demonstrari posse totis mille* annis in ulla Ecclesiæ Catholicæ parte Eucharistiam fideli populo aliter, quam sub utroque cibi potusque symbolo, publice quidem ac solenniter administratam fuisse.

x Id. in Dial. ub. supr. & in ep. 27. p. 1107. Ruardum idem insignem scholæ Lovaniensis Antistitem & ibidem & alibi commemorat; x scripsisse affirmans *ex historia de Satyro Ambrosij fratre, & ex sermone Cypriani de Lapsis videri, quod illis temporibus sanguinem Domini ex calice omnes bibebant; & quod corpus Domini eis in manus dabatur, ut vel statim sumerent, vel secum portarent domum, ibique sumerent, ut per temporum intervalla biberent ex calice sanguinem Domini, & corpus Christi manducarent.*

y. Vicel. Vias Reg. Tit. de utr. Sp. p. 309. Georgius Vicelius à Ferdinando Imperatore de pace religionis per Germaniam constituenda eodem quo Cassander tempore consultus, Confessionis Augustanæ librum examinans, ubi ad hunc articulum ventum est, y *Cæterum* (inquit) *libro consentimus de restitutione calicis; non in hoc attendentes, quid liber hic in medium allatus, atque ad discutiendum propositus, sed quid Ecclesia Sancta Apostolica & Catholica ex Evangelio Christi sui, quod cum doceat, tum faciat, primitus hauserit. Hac vero nisi idem constitueret, & cum doctrina exemploque Salvatoris nostri consentiret, librum indignum judicaremus, cui preberemus consensum ullum. Itaque non libro, sed veritati diversa creditur, quam ostendit liber ea quidem parte. Est in confesso sumptionem sanctam de altari Ecclesiastico æque omnibus Christianis communem extitisse ad salutem per omnia novi testamenti tempora; obliteratam quidem paulisper apud nos Occidentales, & ab usu promiscuo semotam suas ob causas, at non deletam omnino atque exstinctam. Eiusce rei cum nube quodam certissimorum testium septi simus, πληροφορίαν amplectimur omni excluso dubio. Idem alibi* communionis sub una specie morem apud Latinos receptum inter eorum abusus censet, sed quod ait, *quo tempore scribebat, ordinarie concessum esse utraque vesci specie cuivis Christiano antea satis explorato & mysterium intelligenti*, id inquam, hodie quidem nullo uspiam apud Latinos in usu esse videmus.

z. Id. Eléch. abus. p. 369.

Gulielmus Lindanus, quo nemo fuit acrior pertinaciorque nostrorum

rum adversarius *Quod* (inquit) [a] *per Occidentem fuerit populo utraque administrata species in proximum fere usque Constantiensis Synodi seculum, haud prolixa opus habet demonstratione*; idque mox ipse probat, tum ex iis calicibus, qui Gregorij P.R.I. ævo in Anglicana Ecclesia plures in altari consecrabantur; tum ex aliis calicibus, quos ad suam usque memoriam ab Ecclesiis aliquot in Occidéte ostendi dicit, unde populo sanguis Dominicus communicabatur, quales à se ipso visos aliquot memorat. Idem paulo post notat [b] *in ætatem usque D. Thomæ* (id est ad an. D. 1260.) *utriusque speciei communionem fere ubique fuisse Laïcis administratum; sed non ubique, periculis forte, & effusi sanguinis Dominici scandalis una cum populi negligentia, ac pietatis detrimento increbrescentibus paulatim utriusque speciei communionem in unam degeneravisse; ita ut per Occidentem annos 150. paucissimi, imo vix scio*, inquit, *an ulli utramque sumpserint.* Eo factum est, ut Lindanus Synodi Constantiensis hac de re legi novum quemdam sensum affingeret, quem nescio an ullis aliis persuaserit. Hujus enim suæ singularis opinionis veniam modeste præfatus, [c] *Synodi verbis*; inquit) *haud equidem existimo, ut vulgo dictitatur, utriusque speciei communionem Laïcis prohibitam, sed defensam unius speciei communionem tunc Laïcis antiquissimo ex more usitatissimam.* Quem morem nimirum paulo ante Thomæ tempora exortum esse docuerat, quam constanter ipse nunc Constantiensis Synodi ævo jam fuisse *antiquissimum* dicat, viderint eruditi, ac veritatis studiosi lectores.

Cap. XV.

[a] Lindan. L. 4. Panopl. c. 56. p. 342.

[b] Ibid. p. 343. init.

[c] Ibid.

Dionysius Petavius, unus ex Ignatianæ Societatis celeberrimis primipilis de publica veterum Pœnitentia cum Antonio Arnaldo, viro inter Iansenianos (quos vocant) doctissimo congressus; [d] *Quid ad hæc Arnaldus* (inquit) *Negabit-ne hunc Eucharisticæ sub utraque specie communionis usum Apostolicis temporibus fuisse, multisque inde seculos apud Ecclesiam perseverasse? Atqui hoc negare vel inficiari non potest, nisi vel in ultima indoctorum, vel certe in prima imprudentiam hominum classe censeri velit.*

[d] Petav. de Pœnit. publ. L. c. 5. p. 167.

CAPUT

CAPUT XVI.

Latinorum pro sua Sacramenti Eucharistici sub una specie distributione Argumenta, ut ipsi quidem vocant, ut vero res habet suspiciones, ariolationes, & somnia. I. refellitur ex Luc. 24. 30. Act. 2. 24. & 20. 7. Insignis Bellarmini in Melanchthonem impostura.

e Bell. L. 4. de Euch. c. 24. §. Rursus exemplo.
f Luc. 24. 30.

HVjus tam multis rationibus demonstratæ veritatis luci nihil solidi habent Latini, quod objiciant. Bellarminus, & alij quidam illud è Luca *f* afferunt, *e* Dominum duobus discipulis in Emmaus *porrexisse panem, quem acceperat, fregerat ac benedixerat.* Sed hunc non sacræ, sed communis mensæ panem fuisse, ad cœnandum, non ad sacramentum celebrandum paratum, omnia suadent, hora, res, Christi mos; & ipsi Latinorum majores ita capiebant, Liranus, Dionysius Carthusianus, alij. Ipse Vvidefordus *g* contra Viclefum; *Dico* (inquit) *quod non habetur ex textu, vel ex Glossa* (Luc. 24.) *vel per antiquos Doctores, quod ille panis, quem fregit post resurrectionem in sero coram discipulis, fuit consecratus, vel quod ille panis fuit sacramentalis, vel conversus in corpus Christi.* Quod negat aliud *ex antiquis Doctoribus probari posse*, merito ac vere negat. Nam Augustinus, & duo tresve alij Patres, ut allegorias ubique venantur, ad mysterium quidem trahunt, quod Christus inter frangendum illum panem à discipulis fuit agnitus, eoque significatum volunt Eucharistiæ vim atque efficaciam; panem illum Eucharistiam ipsam fuisse, non docent. Quorumdam è Latinis ad hunc locum animosissimas, sed inanissimas cavillationes, atque vitilitigationes mitto; tum quod vitro omnes sint futiliores, omnique ad id, quod isti cupiunt, constituendum efficacia careant; tum quod à doctissimis viris, Daniele, * Georgio Calixto nostris accurate valideque fractæ ac confutatæ sint.

g Videf. contr. Viclef. art. 1.

* Cham. T. 4. L. 9. de Euch. c. 2. §. 8. 9. & seqq.
† Cal contr. sub. un. § 124. ad 134.
h Calixt. contr. commun. sub una. §. 120. p. 191.

Vnum Bellarminianæ veracitatis hic obiter à Calixto notatum *h* exemplum dignum videtur, quod memoremus, ut ab hoc uno plærosque istos discamus, qui Bellarmini fidem secuti sunt. Melanchthon in Augustanæ confessionis Apologia ita de Latinis scripserat; *Sed allegant locos, in quibus fit mentio panis; ut apud Lucam, ubi scriptum est, quod discipuli agnoverint Christum in fractione panis. Citant & alios locos. Quanquam autem non valde repugnamus, quo minus aliqui de sacramento accipiantur, tamen hoc non consequitur unam partem tantum datam esse; quia partis appellatione reliquum significatur communi consuetudine sermonis.* Quid ad hæc Bellarminus? Audi. *i Philippus Melanchthon* (inquit) *in Apologia Confessionis Augustanæ in articulo de utraque specie fatetur hoc exemplum* (panis à Domino Lucæ 24. fracti) ad Eucharistiam pertinere. Ita Bellarminus. Paria post eum de Melanchthone, Tannerus, Becanus, Vasques scripserunt. Atqui non hunc locum Melanchthon, sed eorum locorum,

i Bell. de Euch. c. 24. §. Sed occurrit.

quæ

quæ Latini in hac causa citant, *aliquos* de Sacramento accipi posse dixerat. Nonne mirabilis est istorum vel Dialectica, vel certe haruspicina, qui Philippum de hoc nominatim intellexisse hariolati sunt, quod ille indefinite de aliquibus dixerat? Qui non repugnat, ne *aliqui* ex pluribus locis ad Sacramentum pertineant, is hoc ipso negat omnes ad Sacramentum pertinere; aliquem adeo dicit eo non pertinere. Ergo ex Philippi verbis tam mihi argumentari, vel divinare licebit auctorem negare hoc Lucæ exemplum ad Sacramentum pertinere, quam Bellarmino & sodalibus licuit contrarium inde vaticinari. I. & istorum vel testibus, vel conjecturis fide. Cap.XVI.

Verius ac verecundius se gessissent, si duos alios ex eodem Luca, sed in alio opere locos ab omnibus pæne Latinis in hac quoque causa usurpatos *aliquos* istos esse conjecissent, & scripsissent de quibus non repugnat Philippus, quin ii *k* de Sacramento accipiantur. Prior de primis Christianis Hierosolymitanis sic habet, *Erant autẽ omnes perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis & orationibus.* Alter Paulum, Lucam, discipulos *una Sabbati convenisse* memorat *l ad frangendum panem.* Hunc certe utrumq; locum & Melanchtoniani & nostri homines de Eucharistia accipiendum esse consentiunt; de superiori, neutri, quod sciam, assensi erant. Ex illis autem plærique omnes Latini colligunt mero *m* pane sacro transactam fuisse illam primorum Christianorum communionem. Plane, ac siquis Christum Pascha solo agni esu, absque azymis & lactucis agrestibus, absque poculo & aliis legitimis ac solennibus celebrasse, inde concludat, quod discipuli ab eo quærant, *n Vbi vis paremus tibi comedere Pascha*? & quod ipse pariter jubeat discipulos dicere patrifamilias domus, in qua erat festum celebraturus, *o Vbi est diversorium, vbi Pascha cum discipulis meis manducem*? vel siquis Iudæos siccum Pascha præter majorum ac posterorum communem morem illo anno egisse ex eo argumentetur, quod eos Ioannes scripserit *o* abstinuisse Pilati prætorio, *ut manducarent Pascha.* Vt enim illic *fractio panis*; ita & hic manducatio Paschæ, neque aliud dicitur. En quas ad ineptias improbum causæ studium homines, etiam eruditos, agit! Quid enim istis puerilius? Quasi quisquam adeo stultus sit, sermonisve aut humani, aut divini adeo rudis, ac inexpertus, ut nesciat rem totam passim unius partis nomine significari. Boni isti viri credo, cum apud veteres linguæ Romanæ auctores *tecta* pro ædibus dici legunt, domos apud illam gentem sine fundamentis & parietibus olim fuisse suspicantur. Fortasse etiam putant veteres in cœnis & conviviis neque Græcos panem aut cibum attigisse, neque Hebræos vinum gustasse: Quidni enim putent, cum convivia illorum quidem *συμπόσια*, *compotationes* dici; horum vero *panis fractiones* passim, neque fere unquam aliter significari *p* à vernaculis utriusque scriptoribus notum sit? Sed Bellarminus ne sine ratione insanire videretur, rationem attulit cur esset hoc loco illa *panis fractio*

k Act. 1. 42.

l Act. 20. 7.

m Bell. de Euchar. l. 4. c. 24. §. Tert. § Quod ea.

n Matth. 26. 17.

o Luc. 22. 11.

o Ioan. 18. 28.

p Luc. 14. 1. 15. Matth. 15. 2. Gen. 35. 37. & 31. 54. & 43. 25. 31. Exod. 2. 20. 1. Sam. 20. 34.

Cap.XVI. tam pueriliter interpretanda; *Erant* (inquit) *in illis initiis nonnulli inter illos Christianos Nazaræi non bibentes vinum usque ad finem dierum voti sui. Unde probabilissima coniectura est ideo Lucam solum meminisse fractionis panis, quod ab ea sola specie nulli abstinerent.* Miror Lorino minus placuisse tantam sui purpurati subtilitatem; *Nolim*, inquit, *vim adeo magnam hoc in argumento ponere, quoniam modicitas vini, nec nocet nunc celebrantibus, etiamsi voverint abstinentiam eius.* Sed quicquid ille judicet, fatendum est Bellarminum miræ sagacitatis hominem fuisse, qui tam bella argumenta excogitare, ubi opus est, norit. Semel in libro Actuum nescio quid legerat de quatuor quibusdam viris, capita certo die ex voto rasuris. Hinc statim ei exorti sunt Nazaræorum manipuli, qui in Ecclesiam Christianam sparsi Apostolos cogerent in suam gratiam calicem Domini excutere de plebis manibus; ne hi scilicet Nazaræi vinum præter votum suum biberent. Siquis in istius verba jurarit, valebit, ut puto, argumentum, suis ex somniis, nullo teste vel auctore magnam multitudinem Nazaræorum in Ecclesiam illam Hierosolymitanam immittentis, Apostolos istis Nazaræis tam addictos nobis effingentis, ut eorum voto Christi sui exemplum, institutum ac legem posthabeant, cœlestis illius Paracleti fœturæ adeo negligentes ut duorum si forte vel quatuor Nazaræorum votum, & quidem brevi per se solvendum, potius & sanctius esse ducant cœpissimæ, & plura hominum millia colligentis Ecclesiæ ædificatione, atque consolatione! Ista si non sunt vera, haud stulte certe inventa sunt. Sed ego à Bellarmino auctores & testes posco, quos nullos habet. Est & quiddam aliud, quod optimus & doctissimus Calixtus noster observat, etiam Loriniana censura, ut videtur, molestius; quod Bellarminus suis istis de Christianorum Apostolicorum Nazaræatu fabellis, dum siccam illam suam Eucharistiæ communionem hinc extendere improbius studet, non sensit se plagam transsubstantiationi, rei totius fundo, letalem infligere. Nam si Nazaræis religio fuit de calice Christi bibere; Vinum ergo & ipsi & Apostoli illud re vera esse credebant, quod ex calice nostro bibitur. Neque enim istorum puto, Nazaræorum votum erat, vel à Dominieo sanguine, vel à meris vini accidentibus; sive Latini loquuntur, *Speciebus*, id est à falso ac inani vini simulacro abstinere. Quo & illud accedit, quod hoc argumentum si valet, conficiet, non modo plebem, sed primum & ante omnia ipsum celebrantem calice abstinuisse. Non enim dicit Lucas fideles in *esu* sed in *fractione* panis perseverasse; neque ad *edendum* sed ad *frangendum panem* convenisse. Atqui *panem frangere, & panis fractio* actus est non simpliciter *communicantis*, sed *celebrantis*. Si ergo hæc loco omnem eam actionem quæ istis verbis significatur, ad unum panem restringunt; omnemque in vinum actum excludunt; ex his sequitur ipsos primo ac directe celebrantes, (quorum scilicet in synaxi proprium est *frangere*) *panem* quidem *fregisse*; *vinum* vero nullum *fudisse*; panem edisse: vinum nullum gustasse. De plebe, non primo, sed secundario tantum sequetur neque ipsam in

hujusmodi

hujusmodi sacro bibisse; quia in eo scilicet nihil quemquam bibere fas est, nisi quod à celebrante fundatur ac propinetur. Atqui Latini negant ullum ritè fieri sacrum, nisi in quo celebrans non modo panem, sed & vinum consecret; nisi in quo de pane edat, ac de vino consecrato bibat. Ergo necesse est eos fateri nullam esse, hujus argumenti vim ut re vera nulla est.

CAPVT XVII.

CAPVT XVII.

II. *Latinorum pro communione sub una specie suspicio refellitur; inde ducta, quod hæreticos quosdam olim sub una specie communicavisse, neque tamen ideo ab Ecclesia reprehensas esse somniant; ut Manichæos. Incertum esse, an Manichæi aliquam habuerint Eucharistiam; vero propius videri, nullam habuisse.*

SEd & in sequentis post Apostolos ævi Ecclesia usitatam fuisse suam illam siccam sub una specie communionem multis contendit Bellarminus. Primum ejus in eam rem argumentum à Manichæis ductum est, q quos sub una specie communicasse constituit ex Leone. Atqui à nullis illi Patribus de hoc reprehensi leguntur. Ergo putabat vetus Ecclesia communionem sub una specie esse licitam. Sed Bellarminus dum sic agit, multipliciter peccat. Primo ab eo, quod nos nunc quærimus, plane aberrat. Non enim quæro, an vetus Ecclesia licere putaverit, quod Bellarminus concludit, quibusdam Laïcis privatas, propriasque ob caussas calice, dum communicarent, abstinere. Quærimus quid ipsi Ecclesiæ ministri ac Sacerdotes in sacra synaxi porrexerint ac distribuerint ex jure moreque communi; an vel omnibus ut nunc Latini, an saltem aliquibus, unam tantum speciem obtulerint ac dispensarint. Leonis autem de Manichæis locus r Eucharistiæ ministros vel omnibus, vel quibusdam utramque speciem non porrexisse, adeo non probat, ut utramque porrexisse omnibus etiam Laïcis, valide & invicte, quod supra s demonstratum est, probet. Tum ipsa Bellarmini ex Manichæis argumentatio in multis peccat. Primo enim si valet, plus concludit quam ipse cupit. Nam si illi, quod ponit Bellarminus, aliquod Eucharistiæ Sacramentum habuerunt, certum est eos vinum ex sua synaxi plane exclusisse, ita ut id non magis Sacerdos, quam plebs, vel offerret, vel gustaret; quia scilicet omnem vini usum, non tantum in sacris, sed etiam in communi victu exhorrescebant & prohibebant. Itaque si cum Bellarmino liberam apud Patres fuisse sub una specie communionem ideo argumentemur quod in Manichæorum communicantes unam tantum speciem sumentes nusquam de hoc reprehendisse leguntur; pariter concludendum erit neque apud veterem Ecclesiam nefas fuisse sub sola panis specie absque vini calice offerre & Eucharistiam facere; quæ scilicet non magis ea de

q Bell. L. 4. de Euch. c. 24. §. Quarta ratio.

r Leo Serm. 4. de Quadrag. c. 5.

s Supr. c. 9.

Caput XVII. re quam de illa altera Manichæos reprehendisse reperitur. Cum ergo falsa sit & absurda hæc conclusio, necesse est vitiosam esse. Bellarmini argumentationem, ex qua illa sequitur. Sed quod est (inquies) ejus vitium? Primum est, inquam, quod ea ex rebus dubiis & incertis ducitur. Ponit enim Manichæos communicasse sub una specie panis. At incertum est, an illi vel sub specie panis communicaverint, adeoque an ullum Eucharistiæ sacramentum apud se habuerint, & celebrarint. Quod vero ex Leone affertur quorumdam illius sectæ hæreticorum factum, id nihil ad eorum apud suos sacra, sacrorumve ritum pertinet, vel ostendit qualiter ea in suis cætibus celebrare solerent: Leo tantum refert istos cum Romæ versarentur, ac deprehendi timerent, ad tegendam infidelitatem suam interfuisse. Catholicorum mysteriis, ut tutius laterent, ita tamen ut panem quidem acciperent, vinum vero haurire omnino declinarent; à cujus usu ut diximus, ex suæ impietatis dogmate omnino abhorrebant. Tota hæc ergo illorum mera fraus ac simulatio fuit, apud exteros & à secta sua alienos versantium, & quædam communionis larva, religionem quidem suam occultantium, alienum vero mentientium. Itaque quid Manichæorum aliqui in Catholicorum sacris conventibus fecerint, ne suam sectam proderent: hinc colligas licet: quid in suis & apud suos cœtibus, cum nullum erat latendi studium, fecerint, an Eucharistiam aliquam celebraverint, & ex quibus speciebus: neque Leo nos hic docet, neque tu hinc certo ac legitime unquam concluseris: A vino, quod & à multis aliis auctoribus accepimus, abstinuisse & abhorruisse, hinc non inepte confirmaveris. Hanc enim rationem fuisse patet, cur poculo cum Catholicis communicantes abstinerent: tum cur Leo hoc eos indicio manifestari atque à plebe agnosci præceperit. Quæ vero ipsorum Manichæorum fuerit de Eucharistiæ sacramento sententia, an id celebrandum & qualiter celebrandum crediderint ex hoc Leonis loco haberi non potest. Vero propius videtur nullam eos Eucharistiam celebrasse. Vt vinum exsecratos ex Augustino & aliis constat; ita & in panem ipsum affectos fuisse, qui *perfecti* apud eos vocabantur tradit Theodoretus; *t Nec panem (*inquit*) frangunt, nec olus scindunt, quin & eos, qui hoc faciunt, velut homicidas execrantur; scissis tamen & fractis vescuntur.* ὅτι ἄρτον κλῶσιν, ὅτι λάχανον τέμνουσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ταῦτα δρῶσιν, ὡς μιαιφόνοις φανερῶς ἐπαρῶνται· ἐσθίειν δὲ ὅμως τὰ τμηθέντα καὶ τὰ κλώμενα. Quam quæso Eucharistiam celebrare poterant, qui necesse *vinum* quo ea constat, ferebant, neque *panem*, frangebant? Quæ ergo Theodoretus *profana* eorum *mysteria* δυσαγῆ αὐτῶν μυστήρια mox dicit, in quibus ait *multum fuisse præstigiarum usum*, ea plane diversi fuisse à Christianorum Eucharistiæ generis necesse est. De Manichæis quæ scripsit Theodoretus iis congruunt, quæ de iisdem habet vel Epiphanius, *u* vel Augustinus, *x* in tam multis, quæ contra hanc hæresin disputavit. Sane de illorum mysteriis paria cum Theodoreto tradit: *exsecramentum*

t Theodor. L. . Hæret. fabul. c. 26. p. 214. B.

u Epiph. Hær. 66. §. 28.

x Aug de Hær. c. 46.

fuisse

fuisse non *sacramentum*, quod eorum non auditores & discipuli, sed soli *electi* factitabant (Theodoretus τελείους *perfectos* vocat) Id vero Augustinus tantæ ac tam nefariæ turpitudinis fuisse dicit, ut ejus ipsos illos electos puderet; qui nisi coacti ac convicti talia apud se fieri, minime confiterentur. Faustus sane Manichæorum signifer propriam ac peculiarem sibi ac suis in Eucharistiam, velut in singulare aliquod sacramentum religionem fuisse, eo apertissime negat, quod de se suisque loquens, & nobis (inquit) *circa universa, & vobis similiter erga panem & calicem par religio est.* Nam si Manichæi Eucharistiam pro sacramento, perinde ac Catholici habuissent, sibi hac in parte parem fuisse cum Catholicis religionem erga *panem* solum dixisset; Ille vero aliud dicit; sibi quidem *circa universa*; Catholicis vero erga *panem & calicem* religionem esse dicit. quo agnoscit Catholicos panem & calicem in sacramentorum censu; adeoque in proprio, neque cæterarum frugum communi usu ac honore habuisse; Manichæos vero nullam harum specierum propriam, tanquam reliquis ejusdem generis sanctiorum rationem habuisse: sed eas (*panem* quidem certe) eadem qua cæteras fruges religione prosecutas esse. Ex his patet nullum apud eos Eucharistiæ sacramentum fuisse: cujus partem alteram, *vinum*, abominabantur: alteram *panem*, non alia, quam cæteras fruges, pomaque ac nuces, & uvas religione ac observantia dignam censerent: quibus omnibus homines amentissimi divinum quid à natura inesse delirabant. Hunc enim aëris nostri omnem ambitum, *Spiritus Sancti sedem esse ac diversorium* tradebant; cujus *ex viribus ac spiritali profusione terram quoque concipere ac gignere patibilem Iesum* omni suspensum ex ligno. *Patibilem* autem illum, fabulæ Manichaïcæ omni ex ligno suspensum Iesum fruges & poma & olera fuisse, & cætera quæ terra gignit, hoc ipso in libro docet z Augustinus Fausti dicta refellens. Quæ ergo istorum fabulatorum in panem fuit religio, ea non panis propria fuit, veluti huic speciei ob aliquam Christi institutionem ac consecrationem debita, sed panis cum cæteris omnibus frugibus, pomis atque herbis & oleribus communis, ob alligatum iis à natura ex Spiritus Sancti viribus ac profusione patibilem illum Iesum: idque diserte Augustinus paulo post docet, cum suam de pane Eucharistico sententiam ab insano Manichæorum de patibili Iesu deliramento distinguens. a *Noster autem panis* (inquit) *& calix, non quilibet* &c. *Sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur,* Vides discrimen. Panis, Manichæis nascebatur, Christianis *fiebat* sacer: illis ab ipso sui ortu, quod venerabantur exhibebat: his, quod pro sacramento sumerent, à consecratione consequebatur: eo panis, illis quidem *omnis*: his vero non quilibet, sed mysticus solus *sacer.* Id ipsum quæ sequuntur, apertissime significant: *Proinde* (inquit) Augustinus) *quod non ita fit* (certa consecratione mysticum) *quamvis*

CAPUT XVII.

x Aug. de Hær. c. 46.

y Faust apud Aug. L. 20. contr. Faust. init.

z Aug. ibid c. 11. p. 153. A.B.

a Id. ibid. c. 13. p. 154. B.

Caput XVII.

quamvis sit panis calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis, nisi quod benedicimus, gratiasque agimus Domino in omni eius munere, non solum spirituali, verum etiam corporali. Vobis autem per fabulam vestram in escis omnibus Christus ligatus apponitur. Hoc vult, Catholico præter mysticum certa consecratione factum, fuisse & alium panem, sed communem; Manichæo nullum fuisse per fabulam suam nisi sacrum. Ex his constat nullum fuisse Manichæis proprium verique nominis ex pane sacramentum. Itaque, qui secutis & à Leone remotioribus temporibus fuerunt Manichæi, sive Pauliciani, eos Petrus Siculus testatur *sanctorum mysteriorum corporis & sanguinis Christi* non *conversionem* (ut Raderus interpres Iesuita perperam accepit) sed, *sumptionem* τὴν μετάληψιν aversatos esse; *corpus & sanguinem Christi* nihil aliud esse dicentes, quam verba illa Domini, quæ cum discipulis traderet, protulit; ut ex Petro ipso Siculo, & ex Photio apud Euthymium demonstrat doctissimus Calixtus. *b* Iam cum nullum Manichæis proprium veri nominis Eucharistiæ ex pane sacramentum fuerit, non est mirandum quod Patres nullam illorum arguunt sacramenti sub una specie communionem. Satis fuit cætera eorum de vino, deque patibili in frugibus alligato Iesu deliramenta denotare; Atque ita funditus diruto Bellarminianæ argumentationis fulcro, plane una cum eo ruit hinc ducta adversarij pro communionis sub una specie apud veteres usu conjectura. Denique præter totius argumenti vitium, in ipso quoque Bellarmino constantiam hic desidero. Hic enim dicit, illam quam ipse, tametsi falso, Manichæis tribuit communionem sub una specie, *nunquam à veteri Ecclesia reprehensam fuisse aut damnatam.* Sed ipse alibi diserte scribit *c* eos *à Gelasio reprehensos esse, qui ex errore Manichæorum à calice abstinebant; quales (inquit) erant tum ipsi Manichæi tum Priscillianistæ.* Quæ si vera sunt, falso nunc dicit nunquam fuisse reprehensam à veteri Ecclesia Manichaïcam sub una specie communionem. Hominem causæ pessimæ studium cogit pugnantia pro locorum, in quæ incidit, varietate loqui. Bellarmino Vasques hac in parte prudentior fuit. Hanc enim hic illius rationem commemorat quidem, tacito auctoris nomine, sed eam veluti ex incertis ductam repudiat.

b Calixt. cōtr. comm. sub un. §. 1-4. p. 260.
c Petr. Sic. in hist. Manich.
Euthym. Pan. Part. 2. Tit. 21.
c Bell. L. 4. de Euch. c. 24. §. Altera solutio.
d Vasq in 3. Thom. disp. 216. c. 3. §. 19. 20.

CAPVT XVIII.

III. Bellarmini suspicio refellitur, à Manichaeorum Romæ, & Macedonianæ mulieris Constantinopoli fraude, ita simulantium se Catholicorum Eucharistiam sumere, ut panem quidem acciperent, vinum vero haurire declinarent.

NOn est firmior, quæ *ex duobus*, quod ait Bellarminus, *e illustribus exemplis hæreticarum fraudum* ducta est suspicio; Altero horum ipsorum Manichæorum apud Leonem *f* inter Catholicos panem tantum in synaxi accipientium; à calice vero sumendo declinantium; Altero fœminæ cujusdam Macedonianæ, quam narrat Sozomenus *g accepisse in manibus Chrysostomo sacris operante, panem Eucharistiæ, tanquam eum paulo post manducaturam, sed clam dedisse illum ancillæ & ab ea sumpsisse panem prophanum, quem ex domo adferri iusserat, ut illum palam ederet loco Eucharistiæ, sed eum panem continuo in lapidem esse conversum.* Sed primo neque me hoc duplex exemplum magis ferit, quam superius argumentum. Aberrat enim utrumque à proposita quæstione. Laïcos hic apud Ecclesiam unum panis symbolum accipientes video; nullam video Ecclesiam, nullum Ecclesiæ ministrum alicui apud se communicanti, cui panem porrexerit, eidem calicem negare. Quod isti apud Ecclesiæ mensam non biberint, ipsorum fraus omnis fuit; nulla fuit Ecclesiæ invidia. Quod hæc quibusvis porrigebat, illi improbe vel fastidierunt, vel etiam abominanti sunt. Siccine nunc Latini? Imo plane aliter. Quibus panem, qui conficit Sacerdos in os apud eos immisit, eorum nemini poculum porrigit; etiam petentibus, etiam enixe flagitantibus negat. Quin & acrius instantes repellit, & hæreseos suspectos habet. Nihil ergo ad me exempla ista pertinent, qui jam id unum quæro, quomodo apud veteres distributa fuerit Eucharistia, id est an quibuscumque panem ministrabant, iis poculum quoque porrigerent, ac bibere permitterent, an ut nunc Latini, negarent: imo etiam vetarent. Sed ne ipsos quidem Ecclesiæ cives populo abstinuisse probant allata exempla; In altero, Manichæos homines, in altero Macedonianam mulierem cerno Catholicorum sacris furtim mixtos, *calicem* illos quidem declinare; hanc vero prætermittere. Quid hæc ad Catholicos, verique nominis Christianos? Priori quidem exemplo, quod est apud Leonem, supra demonstravimus confirmari hunc Leonis ævo fuisse totius Ecclesiæ Romanæ morem, ut ad publicam ac solennem Christi mensam communicantibus panis prius, mox & poculum omnibus nullo discrimine traderetur. Sed (inquit Bellarminus) *si Romæ non fuisset libera communio sub una specie, sed omnes semper sumere debuissent sub utraque; non potuissent ullo modo Manichæi latere, qui sanguinem nunquam sumebant.* Certe qui Eucharistiam sub utraque specie Romæ

e Bell. L. 4. de Euch. c. 24. § Deinde testim. §. Alterum exemplum.
f Leo Serm. 4. de quadr. c. 5.
g Sozom. L. 8. c. 5.

Caput XVIII. Romæ olim, ut hic pæne confitetur adversarius, omnibus & singulis communicantibus porrigebant, hoc ipso à singulis sumendam esse demonstrabant, ac promulgabant. Non enim solet Ecclesia Domini sui vel margaritas, vel poculum rejecturis offerre. Si illa Bellarmino somniata utriusque modi communio in eadem Ecclesia simul semelque administrata esset; nemo non videt quanta futura fuerit totius synaxeos confusio, ac perturbatio; in qua aliquid ejus simile visum esset, quod Apostolus tantopere apud Corinthios factum fuisse indignatur; *Alius quidem (inquit) esurit; alius autem ebrius est*. Ita & apud sacram veteris illius Romanæ Ecclesiæ mensam ex Bellarminiana fabula *alius sitiebat, alius potabat*; Christi poculum ab ejus servo oblatum alius suscipiebat, alius fastidiebat. Quid Christi convivio, quid sanctæ Ecclesiæ moribus indignius, quam illa tanta convivarum apud Dominum suum disparitas? Si ita esset, quo Romani ore illa Pauli pronuntiabant, quæ superioribus sæculis in eorum Bibliis scripta Clemens nuper erasit, *b Omnes de uno pane, & de uno calice participamus*: Sed si omnes (inquit) bibebant; qui quæso, latuerunt Manichæi, qui non bibebant? Ecce quam ex levi tenuique filo suas demonstrationes suspendat Bellarminus. Non capit, vel quod potius reor, non capere se simulat, quî Romæ latere potuerint Manichæi, qui ad mensam Domini accedentes non biberint, si sola sub utraque specie communio Romæ tum solennis erat. Eo negandum est, quod omnis antiquitatis libri, omniaque monumenta loquuntur ac clamant solennem eam tum fuisse. Ego vero nihil esse necesse puto communionem sub una specie in Ecclesiam Leonis, licet reclamantem & invitam immittere, quia Bellarmino non libuit animo assequi, qui absque, hoc fieri potuerit, ut Leoni isti Manichæi latuerint. Primo enim pauci erant immensæ atque innumerabili Catholicorum multitudini sparsim hic illic immixti. Tum neque fortasse omnes communicabant; neque qui communicabant, crebro ad Dominicam mensam accedebant, sed raro. Veniebant enim ad eam inviti, ne pro hominibus à Christianismo alienis haberentur, si nunquam communicarent. Hactenus ergo communicarunt; non ultra quam necesse ad hoc erat, ut laterent. Deinde hoc quoque cogites velim, non fuisse ab uno eodemque homine, & quidem uno eodemque tempore administratam singulis utramque sacramenti speciem. Ex Ordine Romano & aliis pæne omnibus Ritualibus libris constat panem ab Episcopo vel Presbytero primum unius ordinis communicantibus sigillatim datum; iisdem deinde à Diacono calicem fuisse oblatum. Cum hæc ita tum fierent, quid facilius fuit, quam Manichæum hominem sumpto à Presbytero pane, mox furtim ante Diaconi calicem porrecturi adventum se proripere; atque ita latere, ut fieri quotidie videmus in spissa hominum multitudine sibi vacantium, sensusque & animos ab alienis avertentium? Sed fac Diaconum Manichæo vinum in suo loco consistenti propinasse. Cur hunc non putes potuisse stomachum proprio quodam naturæ suæ temperamento à vino abhorrentem

b 1.Cor. 11 17.

abhorrentem fallaciter excusare, atque ita Diacono nihil in alteram partem suspicanti imponere? Non enim credo, dices vel illi se se abstemium; quam Catholicum mentiri fuisse difficilius, vel huic incredibile visum esse in magna communicantium turba unum & alterum repertos, à natura ita factos, ut vinum gustare non possent. Bellarminus certe hoc non putavit incredibile, qui multos vel natura habere, vel educatione & longo usu sibi comparasse id ventriculi temperamentum scribit. *Ut etiam in matura ætate non possint absque nausea vinum gustare.* Ipse Leo Manichæos illos suos significare videtur arte aliqua adhibita à ministris Ecclesiæ extorsisse, ut sibi à cæterorum fidelium tunc temporis communi sacri poculi sumptione abstinere liceret; *Sanguinem* (inquit) *redemptionis nostræ haurire omnino declinant*; id est, ut omnes vident, se ab eo officio dextre & callide, honesto aliquo colore objecto subducunt. Atqui nullis artibus ad hoc opus erat, si jam tum apud Catholicos libera & usitata erat illa sub una specie communio.

CAP. XIX.

i Bell. de Euch. L. 4. c. 24. §. Tertium.

Macedonianæ vero illius mulieris petitum ex Sozomeno *k* & Nicephoro *l* exemplum nihil Bellarmini causam juvat. Primo enim quod ipse ponit, mulierem unam tantum panis speciem sumpsisse, à se habet nō à scriptoribus, quorum neuter id tradit. Si instat, non ergo mulierem Catholicis plane illusisse, quæ panem non gustarat, *neque enim* (inquit) *pro calice Domini aliquid aliud sumere potuit, quod calix admoveretur ori communicantium*; primum rogabo unde habeat *calicem* illo seculo *admotum fuisse ori communicantium*; non autem in manum cōmunicantis traditum; qualiter traditum fuisse panem demonstravimus? Atqui hoc illo multo verisimilius est, imo verum est. Iam si calix, & quidem, ut probabile est aureus vel argēteus mulieris traditus longe facillimum ei fuit fingere se bibere tametsi re vera nihil bibisset Futile ergo est Bellarmini argumentum, rem dubiam, imo falsam, pro vera affirmantis. Sed age donemus vera esse quæcumque assumit omnia. Iis donatis, inde sequi, ut mulier poculum non sumpserit, negabo. Catholicos, qua potuit, in pane fefellit; Calicem, in quo nulla fallendi ratio suppetebat, sumere ideo coacta est, ne se & Sacerdoti, & conjugi, qui erat Catholicus cujusque offensam verebatur, prod*ret. Præterea, etiamsi daretur mulierem illam poculum non sumpsisse, non ideo tamen sequeretur liberum & usitatum fuisse Catholicis communicare sub una specie. Hic enim ut vulgo loquuntur) casus plane inusitatus & extraordinarius fuit. Mulier pro accepto pane sacro alium communem ab ancilla furtim exhibitum in os immittit. Sensit eum in lapidem induruisse. Illa rei miraculo territa, *ne quid gravius per Dei vindictam* pateretur, (δείσασα μή τι πάθῃ δεινὸν *nulla* interposita mora ad magnum illum accedit Patrem (Chrysostomum dicit) rem ei actam exponit, &c. & venia delicti petita *deinceps in eadem cum marito opinione perduravit.* Hoc ergo istius mulieris factum nihil habet cum usitata fidelium communione simile. Illam pavor & trepidatio, & inde repente conceptus terror communionem abrumpere

k Sozom. L. 8. c. 5.

l Nicephor. Call. L. 13. c. 7.

Cap.XIX. confestim mulierem subegit, non ausam ultra progredi, ne si & in calicem manus mitteret, graviori aliquo malo, perfidiæ ac temeritatis suæ pœnas daret. Eo factum ut missis cæteris, ad Episcopum evestigio volaverit, ut animi pavorem, & hæreticæ fraudis atque hypocriseos conscientiam exponeret. Merito profecto Vasques ductam à duobus illis exemplis rationem, itidem ut superiorem, prætermittendam censet; m non pauca ad utrumque illud exemplum afferens; *qua apud eum videat, qui volet.*

m Vasq. in 3. Thom. d. 216. c. 3 §. 21. 22.

CAPUT XIX.

IV. *Bellarmini suspicio refellitur, in veteri morientium communione suam sacramenti sub una specie communionem frustra venantis. Dionysij Alex. locus expenditur. Serapionis ab eo memorata communio, quæ qualisque fuerit. Siccum fuisse, non constat ex Dionysio. Ambrosij in supremis communio à Paulino Afro descripta; ut & Basilij à Pseudamphilochio ficta. Hostia infirmis reservata. Ex veris certisque demonstratur apud veteres ad undecimum usque seculum ipsorum etiam infirmorum communionem sub utraque specie fuisse.*

SEd illi validius sibi videntur communionis sub una specie usum veteri Ecclesiæ notum, probatumque fuisse inde argumentari, quod ægrotantibus Eucharistia ut plurimum ita daretur. Sed primo qualiscumque de cætero sit hæc objectio, certe ab instituta à nobis quæstione aberrat. Quærimus enim (quod adversariorum inverecundia nos subinde repetere cogit) non qualiter pauci aliqui Eucharistiam vel corporis infirmitate, vel alia id genus necessitate constricti in locis si forte privatis sumpserint; sed an eam ministri Ecclesiastici communicantibus apud mensam Dominicam fidelibus rite ac solenniter ex communi ævi sui more sub una quod nunc Latini faciunt, specie porrexerint, à qua thesi discedit singularis quæ objicitur, infirmorum communio, ex propriis quibusdam causis, ut omnes vident, exorta. Sed rem ipsam tamen consideremus. Equidem de quinto, & inde secutis seculis facile concedo solenne tum fuisse, ut fideles maxime in supremis versantes, hoc sibi sumpto viatico consulerent (qua de re infra * suo loco disputabitur) sed id factum in una specie, nego. Serapionem Bellarminus inprimis, & cæteri fere Latini, de tertio seculo senem, ex quadam Dionysij Alexandrini apud Eusebium epistola objiciunt; quem infra † ostendemus, non ex fidelium, sed pœnitentium ordine fuisse. Sed quod ei volunt, sub una tantum specie ministratam Eucharistiam, id inquam hoc loco dispiciendum venit. *Presbyter* (inquit Dionysius) n *exiguam Eucharistiæ partem puero ad se accersen-*

* infr. L. 5. c. 13.

† Infr. L. 6. c. 2.

n Euseb. Hist. L. 6. c. 44. p. 246.

accersendum misso tradidit, jubens, ut intinctam seni in os instillaret. Puer mox, ut rediit, intinxit, simulque in os senis infudit, qui buccella paulatim *absorpta continuo animam exhalavit.* Ad hæc ego illud quod jam dixi, respondeo etiamsi adversario, quod cupit donavero buccellam sacram absque altera sacramenti parte fuisse à sene sumptam, ne sic quidem hinc confici, morem Ecclesiæ jam tum fuisse, ut apud mensam sacram in communi piorum synaxi cuiquam, qui panem porrectum sumpsisset, ei poculum volenti minister negaret, multo vero minus, ut quod nunc faciunt Latini, id communicantium nemini concederet; ipse unus in Dominico symposiu biberet. Fingamus ita ut vis, actum fuisse cum Serapione, dicam presbyterum morbo quidem ne ipse veniret, effusionis vero metu ne vinum sacrum puero crederet, deterritum, & falsa quadam necessitatis imagine constrictum, ne senex & cætera probabilis, & à lapsu longa pœnitentia emendatus absque communionis solatio contra Episcopi decretum moreretur, maluisse concedere, ut dimidiatam potius quam nullam Eucharistiam sumeret, Hujus ordinis hoc unicum extare in illa antiquitate exemplum; de quo rerum genere philosophus illud communi hominum sermone tritum sapienter usurpavit μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ. Sed jam & illud secundo respondeo ne hoc quidem concedendum videri, quod tu (ut loquuntur) gratis supponis, Serapionem scilicet sub una specie communicatum fuisse. Nihil enim nos cogit id concedere. Potius statuendum est quod non nemini de fratribus, viro doctissimo placuisse video, id nimirum Presbyterum in eo rerū articulo fecisse, quod in similibus causis, sequioribus diu postea temporibus sæpissime factum fuisse supra * audivimus, ut sacram illam particulam, non aqua, sed vino, eoque sacro intinctam seni porrigi jusserit; vinum in eam rem sacrum puero in vasculo deferendum dedisse; puerum denique, quod jussus erat, fecisse. Græca hunc sensum ferunt βραχὺ τῆς εὐχαριστίας ἐπέδωκεν τῷ παιδαρίῳ ἀποβρέξαι κελεύσας, καὶ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τοῦ στόματος ἐπιστάξαι. Ruffinus, primus interpres sic reddit; *Parum Eucharistiæ puero, qui ad se venerat dedit, quod infusum jussit seni præberi.* Christophorsonus; *Puero exiguam quandam Eucharistiæ partem dedit, præcipiens, ut eam madefactam in os senis infunderet.* Et mox; *Particulam puer, quam apportarat, madefactam in os senis infudit.* Nemo, ut puto, negaverit particulam tam vino, quam aqua, sacro vino æque ac communi madefieri, sive intingi potuisse. Qui postea id communionis genus in usum publicum induxerunt, & aliquanto tempore usurparunt particulas sacramento Dominici sanguinis madefactas ac dilutas, vulgo *intinctas*, communicantibus porrigebant. Res ergo nihil nos vetat Dionysium ita capere. Sed neque repugnat verbum quo bis hoc loco usus est, ἀποβρέχειν. Hoc enim & de vino madefactis dici ostendit, quod hominem bene potum, ut Latini *madidum*, Virgilius *uvidum*, ita Græci ὑποβεβρεγμένον dicunt. Suidas; βρέχειν. ἐπὶ τοῦ πιεῖν λέγεται. καὶ ὑποβεβρεγμένος ὁ μεμεθυσμένος. Vnde vicissim, quidvis, quovis succo affatim imbutum ac tinctum *ebrium* Latini dicunt.

CAP. XIX.

* Supr. L. 3. c. 19.

Cap.XIX. dicunt. Quod ergo presbyter puerum jubet buccellam ἀποβρέξαι *madefacere* vel *intingere*, non aqua mera, sed vino sacro, adeoque aqua jam temperato molliendam intelligit; eo scilicet vino quod puero una cum buccella, in vasculo perferendum dabat. Panem autem sic intinctum præberi jubet, quod senem, cum à puero audivisset exhaustis morbo viribus, vocis & sensus expertem, semianimem, fractum debilitatumque jacere, satis intellexerat non posse ab eo panem, nisi madefactum ac mollitum glutiri, & in ventriculum demitti. Siquis vero sit, cui parum credibile videatur; jam illo seculo usurpatam fuisse illam sacri panis intinctionem, cujus ne sequentibus quidem ante Bracarensem Synodum an. D. 675. temporibus ulla occurrit mentio; nihil vetat ut huic dubitationi satisfiat, Dionysianam narrationem ita accipere, ut cum buccella quæ missa in ea dicitur, missum quoque sacrum vinum, altera sacramenti pars subintelligatur. Dionysius fateor, panem missum dicit poculum missum non dicit. Sed missum qui non dicit, non ideo missum negat. Quid necesse fuit id nominatim dici, quod ex facta Eucharistiæ mentione satis ab omnibus illius ævi intelligebatur, gnaris nullam tum fieri, nullam distribui sine poculo Eucharistiam? Latini, qui omnia ea suis moribus æstimant, etiam antiquissima, aliter interpretantur; Nimirum cum suis infirmis corpus Christi datum narratur, nemo iis inde intelligit datum quoque fuisse vinum sacrum; quia hoc apud ipsos fieri non solet. Ad hanc normam, veterum de suis loquentium dicta metientes ideo negari putant poculum sacrum ministratum, quoties diserte non dicitur ministratum. Sed hæc nobis, qui alias fuisse veterum mores scimus, frustra canunt. Ergo cum pane, qui missus ad Serapionem dicitur, missum quoque tametsi non dicitur, vinum sacrum fuisse vix dubitamus, rem ex illius seculi usu, & more æstimantes. Sane si sub altera tantum specie hominem communicari satis esse judicasset Alexandrinus ille Presbyter vinum ad Serapionem, non panem misisset. Illam enim speciem à sene in supremis anhelante non facile glutiri posse hanc nullo negotio ab eo admitti hauririque posse sciebat. Misisset ergo vinum solum, quod erat facilius & expeditius, si communionem sub una specie satis esse putasset. Quod aliter instituit, & panem mittit, ejus nulla alia ratio idonea afferri posse videtur, quam hæc; quod scilicet abhorreret ab illius seculi more vinum sacrum absque sacra particula sumere. Itaque & vinum cum buccella missum fuisse credibile est, & partis, quæ missa dicitur, nomine alteram quoque una contineri atque intelligi, verum & rationi consentaneum esse videtur. Sed hæc de Serapionis exemplo satis sunt.

a Paulin. in vita Ambros. c. 25.

Alterum Bellarminus ex Paulino Afro attulit, qui Ambrosij suprema describens narrat a Honoratum, Vercellensis Ecclesiæ sacerdotem, cum in superiori domo quiesceret, audita nescio cujus voce excitatū, *surgere ac festinare* eum jubentis, subito ad Ambrosium descendisse, eiq; obtulisse Domini corpus. Virum sanctum, ubi acceptam sacram buccellā *glutivit, emisisse*

emisisse spiritum. Ex hoc ergo loco colligit *o* Ambrosium *Eucharistiam sub una specie accepisse.* Credo equidem; quia ubi *panem glutivit, spiritū emisit.* An exspectabat Bellarminus, ut mortuo sacer calix propinaretur? vel nos tam stultos putabat vt si quos pane sumpto mors subito ingruens ante rapiat, quam de calice biberint, poculo licet exanimes, communicandos esse arbitremur, ne sacramenti pars altera ab altera divellatur? Nos vero Sacramēti partes à presbyteris, qui eas ministrāt, separari unam ab altera debere negamus. Deo jura sua integra servamus; cui sūmo vitæ mortisq; arbitrio suos ut alibi, sic & in illo articulo, jam pane, nondū vino communicatos rapere licet. Absit ut Deo legē feramus. Si Latini calicem non aliis negarent, quàm iis: qui sumpto pane statim, quod de Ambrosio hic dicitur, *emittunt spiritum*; nō puto quemquā de ablato plebi Dominico calice cum illis fuisse unquam expostulaturum; vel quemquā futurum fuisse Principē, qui pro restituendo mortuis calice Papā, vel Papale Conciliū missis oratoribus, & scriptis epistolis fatigaret. Sin Paulinum Bellarminus aliter interpretatur, ac præter ejus verba conjicit satis fuisse tēporis, ut Ambrosio post sumptū panem calix quoq; adhuc spiranti daretur; concedam equidē, sed ea lege, ut mihi vicissim liceat id factū fuisse, quod fieri licuit, conjicere, atq; ita intelligere Ambrosium sub utraq; specie solenni ævi sui more, Eucharistiā accepisse. Cur enim viro maximo ac sanctissimo Honoratus eā cōmunionis plenitudinē, si dare licuit, invidisset, quam vel ipsi adversarij apud illius ævi Ecclesiā nulli desiderāti fideli negatā fuisse concedunt? Sed nihil de hac parte Paulinus. Neq; profecto solent scriptores, cum res solennes narrant, singulas earum particulas, nulla omissa, anxie nominatim exprimere. Satis habēt sub unius nomine cæteras, quas ei adhærere omnes sciunt, complecti; quæ figura Rhetoribus *Syllepsis* ni fallor, dicitur, de qua ad Lucæ loca jam supra monuimus.

CAP. XIX.

o Bell. L. 4. de Euch. c. 24. §. Quartus erat.

Basilianæ vitæ scriptorem, qui Amphilochij nomine circumfertur, satius fortasse fuerat, omittere, à Bellarmino *p* inter suppositicios, & quidem pejoris notæ merito adscriptum, & à Baronio non semel ignitis censuris ustulatum. Sed quid tamen ille qualiscumque de cætero scriptor? Scribit (inquit Bellarminus) *Basilium in morte Eucharistiam in sola specie panis accepisse.* Librum Amphilochij novissime à Francisco Combefix, ex Prædicatorum ordine Theologo, Græce Latineque editum habemus. In eo hæc legimus, *q* (*circa nonam præsto fuit* (Basilius) *ad sacrificium Missarum*, (εἰς λειτουργίαν *ad Liturgiam*) *in sacratissima Ecclesia, una cum Cleri & civitatis primoribus, cum quibus percepto iterum pane, dimisit eos. Testamento autem sepeliri sanxit cum tertia illa portione data sibi à Deo communionis, recumbensque in lecto, Eucharistia adhuc in ore, reddidit spiritum Deo.* Hic primo Basilium in Ecclesia communicantem cerno una cum Cleri & civitatis Primoribus; quo quidem loco dicitur *percepisse panem* μεταλαβεῖν ἄρτου; unam *solamque panis speciem percepisse* non dicitur; Neq; verisimile est Episcopum Metropolitam in sua Ecclesia supremo vitæ die cōmunicantem panem solum sumpsisse. Cur enim

p Bell de Script. Eccl in Amphil.

q Amphil. Vita Basil. p. 223. 224.

Cap. XIX. ita instituerer in ea civitate & gente, in qua omnium fidelium communis & semper fuit, & nunc quoque est utraque Eucharistiæ species? in qua ipse nuper Iudæo à se converso, statim post baptismum impertitus erat *r vivifica Sacramenta*, id est duo, ut quivis videt, Eucharistiæ symbola, panem & vinum, μεταδοὺς αὐτῷ τῶν ζωοποιῶν μυστηρίων; præsertim, qui eorum tantum ad salutem esse vim crederet, ut illum Iudæum in sua catechesi doceret *s neminem in regnum Dei intraturum, nisi per aquam & Spiritum, & nisi vivifica antitypa intemerati corporis & sanguinis Christi sumpserit?* Secundo in illis scriptoris verbis video Basilium testamento sancire *se cum tertia quadam portione communionis sibi olim à Deo data sepeliri.* Si de hac Bellarminus intelligit, ea tota ad Liturgiam illam cœlestem pertinet, quam hic auctor fingit *t* Domino & Apostolis adstantibus à Basilio celebratam, & Sacramentum ex pane & vino in altari propositis confectum; sacro peracto panem ab eodem divisum esse in partes tres; unam quidem ipsum cum multo timore & veneratione sumpsisse (non certe absque calice; de quo Latini ipsi non bibere, eam qui confecit, nefas putant) *Alteram vero particulam una secum olim sepeliendam servavisse; tertiam denique in columba aurea depositam, desuper sacrum altare deposuisse* Illam autem cum Basilio sepeliendam, ac suo tempore sepultam particulam (si narrationem alioqui improbabilem fabulæque propriorem admittere placet) ego respondeo nihil cum legitima ac solenni Eucharistiæ participatione habuisse commune, totamque propriæ ac singularis rationis fuisse; quæ etiam Francisci Combefix *u* esse videtur de hoc loco sententia. Bellarminus ergo à re miraculosa, plane extraordinaria, & (quod caput est) ab homine ignoto, in eo libro scripta, quem alibi Baronius ait *x scatere mendaciis*, omnino perperam argumentatur ad solennem, quotidianam, ac legitimam ægrotantium ex antiquo Ecclesiæ more communionem.

r Ibid. p. 223. C.
s Ibid. p. 211. C.
t Ibid. p. 175. 176.
u Combef. Not. in Vit. Basil. §. 71.
x Bar. a D. 263 §. 55.

Denique Bellarminus Amalarium Fortunatum, *y* & Micrologi auctorem *z* adducit, testantes ex tribus illis partibus, in quas hostiam à Sacerdote frangi solenne est, tertiam servari pro ægrotis, & *viaticum* morientium dici, idque ex *antiqua consuetudine* fieri. Antiquane, an recens fuerit illa consuetudo quo tempore uterque auctor scripsit, neuter dicit. Illam fractæ hostiæ partem tertiam, *viaticum dici morientium*, uterque observat. Vnus Micrologus eam *dimitti* scribit *infirmis*, sed non solis. Ea ipsa ejus verba; *Tertiam autem communicaturis, sive infirmis necessario dimitti*; Sacerdos scilicet. Amalarius notat eandem particulam remanere in altari usque ad finem Missæ; *quia* (inquit) *usque in finem sæculi corpora Sanctorum quiescant in sepulcris.* Vnde ista apparet ad mysticam tertiæ hujus particulæ significationem observari, ut ea scilicet significare intelligatur Eucharistiam esse morientium viaticum; quo ostenditur ipsos in sepulcris ad finem seculi quiescere, quemadmodum ipsa super altari ad finem Missæ remanet. Vt enim ea proprie ad usum infirmorum servetur, dictu absurdum esse videtur. Quid enim? Si plures fiat ut fit, in parœcia

y Amal. L. 3. c. 35.
z Microl. c. 17. T. 10. Bibl. P. p. 741. E.

infirmi?

infirmi? si quod aliquando contingit, plurimi? Poterit-ne ista hostia omnibus sufficere? Videtur ergo Bellarminus non satis attendisse, quæ mens istorum scriptorum fuerit. Sed esto: illam particulam sacerdos proprie in usum infirmorum servarit. Quid tum fiet? Ideo-ne necesse erit ægrotos communicari sub una specie? Vellem nobis Bellarminus aliquam istius consequentiæ rationem attulisset, quæ evidens adeo non est, ut sit obscurissima. Imo falsam nullamque esse liquido vincit, quod præmittit Micrologus illam particulam dimitti non solis infirmis (ut Bellarmini suadebat oratio) sed etiam *communicaturis*; quod ille vafre, an imprudenter nescio, certe tacuit; imo primo quod decet, dimitti *communicaturis*, id est fidelibus in illa ipsa synaxi præter sacerdotem communicaturis; Infirmis vero non aliter dimissa fuisse intelligitur, quam ubi, præter ipsum Sacerdotem, nulli communicabant. Si vel unus præter eum communicabat, ab eo consumebatur, adeoque tum quærendæ aliæ fuerunt infirmis particulæ. Vt ergo, quod istis quos Micrologus *communicaturos* appellat, (id est fideles adstantes sacris, ut suo ordine communicarent) hanc particulam dimittebat sacerdos, eos non ideo negabit Bellarminus sub utraque specie communicasse pro more illorum temporum; ita profecto neque *infirmos*, quibus illa particula dimittebatur, necesse est idcirco putare sub una specie Sacramentum sumpsisse. Quid-ni enim, & his ut particula, ita & vinum servatum fuerit, mittendum una cum pane pro usu & desiderio ægrotantium?

CAP. XIX.

Atque ita difflavimus Bellarmini pro infirmorum sub una specie communione, non testimonia vel argumenta, sed suspiciones, conjecturas, & inania paucarum ratiocinationum spectra. Ac tametsi his depulsis, sane levissimis, adversariorum objectionibus, ipse veterum generalis de communione sub utraque specie consensus satis per se jam vincat eandem infirmorum hac in re rationem fuisse, quæ erat valentium; nos tamen hic aliquot non suspiciones, aut conjecturas nostras, sed veras vivasque Patrum voces certaque testimonia ex superioribus repetemus, de ægrotantium proprie ac nominatim communione. Primo enim calicem Dominicum ipsos infirmos, & quidem letaliter ægrotantes sumpsisse clarissime disertissimeque testantur illa, quæ supra *a* non pauca collegimus, veterum scriptorum loca narrantium viros mulieresque fideles in supremis sumpsisse *corporis sanguinisque Dominici sacramentum*, *viaticum*, vel *sacramenta*, *& mysteria*; se *corporis sanguinisque Dominici Sacramento*, *viatico*, *perceptione munivisse* vel *confirmasse*. Quid istis dici potuit ad hanc rem disertius? Quid illa Rainaldi ex Petro Damiani à nobis recitata de quodam presbytero narratione clarius, qui cum ad ægrotum quemdam Eucharistiam detulisset, domum reversus animadvertit aliquid Dominici sanguinis in eo calice remansisse, quo ad id ministerium usus erat? Sed & quæ de intinctis vino sacro Eucharistiæ particulis diximus, ea totum Bellarmini

a supr. c. 11.

Cap. XIX. mini de sicca infirmorum communione figmentum planissime evertunt. Ostendimus enim ex Burchardo hunc Latinorum morem decimo & undecimo seculo fuisse, ut ea oblata, quæ à seculo recedentibus dabatur, intincta esset Christi, ut loquuntur, sanguine. Atqui non nesciebant intinctæ hujusmodi usum jampridem à Synodo Bracarensi, ac ut credebatur, à Iulio P. R. I. severissime interdictum fuisse. Qui ergo eam nihilominus usurpabant illorum seculorum Latini, necesse est hac ratione eo fuisse compulsos, quod nefas putarent sub una specie vel ipsos ægrotos, etiam in supremis versantes communicari. Nam si fideles ægrotantes, & morbi vi prostratos mos fuisset sub una specie (quod Bellarminus somniavit) communicare, nihil necesse erat ad hunc à Synodis & ab Episcopis Romanis damnatum intinctæ usum confugere. Facile atque obvium erat iis vel siccam tantum particulam (quod nunc fit) vel si infirmiores essent, quam ut eam glutire possent, solum sine pane vinum præbere. Sed quid in his diutius immoror? Omnem Bellarmini & aliorum eadem cum eo contendentium duritiem frangit, atque obterit Hugonis Menardi observatio, pro duplici ægrotantium statu duplicem olim fuisse eos communicandi rationem, cujus jam supra meminimus; ut quos morbi vis nondum plane debilitasset, iis panis prius, deinde calix, uterque seorsum sumendus præberetur; quorum vero vires penitus afflictæ dejectæque essent, iis panis, sed vino sacro intinctus, id est utraque sacramenti species simul semelque traderetur. *In visitatione* (inquit) b *infirmorum codicis MS. monasterij Sancti Remigij Remis fundati, cum post unctionem communicat infirmus, quem vis morbi non ad tantum virium imbecillitatem adduxit, dicitur utraque forma, Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam æternam; Sanguis Domini nostri Iesu Christi redimat te in vitam æternam; quæ distinctam sumptionem indicant. At dum communicat infirmus, qui ingravari cœperit, unica tantum formula recitatur in hunc modum, Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.* Hæc Menardus, qui codicem illum Remensem, è quo hæc observavit, scriptum censet regnante apud nos Carolo Magno. Ergo etiam illius Principis ævo in utraque specie ægroti omnes Eucharistiam sumebant, hoc tantum discrimine, quod eam alij in duobus seorsum symbolis pane & vino, alii vero in pane sed ex sacro calice intincto sumerent.

b Menard. in Libr. Greg. Sacram Notar. p. 380.

Præter ista Sole clariora indictum hactenus locum unum adjiciam è Gregoriano Sacramentorum volumine, quo eadem veritas clarissime constituitur. In extremo libro plures occurrunt orationes ad visitandum & ungendum infirmum; quibus descriptis, c *Deinde* (inquit) *communicet eum* (presbyter scilicet) *CORPORE ET SANGUINE Domini. Et sic faciant illi per septem dies, si necessitas fuerit.* Hic vides infirmum & quidem si Latinis credimus, in supremis versantem (quippe qui unctionem,

c Greg. L. Sacr in calce ad visit. inf. p. 253. b.

nem, quam illi extremam vocant, susceperat) hunc inquam, vides, non CAP. XX.
corporis tantum, sed etiam sanguinis Dominici Sacramentum id est utramque ejus speciem, neque semel duntaxat, sed septies si necesse esset, in eodem morbo sumentem. Atque hæc satis sunt ad refellendum Latinorum errorem suam sub una specie communionem in veteri infirmorum & morientium viatico nequicquam quærentium. Vnde non mediocriter confirmatur thesis, quam defendendam suscepimus. Nam si ipsis etiam infirmis, ac deploratæ valetudinis fidelibus quorum ob infirmitatem habenda maxime erat ratio, veteres Eucharistiam nihilosecius sub utraque specie ministrandam putarint; quanto minus ipsos aliqua eam sui parte mutilam sanis & valentibus, apud sacram Domini mensam adstantibus præbuisse credibile est?

CAPVT XX.

V. *Bellarmini suspicio parvulorum olim communionem sub una specie fuisse somniantis, refellitur, verisque & certis documentis demonstratur ipsos etiam parvulos sub utraque specie fuisse apud veterem Ecclesiam communicatos.*

NVnc videamus, an Latinis res in parvulorum communione fœlicius successura sit. *Veteres enim* (inquit Bellarminus) *d aliquando infantes communicabant, sed sub una tantum specie, nimirum instillando in os eorum aliquid sanguinis Domini.* Nos vero supra non aliquando, quod iste ait, sed à Cyprianeis temporibus ad duodecimum usque seculum perpetuo communicatos in Ecclesia ipsa Latina fuisse statim à baptismo *e* infantes, hodieque etiam apud Græcos & Æthiopes, & alios à Latinis segreges Orientis Christianos communicari luculentissimis testimoniis probavimus. Sed quod addit Bellarminus *eos sub una specie communicatos fuisse*, id nondum vel apud veteres ante seculum undecimum Latinos, vel apud quemquam cæterorum reperimus. *Sed res* (inquit ille) *patet ex Cypriano Sermone de Lapsis; tum ex manifesta ratione; quia non possunt infantes cibum aliquem solidum sumere.* Fateor eum quem dicit usum apud Latinos, sed post decimum demum seculum, jam recepto transsubstantiationis dogmate occurrere, uti ex Radulpho Ardente, & Hugone Sanvictorino patet, quorum ille dicit *f Eucharistiam pueris baptizatis SALTEM in specie vini tradendam*; hic vero Sacramentum iisdem in specie sanguinis, non *instillandum in os*, quod vult Bellarminus, sed *ministrandum esse digito sacerdotis* scribit *g quia tales naturaliter sugere possunt*; ut jam à nobis supra *h* observatum est, ubi & paulo post illa tempora plane penitusque desiisse priscum illum infantium communicandorum morem diximus. Anterioribus *i* vero decem seculis nihil hujusmodi deprehenditur. Cyprianum quidem

d Bell. L. 4. de Euch. c. 24 §. Tertius ricus.

e Supr. c. 3. & 4.

f Ardens hom prid. Pasch.

g Hugo L. 1. de cærim. &c c 20.

h Supr. c. 4.

i Cypr. de Lapf. p. 202.

Caput XX.

in eodem illo Sermone, quem laudat Bellarminus audiuimus narrantem parvulæ cuidam, ubi inter fideles poculo Dominico communicantes *locus eius advenit*, Diaconum calicem admovisse, *& reluctanti licet de sacramento calicis infudisse*. Eidem inter eosdem fideles sacro pani communicantes consistenti, ubi *locus eius advenit*, non fuisse, vt cæteris, porrectum à presbytero sacrum panem, nusquam apud Cyprianum invenimus. Hoc vt solet, Bellarminus de suo sibi cerebro somniavit; somnium suum, quod ita caussæ vtile erat, Cypriano affinxit. *At* (inquit) *Cyprianus non dicit paruulum panem sumpsisse*; Fateor; sed neque negat sumpsisse. Neque ille cæteros ejusdem synaxeos fideles panem sacrum sumpsisse dicit, quos calici communicasse aperte significat, cum ait *Diaconum calicem offerre præsentibus cœpisse, & accipientibus cæteris, paruulum calicem recusasse*. Tunc hinc cæteros illos fideles sub vna vini specie communicasse; panem nullum sumpsisse concluseris? Absit. Ergo inquam, neque paruulæ communionem panis expertem fuisse inde potes conficere, quod Cyprianus eo loco de pane vel ei oblato, vel ab ea sumpto nihil dixit; qui hoc ipsum neque de cæteris dicit, quas tu tamen pani communicasse non dubitas. Plana est Martyris eo in loco mens ac ratio. Quædam Dei tremenda in eos judicia, qui Paganicis sacris polluti ad mensam Dominicam accesserant, ideo commemorat, vt vel inde lapsi discerent, quam necessaria sibi esset pœnitentia & satisfactio Ecclesiastica ad hoc vt securè Dominica sacramenta perciperent. Inter cætera exempla id quoque narrat, quod isti paruulæ acciderat. Primo vt in sanctorum cœtum illata, preces quæ fiebant, non ferens, *nunc* (inquit) *Ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpit fluctuabunda jactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur*. Hæc in genere de ea præfatus, ad vltima festinans, in quibus Dei judicium maxime elucebat, de panis quidem sumptione nihil dicit; neque necesse erat, quod satis & ex superioribus, & ex iis, quos sequuntur, intelligi potest, repugnasse hic paruulam: & panem ori ingestum ægre admisisse; de calice tantum dixit, cujus sumptionem invitæ & reluctanti vtcumque extortam *secutus sit postremo singultus & vomitus*; vbi illud demum, quo Martyr tendebat, enituit ac patuit, in *corpore* scilicet *atque ore*, quod ait, *violato* (Paganorum sacrificiis) *Eucharistiam permanere non posse*. Nihil ergo Bellarminum juvat Cypriani de pane hoc in loco silentium; veluti datus non fuerit, qui hic non dicitur datus. Neque enim omnia de omnibus vbique dici necesse est. Prudentes quæ ad rem pertinent, ea dicunt; cætera, siqua tacent, prudentibus ex iis quæ dicunt, intelligenda dimittunt. Sed Cyprianus, quod hic non dixit, quia hic dici nihil necesse fuit, id in alio

k Supr. c. 3.

quodam hujus ipsius Sermonis loco, à nobis supra k quoque recitato, satis docet, plenam scilicet, non dimidiatam, tum fuisse etiam paruulorum communionem, vbi infantes se apud Deum de idolorum sacris purgantes, quibus à parentibus erant admoti, suæque ætatis infirmitatem

tem

rem & innocentiam his verbis excusantes inducit; *l Nos nihil* (inquiunt) *fecimus, nec derelicto cibo & poculo Domini ad profana contagia sponte properavimus. Perdidit nos aliena perfidia. Parentes sensimus parricidas.* Ex his verbis patet infantibus ab illius ævi Ecclesia datum fuisse Domini, non solum, quod Bellarminus delirat *poculum*, sed etiam *cibum.* Sed ille rem fieri posse negat. *Non possunt* (inquit) *infantes cibum aliquem solidum sumere.* Primo hæc ratio ipsam Latinorum causam jugulat. Si enim verum esset, quod iste vult, ideo negatam esse infantibus panis communionem, quod nullo modo fieri possit, vt infans panem sumat ac glutiat; profecto neque aliis negandus est calix, quam iis, qui *calicem sumere non possunt*; Vnde sequitur prave ergo, & præter majorum morem ac sententiam facere nunc Latinos, qui omnes omnino Christianos, præter vnos conficientes, sacro poculo fraudant. Tum hinc & illud habebitur veteres neminem hominem Christianum vlla Eucharistiæ parte multasse ipsos, sed vtramque omnibus, qui communionis capaces erant, obtulisse, & quatenus quidem in illis situm fuit ministrasse ac dedisse. Siqui alterum tantum sumerent, iis partem, qua carerent, non Ecclesiam, sed vel naturam, Deumque adeo naturæ auctorem negasse vel propriam ipsorum voluntatem, suæ scilicet carnis, suorumque vitiorum studia mensæ Dominicæ bonis antehabentium. Huc accedit, quod ipsa experientia id aperte refellit, quod satis inverecunde assumit Bellarminus. Parvulos fateor ægrius atque difficilius, quam adultos communicari: omnino non posse, ne arte quidem atque industria adhibita, & ratio & vsus refellit. Æthiopes certe parvulis suis Eucharistiam multa aqua maceratam in os, indeque in fauces infundere atque inmittere tradit Alvares; *m* & Græci cæteræque Christianorum ad Orientem gentes simili arte vtuntur. Veteres Latinos eadem quoque ratione infantibus suis Eucharistiam communicasse, cur dubitemus, nihil est. Fecisse, & sub vtraque specie, etiam infantes communicasse constat ex libris Id jam ex Cypriano docui. Augustinus negat, imo negare secum omnes Catholicos ait, *n parvulos sine cibo carnis Christi, & sanguinis potu vitam habituros*, vel quod idem est, *sine participatione corporis & sanguinis Dominici*, vt alibi loquitur, *o* vel vt alibi brevius, *sine corpore & sanguine Christi*, quibus ibidem definit *Dominicæ mensæ participationem.* Plura ejusdem in eandem rem loca supra *q* attulimus, & à Vasquis glossis vindicavimus. Sic auctor Hypognisticon. Pelagianos appellans: *r Quomodo vitam regni cœlorum promittitis parvulis non renatis aqua & Spiritu Sancto, non CIBATIS carne, neque potatis sanguine Christi?* Pseudo-Dionysius infantes Eucharistiæ non *Symbolum*, sed *Symbola*, id est non vnam, ambas Sacramenti species sumpsisse testatur. *s* Etiam diu postea Carolus Magnus infantes dicit *t corporis Dominici edulio æque ac sanguinis haustu satiatos.* Pseudo-Alcuinus, vndecimi sæculi scriptor infantibus sacrum panem ministratum fuisse liquido testatur, *u* cum eos baptizatos jubet communicari a Presbytero dicente,

CAPUT XX.

l Cypr. de Laps. p. 126.

m Alvar. Hist. Æthiop. c. 22.

n Aug. ep. 106.

o Id. l. 1. de pecc. mer. & remiss. c. 20.

p Ib. d c. 24.

q Supr. c. 3 4.

r Hipogn. l. 5

s Dion. Hier. c. 7. Theor §. 11.

t Car. m. l. 2. de imag. c. 27.

CAP. XXI. *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam æternam*, quæ verba non ad alios, quam qui panem sacrum sumpserant, dici solenne erat. Nam & eo seculo etiam pane si non omnes certe aliquos fuisse communicatos vel ipse Ardens loco nuper descripto significat, x cum dicit *pueris baptizatis dandam esse saltem in specie vini Eucharistiam*. Cur *saltem sub hac specie* tradendam dicit, nisi ut doceat quoad à nobis fieri potest, utramque dandam esse; si non ferant infantis vires alteram *saltem vini* scilicet tradendam? Quin & sub initia seculi duodecimi infantes ex utraque adhuc communicatos fuisse, sed in pane intincto, ex Paschalis P. R. 2. z epistola à nobis supra laudata observare est, qua intincti panis usum in Eucharistia vetans, *pueros ac omnino infirmos* ab hac lege excipit, *qui panem absorbere non possunt*. Quorsum, nisi iis utramque speciem dari in pane vino sacro diluto, ac macerato, concederet?

w Alc. de offic. div. tit. de Sabb. S.
x Ard. hom. hom. prid. Pasc.
y Supr. c. 4.
z Pasch. 2. in ep. ad Pont.

CAPVT XXI.

VI. *Bellarmini suspicio refellitur, fideles olim particulas Eucharistiæ servatas domi siccas esitasse fingentis. Ostenditur eos etiam vinum sacrum servasse, adeoque etiam domi sub utraque specie communicasse. Exempla ex utroque Gregorio, Nazianzeno & Romano, & ex Pseud-Amphilochio.*

PRæterea Bellarminus ad suam constituendam sub una specie communionem huc quoque adducit a quemdam veteris Ecclesiæ morem, quo fideles Eucharistiam apud sacram mensam susceptam domum secum deferebant, eamque ibi tempore sibi opportuno sumebant; domi autem sub una tantum specie sumptam fuisse pro certo atque indubitato habet; atque inde perspicuum esse dicit, quod *sola species panis daretur in manus fidelium, adeoque sola domum ab iis deferri posset*. Sed Gabriel Albaspineus, Aurelianensis Episcopus, Antiquitatum Ecclesiasticarum scrutator accuratissimus hunc & alios eadem sentientes rogat, b *quo tandem pacto probare possint Laïcis Eucharistiam sub specie panis domum portare licuisse; sub vini, non licuisse?* Merito. Eadem enim est utriusque symboli ratio. Bellarminus quidem nullum ex antiquis testimonium affert, quo constet non licuisse Eucharistiam sub vini specie domum deferre & apud se habere. Tantum conjecturas quasdam, ut solet, suas objicit; eas nobis pro totidem demonstrationibus venditans. Albaspineus vero satis significat *nihil hac de re* in veterum monumentis extare. Itaque fatendum est, quod ille ibidem dicit *valde jejunum* esse totum hoc Bellarmini argumentum; quod sola scilicet argumentantis suspicione, nullo vero certoque veterum documento nititur. Sed præterquam quod hæc Bellarmini præsumptio nullum habet ex antiquitate testem, habet insuper refragatorem, & quidem

a Bell. L. 4. de Euch. c. 24. §. secundus ritus.
b Albasp. Observ. L. 1. 4. p. 10. oxii.

dem præcipuæ auctoritatis, Gregorium Nazianzenum. Is enim de Gorgonia sorore sua verba faciens clarissime docet *c* utramque sacramenti speciem domi à fidelibus servari consuevisse; *Siquid* (inquit) *uspiam antityporum pretiosi corporis, aut SANGVINIS manus recondiderat* ἐθησαύρισεν, *id lacrymis admiscuit*; quibus eam *veluti quodam pharmaco totum corpus perfudisse* dixerat. Quod vero hic reponit Bellarminus Gregorium *sub disjunctione loqui*, id plane frivolum ac futile est. Nam & supra *d* ostendimus particulam AVT, ἤ, qua hic auctor utitur sæpe apud probatos auctores pro conjunctiva καὶ, *ET*, sumi; & hic si *disjunctive* sumatur, nihilosecius conficit hæc Gregorij oratio tam sanguinis, quam corporis antitypum ab illius ævi fidelibus servari recondique solitum fuisse. Nam si unum corporis antitypum recondi ab illis licuisset; si alterum sanguinis scilicet recondi inusitatum ac nefas fuisset; plane nugatus fuerit hoc loco scriptor longe disertissimus, ac castigatissimus, cum dicit, *siquid antityporum pretiosi corporis aut sanguinis.* Quorsum enim illud adjecit, *aut sanguinis*, si ex antitypo Dominici sanguinis nihil ab ullo homine pio vel servaretur, vel servari fas jusque fuisset? Quis adeo obesæ mentis est, ut hoc non sentiat? vel non intelligat de solo pane si res ita habebat, loqui debuisse Gregorium, omninoque ita dicere, *siquid uspiam antitypi pretiosi corporis manus recondiderat*? illa autem *aut sanguinis* supervacanea frustra atque inaniter, adeoque stulte fuisse addita, si hanc Eucharistiæ speciem id est *vinum sacrum*, nemo tum servabat? Atqui Gregorius, cujus omnis oratio ita limata est, ac expolita, ut vix eo quicquam Græcorum sit scriptor emendatior, diserte hæc quæ diximus posuit εἴπου τί τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος ἢ αἵματος, *siquid uspiam antityporum pretiosi corporis aut Sanguinis manus recondiderat.* Ergo velit nolit Bellarminus, necessario fatendum est Gregorium, qui sic loquitur, significare utriusque sexus fidelibus utramque sacramenti speciem servare illo ævo licuisse, & vero ab iis servatam vulgo fuisse. Quibus enim licuit *panem* vel *vinum* servare stultum est putare eos alterum tantum servasse. Vinum quidem qui servaret, panem non una quoque servasse, nemini ut opinor in mentem venerit. Neque dubito, quin Gorgonia utrumque servasset; neque Gregorium hic aliud voluisse putaverim; quo adducor, ut eum particula ἢ ad conjungendum utrumque antitypum, non autem ad alterum ab altero disjungendum hoc loco usum putem.

Id ipsum ex Gregorio Romano confirmatur, qui narrat *e* Maximianum & socios navi tempestate fracta in Adriatico navigantes, cum in ultimo vitæ discrimine versarentur, ex Eucharistiæ, quam secum ex illius seculi more attulerant communicantes *corpus & sanguinem Redemptoris accepisse.* Non ergo sola panis, sed una quoque *vini* species servari à fidelibus solebat. Idem ex eo quoque fuisse usitatum intelligimus, quod is Basilianæ vitæ scriptor, qui vulgo, sed falso, Amphilochius dicitur, narrat *f* Hebræum quemdam, cum Christianis in Eucharistiæ

CAP. XXI.

c Greg Naz. Orat. 11. p. 187. A. T. 1.

d Supr. c. 6.

e Gregor. Rom. Dial. L. 3 c. 36.

f Amphil. Vita Bas. c. 7. p. 178. A.

Cap. XXII.

celebratione furtim permixtus esset, prodigiosum quoddam ostentum vidisse, postquam vna cum cæteris communicavisset, corporisque prius, tum & sanguinis sacramentum sumpsisset, vtriusque reliquias domum secum abstulisse. *Cum vero* (inquit) *de vtrisque servasset reliquias, domum abiens vxori ad faciendam fidem ostendit* καὶ ἐκ τῶν ἑκατέρων φυλάξας λείψανα, ἀποθεὶς ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. ἐπέδειξε τῇ συμβίῳ αὐτοῦ πρὸς βεβαίωσιν τῶν λεγομένων. Ego vero non dubito, quin hic scriptor rem, quam narrat, ipse finxerit. Is enim fabulis impense gaudet, multaque de suo à veritate aliena comminiscitur, quæ lectoribus pro veris certisque propinat; non sic tamen, credo vt receptis suo tempore ab Ecclesia solennibus sacris, ritibusque repugnet; solenni fabulatorum arte, qui quæ fingunt, ea ut probabilia & πιθανὰ videantur, notis ac publicis ejus temporis, quo res geri faciunt, consuetudinibus, visibus ac moribus summa cura accommodant, ne scilicet mendaces deprehendantur, siquid insit perverse & præter veri similitudinem fictum. Qui ergo hæc Iudæum ita vt diximus, facere fingit pseud Amphilochius, is omnino locis, temporibus quod iis vixit quibus Eucharistici non panis duntaxat, sed etiam poculi (vt ille vocat) reliquias aliquas à fidelibus reseruari, ac domum libere auferri, atque ibi consumi, mos & visus apud Christianos esset. Neque contra hæc quicquam valent stramineæ Bellarmini objectiones; *Sola* (inquit) *Species panis dabatur in manus fidelium: sanguis autem dabatur ex calice bibendus.* Certe ei, qui bibere volebat, vinum Sacrum ex calice bibendum dabatur. Si quis vero vinum sibi servandum dari expeteret, quid prohibebat id illi ex calice in vasculum, quod ad excipiendum paratum habebat, refundi? g Nemo negat, quod nos supra demonstravimus, Eucharistiam ex pane & vino ablatis à singulis fidelibus, olim confectam fuisse; vinum à communicaturis in *amulis*, id est lagenulis, in Ecclesiam delatum, ex amulis in calicem, ex calice in Scyphum majorem, vel ab Archidiacono, vel à diacono refusum fuisse planissime docet Ordo Romanus. Quid illis amulis factum putes, postquam vino in scyphum refuso vacuatæ erant? Illæ certe vel iis, qui obtulerant, singulis suæ reddebantur, vel penes Ecclesiæ ministros remanebant. Vtrumvis dixeris, præsto ad hunc usum aderant, ut nullo negotio liceret Diaconis vini sacri aliquid in eas ex calice refundere, fidelibus, qui peterent, impertiendum; Sic, vt qui amulam suam vino, sed communi plenam attulerat, idem eandem quoque, vel si forte alienam similem vino, sed sacro repletam referret. Ex quibus doctissimus Calixtus noster merito colligit h *nihil obstitisse, quin communio, etiam privata ac domi facta vtriusque specie esse potuerit.* Neque contra hæc id valet, quod Bellarminus objiciendum quoque putavit, quod aliquando ad longissimum tempus illæ domesticæ Eucharistiæ i *asservarentur.* Caute dixit *aliquando* id visu venisse. Non enim id solenne ac frequens fuisse vel hinc apparet, quod vnum tantum diu asservatæ l Eucharistiæ exemplum profert ex Moscho sive Sophronio Seleuciensis illius fidelis, cujus in armario depositæ sacræ particulæ

f Amphil. vita Bas. c. 7. p. 178. A.

g Supr. l 3. c.

h Calix. Disput. de cõm. sub vna §. 152 p. 220.

i Bell. l. 4. de Euch. c. 24. §. Ac postremum

particulæ totum isti c annum remanserunt. Sed exemplum nihil probat rei, quæ præter consuetum ordinem accedit. Neque enim ille Eucharistiam studio tamdiu servavit. Ita per accidens contigisse præter hominis mentem ipse, qui narrat Moschus nos monet, cum fidelis ille vir Constantinopolim ab hero negotii cujusdam caussa proficisci subito jussus, animo itineris illius curis occupato Eucharistiam *per oblivionem* in armario reliquisset. Improvide ergo & in cassum Bellarminus hinc argumétatur illas Eucharistias *ad longissimũ tẽpus asservatas* fuisse. Atqui in magna, quæ apud veterem Ecclesiam erat synaxeon frequentia nihil necesse erat vel vinum vel panem diu servari. Cum diebus omnibus Dominicis sacra in Ecclesia solennia fierent, Eucharistiam recentem accipere facile erat, & quam acceperant non ultra sextum aut ad summum, septimum diem domi seruare. Neque nos quin ita fecerint, dubitare sinit commune panis & vini periculum; ne si paulo diutius asservarentur, ille quidem mucesceret, hoc vero acesceret. Siqui paulo diutius servare cogerentur iis facile fuit adhibita cura & diligentia cavere ne vel panis vel vinum aliquid detrimenti caperet. De Græcis per annum integrum particulas servantibus, ex quibus infirmos communicent, mox dicemus opportunius. Iam quod in aliquot domesticæ hujus communionis exemplis, vt apud Cyprianum de lapsis, apud Ambrosium de Satyro, apud hunc ipsum Moschum de fideli illo domini hæretici ministro, vnius panis, non & vini facta mentio fuerit; id non ita est accipiendum, quasi illi qui Eucharistiam istis locis, vel domi, vel secum servasse memorantur, vnam tantum illam vt vulgo loquimur, *Speciem* vel apud Ecclesiam acceperint, vel apud se servarint (quod inde quoque, sed frustra Bellarminus colligere conatur) sed ut in talibus rebus fieri solet, quæ duabus aut etiam pluribus inter se diversis partibus constant, scriptores ex vna parte Eucharistiæ alteram quoque subintelligi voluisse ex duobus illis exemplis, quæ nuper commemoravimus satis patet. Qui enim cum Satyro navigantes particulas sacri panis secum habuisse diserte ab Ambrosio memorantur, eos facile est ex Gregoriano Maximiani & sociorum exemplo intelligere vini quoque sacri si non amulas, certe vel amulam habuisse. Et quæ mulier apud Cyprianum, qui vir apud Moschum particulam in arca vel armario recondidisse dicuntur, eos tu ex simili Gorgoniæ apud Gregorium Nazianzenum exemplo facile cogitabis vini quoque sacri amulam & apud Ecclesiam accepisse, & apud se vna cum particulis servasse. Denique siquis mihi objectet necesse fuisse, vt illi Eremitæ, qui procul vrbibus in vastis & incultis locis, vbi nulla suppetebat sacerdotis copia, degebant, Eucharistiam, quam domi ad communicandum teste Basilio *l* habebant, diutius servarent, quam vt vinum tanto tempore incorruptum manere posset; præterquam quod extraordinarium hoc & Ecclesiæ diu ignotum Eremi incolarum solitarium, abnorme, & à cæteris omnibus diversum genus, assidue (si ipsos

CAP. XX.

k Mosch. in Prat. Spir. c. 79.

l Basil. Ep. ist. 289. T. 3. p. 279.

Ca.XXII. quidem audimus) cum Christo versans, & cœleste cum Angelis manna jugiter esitans & fonte ipsos paradisi potans nostram hanc sacramentalem communionem minus fortasse desiderat, quam cæteri Christiani, eaque facilius caret, quam nos qui præ illis scilicet heroibus plebs sumus; præter hæc inquam, illud quoque breviter respondeo istos Eucharistiam in particulis suis totam diu conseruare facile potuisse, si eas quod posteris perquam familiare fuit, vino sacro intingerent, & diligenter siccarent, atque ita domi in plures menses, imo in annos totas servarent; quod mihi inventum eremitico illo & monachali ingenio tam dignum videtur, vix alios, quam bonos istos & *Spirituales*, ut se ipsi appellant, Patres ejus fuisse auctores putem.

CAPUT XXII.

Refellitur VII. Bellarmini suspicio, ex præsanctificatorum apud Græcos, & Parasceues apud Latinos communione, ducta. Demonstratur ex veris utramque sub utraque specie factam esse. Latinos veteres censuisse vinum commune infuso sacro, vel immixto pane sacro, sacrum ipsum quoque fieri.

Sed & in præsanctificatorum τῶν προηγιασμένων, Græcorum vernaculo sacro, Bellarminus & alii suam sub una specie communionem venantur. *Sextus ritus erat* (inquit Bellarminus) *communio præsanctificatorum, cuius usus erat apud Græcos in tota quadragesima, excepto die Dominico & sabbato. In latina Ecclesia iste usus fuit, & adhuc manet feria sexta. Nam eo die non fit consecratio, & ipse etiam sacerdos in publica actione communicat sub una specie.* Illud autem sacrum, quod etiam nomen ipsum *præsanctificatorum* indicat, hujusmodi erat, ut in eo Eucharistia communicaretur, quos non ipso illo die, quo tradebatur, & sumebatur, confecta fuisset & consecrata sed vel pridie vel etiam remotiori ejusdem hebdomadis feria. Iam discriminis inter Latinos & Græcos in hoc sacro à Bellarmino observati ratio hæc fuit. Græci quidem, quod non putarent die esuriali Eucharistiam offerri & celebrari decere, quibus quadragesimæ diebus apud eos jeiunatur, Eucharistiam nullam conficiunt; Sabbato & Dominica, quibus prandere apud eos solenne est, conficiunt. Ac ut cæteris hebdomadis diebus communicare liceat, ex sacramento, quod die Dominico confecerunt, tam Eucharistiarum copiam servant, quæ Ecclesiæ suæ reliquis hebdomadis ad sabbatum proximum feriis satis ad communicandum futura sit. Illas ergo Eucharistias quæ sabbato, vel Dominico consecrata feria secunda & sequentibus traduntur communicantibus & ab iis sumuntur vocant τὰ

m Bell.l.4. de Euch.c. 24.§.Sextus

προηγιασμένα præsanctificata; quod ante illum diem, quo distribuuntur, jam consecratæ essent. Cæterum quod Eucharistiæ esu solvi jejunium putent, solenne autem dierum in quadragesima esurialium jejunium hora demum nona (id est tertia post meridiem) non ante solvi fas legitimumque censeant; illa suæ præsanctificata nonnisi hora diei nona distribuunt ac sumunt. Nicetus Pectoratus, Monachus Græcus in sua contra Latinos disputatione ann. D. 1053. aut circiter scripta; *n Nos* (inquit) *Sabbato & Dominica die secus tertiam diei horam, in qua & Spiritus S. descendit super discipulos immolantes in ipsis sanctificamus munera* (panem & vinum eucharisticum) *ex quibus sufficientia in totam hebdomadem conservamus. In aliis autem diebus hebdomadis iuxta tempus horæ nonæ diei concludentes omnem ministrationem in consummationem completorij, agimus nos Sacerdotes cum Diaconibus ingressum, thuribulum solum ferentes. Et post lectionem Prophetarum constitutas orationes à magno Basilio facientes, & munera transferentes à Propositionis * altario* &c. *exaltamus præsanctificatum panem, & damus præsanctificata Sancta Sanctis & unitis communione, pane & calice mysteriorum Christi.* Humbertus Cardinalis in confutatione hujus Nicetæ sua omnem illum Græcorum ritum vehementer damnat ac repudiat; *o Quotidie* (inquit) *sive tertia, sive nona, sive quacumque hora fiat à nobis Missa, non fit nisi perfecta. Nec reservatur ex oblatione eius pars aliqua, ut per dies quinque agatur inde Missa imperfecta; quia nec sancti Apostoli leguntur quicquam ex illo primo corporis & sanguinis Christi mysterio sub ipsa Cœna distributo reservasse; nec actus eorum indicant eos aliquando tale quid egisse, aut præcepisse. Quinimo Sicut Lucas narrat, erant fideles perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis; quæ communicatio qualiter & quibus diebus fieret post pauca demonstrat, dicens, quotidie perseverantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem sumebant.* Et paucis interjectis observat *Dominum ipsum non benedixisse tantum & servavisse frangendũ* (panẽ) *in crastinum, nec fregisse tantum, & reposuisse, sed fractum statim distribuisse.* Ex quibus ita concludit, *Quia quodlibet horum trium, si sine reliquis fiat, scilicet benedictio sine distributione, aut fractio sine benedictione & distributione perfectam Christi memoriã non repræsentat, sicut nulla distributio sine benedictione, & fractione*: Itaq; Græcos acriter increpãs, *Et vos, qui estis* (inquit) *qui dicitis duobus tantũ diebus hebdomadis Missam perfectam fieri debere: reliquis vero quinque, imperfectã?* Recte quidẽ ille ex Christi institutione, & Apostolorum praxi Græcos redarguit: pro Latina vero Ecclesia, nõ satis, ut mihi quidẽ videtur, prudenter; non animadvertẽs se dũ ita agit Latinorũ quoq; suorum plærosq; ritus una cum illis Græcorum προηγιασμένοις ac corruptelis oppugnare, & communi utrosque excidio involvere. Cætera nunc mitto. Præsanctificatorum quidem sacrum quotannis in die Parasceves sive feriæ sextæ antepaschalis apud suos solenne, ista ejus epicheiremata æque cum quadragesimalibus Græcorum προηγιασμένοις

CAPUT XXII.

n Nic. Pect. contr. Lat. T. 4. Bibl. Patr. Part. 2. p. 236. (quæ mendose est 212.) B.

* *Ita corrigo quod mendose habent edita, appositionis.*

o Humbert. contr. Nicet. Ibid. p. 246. A.

 feriunt,

Caput XXII.

feriunt. Eo enim die Eucharistias Latini non *benedicunt*; sed pridie *benedictas* distribuunt ac sumunt; quia scilicet negant *mortem Christi eo die esse repræsentandam, quo recolitur ejus realis mors, ne Christus in propria persona vivens & loquens introducatur eo die quo mortuus recolitur*; vel ob alias, si quæ sint, rationes iis, quas Græci pro suis quadragesimalibus præsanctificatis afferunt, haudquaquam meliores. Denique & hoc addam, illam præsanctificatorum communionem multo esse in utraque Ecclesia recentiorem, quam putat Bellarminus; quæ scilicet a. D. 700. nondum erat in usu apud omnes Latinos, neque apud Græcos ullum credo, habet Trullanis Patribus *p* antiquiorem vel auctorem vel testem. Quem vero Bellarminus huc affert Laodicenæ Synodi *q* canonem 49. is de præsanctificatis nihil habet. Tantum negat *panem in quadragesima offerendum nisi sabbato & Dominica tantum.* ὅτι οὐ δεῖ τῇ τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν, εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ, καὶ Κυριακῇ μόνον. Sed neque de Latinorum ex præsanctificatis communione; quæ fit feria sexta hebdomadis Paschalis quicquam habet Innocentius à Bellarmino laudatus; *r Traditio* (inquit) *Ecclesiæ habet isto biduo* (Parasceve scilicet, & sabbato antepaschali) *Sacramenta penitus non celebrari*. Hæc Innocentius. De communione pridie sanctificatorum, sive isto biduo, sive sola Parasceve, plane nihil dicit. Gregorianus Sacramentorum liber eam sane communionem exhibet; *s* ut etiam Ordo Romanus, uterque à Bellarmino laudatus. Sed quod hujus generis libris ritualibus multa subinde à posteris addi soleant, & his addita esse certum sit quædam à Gregorij I. temporibus aliena, nulla eorum est ad probandam hujus ritus antiquitatem auctoritas. Huc accedit quod vir doctissimus Hugo Menardus ex quarto & decimo sexto Toletanis Conciliis demonstrat *t* apud Hispanos ad an. D. 693. quo posterius Concilium habitum est, nullam communionem peractam fuisse illo Parasceves die. Rabanus & Micrologus, quos postremos Bellarminus citavit, probant *u* suis temporibus hunc ritum apud suos Latinos jam solennem fuisse; sed id nemo nostrum negat; cum Rabanus usque ad a. D. 856. vixerit; Micrologi vero scriptor totis ducentis annis ipso etiam Rabano recentior fuerit. Sed hæc levia sunt. Ad rem redeamus.

Græcorum præsanctificata Bellarminus ad causam præsentem minime urget; sed ea obiter tantum memorat; de cætero intacta sinit. Bene quidem ille ac prudenter. Nihil enim siccam Latinorum sub una specie communionem præsanctificata Græcanica juvant; in quibus Nicolaus Cabasilas docet *x* haberi *dona* (id est duo Eucharistiæ symbola) *perfecta & sanctificata, & corpus & sanguinem Christi* τέλεια καὶ ἡγιασμένα, καὶ σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ. Fideles in ipsa ante consecratorum Liturgia orantes idem profitentur; *y Ecce* (inquiunt) *immaculatum ipsius* (Domini Christi) *corpus, & vivificus sanguis*, &c. *in hac mensa mystica proponenda sunt*. ἰδοὺ γὰρ τὸ ἄχραντον αὐτοῦ σῶμα καὶ τὸ ζωοποιὸν αἷμα, &c. τῇ μυστικῇ ταύτῃ προτίθεσθαι μέλλει τραπέζῃ. Ibidem Sacerdos Christum rogat, *z ut immaculatum*

p Conc. Trul. can. 52

q Cõc. Laod. c. 49.

r Innoc. 1. ep. 1. c. 4.

s Greg. l. Sacram. in Parasc.

t Men. Not. ad Gr. Sacr. p. 87. 88.

u Raban. l. 2. de inst. Cler. c. 37.

u Micr. c. 19.

x Cabas. Expost. Lit. c. 24. extr. p. 230.

y Ibid in Lit. præsanctif. p. 97. C.

z Ib. p. 99. E.

osculatum suum corpus, & venerabilem sanguinem primum sibi, deinde per se populo communicare dignetur. Cætera de Græcis mitto. CAPUT XXII.

Ad Latinos venio, quorum in sua illa Parasceue communionem factam jam olim fuisse, ut nunc fit, *sub sola specie panis* Bellarminus nimium profecto confidenter *patere* affirmat a ex Ordine Romano, *ubi*, inquit, *non solum habetur in parasceve non confici sacramenta, sed etiam communicari sacerdotem, & populum sub specie panis tantum absque sanguine Domini. Sanguinem etiam totum consumi jubet feria quinta, & solum corpus Domini conservari pro communione sequentis diei, quo sacramenta non conficiuntur; ex quo* (inquit) *intelligimus in publico etiam cœtu Ecclesiæ usum fuisse unius speciei, idque ab annis plus mille.* Ego vero fateor hanc istius disputationem, si illa quæ ponit vera essent omnia, honestiorem & candidiorem futuram fuisse, quam quæ hactenus fuit. Hic enim ex ipsis publicis, & solennibus Ecclesiæ Latinæ, tametsi unius tantum quotannis diei actibus argumentatur; cum in superioribus plærisque omnibus ex privatorum hominum factis suas in nos objectiones duxerit. Sed quod argumentum omnium si veris niteretur, esset optimum, nunc longè omnium deterrimum ideo censeri debet quod ea *patere* affirmet, quæ non modo non patent, sed quæ ex illis ipsis libris falsa facillimæ coarguuntur, in quibus hic nobis mirabilis Dialecticus patere ea affirmat. Ordinem Romanum laudat in officio Parasceves. Ibi hæc quidem reperio; b *Duo subdiaconi, & presbyteri duo priores intrant in sacrarium, vel ubi fuerit positum corpus Domini, quod pridie remansit, ponentes illud in patenam. Et subdiaconus tenet ante ipsos calicem cum vino non consecrato, & alter subdiaconus patenam cum corpore Domini. Quibus tenentibus accipit unus Presbyter prior patenam, & alter calicem; & defertur super altare nudatum. Tunc descendens Pontifex ante altare, inclinat se, & iterum elevans, dicit, Oremus.* Et Liturgiæ ordinem hic breviter exsecutus, ita pergit; *Cum vero dixerint, Amen, sumit de sancta* (id est *de sancto pane*, ut habet c hoc ipsum enarrans Pseud Alcuinus) *& ponit in calicem nihil dicens, nisi forte aliquid secrete dicere voluerit. Pax Domini non dicit; quia non sequuntur oscula circumadstantium. Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem, & communicant omnes cum silentio. Et sic expleta sunt universa.* Hæc in Ordine Romano leguntur. Illud quod ait Bellarminus *communicari Sacerdotem & populum sub specie panis tantum absque sanguine Domini*, illud inquam, nuspiam istic legitur. Quid dixi hoc ibi non legi? Imò illic plane aliud legitur. Quid enim quæso sibi volunt ista, quæ inde descripsimus, subdiaconum *reposito à Presbyteris in patena corpore Domini*, ante ipsos calicem cum vino non consecrato tenere & utrumque id est corpus Christi, *& vini calicem super altare à Presbyteris deferri*? Quid illud, quod ibidem sequitur, significat, panis sancti particulam *in calicem ponere*? Quorsum hæc, si neque Pontifex, neque Clerus, neque populus de vino illo, in quod *sanctus panis* immissus

a Bell.l 4.de Euch.c.24. §. Quod in Parasc.

b Ord.Rom. in Parasc. T.10.Bibl.P. p.75.B.C.D.

c Alcuin.de offic.div.in Parasc. ibid. p. 253.

Caput XXII.

missus est, participarunt? Omnia inepte & gesta, & commemorata sunt, nisi & de hoc vino facta fuerit communio. Neque sane factam quisquam credo, negabit. Vinum consecratum fuisse negabunt. Nihil mea refert, quid isti hodierni Latinorum Theologi ea de re sentiant. Quis veterum, quis illius auctoris, qui Ordinem Romanum scripsit, sensus fuerit, quærimus scriptor, quid senserit disertissime eloquitur, de illo vino nominatim hoc annotans; *Sanctificatur vinum non consecratum per sanctificatum panem*; quem scilicet à Pontifice in id vinum immissum fuisse dixit. Annotationem plane eandem hoc quoque loco habet Pseud' Alcuinus. Non ergo *sub specie panis tantum* communicabant Pontifex & populus in Parasceve, sed etiam sub specie vini pane in id immisso sanctificati, id est consecrati, adeoque sub utraque specie, non sub una. Scio Latinos recentiores aliter hanc vini *sanctificationem* interpretari. Menardus ad verba Alcuini, quæ nuper diximus eadem esse cum illa à nobis recitata Romani Ordinis annotatione; *Hac* (inquit *d*) *non ita capienda sunt, quasi vinum non consecratum per ejusmodi admixtionem transeat in sanguinem Christi, sed quod sanctificationem quandam exteriorem ex ejusmodi commixtione percipiat.* Neque dubito, quin Bellarminus eadem quoque senserit. Missis ergo æquivocorum ambagibus, quæramus quid Ordinis Romani scriptor significare voluerit. *Sanctificatur* (inquit) *vinum non consecratum per sanctificatum panem.* Vel ipsa hæc ejus verba clamant quid voluerit. Quid enim quæso est *sanctificatus ille panis* per quem *vinum sanctificatur*? Est-ne *panis exteriori quadam sanctificatione affectus*, an verum corporis Dominici sacramentum? Nemo non fatetur, quin panem in pridiana Missa plane penitusque confectum ac consecratum, ac ut loquuntur, corpus Christi effectum intelligat. Ne ergo dubitaveris, quin scriptor *vinum* eodem sensu, quo *panem*, *sanctificatum* dicat, id est *vinum consecratum*, ac ut Cabasilas loquitur, *τέλειον καὶ ἡγιασμένον αἷμα χριστοῦ*; id est ut nos interpretamur, verum ac perfectum Dominici sanguinis sacramentum. Idem ex ipso totius sacri nomine patet, quod dicitur *præsanctificatorum. προηγιασμένων.* Quæso enim, quæ sunt illa *ante consecrata*, sive *ante sanctificata*? Suntne parva aliqua & minuta mysteria, exteriori tantum sanctificatione prædita? Nihil minus. Illa vero sunt corporis, sanguinisque Dominici Sacramenta, vera, perfecta, & sic proprie dicta. Quid ergo est, quod nomen hoc ipso in loco positum à consueto sensu, eoque familiari ac omnibus trito tu vis aliter intelligi? Unum scilicet causæ studium mentem à vero nominis sensu avertit, & ad alienum torquere subegit. Sed Theodulphus docet, quid sit *poculum* illud *sanctificatum*, dum Parasceves communionem accenset Dominicarum quadragesimalium communioni, quibus *corporis ac sanguinis Dominici sacramenta sumebantur*; *e singulis* (inquit) *diebus Dominicis in Quadragesima* (*præter hos, qui excommunicati sunt*) *sacramenta corporis & sanguinis Domini sumenda sunt, & in Cœna Domini, & in Parasceve, in vigilia Paschæ, & in die resurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum.* Tam Parasceve, quam diebus Dominicis in quadragesimæ definit sumenda tam *sanguinis*, quam *corporis Do-*

d Men. Nor. in Greg. l. Sacr. m. p. 87.

e Theodulf Capit. c. 41.

minici sacramenta. Atqui vinum *exteriori aliqua sanctificatione affectum* nullum est *Dominici sanguinis sacramentum.* Ergo inquam *vinum* illud *sanctificatum*, quod in Parasceve sumebatur, verum proprieque dictum erat *sanguinis Dominici Sacramentum*; non quod Menardus perperam interpretatur, vinum exteriori duntaxat sanctificatione affectum. Eadem ratio est communionis, quæ fiebat in vigilia Paschæ, & in die resurrectionis Domini. Vtraque sub duplici specie fiebat; neque tu mihi aliam, quo tempore scribebat Theodulfus, communionem solennem ex veris libris dabis. Ergo & Parasceves communio, quæ una cum istis hic censetur? fiebat sub utraque specie. Id ipsum significat Theodulpho paulo junior Valafridus; quo loco cum *Apostolos* dixisset, & *proximos* eorum successores Eucharisticum sacrum *orationibus, & commemoratione passionis Dominici simpliciter egisse* ibidem hunc illorum priscum usum solenni ævi sui Parasceves communioni æquiparat his verbis; * *Relatio* (inquit) *majorum est ita primis temporibus Missas fieri solitas sicut modo in Parasceve Pasche' in quo die apud Romanos Missæ non aguntur) communicationem facere solemus; id est præmissa oratione Dominica, & sicut ipse Dominus noster præcepit, commemoratione passionis ejus adhibita, eos corpori Dominico communicasse, & sanguini, quos ratio permittebat.* Hic Valafridum vides, ut doceret, quid sit quod dixerat, priscos Missas fecisse sicut sui ævi fideles in Parasceve communicationem facere solebant, rem sic explicare; *id est*, inquit, *præmissa oratione Dominica, & commemoratione Dominicæ passionis adhibita corpori Dominico communicare & sanguini.* Ergo inquam, auctore ac definitore Valafrido, etiam Parasceves communio, non corporis tantum, sed & sanguinis Dominici participatio erat. Totum hujus communionis à cæterorum dierum communione discrimen in eo erat, non quod hæc unius panis, illa etiam calicis esset; sed quod illa simplicissime, oratione Dominica, & commemoratione passionis Dominicæ fieret; *hæc multiplici orationum, cantilenarum, & consecrationum officio perageretur* (ut idem paulo ante dixerat) & quod illa apud Romanos quidem (quos non frustra hic nominatim memorat) absque Missa ageretur; hæc & Romæ & alibi non fieret nisi Missa priusquam communicaretur, ibidem & eodem die celebrata. Ac ne cui mirum videatur istos Romani Ordinis Latinos vinum panis sacri immissione sanctificari ac plene consecrari putavisse, observandum est eos non *panis* modo, sed etiam *vini sacri* admixtione *vinum commune consecrari credidisse*, Tertius eorum libellorũ, quos Cassãder *Ordinis Romani* titulo inscriptos edidit, id ipsum nos docet; *f* *Ipse Põtifex* (inquit *confirmatur ab Archidiacono in calice sancto; de quo parũ refundit Archidiaconus in majorem calicem, sive in scyphum quẽ tenet Acolythus, ut ex eodem sacro vase CONFIRMETVR populus, quia vinum etiam non consecratum, sed sanguine Domini commixtum, SANCTIFICATVR PER OMNEM MODVM*, & hæc verba nullo dẽpto apice omnia quoq; habentur in ea Ordinis Romani, editione, quæ curata est in Bibliotheca Patrum: In his autem *sanctificari per omnem modum* nihil aliud esse potest, quã plane consecrari, & verum

CAP. XXII.

* Valafr. de reb. Eccl c. 22. p. 680 B. T. 10. Bibl. P.

f Ord. Rom. apud Cass. p. 112. extr. & in ord. Rom. edito T. 10. Bibl. Patr. p. 23 A.

CAPUT XXII.

Dominici sanguinis sacramentum fieri, non autem *exteriorem duntaxat aliquam sanctificationem percipere.* Quod ex iis, quæ apud eundem scriptorem mox sequuntur, g liquido intelligitur; *Recepto* (inquit) *calice* (majore illo scilicet in quem parum de calice sancto refusum erat) *Archidiaconus confirmat omnes sanguine Dominico, quos communicaverit Pontifex corpore Dominico.* Hic aperte *sanguinem Dominicum* (id est verum proprieque dictum divini illius sanguinis sacramentum) vocat id ipsum vinum, quod supra sanctificatum fuisse dixerat sanguinis Dominici commixtione. Atqui nullum vinum, nisi rite consecratum, sanguinis Dominici nomen cupit. Necesse est ergo *sanctificationem* illam, quam *vinum* commune à commixtione sacri calicis suscipere credebant, nihil aliud iis fuisse, quam veram proprieque dictam consecrationem. Idem quoque inde discimus, quod ab Archidiacono *confirmatos* fuisse ait, omnes quibus vinum illud ita sanctificatum ministrabat. Neque enim alij in synaxi *confirmari* apud illorum temporum scriptores dicuntur, quam qui verum proprieque dictum sanguinis Dominici sacramentum post sumptam sacri panis particulam, hauriebant. Nimirum sicut nunc Latini docent *aquam non benedictam additam benedictæ effici benedictam, & oleum non consecratum additum consecrato reddi consecratum*; ita & isti eorum majores *putabant* vinum consecratum immissum in vinum consecratum, transire in *eius naturam, & ipsum quoque vere consecratum fieri.* Cum ergo sacri panis eadem quæ calicis vis atque ratio sit, apparet istos vinum commune ex sacri tam panis, quam vini admixtione vere consecrari putasse; adeoque falli Latinos, qui ei sanctificationem nescio quam duntaxat exteriorem hac panis immissione conciliatam fuisse somniant. Neque sane aliter capi potest, quæ istorum mens, quive animus fuerit, in admiscendo huic communi poculo sive pane, sive vino sacro. *Exterior* illa *sanctificatio*, quam hic obtrudit Menardus, prece vel benedictione facile haberi potuit; ut nihil opus fuerit Sacratum in Christi (ut illi loquuntur) *sanguinem*, vinum, frustra gratisque perdere. Necesse enim erat duorum alterutrum; nimirum hac admixtione vel consecratum fuisse vinum, cui sacramentum admiscebatur vel certe quod copioso vino non Sacro admiscebatur parum sacramenti, id juxta Thomæ doctrinam corrumpi, & in vinum non sacrum transire; Hoc vero nescio an rectæ rationi fideique Latinorum congruat; & an à profanationis atque abusus crimine purgari possit. Vasques quidem magnus ille *mundi Iesuitici magister*, rotunde pronuntiat manifestum sacrilegium *fore absque magna necessitate sola devotionis gratia species* (sacramenti) *dissolvere, & Christum ab eis separare.* Ergo illud de veteribus certo constituendum est; credidisse eos scilicet hac admistione, non sacramentum corruptum fuisse, & à suo statu degenerasse, sed contra vinum commune profecisse, & in id ipsum conversum esse, quod ei admixtum erat; id est in veri propriique nominis sacramentum. Nobiscum sentit vetus Micrologi auctor, qui undecimo seculo

g Ibid. B. in Bibl. P.

Thom. 3. q. 77. A.8. in resolut.

* Vasq. in 3. Thom. disp. 195. c. 6. num. 65.

seculo sub Gregorio P. R. 7. vixit Nam hunc ipsum Ordinis Romani locum, quem Bellarminus tam confidenter ad erroris sui patrocinium afferre ausus est, iste haudquaquam sane ex deterioribus illius memoriæ scriptoribus, plane sic accipit, *b* ut eum nos interpretati sumus; *Ordo* (inquit) *Romanus in Parasceve vinum non consecratum cum Dominica oratione, & Dominici corporis immissione iubet CONSECRARE ut populus plene possit communicare. Id ipsum vinum, quod Ordo sanctificatum dixit, hic plane consecratum dicit, quidem* cum valide consecratum, ut qui ex hoc vino bibit populus, eum Micrologus affirmet *PLENE COMMUNICARI.* Eadem olim in Ordinario ipso Romano lecta fuisse Cassander firmat *i* viri gravis testimonio: *Petrus Cantor Parisiensis* (inquit) *vir summa auctoritatis, in Ordinario Romano hæc se addita legisse testatur, UT CONTACTU DOMINICI CORPORIS INTEGRA FIAT COMMUNIO.* Hæc verba id ipsum significant, quod dicit Micrologus, *ut populus plene possit communicare. Plena* enim communio idem est, quod *integra.* Unde refellitur dilutum Vasquis commentum; qui hoc antiqui Romanæ Ecclesiæ usus difficultate coarctatus, eo concedit, ut dicat, *quia quadam ratione censetur totum vinum manere benedictum, ut eo QUODAMMODO possit populus confirmari.* Viderit ille quid sit illud suum *quadam ratione benedici, & quodammodo confirmari* aiunt vinum non sacrum illa sacri admistione sanctificari PER OMNEM MODUM, & populum qui inde bibebat PLENE *communicatum, & SANGUINE Dominico confirmatum.* Atque ex his omnes jam ut spero, satis vident, quam temere Bellarminus scripserit *ex Ordine Romano intelligi in publico etiam cœtu Ecclesiæ usum fuisse unius speciei, idque annis plus mille,* quibus tam paucis verbis duo gravissimi errores continentur: prior de re, alter de tempore. Nam à vero adeo abest, quod ille tam confidenter affirmat, ut plane contra quam putavit, liquido ex illo scriptore appareat ne seculo quidem undecimo ullum vel apud Latinos ipsos fuisse illius sub una specie communionis usum. Sed & de tempore auctoris ordinis hujus Romani, quem nunc habemus, largiter idem falsus est, cum eum existimavit annis ante nos plus mille vixisse. Atqui hujus libri auctorem, ipse quod jam diximus, Morinus ne ante seculum quidem undecimum scripsisse & judicavit & probavit.

CAPUT XXII.

b Micro L. c. 19. T. 10. Bibl. P. 742. C.

i Cass. ep. 19. p. 1107. & L. de comm. sub utraque. p. 1027.

* Vasq. ubi supr.

Veteres fuisse eo ut eius communio INTEGRA fuit.

CAPUT

Caput XXIII.

CAPUT XXIII.

VIII. *Bellarmini suspicio refellitur, ex communione Laïca, ad quam Clerici damnabantur, ducta. Quid sit Laïca communio ex Albaspineo & Morino & Rigaltio ostenditur; qua in re definienda Bellarminum & alios gravissime esse hallucinatos.*

k Bell. L. 4. de Euch. c. 24 §. Quintus ritus.

l Cypr. ep. 52. & 67. & 73.

m Cass. de comm. sub utr. sp. p. 1029.

n Albasp. Observ. L. 1. c. 4. p. 10.

SUperest *Communionis Laïcæ* pro pœna Clericis infligendæ mos vetus, ex quo Bellarminus communionem sub una specie in antiquæ Ecclesiæ usu fuisse argumentatur. k *Communio* (inquit) *Laïca in pœnam gravis alicuius delicti olim dabatur Clericis ablata eis communione Clericali.* Tum probat antiquum fuisse hunc usum; quod nemo negat; & testibus, quos ad hanc rem adduxit, Cyprianum l illis omnibus antiquiorem addere poterat; qui ejus non semel meminit. Non docet, qui ex hoc more quæstionem concludat. Supponit enim omnes *communionis* illius *Laïcis* nomine id ipsum intellecturos, quod hodie isto nomine significatur, communio scilicet sub una specie. Sed mutato veteri communionis ritu, ipse nominis sensus necessario quoque mutatus est; quod in aliis fere omnibus apud Latinos accidit, ut rerum antiquarum, tametsi novatarum & in aliud mutatarum nomina tamẽ etiam hodie retineantur. Indignatur, quod Melanchthon & Chemnitius Latinos suæ memoriæ rideât hoc argumento ad constituendam suæ sub una specie communionis antiquitatem utentes. Illi vero merito riserunt: & hodie qui paulo sunt in illis partibus eruditiores, ipsi suos istos veteres communionis sub una patronos, vel rident, vel certe reprehendunt. Imo eorum errorem nonnulli Latinæ communionis viri jamdudum ante nos animadverterant, & denotaverant. Cassander certe, annis non paucis antequam Bellarminus suas Controversias ederet, hac de re ita scripserat: m *Hodie* (inquit) *doctissimi quique, & rerum Ecclesiasticarum peritissimi ingenue agnoscunt ea quæ de Laïca communione apud veteres leguntur, non debere intelligi de alio communicandi genere, sed de gradu, ordine & loco communicantium, quod alia dicendi forma dicebatur inter Laïcos, cum Laïcis, ut Laïcum communicare.* Quo inexcusabilior est Bellarmini pertinacia, qui post hanc suorum observationem hærere maluit in eodem luto, quam verioribus manus dare, & glandibus post inventas fruges vesci, quam Dei munere cum illis doctoribus frui. Nunc quidem nihil est, quod ejus obstinatum in veteri suorum errore animum multum moremur: postquam Gabriel Albaspineus, Aurelianensis Episcopus, ejus nominatim, & aliorum, qui in eodem versantur errore, opinionem docte ac copiose refutavit, n & abditam in veterum monumentis *Laïcæ* illius *communionis* veram rationem ita clare ac fortiter patefecit, explanavit, atque confirmavit, ut ne ipsi quidem

quidem Bellarmino, si nunc revivisceret, vel cæteris de eodem genere capitonibus vllus relictus supersit, non dico recalcitrandi, sed vel contra hiscendi locus. Ac cætera quidem reconditiora; quæ vir ille singulari acumine atque diligentia ex antiquitatis ruderibus fœlicissime eruit ab istis leviore fere brachio hoc tractantibus animadversa non fuisse, minus miror hoc vero non possum non imputare improbo caussæ, quam agunt, studio, quod ne illud quidem viderunt, quod est in hac disputatione opertissimam, fieri scilicet non posse, ut illa veterum *Laïca communio*, quicquid de cætero fuerit, sub una specie fuerit. Nam si *Laïca communio* ad Eucharistiæ participationem, quod Bellarminus statuit, referenda est, non alia de caussa *Laïca* dicta est, quam quod qui ea plectebantur Clerici, *Laïcorum more communicare cogerentur.* Iam vero Laïcos sub utraque specie communicasse, quibus temporibus Laïca communione puniti vel puniendi dicuntur Clerici, certissimum est, & ex iis quæ hactenus disputavimus apertissimum; idque hoc ipso loco Albaspineus *necesse esse concedi* scribit. Ergo illud quoque necessario fatendum est illam veterum Laïcam communionem, si de Eucharistiæ participatione accipiatur, sub utraque specie factam fuisse. Ita Albaspineus Bellarmini errorem evidentissimo argumento confutavit Eius vero effugium cavillantis *o* illam communionem ad quam Clerici ob sua crimina damnabantur, ideo vocatam fuisse à veteribus *Laïcam*, quod Laïcis non aliam, quam panis speciem domum secum auferre licuerit, id, ut Albaspineus merito affirmat, *futile est ac jejunum*; primo quia quo ista cavillatio nititur, vini speciem fideles nefas fuisse secum ex mensa Dominica auferre, id omni ex antiquitate fundamento caret; imo falsum est, ut nos nuper non uno veterum testimonio demonstravimus. *p* Secundo quia communionis Laïcæ nomen simpliciter positum eam populi communionem significat, quæ solennis & publica est Eucharistiæ apud Ecclesiasticam Domini mensam participatio, quæque adeo sub vtraque specie illis temporibus fiebat. Itaque si quod isti ponunt verum esset (quod falsum esse constat) Laïcis vnam speciem secum auferre & domi percipere licuisse; ne sic quidem Laïca communio simpliciter ita dicta, ex illis temporibus intelligi potuisset, quæ domi à singulis fidelibus fiebat; neque isti minus ridicule instituere mihi videntur, qui ex his ita à se positis argumentantur, Clericos ad *Laïcam communionem* damnatos sub vna specie Eucharistiam sumpsisse, quam si eos inde concluderent non in Ecclesia, sed domi quemque suæ communicavisse; quia scilicet panem olim fideles, quem ex Sacra mensa asportabant, non in Ecclesia, sed domi privatim esitabant. Postremo aliud etiam est, quod prohibet ne *Laïca communio* ab illo particulas ex mensa Dominica asportandi more appellari potuerit; quod nimirum iste mos, non magis Laïcorũ esset, quam Clericorũ, ut postea suo loco *q* exemplis Theodori Studitę & aliorũ ex media antiquitate

CAPVT XXIII.

o Bell. ub. sup. §. Sed neque hæc.

p Supr. c. 11.

q infr. l. 6. c. 15.

Caput XXIII.

petitis demonstrabitur; unde liquet hujusmodi communionem non magis Laïcam fuisse, quam Clericam. Ad quam vero communionem Clerici damnabantur eam veteres hoc ipso quod *Laïcam* vocant, clare significant Laïcorum propriam ac peculiarem fuisse; non autem eorum cum Clericis communem. Iam si quæras, quidnam ergo veteres per *Laïcam* illam *communionem* significaverint, ad quam Clericos quosdam delinquentes damnabant, respondebit r pro nobis Albaspineus; *Sic* (inquit illc) *censeo; communionem Laïcam de Eucharistia unico modo intelligi non debere; sed communionem latissime ius illud, quo unusquisque in corpore fidelium consequitur, & necessitudinem, quæ Christianis inter se intercedit, complecti. Atque ut duo erant Christianorum ordines, Ecclesiasticus & Laicus; ita duo erant communionis genera; alterum Ecclesiasticum; alterum Laicum; vel ut appositius dicam, una tantum erat communio generalis, unum corpus, una Ecclesia, cui uni alij, ut Ecclesiastici, ceteri, ut Laici, communicabant. Communio igitur Laïca erat esse in Ecclesia, & de Ecclesia, tanquam Laicum; ita ut qui Ecclesiasticus Laïcæ communioni deputabatur, gradu suo perpetuo excideret, & ex Clerico fieret Laïcus; quod si Eucharistia participaret, Laicorum more, non Ecclesiasticorum participaret. Sed omni ratione contendo potuisse fieri, ut quis Laïcorum more communicaret, nec tamen sumeret Eucharistiam. Nam communicare nihil aliud est, quam partem habere in consociatione fidelium, quæ etiam considerata extra Eucharistiam multas alias rationes complectebatur; quamvis nolim negare eius coniunctionis, per quam in unum corpus fideles coalescunt, præcipue vim & modum in Eucharistia residere.* Hæc ille, quæ deinceps accuratissime expensis atque inter se collatis omnibus totius antiquitatis, ubi de communione Laïca sermo est, testimoniis, docte solideque constituit atque confirmat.

r Albasp. L. 1. Observ. c. 4. p. 12.

Hujus præeuntem facem, ac vestigia secutus Ioannes Morinus rem totam illustravit; cujus hic pauca ad majorem lucem adjicere non pigebit. Ille ergo *Clerico Laïcum tantum tribuere communionem nihil aliud esse* definit, s *quam Clericum omni Clericatus dignitate abdicare, id est uno verbo deponere. Unde* (inquit) *Cyprianus conquerentibus quod* Cornelius, Episcopus Romanus, *Trophimum Sacerdotio post lapsum restituisset, eum respondet, ut Laïcum communicare; Sacerdotis vero munia non obire; Sic tamen admissus est Trophimus, t ut Laïcus communicet, non secundum quod malignorum litteræ ad te pertulerunt, quasi locum Sacerdotis usurpet* verba sunt Cypriani ex epistola 52. Tum illustri exemplo id confirmat; *Aimonius* (inquit) *refert u Carlomannum Caroli Calvi, Francorum Regis & Imperatoris filium, Senonensisque Ecclesiæ Diaconum perduellionis in Patrem convictum, secundum sacras regulas ab omni gradu Ecclesiastico, Laïca sibi communione servata, Sylvanecti in Episcoporum Synodo depositum fuisse. Hac animadversione fractus non est regij juvenis animus: sed contra audentior in cœpta ruit. Existimavit enim* (inquit Aimonius) *eo facilius ad nomen & poten-*

s Morin. Exercit. Eccles. L. 2. Exercit. 9. p. 335.
t Cypr. ep. 52.
u Aimon. L. 5. c. 29.

CAPUT XXIII.

tantum regium se conscendere posse; quia ordinem Ecclesiasticum non haberet & Episcoporum judicio gradum Ecclesiasticum amisisset. Nihil est igitur Laice communicare, quam Ecclesiastice non communicare, officiisque Ecclesiasticis non defungi; ejus interpretationis argumenta non levia sunt, nusquam nisi in causa & condemnatione Clericorum Laicæ communionis mentionem fieri; Laicam communionem Clericis nunquam infligi, nisi ob peccata, quibus depositionem alii canones decernunt: Laicis denique Laicam communionem nunquam inuri; ut omnia & singula testimonia examinantibus erit manifestum. Hinc exponit x quid illa sint, *Clerico ne Laicam quidem communionem concedere*, in Concilio Sardicensi canone primo; Quid *in fine tantum eam concedere*, apud Fœlicem P. R. 3. epistola 7. quid denique eam *ne in morte quidem concedere*; in Concilio Sardicensi C. 2. Ut Laicæ communionis concessione, depositionem; ita ejus denegatione depositionem cum pœnitentia; concessione ejusdem, sed in fine tantum, vel ne in fine quidem eliminationem ab Ecclesia significatam fuisse. Hæc Morinus hactenus; quæ si Bellarminus vel perspecta habuisset, vel certe diligentius ad ea attendisset, nunquam ex illis Fœlicis & Synodi Sardicensis, & aliorum verbis; quæ frustra affert, conclusisset y *pœnam Clericis inflictam hanc fuisse quod communicantibus aliis Clericis sub utraque specie, ipsi prohiberentur à calice Domini, & cogerentur unam tantum speciem sumere*. Merum hoc est Bellarmini somnium; neque ullum apud veteres tale Eucharisticæ communionis discrimen usquam occurrit, vel ejus qua Clerici ab ea qua Laïci, vel ejus qua Clerici stantes ab ea, qua lapsi & depositi communicabantur apud mensam Dominicam; nullum inquam tale discrimen in antiquis libris extat, quod nimirum ad sacramenti quod ministrabatur speciem pertineret. Quod ergo aliqui è Clericis lapsis ad *communionem Laicam* redigebantur id nihil aliud significat, quam eos Clericali munere, quo fungebantur, & iis officiis, quæ muneris erant, abdicatos in Laicorum statum & conditionem devolvi: & *plebem posthac fuisse*, si phrasin ab Horatio in alio argumento usurpatam huc transferre liceat, adeoque Eucharistiam eodem modo, eademque ratione sumpsisse, qua sumebant Laïci, quamdiu quidem communione Laïca frui illis concedebatur. Iam si quæras fuerit ne aliquod in sumenda Eucharistia Clericorum à Laïco discrimen; respondeo fuisse. Ac primo quidem *ordinis*; ut Clerici primo, Laïci non nisi post Clericos eam sumerent, quod ex Constitutionibus Pseudapostolicis constat. Atque hoc quidem unum fuit alterius ab altera participationis discrimen, quamdiu omnes fideles ad ipsam Dominicam mensam sacramentum accipiebant: quod Dionysii Alexandrini temporibus id est ad ann. D. 270. factitatum esse ex illius Episcopi quodam apud Eusebium loco, supra à nobis recitato satis patet. Sed postquam sanctuarium à reliqua basilica velo & cancellis secludi placuit, tum ad ordinis, etiam loci inter utramque communionem

x Morin. ub. supr. Exercit. 10. p. 337. ad 342.

y Bell. L. 4. de Euch. c. 24. §. Sed neque hæc.

z Hor. Epist. L. 1. ep. 1.

* Constit. Ap. c. 8. c. 13. p. 1023.

† Ab. Dion. Al. apud Euseb. Hist. L. 7. c. 9. p. 255. B.

Caput XXIII.

a Goar Miss. Chrys. Not. 179. Euch. p. 151.

discrimen accessit. Ordinis enim honori datum est, ut Clerici non tantum, ut extra, prius communicarent, sed etiam alio, eoque digniori loco quam Laïci, illi intra cancellos, in sanctuario, apud ipsam sacram mensam, hi extra cancellos, & portam *Bas' uli* Regiam, ad procul ab altari; ut est à Goare observatum ac explicatum; qui non alia quam hac ratione *Clericum*, id est quam ipse *Sacerdotalem & Ecclesiasticam* vocat, *communionem* à *Laïca* distinguit. Qui ergo illis temporibus ad Laïcam communionem damnabantur Clerici eos minime dubitandum est, hoc & ordine & loco sacramentum deinceps sumpsisse, non ut antea solebant, ante plebem, & in sanctuario, sed una cum plebe post clericos, & extra Sacros cancellos. Nullum præter hoc, in omni veteris Ecclesiæ decursu aliud discrimen inter Clericam & Laïcam sacramenti Eucharistici participationem observari potest. Vnde clare ac necessario, contra, quam volebat Bellarminus, conficitur illos ad communionem Laïcam dejectos Clericos Eucharistiam sub utraque specie sumpsisse, quando id jus Laïcorum fidelium illis temporibus fuisse & antiquitatis consultissimus Albaspineus concedit, & nos abunde tota hac disputatione probavimus. His quæ de Laïca communione diximus consentanea quoque scribit *a* vir è Latinis doctissimus Nicolaus Rigaltius, ad locum Cypriani de Trophimo à Morino citatum; Clericum ad laicam communionem dejectum *recepisse quidem Ecclesiasticam communionem, hoc est societatem & conversationem cum cæteris fidelibus, ita ut fieret particeps corporis Christi; sed non recepisse locum, quem in ordine prius tenuerat.* Itaque (inquit) *de Episcopo, de Presbytero, de Diacono fiebat id, quod erat, prius quam fuisset ordinatus. Reddebatur illi locus in Ecclesia; non dignitas loci; Communicabat ut Laïcus, sive plebeius. Vtebatur iure cæterorum fidelium, qui nondum erant promoti ad quemquam ordinem Ecclesiasticum. Hac erat tunc communio Laïca: cuius adeo participes Eucharistica sacramenta, speciem inquam utramq; panis & vini sumebant.*

Ex his postremo patet quanta sit Bellarmini vanitas, cum *constare* affirmat *ab annis plus octingentis fuisse usum in quibusdam Ecclesiis communionis sub una specie etiam in publico cœtu fidelium & extra diem Parasceves.* Atqui ne ipso quidē Parasceves die vel alibi, vel in ipsa urbe Roma hunc fuisse morem demonstravit. Concilia Constantiense & Basiliense, dū quod ille ait, testantur *hunc usum longo tempore in Ecclesiis quibusdam fuisse*, vel tempus intelligunt, quod à seculo duodecimo ad suam ætatem fluxerat, vel causæ suæ studio ultra veri metas abripi se siverunt, quod hic quoque & alibi sæpe Bellarmino & cæteris Latinis accidit, qui suis omnibus ritibus, institutis ac dogmatis illum antiquitatis colorem obducere misere cupiunt, totique orbi, etiam in hac litterarum luce per fas nefasque persuadere conantur sua omnia antiquissima, & Apostolica esse. Bellarminus Græcos nihil unquā Latinis hac de re objecisse gloriatur, quod omissuri non fuerant si hoc istorum institutum damnarent. Si veteres Græcos dicit, qui ante seculum decimumtertium vixerunt, non est mirum eos

non

non objecisse, quod nondum apud Latinos receptum erat. Si sequentia post seculum duodecimum ad Constantiensem Synodum tempora respicit; Græcos ille usus facile latere potuit, qui nulla communi & publica Latinæ totius Ecclesiæ auctoritate, sed propria privataque vel populi superstitione, vel Præpositorum etiam quorumdam aut studio, aut ignavia in quasdam tantum Ecclesias primulum irrepere cœperat. Quo factum esse probabile est id, quod supra *b* observavimus, ut neque Iacobus Vitriacensis Cardinalis Græcorum & Orientalium Christianorum à suis Latinis in religionis negotio discrimina enarrans, ullam istarum gentium observaverit sub utraque specie Eucharistiam omnibus communicantibus ministrasse. Huc accedit, quod his temporibus Græci longe aliis curis distinebantur, domique occupatiores erant, quam ut iis in alienam fidem curiosius inquirere vacaret. Fateor eos neque apud Synodum à Papa Eugenio Ferrariæ primo, nondum soluta Basiliensi, inchoatam, mox Florentiæ continuatam, ullam fecisse de Latina sub una specie communione mentionem. Sed qui Papæ & Latinorum præsidium rebus afflictis, ac pæne perditis mendicatum venerant, facile suos hospites patiebantur suo hac in re uti judicio, præsertim qui secum eadem συγκατάβασιν uterentur, seque habere, & servare finerent acceptum à majoribus sub utraque specie communicandi ritum; nequid jam de eo dicam, *quod prius aperte coram Eugenio IV. professi erant, se sine totius Orientalis Ecclesiæ auctoritate quæstionem aliam tractare non posse, cum pro illa tantum de Spiritu sancto processione Synodus convocata fuisset*; ut est à Stanislao Felic. observatum in notis ad Tridentinam Pallavicini historiam suis. Vbi vero propriæ illæ rerum ac temporum causæ Latinorum communio sciunt, quibus aliquis cum iis usus fuit, & illa Patriarchæ Constantinopolitani Hieremiæ ad Virtembergenses Theologos verba, quæ nos supra exhibuimus una cum Metrophanis Critopuli testimonio, abunde nos docet. Neque hunc ritum soli Græci reprehendunt. Ipsos quoque Abassinos eum in Latinorum sacris denotasse ex Iesuitarum Annalibus didicimus; ac quæsivisse, *cur illi Christianam plebem eo fructu fraudent, quem ex Christi sanguine percipiunt quibus sacrum poculum communicatur.*

Caput XXIV.

b Supr.c.12. extr.

d Felic. Not. in hist. Pall. ad c.9.n.50. p. 94.

e Supr.c.14.

f Ibid. ex Relat Æth.a. 1620.

CAPUT XXIV.

Bellarmini pro sua sub una specie communione. Ratio est quatuor incommodis communionis sub utraque specie, petita refellitur.

QVas Bellarminus antiquis Ecclesiæ ritibus rationes subnectit duas, earum posterior ab instituto nostro aliena est, qui quid olim factũ fuerit nunc quærimus; non quod illa ratio probare intendit, quod fieri

Caput XXIV.

vel debeat hodie, vel olim debuerit. Hæc enim ratio ex incommodis quibusdam ducitur, quæ Bellarminus consecutura esse hariolatur, si quibusvis fidelibus utraque Eucharistiæ species à sacramenti ministris præbeatur. Primum incommodum esse dicit *impossibilitatem hoc præstandi in iis locis, ubi populus sit valide numerosus, & unus tantum sacerdos*. Sed si hoc est *impossibile* in iis locis; ergo neque id in talibus locis unquam factum est. Quod enim fit, id impossibile nemo sapiens dixerit. Nullus autem apud veteres hujusmodi locus nobis hactenus ostensus est, in quo Eucharistia vel in numerosissimo populo, etiam ab uno sacerdote sub sola panis specie ministrata sit. Falso ergo frustraque iste uspiam impossibile factu esse dicit, quod ubique factum fuisse cernitur. Neque ego satis capio cur apud unam mensam numerosam hominum multitudinem edere facilius sit, quam bibere, vel panem quam poculum singulis porrigere; curve Bellarminus, qui illud prius facile esse concedit, hoc posterius *impossibile* esse sibi persuaserit. In priori quidem ratione aliquid de commentitia illa impossibilitate, dixerat; sed in Ecclesia Romana, in qua plures ministrasse Presbyteros, imo & Episcopos constat. Verum quam futili argumento suam illam imaginariam communionis sub utraque specie impossibilitatem adstruere conatus sit, mox Deo dante ostendemus.

g Bell. l. 4. de Euch. c. 24. §. Primum incomm.

Huc quoque id pertinet, quod ille tertium recenset incommodum g *Multi (inquit) abhorrent à vino, & vel natura abstemij sunt, vel educatione, ut in calidis regionibus. Assuefiunt enim pueri & puellæ, etiam nobiles aquæ potui; unde multi postea etiam in matura ætate non possunt absque nausea vinum gustare.* Sed hoc incommodum neminem ministrorum prohibet utramque sacramenti speciem ad mensam Dominicam accedentibus porrigere de quo nunc quæritur; prohibet tantum calicem sacrum eos sumere, qui ex istis à Bellarmino enumeratis vinum gustare plane nequeunt; de quo genere nulla nobis controversia est. Cæterum si hæc idonea ratio est, cur nulli fidelium ad mensam Dominicam accedentium sacer calix ministrari debeat, concludet quidem veteres inepte & imprudenter, judice Bellarmino fecisse, qui calicem nemini negarunt; calicem eos cuiquam negasse, non concludet. Sed quia divinum jus est omnes apud Christi mensam bibere, Bellarminus inde colligit, etiam eos, qui natura abstemij sunt, hoc est quibus à natura negatum est vinum gustare, ad bibendum tamen in synaxi vinum obligari. Cur hic oblitus est, quod & ipse & cæteri Latini, alias tantopere urgent neminem ad ea, quæ sunt impossibilia, teneri, & merito sane urgent, si id impossibile intelligunt, quod non mentis & voluntatis vitio, sed natura est impossibile? Sed viderint abstemij. Ministros quidem neque hæc, neque ulla alia similis ratio vetat utramque sacramenti speciem porrigere communicantibus. Vt taceam quantæ sit iniquitatis ob quosdam oppido paucos abstemios, cæteros omnes fideles, quorum præ illis immensa est multitudo, Domini sui salutari poculo fraudari.

* Ib'd. §. Tertium incommodum

Non

CAPUT XXIV.

Non est justior, quæ quarto loco objicitur h vini in quibusdam locis penuria. Sed neque docet Bellarminus hac causa compulsos fuisse veteres communionem sub una specie ulla in Ecclesia vel tolerare, vel quod Papa nunc facit, præcipere: Norvegis ex Volaterrano concessum fuisse ab Innocentio IV. narrat sine vino sacrificare; quod nullum apud eos vinum crescat. Atqui nunc etiam in illis ipsis, vicinisqve regionibus Dania, Suecia, &c. nostri, qui loca illa incolunt, omnes sub utraque specie communicāt, & Clerici, & Laïci. Vnde quivis videt, quam sit vana hæc Bellarmini causificatio. Veteres quid facturi fuerint in simili causa, Æthiopum exemplum docet. Illi enim, quod vino careant, quodam ejus ut ita dicam *ἀντιβαλλομένῳ succedaneo*, ex uvis passis aqua maceratis expresso liquore ad Eucharisticum poculum utantur; neque à quoquam veterum damnatum fuisse hunc eorum morem auditum est.

i Bell. ibid. §. Quartum incommodum.

Sed hæc quæ sunt, ut sic dicam, *accedentaria*, rata paucorum hominum & locorum propria, mittamus. Si non aliis vel personis, quam abstemiis, vel gentibus, quam vini nesciis calicem Papa negaret, aliquam hæc ejus lex speciem haberet, Neque ista perperam, & præter rem Bellarminus nobis in tali causa obtruderet. Nunc cum omnes nullo discrimine personas gentesque Papa à sacro poculo arceat; plane negatur Bellarminus, qui talibus næniis nihil ad causam pertinentibus chartas replet.

Vnum est, secundum ut ille numerat, i icommodum, paulo cum causa conjunctius, irreverentiæ in Eucharistiam periculum, si forte sacri vini aliquid, quod in promiscuo omnium potu cavere difficile est in terram effundatur. Sed si hic & similes casus usque adeo reformidandi sunt, ut poculum sacrum omnibus negare præstet, quam in tantum discrimen dare; vetus omnis Ecclesia intolerabilis, vel stultitiæ, si tantum periculum non intellexit, vel etiam impietatis, si intellectum neglexit, damnanda est. Itaque qui hic ista suaviter declamitat Bellarminus, non tam sui Papæ disciplinam purgat, quam veterum sapientiam, proterve sane nequid gravius dicam, sugillat; Quin & ipsius Domini institutionem, & Apostolorum praxin non obscure, ut videtur, ferit. Christus vero (inquit) non jussit vel communicantem bibere, vel celebrantem poculum communicanti porrigere. Sed ne hoc quidem, tametsi assertum impudentius, arcet omnem à Christo, & ab Apostolis contumeliam. Esto enim; Hæc non præceperit Christus; non docuerint Apostoli: certe non vetuerunt, quæ ex Papæ lege erant vetanda, ob scandalorum, in quæ incidunt, qui hæc ita instituunt, enormitatem. Legislatorem enim non purgat, qui eum quæ vel crimina, vel impietati & irreverētiæ in Deum necessario obnoxia sunt, ea præcepisse negat; quæ scilicet non modo non præcipere, sed etiam vetare & amoliri debuerat. Atqui hæc quæ Papa scilicet prudenter ac necessario pro sua sapientia vetuit, Christus & Apostoli adeo non vetuerunt, ut præter homines Papæ obnoxios nemo sit, qui illius Evangelica & harum

i Ibid. §. Secundum incommodum

Caput XXV. rum epistolas absque animi studio legens, non putet eos, ista quæ Papa vetat, enixe præcipere. Sed ego desino; cui nunc quidem satis est, quod quiqui tandem sit justus-ne an falsus & inanis iste tantus vini sacri effundendi metus, veteres certe adeo non agitavit, ut cuiquam fidelium Dominicum ideo poculum negarint.

CAPUT XXV.

Altera Bellarmini ratio refellitur (quæ apud eum prior est) inverecunde fingentis ab annis plus 800. in quibusdam Ecclesiis usitatam fuisse suam sub una specie communionem. Figmenti vanitas detegitur, & quæ ad id constituendum allata sunt omnia confutantur.

k Bell. ub supr §. Quinta ra io.

l Supr. c.

SEd altera nunc Bellarmini ratio, quæ apud ipsum prior est, nobis excutienda est, qua præter omnia, quæ hactenus aperte ac valide constituimus, audacter profecto & nimium confidenter affirmat k *ab annis plus octingentis fuisse usum in quibusdam Ecclesiis communionis sub una specie*, etiam in publico cœtu fidelium, & extra diem Parasceves. Nos vero jam ostendimus ne illo quidem Parasceves die siccam fuisse vel Sacerdotum, vel Laïcorum communionem. Argumenta vero quibus ille suum istud figmentum probare contendit, omnia sunt ut breviter dicam vel ridicule, vel certe levissima. Obsecro enim nonne ridiculum est, ut demonstres *ab annis plus octingentis usum fuisse communionis sub una specie in quibusdam Latinorum Ecclesiis*, Patres Constantienses & Basilienses citare homines seculi decimi quinti, & quidem primarios ac principes hujus ipsius usus vel potius abusus, de quo quæritur, assertores? His Bernardum & Thomam subjicere, quorum ille a. D. 1153. hic vero a. D. 1274. è vivis excesserunt? & Hosij nuperi Cardinalis de suis Polonis hariolationes, quorum quam non vetus sit Christianismus, omnes sciunt, qui scilicet cœpit pacis modo ante millesimum Christi natalem annis? Duo vero reliqua, quæ ad hanc rem profert, levissima sunt. Prius est ex Bedæ historiis ductum, de Principis cujusdam Christiani filiis Paganis, quærentibus quod non & sibi, ut olim Patri, panem nitidum porrigeret Episcopus, quemque populo adhuc in Ecclesia dabat. Quam enim hoc infirmum sit & inefficax ad probandum communionem jam tum apud Anglos datam fuisse sub sola panis specie, & quivis facile per se perspicit; & à nobis l supra demonstratum est, cum de Christianorum octavi seculi quo Beda vixit, more ageremus. Alterum Bellarmini argumentum ex Ordinis Romani libris ductum superest; cujus argumenti vitium Bellarminus alio eoque duplici errore cumulavit. Ac prior quidem est, quod hoc Ordinis Romani opus, quale nunc extat, ante annos ut minimum

octingentos

octingentos editum fuisse somniat. Atqui id Ioannes Morinus, Oratorii, doctissimus Presbyter post annum demum à Christo nato millesimum scriptum fuisse, ut alias diximus, confitetur ac probat, neque nunc fere quisquam repugnat, paulo eruditior. Alter Bellarmini error est, quod ut probet illius libri antiquitatem, ait eum ab Alcuino, Caroli Magni præceptore citatum esse. Eo enim prodit se cum vulgo putare Alcuinum, qui usque ad a. D. 804. in terris vixit, verum esse ejus operis auctorem. quod illius nomine de divinis officiis circumfertur, in quo Romani Ordinis fit mentio. Sed quantopere & Bellarminus, & alii qui eadem sentiunt, hallucinentur, Chesnæus in Præfatione suæ Alcuini editioni præfixa valide demonstravit, & Blondellus noster etiam luculentius patefecit; *m* multisque argumentis docuit id opus longe esse Alcuini ævo recentius. Nunc ad ipsum Bellarmini pro sua sub una specie communione argumentum venio; cujus quam sint sinuosæ, quamque frivolæ argutiæ operæ pretium est hic considerare. Sic ergo ille agit; *In capite* (inquit) *de ordine celebrandi Missam significat* (ordinis Romani scriptor) *in parvo calice sanguinem Domini consecrari solitum; deinde pro communione populi ex eo parvo calice effundi modicum sanguinis Domini in magnum calicem vino & aqua plenum, atque ex eo magno calice consuevisse populum bibere post corpus Domini sumptum. Et quia calix unus quantumvis magnus, non sufficere poterat tanta multitudini, verisimile est, quantumvis id ibi non legatur) sæpius eundem calicem vino fuisse repletum.* His ab illo scriptore *apertissime indicari vult in Romana Ecclesia publicum fuisse usum unius tantum speciei.* Hoc & si vere colligeretur, ne sic quidem Bellarminus inde id assequeretur, quod cupit, cum scilicet usum ab annis plus octingentis fuisse in Ecclesia Romana. Nam à sæculo undecimo extremo quo scriptus est ille liber, ad Sixtum P. R. 5. quo sedente Bellarminus suas illas controversias scripsit, id est ad a. D. circiter 588. non sunt credo, anni plures quam octingenti; imo vix sunt quingenti. Sed neque Bellarmini ex libro rationes expediunt, quod erat ex eo concludendum, nimirum populi Romani ibi descriptam communionem fuisse sub una panis non etiam sub altera vini scilicet specie. Quinimo plane aliud loquitur Ordinis liber. Diserte enim affirmat, & quidem non semel poculi sacri participes fuisse, quicumque communicabant. Primo Clericam omnem communionem de qua illic primo sermo est fuisse sub utraque specie his, quibus nihil dici potuit disertius, verbis affirmat; *n* *Recepto calice Archidiaconus confirmat omnes SANGVINE Dominico, quos communicaverit Pontifex corpore Dominico.* Deinceps Laïcam, sive populi communionem eodem modo, iisdemque verbis exsequitur, ut jam supra *o* ad quæstionem de Parasceues communione observavimus; *Hoc officio* (inquit) *juxta altare peracto, & pugillari, cum quo confirmatur populus per Subdiaconum regionarium jam accepto, &c. Deinde descendit Pontifex cum Primicerio Notariorum & primicerio Defensorum, ut communicet*

Caput XXV.

m Blond. l. gall. de Euchar.

n Ord. Rom. de Offic. Miss. T. 10. p. 11. A.

o Supr. c. 21.

Caput XXV. *principes populorum, & matres familias eorum. Et sicut Archidiaconus confirmat, quos Pontifex communicat; sic reliqui Diacones confirmant, quos Episcopi sive presbyteri post Pontificem communicant.* Hæc ille; qui profecto vel nos casso inanium verborum strepitu ludit; vel significat Laïcos utramque Sacramenti speciem rite ac legitime sumpsisse. Vt enim cum Pontificem dixerat *sumpto corpore Dominico fuisse ab Archidiacono in calice sancto confirmatum*; *confirmandi* verbo communionem calicis Pontifici ab Archidiacono ministratam ex stilo & libri hujus, & aliorum de media antiquitate scriptorum significarat, ita plane & Clericos prius, & deinceps Laïcos, cum sumpto Domini corpore vel ab Archidiacono, vel à Diaconis *CONFIRMATOS* dicit, eodem ut apparet sensu *hos* confirmatos dicit, quo Pontificem *confirmatum* dixerat; sanguine scilicet Dominico, id est legitimo sanguinis Sacramento *confirmatum*. Eo nos cogit, & ipse verbi *confirmare*, apud illos auctores sensus, quem dixi, & Papalis cum clerica & laïca, cōmunionis hic apertissimus nexus. Nullum in Eucharistiæ negotio *confirmari* dicebant, nisi qui pane sacro *communicatus*, sacrum inde poculum sumebat. Si Papæ descripta hic communio plena fuit atque integra, id est sub utraque specie; eandem quoque fuisse necesse adjunctam & Cleri & populi communionem Papæ, integram fuisse non possunt negare. Ergo necesse est & Cleri & populi integram quoque fuisse. Sed quid verbis opus est? Pane vero consecrato, quem corpus Domini dicunt, & Clericos & Laïcos communicatos fatentur. De solo vino litigant, quod Dominicum sanguinem fuisse negant. Atqui scriptor id vinum, quo confirmati sunt cæteri post Papam Clerici, SANGVINEM Domini fuisse dicit. *Archidiaconus* (inquit) *confirmat omnes sanguine Dominico.* De Laïcis, quos exinde *confirmatos* dicit, nemo dubitat, quin ex eodem poculo idem quoque cum Clericis biberint; id ipsum; quod scriptor *Dominicum sanguinem* dicit. Hæccine est illa sub una *specie* communio; quam hic fuisse *apertissime indicatam* Bellarminus gloriabatur? Atqui hic populumque Patresque, & Papam & Clerum & Senatum & plebem videmus omnes pariter *& Corpore Dominico communicari & sanguine Dominico confirmari.* Nulla plenior nulla perfectior, aut integrior dici vel cogitari potest Sacramentalis communio. Sed Bellarminus tamen suis de communione sub una specie insomniis turbatus *p* nos vult ex iis, quæ de majoris & minoris calicis discrimine hoc loco ab auctore dicta observavit, intelligere id vinum, ex quo ista Cleri populique communio facta est, fuisse non sacrum, id est verum sanguinis Dominici Sacramentum, sed simplex vinum, aliqua duntaxat ex sanguinis Dominici contactu sanctificatione affectum, ejusdem fere cum eo census atque ordinis, quod nunc Latini suis post sumptum Domini panem ad oris ablutionem propinant. Vtrumque enim mox inter se componit. Quid ergo? Suosne ipsi dicunt eo vino, quo os abluunt, *confirmari*? Hoccine vinum *sanguinem Dominicum* vocant? Quo nomine, vinum, quo *confirmati* sunt communicantes in Ordine Romano ornari Bellarminus hic

p Bell. ub. supr. §. Est autem.

hic diserte confitetur qui alias pertinacissime pugnat nihil aliud apud Patres *Dominici sanguinis* nomine intelligi, quam ejus ipsissimam veram certamque substantiam? Non sinunt hæc id, quod isti ex majori calice vinum sumpsisse dicuntur, aliud esse quam verum proprieque dictum Dominici sanguinis Sacramentum. Quo & illud accedit, quod hoc vinum laïcos, non ore ad calicem admoto, sed *pugillari* in eum immisso sorpsisse atque hausisse liber clare significat. Dicit enim *Archidiaconum pugillare, cum quo confirmetur populus per subdiaconum regionarium accipere. Pugillare* ut alibi ex Cassandro explicavimus, dicebant fistulam auream, argẽteam, vel crystallinam, qua communicantes vinum sacrum de calice hauriebant, quod artificium ex nimio quodam effusionis metu, undecimo illo seculo inventum fuisse alibi *q* diximus. Inde vero patet, id quo isti confirmati sunt vere ipsum fuisse Sacramentum, vel ut isti loquuntur, *Dominicum sanguinem* Neque enim ad sumendum vinum commune, quo os abluunt *pugillari* apud Latinos utuntur communicantes; Neque sane opus est; quod nulla scilicet religio sit hujus vini aliquid inter sumendum effundi, & in terram effluere. Sed in hæc, quæ certa ac manifesta sunt, nequicquam pugnat Bellarminus, negans vinum potuisse in Dominicum sanguinem mutari ex contactu vel admixtione ejus sanguinis, de quo liber ait *parum è calice sancto refusum fuisse in calicem majorem*, in eum nimirum è quo communicantes confirmandi erant. Nos vero aliud veteres illius ævi Latinos sensisse veris invictisque argumentis paulo ante demonstravimus, *r* cum de Parasceues communione disputaremus; & liber hoc ipso loco vinum majoris calicis illa sacri vini admixtione vere Sacramentum fieri nos monet; *De calice* (inquit) *sancto parum refundit Archidiaconus in maiorem calicem, ut ex eodem sacro vase CONFIRMETUR populus; Quia vinum etiam non consecratum, sed sanguine Domini commixtum SANCTIFICATUR PER OMNEM MODUM.* Quid quæso est *sanctificari per omnem modum*, quam omnino, id est plenissime ac perfectissime sanctificari? vere adeo consecrari, & Sacramentum Dominici sanguinis fieri? Quid aliud est illam refusionem vini sacri in vini communis calicem ad hoc fieri, ut *CONFIRMETUR* populus, quam eam ad hoc fieri, ut populus totum Sacramentum plane perfecteque sic percipiat, ut nulla illius pars communicanti desit? Atqui populus pane duntaxat sumpto hoc aliter consequi non potuit, nisi id vinum, quod ei de majori calice ministrabatur, illa sanguinis, ut loquuntur, Dominici admixtione verum ac legitimum Sacramentum effectum esset. Neque enim veterum quisquam communicantem post sumptum panem sacrum vino communi hausto vel *confirmari* dixit, vel *confirmari* aliter posse putavit, quam assumendo Dominicum ut loquebantur, sanguinem. Inspice omnia mediæ illius antiquitatis monumenta. Rem ita se apud eos habere reperies. Qui ergo sacrum vinum in majorem calicem ideo refusum fuisse dicit Ordinis scriptor, *Ut* inde populus *CONFIRMARETUR*, necessario intelligit vinum, quod erat in majori calice

CAPUT XXV.

q Supr. L. 3. c. 20.

r Supr. c. 24.

Caput XXV. calice per eam commixtionem verum proprieque dicti nominis Sacramentum Dominici sanguinis fieri, ac ut ipse loquitur, *per omnem modum sanctificari.* Huc quoque illa pertinent, quæ nos paulo ante ad Parasceues communionem diximus. Sunt enim utraque plane ejusdem generis. Immanis ergo hic fuit Bellarmini incogitantia præter omnem veri speciem affirmantis *hoc Ordinis Romani loco apertissime indicari communionem sub una specie suam.*

t Supr. ibid.

Atque ita funditus subversa ruit *conjectura* illa *valde magna*, quam iste his ita disputatis subjicit, in alijs quoque Ecclesiis vinum, non sacrum, sed simplex populum sumpsisse, cum in communione bibisse dicitur. Cum enim ostensum sit ex hoc Ordinis Romani loco in ipsa urbe Roma verum, solenneque ac legitimum Dominici sanguinis Sacramentum, non autem vinum simplex populo in communione ministratum fuisse; apparet in aliis Ecclesiis id ipsum quoque factum fuisse; si, quod & Bellarminus ponit, & nos verisimillimum fatemur, statuatur in plærisque aliis Latinorum Ecclesiis eandem fuisse illis temporibus (id est iis, quæ Caroli Magni mortem conseeuta sunt) communionis rationem, quæ Romæ erat. Quod vero negat *intelligi posse, quo pacto in Ecclesiis valde numerosis patuerit dari communio toti populo ex calice veri sanguinis Domini* (id est veri ejus symboli, sive Sacramenti) ille vero nodos in sirpo quærit; & quæ ad rem implicandam hic effutit, frivola sunt & inania. In his enim id ille perpetuo veluti verum supponit, quod nos & hic & supra falsum esse demonstravimus; non fuisse scilicet veri nominis Sacramentum id vinum, quod è majori calice populo dividebatur; eoque minorem tantum calicem, è quo Pontifex biberat, *hic veri sanguinis Domini calicem* vocat; quasi major ejusdem sanguinis calix vere dici non possit. Quod vero negat, *veritatem Catholicam* pati, ut alius calix, quam is, quem celebrans proprie ac seorsum consecravit, dici possit *veri sanguinis Dominici calix*; si *veritatem Catholicam* intelligit hodiernam Ecclesiæ Romanæ doctrinam, id concedi quidem potest, sed ad quæstionem præsentem non pertinet. Sin de Ecclesiæ illius Romanæ fide loquitur, quæ fuit olim quo tempore Ordinis Romani citatus ab eo liber scriptus atque editus est; id quod pronuntiat Bellarminus, liquido falsum esse, ex iis quæ disputavimus patet. Hic enim ipse liber docet Romanam illius ævi Ecclesiam sensisse vinum calicis majoris, si in eum vel modicum vini consecrati refunderetur, vel panis consecrati particula immitteretur, hac utravis admixtione absque ulla nova consecratione, ita plene sanctificatum fuisse, ut verum veri sanguinis Dominici Sacramentum fieret, *sanguisque* adeo *Dominicus* ex familiari Ecclesiæ loquendi usu diceretur, quod utrumque quia est à nobis supra contra Bellarminianas argutias abunde demonstratum, nihil hic retractare necesse est. Cum ergo hæc eo tempore fuerit Romanorum fides, necesse est vel istam quæ hoc crederet eorum Ecclesiam *à ve-*

ritate Catholica defecisse, adeoque ne Ecclesiam quidem fuisse; vel id admittere abnuit Bellarminus, omnino fatendum est veritatem *Catholicam* pati, ut etiam calicis majoris, tametsi seorsum per verba sacerdotis minime consecrati, vinum illa ex consecrato calice infusi vini admixtione vere consecratum censeatur; vere adeo *sanguis Dominicus* dici potuerit, uti re vera ab illo Ordinis scriptore disertissime dicitur. Quæ cum sole meridiano clariora sunt, mane & ridiculum est, quod negat * Vasques *ulla ratione credi posse Ecclesiam aliquando sensisse vinum non consecratum posse consecrari sola infusione specierũ consecratarũ & mixtione cũ ipso; cuius tamen temerariæ, ne impudentem dicam, assertionis mirabilis ille. Magister nullam aliam rationem adducit, nisi hanc, quod concors Scholasticorum sententia aliud definiverit; quasi ex istorum musteorum hominum placitis reformãda sint quantumvis clara veterum aliud ab iis docentium sententia.* Iam ex his ita constitutis, facillimum est intelligere plebem quantumlibet numerosam nullo negotio potuisse etiam vino sacro communicari; præsertim in ampla Ecclesia, ut erat Romana, in qua plures presbyteri & Diaconi ministrandæ Eucharistiæ inserviebant, tametsi unus in singulis mensis calix, isque non ita magnus, à sacerdote tractaretur, & verbis solennibus semel tantũ in singulis synaxibus consecraretur. Nimirum ex eo pauxillum vini consecrati in majorem calicem refundebatur, eaque infusione *plene & per omnem modum sanctificatum* majoris illius calicis vinum populo distribuebatur. Si neque hoc ad plebis confirmationem satis esset, ei calici vini simplicis sed sacri admixtione sanctificati; mature antequam deficeret, largior copia infundebatur, ut sacri, quod supererat, contactu & admixtione ipsum quoque sacrum, veræque Eucharistici sacramenti pars fieret; idque tamdiu eodem modo, eademque ratione repetebatur donec totus populus communicasset. Hic autem de iis duntaxat temporibus loquor vel quibus scriptus est. Ordinis Romani liber, vel certe paulo vetustioribus. Priscorum enim & his multo antiquiorum, quis usus, quæ fides, ac ratio fuerit, non jam disputo. Illud quidem mihi videor merito pronuntiare posse non existimasse illorum priorum seculorum Patres illa vini consecrati admixtione opus fuisse ad Sacramentum conficiendum. Potius credidisse eas putaverim illius consecrationis sacerdotalis, quæ semel in una quaque liturgia fiebat, vim, in omne illud vinum extensam ac diffusam fuisse, quodcumque esset sacri ministri manu apud mensam Dominicam in unaquaque synaxi ex calice vel eodem, vel alio distribuendum. Fuisse enim apud veterem Ecclesiam plura in eadem synaxi ad dispensandum vinum sacrum adhibita pocula jampridem. Cassander *t* & alij eruditi observarunt; de quibus *calices illi ministeriales* accipiendi sunt, quos Damasi Pontificale memorat. *u* Horum unum fuisse merito Cassander censet, quã à Remigio Remensi donatum, dictumque Ecclesiastico ministerio supra *x* diximus. *Quare enim* (inquit Caietanus) *ministeriales dicti sunt, nisi quia non ad offerendum, sed ad administrandum populo Christi sanguinem deserviebant?* Mitto: quod non est incredibile, calicem, qui verbis presbyteri proprie consecrabatur, delectum fuisse ejus vini capacem, quod ad

CAPUT XXV.

* Vasq in 3. Th. disp. 195. §. 65.

t Cass. in Liturg. c. 31. p. 75. & in Consult. art. 22. p. 982.

u Pontific. Dam. in Silvestr. in Dam. in Sixt. 3. in Hilaro. & alibi.

x Sup. c. 10.

Caput XXV.

populum confirmandum satis esset. Quod vero objicit Bellarminus *debuisse calicem non ita magnum adhiberi, ut posset à sacerdote elevari & à Diacono huc & illuc deferri*, ille quoque hic frustra est. Antiquioribus enim illis, de quibus nunc loquimur temporibus, calicem, ut nunc fit, à sacerdote elevatum nequaquam fuisse supra z demonstratum est; neque eum huc & illuc à Diacono deferri necesse erat. Si enim ejus molis esset, ut circumferri facile non posset; quid prohibebat Diaconum ex eo vinum sacrum in ministerialem scyphum refundere, quem ipse commode ferre, & populo distribuere posset?

y Caietan. in 3. Tho. q 80. art. 2 Quest. 3. §. Tertiò exemplo p. 396.

z Supt. l. 3. c.

Sed antequam hinc abeo, operæ pretium est obiter observare, quæ ratio Latinos coëgerit majorum sensu ac praxi tam immaniter hac in parte recedere, ut quæ apud hos fuerunt olim solennia, ea illi *veritatem Catholicam pati posse* nunc negent. Biel hanc quæstionem pertractans illius *concordis Scholasticorum sententiæ* rationem aperit; * *Etiamsi* (inquit) *post consecrationem vinum parum apponeretur speciebus, non transit in sanguinem; sicut aqua non benedicta addita benedictæ efficitur benedicta, & oleum non consecratum additum consecrato redditur consecratum.* Quidni, inquam cum tanto quam aquæ vel olei benedicti potentior sit Dominici vini, imo si vobis credimus, sanguinis virtus atque afficacia? *Non sic in proposito* (inquit Gabriel) *Nam sanguini Christi in calice, quia non est extra venas corporis Christi, sed in venis glorificatis; ideo ei nullus liquor appositus potest commisceri, nec per consequens aliquis in ipsum converti, nisi divina virtute verbis consecrationis assistente; In aqua autem benedicta est perfecta unio alterius aquæ appositæ cum aqua benedicta, & constituunt unam aquam; propter quod totum resultans sortitur nomen aquæ benedictæ; ita & in oleo.* Optima fateor, & clarissima Gabrielis ratio, si ea ut loquuntur, supponas, quæ ille cum suis Latinis credit, sanguinem scilicet Christi non modo in calice realiter esse præsentem, sed ita ibi esse, ut simul venis inclusus contineatur, adeoque & divinum corpus, cujus illæ venæ vasa sunt, una cum eo ibidem adesse per eam nimirum, quam vocant, *concomitantiam.* Res ita aperta atque obvia est, ut qui eam clare distincteque cum Scholasticis tenet, non possit, non id ipsum quoque, quod Gabriel inde conclusit, perspicere atque animadvertere; nimirum vini non sacri cum sacro admixtione nequaquam tamen fieri posse, ut id Christi sanguini, præsenti quidem, sed venis conclusa, admisceatur; Nihil adeo illam ejus cum vino sacro admixtionem ad hoc valere, ut ex vino sanguis Christi fiat. Veteres ergo (nisi eos plane stupidos fuisse velimus constare debet si & realem præsentiam & concomitantiam sic, ut credant hodie Latini, ipsi quoque credidissent, nunquam eo amentiæ deventuros fuisse, ut putarent vinum commune ex illa cum Sacro commixtione sacrum ipsum quoque fieri. Atqui hoc eos putasse certissimis argumentis demonstravimus; Illud ergo, quod inde consequitur necessario confitendum est, eos scilicet vel ipsam sanguinis in vino sacro præsentiam, vel certe concomitantiam nescivisse. Ac vetustiores quidem

*. Biel. in Can. Miss. Lect 35. R. fol. 59.

dem utramque nescivisse existimamus; Paschasium vero & Ordinis Romani scriptorem, & ceteros ejusdem ævi ac census Latinos præsentiam credidisse confitemur; cæterum *concomicantiam* nondum fuisse assecútos ista quæ observauimus, probant. Atque inde non mediocriter confirmatur, quod vir illustris Petrus de Marca, Archiepiscopus Parisiensis, docuit in libello de Eucharistia (quem ego legi, tametsi is a.D.1668. Lutetiæ eá cusus, vix è prælo exierat cum repente suppressus est) Paschasium & Lanfrancum corpus & sanguinem Christi sub speciebus alterum ab altero sejunxisse, ac sensisse corpus in pane seorsum sine sanguine; sanguinem pariter in vino seorsum sine carne existere & sumi; quam in rem satis perspicua videntur quædam Paschasii, verba; ut hæc nequid de aliis dicam, * *Non recte* (inquit) *caro sine sanguine, communicatur.* Hæc enim non recte diceret, si carnem sine sanguine communicari non posse crederet. Qui vero sic sentirent, id est qui sanguinem in calice merum, liquidumque extra corpus & venas esse putarent, non est mirandum ei admisceri, eoque in ipsum transire existimasse quod calici consecrato infunderetur vinum commune; ut aquæ benedictæ infusa aqua vulgaris eo & ipsa quoque benedicta fit. Posteri, qui die diem docente grande illud Latinæ transubstantiationis arcanum paulatim perpoliverunt, sero tandem deprehenderunt satius esse, ne sanguis à corpore, vel corpus à sanguine in utravis specie sejungeretur; Vnde tandem nobile paradoxum emersit tantundem in altera, quantum in utraque specie & esse, & sumi, & qui manducat eo ipso quoque bibere & qui bibit, eo quoque ipso manducare. Sed hæc obiter dicta sunto, ut pateat vera discriminis, quod inter veteris & novæ Romæ scita hic apparet, ratio. Nunc cœptam disputationem absolvamus.

CAPUT. XXVI.

† P. Marca Tract. Gall. de Euchar. p 25. & 47.

* Pasc. de corp & s. Dom. c. 19 p. 1695. B.

CAPVT XXVI.

Conclusio disputationis. Quibus gradibus Latini ad Eucharistia sub una specie dispensationem venerint, repugnantibus Valdensibus Viclefo, Taboritis, & Bohemis; contra quos ea tandem. a. D.1415. in Concilio Constantiensi constituta; & sequenti seculo à Tridentinis, nequicquam deprecantibus, etiam Latinorum plærisque Principibus, confirmata.

HActenus Latinorum in hac causa suspiciones, & coniecturas excussimus, quamque vanæ ac futiles sint liquido, ni fallor, patefecimus. His confutatis stat, quod in priori disputationis parte ex Christi institutione & exemplo, ex Apostolorum praxi, ex disertis Patrum testimoniis, ex claris veterum Liturgiarum vocibus, ex omnium (si vnos Latinos exceperis) Christianorum, Græcorum, Moscovitarum, Iacobitarum, Nestorianorum, Abassinorum ad hodiernam diem constante ac perpetuo

Caput XXVI.

ac perpetuo usu demonstratum est, in omni antiqua, etiam Latina Ecclesia ad undecimum usque præceps seculum ministratam, & omnibus ad mensam Domini accedentibus rite ac legitime dispensatam fuisse sub utraque specie Eucharistiam. Vndecimo vero seculo cum vehemens effundendi sacri vini metus Latinorum animos incessisset, ut sibi ab hoc periculo caverent, ad morem panis sacro vino, tingendi, tinctumque ministrandi, tametsi à Bracarensi olim Concilio damnatum confugerunt; sic, ut primo ita communicarentur infirmis, qui quidem exhaustis morbo viribus panem siccum sumere non possent; mox se se istius intinctæ usus in solennem ac publicam sacramenti apud ipsum altare communionem effunderet, quod jam adulto seculo undecimo aliquamdiu obtinuisse ex illius ævi scriptoribus constat. Sed etiam ipsos hujus moris auctores sensisse fideles non aliter corporis & sanguinis Dominici in hoc Sacramento participes esse posse, nisi utrumque symbolum, id est panem & vinum sacrum sumerent, apertissime docet ille canon, qui primus hac de re occurrit, à nobis supra *a* ex Burchardo descriptus, quo sacerdos jubetur oblatam infirmo pro viatico porrigendam *in sanguine Christi intingere*, *ut* (inquit) *veraciter Presbyter infirmo possit dicere*, Corpus *& sanguis Domini proficiat tibi.* Nam qui sic loquuntur, eos manifestum est credidisse Presbyterum, qui sub una panis specie Eucharistiam fideli alicui ministrarit, non posse vere affirmare illum corpus & sanguinem Domini sumpsisse; ut est illic à nobis observatum. Sed intinctæ Eucharistiæ ille in publica ac solenni Synaxi usus brevi apud Latinos eodem, quo ut videtur, cœperat, seculo, desiit ab Vrbano Papa ann. D. 1095. in Concilio Claromontano primum abrogatus; & paulo post à Paschali ejus successore ann. D. 1118. refutatus ac prohibitus, ut est à nobis suo supra *b* loco demonstratum. Fuisse quoque illis temporibus diximus, qui pugillares, sive fistulas vitreas aut argenteas ad cavendam effusionem adhiberent, ex quibus ori insertis communicantes vinum sacrum haurirent. Sed neque hic usus diu videtur mansisse in publicis quidem Synaxibus. Quid facerent, cum hinc in dies validius urgeret effundendi Dominici calicis metus; illinc vero paratum intinctæ adversus id periculi remedium Paparum ac Conciliorum decreta, & merito quidem, exploderent? In has angustias ita conjecti tandem eo erupe- runt, ut calicis communionem, quam his depulsi præsidiis, retinere se absque nimio pene quotidie effundendi Dominici sanguinis periculo, non posse intelligebant, plane penitusq; omitterent. Quod ipsum tamen non fuit ab universis seculi illius duodecimi seculi Ecclesiis receptum, ut ex iis Paschalis P.R. 2. Ruperti Tuliensis, Bernardi, Petri Cluniacensis & Concilij Lateranensis testimoniis patet, quæ nos in superioribus *c* exhibuimus. Quin & tanta fuit antiquissimi moris etiam seculo decimotertio apud Ecclesias non paucas reverentia, ut eæ tum adhuc Eucharistiam sub utraque specie ministrarent, ut ibidem *d* demonstravimus ex Luca Tudensi, ex Thoma, & ex anonymo scriptore de victoria

b supra L.

Caroli

Caroli Regis Siciliæ, ac denique ex Iacobi Vitriacensis historiis. Quibus testimoniis duo alia nunc adjicimus. Prius est ex Petri Monachi Vallium-Cernai, Albigensi historia post a. D. 1209. scripta in qua Balduini Comitis suprema narrans, *Dum* (inquit) *Capellanus afferret divini mysterii sacramenta* &c. Et cum hostes Balduinum ea sumere prohiberent, *Ex quo* (inquit) *mihi divinis sacramentis communicare non permittitur. Sacramenta*, ut omnes vident inepte diceret, si unum tantum ac non utrumque Eucharistiæ symbolum eo ævo ministrare solenne fuisset. Alterum testimonium est Thomæ, qui cum tres rationes in medium attulisset, quibus effici videtur non licere corpus Christi sine sanguine ministrare, contra hæc altera ex parte ita objicit; *g Sed contra est* (inquit) *multarum Ecclesiarum usus, in quibus populo communicanti datur corpus Christi sumendum, non autem sanguis.* Tum paulo post; *Ideo provide* (inquit) *in quibusdam Ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur.* Qui communionem *in quibusdam*, item *in multis* Ecclesiis sub una specie dari, & quidem *populo*, non autem & clericis non conficientibus, ita dari dicit Thomas, eo ipso testatur communionem sub utraque specie Clericis quidem quibusvis in omnibus, populo vero etiam in quibusdam, iisque non paucis datam adhuc ævo suo fuisse. Sed & Petrus Paludanus de seculo decimoquarto, quo ipsum Bellarminus vixisse pro re indubitata constituit, *h* testatur nondum plane exolevisse priscam consuetudinem; quo loco, cum posuisset sacramentum non debere sub utraque specie dari populo, *i Græci tamen* (inquit) *communicant carni & sanguini. Et in quibusdam Ecclesiis est consuetudo, quod communicant sub utraque specie. Nec est peccatum, quia quando mos erat, crimen non erat. Et ita caute in illis Ecclesiis, sive monasteriis, faciunt, quod nihil effundant; sed si vulgo indifferenter daretur, esset maius periculum.* Iisdem temporibus vixisse Gulielmum de monte Laudinio, sive Lauduno, Pictavensem Abbatem, inde conjectura est, quod Trithemius eum inter scriptores hujus seculi 14. locat. Ex ejus Sacramentali (sive libro de Sacramentis apud Thrithemium) Ioannes Hus hunc locum describit, *k* ab ipso quoque Cassandro memoratum; *l Quod recipiendo corpus totum veritatem accipit, licet non totum sacramentum. Ideo in multis locis communicatur cum pane & vino, id est toto sacramento.* Ex quibus apparet ne seculo quidem decimo quarto plane apud Latinos desiisse veterem sub utraque specie communicandi consuetudinem. Sed ab illius seculi initiis paulatim exolevisse, diversumq; unius panis ministrandi usum passim apud omnes invaluisse satis intelligimus. Iam vero abusui restitisse Viclefum omnino credibile est circa an. D. 1370. quibus eum temporibus floruisse certum est. Primo enim res ipsa docet, qui verum de Eucharistia fidem palam repudiata ejus transsubstantiatione & adoratione asseruit, eum quoq; sub utraq; specie sacramentum ministrandum censuisse omnino esse consentaneum; quod ita sentientem aliter instituere nullus urgeat tantus ille effundendi sanguinis ipsius Dominici metus, à quo profectâ apud Latinos

CAPUT XXVI.

f Pett. Vall. Cern. Hist. Alb. in Fräc. Chesn. T. 5. p. 646. B.

g Thom. in 3. Q. 80 a. 12. p. 392.

h Bell. de Script. Eccl. ad an. D. 330.

i Palud. in 4. d. 12. an. 1. concl. 2.

k Hus de Sang. Chr. T. 1. fol. 43. b.

l Cass. de comm. sub utr. p. 1043. init.

Caput XXV. esse patet Eucharistiæ sub una specie communionem. Viclefum autem ex Valdensi constat *m* transsubstantiationis & adorationis Eucharistiæ figmenta rejecisse summaque vi oppugnasse. Huc accedit disertus Valdensis locus; *n Viclefistæ* (inquit) *quia substantiam carnis ibi* (in Eucharistia) *non concedunt, restat, ut dicant tantum in pane carnem, tantum in vino sanguinem; quia solum est utrumque ibi secundum propriam suam figuram.* Vielefistas ergo qui Christi sanguinem nullum in pane repræsentari vel exhiberi putabant, consentaneum est communicantibus etiam vini speciem ministrasse; quos alioqui Dominici sanguinis sacramentaliter participes fieri non posse existimabant. Quæ si vera sunt, ut esse videntur, consistere non potest, quod Bellarminus ex Ænea Sylvio narrat *o* exortam esse hanc de communione sub utraque specie controversiam anno demum 1412. auctoribus duobus Germanis Petro Dresdensi, & Iacobello Misnensi, & quidem ex occasione verborum Domini apud Ioannem, *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sed multo etiam absurdiora effutit Caietanus, controversiæ hujus originem jam inde à Nestorio hæresiarcha arcessens, quem præter omnis antiquitatis fidem fabulatur *p adstruxisse universaliter servandam communionem sub utraque specie. Ille enim* (inquit) *putavit sub specie panis corpus Christi tantum esse, & sub specie vini sanguinem tantum; quia in morte Christi sanguis fuit separatus à corpore; & propterea sub utraque specie oportebat sacramentum sumi, ut integer Christus sumeretur in memoriam mortis eius.* Sed & *Pelagium* idem somniat *utramque sacramenti speciem ad omnes, etiam infantes extendisse, motum ex verbis Domini Ioan. 6. Nisi* manducaveritis. De Nestorio similia quoque jam ante Caietanum garrierant *q* Basiliensis Synodi Deputati ad Bohemos. Istæ vero meræ sunt chimaræ ab hominibus omnis antiquitatis ignaris, in scholarum Latinarum tenebris & otio somniatæ. Cum enim vetus omnis Ecclesia ad seculi decimi tertij initia communionem sub utraque specie ministraverit, nulla potuit ei ab illis, qui hoc ipsum sentiebant hujusmodi moveri atque intendi controversia. Sed neque dubitandum est ipso illo decimotertio seculo *Valdenses*, sive *Pauperes de Lugduno* traditum à majoribus morem sub utraque specie communicandi retinuisse. Quod autem eos à Latinis hoc nomine reprehensos toto eo seculo non legamus, hæc ut videtur, satis idonea causa est, quod etiam illo tempore similis esset nonnullarum apud ipsos Latinos Ecclesiarum usus; ut modo ex Thoma & Paludano intelleximus; Quæ ipsa quoque ratio fuisse videtur, cur hunc Viclefi sensum intactum fere reliquerint. Illud certum est & indubitatum Bohemos initio seculi decimiquinti mori distribuendæ sub una specie Eucharistiæ jam tandem omnium Latinorum communi, repugnasse, eamque melius, sanctius, atque utilius sub utraque ministrari censuisse: atque in hac fuisse sententia, non modo Petrum illum Dresdensem, & Iacobellum Misnen-

m Vald. Doctr. B.
n Vald. T. 2. c. 87. fol. 90. col. 3.
o Bell. L. 4. de Euch. c. 20. & Quantum ad 1.
p Caiet. in 3. Th. q. 80. art. 12. q. 1. in art. p. 392.
q Narrat. præf. Act. Conc. Basil. T. 8. Conc. gener. p. 9. B.

Misnensem, sed etiam eorum cævum ac cõsecraneum Ioannem Hussum, utroque multo nobiliorem virum. Hujus enim opusculum extat hoc titulo, r *An expediat Laicis sanguinem Christi sumere sub specie vini.* Id vero ipse multis argumentis fuse docteque ac solide affirmat; tum ex scripturis, tum ex Patribus. Nam ex Paulo 1. Cor. 11. docet fideles, etiam laïcos, debuisse sanguinem Christi bibere sub specie vini. Tum Gelasij nobilem illum Canonem *Comperimus*, &c. recitat, & Liranum & Thomam, & Albertum Magnum, & quædam Augustini Hieronymi, ac Gregorij ex Gratiani rhapsodiis descripta, & Cypriani tria loca insignia; tum Bernardum, & illum de Monte Lauduno Gulielmum, & antiquum Missæ Canonem; ex quibus omnibus rem postremo in hæc verba concludit; *Ex jam dictis videtur* (inquit) *quod licet & expedit Laicis fidelibus sumere sanguinem Christi sub specie vini. Nam licet corpus & sanguis Christi sit sub utraque specie sacramentali, tamen Christus non sine ratione, nec gratis instituit utrumque modum Sacramentalem suis fidelibus, sed ad magnum profectum. Nam modus manducandi sacramentalis sub forma panis est specialis modus figurandi, & excitandi efficaciter ad manducationem spiritualem; & modus sacramentalis bibendi sub forma vini, est specialis modus figurandi, & excitandi mentem ex institutione Christi ad gustandam suaviter effusionem Christi sanguinis, quem effudit. Unde Matth. 26. ex hinc dixit ipse Dominus, bibite ex hoc omnes; & 1. Cor. 11. Hic calix novum testamentum est, &c. & addit Apostolus, quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Ex quo patet, quod sicut sacerdos digne sumens sub utraque specie non sine causa sumit; sic & devotus Laicus potest licite sumere, cum eadem sit ratio ad sumptionem corporis & sanguinis utrobique.*

CAPUT XXVI.

r Ioan. Hus T. 1 fol. 42. a. b. & f. 43. A

Atque hæc quidem Ioannes Hus; in quibus tria quædam sunt observanda. Primum, quod communionem sub utraque specie probat ex Christi institutione, & ex Pauli priore ad Corinthios epistola: illa vero Domini apud Ioannem verba, quibus Bohemos maxima niti ac gloriari dicit Bellarminus, ne leviter quidem in tota disputatione attigit. Alterum, quod licere quidem, atque expedire etiam Laïcis, sub utraque specie communicare contendit; id vero adeo esse necessarium, ut Laici, nisi de calice biberint, salvari (quod istis tribuit idem Bellarminus) non possint, nusquam dicit. Tertium denique, quod Hus qui de his ita sentiebat, tamen de *transsubstantiatione* & comitantia, profitetur se minime dubitare, ut ex toto opusculo, & aliis eiusdem libris patet. Sed neque viri modestia, neque apertissima scripturæ auctoritas, neque veteris omnis Ecclesiæ praxis duros Constantienses Synodi Patres deterruit, quominus a. D. 1415. illum communionis sub utraque specie morem repudiarent, omnesque sacramentum sub una tantum panis specie ministrare juberent, & rem totam his verbis definirent; *Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie asserere præsumant populum Christianum debere Sacramentum Eucharistiæ sub utraque panis & vini* r Conc. Cõst. sess. 13.

Caput XXVI.

specie suscipere, & non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum Laicum passim communicet, etiam post cœnam, vel alias non jejuni, & communicandum esse pertinaciter asserant contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquam sacrilegam damnabiliter approbatam, reprobare conantur; hinc est quod hoc Concilium præsens generale Constantiense in Spiritu sancto legitime congregatum adversus hunc errorem saluti fidelium provideri satagent, matura plurium Doctorum tam divini, quam humani juris deliberatione præhabita declarat, decernit, definit, quod LICET Christus post cœnam instituerit & suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc venerabile sacramentum; tamen hoc non obstante sacrorum Canonum auctoritas, laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit, & servat, quod hujusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, neque à fidelibus recipi non jejunis nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à jure, vel Ecclesia concesso, vel admisso. Et sicut hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula vel scandala est rationabiliter introducta, quod licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie, postea à conficientibus sub utraque, & à Laïcis tantummodo sub specie panis suscipiatur; cum firmissime credendum sit & nullatenus dubitandum integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Vnde cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia, & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine auctoritate pro libito mutare. Hæc illi. Qui animum in utriusque speciei communione obfirmaverint eos jubent Censuris Ecclesiasticis ab Antistitibus, ut hæreticos *coërceri, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit auxilio) brachij secularis.* Legem luculentissimo exemplo sanciverunt. Paucas enim post dies Ioannem Hus primo, quod communionis sub utraque specie percipiendæ Bohemis auctor fuisse videretur, inde Hieronymum Pragensem, ejus discipulum, diuturno carcere maceratum, uno fere anno post præceptoris necem, publice carnificij manu ustulatas interfici curarunt. Quanta animi magnitudine, quam constanti in Deum fide sanctissimi duo Martyres dirum illud supplicium pertulerint, omne ævum loquetur. Hieronymum quidem ipsi hostes admirati sunt, ut ex iis videre est; quæ ab Æneæ Sylvio, *s* & à Poggio Florentino *t* Italis de viri morte litteris tradita etiam hodie extant. Quod autem Constantienses communionem sub una specie suam ab Ecclesia & *Sanctis Patribus introductum esse, diutissimeque observatum fuisse* gloriantur; id utrumque quam aperte falsum sit, si de Ecclesia intelligatur, quæ ante seculum duodecimum fuit, satis patet ex omni hac disputatione nostra; nihil ut opus sit quicquam ad hoc refellendum mendacium addere.

s Æn. Sylv. Hist. Boh. c. 36.
t Pogg. ep. ad Leon. Aret.

Iam post hanc à Constantiensi Concilio latam, diroque & immani Ioannis ac Hieronymi vivicomburio sancitam legem, non est dubitandum

dum, quin toto illo seculo decimoquinto mutila Eucharistiæ sub uno signo dispensatio ubique apud Latinos recepta sit. Bohemos excipio, quos à tradito veteris Ecclesiæ in utraque specie communicandi ritu Constantiensium neque edita, neque minæ ac diræ, neque hactenus apud Synodos Christianos audita, carnificina, absterrere potuerunt. A. enim D. 417. die Martij mensis decima in plena Magistrorum Pragensis Universitatis congregatione, decretum promulgarunt, quo docent u *Eucharistiam à cunctis Christi fidelibus sub utraque specie licenter sumi posse, atque adeo eisdem ministrari expedire*; præter cætera illud etiam in medium merito afferunt, quod ipsum Constantiense Concilium, *ut dicitur*, (inquiunt) *prædictam formam communionis sub utraque specie asserat à Christo fuisse institutam, & ministratam, & sic in Ecclesia primitiva diutissime & Catholice practicatam.* Ac denique contrariam constitutionem concludunt *humanæ inventionis esse dogma, tanquam suspectum & à veritate Evangelica prorsus alterum & nullatenus advertendum.*

CAPUT XXVI.

u Assert. comm. sub T. 2. Hussi. fol. 384. a. B.

Quid porro ex his initiis consecutum sit, ex narratione ab Orthuino Gratio in fasciculum rerum expetendarum relatæ, x & inde Basiliensis Concilij Actis præfixa y discimus; *Cum* (inquit) *Bohemi in erroribus suis persisterent, & primitivam ac Apostolicam Ecclesiam iactantes à Romana sede pertinacius evariarent, exulceratis nimirum illorum animis ob Ioannis Hussi, & Hieronymi Pragensis exustionem*, missus est in Germaniam Legatus Iulianus Cardinalis titulo S. Angeli, ut expeditionem appareret in rebelles Bohemos, quam Romana consuetudo Cruciatam appellat. Putabat enim Romanus Pontifex hanc gentem à Germanis facile posse superari. Verum res aliter evenit. Nam nostris sæpius in fugam versis tantum vicinis omnibus terrorem incusserunt, ut nihil aliud quam pacem optaret Germania. Rebus itaque non succedentibus, cum semper Bohemi superiores essent, quanquam à novo jam Pontifice Eugenio sententia anathematis damnati, optimum factu visum est, ut Basileam, ubi nuper indictum erat Concilium vocarentur. Hæc illi; ex quibus refellitur Petavij z in Hussi discipulos belli invidiam transferentis manifesta calumnia. Non enim à Bohemis ortum est bellum, sed à Papa, qui in eos Cruciatam indixit, Germanicosque exercitus immisit; ex Apostolorum scilicet quorum se successorem esse gloriatur, more ac disciplina; ut qui errant, neque tibi auscultant, eos tu non ratione & verbi divini prædicatione, sed igni & ferro conscriptisque exercitibus in verba tua cogas. Quid autem cum Bohemis in Basiliensi Synodo ann. D. 1431. 1437. & 1438. actum fuerit, cum ex ipsis Concilij actis, tum ex memorata narratione intelligere licet. Res huc rediit. Pragam missi à Synodo Legati, qui una cum Bohemorum Oratoribus post multos ultro citroque *habitos tractatus, tandem concordiam inierunt.* a Concordiæ forma apud Iglaviam oppidum Moraviæ instrumentis ac sigillis roborata est (Compactata vocant) quinto die mensis *Iulij Cæsare præsente.* Cætera mitto. De communione ita spoponderunt.

x Fascic. rer. expet. fol. 156.

y Conc. Basil. T. 8. Conc. init. stat. p. 5.

z Petav. Ration. Temp. Part. 1. L. 9. c. 8. A. D. 1644.

a Narrat. ub. supr. p. 10. B. T. 2. Conc. gen.

Caput XXVI.

b Ibid p. 9. E.

Synodi Legati; *b Si perseverantes* (inquiunt) *in desiderio vestro hoc vestri ambasiatores postulaverint, sacrum Concilium Sacerdotibus vestris communicandi; sub utraque specie populum vestrum, eos videlicet, qui in annis discretionis constituti reverenter & devote postulaverint, auctoritatem & facultatem in Domino largietur; hoc semper observato, quod Sacerdotes communicantibus semper dicant, quod ipsi debent firmiter credere, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integer & totus Christus.* Illud etiam diserte testati sunt Legati, *non esse Concilij intentionem permittere communionem sub duplici specie permissione tolerantia, vel sicut Iudais permissus fuit libellus repudij &c. tali permissione, qua peccatum non excludat, sed taliter elargiri, ut auctoritate Domini nostri Iesu Christi & Ecclesia vera sponsa sit licita, & digne sumentibus salutaris.* Has leges & à Basiliensi synodo latas concessasque, & à Bohemis acceptas fuisse circa ann. D. 1438. 1439. apparet ex Apologetica Georgij Pogiebracij, Bohemiæ Regis, ad Hungariæ Regem Matthiam epistola, a. D. 1468. data, in qua ille rem totam breviter ita exsequitur; *Putamus serenitati vestra, Frater carissime, per famam innotuisse, qualiter olim sacrum Basiliense Concilium regnicolis regni nostri indixerit, vt iis qui ad annos discretionis pervenissent, quibus vsus esset Eucharistia sub utraque specie sumenda, quique hoc devote petierunt, taliter scilicet sub vtraque specie communicentur, hac præfatione, ut firmiter credant, non sub specie panis corpus exsangue, nec sub specie vini sanguinem duntaxat, sed qualibet specie integrum sumi Christum; & hac omnia non per modum tolerantia sicut interdum peccata tolerat Ecclesia; sed vt hoc liceat auctoritate Domini nostri Iesu Christi, & sancta matris Ecclesia sponsa ejus.* Tum *Hoc* (inquit) Sacrificii ritu Nos, *& parens uterque noster, & avus quoque vsi sumus.* videntur tamen Romani Pontifices dissoluta Synodo Basiliensi istis ejus auctoritate cum Bohemica gente transactis, ac vt ipsi loquebantur, *compactatis* stare noluisse; vt vel ex illa Georgii Regis epistola discimus, in qua de gravissimis Pauli P. R. 2 in se injuriis prolixe conqueritur. Idem patet ex illius Papæ ad Archiepiscopum Lugdunensem litteris a. D. 1469. die 23. Febr. datis, in quibus denuntiat *d* Georgium Regem *obstinata perditionis filium* à se excommunicatum, *quod Hussitarum haresin pertinaciter teneat ac defendat.* Itaque iste *haresin* vocat ritum communicandi à Basiliensi Synodo Bohemis concessum. Sed eos Papæ Romani vel inverecunda in contemnenda Synodi auctoritate præsumptio, vel in se fidem Synodi secutos dira & immanis iniquitas atque inhumanitas adeo non fregit, ut potius irritarit, & ab illa Sede magis magisque abalienaverit; quod nos, ut cætera mittam, satis superque intelligimus ex Ioannis Slecthæ Bohemi ad Erasmum epistola ann. D. 1519. data. Is enim, tametsi Papæ partibus addictus testatur *eorum sectam*, qui Eucharistiam suo tempore sub utraque specie populo dispensant, ita apud Bohemiam floruisse, *ut ei licet ex Proceribus pauci, plurimi tamen ex no-*

c G. Pogiebr. ep. ad Matth. Hung. T. 4. Dach. p. 1413.

d Paul. 2. ep. ad Arch. Lugd. ibid. p. 417.

e Slecth. apud Erasm. L. 14. epistolar. T. 3. p. 461.

ex nobilitate, civitates vero Regiæ prope triginta adhærerent. Hos autem, cum conditiones sibi à Concilio Basiliensi latas & à majoribus suis susceptas viderent neque Eugenium Episcopum Romanum, neque sequentes ejus successores approbare ratasque habere, vel litteris pactionis ab illo Concilio datis concessisque subscribere voluisse, hac perspecta *f tam obstinata, & immobili Pontificum mente* offensos Papis de cætero nuntium vicissim remisisse, neque eos jam pro veris Christi Vicariis habere; communionem vero nemini aliter, quam sub utraque specie ministrare. Cum ergo priscus iste mos Eucharistiæ panem & calicem omnibus ad mensam Domini accedentibus porrigendi etiam seculo 14. teste Paludano & Gulielmo de monte Laudano in nonnullis Latinorum Ecclesiis servatus fuerit, & ab Husso circa seculi 15. initia suis Bohemis restitutus, & ad seculi decimisexti primordia summa ab illis fide retentus fuerit; apparet eum ne in occidente quidem ipso ullo fere unquam tempore plane penitusque exstinctum fuisse.

CAPUT XXVI.

f Ibid. p. 454.

Quo iniquior fuit Latinorum durities, qui decimosexto seculo justissimas nostrorum hominum admonitiones ac postulationes pertinacissime spreverunt, pascentium ut plebi sacrum poculum redderetur; præsertim cum ex ipsis Latinis non pauci, clarissima rerum luce victi huic eorum desiderio faverent. Itaque cum diu expectata Synodus, Tridenti tandem à Papa indicta haberetur, intercessere tam apud Papam, quam apud Tridentinum Concilium plura maximi nobilissimique Principes, ut Dominicus calix omnibus communicantibus concederetur. Quæ fuerint Christianissimi Galliarum Regis, quæ Cleri, quæ populi vota, patet ex iis litteris quas à Catharina, Henrici 2. Regis vidua ad Pium P.R. 4. an D. 1561. prid. Non. Sext. de Ecclesiæ reformatione datas Iac. Aug. Thuanus in Historias suas retulit. *g* In his enim Regina hoc nominatim religionis caput urget, *Sacra (inquit) communionis usum integrum, hoc est sub utraque specie, sine personarum distinctione restitui debere, nec Constantiensis Concilij, quod Dei mandato preponderare minime debeat, auctoritatem, quo minus id fiat, obesse posse.* Hæc Regina; quæ Sandovalianus Index, una cum cæteris pane omnibus, quæ in iis litteris habentur, deleri jubet, *h* ne eorum memoria ad posteros propagetur. Extant *i* & Caroli IX. Regis, Catharinæ filij, eodem anno, die Oct. 24. datæ ad Insulanum, suum apud eundem Papam Oratorem, litteræ, quibus docet *se communibus Episcoporum & Doctorum regni sui monitis ac precibus rogatum, ut apud Papam intercedat, quo eum eius venia ac concessione illis liceat, omnibus sibi pro sacro munere subditis sanctam Cœnam communicare sub utraque panis & vini specie; quem ritum primitivæ Ecclesiæ olim fuisse compertum sit; eosdemque Episcopos, præter innumerabiles doctas, sanctissimasque rationes hoc etiam afferre, quod eam rem Pontifex per se, propriaque potestate, non exspectata Synodi opera conficere possit.* Insulanus ad has Regis litteras d. 6. Novembr. *rescribens, narrat k Papã, cum hac ipse apud eum mandata Regis exposuisset, dixisse, hanc suam*

g Thuan. Hist. L. 27 p. 31. 32.

h Sandov. Ind. expurg. ad Thuan. Hist.

i Instr & testr. &c. pour le Conc de Tr. p. 100.

Caput XXVI. *suam semper fuisse de calicis communione, deque Clericorum coniugio sententiam, rem nimirum utramque juris esse positivi, adeoque huiusmodi, quæ mutari possit; seque eo nomine in ultimo Conclavi pæne habitum esse pro Lutherano; Cæsarem eadem apud se primum pro filio Bohemiæ Rege, mox etiam pro suis patrimonialium ditionum subditis postulasse.* His Rex acceptis literis Insulanum jubet *l eadem apud Piū urgere.* Sed res solennibus Romanæ Curiæ artibus, in longum extracta, postremo in nihilum abiit; plærisque. Cardinalibus Insulano Regis mandata procuranti atque urgenti summo studio obnitentibus. Illud memorari dignum, quo Insulanus sua apud eos pro hac causa officia Regi exponens narrat *m sibi à Cardinali S. Angeli fuisse responsum se nunquam assensurum, ut Galliarum populis tantum VENENUM pro medicamento propinetur, multoque sibi consultius videri, ut hoc morbo laborantes perire sinant, quam ut tale iis remedium petentibus concedant, In his verbis Cardinalem ita, ipsum sibi placuisse, ut ea voce contentiore & elatiore voce, & converso ad eos ore qui ponè adstabant pronuntiaret, nequis nesciret hanc suam esse sententiam.*

l Ibid. p. 110.

m Ibid. p. 117.

Neque fœlicius processere vel Regis, vel aliorum Principum apud Tridentinam Synodum conatus. Galli Oratores an. D. 1562. in litteris ad Regem die Iul. 19. datis testantur *n Imperatoris primo, mox etiam Bavarici Ducis Legatos communionem sub utraque specie flagitasse, eamque causam magna cura studiose egisse; casso omnia & inani labore.* Narrant *eos Synodo prolixam & præclaram ea de re commonefactionem exhibuisse; etiam Bavaricum in medio consessu orationem apud Patres habuisse luculentissimam; Se Regis nomine & mandato iis adfuisse.* Doctissimus Calixtus accuratissime executus est, o qui Germanorum à Synodi principio ad finem, qui post ipsum Synodi exitum fuerint labores, qui conatus, quæ officia, Ferdinandi & Maximiliani optimorum ac laudatissimorum Imperatorum, Alberti Ducis Bavarici & aliorum, ut communionem sub utraque specie impetrarent; Quin & ipsam illam oratoris Bavarici *Augustini Baumgartneri* Orationem ad Tridentinos, aliaque multa de hoc argumento rara ac recondita, ex privatis ubi latebant, scriniis eruta in lucem publicam revocavit atque edidit; quæ apud eum videat, qui volet in ipso limine eruditissimæ de communione sub utraque specie disputationis collecta.

n Ibid p. 259.

o Calixt. de comm. sub utr. p. 13. & seqq.

Sed Tridentini obfirmatis & obstinatis adversus omnium vota, intercessiones, atque officia animis, tandem a. D. 1562 præfati *p hanc Ecclesiæ sibi* que adeo *Ecclesiam repræsentantibus, in administratione sacramentorum auctoritatem esse ac potestatē, ut salva illorum substantia, ea statuere, vel mutare possint, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum* sacramentorum venerationi *magis expedire iudicaverint*; ita de re tota deinceps decernunt; *Licet* (inquiunt) *ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusq; speciei usus fuisset, tamen progressu tēporis latissime iam mutata illa consuetudine, Ecclesia*

p Conc. Trid. Sess. 21. cap. 2.

gravi-

gravibus ac iustis causis adducta hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, ac pro lege habendam decrevit, quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet. Ac neque spes erroris corrigendi superesset, anathemate eos feriunt, q *quicumque dixerint ex Dei præcepto omnes & singulos fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere*; Insuper etiam eos, *qui dixerint Ecclesiam Catholicam non iustis causis & rationibus adductam fuisse, ut Laïcos, atque etiam Clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse.* Ac tametsi eos, qui calicis usum flagitabant, ad Papam dimittunt, qui pro sua singulari prudentia scilicet, an alicui vel nationi vel regno id concedi, quibusve conditionibus concedi possit, definiturus sit, & quod è re Christianismi & ipsorum petentium esse videbitur, decreturus; spes tamen ex his in speciem honestis à multis concepta tandem sic omnis in nihilum recidit, ut musteus ille neque pluribus ante inchoatam. Tridenti Synodum annis, quam CXLVII. publica lege receptus communionis sub una specie ritus, omnes nunc Ecclesiæ Latinæ partes atque angulos longe lateque occupaverit; alterius consuetudinis, licet antiquissimæ, & à Christo ipso, ipsisque Apostolis ductæ nullum usquam in toto Papæ regno remanserit vestigium, si Sacerdotem celebrantem exceperis, cui conceditur, ut quem consecravit calicem, totum ipse unus hauriat.

CAPVT XXVI.

q Ibid. can. 1.2.



DE CVLTIBVS LATINORVM RELIGIOSIS, LIBER SEXTVS,

QVI DE EVCHARISTIA QVARTVS EST.

CAPVT PRIMVM.

Novum esse, quod apud Latinos Eucharistia ab ingeniculatis excipitur. Apostolos & Apostolici avi fideles eam discumbentes sumpsisse; Postea stantes communicasse; ex Tertulliano, Dionysio Alexandrino, Chrysostomo, &c. Sic etiam hodie communicare Græcos & Æthiopas. Quædam Latinorum nova in communione & post communionem cautela. De jejunio post communionem, ex Pseudo Clemente.



DISTRIBVTIONEM Eucharistiæ excipit ipsa communio, in qua illud apud Latinos novum occurrit, & à veteris Ecclesiæ usu ac more diversum, quod eam in Solenni Synaxi communicans, non aliter quam utroque genu posito sumit, ut est in Rituali Romano diserte præceptum, *a ut omnes utroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reverenter suscipiant.* Nihil in omni Papæ Ecclesia accuratius observatur; nihil à fidelibus severius exigitur. Cultum, nequis ambigat, ipsi hunc esse profitentur, quem vero Deo Optimo Maximo omnes debemus, quemque eorum. Scholæ proprio vocabulo *Latriam* appellare solent. *b* Quin etiam qui aliud sentiunt, aut docent, eos anathemate feriunt. Ita quidem Latini. In omni vero antiquitate hanc aut similem legem frustra quæsieris. Nullam reperies.

a Rit. Rom. tit de Euch. Inst. p. 73.

b Conc. Trid. Sess 13. c. 5. & can. 6.

Ac in prima quidem Eucharistiæ celebratione, totius instituti fonte non genu flexos, imo ne stantes quidem, sed, quæ corporis positura ab adora-

adorationis externæ ingenio alienissima est. in triclinio ad mensam accumbentes panem & calicem sacrum de Christi manibus accepisse, ex ipsa Evangelistarum narratione qui rem totam accuratissime descripserunt, facile quisquis attenderit, intelliget. Neque aliter Apostolorum discipulos se in hoc sumendo sacramento gessisse, apparet ex iis, quæ Paulus de Sacro hoc negotio in priore ad Corinthios epistola *c* disputat. Inde enim videre est fideles tum quoque cœnatos, statim adeosq; ad eandẽ illam ad quam cœnati erant, mensam discumbentes, sacramentum hoc celebrasse ac sumpsisse; quod utrumque quia alibi fusius demonstravimus, nihil nunc in iis immorari necesse est. Neque vel Iustinus, Eucharistiam describens vel alii ilius ad a. D 300. memoriæ scriptores genu flexos communicasse antiquissimos illos Christianos memorant.

CAPUT I.

c 1. Cor. 11.

d l. 2. de cult. relig. obj. c. 2 & c. 19.

e Iust. Apol. 2.

Par est in sequentium temporum libris de hoc ritu silentium; etiam apud ipsum Constitutionum Pseud-Apostolicarum auctorem, quo loco *f* Episcopi primum & Clericorum, tum & totius populi, singulorumque ejus ordinum communio describitur. Ille quidem cætera diligenter more suo exsequitur; Quemquam in genua procidisse, vel ea flexisse nullus dicit. Stantes communicasse ex iis monumentis, quæ supersunt, non obscure discimus. Nam Tertullianus, negans synaxin sacram ob susceptum jejunii officium deserendam; *Nonne* (inquit) *solennior erit statio tua si & ad aram Dei steteris?* Obiter docet, qua corporis positura fideles ad mensam Dominicam sacramentum accepturi apparerent; nempe stantes, *Si ad aram Dei steteris*; particulam scilicet accepturus. Rigaltius nodum in scirpo quærit, dum eo verbo alludi putat *b* ad Paganorum sacrificia, in quibus victimas passim apud scriptores Ethnicos videmus stare ad Deorum aras. At ii de quibus Tertullianus loquitur, non immolandi sed partem è sacro suam accepturi accesserant, Proprium ergo hujus actus verbum *stare*; ut nihil sit opus ad longe petita excurrere cum vocabulum rei ipsi ad amussim congruat. Id vero etiam firmat vetus tertii, sed adulti sæculi auctor Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus in illustri quodam apud Eusebium loco, ubi hos nobis communicantis fidelis actus recenset; *b* atque hunc quidem primum, quod is *Eucharistiam*, id est gratiarum actionem audiret, εὐχαριστίας ἐπακούειν; secundo, quod *Amen cum cæteris responderet*, συνεπιφθέγξασθαι τὸ ἀμήν; quod etiam Iustinus commemoravit; tum, quod ad sacram mensam adstaret τῇ τραπέζῃ παραστῆναι; Hinc, quod manus ad suscipiendum cibum sacrum porrigeret; postremo, quod cibum illum sacrum sumeret; *Qui gratiarum* (inquit) *actionem frequenter audiverit, & qui cum cæteris responderit Amen qui ad sacram mensam ADSTITERIT, & manus ad excipiendum sacrum cibum porrexerit, qui illum exceperit, & corporis ac sanguinis Domini nostri Iesu Christi diutissime particeps fuerit, eum ego de integro renovare* (id est baptizare) *non ausim.* Εὐχαριστίας γὰρ ἐπακούσαντα, καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμήν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα, καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα, καὶ ταύτην καταδεξάμενον, καὶ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν

Const. A. post. l. 8. c. 13.

g Tertull. de orat. c. 14.

g Rigalt. ad loc. Tert.

b Dion Alex. apud Eus. Hist. l. 7. c. 9. p. 255. B.

Caput I. Ἰησοῦ Χριστοῦ μετασχόντα ἱκανῷ χρόνῳ. ἂν δὲ ἐξ ὑπαρχῆς ἀνασκευάζειν ἔτι τολμήσαιμι. Omnia ſigillatim & quidem accuratiſſime, vt vides. Iſte primo Euchariſtiam (id eſt ſolennem precem, qua Deo gratiæ agebantur, quaque ſacra dona conſecrabantur à ſacerdote) audit. Tum *amen reſpondet*; ut eſt etiam apud Iuſtinum. Tum *ADSTAT ad ſacram menſam*; Ita enim olim & ipſi Laïci ad Domini menſam accedebant, ibique ſacrum cibum ſumpturi adſtabant; eum denique porrecta, ſive protenſa manu ſuſcipiebant; atque ita corporis & ſanguinis Dominici participes fiebant. Vides inter cætera diſerte poſitum τὸ παρεστάναι *adſtare* & τὸ προτείνειν *protendere manus*, quibus excipiebatur Dominicus cibus; vides inter utrumque nihil interceſſiſſe. Si fidelis poſtquam ad menſam acceſſerat, ibi repente genua ad excipiendum ſacramentum poſuiſſet. Dionyſius profecto id hoc loco dixiſſet, quo ſcilicet totum rei ordinem accuratiſſime exſequitur. Nullus dixit. Ne dubites fidelem ergo ad communionem procedentem apud ſanctam Domini menſam adſtitiſſe; adſtantem ſacrum cibum manu excepiſſe; genua ad hoc neque flexiſſe, neque in ea procidiſſe. Doctiſſimus, ſuoque merito celeberrimus Valeſius id ipſum ad hunc locum egregie obſervavit, *l Fideles* (inquit) *communicaturi ad altare accedebant, ibique corpus Chriſti de manu Presbyteri STANTES, non vt hodie genibus flexis, accipiebant.* Huic uſui veteres omnes liturgiæ congruunt; in quibus nullum videmus in communione vel priore, quæ Sacerdotis & Clericorum eſt, vel poſteriori, quæ plebis eſt, Euchariſtiam ingeniculatum ſuſcipere; neminem, vt communicet, juberi genua ponere, quod vtrumque in antiquiſſimis Liturgiis haud dubie cerneretur (plane, ut cernitur in recentioribus Latinorum Miſſalibus, ac Ritualibus) ſi ut nunc fit apud hos, ita olim apud veteres mos Chriſtianorum fuiſſet ſacra dona non aliter accipere quam in genua procumbentem Cur enim in his antiquitatis monumentis, quæ ſunt veluti totidem cultuum ac rituum in Euchariſtiæ ſacro olim ſolennium icones ac tabulæ, hic ritus, qui ſi Latinis credimus, ſanctiſſimus eſt, neque abſque inſigni impietate omitti poteſt, nuſquam expreſſus, vel adumbratus reperitur, cum cæteros omnes, etiam multo levioris ad Sacramentum momenti, actus. Voces, nutus diligentiſſime in iis tradi, deſcribi, etiam inculcari videamus? Atqui certum eſt, non modo in ea Liturgia, quæ eſt apud Pſeudo Clementem, de qua nuper diximus, vel in his, de quibus nunc loquimur, Iacobi, Marci, Baſilii, Chryſoſtomi &c. nomina præ ſe tametſi falſo, præferentibus, ſed etiam in aliis multo recentioribus, quæ in Latinorum, puta Iſidori. Amalarii, Rabani, Valafridi Strabonis, Pſeudo-Alcuini, &c. libris nono decimo, vndecimo pæne toto ſæculo conſcriptis expreſſæ leguntur, vel in iis denique quas nuper Hugo Menardus ex veterum codicum manu ſcriptorum latebris erutas Gregoriano Sacramentorum operi ſubjecit, certum eſt inquam, in his omnibus tam multis primæ ac mediæ antiquitatis monumentis nullum vſpiam locum occurrere, in quo vel fidelis communicaturus jubeatur vel utroque. ut in Romano

l Henr. Vales in l. 7. Eus. c. 9. in Not. p. 145. A

mano Rituali, vel saltem altero genu in terram fixo Eucharistiam susci- CAP. I.
pere, vel ubi aliquis sive de Cleri, sive de plebis censu sacramentum ita ingeniculatus sumere dicatur. Ergo fatendum est nondum toto illo tempore hunc ritum fuisse vel ex publica aliqua Ecclesiæ lege, vel ex tacito omnium consensu atque vsu solennem. Illi quidem scriptores memorant monitos circa Liturgiæ initia fuisse fideles, *vt recte starent*. Clemens; * Cl. Const.
Recti ad Dominum cum timore & tremore stantes ad offerendum, ὀρθοὶ πρὸς l 8.c.12.init.
Κύριον μετὰ φόβου καὶ τρόμου ἑστῶτες ὦμεν προσφέρειν. Liturgia Chrysostomi; *Diaconus dicit clara voce; Stemus honeste. Stemus cum timore. Attendamus sanctam oblationem in pace offerre*, στῶμεν καλῶς. στῶμεν μετὰ φόβου πρόσχωμεν τὴν ἁγίαν ἀναφορὰν ἐν εἰρήνῃ προσφέρειν. Vbi vero ad cōmu- l Lit. Chrys. Bibl. P. T 2. Gr.Lat.p.77. B.
nionem ventum est, nemo neque apud Clementem, neque in Liturgia jubetur genua flectere. Apud Clementem ubi sacerdote præeunte Deum omnis Ecclesia supplex accuratis precibus ante numerum consecrationem adoratura est, Diaconus dicit; *Quicumque fideles sumus, flectamus genu; Deum omnes precemur per Christum ejus*; ὅσοι πιστοὶ κλίνωμεν γόνυ. δεηθῶμεν τοῦ Θεοῦ διὰ Χριστοῦ αὐτοῦ. Quanto magis communicaturos idem m Const. Ap. L.8.c.9.
jussisset ad mensam sacram accedentes genua omnes ponere, si is mos jam tum fuisset? Ille vero nihil tale ad hunc locum dicit. Ne ergo dubites nullum istorum scriptorum temporibus morem hujusmodi fuisse. Sed stantes sacram communionem Chrysostomi, æque ac Dionysii Alexandrini, sæculo sumpsisse docet hujus similis apud illum locus; ubi de sacra synaxi verba faciens; n *Ne igitur* (inquit) *negligamus nostram ipsorum vitam, sed operam demus, ac omnia faciamus, vt sine inimicis sacræ mensæ ADSTEMVS*. μὴ τοίνυν καταμελήσωμεν τῆς ἑαυτῶν ζωῆς. ἀλλὰ σπουδάσωμεν, καὶ πάντα ποιῶμεν ὥστε χωρὶς ἐχθρῶν παραστῆναι τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ. n Chrysost. Hom 22. T. 1.p.260.E.

Ita etiam Augustinus in sermone ex Floriacensi codice edicto; *Quemadmodum nunc* (inquit) *TSAMVS in Ecclesia ante altare Dei, ita nos in die judicii staturos esse credimus ante tribunal Dei*. Huc etiam Latinus Crysostomi interpres retulit quemdam ejus locum; hunc nempe; πῶς παραστήσῃ τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ μιαραῖς χερσὶ καὶ χείλεσι καταπολμῶν αὐτοῦ τοῦ σώματος; Latinus autem, ac si nomen σώματος istic nullum legerit, ita locum vertit; *Quomodo stabis ad tribunal Christi, qui pollutis manibus, & labris ad id audeas accedere?* Manifestum est Christi tribunal, ad quod *STARE* nos dicit Chrysostomus, interpretem de sacra mensa accepisse, ad quam communicaturi accedimus. * Aug. Serm. 2. de Bap.t. T.10. in Append. ult. p. 846. § Chrys. Hom.3.in ep. ad Eph. p.887.A.

Præter ista in rem, quam agimus disertissima, ex aliis Patrum dictis de fidelibus ad communionem se se comparantibus loquentium satis aperte colligitur hos eam non de geniculis, sed stantes accepisse. Nullus enim est veterum scriptorum, qui talibus locis fideles *genua ponere, procumbere, prosterni, iacere*, γόνυ κλίνειν, γονυπετεῖν, προσπίπτειν, ante *mensam* vel *aram*, vel *ad communionem* dicat. Simpliciter dicunt, Græci προσιέναι, προσέρχεσθαι; Latini (quod idem est) *accedere*. Dionysius Alexandrinus; † Dion. Alex. Ep. Can. ad Basil. T.1. Bibl. P.Gr. Lat. p. 308.
† Mulieres pias & fideles ne ipsas quidem ausuras puto hoc in statu ver-

Caput I. stantes ad sanctam mensam ACCEDERE. τῇ τραπέζῃ τῇ ἁγίᾳ προσελθεῖν. Constitutiones Apostolicæ; † Mulieres cooperto capite, ut earum ordinem decet, ACCEDANT. & αἱ γυναῖκες συγκεκαλυμμέναι τὰς κεφαλὰς, ὡς πρέπει γυναιξὶ, προσερχέσθωσαν. Chrysostomus, φ Dic mihi Velles ne manibus illotis ad sacrificium ACCEDERE? Tum statim, Sordidam & immundam habens animã ACCEDIS. ψυχὴν ἔχων ῥυπαρὰν προσέρχῃ. Item in alio opere, χ Noli illota animâ ACCEDERE μὴ ῥυπαρᾷ προσέρχου ψυχῇ. Idem alibi Diaconum de suo in repellendis indignis officio commonefaciens; ψ Siquis indigne accesserit, prohibe. εἴ τις ἀναξίως προσίῃ, κώλυσον. Sic etiã apud Moschũ; ω Quo corde, quibusve manibus Domini corpus ac sanguinẽ ACCEDENS sumis? προσέρχῃ ... μεταλαμβάνεις. Sic & apud cæteros. Nusquam apud eos leges; jacens, prostratus, ingeniculatus ante altare panem sacrum sumis. Latini plane ut Græci. Hieronymus; α Polluimus panem, id est corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare: Augustinus, β Qui uxores nondum habetis, & tamen ad mensam Dominicam acceditis &c. Mox; γ Cogitantes gradus vestros & professionem vestram accedite ad carnem Domini; accedite ad sanguinem Domini. Idem alibi; δ Ad mensam Domini nemo nisi rite baptizatus accedit. Idem in alio opere de pœnitente loquens; ε Alij accedunt ad altare Dei; quo ipse non ACCEDIT. Etiam de decimo seculo Ratherius; ζ Ad Agni Dei sumendum corpus & sanguinem accedere. Præ cæteris ad hanc rem insignis est Cæsarij Arelatensis, sub nomine & suo, & alieno editi, locus η Cum (inquit) ad reverendum altare salutari cibo, potuque reficiendus ACCEDIS, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honore mirare mente continge. Res postulabat, ex Latino certe more, ut diceret; Cum ad reverendum altare prostratus jaces, vel cum apud altare ingeniculatus sancta accipis. Hujus Latini tres gemini sunt Græcorum Patrũ loci; Primus est Cyrilli Hierosolymitani; θ ACCEDENS (προσιὼν ad mensam sacram) ne expansis manuum volis accedas (προσέρχου) neque cum disjunctis digitis, sed sinistram dextræ sedem subjiciens, utpote Regem suscepturæ concavâ manu Christi corpus suscipe dicens Amen. Et mox de calice; Accede & ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed inclinatus modo adorationis & venerationis, dicens Amen, sanctificare etiam ex sanguine Christi participans. Alter locus est Synodi Trullanæ; ι Siquis immaculati corporis in Synaxis tempore particeps esse voluerit, & offerre se ad communionem, manus in crucis formam figurans sic ACCEDAT, & gratia communionem accipiat. Tertius denique locus est Ioannis Damasceni; ξ ACCEDAMUS (προσέλθωμεν) ad Dominum ardenti cupiditate; manus in crucis formam componentes crucifixi corpus suscipiamus, & communioni appositis oculis, labiis, & fronte divini carbonis simus participes, ut ignis desiderij, qui in nobis est, ex eo carbone accendatur, & comburant peccata nostra. Hæc quidem illi Patres; quos (præsertim Cyrillum, & Damascenum) nemo non videt consulto ac velut ex professo quicquid Sacramento tum deferri solebat externæ in communione reverentiæ, id accuratissime, sollicitissime, ac ut sic dicam, ambi-

† Const. Ap. l. 2. c. 57. p. 881 c.
φ Chrys. hom. 3. in Eph. p. 887. A.
χ Id. Hom. de simult. & 7. T. 1. p. 260. C.
ψ Id Hom. 82. [Lat. 83.] in Matth. p. 870. &.
ω Mosch. Prat. Spir. c. 78. T. 1. Bibl. Patr. Gr. L. p. 10088. E.
α Hier. in Malach. fol. 128 M.
β Aug Serm. 46. de verb. Dom. c. 2. D.
γ Ibid. c. 4. B.
δ Id. L. 1. de peccat. mer. & remiss. c. 20. p. 282. 13.
ε Id. hom. fac. 4. p. 205. D.
ζ Rath. Serm. 1. de quad. T. 2. Spic Dach. p. 311.
η Cæsar. Arel. hom. 7. vel Euse. Emis. hom. 5. de Pasch.
θ Cyrill. Hier. Catech Myst. 5. extr. p. 244. & 245. A.
ι Conc. Trull. c. 101. T. 5. Conc. p. 350.

ambit ofissime explicare. Qui fit, ut corporis totius in genua summissionem, longe potissimam ex Latinorum disciplina, venerationis totius partem tali loco indictam omnes praeterierint? Caecus est, qui non intelligit, quam hic non dicunt, nullam revera quam dicerent, apud nostros aevo suo fuisse. Cyrillus de manus dextrae & sinistrae situ, habitu, atque actu fidelem ad aram accedentem, anxie inprimis monet; In calicis sumptione de inclinatione capitis aut cervicis philosophatur; Id enim est (κύπτων vergere, inclinari, oculos & cervicem demittere atque inflectere. Atqui haec omnia vel plane omittere debuerat ex Latinorum certe legibus licebat apud quos ista nulla sunt) vel etiam ea dicere; sed secundo loco. Si enim communicaturus illo tempore genua humi ante figere, quam Sacramentum acciperet, solebat; & naturae & dignitatis ordo postulabat hunc actum primo ita dici; *ACCEDENS* ne recto consistas corpore; sed utroque genu humi fixo inprimis procumbas; Manus vero cave ne expansas, digitisque disjunctis porrigas; & caetera, quae Cyrillus habet. Sic etiam Damascenus dixisset, Accedamus ad Dominum ardenti cupiditate; Ac primum quidem in terram corpus demittamus, ac utroque genu humi posito ante ejus altare proni; & inde manum in crucis modum componentes crucifixi corpus suscipiamus. Atqui altum cum apud alios, tum apud hos ipsos de hac ingeniculatione silentium. Non est ergo dubitandum, quin sit novus, & post seculum septimum atque octavum inventus hic sumendae de geniculis Eucharistiae, nunc apud Latinos ubique solennis ritus.

CAPUT I.
ξ Damasc. L.4. de fid. Orthod. c. 14. p. 460.

Huc etiam accedit hodierna aliorum praeter Latinos, Christianorum, majorum traditionibus juxta cum Latinis addictorum praxis; qui tametsi caetera non parum discordes, in hoc tamen omnes ni fallor, conveniunt, quod stantes Eucharistiae Sacramentum accipiunt. Ioannes Cotovicus testatur *o Laicos à Graecis sub utraque specie STANTES communicari* Consentit *p* Arcudius Graecanicae communionis in qua natus erat, desertor, Graecorum populum, etiam cum rei Eucharisticae plurimum reverentiae exhibeat, *nolle tamen genua flectere*; non quidem ut ille maligne interpretatur, *ne imitari videatur Latinos*, vel ex aliquo eorum odio; sed ex veteri ac constante suorum majorum traditione; quos Eucharistiam genibus flexis vel excepisse venientes, vel sumpsisse oblatam in publicis gentis Liturgiis nusquam legimus. Quin & illam stantium communionem significare videntur illa Diaconi post eam verba, *q Recti participes effecti divinorum &c. Sacramentorum; digne Domino gratias agamus.* Ὀρθοὶ μεταλαβόντες τῶν θείων &c. μυστηρίων. Neque obstat Germani theoria haec ad rectam mentem referentis. *r* Nimirum ille docet, quid ille communicantium erectorum status mystice significarit; statum ipsum corporis erectum litteraliter his verbis intelligi, non negat.

o Cotov. Itin. Syr. & Pal. L.2. c. 6.
p Arcud. de conc Eccl. Or. L.3. c. 19. p. 191. D.
q Liturg. Chrys. Euchol. p. 84.
r Germ. in Theor. Bibl. Patr. Gr. Lat. T.5. p. 165. C.

Aethiopas stantes quoque, communicare docent, quae de iis Cassander ex Francisco Alvaresio exhibet; *Ad communionem omnes veniunt sublatis complicatisque manibus.* Et superius monuerat; *Eodem* (inquit) *modo*

s Cass. Liturg. c. 31. p. 29.

Caput I. *modo datur communio illis, qui stant ante primam cortinam, & aliis qui stant ante alteram cortinam; postea secularibus, qui stant ante portam principalem;* Tum; *Dum datur communio, aut aliud quippiam officii fit, omnes stant erecti.* Godignus de Abassinorum communione narrans, ita refert *t omnes suis dispositos locis, semperque stantes sacris interesse, & Eucharistiam sub utraque specie cantantes sumere.* Neque dubito, quin cæterorum Christianorum, qui vel Nestoriani, vel Iacobitæ, Asiam incolunt, mos idem & olim fuerit, & nunc quoque sit. Ex quibus omnes vident novum esse hunc sumendæ de geniculis Eucharistiæ Latinorum morem, ex transsubstantiationis, ut videtur, fide undecimo, vel etiam duodecimo seculo exortum.

t Godign. de reb. Abass. L. 1. c. 35. p. 216.

Latini communicaturos præterea jubent *u* ita ut diximus, ingeniculatos, *capite recto, ore modice diducto, & quantum satis est aperto hostiam illam suam de sacerdotis manu excipere; exceptam modeste ore retinere, summissis oculis ac dejectis, lingua leniter versare, aquam vel vinum à Clerico porrectum sumere, ut una cum eo absorbeatur, siquid ex sacri panis fragmentis in ore haeserit.* Necdum finis. Fidelibus enim hanc legem ita peracta communione diligenter servandam in Rituali Romano ferunt; *x Moneantur* (inquiunt) *communicantes, ut sumpto sacramento non statim ab Ecclesia discedant, aut colloquantur, nec statim vagis oculis circumspiciant, aut expuant, neque de libro statim orationes recitent, ne sacramenti species ore decidant.* De leniter versando pane sacro, de aqua post eandem, sumptum sorbenda, nequid ex eo fragmenti in communicantis ore remaneat; de illis item cautionibus, ne expuatur, ne orationes de libro recitentur plane nihil apud veteres legitur. Chrysostomus quidem vetat *y* sacro illo convivio pastos lascivire, deliciari, inebriari; jubet orationi & hymnorum cantui, Evangelicorum mysteriorum meditationi vacare, quæ & rectæ rationi & Christi disciplinę consentanea sunt; De minuta illa Latinorum circa capitis statū, oris aperiendi modum, particulæ lingua versandæ moram & curam, & à spuendo abstinentiam philosophia neque Chrysostomus, neq;, quod meminerim, quisquam de puriori antiquitate alius scriptor, quicquam præcipit. Novæ sunt omnes illæ leges, suamque ipsæ originem satis per se fatentur. Quis enim eas non videt ex illa Latinorum de hostiæ fragmentis ingenti sollicitudine natas esse, quę eorum mentes post admissam Eucharistiæ ἀποθέωσιν invasit? Illam certe de sputo cavendo legem Amalarius nondum suo, id est nono, seculo latam fuisse satis significat, cum non inficiatur se aliquando *illico post consumptum sacrificium spuere*; neq; qui eū de hoc suo more reprehendit, is ullum Ecclesiæ canonem, sed quorumdam duntaxat sacerdotum diversum morem objectabat; Ipse vero negat *z* se peccare; *si mens* (inquit) *mea pura fuerit, & humilis in conspectu Domini, confido ut faciat intrare corpus ad animam meam vivificandam, & quod exeundum est propter sanitatem corporis, faciat exire sine dispendio animæ.* Cætera mitto, quæ in hanc rem multa habet.

u Rit. Rom. Gallice excusum. p. 105.

x Rit Rom. de Euch. p. 73. edit. Lat.

y Chrys. in 1. ad Cor. Hom. 37. p. 298. B.

z Amalar. ep ad Guntard. T. 7. Dach. p. 168. 1-0.

Fuere, qui post communionem præciperent servandum per aliquot horas jejunium; ut apparet ex secunda Clementis epistola. *Qui* (inquit ille)

a Pseudo-Clem. ep. 2.

ille) *residua corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes accipiendos cibos conveniant, ne putent sanctæ portioni miscere cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur. Si igitur mane Dominica portio editur, usque ad sextam ieiunent ministri, qui eam consumpserunt; & si tertia vel quarta hora acceperint, ieiunent usque ad vesperam.* Hæc ille, quisquis est epistolæ auctor. Clementi enim suppositam ab aliquo impostore, nemo hodie eruditus dubitat. Blondellus vero noster & hanc & cæteras vetustissimis Romanæ Ecclesiæ episcopis ab impudentissimo juxta & stupidissimo artifice subditas epistolas censorio veru valide confixit. *b* Quin & hanc Clementis Paschasius jampridem hoc quod in ea habetur, decretum memorans *monumentis apocryphorum accenset*, & *librum apocryphum vocat*. *c* Vnde constat epistolam seculo nono, quo vixit, Paschasius; extitisse, sed recens, ut videtur, confictam; cujus scilicet ante Paschasium nemo meminit. Auctor, quisquis fuit, cum videret ab omnibus ante Eucharistiæ sumptionem jejunari, judicavit ad sacramenti honorem pertinere, ut post communionem pariter quoque jejunaretur; non sine aliquo, ut videtur, colore. Neque enim credo, sanctius est exceptam ventriculo particulam sacram statim superinjecto illo, ut sic dicam, ciborum communium cœno obrui, quam in natantes in ventriculo sumto paulo ante cibo, diversarum rerum, vini, panis, carnium materias mitti. Itaque impostor, ex Latinorum quidem rationibus haud quaquam stulte, jussit sex, septemve horas à sacramenti sumptione ad communes dapes intercedere; quem etiam jejunij ante sumptionem naturalis modum à posterioribus Magistris fere definitum fuisse videmus. Atque hæc fortasse Latinæ sapientiæ species Decretorum collectores ita decepit, ut hunc auctoris, tametsi pridem à Paschasio ad Apocryphos ablegati, canonem avidissime exciperent, & inter Ecclesiastica jura referrent Burchardus, *d* Ivo, *e* Gratianus, *f* alij. Haud facile dixerim, an eorum temporibus in usum Ecclesiæ Latinæ receptus esset; quanquam vix purgari posse videatur istorum temeritas, si res nullius apud suos usus, & quidem à Paschasio jamdiu damnatas Ecclesiæ decretis permiscere ausi sunt. Vtcumque sit, nihil hodie quidem video de hoc pseudo-Clementis jejunio vel in libris Latinorum præcipi, vel *in usu communi servari*.

CAP. I.

b Blond. contr. Epist. prim. Rom. Episc. affictas.

c Pasch. de corp. & sang Dom. c.20. p.1605. 1606.

d Burch. L. 5. c. 11.

e Ivo Part. 2. c. 21.

f Grat. de Cons. d. 2. c. 22. Tribus grad.

Caput II.

CAPUT II.

Eucharistiæ reservatio duplex, Ecclesiastica ministrantium, privata communicantium. Illa Latinorum nunc solennis, res noua, antiquioribus ignota. Tridentina de ea definitio. Triplex ad eam quæstio. I. An omnibus in exitu fidelibus datum olim fuerit primis quatuor sæculis viaticum? Probatur non fuisse datum in Apostolica Ecclesia, ac ne diu quidem postea. Solvuntur, quæ objiciuntur I. ex Iustino; Ei Absentes *non esse ægrotantes. II. ex Dionysio Alexandrino; Id pertinere ad pænitentes, non ad fideles. III. ex Synodo Nicæna; id ipsum quoque ad Pænitentes pertinere.*

AD Eucharistiæ communionem accedit ejusdem reservatio; eaque duplex; ministrantis, siue celebrantis; altera ipsius communicantis. Circa utramque non parva cernitur Latinorum ab antiquis Christianis diversitas

De priori nota est Latinorum praxis, præcipuum quodque & maxime insigne altare, nullo (etiam extra communionem) tempore, pane Eucharistiæ sacro apud eos carere, qui ad hanc rem in *arcula*, sive pyxide (*ciborium* vulgo vocant) magna religione custoditur. Itaque non quoties hoc sacrum fit, consumuntur omnes omnino (vt veteres loquebantur) *particulæ*, siue, (vt nunc vocant) *oblatæ* vel hostiæ, sed quædam, quoties opus est, integræ reservantur, ac in *ciborio* reconduntur, & quod dixi, diligentissime custodiuntur. Tridentini suum hunc morem summopere commendant; g cum ab antiquitate, tum ab utilitate; *Consuetudo* (inquiunt) *asservandi sacrario sacrum Eucharistiam adeo antiqua est, vt eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, & hunc usum in Ecclesia diligenter conseruari, præterquam quod cum summa æquitate & ratione coniunctum est, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetustissimo Ecclesiæ more est observatum. Quare sancta hæc Synodus retinendum omnino salutarem hunc & necessarium morem statuit.* Legem deinceps in altera decretorum parte sævo in diversa sentientes anathemate de more sic sanciunt; h *Si quis dixerit non licere Sacram Eucharistiam in Sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessario distribuendam, aut non licere; vt illa ad infirmos honorifice deferatur, ANATHEMA sit.* Hæc illi; quæ majori cum veri specie dicerent, si suam illam Sacramenti dimidiam partem, non ad alium, quam ad eum, quem ipsi hic solum commemorant, infirmorum vsum asservarét. Nunc vero res longe aliter habet. Quod ut intelligi, atq; de eorum, quę Tridentini affirmant, veritate an falsitate, liquido judicari possit; Primo de cõmunicandæ quibusvis infirmis Eucharistiæ more disputandum

g Conc. Trid. Sess. 13. c. 6.

h Ibid. can. 7.

putandum est: Tum de ipsa particularum ad hunc usum reservatione: ac postremo denique de aliis vsibus, ad quos ista hodie fit apud Latinos, oblatarum reservatio. CAPUT II.

Vt ergo à primo ordiar, non videtur ille Eucharistiæ fidelibus infirmis, maxime vero in Supremis, dandæ ritus tum esse antiquus, quam Tridentini videri eum volunt. Apostolicæ Ecclesiæ, quæ omnium *vetustissima*, princepsque est, cognitum fuisse hunc morem, nihil est, vnde probari possit. In divinis quidem litteris nulla de eo syllaba occurrit. Multa in iis de Eucharistiæ institutione, atque vsu leguntur, neque vno loco ejus celebratæ exempla leguntur, sed à sanis & valentibus: nullius quod sciam ab infirmis & moribundis. Corinthios quidem, quos Apostolus cœnatos Eucharistiam sumpsisse testatur, *i* eo ipso bene valuisse constat, quod fraternis conviviis interessent. Et eos valuisse nemo opinor, negaverit, quos Lucas vel *in communione & fractione panis, & orationibus Hierosolymis perseverasse*, vel Troade in cœnaculum quoddam *ad frangendum panem convenisse* narrat. De fideli aliquo domi seorsum in morbo vel in supremis communicato altum vbique in Scripturis silentium. Denique nulla apud eas extra plurium conventum, nulla nisi à valentibus sumpta vel celebrata occurrit Eucharistia. *Mirum* atque incredibile est sanctissimos viros morem hunc tam constanter in tam multis libris ad Christianæ pietatis disciplinam accuratissime ac copiosissime scriptis, nullam usquam facturos fuisse mentionem, si eum cum Tridentinis, *salutarem, necessarium omninoque retinendum esse* putavissent, Iacobus quodam loco de officiis fratri laboranti, & quidem (si Latinis credimus morbo periculoso ac in speciem letali laboranti exhibendis diligenter præcipit: *Infirmatur quis in vobis* (inquit) *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Nemo nescit Latinos *infirmitatem* quidem, de qua Iacobus, de afflictissima ac pæne conclamata valetudine: *unctionem* vero de exeuntium sacramento accipere. Viro in his versanti ex eorum disciplina Eucharistiæ cõmunio est in primis, & ante ipsam unctionem adhibenda, quæ viaticum scilicet est, exeunti & migraturo necessarium. Neque tu mihi quemquam ex Latinorum sapientibus dederis, qui tali loco ac tempore non sit infirmo Eucharistiam & vnctionem commendaturus: quemque consecranei, si Eucharistiam hic omiserit, de sola unctione dixerit, non sint crassi in tradenda sua disciplina flagitij reum habituri. Atqui Iacobus, quem vel flagitii in scribendo, vel negligentia suspectum habere nefas est, de oratione quidem ac de *unctione* diligenter monet: de Eucharistia infirmo porrigenda nullum verbum facit. Silentii causam aliam præter hanc, suspicari difficile est, id scilicet tacuisse sapientissimum Apostolum, quod neque per se necessarium, neque in communi Ecclesiæ usu esse videbat. Neque post Apostolos quicquam in omni vetustissimæ illius ad quartum vsque sæculum Ecclesiæ monumentis occurrit, quo probari possit morem Eucharistiæ

i 1.Cor.11.

k Act.2.42.& 20.7.

l Iacob.5.14. 15.

Caput II.

infirmis dandæ, non jam dico, quod Tridentini aiunt *necessarium* sed vel solennem & usitatum apud nostros fuisse. Quæ enim ex Iustino & Dionysio Alexandrino afferuntur duo loca ea si penitius inspicantur, nihil ad hanc rem valere reperientur. Iustinus solennem suo tempore Synaxin describens, dicit *m* quidem Diaconos benedictæ confectæque Eucharistiæ panem & vinum sacrum, non modo iis, qui synaxi intersunt, distribuere, sed etiam ad absentes perferre, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν (inquit) ἀποφέρουσι. *Absentes* vero istas ægrotasse, non dicit. Latini vetera ex præsentibus Ecclesiæ suæ moribus, perperam ut solent, metientes istas ob morbum à solenni fidelium cœtu absfuisse hariolantur, sed non probant. Ego vero quæro, cur Eucharistiam ad *absentes*, non autem ad *infirmos*, delatam fuisse dixerit, si id ipsum, quod nunc fit apud Latinos, suo ævo factum esse, significare voluit? Ex Latinis quidem nemo hodie sic loquitur, ut dicat *Sacramentum ad absentes deferri*; & qui sic loqueretur, peregrinum quiddam & à suis moribus alienum dicere eum putarent. Omnes apud eos Eucharistiam *ad infirmos* deferri, & sciunt & dicunt; *ad Absentes* deferri inauditum. Ergo qui non ad infirmos; sed *absentes* delatam ævo suo fuisse scribit, Iustinus alium ævi sui morem fuisse indicat, quam qui nunc Latinorum est. Sed quinam (inquis) absentes isti erant, ad quos Diaconi Eucharistiam deferebant, si infirmi non erant in supremis versantes? Illi vero inquam, non unius generis erant. Primo enim cum Iustinus hæc scriberet, ea erant tempora, quibus sęviente Gentilium in Christianismum rabie, multi fideles delitescere cogebantur; ut exempli causa, qui apud Magistratum delati ultimum periculum adiissent, si deprehensi captique essent. His ergo cum fidelium cœtibus, tametsi arcanis, ac ut plurimum nocturnis & antelucanis interesse absque aliquo vitæ discrimine non liceret, Eucharistiæ sacra dona non quidem asservabantur, sed peracto sacro statim per Diaconos mittebantur, non ex aliquo ciborio deprompta sed ex ipsa Domini mensa sublata. Hujus ordinis fortasse ii erant, de quibus in Luciani Martyris Actis ita scribit Metaphrastes, cum Martyrem in carcere Eucharistiam confecisse, circumdante eum fratrum corona, dixisset; *Cum* (inquit) *Sacro ritu omnia peregisset proposita, ipse & fuit particeps Sacramentorum, & transmisit ad eos, qui aberant*; idque ita factum, ait ipsum Lucianum ostendere in vltima ad eos (discipulos) *epistola*. Hos ob morbum abfuisse, quis & unde docebit? Abfuisse verisimile est vel quod non esset consultum nimis multos Martyri adesse in custodia versanti, ne nostris ea multitudo, vel invidiam, quod est apud Cyprianum, vel etiam periculum crearet, vel sane quod hi Martyris discipuli in locis ab ea, in qua passus est, urbe remotioribus habitabant, quam ut Magistro in supremo agone versanti in tempore adesse possent. Sed & aliud absentium, ad quos Eucharistia mittebatur, genus fuisse nos docet *o* apud Eusebium Irenæus in epistola ad Victorem Romanum Episcopum; *Illi ipsi* (inquit) *qui te præcesserunt Presbyteri, quamvis id minime observaret* (ut scilicet Pascha eodem cum Asianis die agerent) *Ecclesiarum Presbyteris* qui id

m Iust. Ap. ol. 2 p. 76. lin. 45.

n Act. Luciani apud Sur. c. 7. ad d. 7. Ian. p. 99.

o Euseb. Hist. l. 5. c. 24. p. 193. B.

qui id observant, Eucharistiam transmiserunt. αὐτοὶ μὴ τηροῦντες οἱ πρὸ σοῦ πρεσβύτεροι τοῖς ἀπὸ τῶν παροικιῶν τηροῦσιν ἔπεμπον εὐχαριστίαν. Plane significat, quod doctissimus Valesius demonstrat, *p hunc tum morem fuisse promiscuum, & ab omnibus passim Episcopis* (non autem à solis Romanis) *usurpatum, ut ad aliarum civitatum Episcopos benedictionis nomine Eucharistiam transmitterent*; quod & ex Concilio Laodiceno firmat, ac ipsum hunc, qui nobis objicitur, Iustini locum, de his accipiendum censet; eamque interpretationem illa altera *planiorem* esse dicit, quæ Iustinum de ægrotis intelligit. Cæterum pacis quoque & communionis cum iis testandæ causa, ad quos Eucharistia mittebatur, eam missam fuisse, tota clamat Irenæi oratio. Sed & postquam mittendæ ad remotiores Eucharistiæ mos ex Laodicenæ Synodi canone 14. antiquatus fuit, mansit tamen cætera parilis consuetudo, qua Episcopus ad suæ civitatis Presbyteros quibus diebus apud se communicare illis non vocabat, Eucharistiam mitteret. Id nos Innocentius quinto adhuc sæculo etiam Romæ factitatam fuisse docet in epistola ad Decentium a. D. 416. data, in qua de Ecclesiis intra urbem constitutis verba faciens, *Quarum* inquit) *Presbyteri, quia die ipsa* (Dominica) *propter plebem sibi creditam nobis cum convenire non possunt, idcirco fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se à nostra communione maxime illa die non judicent separatos. Fermenti* enim nomine Eucharistiam à se confectam ab Innocentio significari alibi, *r* auctore ac teste Sirmondo, demonstratum est. Hos ergo omnes, quibus nimirum absentibus, missam fuisse Eucharistiam ex veris certisque illius memoriæ scriptoribus constat, *absentium* nomine significatos fuisse à Iustino merito respondeo; De fidelibus in exitu versantibus locum intelligi, nihil necesse est; imo ne sic capiamus, repugnat & phrasis scriptoris, *absentes*, non *infirmos* eos vocantis, ad quos Eucharistia mittebatur, & *mensa* à qua mittebatur, non *ciborium*; ut mittam nullum ad Iustini ævum scriptorem Ecclesiasticum occurrere, qui doceat morem communicandi morientes jam tum apud Christianos obtinuisse.

Sed ex Dionysio Alexandrino, qui centum post Iustinum annis floruit, Latini multo in speciem probabilius sibi videntur argumentari. Is enim narrat *s* fuisse Alexandrinæ Serapionem quemdam senem, qui urgente morbo cum in supremis ageret, nepotem ex filia suum jusserit ocius unum sibi ex Presbyteris accersere; Presbyterum puero exiguam Eucharistiæ particulam, quod ipse morbo præditus domo prodire non posset, tradidisse perferendam; Senem buccella paulatim absorpta, continuo animam exhalasse. His Bellarminus recitatis; *t Ex quo* (inquit) *loco apertissime patet morem fuisse asservandi Eucharistiam propter ægrotos.* De asservatione, mox videro. De ægrotis, quod hinc & ipse & alii putant colligi omnibus simpliciter fidelibus solenne apud illius ævi Ecclesiam fuisse, ut nunc est apud Latinos, in morbo præsertim gravi, & mortem portendente, Eucharistiam sumere; eo inquam, isti Theologi largiter falluntur. Quod ut intelligatur, observandū

CAP. II.

p Vales. in loc Ire. Notat. in Euseb. p. 109. A.

q Innoc. I. ep. I. c. 5. T. I. Conc. p. 752.

r Supr. l. 5. c. 13

s Dion. Alex. apud Eus in hist. l. 6. c. 44 p. 246.

t Bell. l. 4. de Euch. c 4. §. eod. sæc. dig.

Cap. II. est in prisca Ecclesia præter Catechumeos, duos insuper fuisse multũ inter se discrepantes Christianorũ ordines, *Fideles*, & *Pœnitẽtes*. Priori nomine cẽsebãtur, quibus jus erat, Eucharistiæ ex Domini mẽsa, si liberet, sumendæ, quoties ea in Ecclesia ministrabatur; Posteriori, qui in aliquod in Canonibus notatũ crimen lapsi à sacra mensa tamdiu excludebantur, donec pœnitentiã publicam ex Præpositorũ judicio inflictam peregissent, atque ita satisfecissent. Sed ea aliquando fuit antiquæ illius Ecclesiæ in peccantes severitas, ut qui essent gravissimorum delictorum, ut idololatræ, aut adulterij manifesti, eos ab Eucharistiæ cõmunione & pace Ecclesiastica in perpetuum inexorabiliter summoverent. Non diu tamen stetit hic rigor; sed paulatim ab Episcopis mitigatus est, nemini quantumvis criminoso præcisa spe veniæ, ac pacis; quod non simul semelque factum est. Primus ad leniorem in idololatras disciplinam gradus factus est Decianis temporibus, tertio jam adulto seculo, quo Cyprianus suos Afros tradit [u] *in copioso conventu temperamentum salubri moderatione sic liberavisse, ut nec in totum spes communicationis & pacis lapsis* (in idololatriam) *denegaretur* &c. *nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent, sed traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur causæ, & voluntates, & necessitates singulorum*; atque ita tandem peracta congrua satisfactione lapsi isti ad pacem & communionem admitterentur. Siqui vero ut fit, in medio hujus pœnitentiæ cursu graviter ita infirmarentur, ut verendum esset, ne eos mors ante præstitam satisfactionem raperet, his pacem & communionem poscentibus in exitu esse subveniendum, & Eucharistiam dandam. Qui vero lapsi [x] *pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis suæ professione testantes, in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari, eos omnino prohibendos censebant à spe communicationis, & pacis*. Testatur ibidem Cyprianus [y] *Cornelium collegam suum, ad quem etiam Romam super hac re scripserat, & ipsum cum plurimis Coepiscopis habito Concilio in eandem secum sententiam pari gravitate, & salubri moderatione consensisse*. Qui iisdem temporibus Alexandriæ florebat Dionysius Episcopus eadem quoque se de lapsis decrevisse eo ipso in loco testatur, qui nobis objectus est; [z] *In mandatis* (inquit) *dederam, ut morituris, si peterent, & maxime si antea suppliciter postulassent, venia indulgeretur, quo bonæ spei pleni ex hac vita migrarent.* ἐντολῆς ὑπ' ἐμοῦ δεδομένης τοὺς ἀπαλλαττομένους τοῦ βίου εἰ δέοιντο, καὶ μάλιστα εἰ καὶ πρότερον ἱκετεύσαντες τύχοιεν, ἀφίεσθαι, ἵν' εὐέλπιδες ἀπαλλάττωνται. Dionysium hæc de lapsis præcepisse ostendit & res quæ narratur, & ipsum de iis præceptum, ac denique illa, quæ adjicitur; conditio, *si antea suppliciter postulassent*. Iam vero ex hoc lapsorum quidem, sed pœnitentium ordine fuisse Serapionem, cui in supremis versanti missa est Eucharistia, ipse Dionysius narrationem exordiens docet; [a] *Erat* (inquit) *in hac urbe Serapion quidam senex fidelis, qui reliquo quidem anteacta vitæ tempore diu nulli culpa obnoxius fuerat, sed in persecutione lapsus erat. Is sæpenumero*

[u] Cypr. ep. 52. p 74. extr.

[x] Id. ibid. p. 81. init.

[y] Id ibid. p 75. init.

[z] Dionys. apud Euseb. L. VI. c. 44. p. 246. C.

[a] Ibid. B.

veniam

veniam petierat, neque quisquam ei attenderat, eo quod sacrificasset. Σεραπίων τις ἦν παρ' ἡμῖν πιστὸς γέρων, ἀμέμπτως μὲν τὸν πολὺν διαβιώσας χρόνον, ἐν δὲ τῷ πειρασμῷ πεσών. οὗτος πολλάκις ἐδεῖτο, καὶ οὐδεὶς προσεῖχεν αὐτῷ· καὶ γὰρ ἐτεθύκει. Hinc istum, qui lapsus erat qui in persecutione sacrificaverat, patet ex eo peccatorum ordine fuisse quibus nullum primo, aliquem postea pœnitentiæ, sed longioris & severioris locum datum fuisse diximus. Huic qui cætera vita ante lapsum purus & inculpatus vixerat, qui post lapsum acri sui criminis pœnitentia functus sæpe numero veniam & pacem suppliciter à præpositis petierat, ex illo mitiori Cypriani, Cornelij & Dionysij decreto Eucharistia, si eam in supremis posceret, negari non poterat. Itaque hoc ejus exemplum pœnitentibus quidem, etiam ob gravissima delicta, si nondum peracta satisfactione in morbum letalem incidissent, Eucharistiam eo loco ac tempore suppliciter poscentibus indultam fuisse docet; à quibusvis fidelibus, etiam castissimæ ac emendatissimæ vitæ, expetitam fuisse & porrectam, nequaquam docet. Aliud probat ratio, quam huic indulgentiæ obtendit Dionysius, pœnitentium propria. Dari enim istis in exitu Eucharistiam ideo sibi placuisse ait *quo bonæ spei pleni ex hac vita migrarent.* Qui enim ab omni Ecclesiæ pace atque communione extorres, & quodam veluti futuræ damnationis præjudicio à piorum cœtu relegati in squalore & lacrymis degebant, eos urgente præsentis mortis metu, ingens anxietas ac trepidatio agitabat; nequid dicam de pœnis Ecclesiasticis, quas in eo statu mortuis veteris disciplinæ canones infligebant; de quibus videri possunt, quę doctissimus Albaspineus scripsit. *b* Vt ergo miseri hoc tam gravi animi cruciatu liberarentur, pacis ac communionis Ecclesiasticæ consortes, securi lætique migrarent; sapienter sane à sanctissimis Episcopis mitigata est dira illa superiorum temporum severitas. Cum vero fideles, à pœnitentibus distincti, commune cum istis nihil haberent, in medio Ecclesiæ gremio sacra pace, omnibusque ejus symbolis, & Eucharistia, quæ cæterorum omnium caput est, quotidie si liberet, singulis certe Dominicis vel etiam aliquanto crebrius fruerentur; nihil eos prohibebat *bona cum spe* ἐὐέλπιδας *ex hac vita migrare*; Nihil cogebat metuere, ne Eucharistia, qua frequentissime vescebantur, in supremis caruisse fraudi sibi vel apud Christum judicem, vel apud Ecclesiam futurum esset. Ergo ad fideles, qui maximam ac potissimam singularum Ecclesiarum partem efficiebant, nihil Serapionis aut similium exemplum pertinet Quantula isti erant Ecclesiæ cujusque portio?

Huc quoque referendus est Nicænæ Synodi canon; *c De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut si quis egreditur è corpore, ultimo & necessario viatico minime privetur. Quod si desperatus, & consecutus communionem convaluerit, si inter eos, qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communis gratiam tribui, Episcopus probabiliter* ex

Marginal notes: CAP. II. — *b* Albaspin. Observ. L. — *c* Conc. Nic. c. 13.

Cap. II. *ex oblatione dare debebit.* περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς φυλαχθήσεται νόμος καὶ νῦν. ὥστε εἴτις ἐξοδεύοι, τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι. εἰ δὲ ἀπογνωσθεὶς, καὶ κοινωνίας πάλιν τυχὼν πάλιν ἐν τοῖς ζῶσιν ἐξετασθῇ. μετὰ τῶν κοινωνούντων τῆς εὐχῆς μόνης ἔστω. καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς οὑτινοσοῦν ἐξοδεύοντος. αἰτοῦντος τοῦ μετασχεῖν εὐχαριστίας, ὁ ἐπίσκοπος. μετὰ δοκιμασίας ἐπιδότω. Hæc non de fidelibus, ac quibusvis in genere Christianis, sed de solis pro lapsu pœnitentibus dixisse Patres luce meridiana clarius est. Primo id adstruit ipsa Canonum series. Cum enim tres superiores X. XI. XII. sint de fidelibus lapsis, eorumque pœnitentia; proxime vero sequens XIV. de Catechumenis itidem lapsis, eorumque pœnitentia; absurdum est hunc canonem XIII. inter istos de lapsis canones interpositum de omnibus simpliciter fidelibus interpretari. Idem secundo inde manifestum est, quod infirmos, quibus viaticum concedit, si præter spem convalescere eos contigerit, orationis tantum, non & Eucharistiæ communione deinceps donari decernit; quo intelligimus istos, antequam viaticum acciperent, Eucharistiæ communione caruisse, adeoque pœnitentes fuisse. Esset enim absurdissimum atque iniquissimum eos propter acceptum in exitu viaticum deteriori, quam antea conditione esse jubere. Tertio ultima quoque verba nos eodem ducunt. Nam quicumque illi de cætero sint, quibus canon viaticum concedit, iis non simpliciter id concedit, sed cum prævio *Episcopi examine*, μετὰ δοκιμασίας, id est *cũprobatione*, quod Latinus subobscure interpretatur *probabiliter*; Dionysius Exiguus melius & ad Græca appositius habet, *Episcopis cum examinatione oblationẽ impertiat*. At si de fideli à pœnitẽte distincto res esset, nullo examine opus foret; cum fideli Eucharistia nulli negetur. Quod ergo ait Canon, *generaliter omni cuilibet*, id non absolute *de quovis Christiano*, etiam qui sit in ordine fidelium, sed de quovis pœnitente accipiendũ est. Multa enim fuisse pœnitentiũ pro lapsuum & satisfactionũ genere discrimina, vel ex superiore canone patet, qui XII. est; in quo aliquot referuntur pœnitẽtiũ inter se differentiæ. Deniq; huc etiam spectant illa prima canonis verba, quæ *antiquam & regularem legem*, vel ut elegantius reddidit Dionysius, *antiquæ regulæ legem servari* jubent. Vetus enim illa regula ea ipsa est, quam ab Afris & Romanis in suis Concilijs ex Cypriano, & à Dionysio apud suam Alexandriã diu ante Conciliũ Nicęnũ constitutã fuisse diximus. De omnibus vero fidelibus dando in exitu viatico, *legem* vel *legulã* apud vetustiorẽ Nicæna Synodo Ecclesiam, plane nullã reperire est. Totum Canonẽ Zonaras de lapsis accipit; *d* cujus hæc est in ultima verba paraphasis; *Et vero quicumq; luendæ pœnæ* (canonicæ scilicet) *obnoxius in extremo* (inquit Canon) *exitu constitutus, sanctæ oblationi cõmunicare se velle ostenderit, ei cum approbatione Episcopi, hoc est re per illum examinata, & probata fiat facultas.* καὶ πᾶς δὲ ὁ ἐν ἐπιτιμίῳ ὢν, περὶ τὴν τελευταίαν γενόμενος ἔξοδον. φησὶν ὁ κανών. εἰ ζητεῖ μεταλαβεῖν τῆς ἁγίας προσφορᾶς, μεταλαμβανέτω. μετὰ δοκιμασίας, ἤγουν γνώμης τοῦ ἐπισκόπου καὶ ἐξετάσεως. Nulli nisi pœnitentes, dicuntur esse ἐν ἐπιτιμίῳ. Non alios ergo quam pœnitentes *omnes* illos Canon intelligit, quibus generaliter

d Zon. in c. 13. Conc. Nic. p. 60. C.

liter Eucharistiam in exitu poscentibus concedit. Neque aliter Balsamo, qui generalem quidem ait esse Canonem; sed de quo? *De omni* (inquit) *eo, cui pœna imposita est, & sacramentis est privatus.* παντὸς ἐπιτιμηθέντος καὶ τῶν ἁγιασμάτων στερηθέντος. Nullos autem pœna aliqua affectos, & sacramentis privatos alios fuisse, quã lapsos in pœnitentia constitutos, omnes sciunt. Postremo apposita huic Canoni in Græco-Latina Conciliorum Parisiensi editione summa sive inscriptio; *f Constituitur* (inquit) *ne Pœnitentibus in extremo periculo vitæ constitutis communio, quæ viaticum appellari solet, denegetur.* Sic quoque Ancyrana Synodus *g* de sacrificatis, id est in idololatriam lapsis, eorumque pœnis ac pœnitentia statuens, *Si periculum* (inquit) *mortisque expectatio ex morbo, aut aliqua occasione contigerit, secundum canonem recipiantur.* Quæ vir doctiss. Christophorus Iustellus ad Canonem Nicænum congessit, ea omnia pœnitentium sunt in exitu communicandorum. *Fidelis*, sive *justi* in supremis communicati nullum istic exemplum est. Concilium Carthaginense IV. *Pœnitentes* (inquit) *qui in infirmitate sunt, viaticum accipiant.* Et canone sequenti; *Pœnitentes qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.* In his viaticum infirmitate gravi correptis concedi vides, sed pœnitentibus; plane ex Canone Nicæno, de quo diximus. Sic etiam Basso Sexti P. R. 3. calumniatori Synodus noluit *i in ultima vitæ die viaticum denegari*; homini scilicet à se excommunicato, & ad supremam illam diem Eucharistia carituro. Hujus plane simile est illud aliud Lamponiani exemplum, *quem à se Synesius à sacra mensa communione ita exclusum esse* narrat; *k ut si ei fatalis necessitas accederet, sique præstituta mortis dies adesse videretur, permiserit omnibus, qui tum adfuerint, presbyteris ei communionem impertiri. Nemo enim* (inquit) *mihi vinctus anathemate moriatur.* [Greek text partly illegible] ... συγχώρησιν ... Λαμπωνιανῷ ... πρεσβυτέροις ... δεδεμένος ἐμοί. Si vero cõmunicatus convaluerit, jubet eum de integro iisdem pœnis subjectum manere. Eodem quoque pertinent multi alii eorundem & sequẽtium temporum canones; ut Innocentianus *de iis, qui in extremo vitæ pœnitentiam & communionem petunt*, a. D 404 conditus, in hæc verba desinens; *l Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines huiusmodi vel in supremis pœnitentes, miserante Salvatore nostro à perpetuo exitio vindicentur.* Ita Arausicani Patres, *m Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari; quod morientis sufficit consolationi, secundum definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Viaticum dici docent communionem*, non justi aut fidelis, sed pœnitentis in supremis; quod est observandum. Eadem decernit Aurelatensis altera Synodus; *n* eadem Epuonense Concilium *o* a. D. 517. Concilium Aurelianense *p* 3. a. D. 538. *cõmunionem viaticum* vocat, quam *pœnitenti periculosam infirmitatem incurrenti non negandam esse* definiunt; *ne virginum quidem sacrarum raptori.* Concilium Lugdunense 3. *puellis*

e Balf. in c. Nic. 13. p. 292.

f Ad. c. 13. Nic. T. 1. Conc. Par. p. 368. C.

g Conc. Anc. c. 6.

h Conc. Carth. 4. c. 77. 78. T. 1. Conc. p. 730. A.

i Pont. Rom. in Sex. 3.

k Synes. ep. 67. quæ ad Theoph. p. 215. A.

l Innoc. 1. ep. 2. c. 2.

m Conc. Arausi. 1. c. 3.

n Conc. Arel. 2. c. 12.

o Conc. Epao. c. 26.

p Conc. Aurel. 3. c. 6

c. 16.

Cap. III. 3. *puellis Deo devotis, quod à monasterio recessissent, à communione segregatis* pari indulgentia concedit *q viaticum miserationis intuitu praeberi.* De pœnitentibus ob homicidium idem constituit Concilium Remense *r* a. D. 630. Idem de ipsis parricidis Gregorius P. R. 3. *s* Mitto cætera, quæ multa afferri possent; ut Vernensis Synodi *t* de sanctimonialium stupratoribus constitutionem, *quos ex Innocentij decreto à communione suspendi jubet, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi*; aut *his certe viaticum* (inquit) *de seculo transeuntibus, si tamen pœnituerint non negari.* Sed hæc plus satis; ex quibus patet veterem illam in supremis communionem in Serapionis historia, & in Synodis Nicæna, Carthaginensi, & alijs memoratam, non omnium promiscuè baptizatorum fuisse in supremis communem, qualis ea est, pro qua certant Latini, sed aliam longe diversissimam, publice pœnitentium propriam quibus in medio pœnitentiæ cursu, nondum impleta satisfactione morbo gravi ex improviso oppressis, ne pacis ac spei expertes morerentur concessa Eucharistia subveniebatur, quæque *viaticum* ideo dicebatur, quo scilicet antea caruerant. Carere autem *viatico* non videntur dici potuisse fideles, qui Eucharistiam crebro, ac fortasse uno tantum aut altero ante morbum die sumpserant. Frustra ergo est Bellarminus, qui in hanc disputationem sine delectu aut judicio Serapionis historiam & Nicænum canonem invexit.

q Conc. lugd. 3. c. 5.
r Conc. Rem. c. 9
s Greg. 3. ep. 1.
t Conc. Vern. 2. a. D. 844. c. 5.

CAPUT III.

Communionem quorumvis in exitu fidelium nusquam apud veros Christianismi ad ann. D. 397. Scriptores occurrere, ne iis quidem in locis, in quibus describuntur mortes virorum & mulierum ob pietatem illustrium; ut Helenæ Augustæ, Antonij, Athanasii, Basilij, Gregorij patris, Gorgoniæ, Macrinæ Gregorij Thaumaturgi, Ephræmi, Hilarionis; etiam quorumdam ex quinti seculi initiis; ut Nepotiani, Paulæ, Marcellæ apud Hieronymum, Martini apud Severum Monicæ, apud Augustinum, Augustini apud Possidium. Post hæc tempora irrepsisse morem communicandi fideles in supremis, Ambrosij ut videtur, exemplo. Id apud Æthiopas ne nunc quidem esse in usu. Tridentinæ definitionis labes.

Atque ita demonstratum est ad a. D. 325. quo habita est Nicæna Synodus nullum de fidelium infirmorũ in supremis cõmunione apud certos & idoneos auctores vel præceptum, vel exemplum reperiri. Certe si is usus jam tum fuisset, ut hodie est apud Latinos, solennis & quorumvis passim fideliũ, maximè vero eorũ, qui pietate præcellerẽt, cõmunis; nõ est dubitãdũ, quin eum religiosissima mulier, Helena Augusta Const. Magni parẽs in supremis versãs usurpatura fuerit. Nõ usurpasse id certo argumẽto est, quod

est, quod Eusebius, ubi ejus suprema narrat, de Eucharistia vel expetita, vel allata vel ministrata nullum verbum fecerit. *u* Neque Athanasius Antonium a. D. 358. hinc ad meliorem vitam migrantē memorat *x* se hoc sacramento ad exitum munivisse, tametsi de eo aliquot mensibus antequam dies ultima adveniret, divinitus fuisset admonitus. Neque ipsius Athanasii vitam, & mortem quæ circa a. D. 370. contigit, describens Gregorius Nazianzenus sumptæ ab eo in exitu Eucharistiæ meminit. *y* Idem Gregorius viri sanctissimi & amicissimi Basilij, decennio post Athanasium mortui, vitam, obitum, & ultimos sermones copiose ac facunde exsequitur, neque tamen ab eo tali loco ac tempore percepta memorat *z* sacra Dominici corporis ac sanguinis symbola. Idem ea de re silentium apud Nyssenum Basilij fratrem observare est in oratione, qua ejus laudes cupidissime percenset, *a* ac inter cætera, quæ illi cum Moyse communia fuisse prædicat, eorum mortes inter se contendit; quo in loco Eucharistiæ sumptio, si qua in ejus supremis fuerat, omnino dicenda erat, ut sancti viri intima cum Domino unio conferretur cum Mosis in Dei osculo (quod tradunt Iudæi) expirantis fato. Vnde quivis facile intelligit, quam sit contemnenda nescio cujus fabulatoris fides, qui Basilij vitam sub Amphilochij nomine, aliquot post utrumque seculis tradens, narrat *b* cum ultimo vitæ die, non modo Eucharistiam sumpsisse, sed etiam quandam ejus particulam secum sepeliri jussisse. Ille vero sui seculi morem in superiora tempora falso ac imprudenter transtulit, quod Legendariis istis scriptoribus nimirum familiare est. Sed hæc tota insulsi impostoris narratio explodenda est, ex duorum certorum ac summorum virorum silentio, qui rem si vera esset, memorabilem non fuerant loco tam opportuno prætermissuri. Iam utriusque Gregorij in aliis similibus locis parem observare est eadem in re ἐχεμυθίαν; Vt cum Nazianzenus parentem suum Gregorium Episcopum in oratione Panegyrica effusissime laudans, mortem ejus tradit; *c* ubi de sumpta in exitu Eucharistia, si quam ille revera ad id locorum sumpsisset, dicere non modo conventaneum, sed pæne necessarium ideo erat, quod paulo ante morbum illum acerbum ac diuturnum commemorans, in quem vir ille sanctus senectutem ingrediens incidit, quiddam de hoc sacro mirabile dixerat; nimirum parentem suum alias quidem singulis diebus, ac pæne horis dolore cruciatum fuisse; ex sola Liturgia (id est Eucharistiæ celebratione) robur concepisse; morbum enim tantisper dum huic officio vacaret, *tanquam ex edicto & imperio fugatum se subduxisse.* Quis non videt Theologum hac ipsa Liturgiæ mentione admonitum Eucharistia in exitu sumptionem in ea paternæ mortis descriptione, quæ statim sequitur, dicturum fuisse, si qua vere fuisset? Idem quoque Gorgoniæ suæ sororis, religiosissimæ mulieris suprema operosissime ac præcipua quadam cura tradidit, *d* mea in oratione, qua mortem ac funus ejus prosecutus est. Sanctas piæ fœminæ curas de viri sui baptismo, de familiæ salute postremis illis vitæ suæ momentis serio

CAP. III.

u Euseb. L. 4. de Vita Const. c. 46. p. 536.
x Athan. Vita Anton. T. 1. p. 501. 503.
y Greg. Naz. Orat. 21. T. 1. p. 397. A.
z Id. ibid. Orat. 20. p. 370. 371.
a Greg. Nyss. Orat. in Basil. T. 3. p. 495. B.
b Amphil. in Vita Bas. c. 17. p. 234. B.
c Greg. Naz. Orat. 19. T. 1. p. 313. A.
d Id. Orat. 11. p. 187. D. 188. 189.

Cap. III. cogitantis cæteraque omnia placide, suo quæque ordine disponentis (erat enim cælitus de exitus sui die admonita) novissimas voces, quin & novissima suspiria, omnia denique ad eam rem pertinentia, etiam minutissima diligenter enarrat. Quis virum disertissimum in hoc argumento versantem putet sanctissimum viaticum prætermissurum fuisse, siquid ejus Gorgonia in exitu sumpsisset? Plane prætermisit. Ergo neque id soror sumpserat. Eadem alterius Gregorij, Nysseni scilicet, ratio est. Hic de sanctissimæ mulieris Macrinæ, suæ sororis vitalibrum scripsit, in quo studiosissime, quod decebat, divinos piæ ac religiosæ animæ in supremis sermones, actus, preces, nutus denique ipsos, ac beatum postremo exitum dixit; *e* de novissima illa Eucharistiæ sumptione, quæ ex Latinorum disciplina totius rei caput est, nihil dixit. Idem ejusdem de hoc officio silentium in narranda & Gregorij Neocæsariensis *f* de tertio seculo præcipiti, & Ephræmi Syri, de quarto, sanctissimorum virorum morte observandum occurrit. Cætera omnia, quæ de piis in hoc articulo versantibus dici ac laudari solent, commemoravit. De sumpta Eucharistia, ne unam quidem litteram scripsit. Neque Hilarionem eximium Eremitam a. D. ex Baronij calculo 372. mortuum Hieronymus, qui vitam ejus edidit, Eucharistiam in supremis vel sumpsisse vel expetivisse tradit; *h* quam tamen facile, erat, si cupivisset, habere, cum ad ægrotantem multi de Papho religiosi viri, & Constantia sancta fœmina venisent, quos omnes adjuravit, ut se ne puncto, quidem horæ reservarent. Sed mortuum statim in eodem hortulo terra operirent. De viatico ad se ocyus antequam migraret afferendo, nihil rogavit.

e Greg Nyss. de vita Macr T. 2. p. 189. ad 196.

f Id. Orat. de vita Greg. Neoc. T. 3 p. 574. D. 575. 576.

g Id. de vita Ephr ibid. p. 613 614.

h Hier. in Hilar. T. 1. f. 90. E.

Ita ad annum quarti seculi LXXX. provecti nullum hactenus reperimus Eucharistiæ à fideli aliquo, sive, ut loquebantur, *justo* in supremis sumptæ exemplum aut vestigium, cum tamen non paucæ extent historiæ, in quibus sanctissimorum virorum, & quarumdam etiam fide ac pietate illustrium fœminarum mortes narrantur. Quod magno nobis argumento est nondum apud nostros solennem fuisse illum communionis in exitu morem, qui aliquot post annis à paucis usurpatus tandem Græcorum ac Latinorum pæne omnium communis factus est. Nam si ritus ille fuisset, ut est hodie apud Latinos, totius Ecclesiæ communis, incredibile est, vel homines Christianæ religionis observantissimos Antonium, Athanasium, & cæteros de quibus diximus, Eucharistiam non fuisse in supremis sumpturos, vel scriptores, quas laudavimus, eorum certe aliquos, id si factum esset, non fuisse in iis locis, quæ adduximus, commemoraturos; quod & ad eorum quos celebrant, laudem, & ad lectorum ædificationem manifeste pertinebat. Nunc quidem Latinorum, & olim veterum, quicumque scriptores iis temporibus vixerunt, quibus hic mos jam publice receptus erat nulli sunt, vel fuerunt, qui in hujusmodi de virorum aut mulierum fide ac pietate insignium morte, paulo accuratioribus narrationibus non observaverint eos Eucharistiæ sacramentum ante sumpsisse, quam ex hac vita [illegible] migra-

migraret. Ac recentiorum quidem scriptorum hanc esse consuetudinem, nemo in eorum operibus vel leviter versatus negabit; adeo ut rem manifestissimam exemplis, quæ innumerabilia & omnibus obvia sunt, illustrare supervacaneum putem. Neque est, quod de vetustioribus laborem, de quibus alibi fuse ex alia occasione dixi ostendique adducta magna exemplorum copia, qui secutis post quartum seculum temporibus vixerunt, eos piorum morientium, quorum suprema narrant, solere novissimam illam in exitu communionem vel memorare diserte, vel certe breviter ac perspicue significare. Siquis illa exempla videre cupit, adeat librum operis de extrema unctione nostri alterum, *i* in quo etiam est inventurus claram eorum solutionem, *k* quæ Bellarminus frustra in medium attulit, ut hujus nostræ à veterum de solennibus hujusmodi rebus silentio petitæ demonstrationis vim eluderet. Quæ utroque loco disputavimus, repetere tametsi huic quoque loco opportuna, nunc piget. Satis est ea semel disseruisse; eaque quisquis attente expenderit, eum ego confessurum spero, quod vetustissimi priorum quatuor seculorum scriptores de Helenæ, Antonij, Athanasij, & cæterorum in supremis communione, eorum mortem narrantes nihil dixerunt, eo apertissime confici nondum istis temporibus morem illum fidelium in exitu communicandi solennem fuisse & apud nostros communem; quem sanctissimi viri, & mulieres religiosissimæ siquis jam tum fuisset, nequaquam erant prætermissuri.

CAP. VII.

i L. 2. de ext. unct. c. 3. p. 72.

k Ibid. c. 2. p. 69.

Ego vero ultro fateor post seculum illud quartū paulatim apud Christianos irrepsisse hunc usum; cujus primum, quod ego quidem meminerim, exemplum occurrit in Ambrosij vita à Paulino quodam Afro initio quinti seculi scripta, annis aliquot post ipsius Ambrosij mortem. Ibi dicitur *l* Ambrosius, in morbo, quo raptus est, *corpus Christi accepisse; ubi glutivit, spiritum emisisse*. Id autem accidit an. D. 397. d. 4. Aprilis. Inde mos ad plures manavit, non sic, tamen, ut ubique statim obtinuerit; cujus ego rei hoc habeo argumentum, quod apud auctores, qui quinto seculo ineunte res illius memoriæ scripserūt, multorum mortes absq; ulla nōvissimæ hujus communionis mentione tradãtur. Annus ille 397. qui Ambrosiū, idem quoq; Nepotianum, adolescentem religiosissimum abstulit; cujus suprema Hieronymus non sine lacrymis exsequitur; *m* fidem ejus in Deum, patientiam, mortis contemptum, novissimum de se sermonem sigillatim enarrās, desumpto vel expetito viatico, verbū nullum fecit. Laudat *n* idem Paulam, nobilissimam fœminam, a. D. 404. mortuam; cujus suprema, qua cura, qua pæne ambitione pingit? voces, suspiria, actus, nutus, omnia? At qui in tanto, tamque biberali. rerum apparatu nullum uspiam occurrit viaticum. Ita etiam in Marcellæ illustrissimæ & sanctissimæ matronæ circa annum D. 410. mortuæ epitaphio versatur; *o* ac cætera quidem, quæ in hoc genere dici solent, cōmemorat; de Eucharistiæ in exitu sumptione syllabam nullam scribit. Neque aliter Sulpitius Severus Martini Turonensis Episcopi circa ann. D. 400. extincti mortem tradit. Quæcumque in morbo & exitu vel egit, vel passus est sigillatim exsequens, sumptę,

l Paul. Vita Ambr. c. 25. apud Sur. d. 4. Apr. p. 51.

m Hier. ep. ad Heliod. f. 9 G.H

n Id. epi- ph. Paulæ ep 27. fol. 65. G.H.

o Ibid. ep. 16. fol. 45. E

Caput III.

vel à presbyteris, qui ad eum confluxerant, experitæ nullus meminit. *p* Sed neque Augustinus in matris Monicæ; *q* neque Possidius in ipsius Augustini *r* supremis describendis acceptum in exitu viaticum memorant; cum Illa a. D. 389. Ostiæ, hic a. D. 430. Hippone moreretur. Plura de his congerere nihil necesse est. Nam quod paulo ante dixi, ultro confitemur paulo post illa tempora adulto quinto sæculo, maxime vero sexto, ac sequentibus religiosum esse apud Christianos cœpisse ne infirmi absque Eucharistia morerentur; paulatim obsolescente illo, quod prius fuerat, fidelium à pœnitentibus discrimine, quod his quidem si morbo letali in medio pœnitentiæ cursu opprimerentur, viaticum incunctanter concederetur, ne sine pacis Ecclesiasticæ solatio morerentur; illis pace Domini atque Ecclesiæ fruentibus eo subsidio opus esse non videretur. qui fuerint moris progressus, quæ causæ, vel occasiones difficile est in tanta rerum vetustate sigillatim explorare. Illud in genere dixerim priscæ pœnitentium disciplinæ solutionem, quæ pace Christianismo reddita, & Paganismo exstincto, quassata primum ac labefactata postremo pessum data est, hinc mori plurimum esse obstetricatam. Cum enim remissa Ecclesiæ severitate omnes ita passim viverent, ut publicam pœnitentiam plerique, qua digni erant, vel aspernarentur, vel detrectarent, omnino pauci susciperent; eo factum esse videtur, ut qui scelerum ac flagitiorum nulla satisfactione emendatorum sibi erant conscii, ad novissimum illud veterum pœnitentium subsidium confugerent; id sibi ad præteritorum criminum remissionem, & ad redintegrandam cum Christo & Ecclesia pacem satis futurum existimantes, si Dominicæ mortis symbola vel in exitu sumerent. Quem pravum ac longe periculosissimum errorem fovit ex multis variisque rationibus præsumpta passim de efficaci ac pæne physica Sacramentorum ad salutem vi opinio. Iam cum his modis atque rationibus inductus, receptusque esset apud plærosque ille usus; inde illud quoque quod fieri solet, contigit, ut quod passim à plærisque fieri videbant, id pro salutari ac pæne necessario omnium officio haberent; Atque ita tandem factum esse videtur, ut Eucharistiam in supremis, non modo quorum vita mendosa ac contaminata fuerat, sed ii etiam multo magis expeterent, qui religiosissime ac sanctissime vixerant; eo impensius, quod Ambrosium, virum in Ecclesia Latina celeberrimum, suo ipsis exemplo prolivisse intelligerent. Utcumque sit, illud quidem clarum certumque est, solennem ac omnium, ut videtur, communem fuisse hunc morem sexto septimoque & sequentibus sæculis: quod nos abunde docent quicumque illorum temporum scriptores vitas, mortesque fidelium, sive ex professo, sive etiam obiter & aliud agentes posterorum memoriæ litteris mãdatas tradiderunt. Vix enim apud eos ullus extat hujus generis locus, in quo non moneant vel certe significent hos, de quibus narrant, Eucharistiam à sacerdote in exitu accepisse. Exempla huc afferre supersedeo, quorum ex sexto, septimoque, octavo ac nono Christianismi sæculis sylvam non contemnendam in eo, de quo nuper diximus de extrema unctione,

p Sulpit. ep. 3. T. 3. Bibl. patr. p. 231. A

q Aug Confess. l 9. c. 11. 12.

Possid. Vita. Aug. c. 31.

ctione, opere nostro congessimus. *s* Præter exempla extant Canones ejusdem usus posterioribus sæculis recepti testes; qualis hic est in Caroli Magni Capitulari; *Vt Presbyter semper Eucharistiam habeat pacatam, ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicent, ne sine communione moriatur.* Hic ut vides, non de pœnitentibus, sed de quibusvis in genere fidelibus, etiam de parvulis, sermo est. Atque hic totidem verbis apud Burchardum recitatur, *u* veluti Concilij Vormatiensis quintus canon; à Gratiano *x* quoque ex eodem ejusdem Synodi titulo; sed absque his verbis, *aut si parvulus infirmus fuerit*; quæ ex canone expuncta fuisse verisimile est à recentioribus Latinis, postquam apud eos parvuli communicari desierunt. Idem quoque ann. D.858. præcipit *y* Heradus Turonensis; *Vt in infirmitate* (inquit) *positi absque dilatione reconcilientur, & viaticum viventes accipiant, & benedictione sacrati olei non careant.* Sed jam ab initio noni sæculi hæc leguntur *z* inter capitula quæ electi sacerdotes custodienda censuerunt à Sirmondo ex Metensi codice edita; *Vt cuncti sacerdotes omnibus illis confitentibus eorum crimini dignam pœnitentiam cum summa vigilantia ipsis indicent; Et omnibus infirmis ante exitum vitæ viaticum & communionem corporis Christi misericorditer tribuant.*

Caput III.

s l.2. de extr. unit. c.3. p. 73.

t Capit. Car. M. l.1. c.161.

u Burch. l.5. c.10.

x de Consecr. d 3 c 93. Presbyter

y Herard. c. 21. T.3. Conc. Gall. p 112.

z Ibid. T.2. p.231. cap.21.

Sed tametsi hic mos apud Latinos & plærosque alios Christiani nominis populos tam multorum sæculorum usu confirmatus jam plane, penitusque invaluerit; superest tamen non ignobilis Christianismi pars, in quo ne nunc quidem locum ullum habere comperitur. Ea est antiquissima Æthiopum, quos hodie Abassinos dicimus, Ecclesia. Zaga Zabus Æthiops dissertatione de patriæ religione ac moribus, quam Damiano à Goës nobili Lusitano debemus; *Sacramentum Eucharistiæ accipiunt; nisi dum convaluerint. Id fit, quoniam omnes tam Clerici quam Laici, consueverunt illud ad minus bis in hebdomada accipere & omnes id volentes facere templum accedunt. Quippe nemini datur, nisi in ipso templo; nec id conceditur Patriarchæ, nec ipsi pretioso Ioanni.* Godignus Iesuita ex Sociorum relationibus; *Constat* (inquit) *divinum de viatico preceptum nec illic* (apud Æthiopes) *observari, nec agnosci, quod Azzevedius, & Patres alÿ non semel scripsere.* Ita ille, qui vellem nos docuisset, in quo divinarum tabularum loco illam suam de viatico legem traditam fuisse deprehenderit; quo-ve eam merito divinum præceptum vocaverit. Sed nunc quidem mihi satis est, quod quocumque loco ac numero censeat suum illud de Eucharistia in exitu sumenda præceptum, id certe ab Æthiopibus *neque observari, neque agnosci* confitetur; quod est sane verissimum; ut idem alio ejusdem operis loco tradiderat, ubi singularia Æthiopum dogmata recensens: *Non servant* (inquit) *Christi de viatico preceptum*; atque id ipsum paulo inferius, ne id nesciremus, aliis verbis repetit: ubi postquam Abassinos negavit vel Chrismatis Sacramento roborari, vel morti vicinos sacro oleo inungi: *Neque demum* (inquit) *è vita discessuri viatico pane stabiliuntur.* Quo id, quod supra probavimus, non parum confirmatur,

a Dam. à Go. de mor. Æth p.506.

b Godign. l. 1. de reb. Abass. c.35. p 217.

c Ibid. c.28. p.171.

d Ibid. p.172.

Caput. III. matur, primis quatuor Christianismi sæculis non fuisse Christianis solemne in supremis communicari. Si aliter esset, mos esset Æthiopibus vna cum cæteris religiosis ritibus ab Apostolorum discipulis traditus, à quibus illi fidem acceperunt. Traditum non fuisse arguit, quod gens & paternarum traditionum retinentissima, & cærimoniarum rituumque exteriorum ad superstitionem religiosa hunc morem nescit. Neque enim traditum, gentem, quæ hoc sit ingenio, ultro ac per se abrogasse credibile est. Illud potius mirandum est, quod eum usum à cæteris Christianis jam pridem receptum soli per tam multa sæcula Æthiopes suis de cætero moribus congruum, tam constanter ad hæc usque tempora spreverint.

Atque ex his tandem patet, quid de Tridentinorum super hac re decretis sit statuendum. Ac in primis quidem apparet falsum esse id, quod illi confidentissime, ut solent, pronuntiant *vetustissimum* esse suum illum infirmos communicandi ritum. Antiquitas enim illa demum in Christianismo censenda est, quæ ab Apostolis est. Hic autem mos adeo ab Apostolis non est, ut ne unum quidem hujus moris exemplum ex omni prima antiquitate quæ ad a.D.397. fuit, ab istis proferri possit; quod est à nobis demonstratum. Neque illud secundo obscurum est, cum ritum, qui ante quintum sæculum jam affectum in usum communem receptus non agnoscitur, satis inverecunde ab illis *Patribus vetustissimum morem* dicit. Vt illud tertio jam mittam, quod qui apud Latinos vetus censeri potest, si sæculorum retro ante nos elapsorum ratio habeatur; is certe *mos vetus* perperam dicitur, qui neque antea, neque nunc totius Ecclesiæ vel est, vel fuit; sed quarundam tantum ejus partium, non omnium. Non fuisse, autem neque nunc esse totius Ecclesiæ hunc morem, Æthiopicæ Ecclesiæ exemplum probat. Quarto id quoque ambitiosius, quam verius dixisse Tridentinos clarissime ex superioribus liquet; suum illum morem scilicet *multis in Conciliis probatum inveniri*. Qui veterum testimonia in Synodi Tridentinæ margine annotarunt, non alia hic nobis Concilia indicant, quam Remense & Lateranense sub Innocentio 3. & ex Gratianeo jure canonem 93. distinctionis de Consecratione 3. Ex hoc autem censu, Innocentianum illud Concilium expungendum est; quod a. D.1215. habitum est. Ridiculum enim est ad probandam ritus antiquitatem ea afferre, quæ diu post illum confirmatum ipsa exiterunt. De Remensi vero Concilio, altum apud cæteros omnes silentium. Ego ab ulla veteri Remensi Synodo præceptum fuisse hunc morem non reperio. Vnum ergo superest ex media antiquitate Vormatiense Concilium, cujus canon esse & à Gratiano, & à Burchardo dicitur, is quem vterque de infirmorum viatico recitat. Sed an vere dicatur, incertum est. Nam sublesta est utriusque Rhapsodi fides; neque ex Conciliis Vormatiensibus, quæ extant, ullum est, in quo reperiatur hic canon. Non-ne bella est Tridentinorum gloriatio, qui ut hunc morem commendent, quem aiunt esse *vetustissimum*, jactant in multis eum Conciliis præcipi? de quo tamen ubi ad

ubi ad rem ventum est, nulla Synodus mentionem fecisse præter unam deprehenditur? sed quæ ne ipsa quidem extat; tantum à suspectæ fidei scriptoribus memorata legitur? Quæ cum ita se habeant, illud quinto facile omnes intelligunt, quam vanum sit, quod beatuli illi Patres, temere profecto ac nimium audacter, definiunt suum hunc morem esse necessarium. Qui enim *necessarium* id dici potest, quo omnis illa, ut antiquissima, ita & laudatissima Ecclesia annos pæne quadringentos caruisse? quo Æthiopica, nobile universalis membrum, etiam hodie carere cernitur? Quo nam illud abiit decantatissimum Vincentij Lirinensis verbum, quod isti pæne semper in ore habent, *In ipsa autem Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod VBIQVE, quod SEMPER, quod ab OMNIBVS creditum est?* Atqui morem, quem isti nunc defendunt, neque *vbique*, neque *semper* neque *apud omnes* obtinuisse ex superioribus constat. Vnde quam proterve ab aurea illa Vincentij regula Patres isti Tridentini desciverint, sexto facile perspicitur, qui quod illa vetat, id disertissime, *omnino retinendum* esse decernunt, quod semper ac vbique obtinuisse adeo certum non est, ut contra ex superioribus constet id nuspiam primis pæne quatuor sæculis; apud Æthiopas vero nunquam observatum esse. Denique nunc ex superioribus cuivis mentem in Tridentinorum canones intendenti dilucescit, quanta Patrum istorum in iis condendis Canonibus vafrities fuerit. Si enim quæ isti decernunt vera essent, hunc scilicet sumendæ in supremis Eucharistiæ morem esse non modo *vetustissimum*, *summaque cum ratione & æquitate coniunctum*, sed etiam *necessarium*; nemo non videt consequens fuisse, ut ii, qui hæc quæ ipsi definiunt, negant, anathemate feriantur. Atqui hos ne ipsi quidem defigere sunt ausi; suæ sibi credo in his decernendis temeritatis ac futilitatis conscii. Vix enim credibile est viros doctos & eruditos, qui Synodo interfuerunt serio sibi persuasisse hunc, quem constituunt usum vel *vetustissimum* esse, vel, quod longe absurdissimum est, etiam *necessarium*. Si quis vero id quod ipsi affirmant, simpliciter neget, ei suavissimi Patres clementer parcunt; nullum in eum fulmen expediunt. Quorum ergo caput petunt? Nempe *eorum qui dicunt non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessario distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos HONORIFICE deferatur.* Atqui è nostris, in quos isti hoc fulmen misisse videri volebant, vix quisquam est, qui de iis quæ in hoc canone denotantur, ita rigide sentiat. Daniel quidem Chamerius, quem nemo credo, Tridentinis assentari suspicatur, longe aliter de his docet; qui quoddam Vegæ argumentum solvens; g *Respondeo* (inquit) *consultissimum esse, vt Sacramenti actio sit continua; quod etiam religiose apud nos observatur, ut post recitatam institutionem statim plebs vocetur, accedatque ad communionem; in quo fatemur, interdum abire multum temporis à primo ad ultimum, præcipue in maxima concione. Negamus autem apud nos admitti eum morem deferendi Sacramentum ad absentes, sive ægros, sive peregrinos: verum tamen quia olim factum piis viris, NON SVMVS ADEO*

Cap. IV.

f Conc. Trid. Sess. 13. can. 7

g Cham. T. 4. Panstr. l. 7. de Euch. c. 7. §. 28. p. 362. F.

PRÆFRACTI in nostra sententia, ut DAMNEM. Hæc ille. Quid ergo necesse erat Patres Tridentinos tantopere niti ad id ejaculandum fulmen, quod neminem feriret? Illud mitto, quod quos ipsi damnant, eos significant nolle Eucharistiam, non simpliciter *ad infirmos deferri*, sed *nolle honorifice deferri*; quasi isti passuri sint scilicet eam ad ægrotos *deferri* si indecore & inhoneste deferatur, veluti profanum quid; iidem vero abnuant atque abominentur, Sacramentum honorifice deferri. Quod profecto vel ridiculum est, vel ad faciendum nostris invidiam pertinet; quasi sanctissimam Eucharistiam nullo honore, veluti rem communem ac profanam, habendam esse (quod falsissimum est) censeant.

CAPUT IV.

Primis Christianismi ad Synodum Nicænam sæculis non fuisse reservatam Eucharistiam. Solvuntur, quæ Bellarminus contra objicit ex Iustino, ex Actis Tharsici, & ex Dionysij Alexandrini epistola.

SEd hæc de primo capite satis sunt. Nunc ad alterum, quod est de Eucharistiæ reservationes veniamus. Tridentini ita definiunt; *Consuetudo* (inquiunt) *asservandi in Sacrario sacram Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam etiam sæculum Concilij Nicæni agnoverit.* Bene est, quod ne ipsi quidem hanc consuetudinem ausi sunt altius, quam à temporibus hujus Concilij repetere; id est ab a.D.325. Vera autem apud Christianos antiquitas à primordio censetur, apud quos scilicet jampridem constat *id esse prius, quod & ab initio; id ab initio, quod & ab Apostolis.* Falso *antiquam* pronuntiant eam *consuetudinem*, quam non ab initio, non ab Apostolis, sed à Nicæno Concilio, annis post initium 325. post Apostolos, 225. demonstrare se profitentur, si tamen quod profitentur, præstant; de quo mox videro. Nunc Eucharistiam non asseruari, quam asservari antiquius esse ostendo; quia nulla à Christo, nulla ab Apostolis asseruata in omni eorum instrumento memoratur. Christum audi ex Evangeliorum codice. *k* Accepit panem, benedixit, fregit. Tractum distribuens; *Accipite* (inquit) *& comedite.* Eadem & apud Paulum sonant. *l* Quem panem comedi jubet, eum ni fallor, asservari prohibet. Neque valebit, siquis cavilletur porrectum singulis panem manducatum fuisse; non fuisse manducatum, qui porrectus non fuit; hunc adeo asservari licuisse. Siquis enim sic disputet, sua nobis somnia narrat. Nos Scripturas; nos Dei testimonia poscimus. Lego benedictum, lego fractum, distributum, comedi jussum, comesum. Nullam ejus particulam lego benedictam, neque tamen distributam; nullam non comedi, sed asservari jussam scriptum esse doceant Latini. *Si non est scriptum, timeant m væ illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum.* Huc accedit, quod benedicti panis asservatio digna fuit, quæ diserte diceretur, si vera sunt, quæ Latini narrant; ad hoc servari illum panem, ut corpore suo præsens in æde Deus habeatur ut illic à fidelibus latria colatur; ut illinc ad necessarium morientium viaticum,

h Conc. Trid Sess.13. cap.6.

i Tertull. adv. Marcion. l.4. c. 5. p.505.B.

k Matth.26. 26

l 1.Cor.11.24.

m Tertull. adv. Hermog. c.22. p. 277.C.

CAPUT VI.

ticum, ad Sacram divini festi pompam, ad incendia exstinguenda, ad animas & preces pias inflammandas, ad Pontificis Christianorum maximi præsidium, & siquid sit aliud hujus generis, exporteturr. De istis, non minus, quam de manducatione doceri nos decebat; neque simpliciter de asservando præcipi satis erat. Poscebat tanti numinis majestas, poscebat adorationis ei debitæ, ibique exhibendæ ratio, ut de sacrario, quo numen esset habitaturum, Ecclesia diligenter admoneretur; ex qua qua materia conficienda esset sacra illa Numinis sedes, qua forma, ubi locanda, & cætera, quæ nunc Latini operosissime tradunt, atque observant. Latinos mitto. Respice mihi Mosem; qua ille cura, qua diligentia quo studio de arca, de tabernaculo suos Hebræos docuerit, *n* omnia sigillatim, ac particulatim edisseruerit, nequid in re tanta peccaretur. Et in arca tamen non alia erat, quam symbolica ac umbratilis Dei præsentia. Hic ubi ipsa Dei Majestas, ipsum Dei CORPUS habetur: quanto omnia accuratius de nostro, quam apud Mosem de Judaïco sacrario dici explicari, inculcari necesse erat? Hiccine dormitasse Apostolos quispiã suspicabitur, cum in multo levioribus Moses vigilaverit? Apage impias & in Spiritum Apostolorum ducem ac magistrum contumeliosas cogitationes. Quod ergo sanctissimi divinarum institutionum interpretes nihil de istis, non modo diserte & copiose præceperunt, sed ne obiter quidem ac breviter dixerunt, eo valide concludimus nihil sacri panis asservatum fuisse: nihil Dominum Christum asservari vel tum jussisse, vel in posterum voluisse, Humbertus Cardinalis Græcorum ex donis præsanctificatis Missas hoc præter cætera argumento oppugnat; *o* *Nõ leguntur* (inquit) *Sancti Apostoli quicquam ex illo primo corporis & sanguinis Christi mysterio sub ipsa Cœna distributo reservasse; nec Actus eorum indicant eos aliquando tale quid egisse, aut præcepisse.* Vel iste nihil agit, vel ex Scripturæ de reservatione silentio nihil à Christo, vel ab Apostolis reservatum fuisse tradentis, nihil esse reservandum valide conficitur. Nisi enim hoc posueris, laborat tota hæc ejus adversus Græcos argumentatio, tota que in fumos abit.

n Exod. 25. 10. 11. & 26. tot.

o Humb. contr Nicet. T. 4. Bibl. Patr. Par. 2. p. 246. A.

Sed neque post Apostolicæ Ecclesiæ initia ulla occurrit in veris temporum ad quartum sæculum sequentium monumentis de reservata Eucharistia mentio. Nullam fuisse ab Ecclesiæ præpositis tota illa memoria servatam arguit, quod ne fideles quidem fuisse tum temporis in supremis communicatos constet. Nam qui primi aliquot Eucharistiæ particulas peracto sacro à celebrantibus asservari voluerunt, eos manifestum est, ut postea audiemus, id non alio, quam ad infirmorum usum instituisse. Id ipsum ex eo quoque intelligi potest, quod Presbyteri, qui Confessores in carceribus ob Dei nomen consistentes, exhortandi & consolandi gratia adibãt, ac in, visebant, ibidẽ apud eos *offerrent*; etiã iis temporibus, quibus solpertia & arte opus erat ad minuendam nostrorum ex talibus officiis invidiam, quod ex Cypriano discimus suis Clericis præcipiente, *ut Presbyteri* (inquit) *qui apud Confessores afferunt, singuli cum singulis*

Cap. IV. *Diaconis per vices alternent, quia & mutatio personarum, & vicissitudo convenientium minuit invidiam.* Quis non intelligit longe facilius ac tutius futurum fuisse, sacras particulas ad Confessores mitti, quam totum istic apud eos sacrum peragi? Fecissent ergo haud dubie, si quas Presbyteri asservare, & apud se extra synaxin habere jam tum soliti fuissent. Id ipsum ex Luciani quoque Martyris facto confirmatur; qui cum esset in vinculis sacrum ipse una cum fratribus, & quidem super suo pectore fecit; haud levi cum periculo si deprehensus esset. Atqui nullo negotio, certe absque hoc discrimine deferri ad eum sacras particulas licitum esset, si eas servari mos fuisset, quod cum neque apud Lucianum, neque apud illos Cyprianeos Confessiores factum fuerit; eo ipso docemur nullum adhuc tum fuisse, illum Eucharistiæ asservandæ morem.

p Cypr. Ep. 4. p. 10.

q Nic. Call. L. 8. c. 31.

Sed neque id omiserim, quod tametsi id ipsum concederetur, quod nos falsum esse demonstravimus, fidelibus jam tum solenne fuisse Eucharistiã in exitu dari, non ideo tamen necesse fuisse videatur aliquas ejus particulas ad hunc usum peracto sacro servari. Facile enim fuisset infirmis de sacro illo viatico absque hac publica & sacerdotali reservatione prospicere. Nam cum Eucharistiam olim factam fuisse Latini quidem quotidie velint; nos vero crebro, ac bis terve singulis hebdomadibus concedamus; quid vetabat Presbyteros celebrantes de fidelis cujusque morbo monitos unam è particulis in ipsa mensa selectam per Diaconum ad infirmum statim mittere? Diaconos enim ex Ecclesia, ipso Synaxeos tempore Eucharistiam ad absentes detulisse supra ex Iustino r didicimus Sed & altera est ratio, quæ illis seculis supervacaneam ut plurimum futuram fuisse illam reservationem ostendit; hæc nimirum, quod plærique omnes fideles Eucharistiam de Domini mensa acceptam apud se habebant; quod & nos s infra demonstrabimus, & ultro confitentur Latini. Denique alia etiã ratio suppetebat, qua infirmis in hoc necessitatis articulo consuli sic poterat; ut scilicet Presbyter apud ejus lectulum, sacrum faceret, cui & ipse, & infirmus, & Diaconus, & alij amici communicarent; quod non minus, imo multo magis licebat, quam Cyprianeis Presbyteris, & Luciano Martyri in ipso carcere inter infidelium custodias licuit. His de causis planum est illis moribus atque temporibus nullam asservandæ in sacro Eucharistiæ necessitatem allaturum fuisse dandi in supremis viatici morem; etiamsi is jam tum apud Christianos solennis fuisset; quod tamen ostendimus à veri specie satis abhorrere videri.

r Iust. Apol. 2.

s Infr. c. 15.

Sed neque illud me parum movet, quod istius reservationis neminẽ de priscis scriptoribus meminisse deprehendamus, diserte inquam & nominatim. Scio enim quædam apud eos inveniri, ex quibus Latini suam illam reservationem argumentorum subtilitate educere conãtur; quã fœliciter, mox expendemus. Sed qui eã proprie clareque nominaverit vel descripserit, habent profecto neminem Rem tam memorabilem omnes ad unũ si vere fuisset, prætermissuros, etiam in levioribus sæpe diligentes, ne unum quidẽ vel uno verbo significaturũ fuisse; credat Iudæus Apella; non ego.

Iam

Iam ea videamus, quæ Latini ex quibusdam illius antiquitatis locis argumentantur. Primo Iustini testimonium à nobis supra *t* descriptum recitant; *u* sed frustra; in quo scilicet & ex ipso Synaxeos sacro missam per Diaconos Eucharistiam, & ad absentes missam legimus; reservatam & ad infirmas missam neque istic, neque alibi apud Iustinum legimus. Atqui quod jam supra diximus, alij erant absentes, ad quos Eucharistiam mitti decuit, & vero mos fuit. Et quam hic Iustinus dicit ad absentes delatam, ea ex ipsa Domini mensa, dum haberetur synaxis, sumebatur, & statim peracta synaxi deferabatur, non adeo ex ullo sacrario, in quo antea reservata fuisset, mittenda depromebatur. Ad hunc quoque locum pertinet Tharsici de tertio seculo adulto Acolythi & Martyris à Bellarmino objecta *x* historia, qui cum Eucharistiam deferret, in Paganos incidit, à quibus ideo necatus est, quod sciscitantibus, quid ferret aperire noluisset. Delatam ab eo Eucharistiam narrat vetus scriptor; *y* ex sacrario, in quo reposita custodiretur, acceptam, neque ille dicit, neque probat adversarius. Quid ni enim, ut apud Iustinum Diaconus, ita & apud hunc Acolythus ex ipsa Domini mensa acceptam evestigio ad absentes illos, quiqui fuerit, detulerit? Hoc multo, quam illud credibilius. Ex ipsa enim synaxi delatas fuisse sacras illas particulas testis me docet illius memoriæ locupletissimus Iustinus. *z* Qui dicat in sacrario vel pyxide custoditas, & inde quæ ad absentes mitterentur, depromptus, neminem certum ex tribus primis Christianismi seculis testem auctoremve profert adversarius.

t Supr. c. 2.
u Bell. L. 4. de Euch. c. 4. §. Post. a, D.
x Id. ibid §. Eodem sec.
y Vitæ S. Steph.
z Iust. Apol. 2.

Tertio objicitur idem ille Dionysij Alexandrini de Serapione supra *a* jam à nobis descriptus locus; *b* quo ibidem ostendimus, non de fidelibus ita proprie ac simpliciter dictis (quæ maxima ac potissima est Ecclesiæ pars) sed de pœnitentibus agi, quos ante peractam satisfactionem gravis aliquis morbus sic afflixit, ut exigua spes esset eos evasuros. Itaque adversarios nihil hic locus juvat, qui Eucharistiam in sacrario omnibus fidelibus, etiam sanctissimis, & à publice pœnitentium statu remotissimis servant. Sed saltem inde (inquies) sequitur servatas olim in sacrario, si non quibusvis Christianis, certe istis pœnitentibus fuisse sacras particulas, in exitu, si morbus urgeret, dandas. Ego vero id ex Dionysiana de Serapionis historia consequi nego. Dionysius depromptam à presbytero ex Ecclesiæ sacrario fuisse mittendam ad Serapione particulam, neque dicit, neque innuit; quod dici si verum erat, & facile fuit, & certe decuit. At ille Presbyter (inquit *c* Bellarminus) *tunc non celebravit sacram Cœnam.* Qui scis? inquam. *Quia* (inquit) *ægrotabat, & forte hora intempestiva erat.* Certe, inquam; & ipse ait Dionysius *presbyterum* ægrotasse, & noctem fuisse cum puer ad eum à Serapione missus venit, & hanc causam fuisse; cur non ipse ad senem iverit. Quid tum? An hæc ejusmodi erant, quæ Presbyterum in suprema Serapionis necessitate, sacrum extra solennem ordinem peragere prohiberent? Nihil nos cogit credere hujus Presbyteri graviorem quam

a Supr. c. 2.
b Dion. Alex. in Hist. Eus. L. 6. c. 44.
c Bell. ub. supr. §. Eod. sec. Dion.

Cap. V. Luciani Martyris in vinculis decumbentis infirmitatem fuisse, de quo Nicephorus hæc ex Philostorgio refert (ejus enim innominati scrinia compilare solet) *Vincula* (inquit) *& plagæ motum ei prorsus denegabant.* μηδ᾽ ἐκ τῶν δεσμῶν καὶ τῶν πληγῶν συγχωρούντων κινεῖσθαι. Nihil tale de suo Presbytero Dionysius. Tantum dicit ἠσθένει, id est *infirmabatur.* Lucianus tanta corporis infirmitate atque ἀκινησίᾳ constrictus Eucharistiam tamen fecit. Quid ni & Alexandrinus Presbyter, multo ut credere est, validior, corporisque sui (ut sic dicam) magis compos, idem quoque sacramentum confecerit? ut miserrimi senis, & in ipso exitu positi paci ac consolationi rogatus consuleret? Sed non erat hora tempestiva. E loco. Quam multa præter solennia rerum tempora fieri sæpe cogit, quæ hoc loco summa erat, necessitas? Quanquam ne illud quidem quod sumitur, videam satis firmum esse, noctu scilicet Eucharistiam fieri jam tum apud nostros nefas fuisse. Atqui supra ex Cypriano demonstravimus etiam Dionysianis temporibus Eucharistiam interdum noctu celebratam fuisse post cœnam. Denique si hæc tametsi probabilissima, repudientur ab adversario; possum ei nullæ caussæ, quam tueor, fraude hoc quod cupit partim ita concedere, ut largiar quidem reseruatam à presbytero fuisse quam Serapioni misit particulam, sed quam apud se habuisset, non tanquam Sacerdos, sed tanquam quivis de fidelium censu Christianus, sibi suisque, non fidelium, quibus ministrabat, usibus; non in sacrario vel pyxide Ecclesiastica; non apud Ecclesiam, sed domi, in musæo si forte, vel cubiculo; quod quibusvis Laïcis per illa tempora licitum fuisse mox *e* in ultima præsentis disputationis parte demonstrabimus. Hic satis est observare Basilium aperte testari *f* eam olim consuetudinem, non laïcorum tantum, sed multo etiam magis Clericorum fuisse Alexandriæ & in Ægypto, cum dicit in iis Ecclesiis, *unumquemque, ETIAM de plebe, ut plurimum habere communionem domi suæ.* ἕκαστος (inquit) καὶ τῶν ἐν λαῷ τελούντων, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἔχει κοινωνίαν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. Quod ait, καὶ τῶν ἐν λαῷ τελούντων. *ETIAM eorum, qui in plebe censentur.* eo significat non tantum Clericos, sed etiam Laïcos ita habuisse: & illos quidem præ his, crebrius. Nihil ergo mirandum est, hunc, qui Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter erat, Eucharistiam domi suæ si forte habuisse, ad suum ipsius usum, more cæterorum familiari, eamque ad Serapionem, cum summa senis necessitas nullas pateretur moras, libenter misisse. Vnde omnes intelligunt, si vel hoc concedatur, eo tamen non fieri, ut Alexandriæ publicum in Ecclesia fuerit *sacrarium, in quo Eucharistia ad Pœnitentium in supremis communionem asservaretur.*

a Niceph. L. 8 c. 31. p. 600. B. ex Philost. L. 2. §. 14. p. 20.

e Supr. L. 3. c. 10.

e Infr. c. 15.

f Basil. ep. 289.

CAPUT

CAPUT V.

Solvuntur, quæ pro asservata post tertium seculum Eucharistia Bellarminus obycit, 1. ex Concilio Nicæno. 2. ex quibusdam Ruffini verbis, quæ fasso pro Nicano canone habet. Canones Nicanos non plures fuisse, quam XX.

HÆc ex veterum ad an. D. 300. monumentis afferunt Latini; quæ cum nullam, ut apparet, vim habeant, concludendum est ex iis, quæ supra posuimus, nullam fuisse publicam atque Ecclesiasticam apud horum trium seculorum Christianos Eucharistiæ in aliquo sacrario, ut nunc fieri solet, ad infirmos in exitu communicandos reservationem. Sed ne secutis quidem proxime temporibus hunc morem usitatum fuisse perspicimus. Adfert g Bellarminus inprimis Nicænam Synodum; sed in qua nihil simile scriptum reperitur; Ille tantum ex ea id quod cupit, suis quibusdam hariolationibus conatur extundere. Ait in Canone XIII. qui verus est & genuinus, quique in omnibus codicibus reperitur, *h* *Patres iubere, ut secundum antiquam regulam in mortis articulo nemini denegetur sacra communio.* Nos vero in superiori hujus disputationis capite demonstravimus Patres hic non de omnibus Christianis, imo ne de iis quidem, qui tum proprie dicebantur *fideles*; sed tantum de Pœnitentibus loqui, siqui in medio satisfactionis cursu morbo oppressi communionem poscerent; adeoque adversarium, vel falli vehementer, vel certe lectoribus suis imponere, dum quæ ad hunc proprie hominum ordinem spectant, ea nobis persuadere cupit omnium Christianorum in supremis fuisse olim communia. Sin urgeat, & vel ex hoc, quod nos confitemur, consequens esse pertendat, ut fuerit illis temporibus sacrarium aliquod, in quo saltem ad hunc pœnitentium usum sacræ particulæ asservarentur, negabo hoc ex illo sequi. Dicam cum non ita magnus in singulis Ecclesiis fuerit hujusmodi Pœnitentium numerus, qui cœpta, necdum peracta pœnitentia, gravi morbo oppressi Eucharistiam poscere cogerentur, nihil magnopere, opus fuisse, ad eorum viaticum illo Latinorum ad hostiarum custodiam sacrario. Primo enim facile erat istis ex Dominica ipsa mensa subsidium poscentibus erogare, & ad eos per Diaconum aut Presbyterum peracta synaxi Eucharistiam statim mittere; quomodo nuper ad absentes missam fuisse ex Iustino & aliis scimus. Frustra hic Bellarminus nescio quid argumentatur, *i* inutiles futuras fuisse hujusmodi ad pœnitentes in exitu missas particulas, quas scilicet apud ipsius pœnitentis cubiculum non consecrabat Diaconus, qui eas ferebat; cujus non erat Eucharistiæ consecrandæ ministerium. Nos fatemur eas apud pœnitentem non fuisse consecratas; quæ scilicet in solenni synaxi modo fuerant consecratæ. Quod vero arguit panem, nisi verbum

g Bell. de Euch. L. 4. c. 4. §. In eod. Nic.

h Conc. Nic. c 13.

i Bell. de Euch. L. 4. c. 5. §. Tertio supervacan.

Cap. V. verbum adhibeatur, ne sacramentum quidem esse ex Lutheranorum principiis, id inquam nihil ad rem. Ei enim pani, qui ad pœnitentes mittebatur, erat adhibitum in synaxi verbum; & quidem ad hoc, ut ederetur in memoriam mortis Christi; atque ita plene perfecteque esset Dominici corporis sacramentum; quod statim assequebatur, cum ab eo fideli comedebatur, ad quem mittebatur. Neque est, quod cavilletur adversarius inter Ecclesiæ synaxin, & pænitentis communionem aliquid intercessisse temporis. Tantillum enim intervallum minime prohibebat, quo minus signorum factæ in synaxi benedictioni communio pœnitentis continuaretur, adeoque ab ea penderet, & sic ei adhæreret, ut illa esset quædā totius Synaxeos portio. Symbola benedicebat ὁ προεστώς, sive tu Episcopum, sive presbyterum velis, Diaconus symbola benedicta distribuebat suo singulis ordine, ac postremo absentibus ad quos ea deferebat. Apparet unam hanc actionem fuisse; quæ cum tota explicari, atque evolvi, nisi aliquo tempore non posset, sic tamen una erat, non modo tota unius generis, sed ab uno & ad unum continenter, licet per diversa momenta fluens. Quæ cum ita sint, constat, illum à pœnitente manducatum in supremis panem tam vere sacramentum fuisse, quam cæteras præsentibus distributas particulas. Reservatarum plane alia est ratio; quæ cum aliquot saltem diebus distribuantur post peractam ac finitam ejus Synaxeos communionem, in qua consecratæ erant, iisque distribuantur, de quibus ne cogitatum quidem fuerat; profecto quæ fit earum participatio, nihil ad illius synaxeos communionem pertinere videtur. Sed nihil nos necesse est in his Bellarmini argutiis evolvendis operosius immorari; qui nunc simpliciter quærimus, quis veterum in his usus fuerit, rectus ne, an pravus fuerit, & an aliquas patiatur difficultates, non jam quærimus. Hoc autem, quod nos statuimus, in usu apud Patres fuisse, liquet ex iis, quæ de missa ad absentes Eucharistia nuper ex Iustino, Irenæo, Luciani Actis, & Innocentij ad Decentium decretali disseruimus. Sed & altera quædam erat ex Patrum praxi ratio, quæ pœnitentibus periculose ægrotantibus caveri poterat absque reservatione. Nimirum si ita subitus ac repentinus erat illorum morbus, ut morituros ante appareret, quam ex ipsa solenni Cœnæ *synaxi* viaticum ad eos mitti possetsut tanto miserorum discrimini obviam iretur, licebat Presbytero se è vestigio ad eorum ædes conferre, atque illic paucorum hominum synaxin agere, ac brevi Eucharistiam ægrotanti dare. Hic vero præter omnem modum cavillatur ac vitilitigat k Bellarminus; *Certum est* (inquit) *ægrotos in articulo mortis existentes ad Ecclesiam venire non potuisse.* Quasi vero quisquam sit ita mense captus, ut hoc aliquando apud veteres factum esse, vel per somnium cogitaverit. Tum pergit. *Certum est etiam non potuisse celebrari in cubiculis singulorum ægrotantium totam actionem Cœnæ.* Hoccine quæso, *certum* est? Quid-ni vero tam potuerit in hominis Christiani infirmi cubiculo, quam in Martyris vel Confessoris carcere, vel in angustissima eremitæ cella tota Cœnæ actio celebrari? Atqui apud veteres

k Bell. ubi supr. c. 4 § In eodem.

res tertij seculi Christianos scimus *l* solitos Presbyteros singulos cum singulis Diaconis apud Confessores in carcere constitutos *offerre*. Scimus Martyrem in vinculis ac dira custodia potuisse tamen synaxin ipsam facere, *& sacro ritu omnia peragere proposita*, *m* postremo *participare sacramenta*, *& ad eos qui aberant transmittere*. Scimus denique Episcopum in Eremitæ cellula sacram Eucharistiam perfecisse, & quidem Diaconorum suorum manibus pro altari usum. *n* Primum ex Cypriano; alterum ex Luciani Actis; tertium ex Theodoreto discimus. Qui ista potuerunt; quid ni iis licuit in Pœnitentium viaticum in supremis poscentium ædibus Eucharistiam conficere, confectæque particulam iis dare, ut pacem Ecclesiæ consecuti *cum bona spe* ex hac vita exirent? Frustra nostrorum privatas Missas damnantium dogma hic objectat adversarius. Neque enim de nostris hic quæritur, sed de veteribus quarti & quinti seculi Patribus; quorum hanc fuisse constat praxin, quam ille esse non potuisse contendit. Sed neque nostri *privatas*, quas quidem damnant, synaxes, alias damnant, quam *solitarias*, in quibus Eucharistiam solus, qui confecit, sumit; adeoque ab eo, quod iste illis objectat, absurdo absunt, ut ex ipsis & Germani, qui *Lutherani* vocantur, & Angli universi, qui Eucharistiam infirmis utrique tradunt, plane ea ratione qua diximus, tradant, sic nimirum, ut eam apud infirmum in exigua aliquot hominum collecta conficiant, ipsique & cæteris adstantibus confectam absque ulla reservatione porrigant.

CAP. V.

n Theodoret. Hist. Relig. c. 20. p.584. B.T.3.

Ita patet, quam non modo temere, sed etiam falso jactent *o* Tridentini *consuetudinem asservandi in sacrario sacram Eucharistiam esse adeo antiquam, ut eam seculum etiam Nicæni Concilii agnoverit*. Atqui in eo Concilio non modo non agnoscitur illa Eucharistiæ in sacrario reservatio; sed ne unum quidem verbum habetur, ex quo ea sophisticis ullis subtilitatibus extundi queat.

o Conc. Trid. Sess. 13. cap. 6.

Quod vero Bellarminus Nicænæ Synodo illam nescioquam legem tribuit, quæ *iubet* (inquit) *ut in absentia Presbyterorum Diaconi Eucharistiam porrigant*; id nos commovere non debet. Ait autem *id haberi Synodi canone* 14. *alias* 18. *alias* 20. quæ mihi tanta in indicanda hujus legis sede varietas mirifica visa est; Bellarmini tamen fide fretus Canonem Nicænum primo 14. inde 18. postremo 20. ex Græca Latinaque editione inspexi, & paulo acrius mentem intendens singulos excussi, expendi, scrutatus sum, si quid Bellarminianæ legis in occulto abditum lateret. Nihil tale eruere potui. Repugnabant omnes canones, seque singuli longe alia decernere clare, diserteque testabantur. Itaque noster ille Bellarminus, qui Nicæni Concilij locum, ubi hæc haberentur, citans scripsit, *canone* 14. *alias* 18. *alias* 20. addere profecto pro suo candore debuerat, *alias nullo*. Sed ipse sibi hujus fraudis conscius; *Est autem hic observandum* (inquit) *istam partem canonis non haberi in omnibus editionibus*; quanquam ne hic quidem satis candide nobiscum agit. Sic enim loquitur, quasi aliquæ sint Synodi

p Bell. lib. 5. supr. §. Post. a. D. 300.

Cap. V. Nicænæ editiones, in quibus *illa pars* quam dicit, habeatur. Ego vero nullam hujusmodi exstare Græcam, Latinam, veterem, Dionysianam, recentem, neque reperire ipse potui, neque repertam ab aliis, vel commemoratam audivi. Sed observare ita pergit Bellarminus; hanc tamen canonis partem haberi expresse *apud Ruffinum L. 10. Hist. c. 6. Non habetur* (inquit) *in omnibus* (Synodi Nicænæ scilicet) *editionibus*, Exspectabam, ut diceret, *verum habetur in quibusdam, & quidem emendatioribus*; Ille vero longe aliud superiori orationis membro opposuit; *verum* (inquit) *habetur expresse apud Ruffinum L. 10. Hist.* De Synodi editionibus cœperat, *non in omnibus hæc haberi.* Qui sic loquitur, dum fatetur hæc non haberi in omnibus; eo ipso certe significat haberi in nonnullis. Cedo ergo aliquas Synodi editiones, ubi hæc habeantur. *Expresse* (inquit) *habentur apud Ruffinum, in Historia.* Ergo ne Ruffinus aliqua est Synodi Nicænæ editio? Nunquam equidem audiveram. Cur hæc monstra præter morem loquitur Bellarminus? Ego dicam, quid suspicer. Causæ studio noluit quod res est ita dicere, *Observandum est istam partem canonis in nullis haberi editionibus; sed haberi tamen apud Ruffinum.* Nemo non videt hanc observationem ita fuisse instituendam, atque efferendam; neque ego dubito, quin ita instituturus fuerit Bellarminus pro sua illa solenni elocutionis perspicuitate. Non fecit; quia ni fallor, verebatur, nequis eum diceret *id nobis pro insigni Concilii Nicæni testimonio venditasse*, quod ipse paucis post versiculis fateretur in nullis Synodi editionibus haberi. Vt hanc reprehensionem effugeret, maluit elocutionem nonnihil à recta forma inflectere, ita eam temperans, ut lector possit suspicari ista quæ nobis pro Nicænis objicit, *in multis, certe in quibusdam etsi non in omnibus, Synodi editionibus haberi.* Non est Bellarmini melior in Cyrillum fides, quem ait in epistola ad Synodum Carthaginensem sua, testari quos canones Ruffinus descripsit, *eos esse veros & authenticos Nicænæ Synodi canones*; eademque post Bellarminum Binius affirmare non veretur. Atqui Cyrillus in tota illa epistola de Ruffino, deque descriptis ab eo Nicænis canonibus non magis loquitur quam vel de Bellarmini controversiis, vel de Biniana Conciliorum farragine; r *Necesse* (inquit Cyrillus) *habuit* &c. *fidelissima exemplaria ex authentica Synodo in Nicæa civitate habita vestra caritati dirigere; quod & in Ecclesiastica historia requirentes invenietis.* ἀναγκαῖον ἡγησάμην &c. τὰ πιστότατα ἴσα τὰ τῆς αὐθεντικῆς συνόδου τῆς ἐν τῇ Νικαέων πόλει τῆς Βιθυνίας ἐχό ἵνα τῇ ὑμετέρᾳ ἀποστεῖλαι ἀγάπῃ ὑπὲρ καὶ ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ ἱστορίᾳ ζητοῦντες εὑρήσετε. Bellarminus *historiæ Ecclesiasticæ* nomine *librum Ruffini* intelligi vult à Cyrillo; & canones ab eo in illa historia descriptos significari, cum dicit *in historia Ecclesiastica eadem inventuros* Afros, quæ in Canonibus, quorum ipse exemplaria mittebat. Omnes vident, quam levia sint momenta, quæ Bellarminum eo impulerunt, ut de Ruffini libris proprie ac nominatim acciperet, quæ Cyrillus simpliciter ac indefinite de *Ecclesiastica Historia* dixerat. Vnde enim didicit Cyrillum, cum

q Bin in Conc. Nic. c. 14. T. 1. Conc. p. 365.

r Ep. Cyr. Cod. Can. Eccl. Afric. c. 135. T. 1. Conc. p. 977.

cum hæc ſcriberet, Ruffinum vel ejus libros habuiſſe in animo? Nullæne apud Græcos Eccleſiaſticæ hiſtoriæ erant, ut neceſſe ſit eum de Ruffino hæc dixiſſe, quem fortaſſe ne de nomine quidem norat? Certe non eſt hic mos Græcorum; qui Latinos ſcriptores, quod ſuis abundarent, raro memorant. Sua plæraque Latini à Græcis derivarunt, præſertim quæ ad hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectant; hos ab illis vix ac ne vix quidem quicquam mutuari cernimus. Mihi vero tutiſſimum videtur, *Eccleſiaſticam hiſtoriam* hic in genere & indefinite, ut Cyrillus dicit, ita etiam lectorem accipere; ſic, ut ille ſignificet Afros, ſi res Eccleſiæ geſtas ex veris, ſinceriſque actibus ac monumentis inveſtigent, reperturos, quæ de Synodo Nicææ habita dixit, quæque de ejus canonibus mittit, ea vera ſinceraque eſſe. Iam ſi iſta, quæ eos Cyrillus reperturos ſcribit, proprie de Canonibus Nicænis cum Bellarmino accipias; manifeſtum eſt iſta hoc ſenſu ad Ruffini hiſtoriam referri non poſſe. Sic enim vel canones à Cyrillo miſſi cum Ruffinianis congruunt; vel ſiquid ab iis diſcrepent, Cyrillus falſo & inconſiderate, id quod dicit, affirmaſſe deprehendetur; quod nemo, ut opinor, de tanto viro ſuſpicabitur. Atqui miſſos à Cyrillo ad Africanam Synodum Canones à Ruffinianis diſcrepare facile demonſtratur. Diſpar enim eſt Canonum apud utrumque numerus. Ruffinus duos & viginti recenſet. *s* In exemplari à Cyrillo miſſo non plures erant, quam viginti. Id vero inde probatur, quod illa exemplaria à Cyrillo Alexandriæ, & Attico Conſtantinopolis Epiſcopis ex authenticis miſſa, eadem Africanis Patribus *per Innocentium Presbyterum & Marcellum Diaconum Bonifacio P. R. directa ſunt poſt conſulatum Honorij XII. & Theodoſii VIII. d. 6. Kal. Dec.* ut ipſi affirmant in epiſtola ad Cœleſtinum P. R. ſcripta a. D. 424. Iam in his ipſis exemplaribus Canones non fuiſſe plures, *t* quam XX. teſtatur Hadrianus P. R. I. in epitome Canonum ſub finem; *u* *Quod exemplaria Nicæni Concilij poſt conſulatum Honorij & Theodoſii Auguſtorum. VI. Kal. Dec. ad Bonifacium Papam SVB XX. CAPITIBVS pervenerint ſicut per omnia in ſuperioribus ſunt.* Idem inde confirmatur, quod in Codice canonum Eccleſiæ Africanę, cum c. 137. recitatum eſſet Synodi Nicænæ Symbolum, *x* *Huic* (inquiunt) *ſymbolo fidei etiam exemplaria ſtatutorum ejuſdem Concilii Nicani à memoratis Pontificibus* (Cyrillo & Attico *annexa ſunt ſicut ſuperius per omnia continentur, quæ nos hic iterũ conſcribi neceſſariũ non eſſe duximus.* Ex his verbis conficitur Canones à Cyrillo miſſos eoſdẽ fuiſſe *per omnia* cum canonibus, qui in præcedentibus de eadẽ cauſa Synodis cõtinentur. Iam vero nuſpiam in Africanis iſtis Synodis recitari reperiũtur Nicęni canones, niſi in Cõcilio Carthaginẽſi VI. ut vulgo inſcribitur) At iſtic, plane ut in editionibus Concilij Nicęni, vulgatis, viginti tantũ canones habẽtur; inter quos, qui XVIII. de Preſbyteroiũ ſupra Diaconos jure eſt *y* idem eſt, cum eo, quẽ vulgatæ editiones præferunt; id vero aſſumentum, quod canon Ruffinianus 20. habet, neque in iſto 18. neque in 20. neque in ullo alio reperitur. Cætera mitto Hæc ſunt ſatis. Cũ ergo Ruffini liber alia contineat, quã Cyrillianũ Nicęnę Synodi exemplar;

s Ruff. L. 1. c. 6. l. 1. p. 206. op. Ruf. vel L. 10. c. 16. vt habetur in Hiſtor. Euſeb.

t Cod can. Eccl. Afric. §. 138. T. 1. Conc. p. 980. D. E.

u Hadr. epit. Can. extr. T. 5. Conc. p. 563. D 2.

x Cod. can. Eccl. Afr. c. 137. T. 1. Conc. p. 886.

y Ibid. p. 888. A.

Cap. V. Sponte ruit, quod gratis sibi fingebat Bellarminus Ruffinianum librum à Cyrillo intelligi, & laudari *Historia Ecclesiastica* nomine, in qua ea ipsa reperturos ait Afros Patres, quæ ipse in exemplari Nicæni Concilij ad eos mittebat. Neque de Ruffini nomine Latinis invidiam, (quod possem) facio; quem illi pro re nata modo laudant; modo sugillant, hic pro authentico Nicænæ Synodi editore, alibi pro falsario, & Synodi eiusdem adulteratore, habent. Non est res tanti, ut in ea diutius immorentur. Quid enim tandem dicit loco laudato Ruffinus? Hæc sunt ipsissima ejus verba; *Ne Diaconi* (inquit) *Presbyteris præferantur; neve sedeant in consessu Presbyterorum, aut illis præsentibus Eucharistiam dividant, sed illis agentibus solum ministrent.* Hactenus satis expressis mentem Nicæni Canonis, qui nobis est XVIII: ut patebit utriusque verba inter se conferenti. Sed ne miseros Diaconos omni plane *dividendæ* (id est distribuendæ) *Eucharistiæ* jure Synodus spoliare videretur, hæc de suo adjecit; *Si vero Presbyter nullus est in præsenti, tunc demum etiam ipsis licere dividere.* In hæc Bellarminus insilit, & artibus suæ Dialecticæ solennibus, ex iis Missas nobis extruit mirificas & abnormes, in quibus sola fiat sine benedictione sive consecratione distributio: *Loqui* (inquit) *Concilium de tempore, quo sacra Cœna non celebratur, perspicuum est, quia Cœna sine Presbyteris celebrari non potest.* Inde collegerat *Eucharistiam servari solitam in Ecclesia, ut distribui posset quovis tempore, etiam quando Cœna non celebratur.* Illa vero frustra omnia. Nulla ad Ruffini mentem reservatione opus fuit. Ruffinus Diaconis, ubi nullus sit presbyter in præsenti, dividere sive distribuere Eucharistiam permittit. Cum Diaconus è Synaxi particulas ad absentes ferebat, nullus credo, aderat cum eo Presbyter. Cum idem, vel etiam Acolythus ab Innocentio missus fermentum ad Presbyteros suæ civitatis die Dominica deferebat, nullus ferenti aderat Presbyter, neque item cum à veteribus Episcopis ad collegas Episcopos Eucharistiam in communionis symbolum ac pignus missam Diaconi portabant. Ergo talibus locis Diaconi, quin & ipsi, quod magis mireris Acolythi Eucharistiam iis, ad quos mittebantur, dividebant. Hoc iis jus Ruffinus vindicat, neque aliud. Ergo (inquit Bellarminus) Eucharistia olim interdum distribuebatur, *etiam eo tempore, quo Cœna non celebrabatur.* Sane inquam, sed quo paulo ante, tempore celebrata erat. Quæ enim distribuebatur, ea ex ipsius celebrantis manu excepta erat, & peracta synaxi statim iis ad quos mittebatur, delata à Diacono distribuebatur. Ergo hæc nullo in sacrario reposita, servata custodita fuerat, sed ex ipsa Domini mensa statim iis, quibus erat destinata, tradebatur: ut eorum communio ejus esset communionis portio, quæ aliquot ante momentis, etiam si forte horis, in Synaxi publice peracta erat. Ita levi momento in auras difflata abiit omnis Bellarmini Dialectica. Unde liquet, quam præpopera fuerit ejus gloriatio, ex his *Ruffini evidenter colligi affirmantis Eucharistiam olim servari solitam in Ecclesia.* Sed Binij multo etiam stolidior ac putidior jactatio est, qui cum ipse nihil nisi ex alieno sapiat,

Baroniana passim, vel ut hic, Bellarmini iam obtrudens nos hinc *discere* & Cap. VI.
agnoscere jubet olim in Ecclesia extra Sacrificium, in usum infirmorum, z Bin. in c.
praeservari solitam Eucharistiam. 14. Conc. c. Nic.

CAPUT VI.

Solvitur tertia Bellarmini objectio Pseudo-Clementis Pastophoria in pyxides transformantis. Quid sint Pastophoria; quid παστοφορεῖα ex 70. Interpretibus & aliis ostenditur; & locus Pseudo Clementis explicatur.

SEd Bellarminus in Pseudo Clemente, cujus scripta ad quarti quoque saeculi initia pertinere videntur multo majora molitur. a Non enim a Bell. l. 4. de
arguriis Dialecticis, sed summa potestate agit; *exedram* aut *cubiculum* Euch. c. 4.
nobis in *pyxidem* subito pro sua voluntate transformans. Clemens, to- init.
tius synaxeos ordinem exsecutus, b *Postquam* (inquit) *omnes sumpserunt,* b Clem.
acceperint Diaconi reliquias & portent in pastophoria, καὶ ὅταν πάντες μετα- Const. l. 8. c.
λάβωσι, λαβόντες οἱ διάκονοι τὰ περισσεύσαντα, εἰσφερέτωσαν εἰς τὰ παστοφόρια. 13. [al. 10.]
Haec *Pastophoria* Bellarminus vult esse suas illas pyxides, sive sua *ciboria,* in quibus sacras olim particulas de Synaxi residuas conderent ac servarent, suos mores ad veterem Ecclesiam gratis nulla ratione transferens. Hodie scilicet suas Latini hostiolas servant in pyxide ad infirmorum viaticum. Veteres idem eundemque ad usum fecisse non dubitat Bellarminus; Quia si aliter esset, vetus Eccles. ab hodierna Rom. discreparet quod credere vel defendere ingens apud istos piaculum ac nefas est. Ergo his ita constitutis *pastophorium* pyxidem fuisse necesse est; quia in quod vasculū Synaxi peracta immittuntur hodie Latinorum hostiae, *pyxis* est; residuae autem Eucharistiae particulae *in pastophoria* immittebantur. Ergo *Pastophorium* pyxis olim fuit; fuit vasculum sacrum, in quo particulae ad usum infirmorum servabantur. Sed veteres Grammatici, sed LXX. interpretes, sed hic ipse Clemens, sed omnes eruditi repugnant; docent *pastophorium* non pyxidem esse, sed cubiculum, thalamum, exhedram. Quid Grammaticos inquit, & veteres & eruditos mihi narras? Usus Ecclesiae Romanae suprema lex esto; à quo discessisse vetustissimam illam & sanctissimam Ecclesiam, incredibile est. Aliter enim concedendum erit priscam illam Ecclesiam à columna veritatis deficere potuisse & re vera defecisse; quod falsum est, & plane ἀδύνατον. Tum esto (inquit Bellarminus) pyxis nostra proprie ac citra tropum ne dicatur *pastophorium;* Metaphorice quidem *pastophorium* dici nihil vetat: imo bella erit metaphora. Hieronymus enim docet *pastophorium* fuisse, non quodvis cubiculum; sed tabernaculum, sive thalamum, in quo Templi praepositus habitat. Iam Christum esse verum templi divini Praepositum nemo dubitat; Habitare autem Christum in nostra

Cap. VI. pyxide Ecclesiæ Romanæ decretum est. Ergo velint nolint hæretici, grammatici schismatici, *pastophorium* veterum nostra *pyxis fuit:* Et hæc ratio fuit, cur Apostoli, qui Ecclesiæ olim in urbe Roma futuræ placita in omnibus sequebantur, pyxidem illam sacerrimam in qua recondebantur hostiæ residuæ, *pastophorium* elegantissima metaphora indigetare non dubitarint. Hæc Bellarmini invicta demonstratio est; quæ ei adeo lepida visa est, ut eam hic posuisse non contentus, alio postea loco iterum reposuerit. *c* Sed nos amoto metaphorarum ludo, seria ac vera quæramus. Pastophorium Græcæ esse originis vocabulum, nemo dubitat. Hesychius; παστοφόριον. τὸ τὸν παστὸν φέρον. *Pastophorium, quod fert thalamum.* Hoc nominis etymon. παστὸς enim *thalamus.* Suidas eadem habet. Addit Hesychius; ἢ συναγωγή, ἢ ναὸς ἀνθηρός. *vel est synagoga, vel templum floridum.* Synagogam ni fallor, *prosencham* dicit; id est ædem in qua colligebantur Iudæi ad preces & sacra. Apud Ægyptios idololatras fuisse memorat Clemens Alexandrinus quemdam sacrorum ministrum, qui παστοφόρος diceretur; ubi de eorum templis loquens; παστοφόρος δὲ (inquit) ἤ τις ἄλλος τῶν ἱεροποιούντων περὶ τὸ τέμενος. *Tum vero Pastophorus, vel quis alius ex iis, qui circa templum sacra faciunt.* Cujus Ministri munus fuisse videtur, Dei cujus erat templum, *thalamum, ferre;* id est, ut interpretor, ædiculam ei sacram. Idem vocabulum ter apud * Apuleium occurrit. Primo ille sacerdotes & ministros Isidis hoc nomine censet, eorum cœtum tradens *sacrosanctum Pastophororum collegium* dici; idque eorum esse nomen. Tum Asinium Marcellum Osiridis sacerdotem unum *de Pastophoris, vocat;* *denique se ab Osiride in collegium Pastophororum suorum electum* gloriatur. Inde factum videtur, ut ipsa ministri sedes, vel exhedra in qua apud templum habitabat, παστοφόριον dicta sit. Vtcumque sit, Septuaginta veteris testamenti interpretes frequenter hac voce usi sunt; tum ad alia nomina Hebræa reddenda, tum ad nomen לשכה *e* οἱ λευῖται ἦσαν ἐπὶ τῶν παστοφορίων. Latinus; *Erant super hexedras.* Et mox de iisdem; ἐν τῷ παστοφορίῳ διατριβόμενοι. Latinus; *In hexedris morabantur.* Atque ita in compluribus locis; *f* in quibus Hebræum לשכה Græci παστοφόριον reddunt; Latinus exhedram. Iam vero Hebræum לשכה cubiculum vel thalamum esse consentiunt omnes Hebræi *g* Christianique interpretes, & Chaldaïcum לשכתה, quod cum Hebraico idem est, *cubiculum, conclave,* vel *cella* est. *h* Exhedra quoque in eumdem sensum convenit. Non est ergo dubitandum, quin τῶν LXX παστοφόριον idem quoque sit; nempe cubiculum, vel conclave. Id vero inde quoque perspicitur. quod idem illud Hebraïcum לשכה iidem LXX. alibi quidem *gazophylacium* reddunt; Latinus, vero *exhedram;* ut L. 4 Regum, qui Solis equi ab Ezechia combusti sunt, eos LXX. fuisse dicunt ἐν τῇ εἰσόδῳ οἴκου κυρίου εἰς τὸ γαζοφυλάκιον Ναθὰν βασιλέως εὐνούχου Latinus; *In introitu templi Domini iuxta exhedram Nathanamelech Eunuchi.* Sed & loca occurrunt non pauca, in quibus illud idem nomen Hebraicum לשכה, Græci *exhedram* reddunt; Latini vicissim *gazophylacium;* ut apud Ezechielem; *k* *Gazophylacium* (Gr. ἐξέδρα) quod

c Bell. ub. supr. c. 5. §. Ad secundam.

d Clem. Alex. Pæd. L. 3. c. 2 p. 216. C.

* Apul. L. 11. Metam. p. 389. 399. 402.

e L. Paral. 9. 26. 33.

f 1. Par 23. 28. & 28 12.

g Vid. David de Pom. Dav Kimchi

h Buxt Lex. Chald.

i 4. Reg. 23. 11.

k Ezech 40 46. vid ib. c. 41. 10. & 42. 4. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & & 44. 19. & 46. 19.

quod respicit ad viam Aquilonis. Sunt loca, in quibus pro eadem Hebraica voce tam Latinus quam Græcus habent *l* gazophylacium. Est & ubi pro gazophylacio Græcorum, Latinus reddit cubiculum, ut apud Esdram; *m Surrexit Esdras ante domum Dei, & abiit ad cubiculum.* (Græce εἰς γαζοφυλάκιον *Ioanan filij Eliasib.* Quin idem illud nomen לשכה Græci semel κατάλυμα (quod est *diversorium*) reddunt; *n* Latinus appositius, *triclinium*; quo loco sermo est de aula vel *cœnaculo*, ubi à Samuele celebrabatur epulum sacrum. Ex his ni fallor, jam satis clarum est *pastophorium* esse *hexedram, cubiculum, triclinium gazophylacium*; rem pæne eandem, sed pro diverso usu diversam; quo fit ut tam multa nomina sortita sit. Post LXX senes vox apud Iudæos Græcissantes eodem in usu hæsit; ut apud Maccabaïcorum scriptorem, quo loco inter tristia templi à suis visa, narrat *pastophoria diruta*, καὶ τὰ παστοφόρια καθῃρημένα; & paulo post, *Instaurarunt (inquit) portas & pastophoria.* ἐνεκαίνισαν τὰς πύλας καὶ τὰ παστοφόρια. Libro Esdræ tertio, *p pastophoria domus Dei*, τὰ παστοφόρια τοῦ οἴκου τοῦ θεοῦ. Atque ibidem videmus quod in volumine Esdræ Canonico Esdras legitur, *abiisse ad cubiculum* (ut habet Latinus) vel *ad gazophylacium* (ut Græcus) *Ioanan filij Eliasib*; id inquam, videmus scriptorem hujus tertij libri, eadem narrantem, sic esse elocutum; *q* καὶ ἀναστὰς Ἔσδρας ἀπὸ τῆς αὐλῆς τοῦ ἱεροῦ, ἐπορεύθη εἰς τὸ παστοφόριον, Ἰωνάν τοῦ Ἐλιασίβου. Et exsurgens Esdras ab ante *atrium templi, abiit in pastophorium Ionatha filij Nasabi* (pro Ioanan filij Eliasibi) Ex quibus locis inter se collatis intelligimus παστοφόριον his scriptoribus plane idem esse, quod *cubiculum*, vel etiam gazophylacium. Idem quoque ex eo videre est, quod apud Hieronymum legimus, Theodorionem apud Ezechielem c. 42. 1. παστοφόριον reddidisse, quod ipse *gazophylacium*, Symmachus & LXX. *exhedram* interpretantur; seque ipse paulo post hæc tria promiscue habere, satis docet, *s* cum deambulationem fuisse observat ante fores *gazophylaciorum omnium*, sive (inquit) *exhedrarum & thalamorum.* Thalamos enim *pastophoria* dicit; *t* ut liquet ex alio loco; *Thalami* (inquit) *Græce dicuntur pastophoria.* Gaspar Sanctius, doctissimus Iesuita hæc omnia observat ad locum libri Maccabaïci nuper laudatum; *u Pastophorium*; inquit) *vox est Græca, quam adhibuere LXX. ubi Vulgata legit gazophylacium, exedram, thalamum. Hæc autem erant cubicula, in quibus sacra servabatur supellex, & in quibus habitabant, qui sacra obibant in templo ministeria.* Hæc ille; quibus addit Hieronymum in Is. c. 22. *pastophorium tabernaculum interpretari, ubi Sobna templi præpositus habitabat.* Vellem potius dixisset Hieronymum eo loci tradere, quod LXX. ἐν παστοφορίῳ *reddiderunt, id Aquilam in tabernaculo* transtulisse. His ita explicatis monet præterea Sanctius *thalamum proprie* esse *non ipsum lectum*, sed *cubiculum ubi lectus sternitur*; quod verum est; idque ille confirmat ex duobus Luciani & Athenæi locis; & hæc ipsa se antehac ad Ezechielis c. 40 ostendisse dicit. Ita refellitur crassus Bellarmini error, qui ut suo metaphorico lusui velificetur, fingit, certe fingere videtur, unum illud cubiculum, sive (ut ipse vocat) *tabernaculum*,

CAP. VI.

l Neh. 10. 37. 38. & 13. 4. 5. 7. 8.

m Esdr. 10. 6.

n 1. Reg (1. Sam.) 9. 22.

o 1. Macc. 4. 38. 57.

p 3. Esdr. 8. 59. (Lat. 60.)

q 3. Esdr. 9. 1.

r Hier. L. 13. in Ezech. c. 42 1. fol. 188. B.

s Id. ibid. in vers. 4.

t Ibid. L. 12. in c. 40. fol. 234. C.

u Sanct in 1. Macch. 4. 38. §. 31. p. 440.

Cap. VI. *lum*, in quo templi Præpositus habitaret, *Pastophorij* nomen omnium illarum exhedrarum commune erat, quæ ad templi muros erant exstructæ; & absque discrimine tam eæ, in quibus sacra templi ministeria asservabantur, quam illæ, in quibus quivis sacrorum ministri habitabant; puta sacerdotes, Levitæ, alij *pastophoria* dicebantur, ut ipse Bellarmini conseccraneus Sanctius observavit. Quod vero ille nobis Hieronymum sui hujus commenti auctorem facit, in eo quoque hallucinatur. Neque enim scribit Hieronymus *pastophorium id solum dici, in quo templi Præpositus habitat*. Hæc sunt ejus verba; *Iubetur ergo ingredi Propheta ad Pontificem, qui habitabat iuxta* LXX. *ἐν παστοφορίῳ; iuxta Aquilam in tabernaculo.* Inde recte concluseris *pastophorium* fuisse in quo ille ex Hieronymo Pontifex habitabat; nullum aliud nisi hoc ejus habitaculum, *pastophorium* fuisse dictum, tu quidem haudquaquam recte concluseris; quod est sane contra manifestissimam rerum ipsarum veritatem. Atque ita tota à fundo ruit lepida illa allegoria, quæ hoc uno fulcro nitebatur, vasculum, in quo Christi sacramentum nunc asservatur, pastophorium ideo dictum esse, quod Christi veri Pontificis sit sedes atque habitaculum. Colorem haberet hoc figmentum, si unum Pontificis cubiculum hoc nomine dictum fuisset. Nunc cum constet aliorum etiam sacerdotum, etiam levitarum apud templum cubicula, etiam sacræ supellectilis cellaria sive conditoria, & gazophylacia, omnia apud Græcos interpretes *Pastophoria* dici censerique; omni ratione caret Bellarmini commentum id nomen suis pyxidibus ideo datum fuisse fabulantis, quod unius summi Pontificis cubiculum, sive exedra, *pastophorium* diceretur. Mitto quod ne de eo quidem constat, quod iste audacter sumit, Sobnam illum in gazophylacio secundum 70. (ut quidem scribit Hieronymus) *habitantem* illum inquam, non constat Pontificem fuisse, quinimo potius constat non fuisse. Quod enim eum Latinus interpres *templi præpositum vocat*, * eo ab Hebræo fonte discedit, in quo iste Sobna legitur *fuisse super domum* אשר על הבית, id est *præfectus*, vel *præpositus domus*; non Dei, quæ sola templum est, sed *Davidis*, ut ex versiculo 22. discimus; adeoque domui non divinæ, (id est templo) sed Regiæ (id est Aulæ) præfuisse. Græci *ταμίαν* reddiderunt, *œconomum*, *dispensatorem*, *quæstorem* apud veteres Glossas; Hesychius. *ταμίας* (inquit) *φύλαξ χρημάτων προεστὼς* [illegible] *οἰκονόμος, διοικητής.* Sed de hoc Bellarmini & aliorum errore vide doctissimum Ioannem Rainoldum nostrum, fuse ac fortiter disputantem, verisque demonstrantem Sobnam inter Iudæos Pontifices nunquam sedisse. Mihi nunc quidem id satis est, quod Bellarmini purum somnium est, nullo auctore, nullo teste nixum, quod hic ille nobis obtrudit, pyxidem in qua asservatur Eucharistia, ab antiquissimi tertij & quarti seculi Patribus *pastophorium* dictam fuisse. A quo didicit? Vnde habet? Atqui ante istos de Ignatij ludo disputatores natos, nemo veterum, nemo recentiorum, nemo medioxumorum hoc dixerat. Clemens fateor, scribit in pastophoria portata fuisse à Diaconis, quæ ex sacra synaxi superfuerant.

* Is. 22. 15.

y Rainold. de Apocr. Lect. 71. p. 820. 821. T. 1.

Sed

Sed *pyxides* re vera fuisse illa, quæ dicit *pastophoria*, & quidem eo nomine ab Apostolis donatas, nusquam dicit Clemens; nedum ut ei quicquam in mentem venerit de illa ineptissima ac plane joculari hujus nomenclaturæ ratione, quam Bellarminus Musis omnibus invitis, excogitavit. Illa vero quæ Constitutionum scriptor hic dicit *Pastophoria*, veri nominis *pastophoria* fuerunt, id est cubicula, vel cellariæ aut gazophylacia; quæ jam suo ævo Ecclesiis Christianorum apponi atque adstrui solita fuisse ipse nos docet libro ejusdem operis secundo, ubi de Ecclesiæ ædificandæ forma præcipiens; *Primum* (inquit) *sit longa domus ad Orientem conversa; Ex utraque parte pastophoria habens ad Orientem, quæ navis habeat similitudinem.* πρῶτον μὲν ὁ οἶκος ἔστω ἐπιμήκης κατ' ἀνατολὰς τετραμμένος ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν τὰ παστοφόρια πρὸς ἀνατολὴν, ὅστις ἔοικε νηΐ. Ista credo, non erant allegorica Bellarminianæ subtilitatis *pastophoria*; id est pyxides, & arculæ gestatiles, aliquot oblatarum nummulariarum capaces, quæ non proprie, sed metaphorice *pastophoria* dicuntur. Neque enim oblongas Latinorum Ecclesias *ex utraque parte*, id est ex utroque latere hujusmodi pyxides habere quisquam sanæ mentis ideo dixerit, quod in earum altari una aut altera hujusmodi pyxis consistat. Multo etiam minus quisquam construendi ac componendi apud eos templi rationem tradens, ita præceperit; *Primo sit longa domus, & ex utraque parte pyxides vel arculas habeat.* Qui sic loquitur de aliqua ipsius ædificij sive substructionis parte loquitur; non de sacra templi supellectile, in quo rerum ordine est ista pyxis, ministerij, non ædificij Ecclesiastici portio. Sed quid moror? Res est omnis perspicua. Vel Baronium sane audiamus, illa nobis Clementina *pastophoria* non inerudite explicantem. Illa enim in disputatione de veterum Ecclesiarum forma cum quædam ea de re dixisset; *a Duo* (inquit) *præterea Pastophoria in eisdem* (basilicis, sive Ecclesiis) *exstrui consuevisse apud Clementem legimus, b quæ à Paulino nuncupantur secretaria, hinc inde apud apsidem posita; quorum quis esset usus duo hæc disticha ab eodem desuper ipsa inscripta declarant. A dextra apsidis;*

CAP. VI.

Const. Ap. L. 2. c. 57. (Lat. 6.) init.

a Bar. a. D. 57. §. 105.

b Clem. Const. L. 2. c. 61.

Hic locus est, veneranda penus qua conditur & qua.
Promitur alma sacri pompa ministerij.

A sinistra ejusdem;

Siquem sancta tenet meditandi in lege voluntas.
Hic poterit residens sacris intendere libris.

c Atque hoc quidem secundum ea, quæ habentur apud Clementem, ut Ecclesia duo habeat pastophoria; quæ vox (ut explicat Hieronymus) idem est, quod thalamus, seu interius cubiculum. Ex his Baronij habes, quæ qualiaque fuerint illa *Pastophoria*, in quæ Clemens inferri jubet quæ peracta communione, supererant. Erant nimirum duo ex utroque latere intus extructa cubicula, in quorum altero sacra ministeria in altero sacri libri reponebantur: illa ipsa, nisi nos fallit Baronius, quæ Paulinus

c Hier. in Ezech. c. 42.

Cap. VI. vocat *Secretaria*. Eo ergo *portabantur* & *inferebantur* synaxeos residua. Non-ne egregius interpres Bellarminus, qui cum scriptoris istius, ipso teste, jam essent in Christianorum Ecclesiis hujusmodi veri nominis *Pastophoria*, nos jubet ad allegoriam confugere, ubi is de Ecclesiæ Pastophoriis loquitur? quasi scilicet nihil tum adhuc esset apud Christianos, quod verum, proprieque intellectum *Pastophorium* esset? Huc accedit ipsa scriptoris elocutio, quæ Bellarmini figmentum respuit, *Diaconi reliquias portent in pastophoria.* οἱ διάκονοι τὰ περισσεύοντα εἰσφερέτωσαν εἰς τὰ παστοφόρια. Nemo nunc Latinorum de sua pyxide sic loquatur, quæ in ipso altari, ubi Diaconi adsunt, posita est. Iuberent reliquias, in pyxide *reponi, recondi, in eam immitti*; *portari* aut *inferri* in eam non opinor, dicerent; ut hoc nunc mittam nimis abnorme, nimisque ab hodierno illorum jure alienum esse, ut Diaconi, maxime præsēte Episcopo, vel certe Presbytero, manus in oblatas mittere, easque condere in illa sacrosancta pyxide audeant. Cum ergo illa veterum Pastophoria ab altari paulo remotiora fuerint, & in ea tamen Clemens particulas à Diaconis inferri jubeat; sequitur non ut asservarentur fuisse in pastophoria illatas (Latini in altari, vel ad altare eas servant) sed ut ab hominibus sacris, presbyteris, Clericisque cōsumerentur; quod etiam securis temporibus aliquando factum esse postea ostendemus. Itaque cum Clemens illata fuisse in pastophoria testetur quæcumque peracta synaxeos distributione supererant; apparet hinc colligi nullas adhuc ejus ævo asservatas fuisse post communionem particulas; tantum abest, ut hic locus asservatas fuisse vincat, quod Bellarminus, & Stephanus Durantus, *d* & alij præ nimio causæ Latinæ studio, nulla ratione, sibi persuaserunt. Cæterum, ut hoc obiter dicam, cum Eucharistia olim fieret ex totius Ecclesiæ oblationibus, quarum selectam à Ministris partem ad id satis fuisse credibile sit; facile eo adducor, ut credam illa περισσεύοντα, quæ Clemens in Pastophoria portari vult, esse non de solis panis vinique consecrati residuis intelligenda, sed de omnibus omnino populi oblationibus, ex quibus decerptæ fuerant particulæ, esse capienda; quæ omnia munera ideo simul semelque asportabantur in illas exhedras, ut istic dividerentur partim presbyteris cęterisque Clericis; partim etiam, si ea copia suppeteret, cæteris de plebe vel infirmis vel egentibus.

d Durant. de rit. Eccl. L. 1. c. 16. §. 8.

CAPUT VII.

Solvitur IV. objectio, quæ Steph. Duranti est, ex Gregorio Turonensi. Ministerium. Ministerium Ecclesiæ. Solvitur V. objectio, ex Ambrosij novissima apud Paulinum βιόγραφον communione.

VT Bellarminus in Clementis *Pastophoriis*, ita Stephanus Durantus in Gregorij Turonensis turre hodiernam Latinorum pyxidē frustra & ipse quærit *e* *Hanc enim* (inquit) *pyxidem nonnulli auctores turrem appellant.*

e Steph. Dur. de rit. Eccl. L. c. 16. §. 4.

CAPUT VII.

lam. Gregorius Turonensis; f *Acceptaque turre Diaconus, in qua ministeriũ Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium, ingressusque templum, ut eã altari superponeret, elapsa de manu eius ferebatur in aëra, & sic ad aram ipsã accedens, nunquam eam manus Diaconi potuit assequi; quod non aliã credimus actũ de causa, nisi quia pollutus erat in conscientia. Sæpius enim ab eodẽ adulteria ferebantur admissa*. Hæc Gregorius. *Turris* ei, quæ dicitur, arcula fuit, fateor, ad turris similitudinem efformata; *Ciborium* eam fuisse in quo sacramentum hodierno more asservaretur, quod non modo Durantus, sed eo etiam longe doctior Vossius noster suspicatur, g equidem nego; Primo quod Gregorij hujus nostri temporibus, id est seculo sexto extremo, nusquam hactenus vel apud hunc, vel apud coævos scriptores quicquam hujusmodi reperiam. Sed & ipse Gregorij locus repugnat, ne de ciborio turris accipiatur. Ciborium enim vel in altari, vel non procul ab eo, certe in ipsa Ecclesia reponitur atque asservatur; neque inde unquam temere, nisi necessaria aliqua de causa sic effertur, ut statim in ædem sacram reportetur, & in loco suo reponatur. Hanc vero Gregorianam *turrim* ex loco, qui extra templum esset, eductam & in templum allatam esse apparet ex his verbis, *Accepta turre Diaconus ferre cœpit ad ostium* (templi scilicet) *ingressusque templum, ut eam altari superponeret*. Ergo super altare non fuerat, ac ne intra templum quidem; sed in templum à Diacono illata est, ut altari ad usus sacros superposita sacerdoti celebranti præsto esset; quod à Latinis ciborij ritu, religione atque usu alienum est. Sed neque ei congruit, quod illa turris eo tempore ad altare allata est, cum jam peractis cæteris, quæ ad diei Polycarpo sacri celebrationem pertinebant, officiis, Sacerdos in eo esset, ut synaxin faceret. Ita enim narrat Gregorius; *Lecta igitur* (inquit) *passione* (id est Actis martyrij Polycarpiani, ut ego quidem interpretor) *cum reliquis lectionibus, quas canon Sacerdotalis invenit, tempus ad Sacrificium offerendum advenit, acceptaque turre Diaconus*, &c. ut supra. Denique verba hæc Gregorij alium fuisse turris, sive turriculæ illius usum indicant, *in qua turre* (inquit) *ministerium Dominici corporis habebatur*. Sic enim legunt & libri, & ipse, qui hunc locum describit Stephanus; neque satis scio unde noster Vossius illud, quod recitat pro *ministerio*, *mysterium* habuerit. Sed *ministerium* rectum est, omninoque retinendum. *Ministeria*, quod docuit h Salmasius noster ὁ πάνυ, sunt vasa aurea & *argentea*; &, *ministerium est* (inquit) *quod vulgo vocamus* (Francice scilicet) *un service. un service d'argent. unius abaci argentum*. Atque ita usurpari apud Latinos auctores, vel ipsa illa Lampridij & Capitolini loca indicant, ad quæ vir doctissimus hæc hujus locus de Marco Augusto habet; i *Tunc viris claris permisit, ut eodem cultu, quo & ipse, vel ministeriis similibus convivia exhiberent*. Locus est alter Lampridij de Alexandro Severo; k *Cum argentum in ministerio plus ducentis libris non haberet*. Ergo in illa *turre*, vel

f Greg. Tur. L. 1. de glor. Mart. c. 86.

g Ioa. Ger. Voss. L. 3. de vit. serm. Lat. c. 53. in Turricula p. 630.

h Salmas. ad Capit. Marcum. p. 90. col. 1. B & ad Lampr. Alex. Sev. p. 226. col. 1. F.

i Capitol. in Marc. p. 29. E.

k Lampr. in Alex. p. 128. C.

Cap. VII. turricula Gregoriana asservabantur, non Dominica sacramenta, ut perperam suspicatus est Durantus. Sed vasa aurea & argentea, id est patena & calix, quibus sacrum illud epulum ministratur; adeoque *ministerium Dominici corporis*; id est Eucharistiæ. Omnia ad unguem quadrant. Id enim *ministerij* à Diacono servari, & quoties usus est, *in Ecclesiam afferri* verum est ex prisco more; & *altari superponi*, quo tempore sacrum faciendum est, quis decere neget? Illud vero patenæ calicisque ex auro vel argento *ministerium*, cur *Dominici corporis* dicatur, cujus erat ad sacramentum corporis sanguinisque Dominici celebrandum, nemo opinor, cordatus causam requiret. Sed ecce ne quis dubitet, Gregorius quid sibi sit hoc *ministerium*, ipse eloquatur. De Maximo sacerdote in mari pæne submerso; l *Habebat* (inquit) *ad collum cum Evangeliorum libro ministerium quotidianum, id est patenulam parvam cum calice.* En quid in illa Diaconi turre fuerit. Ita idem alibi non semel; De fure in Ecclesiam ingresso; m *Cum nihil de sacris ministeriis, quid auferret, adverteret.* Et alibi, *sacrilegos* narrat n *ex Ecclesia abstulisse palliola, vel reliqua ministeria.* Item alibi, patenam altaris argenteam *de MINISTERIO altaris* fuisse apertissime docet; o *si ab Ecclesia* (inquit) *tibi aliquod vas ministerij, quod in altari ponitur deferatur in quo pedes ablueres, poterat tibi hac causa ferre medelam.* Tum Comitem Britannorum hoc à quodam de suis audito sermone, narrat *celeriter ad Ecclesiam misisse, & patenam argenteam sacrosancti altaris de sacrario suscepisse.* Erat ergo illa patena *ministerij* altaris portio. Ita constat nullas magis in *turre* Gregoriana, quam in Pseudo-clementinis *Pastophoriis* reperiri Latinorum vel *pyxides* vel *hostias*.

l Greg. Tur. de glor. Confess. c. 22.
m Id. de glor. Mart. L. 1. c. 59.
n ibid. c. 66.
o Ibid. c. 85.

Sed idem Durantus huc quoque adfert exemplum Ambrosij ab Honorato Vercellensi in supremis communicati. Ita rem Paulinus narrat; p Cum Ambrosius deficeret, *Honoratus sacerdos* (inquit) *cum in superiori domo se ad quietem composuisset, tertio vocem vocantis se audivit, dicentisque sibi, Surge, festina; quia modo est recessurus. Qui descendens obtulit sancto, Domini corpus. Quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens; ut in virtute escæ anima refectior Angelorum nunc consortio, quorum vitam vixit in terris, & Eliæ societate lætetur.* Audio; & quod supra sum confessus, primum hic video hominis proprie fidelis ac sancti exemplum, Eucharistiam in supremis sumentis. Sed unde habet Durantus illam particulam ex pyxide, in qua apud mensam Domini aliquamdiu servata esset, ab Honorato fuisse depromptam, ac non potius ex ipsa mensa in synaxi acceptam? Honoratus, non in Ecclesia, Sed *in superiori domo* quiescebat. Si audita voce statim ad Ambrosium descendit, quod scriptoris verba præ se ferunt; profecto in Ecclesiam, ubi Eucharistia in ciborio scilicet asservabatur, non est ingressus; sacramentum ex pyxide non deprompsit; nō adoravit; cū ea qua decebat, pompa in Ambrosij cubiculū detulit; sed quod jam apud se habebat secum gestans, e vestigio descendens recta ad Sancti viri cubile, ei postremo obtulit. Iam sacramentum

p Paulin. in vita Ambr. c. 25. apud Sur. d 4. April.

ut apud se haberet, nihil cum necesse fuit, ex pyxide ante accepisse, quam in superiorem domum ad quietem ascenderet. Tam facile fuit Honoratum sacram illam particulam ex Domini mensa in ipsa synaxi in qua erat consecrata, accipere, quam extra eam è pyxide promere. Quid si eam apud se ex seculi illius more, uno aut altero ante hunc die apud altare ex Sacerdotis celebrantis manu, acceptam servaverat? Ita eam Ambrosio offerre potuit, tametsi nulla in pyxide ad morientium viaticum apud Ecclesiam reposita & asservata ante fuisset? Sin scriptoris oratio non ita præcise accipiatur, sed per ea, quæ dicit, alia quædam quæ non dicit, familiari historicorum more significare intelligatur; tum nobis æque ac Duranto licebit Paulini verba ita interpretari, ut dicamus Honoratum quidem voce audita divinitus admonitum descendisse & ad Ambrosium venisse, sed sic venisse, ut prius in Ecclesiam ingrederetur, & sacrum paulo majori quam solebat, compendio perageret, atque ita demum particulam ad Sanctum deferret. Vtrovis sensu Paulini narrationem acceperis, nulla inde conficitur Eucharistiæ in pyxide ad altare Ecclesiæ reservatio. Prudenter ergo Bellarminus inter exempla, unde suas de reservatione conjecturas elicit, hoc omisit. Cap. VIII.

CAPVT VIII.

Solvitur sexta pro Ecclesiastica Eucharistiæ asservatione objectio, quæ Bellarmini est ducta ex vino sacro in æde Constantinopolitana per tumultum, cum Chrysostomus ejectus est, effuso.

Atque hoc quidem Ambrosij exemplum quarto seculo pęne exeunte editum est. Ex quinto ineunte Bellarminus objicit q narratam à Chrysostomo historiam; *ubi ille* (inquit) *scribit r milites quosdam ad vesperam magni sabbati sanctuarium ingressos tantum excitasse tumultum, ut effusus sanctissimus Domini sanguis, qui in sanctuario erat, in eorum vestes effunderetur.* Bellarminus observat hæc non fuisse gesta dum sacra Cœna celebraretur; quia ex ipso Chrysostomo constat ea contigisse cum mulieres præpararentur ad baptismum. At Paschali sabbato nunquam mysterium Eucharistiæ nisi peracto baptismo celebrari solitum, ut neophyti tum primum sancto illi mysterio interessent & Eucharistiam perciperent. Vnde concludit illum Christi sanguinem, qui in militum vestes effusus est, non tunc consecratum aut distributum fuisse; sed alio aliquo ante hunc die jam consecratum in sanctuario asservatum fuisse. Sed hæ meræ sunt Bellarmini de more conjecturæ, sua ex incertis per strophas Dialecticas extundentis. De pyxide de ciborio, de tabernaculo sive sacrario nullum apud Chrysostomum verbum; de asservatione, nullum. Si hæc, quod ille vult, sic erant, ut apud Latinos hodie sunt, Chrysostomus ut ingressos in locum ubi

q Bell. L. 4. de Euch. c. 4. toto.

r Chrys. ep. ad Innocent. T. 4. p. 596. C.D.E.

Cap.VIII. sancta erant, milites; etiam ex iis quosdam non initiatos dixit; ita quoque dixisset eos tabernaculum, in quo sancta custodiebantur, aperuisse, vel potius perfregisse; ita etiam profanis non initiatorum oculis patuisse, quæ videre eos nefas erat. Nemo non videt hoc ad exaggerandam tum istorum impietatem, cum ipsam rei indignitatem omnino hoc loco dicendum fuisse; neque sine flagitio, non modo à Chrysostomo, viro omnium Patrum longe eloquentissimo, sed vel à tirone prætermitti potuisse. Atqui de hoc altum apud facundissimum scriptorem silentium. Ille rem sic narrat, ut appareat militibus in sanctuarium ingressis statim omnia, quæ ibi habebantur, impiorum librorum oculis patuisse; visa statim simul semelque sacramenta; neque altum tabernaculum, ullamve pyxidem perfringi, vel recludi necesse fuisse, ut sacra dona omnes, etiam non initiati aspicerent. Sic enim Chrysostomus descripta illa fœdissima mulierum, quæ se ad baptismum nudaverant, præcipiti ob subitam militum irruptionem fuga; *Neque hic* (inquit) *rerum finis erat. Nam & locum, in quo sancta seorsum habebantur, ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis initiatos fuisse mysteriis, & viderunt omnia quæ intus erant.* καὶ δὴ ἐνταῦθα ἑστήκει τὰ δεινόν. ἀλλ' ἔνθα τὰ ἅγια ἀπέκειτο, εἰσελθόντες οἱ στρατιῶται. ὧν ἔνιοι καθὼς ἔγνωμεν, ἀμύητοι ἦσαν. πάντα τε ἑώρων τὰ ἔνδον, καὶ τὸ ἁγιώτατον αἷμα τοῦ χριστοῦ, &c. omnia ingressos statim vidisse, etiam sanctissima Sacramenta dicit. Ea ergo in altari nuda apertaque prostabant. Nulla pyxis, nullum clausum tabernaculum eorum, qui locum ingressi erant, oculos à rerum sacrarum aspectu summovebat. Ergo nihil istorum hic asservabatur in crastinum ad infirmorum, quod fingit Bellarminus, viaticum. Quæ sic asservantur, clausa sub sera habentur. Aliud est etiam hodie Latinis *exponi*, aliud *asservari* mysteria. Illa nocte, illo loco patuisse militum oculis docet Chrysostomus. Non ergo asservabantur; non in pyxide latebant, sed in sacra mensa cuivis, qui in sacrario esset, ad aspectum patebant. Itaque quicquid satagat Bellarmini sophistice, constat illud ipsum sacramentum, ex quo argumentatur, nequaquam fuisse eo, quo vult sensu, asservatum, id est in pyxidem vel arculam ad usum infirmorum à sacerdote post peractam ante illum diem in solenni Synaxi communionem immissum ac reconditum. Præterea quorsum sacræ illæ particulæ in mensa sacra Paschali nocte prostabant? An ad communicandos neophytos, postquam baptizati essent? At illa communio non ex præsanctificatis fiebat, sed ex donis ipsa illa hora solennissimo ritu consecratis. Ergo velit nolit Bellarminus, fatendum est illa à militibus visa in sacrario dona, non pridie aut nudius tertius, sed recens ipso illo tempore, quo Ecclesia violata est, consecrata fuisse. Huc accedit, quod ipsius decreta hæc ejus interpretatio apertissime evertit; quæ sistat scilicet, liquido conficit sacramenti utrumque symbolum & servatum olim fuisse, adeoque infirmis, quibus servatum fuisse contenditur, ministratum. Neque enim Chrysostomus unam tantum panis speciem in mensa sacra visam fuisse significat, sed præter panem, etiam vinum Sa-

 crum

eorum ibi extitisse clarius ac disertius affirmat; *Milites* (inquit) *ingressi viderunt omnia, quæ intus erant; & sanctissimus Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum vestes effusus est.* Nostri Latini nequid tale deinceps contingeret pro sua sapientia optime caverunt, qui nullam sacri illius sanguinis gustam non modo asservari ad tempus, sed ne in præsenti quidem ulli ad sacram mensam accedentium propinari patiuntur. Veteres aliter instituisse, ipsisque adeo infirmis communionem sub utraque specie dedisse hic vincet locus, si, quod in vestes militum effusum est vinum sacrum, ad infirmorum viaticum servatum fuisse cum Bellarmino dicamus. Cum ergo ipse alibi aliud doceat, *s* acriterque contendat *communicationem ægrotorum* olim Ambrosij Basilij & Chrysostomi temporibus, *ut plurimum factam fuisse sub una specie*, atque hoc ipsum inter ea argumenta collocarit, quibus probare conatur communionem sub una specie fuisse apud veteres notam & usitatam; profecto nisi hæc sua ipse epichiremata solvere ac evertere velit, tam illius quam nostra interest tueri ac defendere quod verum est, illa scilicet dona sacra, quæ commemorat Chrysostomus, non præsanctificata & moribundis reservata, sed eo ipso tempore in solenni synaxi ibidem consecrata, fidelibusque statim in eadem Ecclesia nisi turbasset militum tumultus, communicaturis parata fuisse.

CAP. VIII.

s Bell. L. 4. de Euch. c. 24. §. Quartus erat, communicatio.

Sed nunc solvenda est Bellarmini ex hoc loco ducta pro reservatione objectio. Ille quæ illo tumultu ex Chrysostomo retulimus, ea negat gesta esse, dum sacra Cœna celebraretur. Quia (inquit) hæc eo tempore contigerunt, quo mulieres se ad baptismum præparabant; Sabbatho autem Paschali, in quem diem illa inciderunt, mysterium Eucharistiæ celebrari non solebat, nisi peracto competentiam baptismo, ut neophyti tunc primum sacro illi interessent, & communicarent. Ego vero hæc, si de neophytorum synaxi intelligantur, omnia facile concedo. Cum enim ut ex narratione apparet, competentes qua hora milites in Ecclesiam irruerunt, in eo adhuc essent, ut se ad sacrum lavacrum accingerent, constat eorum synaxim, ad quam nonnisi rite initiati admittebantur adeo non fuisse tum celebratum, ut ne inchoari quidem potuerit, nisi post aliquot horas. Nam ut competentes rite initiarentur, eas non modo tingi nudos, sed & deinde vestitos confirmari oportebat; quibus demum peractis, ea synaxis inchoabatur. Cum ergo officiorum, quibus initiatio constabat, longa esset series, non poterat nisi satis largo temporis spatio explicari atque peragi; præsertim ubi copiosus erat initiandorum numerus, qualem tum Constantinopoli fuisse ex Palladio discimus, qui in Paschali hujus anni à nato Christo 404 sabbato baptizatos fuisse testatur ad tria millia. Hactenus ergo recte procedit Bellarmini ratiocinatio. Sed eo hallucinatur, quod gratis supponit apud illam Ecclesiam in Paschæ vigilia nullam aliam, quam Neophytorum celebrari potuisse Synaxim. Hoc vero demonstrandum erat non pro confesso sumendum. Ipsa Chrisostomi narratio duo illa clare liquidoque constituit.

Pallad. de vita Chrys. dial. 9.

Cap. IX. stituit, quæ Bellarminus negat posse simul consistere; nempe quo momento milites in Ecclesiam ingressi sunt, & celebratam esse aliquam in sanctuario Synaxin, nec dum tamen celebrari cœptam Competentium Synaxin. Prius jam contra Bellarminum confecimus; alterum ei ultro concessimus. Ergo necesse est priorem illam Synaxin, quæ irrumpente milite in sanctuario peragebatur, non neophytorum, sed fidelium fuisse; alteram, ad quam communicaturi erant neophyti, serius cœptam esse. Illa vespera sabbati post solis occasum (quæ diei hora diserte à Chrisostomo notata est) fiebat; hic nocte, & quidem jam provecta peracta initiatione, celebranda erat. Siquis hic mihi veterem morem objectet, quo ad unum altare, adeoque in vna Ecclesia, unam tantum Eucharistiam, non plures, vno die celebrari solenne erat; facilis est solutio non ita fixam & immutabilem fuisse illius regulæ observationem, ut siqua præter consuetum rerum ordinem necessaria vel probabilis causa occurreret, ulla fuerit ejus prætermittendæ religio. Nota est Augustini de feriæ quintæ Paschalis synaxi sententia, *bis offerendum* in vna eademque Ecclesia illo die censentis, *mane propter prandentes, & ad vesperam propter jejunantes.* Et Leonis diserta extat ab hac regula exceptio; (*cum solennior* (inquit) *festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta fidelium multitudo convenerit, quam recipere basilica simul una non possit, sacrificij oblatio iteretur.* Vtraque causa in illam Paschalem Chrysostomeæ ædis synaxin concurrebat. Nam *festivitas agebatur*, non modo quod ait Leo, *Solennior*, sed *totius anni solennissima*, Pascha scilicet; in cujus noctem præter cæteros fideles, neophytorum insuper *numerosius populus*, communicandus conveniebat. Huc accedebat jejunij illo Sabbato solennissimi magna inter fideles jam ab Alexandrini Dionysij temporibus diversitas, quod alij scilicet maturius, alij serius solvebant. Nihil ergo absurdi fuit bis illa die in eadem æde synaxin fieri, priorem vespere post solis occasum propter eos, qui ad id usque temporis jejunij sui officium extendebant. Prioris nimirum erat sacer ille Dominicæ mensæ apparatus, quem profanus miles vidit in sanctuario, & ille calix, è quo vinum sacrum effusum est. Nihil ad hoc pertinebat neophytorum synaxis, qui illa hora nondum tincti neque chrismati erant, nedum, ut jam ad sacram mensam communicaturi adstarent.

Aug. ep. 118. c. 6.

Leo ep. 18. c. 2.

Dion. Alex. in ep. Canō. apud Zon. p. 879.

CAPUT IX

Solvuntur quatuor reliquæ Bellarmini objectiones; VII. *ex Hieronymo.* VIII. *ex Cyrillo.* IX. *ex Gregorio Romano.* X. *ex quodam Pseudo Clementis decreto.*

a Bell L. 4. de Euch. c. 4. §. Eod. sæc. S. Hier.

b Hier. ep. 4. fol. 18. A.

Bellarminus ex eodem, quinto scilicet seculo, Hieronymum objicit de Exuperio Tolosæ Episcopo ita prædicantem, *b Nihil* (inquit) *illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Audio equidem

equidem de utroque sacramenti symbolo in vimine & in vitro à sanctissimo illo Antistite portato; De pane (ut nunc Latinis mos est) in pyxide asservato, nihil audio; neque satis assequor, quid ista ad *reservationem* faciant Quocumque Exuperius, & ad quoscumque ambas illas Eucharistiæ species sive ipse portarit, sive à Presbyteris, Diaconisve suis portari jusserit ac curarit, eas certe tam facile fuit ex ipsa Domini mensa in media Synaxi, quam ex tabernaculo vel pyxide seorsum extra synaxin accipi. Illud modo inter hæc duo interest, quod Eucharistiam priscis temporibus in ipsa synaxeos actione acceptam, ut ad absentes deferretur, à Iustino, & Luciano Martyre didicimus; ex pyxide diu post synaxin, in qua confecta erat, asservatam depromi jam tum solenne fuisse, ut ad quotvis fideles in supremis deferretur, neque nos usquam invenimus, neque hactenus Latini docent. CAP. IX.

Nihilo magis causam Bellarmini promovet, quod Cyrillus ad Calosyrium scribit, *insanire eos, qui asserunt Eucharistiam, si in alterum diem servetur, vim suam amittere.* Inde fateor, non inepte concluseris fuisse tum Eucharistiam à nonnullis servatam (solenne enim plærisque olim fuisse acceptam in synaxi de manu celebrantis Eucharistiam domum auferre, secum habere, ac servare suo tempore post aliquot dies sumendam, nos adeo non negamus, ut id ipsum postea *d* suo loco confirmaturi simus) De servata ab istis Eucharistia, verba Cyrilli capimus, & vero ita capienda esse ipsa oratio satis clamat. Sed hoc nihil ad Latinorum morem; apud quos sacerdos Eucharistiam nemini fidelium porrectam, peracta jam communione, pyxide includit ac recondit; servatque in tabernaculo, loco publico ac sacro, ad infirmos, siqui communionem in supremis expetant, deferendam; vel certe, si bene omnes valere contigerit, à sacerdote, si diligens in fungendo officio fuerit, consumendam; si negligens, ut fit nonnunquam, alio fato functuram; de quo nihil hic necesse est plura dicere.

c Cyrill. ad Calosyr.

d Infr. c. 17.

Ad eandem illam privatam (ut sic dicam) singulorum fidelium *reservationem* pertinet Benedicti factum, celeberrimi Monachorum Benedictinorum parentis, quod hic Bellarminus ex Gregorio repetit. *e* Ejusdem generis est, quod huic ex eodem auctore subjicit, Maximiani & sociorum exemplum. Nos de utroque infra *f* cum bono Deo suo loco dicemus, in propria de privata reservatione disputatione.

e Bell. ub. supr.

f Inf. c. 17.

Clementis denique testimonium, quod nobis etiam est à Bellarmino, quanquam in alia disputationis parte, objectum *g* huc in ultimum locum consulto distuli, quod ea, ex qua desumptum est, *Clementis*, ut titulus præfert, *ad Iacobum epistola secunda*, liquido supposititia sit jam ante annos octingentos à Paschasio Ratberto, gravissimo apud Latinos teste ad libros apocryphos relegata; *h* uti supra *i* jam à nobis demonstratum est. Qui Clementi epistolam subdidit impostor eo se post Gregorium

g Bell. L. 4. de Euch. c. 5. § Ad secund. nego.

h Pasch. de corp. & sang. Dom c. 20.

i Supr c. 1.

Cap. IX. P. R. I. id est post a. D. 600 vixisse fatetur, quod aliquot ejus sententias à Blondello nostro notatas & usurpaverit, suæque operi inseruerit. Quamquam ne hæc quidem epistola causam adversarij magnopere adjutura fuerit, si vel ejus scriptoris esset, cui aliquid deferri deberet. Quid enim contra eum his disertius dici potest, quæ in epistola leguntur. *Certe tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum NON RESERVENTUR, sed cum timore & tremore Clericorum diligentia consumantur.* Commodum Bellarmine, elegisti judicem, qui hoc ipsum quod tu defendis particulas esse in crastinum reservandas, districte vetat Ille vero ut est invicto contra verum animo, respondet *hunc locum debere intelligi exceptis his partibus, quæ conservandæ erant pro communione infirmorum. Nolebat enim* (inquit) *nimis multum Eucharistiæ conservari.* Sed quis tam proiectam inverecundiam æquo animo ferat? Lex laudata, si quæ remanserint post populi communionem particulæ eas edicit à Clericis consumendas esse; Reservari eas prohibet; *In crastinum* (inquit) *non reserventur.* Quas Bellarminus pro communione infirmorum conservari vult, ea ni fallor, ex sacro post populi communionem remanserant. Ergo & has reservari lex vetat; quas tu adeo falso, frustraque excipis. Siquid auctor legis excipi voluisset, ipse profecto excepisset, Non homini Iesuitæ post tot secula nascituro id negotij reservasset, ut quæ ipse simpliciter & absolute vetat, ea nobis iste cum insigni exceptione intelligenda esse Prætoria auctoritate decerneret. Sed hæc (inquis) epistola manifeste jubet partem Eucharistiæ asservari debuisse. Si ita est mirabor equidem unum eumdemque hominem in uno eodemque opere duo inter se ita pugnantia posuisse, qui vetuit, eas quæ remanserint, Eucharistiæ particulas reservari, imperasse eumdem & quidem eodem loco, has partes, quæ remanserint, reservari. Negabo ejus viri, qui uno eodemque ore calidum flat, & frigidum, quisquis de cætero sit, edictis quemquam teneri. Sed videamus tamen, ut Bellarminus præstet, quod minatur. Verba impostoris recitat paulo ante jubentis *Ecclesiæ ministros reliquias fragmentorum corporis Domini custodire, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ne* (inquit) *cum negligenter agitur, portioni corporis Domini gravis inferatur iniuria.* Atqui ne ex his quidem Dominici Sacramenti reservationem concedit m Chamerius noster. Illud enim *sacrarium*, cujus hic fit mentio, observat non pyxidem fuisse, sed sacrum cubiculum, in quo pallas & vela & alia sacra ministeria reposita ac custodita fuisse statim dicit ipse Pseudo Clemens. Iam in illud sacrarium illatas repositasque fuisse olim oblationes, quæ à fidelibus fiebant & ex quibus tantum panis & vini quantum ad communionem consecrari necesse esset, res est ex priscis scriptoribus nota. Quæ ergo his decerptis, quæ in Eucharistiam erant consecranda, ex illa oblationum massa supererant, ea Chamerius *reliquias fragmentorum corporis Domini* à Pseudo-

l Blondell. de epist. Papar. fictit. p. 69.

l Pseudo-Clem. Ep. 2.

m Cham. Panstr. T. 4. l. 7 de Euch c. 9. § 17. 18 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

à Pseudo-Clemente dici putat. *Reliqua* nimirum erant, postquam inde C a p. X.
detracta fuerant fragmenta in corporis Dominici sacramentum conficienda & consecranda. Has ergo reliquias in sacrario repositas fictitius ille Clemens jubet diligenter custodiri, caverique nequa sit in sacrario, ubi reponuntur, putredo. In illo enim sacrario *poterant* (inquit Chamerius) & *mures, & aranei & tineæ stabulari, tum palla, velaque & candelabra situm contrahere, rubiginemque & putredinem.* Ad eandem sacrarij curam pertinet, quod paulo post idem Clemens jubet *incendio dari pallam, canthara, candelabrum, velum, siqua in sanctuario*, id est in sacrario, *fuerint vetustate consumpta.* Denique mundum ac nitidum vult esse id sacrarium; ne ex putredine & sordibus, siquæ illic sint, labes affricetur Dominici corporis sacramento, quod ex oblationibus eodem loco repositis assumebatur; *ne* (inquit) *cum negligenter agitur* (id est non ea qua decet, cura atque diligentia sacrarium & quæ in eo sunt, administrantur, & custodiuntur) *portioni corporis Domini gravis inferatur injuria*, dum sacra portio, quæ hinc assumitur ad Dominici corporis mysterium; ipsa quoque ex illa loci & rerum quæ in eo sunt, illuvie & immunditia polluatur, adeoque injuria afficiatur. Ex hac Chameriana interpretatione patet nullam ex his Pseudo-Clementinis colligi posse sacramenti reservationem, atque ita inventos abire Bellarmini interrogationem ad eam probandam hic quærentis, *quodnam putredinis periculum timendum fuerit si nihil servaretur*? Brevis responsio est servata fuisse in Sacrario, quæ erant à populo oblata, quæque Sacramenti materia futura erant. Hinc Clementem istum fictitium timuisse, nequa iis labes, nequid vitij accideret; unde ipsa portio, quæ consecranda erat, pollueretur. Sed hæc de Pseudo Clemente id est improbo impostore, plus satis.

CAPUT X.

Demonstratur nullas Eucharistiæ particulas sex primis à Domini natali sæculis fuisse in Ecclesia reservatas. I. Argum. ex Origene. II. ex Optato. III. ex August. IV. ex Scriptore commentarij in Paulum.

HÆ sunt Bellarmini non demonstrationes, sed conjecturæ meræ, & quidem, vt patuit, futiles ac frivolæ, quibus ille frustra conatus est adstruere solennem Latinorum morem asservandi sacri panis ad infirmorum viaticum, apud veteres quarti ac quinti sæculi Christianos notum ac vsitatum fuisse. Nos ex illorum temporum scriptoribus quædam contra ante afferemus, quam hunc disputationis articulum concludamus.

Primo non videtur cum eo more posse cõsistere illa Origenis in Dominicum de Eucharistia præceptum observatio; *n Dominus* (inquit) *panem, quem discipulis dabat, & dicebat eis, Accipite, & manducate, Non distulit, nec servavit in crastinum.* Bellarminus negat *o hoc agere.* Origenem,

n Orig. hom. 5. in Lev. p. 129 imit.
o Bell. L. 4. de Euch. c. 5. §. Sec. loco prof.

Cap. X. *nem, ut probet non posse Eucharistiam conservari.* Quasi quisquam contendat id eum hoc loco agere. Neque enim id agere necesse erat, quod tum scilicet à nemine negabatur, quodque erat in communi totius Ecclesiæ usu, nihil ut ex Eucharistia in aliud tempus sumendum asservaretur. Sed hoc ille tametsi hoc loco nullo argumento demonstret, assumit tamen veluti rem ex Christi institutione notam atque confessam ad id, quod agit, probandum & illustrandum aptam atque idoneam. Quod autem hoc loco probare vult, id ipse paulo ante, satis significaverat. Cum enim recitasset verba legislatoris de oblatione primitiarum, ut essent *nova & recentia*; *Vides* (inquit) *ubique ea quæ ad laudes Dei pertinent (hoc est enim Sacrificium laudis) nova & recentia esse debere.* Hic Origenis est in illo loco scopus; hoc agit. Quorsum cum attulisset quoddam Apostoli præceptum, sic pergit; *Nam & Dominus panem*, & cœtera, quæ recitavimus. Qui sic disputat, vel delirat, neque scit, quid loquatur; vel certe (ut in scholis loquuntur) *Supponit* Eucharistiam nullam accipi, nullam manducari debere, nisi novam ac recentem; nullam dilatam & in crastinum servatam. Hoc enim nisi verum sit, frustra ac inepte adducitur ut probes sacrificium laudis novum ac recens esse debere. Recens non est Eucharistia, quæ aliquot jam dies asservata est; quæ si Origenem audimus, vel in crastinum dilata est. Si hanc Christus ex hoc Sacro non exclusit, ea nihil ad Origenis institutum pertinet. Neque enim quæ Christo placet, etiam non recens oblatio, ea efficit, ut omne laudis sacrificium novum ac recens esse debeat, quod vult Origenes. Unde patet, quam vana sint, quæ Bellarminus de verbis Domini ab Origene huc allatis cavillatur, negans ex iis effici non debuisse unquam postea Eucharistiam conservari. Non enim nunc inter nos quæritur, quæ revera sit illius Dominici præcepti vis atque efficacia; quæritur, quamnam esse putaverit Origenes. Putasse autem ipsa ejus disputatio clamat, hanc esse Christi in illis verbis mentem, ut nulla nisi *recens*, nulla in *crastinum dilata* comedatur Eucharistia. Hoc autem incredibile est ita sensurum fuisse Origenem, si solennis totius Ecclesiæ mos ejus ævo jam fuisset Eucharistias aliquot semper ac perpetuo habere servareque non tantum hesternas, sed etiam plurium dierum in pyxide jacentes. Quod ille Domini verba sic cepit, quod clare ac rotunde hunc suum ea de re sensum publice apud Ecclesiam edere ausus est; id apertissime demonstrat nondum hodiernam Latinorum consuetudinem, vel Bellarminianis in Christi verba glossas Origenico sæculo obtinuisse. At (inquit Bellarminus) etsi non jusserit *Christus Eucharistiam à se consecratam differri in crastinum non potest tamen inde colligi non debuisse usquam postea Eucharistiam conservari.* Ille vero dum sic agit, nos ludit. Neque enim Christus simpliciter *non jussit Eucharistiam differri in crastinum*; sed quod multo majus est jussit Eucharistiam *manducari*; idque diserte recitavit & observavit Origenes. Quod vero nos Christus acceptum manducare jubet id non est simpliciter *non jubere in crastinum* differri; sed exserte districteque vetare, ne

re, ne id serves aut differas in crastinum. Sed satis est quod Origenem hoc sensu, qui planus est & perspicuus, præceptum Domini accepisse ostendimus. CAP. X.

Optatus quarto seculo eoque jam adulto, quo opus scripsit contra Donatistas suum, nondum in Ecclesiæ altaribus, ut nunc fit apud Latinos, servari solitam esse Eucharistiam, eo apertissime testatur *p* quod Donatistarum scelus exaggerans, qui altaria Catholicorum *aut raserant, aut fregerant, aut removerant*; *Quid vos* (inquit) *offenderat Christus, cuius illic per CERTA MOMENTA corpus & sanguis habitabat? Corpus & sanguinem Christi* dicit ex familiari Patrum sermone panem & vinum sacrum, Dominici corporis & sanguinis sacramentum; quod nos Facundus, & ipse domo Afer, docuit. Iam quod *ista per certa momenta illic* (id est in altaribus) *habitasse* dicit; eo diserte negat augustissimum hoc Sacramentum ibi semper & assidue habitare; affirmat eo tantum tempore ibi habitare, quo synaxis fit; id est quo panis & calix mystica prece consecrati à Clero & populo Christiano ex altari sumuntur; extra id tempus; nullum illic esse Christi corpus & sanguinem, id est nullo Dominici corporis & Sanguinis Sacramenta. Atqui semper & assidue illic ista habitassent, si apud veteres Christianos, quod nunc est apud Latinos solenne jam tum fuisset Eucharistiam in ciborio super altari jugiter noctu diuque asservare. Ergo necessario fatendum est nondum Optati temporibus istum morem apud nostros in usu fuisse.

p Opt. l.6.p. 94. ant.med. pag.

Idem ex quodam Augustini loco jam supra, *q* sed ad aliam rem allato, colligitur; in quo ad Ianuarij de quintæ feriæ ante paschalis jejunio & communione quæsita respondens, ait *r ea die bis offerri* (id est Eucharistiam fieri) *mane & vesperi*; *Mane* (inquit) *propter prandentes, quia ieiunia simul & lavacra tolerare nõ possunt ad vesperam vero propter ieiunantes.* At si solenne jam tum erat asservare ex sacra Synaxi particulas nihil necesse erat bis offerri illa die. Quorsum enim; cum jejunantibus distribui ad vesperam particulas ex matutina prandentium synaxi asservatas liceret? Sed alij videlicet erant illius ævi mores; per quos nihil Eucharistiæ distribui solenne erat, nisi recentis, ex ipsa *oblatione*, eo ipso tempore, quo oblata erat. Idcirco ut hora sua id est ad vesperam, communicarent qui jejunabant; necesse fuit eadem illa hora iterum offerre.

q Supr.

r Aug.ep. 118.c.7.

Commentarij in Pauli epistolas scriptor [qui Pelagius revera est, non Hieronymus, inter cujus libros id opus à multis jam sæculis falso censetur] *In Ecclesia* (inquit) *convenientes suas separatim offerebant, & post communionem QVÆCVMQVE eis de sacrificiis superfuissent illic in Ecclesia communem cœnam comedentes pariter consumebant.* Nihil eos asservasse clarum est, qui quæcumque de oblationibus superfuerant, ea ibidem consumpsisse dicuntur.

s Hier.in Paul.1. Cor. 11 T 9.fol. 140. A.

CAPUT XI.

V. contra reservationem argum. ex Hesychio, non Salonitano, quod delirat Perronius, sed Hierosolymitano. Cremata olim. Synaxeos reliquiae. Hesychij locus à Bellarmini glossis vindicatus.

t Hesych. L. 2. in Lev. c. 8. fol 49. extr.
x Perron. de l. Euch. Auc. 27. p. 603. 606.

SEquitur nobilissimus Hesychij in Leviticum locus; qui quoddam Mosaïcae legis praeceptum explanans; t *Hoc* (inquit) *quod reliquum est de carnibus & panibus in igne incendi praecepit. Quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi QUAECUMQUE remanere contigerit inconsumpta.* Haec ille; de quibus antequam dicam, aliquid de auctore praemittendum est. Perronius eum hominem Latinum fuisse vult, u & quidem ipsum illum Salonitanum Episcopum Hesychium ad quem extant aliquot Augustini epistolae. Sed omnes libri repugnant, & scripti, & excusi, qui constanter Hierosolymitanum praeferunt, eumque se ipse fuisse claris argumentis non semel indicat. Huc accedit, quod ille Salomitanus, cui hoc opus Perronius in gratiis nullo jure vindicat, Episcopus fuit; hic noster Presbyterum se ipse esse ait. Praeterea Salonitanum Augustinus se adhuc superstite mortuum esse eo arguit, quod illum *beatae memoriae virum* nuncupat, x cum ejus meminit in opere de Civitate Dei. At hunc nostrum non est obscurum diu post Augustinum vixisse. Sed piget rem ab Albertino nostro luculentissime jam pridem y agere cum consulat, siquis plura de Hesychij patria & Ecclesia velit. Quisquis autem ille noster Hesychius fuerit, omnino vixisse videtur ante Concilium generale quintum, id est ante an. D. 555. Nunc ejus verba expendamus. Illa vero Sole clariora sunt. Neque enim quisquam dubitat, quin de rebus in Eucharistia oblatis loquatur. Iam quaecumque ex iis inconsumpta remanere contigerat, ea *igni tradi* solere dicit. Nihil ergo inquam, asservatum ex iis fuit. Frustra Bellarminus cavillatur z *Hesychium addere non prohiberi asservationem Sacramenti per unum vel duos, vel plures dies sed comburi debere id quod vel per temporis diuturnitatem, vel alia de causa per manducationem consumi nequit.* Ego vero fateor, si haec quae iste ait, adderet Hesychius, colorem aliquem habituram adversarij exceptionem. Sed res plane aliter habet. Postquam enim Hesychius ea, quae recitavimus, scripsit, non illa, quae ei Bellarminus, sane inverecunde affingit, sed haec subjicit; *Non omnino ea, quae una die, vel duabus, aut multis servata sunt (sicut enim apparet, non hoc Legislator praecepit) sed quod reliquum est incendi iubet. Dies autem non commemoravit, ut quaecumque cuiuscumque rei causa emergente, remanserint inconsumpta, sive tempus in causa sit, sive quid aliud fuerit, ignis opus & consumptio fiat.* Iam in his nihil de concessa sacramenti per unum aut plures dies asservatione; nihil de exceptione, quae obtenditur;

x Aug. l. 22. de Civ. c. 5.
y Albert. L. 2. de Euch. in Hesych. c. 1. p. 847.
z Bell. L. 4. de euch. c. 5. §. Tert. loc. profertur.

non

non alia scilicet comburi debere, quam quæ vel per temporis diuturnitatem, vel alia de causa manducari non potuerint; quæ Bellarmini sunt somnia; sua quidem illa, sed tamen somnia. Quod ut clarius elucescat. Hesychianæ in primis orationis mendosa in libris interpunctio emendanda est. Nam in vulgaris, hæc quæ nos proxime recitavimus, cum iis, quæ paulo ante descripseramus, uno veluti spiritu continuata, neque aliter, quam simplici virgula inter se distincta, sic cohærent, ut de re una, eademque sermo in utraque parte esse videatur, in hunc maxime modum; *Quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæcumque remanere contigerit inconsumpta, non omnino ea, quæ una die vel duobus, aut multis servata sunt* &c. Male. Prior pars orationis, quæ in his verbis desinit, *contigerit inconsumpta*, plane perfecta est, neque à sequentibus pendet, à quibus apposita στιγμῇ hoc modo dispescenda est, *ignique tradi quæcumque remanere contigerit inconsumpta. Non omnino ea, quæ una die, vel duabus, aut multis servata sunt (sicut enim apparet, non hoc Legislator hoc præcepit) sed quod reliquum est incendi iubet. Dies autem non commemoravit* &c. ut supra. Hæc enim sic omnino distinguenda ac constituenda esse acute ac fœliciter jamdudum animadvertit a doctissimus noster Chamerius. Rectam ac necessariam esse distinctionem fatebitur quisquis totum locum attente expenderit, in quo Hesychius versatur in hoc explicando Mosis ad Aaronem præcepto; *Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas. Panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro; sicut præcepit mihi Dominus, dicens, Aaron & filij eius comedent eos.* Ibi hoc primum observat, *præcipi carnes cum panibus comedi, ut nos (inquit) intelligeremus illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est sicut corpus Christi, panis vivi, qui de cœlo descendit.* Idemque mysterium dicit Dominum præfigurare voluisse per carnes, quas mane, panes, quos vesperi à corvis ad Heliam delatos esse editio τῶν LXX. tradit. Inde secundo colligit *intus oportere in Ecclesia, id est in loco sancto ad altare coqui & comedi* (Eucharistiæ scilicet) *mysterium; alibi vero nequaquam.* Quo refert quædam Pauli ad Corinthios verba ex iis concludens *illic* (in Ecclesia) *absolute mysticam cœnam debere celebrare.* Tertio ex eo quod *Aaron & filij comedere* jubentur, observat *Christum una* cum sacerdotibus, ejus filiis, in peragendo hoc Eucharistiæ sacro adesse necessario debere, scribens *nullatenus sacrificium Dominicum fieri, nisi Christus rogatus ore sacerdotum ipse venerit, & cœnam sanctificaverit, & initiaverit ea, quæ aguntur.* Quarto denique ad sequentia apud Mosem verba progreditur, hæc nimirum, *Quicquid autem reliquum fuerit de carne & panibus, ignis absumet*, eamq; ad partem duo quædam observat; prius quidem litterale ac sensibile; posterius vero spirituale & mysticum. Prius his verbis exsequitur; *Sed hoc, quod reliquum est de carnibus & panibus in igne incendi præcepit; quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæcumque remanere*

a Cham. Panstr. L.7. de Euch. c. 1. §. 44. T. 4. p.378.d.e.

b Lev. 8, 31.

conti-

Cap. XI. *contigerit inconsumpta.* Si hoc ipsum in Eucharistico pane sensibiliter apud Ecclesiam fiebat, quod in carnibus & panibus Mosaïcis olim apud tabernaculum fieri præcipit Moses (quod diserte affirmat Hesychius) necessario fatendum est, postquam communicantes panis sacri particulas apud Ecclesiam ederant, siquid de pane sacro à vescentibus minime consumptum remaneret, id totum igni traditum fuisse. Sic enim cum carnibus & panibus olim ex Mosaïca lege consecratis actum fuisse, & Scriptura & ex ea Hesychius docet; quicquid scilicet ex iis, postquam ederant sacerdotes superesset id igne absumptum fuisse. Ita absoluta est prior observatio. Continuo sequitur secunda, spiritualis & mystica, ad quam exstruendam cum necesse esset, ut mox intelligemus, igne plane absumi quicquid ex illis carnibus & panibus Mosaïcis superfuerat; hoc quod observationis quasi materia futurum erat, inprimis constituit, his verbis; *Non omnino ea, quæ una die vel duabus, aut multis servata sunt (sicut enim apparet, non hoc Legislator præcepit) sed quod reliquum est incendi jubet.* Quæ verba nonnihil involuta, si eo constituamus ordine, quo ex legitima syntaxi construi debent, clara erunt omnia. Iam cum & cætera à verbo *jubet* pendere, & huic verbo nomen *Legislator* convenire manifestum sit: nemo opinor, dubitabit, quin hæc vera, naturalisque sit ac legitima totius orationis constitutio: *Legislator jubet incendi*, non omnino ea, quæ una die, vel duabus, aut multis servata sunt (hoc enim, sicut apparet, non præcepit) sed quod reliquum est. Hinc autem liquido perspicimus, hoc ad illud superius Mosis præceptum proprie pertinere: quod vel unum legislatoris nomen satis indicat. Itaque de quibus igne absumendis loquitur, ea sunt carnes & panes. Mosaïci, de quibus ille scilicet præcepit. Quid autem ille præcepit igne absumi? *Manifestum est* (inquit) *cum de panibus & carnibus ad utrum diem, ad biduum, vel forte ad plures dies servandis nihil dixisse:* nihil de absumendis quæ ex iis post aliquod hujusmodi tempus superessent. Ille simpliciter quod ex iis reliquum est, absumi igne scilicet, jubet. Tum rationem adducit, cur nulla certi alicujus temporis facta fuerit in hoc præcepto designatio: *Dies autem* (inquit) *non commemoravit, ut quæcunque cujuscumque rei causa emergente, remanserint inconsumpta, sive tempus in causa sit, sive quid aliud fuerit, ignis opus & consumptio fiat.* Hic clare præscribit ideo nullum incendendi ejus quod superfuerit, certum tempus esse constitutum, ut intelligeremus ejus servandi nullam rationem dari, prætexive posse legitimam, & siquid fuerit, quod prohibuerit ne statim consumeretur illud panis ac carnium residuum, quod ex iis quæ sacerdotes ederant, inconsumptum remanserit, quæcumque illa causa ac ratio fuerit, sive quod defuerit tempus, sive quicquid finxeris aliud, nihil eos morari debere, quin ista post sacerdotum epulum inconsumpta, siqua essent, ignis opus & consumptio fierent. Quod enim ait Hesychius *sive tempus in causa fuerit*, id non est ad

temporis

temporis diuturnitatem referendum, quod absurdissime imaginatur Bellarminus; (quo enim amplius temporis supererat ad comedendum spatium, eo largior erat relicta consumendi facultas) sed id de temporis brevitate atque angustia accipiendum est; ut si verbi gratia epulantes sacerdotes opprimeret vespera, crastini diei secundum Hebræos initium; nefas erat ex hoc Mosaico canone ea quæ illo temporis puncto non comesa supererant, diutius differri edenda, sed igni tradi & flammis consumi fas ac necesse erat; quia si aliter factum esset, reliquiæ post epulum Sacerdotale mansissent igne non consumptæ; quod lex vetabat. His ità præstructis ac constitutis, Hesychius observationem alteram mysticam ac spiritualem ex iis ita colligit. *Ergo (inquit) ex hoc, quod agitur sensibiliter, significatio cujusdam intelligibilis rei est, qui incendunt, provenit, ut quando ad sacrificij comestionem deficimus, & comedere illud integre* * *non possumus, mente forsan lassescente sive deficiente, verum ea, quæ videntur corpus oporteat intelligi Domini, in quod Angeli nec oculis possunt prospicere, non relinqui, sed tradi ea igni oportet Spiritus, ut ea comedat, quæ nobis sunt ex infirmitate inesibilia.* Atque hæc quidem ille ita hactenus; ex quibus id in primis falsum esse videmus, quod ait Bellarminus, *addere* scilicet *Hesychium non prohiberi asservationem sacramenti per unum, vel duos, vel plures dies.* Nos vero omnia Hesychij verba descripsimus, in quibus nusquam negat *prohiberi*, quod iste eum negare dicit. Imo id quoque falsum est, quod idem Bellarminus pro vero ut loquuntur, *supponit*; nimirum recta ac proprie de Eucharistiæ sacramento dicta esse illa apud Hesychium, *non omnino ea, quæ una die vel duabus vel multis servata sunt* &c. *incendi jubet.* Hæc enim, ut ostendimus, recta, primo, ac proprie de iis, quæ ex panibus & carnibus Leviticis supererat intellexit. Hesychius, ut ex eo patet, quod ista non *præcipere Legislatorem* (id est Mosem dicit) & mox eundem ait *incendi hæc jubere.* Mosem enim hæc non de *Eucharistia* recta ac proprie, sed *de panibus ac carnibus Aaronicis* scripsisse certum est, eaque ad sacramentum nostrum nonnisi typice atque allegorice extendi posse. Vbinam vero dicit Hesychius. Mosem *non prohibuisse illa ex panibus & carnibus Leviticis residua asservari?* vel quomodo id vere dicere potuit? Moses enim cum jussisset Aaronem & sacerdotes panes illos carnesque comedere ante fores tabernaculi, continuo sic pergit; *Quicquid autem reliquum fuerit de carne & panibus, ignis absumet*; id est absumat; futuro pro imperatiuo ex familiari Hebraismo posito. Quisquam ne eum, qui sic loquitur, *prohibere* negaverit ne illa asserventur in plures dies? Permittuntur-ne asservari, quæ jubentur incendi, & igne absumi? Mirificus homo fuit Bellarminus si hoc ipse revera sic vel sensit, vel se nobis persuasurum putavit. Non est ergo dubitandum, neque Mosis mentem, neque Israëlitarum praxin hanc fuisse, ut illa de pane & carnibus residua in dies plures, vel in vnam etiam diem asservarentur; fuisse, ut post peractum epulum incenderentur. Illud certe ne ipse quidem credo, Bellarminus negaturus erat residua ista, si forte essent in alteram diem servata, nemini neque sacro, ne-

* ita leg. non *integra*, vt habet editus codex.

Cap. XI. que profano homini licuisse comedere, vel in alium omnino usum impendere, quæ legislator scilicet *igne absumi* exserte jubet. Quæ autem sic absumi necesse erat, ad quid quæso servata essent? Quis non vel hinc intelligit statim ea incendi debuisse, ne forte quid ea aliud quam *ignis* (quod lex præcipit) *absumeret*? Itaque ad religionem pertinebat ista quam recentissima atque incorruptissima flammis tradi; adeoque citissime, imò statim post peractum sacerdotale epulum id fieri debuisse; ne servata vel ab hominibus aut profanis aut imprudentibus, vel etiam ab animalibus forte consumerentur, quæ lex *ignem absumere* diserte jubebat. Quod vero subdit Hesychius *de servatis una die* vel *pluribus*, id non ideo facit, ut hoc licuisse significet (diserte enim negat hoc Legislatorem præcepisse) Sed ut ostenderet, si vel hoc, quod Legislatoris hac in parte silentium damnabat, contingeret tamen (ut multa in rebus humanis præter leges accidere solent) ne sic quidem residua illa ab incendio liberata fuisse; sed ignis opus & consumptionem fieri debuisse quæcumque tandem foret caussa illa, ob quam inconsumpta remanserant, sive illa ejusmodi esset, quæ veniam mereretur, sive secus. Sed in iis quæ attexit Bellarminus, fraus etiam manifestior est; *Hesychius* (inquit) *addit comburi debere id, quod vel ob temporis diuturnitatem, vel alia de caussa per manducationem consumi nequit.* Quid dici vel fingi potuit perversius? & vel à Mosis lege, vel ab Hesychii mente ac verbis magis alienum? Moses jubet ignem absumere quicquid de carne & panibus post epulum sacerdotum reliquum fuerit. Vult Bellarminus ista post epulum residua asservari, ac tamdiu à sacerdotibus, & ab aliis comedi, donec tandem ob contractum ex diuturna asservatione vitium, vel alia aliqua de causa nemo amplius ea gustare sustineat; tum demum frugi Legislator concedit, ut ea igni tradantur. Sed neque iste ab Hesychio minus, quam à Mose discrepat. Hesychius edicit, *ut quæcumque remanserint inconsumpta* (post sacerdotale scilicet epulum) cujuscumque rei caussa id factum sit, ea *ignis opus fiant.* Bellarminus *non aliud patitur comburi, quam id quod per manducationem consumi nequit.* Atqui ea de re, nihil apud Mosem, nihil apud Hesychium. Neuter ista, quæ incendi uterque jubet, ad esum inepta esse debere dicit. Uterque ea, si sacerdotali epulo superfuerint, flammis tradit. Qua in parte Bellarminus ab ipsis Hesychij verbis, dum eius sententiam explicare se simulat, apertissime discessit. Hesychius dixerat *quæcumque remanserint inconsumpta* incendi debere. Bellarminus dicit, imo Hesychium dicere mentitur id *comburi debere, quod per manducationem consumi nequit.* Bellarminus in præsenti *quod consumi nequit.* Hesychius in præterito *quæcumque remanserint.* Loquelæ discrimen mentis diversitatem arguit. Hesychio secundum Mosem, ut istæ carnis & panis reliquiæ incendantur, satis est quod consumptæ non fuerint in epulo sacerdotali. Id Bellarmino non est satis. Incendi vetat, nisi vel tamdiu, vel tam male servatæ sint, ut eas nemo homo sit, qui gustare eas possit. Et tamen Bellarminus hanc Hesychij esse sententiam affirmat.

affirmat. Nimirum hoc eum comminisci caussæ studium cogit. Ac vt ille olim *regnandi caussa* jus violandum esse concedebat; ita Bellarminus vincendi caussa verum violare à se suoque officio alienum esse non putavit.

His ita discussis jam patet omnis Bellarminianæ solutionis vanitas. Primo quod ait Hesychium addere non prohiberi asservationem per vnum, vel duos, vel plures dies, id apertissime falsum est; ac duplici quidem nomine. 1. quod quæ respicit Hesychij verba, ea non de Eucharistiæ, sed de Mosaicæ carnis ac panis reliquiis proprie dicta sint; 2. quod ne has quidem panis carnisque reliquias dicit Hesychius in plures dies asservari non esse prohibitum. Tantum negat Legislatorem asservari præcepisse in plures dies. Non fuisse autem in plures dies servatas verba Mosis satis ostendere, quæ eas absumi igne jubent. Secundo id longe falsissimum est, quod Bellarminus indè assumit, Hesychium addere *id comburi debere, quod vel ob temporis diuturnitatem, vel alia de caussa per manducationem absumi nequit.* Non enim dicit Hesychius eas carnium Leviticarum, de quibus loquitur, reliquias comburi ideo debuisse, quod per manducationem consumi nequeant (sunt hæc mera Bellarmini insomnia, de quibus nihil apud Hesychium legitur) Ille vero simpliciter dicit *quæcumque cujuscumque rei caussa emergente remanserint inconsumpta ignis opus & co sumptionem fieri debere.* Sed neque id dicit Hesychius quod illi affingit Bellarminus, ista scilicet *remansisse inconsumpta temporis diuturnitate.* Quin hoc ei non tantum falso, sed etiam vt supra observavimus, absurde affingitur. Quod enim ait ista *remansisse inconsumpta*, eo significat illa non fuisse à Sacerdotibus epulantibus esu sive per manducationem consumpta. Iam vero dictu absurdum est quemquam *diuturnitate temporis* prohibitum fuisse, ne panis quem in manibus habebat aliquid conficeret. Contra quo plus temporis ad esum habuit, eo illi facilius fuit totum panem esu absumere. Itaque quod ait Hesychius, *sive tempus in caussa sit*, quod illa carnium & panis residua remanserint inconsumpta id ad temporis non diuturnitatem, sed angustias potius pertinet; quod vrgente tempore & crastini diei initia vt diximus, incurrente sacerdotibus satis spatij non fuerit ad illa residua ea ipsa die comedere quæ erant Deo oblata. Sed Bellarmino, vt Hesychio istam *temporis diuturnitatem* falso atque inverecunde affingeret, causa fuit, quod Eucharistiæ reliquias sequioribus sæculis si mucescerent, vel aliud vitium diutius servatę contraherent, igne absumi solitas meminisset, quam ad rem statim Burchardum & Ivonem, vndecimi sæculi homines testes, & ex iis Aurelianense nobis nescio quod Concilium citat, de quibus, sed suo mox *c* loco dicendum erit. Hesychij vt ætas, ita & sententia longe diversa est, qui de illis *specierum* vt loquuntur, vitiis ex diuturnitate contractis nullum verbum facit. Simpliciter dicit igni tradi quæcumque (post Eucharistiæ scilicet peractam in synaxi communionem) *remanere contigerit inconsumpta. Quæcumque*, inquit. Ergo omnes omnino quæ remanserant par-

c Infr. c. 15.

Cap. XI. ticulæ comburebantur. Ergo non solæ mucidæ, aut aliter corruptæ. Imò nullas fuisse hujusmodi; fuisse omnes sanas, & illæsas verum est; quæ scilicet eo ipso tempore è Domini mensa tollebantur. Præter ipsa verba, quorum est vis ineluctabilis, idem demonstrat Hesychiana hujus facti cum veteri sacerdotum Leviticorum exemplo comparatio. Exposito enim de his Mosis præcepto; *Quod* (inquit Hesychius) *nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri* (id est non modo mystice & spiritualiter, sed etiam sensibiliter, reapse, & ad litteram) Iam de Mosaicis sacerdotibus, quid ii facerent ex lege manifestum est; idque ipse supra docuerat. *Edebant illi ante fores tabernaculi carnem & panes consecrationis; quicquid autem reliquum erat de carne & panibus, ignis absumebat.* Ergo id ipsum teste Hesychio, *in mysterio panis & carnis* (id est in Eucharistia) *fiebat.* Non fiebat autem si non incenderetur quicquid panis sacri post peractam Synaxin remaneret. Incensum ergo, non ad esum cujusquam servatum fuit, quicquid sacri panis in mensa Dominica supererat. Id ipsum ex iis invicte confirmatur, quæ statim addit Hesychius; *quacumque ex carne & panibus quacumque cujuscumque rei caussa emergente remanserant inconsumpta, ea ignis opus & consumptionem ex præcepto Legislatoris facta esse.* Cum enim idem ex Hesychio de Eucharistiæ reliquiis fieret; fatendum est *quacumque ex ea, quacumque rei caussa emergente, inconsumpta remanserãt, ea pariter ignis opus, & consumptionem facta fuisse.* Nullas ergo ejus particulas ad esum cujusquam fuisse à sacerdotibus post distributam in synaxi, Eucharistiam reservatas planum est. Ac ut pateat, quam sit inanis omnis Bellarmini cavillatio, fingamus tantisper verum esse, quod ille nulla ratione contendit, licuisse aliquas particulas una die, vel duabus, vel pluribus servare; certe ne hoc quidem donato evincet cuiquam aliquam ad esum servare, sacerdoti licitum fuisse. Cum enim, quæcumque de Eucharistia, *quacumque cujuscumque rei de caussa inconsumpta remanserint, ignis opus & consumptionem fieri*, ex Hesychio oportuerit; profecto omnes vident nullam ex istis particulis ad esum cuiquam servari licuisse. Neque enim quod *ignis opus & consumptio fit, edi*, vel ut loquitur Bellarminus, *per manducationem consumi* à quoquam homine potest. Denique idem confirmat altera Hesychii, spiritualis & mystica in eundem morem observatio; quo vult significari, ut quæ in Eucharistiæ mysterio capere non possumus; *ea igni Spiritus comedenda tradamus*, vel ut alibi locum ipse Bellarminus explicat, *ut ea omnipotentia Dei relinquamus.* Iam quæ de hoc mysterio spiritualiter *non comedimus*, id est non capimus, ea ni fallor, omnia mystico Spiritus igni tradenda; nullum eorum, quæ sunt hujusmodi, nobis aut aliis reservandum esse concedent; imo etiam contendent aduersarii. Ergo ut huic veritati sua imago congruat, illud quoque fatendum est, neque ex iis panibus & carnibus, quibus vescebantur Aaron & sacerdotes ante fores tabernaculi, neque ex eo pane, quem fideles accipiunt apud mensam Domini vllam ex Hesychio quidem, partem vel ex convivio olim Levitico,

d Bell. L. 2. de Euch. c. 32. §. Isychius.

tico, vel postea ex Christianorum Synaxi remansisse, quæ non vero & proprie dicto igne absumeretur; adeoque nullam à Christianis ad esum quorumlibet fidelium in supremis versantium fuisse servatam. Conclusum ergo esto nondum sexto sæculo in Ecclesia Hierosolimitana solennem fuisse illum in ciborio apud Ecclesiasticum altare servandæ ad infirmorum viaticum Eucharistiæ morem. CAP. XII.

CAPUT XII.

V I. *Arg. contra reservationem &c. inde ductum, quod Eucharistia celebrata reliquiæ à pueris consumerentur, ex quodam Evagrij loco, qui à Bellarmini fraude vindicatur. VII. arg. ex Matisconensi Synodo 2. Bellarm. & Perronij ad eam somnia discutiuntur.*

IDem quoque confirmat Ecclesiæ Constantinopolitanæ, tametsi diversa, in hoc negotio consuetudo. Evagrius testis est, qui Historiam Ecclesiæ suam pæne ad septimi sæculi initia deduxit; *Mos* (inquit) *vetus obtinet Constantinopoli, ut siquando multæ particulæ puri & immaculati corporis Christi Dei nostri superessent, pueri impuberes, qui scholas frequentabant, accerserentur, easque manducarent.* ἔθος παλαιὸν βούλεται ἀνὰ τὴν βασιλεύουσαν, ὅταν πολύ τι χρῆμα τῶν ἁγίων μερίδων τοῦ ἀχράντου σώματος Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐναπομείνοι, παῖδας ἀφθόρους μεταπέμπτους γίνεσθαι πεὶ τῶν ἐς τοὺς χαμαιδιδασκάλους φοιτώντων, καὶ ταῦτα κατεσθίειν. Nicephorus Callisti hunc morem ad sua tempora Constantinopoli mansisse tradit. f Sed istum mitto, qui in fæce Sæculorum vixit circa a. D. 1300. Evagrij mihi testimonium satis est. Bellarminus respondet g *nullam hic esse difficultatem; Loqui istum scriptorem de reliquiis, quæ superabundant; ideoque non quotidie factam fuisse illam reliquiarum consumptionem; sed solum feria quarta vel sexta; quando videlicet renovabatur sacramentum in pyxide.* Ille vero sua Evagrio affingit; qui de feria quarta, vel sexta nullum verbum facit; multo minus de pyxide, cujus ad illa usque tempora mentionem occurrere nondum demonstratum est; ut ex iis, quæ nuper contra istorum ex Pseudo-Clemente & Gregorio Turonensi futiles conjecturas disputavimus. Fateor non in omni synaxi accersitos pueros; quia tametsi synaxes nondum ad eam communicantium paucitatem essent redactæ, quam hodie apud Latinos videmus, jam tamen passim imminuta erat earum frequentia, ut ex adstantium numero facile esset conjicere quot futuri essent communicantes. Etiam credibile est illo sæculo habitas sæpe synaxes, in quibus soli Clerici communicabant, quorum cum notus esset numerus, non raro accidebat, ut non plures fierent particulæ, quam quot essent communicantium capita. Quod si quando aliter contingeret, neque tamen communicantium numerus multo esset, quam particularum minor; facile erat ex ipsis

e Evagr L. 4. c. 35. (Lat.) 36. (Gr.)

f Niceph. Call. Hist. L. 17. c. 25. T. 2. 772.

g Bell. L 4. de Euch c. 5. §. Quarto profertur.

Cap. XII. sacerdotibus, vel certe Clericis inferiorum ordinum assumere, qui reliqua sacri panis fragmenta consumerent. Siquando ergo multæ sacramenti particulæ peracto sacro superesse deprehendebantur; tum vero pueri, qui eas conficerent, accersebantur. Hic verus est sciptoris sensus, qui accersitos pueros, non *feria quarta vel sexta* dicit, sed cum multæ particulæ Dominici corporis superessent ὅταν πολύ τι χρῆμα τῶν ἁγίων μερίδων Siquando *magna quadam sacrarum particularum copia remaneret.* Non omnes autem ab iis consumptas esse, sed ex residuarum numero selectas fuisse aliquot, quæ in pyxide ad ægrotorum viaticum servarentur, neque dicit Evagrius, neque nos. Bellarmino rem tantam sine vllis illius ævi testibus temere pro animi sui studio narranti credimus.

Latinorum pæne similem fuisse in his morem constat ex Matisconensi Synodo 2. a. D. 585. sub Rege Gunthramno habita, in qua legitur *h* hic Canon; *Quacumque reliquia sacrificiorum post peractam missam in sacrario superséderint, quarta vel sexta feria innocentes ab illo, cujus interest, ad Ecclesiam adducantur, & indicto eis jejunio easdem reliquias conspersas vino percipiant.* Miror, unde Perronio venerit in mentem hunc canonem eo adducere, ut probet quas particulas Hesychius incendi scribit, eas mucidas corruptasque fuisse. Nam neque de incendendis, neque de earum mucedine, vel alio aliquo vitio quicquam habet Canon. Nihil ab iis diversum habet, quæ de Constantinopolitanis ab Euagrio tradita recitavimus: nisi quod pueros jejunio ad edendas particulas præparatos, easque vino conspersas fuisse memorat; item quod feria quarta factam à pueris earumdem consumptionem dicit de quibus nihil apud Græcum legitur. Perronio vero de mucidis contendenti adeo non favet, ut etiam repugnet. Iubent enim Patres *à pueris percipi* sacrificiorum reliquias, non quæ mucescerent, vel alia de caussa corruptæ sumentibus nauseam parerent, sed *QVÆCVMQVE post peractam missam in sacrario superséderint.* Quæso, an nullæ nisi corruptæ superséderant, ne ex eo quidem Missa quæ ipso illo die celebrata fuerat? Multo verius est fuisse omnes sanas, quæ vel eodem scilicet die, vel certe ante triduum fuerant oblatæ. Bellarmino eadem mens, qui canonis sensum sic pervertit, *k* ut dicat in eo statui, *ut feria quarta & sexta advocentur innocentes parvuli, & indicto eis jejunio detur ipsis siquid ex sacramenti particulis consumendum sit.* Itane vero? Atqui canon *quacumque reliquia sacrificiorum post peractam Missam in sacrario superséderint, EASDEM à pueris percipi jubet.* Pueri ergo non *siquid ex Sacramenti particulis consumendum esset, accipiebant; sed quæcumque superséderant,* quicquid ex iis remanserat, consumebant. Post puerorum esum vel consumptionem aliquid in sacrario ex sacramenti particulis remansisse canon quidem negat; Bellarminiana vero glossa affirmat. Ille omnia à pueris consumi; hæc quædam tantum jubet. Ille omnia pueris conficienda, quæ in sacrario supererant; Bellarminus aliquam tantum

h Conc. Matiscon. 2. c. 6. Conc. Gall. T. 1. p. 384.

i Perr. l. 3. de Euch. c. 6. p. 860.

k Bell. l. 4. de Euch. c. 5. §. Quart. profectum.

tantum eorum partem tradit. Ita scilicet Latini Patrum dicta interpretantur, ut eos quoties res sua ita postulat, plane aliud dixisse fingant, quam quod re vera dixerunt. Neque est, quod sibi Bellarminus de quarta sextave feria blandiatur. Ego concedo aliquas ex iis Missis, quæ aliis, præter has feriis, ut Dominica fiebant si quid particularum superfuisset, id ex hoc canone in sacrario ad proximam sive quartam, sive sextam feriam supersedisse, adeoque servatum esse. Sed ad quid servabatur? Non sane ad infirmorum viaticum, de quo nihil hoc loco Patres, sed ad consumptionem, quæ facilius ac minori negotio una harum dierum simul semelque fiebat. Fuisset enim difficile & plærumque incommodum parvulos toties in Ecclesiam adduci jejunos, quoties Eucharistia agebatur. Itaque ut res tota facilius administraretur, Patribus Matisconensibus placuit, ut semel singulis hebdomadibus, certa definitaque die, quarta scilicet vel sexta feria pueri convenirent, & omnes sacrificiorum, quæcumque tota hebdomade facta erant, reliquias consumerent. Hæc ergo particularum reservatio ab ea, quam nunc solennem habent Latini, diversa est. Hac particulæ servantur ad communionem fidelium solennem, ac ut ipsi defendunt, legitimam proprieque dictam: Illa servabantur ad meram particularum consumptionem. Itaque Latini particulas, quas servant, non pueris extra ordinem vocatis, sed solis adultis in supremis versantibus pro viatico tradunt. Veteres, quas in Sacrario habebant, pueris dabant; illi suas non aliis, quam fidelibus erogant; veteres suas haud magno sane delectu, etiam infidelium liberis promiscue una cum fidelium filiis de ludo litterario accersitis tradebant, ut ex Evagrii loco nuper à nobis laudato patet, in quo narrat *l* aliquando sub Menna Patriarcha Constantinopolitano contigisse, ut inter illos pueros, qui ad consumendas Eucharistiæ reliquias erant vocati, esset & viri cujusdam Ebræi, vitrarii filius, qui una cum cæteris de residuis illis particulis esitavit. Huc accedit, quod ex veterum more accidere poterat, imo sæpe accidisse verisimile est, ut sacrarium particulis vacuum esset. Cum enim quæcumque supersederant in sacrario post peractam Missam, sacrificiorum reliquiæ à pueris ex Canone Matisconensi consumerentur, necesse erat Sacrarium, quo die illæ à pueris consumptæ erant, particulis carere. Quid si post sequentis ab hac die feriæ sacrificium, nullæ essent (quod facillime fieri poterat) reliquiæ? Tamdiu mansisse liquet sine particulis sacrarium donec aliqua Missa celebraretur ex qua peracta superessent aliquot particulæ. Id vero est à Latinorum disciplina alienum, ut pyxis hostiis vacua vel uno die maneat.

Ex his patet ne sæculo quidem sexto jam adulto solennem fuisse apud *m* Christianos illum Latinorum hodiernum asservandæ in pyxide Eucharistiæ morem; eoque satis elisa est illa Bellarmini, sane ferox & inverecunda gloriatio, qui scribere non dubitavit *doctrinam &* *consue-*

CAP. XII.

l. Evagr. l. 4. c. 35. al. 36.

m. Bell l. 4. de Euch. c. 5. §. Ad primam partem.

Cap. XIII. *consuetudinem asservandæ eucharistiæ, non à paucis nec pauco tempore servatam esse, sed à Patribus omnium ætatum & ab ipso Niceno Concilio, & ab omni omnino Ecclesia.* Quod de omnium ætatum Patribus jactat, id quam futile sit vel hæc ejus ea de re disputatio ipsa ostendit, in qua ne unum quidem, certum atque idoneum sui hujus moris testem, ex prioribus Christianismi sex sæculis ab eo editum fuisse demonstravimus, sed frivolas duntaxat animi sui allatas conjecturas. Quod vero ab omni omnino Ecclesia servatam jactat suam illam consuetudinem, id inquam, vel una Æthiopum Eclesia abunde refellit, quam ipsi ejus sodales Iesuitæ docent ab omni hoc reseruandæ Eucharistiæ more ita esse alienam, ut nemini fidelium infirmo & in supremis versanti viaticum tradant, vel tradendum putent; ut est à nobis in superiori quæstione *n* demonstratum.

n Supr. c. 3.

CAPUT XIII.

Inducta post sextum sæculum particularum apud Græcos reservatio ad sacra ex præsanctificatis, quæ Zonaras frustra falsóque, à Laodicena Synodo arcessit. Apud Latinos clara disertaque reservationis mentio primum occurrit in tribus quibusdam à Burchardo, homine undecimi sæculi, relatis canonibus, quorum tempus incertum est. Gregorii P. R. 3. & Bedæ nequaquam esse, quæ eorum nomine de reservatione scripta leguntur. Humbertum non videri reseruationi favere; & Bielis ipsius quædam dicta extare non admodum huic disciplinæ consentanea. Ecclesiæ Æthiopicæ, etiam hodie ignotam esse omnem Eucharistiæ reservationem.

Apud Græcos verò & Latinos post sextum sæculum hanc asservandæ Eucharistiæ consuetudinem irrepsisse primo, mox invaluisse, ac tandem longe lateque obtinuisse ultro confitemur. Apud Græcos Trullani Canones a D. 692. conditi Præsanctificatorum liturgiam constituunt, *o* ad quam necesse est Sacra symbola à die Dominica ad sabbatum sequens servari; *In omnibus* (inquiunt illi Patres) *sanctæ quadragesimæ jejunii diebus, præterquam sabbato & Dominica, & sancto Annuntiationis die, fiat sacrum præsanctificatorum ministerium* ἐν πάσαις τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς τῶν νηστειῶν ἡμέραις, παρεκτὸς σαββάτου καὶ Κυριακῆς καὶ τῆς ἁγίας τοῦ εὐαγγελισμοῦ ἡμέρας γινέσθω ἡ τῶν προηγιασμένων ἱερὰ λειτουργία. Supra *p* diximus ea *Præsanctificatorum* sacra Græcos appellare, in quibus nulla symbola in præsenti consecrantur, sed jam ante in alia præcedenti synaxi consecrata, & ex ea reservata offeruntur, distribuuntur & communicantur. Cur vero hujusmodi sacra diebus quadragesimæ, esurialibus agant, hanc Balsamo & Zonaras cæterique Græci rationem edunt;

o Can. Trull. Syn. quinisext. c. 52. T. 5. Concil. p. 338. A

p Supr. L. 5. c. 22. init.

sacri-

q sacrificare, quod est lætitiæ, minime decere diebus jejunialibus, qui moeroris ac tristitiæ sunt. Quasi vero sacrificij epulum, & oblatas particulas sumere Deo gratias agentem moeroris sit & luctus, ac non potius gaudij & exultationis. Sed quid superstitione facias, quæ ubi semel hominum animos invasit, ac sibi sumpsit leges de divinis ferre, levissimo quoque momento ad sua constituenda inventa impellitur? Cæterum novus est hic *præsanctificatorum* apud Græcos foetus, non multo ut videtur, Trullanis istis canonibus antiquior. Ab antiquioribus certe memoratum nusquam invenimus. Quod enim Zonaras scribit r canone 49. Synodi Laodicenæ eadem constitui cum iis, quæ in Canone Trullano de præsanctificatis habentur, id liquido falsum esse ex utriusque canonis inter se collatione; quod etiam à nobis supra est ad Bellarminum observatum paria cum Zonara de hujus disciplinæ antiquitate delirantem. Latini vero id sacrorum Græciæ proprium, genus, merito ut videtur, repudiant, & jam olim Humbertus Cardinalis (quod ibidem quoque diximus) Græcos eo nomine vehementer exagitavit. Vtcumque sit (neque enim id nunc agitur) illud certe constat Græcanicam hanc particularum reservationem haud plane eandem esse cum Latina de qua instituta est nostra hæc disputatio. Græci enim quas die Dominica oblatas ac confectas servant particulas, eas valentibus in Ecclesia deinceps ministrant ac communicant; Suas Latini non aliis se servare profitentur, quam infirmis periculose ægrotantibus.

CAPUT XIII.

q Bulf. & Zon. in c. Trull. c. 52.

r Zon. ibid.

s Supr. L. 5. c. 22.

Apud Latinos eodem pæne tempore occurrit insignis de reservata Eucharistia locus in Synodo Toletana XVI. quam a. D. 693. habitam esse constat. Patres enim Hispani quorundam sacerdotum in hoc parando & curando sacro negligentiam castigantes, postquam præceperunt t *non aliter panem in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandum proponi, nisi integrum & nitidum, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modicam tantum oblatam, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat*; hæc continenter addunt; *cujus* (panis scilicet) *reliquia aut ad conservandum modico loculo absque aliqua injuria facilius conserventur, aut si ad consumendum fuerit necessarium, non ventrem illius, qui sumpserit, gravis farciminis onere premat, nec quod in digestionem vadat, sed animam alimonia spirituali reficiat; ita nempe, ut ab his, qui ea sumpserint, priscorum canonum instituta serventur.* Vel *servari*, vel *consumi* significant residuas ex oblata particulas; ad utrumque modicam esse debere oblatam. Sic enim facilius atque commodius vel servari, vel consumi. Ad servandum, si modicæ sint particulæ, satis futurum esse modicum loculum. Easdem consumentis ventriculum minimo pondere onerare, neque *moleste in digestionem ire*; ut Loaisæ in hunc locum verbis utar Modicum fuisse loculum, quo condebantur, docent; qui qualisque de cætero fuerit hic loculus, non docent: an arcula fuerit, vel turricula; *an aliquod ad angulos, vel columnas templi in locis*

t Conc. Tolet. 16. c. 6. T. 5. Conc. p. 430.

u Garc. Loais. in loc. ibid. p. 436. C.

 abdi-

Cap. XIII. *abditioribus, veluti armariolum*; qualia Marcus Antonius de Dominis,ª Spalatinus Archiepiscopus, se in antiquis templis observasse testatur; at ex his Concilij verbis nondum habemus; ex sequentium seculorum libris discemus.

ª De Domin. L. de Resp. Eccl. 6

Hanc enim ipsam, qua Latini utuntur, *pyxidem* diserte primum apud Burchardum reperio, qui aliquot post a. D. millesimum annis floruit; neque verum Bellarminus hujus instituti auctorem ullum edit isto vetustiorem. Apud hunc vero res clare liquidoque expressa legitur; y *Ut omnis* (inquit) *Presbyter habeat pyxidem, aut vas tanto sacramento dignum, ubi corpus Dominicum diligenter recondatur ad viaticum recedentibus à seculo; quæ tantum sacra oblatio intincta esse debet in sanguine Christi &c. semperque sit super altare obserata propter mures & nefarios homines; & de septimo in septimum diem semper mutetur, id est illa à Presbytero sumatur, & alia, quæ eadem die consecrata est, in locum ejus subrogetur; ne forte diutius reservata mucida, quod absit fiat.* Idem paulo post alium similem canonem exhibet, z quo eadem præcipiuntur, *Ut Presbyter* (inquit) *semper Eucharistiam habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.* Eodem quoque ni fallor, pertinet, qui apud eumdem paulo post sequitur, canon; a *Illud etiam annectendum videtur, ut oblationes, quæ in altari offeruntur, de sabbato in sabbatum semper innoventur; quia panes propositionis, qui super Domini mensam ponebantur, à sabbato in sabbatum semper mutabantur, ne diu servati mucidi fiant, & ut quidam saviunt igne concrementur.* Atque hæc quidem ita refert Burchardus. Nulla dubitatio est, quin duo priores canones de Eucharistiæ reservatione ad viaticum infirmorum capiendi sint; eodemque pertinere *oblationes in altari oblatas*, quæ tertio canone memorantur, satis probabile est. Ex his ergo discimus jam ante Burchardum fuisse morem servandæ ad infirmorum usum Eucharistiæ; eodem pæne modo quæ nunc fit apud Latinos; nisi quod in pyxide hi plures oblatas servant; illi veteres unam tantum, eamque tinctam servabant. Quo vero tempore conditi fuerint hi canones, multis ne, an paucis ante Burchardum annis, non constat. Ille quidem primum horum Concilij Turonensis quartum esse indicat; alterum ex Concilij Vormatiensis canone quinto laudat; tertium ex Aurelianensis Concilij c. 4. Sed in nulla earum Synodorum, quæ his hodie nominibus extant, reperiuntur illi canones. Huc accedit, quod ne hoc quidem certo compertum habemus, an revera aliqua istorum nominum Synodi aliquid horum quæ describit Burchardus, revera decreverint; quod hujus scriptoris & consimilium, fides in hoc genere valde sublesta sit. Hos enim sciunt eruditi nimium quam sæpe canonum titulos mutare veteres recentioribus, recentiores veteribus adscribere, vera, falsa, certa, incerta plane exiguo discrimine habere; omnia denique mirifice conturbare ac commiscere. Quæ omnia efficiunt,

y Burch. L. 5. c. 9.

z Id. ibid. c. 10.

a Id. ibid. c. 12.

efficiunt, ut incertum sit, quo primum tempore præcepta his canonibus Eucharistiæ asservatio apud Latinos obtinere cœperit. Secundus certe canon, qui in Caroli Magni, & Ludovici Pij capitulari extat, ostendit hanc disciplinam jam in usu apud nostros fuisse circa seculi noni initia. Scio in quodam excerpto Gregorij P. R. 3. (qui a. D. 731. ordinatus est, hunc canonem legi, *b Qui negligit sacrificium, ita ut vermes in eo generentur, &c. pœniteat*, idque ipsum pæne totidem verbis extare in libello de remediis peccatorum apud Bedam. *c* Sed de utriusque scripti vero auctore magna est dubitatio. Spelmannus dudum observavit *d* posteriorem libellum Bedæ esse non posse, quod in ipso statim operis limine memoretur *excerptum Domini Agberti Archiepiscopi*. Cum enim iste Agbertus a. D. 735. factus fuerit Archiepiscopus, pallium vero anno demum 745. consecutus fuerit (quod Spelmannus ex scriptoribus Anglis accurate demonstravit) nequaquã fieri potuit, ut ejus *Archiepiscopi* excerptum viderit Beda a. D. 734. mortuus. Nque vero obscurior est prioris libelli Gregorij 3. nomen præferentis impostura. Nam auctor excerptum se collegisse profitetur *ex magnorum Patrum sententiis Isidori, Augustini, Gregorij, Bedæ &c. Cassiani*. Egberti. At Gregorius 3. Bedam cum magnis vetustisque Patribus nequaquam censuisset, cujus ætate quidem propemodum erat æqualis (ei enim non plures quam octo annos in terris superfuit) ne jam dignitatem Gregorij memorem; qui Papa presbyterum antecelluit. Sed neque ille Egbertus, quem Gregorius inter auctores eos nominat, ex quibus se suum opusculum collegisse narrat, alius fuisse videtur, quam ipse ille Agbertus Archiepiscopus, pallium a. D. 745. consecutus; id est eodem anno quo ipso Gregorius ad plures migravit.

Sed neque post inductum apud Latinos servandæ Eucharistiæ usum defuerunt, qui vel ejus absurditatem notarent, vel novitatem proderent. Humberti Cardinalis contra Græcos disputantis voces ac rationes supra exhibuimus, quibus reservationem plane evertit. Neque Bellarmini solutio satisfacit cavillantis *f Humbertum non reprehendere sacramenti asservationem, sed quod Græci sacrificium Missæ ex illis præsanctificatis celebrarent. Sacrificium enim vere fieri nequit, nisi panis consecretur & consumatur*. Hæc ille. Sed primo Humbertus nihil tale de sacrificio dicit. Si solius sacrificij haberet hoc loco rationem, Missam eam imperfectam esse falso & contra Latinorum dogma non diceret, quæ fit sine distributione. Atqui ille hoc non semel in hac disputatione pronunciat, atque repetit; *Quodlibet horum trium* (inquit) *si sine reliquis fiat, scilicet benedictio sine distributione, aut fractio sine benedictione & distributione, perfectam Christi memoriam non repræsentant*. Asservationem vero sacramenti apertissime reprehendit, aut negat *à se suisve partem aliquam reservari ex oblatione*, cum in allato cœnæ Apostolicæ exemplo id nominatim observat, quod non legantur Sancti Apostoli quicquam *ex primo mysterio reservasse, vel in sua post Christi ascensionem Eucharistia tale quid egisse*.

CAP. XIII.

b Greg. 3. in excerpt. c. 28. T. 5. Conc. p. 471. F.

c Bed. de remed. peccat. T. p.

d Spelman. in Conc. Brit. p. 288.

e Supr. L. 5. c. 22.

f Bell. L. 4. de Euch. §. Quinto profertur.

Cap. XIII. *egisse aut praecepisse.* Quorsum haec quaeso, si asservationem laudat? Plane inepta est tota haec ejus argumentatio, nisi & Apostolorum in hoc negotio sequendum exemplum statuat, neque id in hoc mysterio audendum quod nullae Scripturae ab Apostolis factum testantur.

Sed & de novitate asservationis particularum sacrarum testem habemus Vdalricum, qui antiquiores consuetudines Cluniacensis Monasterij perscripsit circa Humberti Cardinalis tempora, an. D. 1070. ut censet Dacherius, qui id volumen edidit. Autor ille in Parasceves sacro describendo haec habet; *Aliquando* (inquit) *erat illa diligentia, ut postquam omnes communicaverant, quicquid residuum erat, ab eisdem Presbyteris, qui apportaverant cum magna reverentia & cautela SUMERETUR, & nihil omnino in crastinum remansit.* Neque id ita factitum in una Parasceves synaxi, sed etiam in caeteris satis innuunt, quae sequuntur, cum mutatum morem monet, *Tam hoc die* (inquit) *quam in alio, si quid communicantibus supererit reservatur.* Antitheseos ratio poscit, ut *aliquando*, ante inductum illum asservandarum reliquiarum morem, tam illo Parasceves die, quam in alio, siquid communicantibus superesset, id non servaretur, sed à Clericis consumeretur. Veterem scilicet sacramenti residua consumendi morem significat diu etiam post promulgatas contrarias leges, in Benedictinis monasteriis haesisse; paulatim postea recentiori cessisse.

g Vdalr. Consuet. ant. Monast. Clun. c. 11. T. 4 Spicil. Dach. p. 58.

Denique ne sic quidem vetus mos ex omni plane Ecclesia exterminatus est, ut non ad hodiernum diem apud Abassinos, sive Aethiopas integer atque illaesus manserit; apud *quos Eucharistia sacramentum non servatur h in templis, neque aegroti corpus Dominicum accipiunt; neque id cuiquam extra templum datur ac ne ipsi quidem vel Patriarcha vel* totius gentis Monarchae; ut Zagam Zabum supra i ea de re consentiente Godigno, & aliis ejus collegis de Iesu (ut vulgo loquuntur) societate, affirmatissime testantem audivimus.

h Zag zab. de morib. Aethiop. à Goes publicatus. p. 506
i Supr. c. 3. extr.

Postremo ne Bellarmini quidem ira atque indignatio me terrebit, quo minus hic adscribam quaedam Gabrielis Bielis inter Theologos Scholasticos nobilissimi voces adscribam, prisco usui apertissime faventes. Sic ergo ille de Domino loquens; *Postquam* (inquit) *corpus suum consecrabit, non sistebat in consecratione. Neque dedit discipulis, ut honorifice servarent* (quod Latini nunc faciunt) sed dedit in sui usum, dicens accipite & manducate. Tum; *Manducatio & potio hujus* (inquit) *sacramenti est usus* Et statim ea *addit, qua recitavimus Hinc & volens discipulos suos Christus fructus hujus sacramenti participes fieri, postquam corpus suum consecravit* &c. Qui verborum nexus docet fructum hujus sacramenti non aliter posse percipi, nisi quod jubet Dominus, panem sacrum comederimus. Pergit. Gabriel. *Quoniam* (inquit) *per usum manducatio transit & consumitur, dedit eis, quoties vellent consecrandi potestatem dum addit, Hoc facite in meam commemorationem; ut ita nunquam fructu usum sacramenti consequente privaremur propter sacramenti carentiam*

k Biel in Can Miss. Lect 36. fol. 61. init.

ventiam & defectum. Sed & ita rem concludit; *Ex his satis patet, quod consecratio ad usum, qui est eius* (sacramenti) *manducatio, tanquam ad finem quodammodo proximum ordinatur, quod Christus postquam accepit panem, benedixit, dedit discipulis suis, ut manducarent.* Recte sane ac valide. Atqui si statim ut consecratæ sunt species adorari debent, si adoratæ in pyxidem recondi, reconditæ in ea aliquandiu servari ac coli, antequam comedantur, consecrationis non proximus, sed remotus erit finis rei consecratæ usus ac manducatio; proximus vero finis erit sacramenti adoratio, & asservatio & cultus. Ad hæc referenda sunt & ex his intelligenda, quæ ne usui Latinorum repugnare videretur, paulo ante dixerat, *sacramentum non tantum prodesse in pyxide conservatum, sicut oblatum & sumptum in vera fide & devotione.* l Ejusdem quoque sensus sunt quæ dixerat, m *Remissio peccatorum* (inquit) *plus fit per usum huius sacramenti, quam per ipsum esse.* Vult nimirum, sicut eucharistiam consecrari & ita per se manere ad remissionem peccatorum non est satis, nisi eam vera fide & devotione sumpseris; (id est nisi eam manduces) ita neque satis esse eam in pyxide servari, nisi eam vera fide & devotione sumas. Horum illa gemina sunt, quæ paulo ante scripserat; *Christus hoc* (inquit) *sacramentum instituit ut esset memoriale signum passionis suæ, & ut esset remedium contra peccata quotidiana animæ. Hæc autem conveniunt huic sacramento plus per sui usum, quam conveniant ei secundum se. Hinc dicit Apostolus* 1. *Cor.* 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis. Non dicit conficitis, sed sumitis.* Atque ex his æstimari potest, quam iniqua, quamque à ratione aliena sit omnis illa Bellarmini in Chemnitium commotio, quem indignatur ex his Bielis quædam Latinis in hac causa objecisse, clamitans *hoc esse impudenter tractare scripta Catholicorum auctorum, & velle per fas & nefas hæreticos facere eos, qui semper hæreticis fortissime restiterunt.* &c. Sed ille quidem adversarij odio excæcatus fuit. Quis enim unquam adeo desipuit, ut veritatis adversarios *impudenter tractari* putaverit: siquid ex eorum scriptis paulo commodius dictum usurpaverit? Nullius ne hominis testimonio mihi in causa mea uti licebit, nisi cujus omnes de rebus divinis atque humanis sententias probem? Nefas erit ullas adversarij in rem meam sententias, siquæ mihi utiles illi vel meditato vel imprudenti exciderunt, transcribere? Atqui nulla sunt utiliora, quam ipsorum adversariorum testimonia: quæ scilicet palam est non amorem aut in nos studium, sed ipsam veritatis vim ab invitis extorsisse. Tertullianus Paganis suas voces reponit divinæ unitatis ac veritatis testes. Paulus ipse iisdem vernaculos ipsorum Betas objicit, ex quibus etiam aliquot versiculos recitat. Tunc ideo vel P. Tertullianum vel Paulum Paganos *impudenter tractare* criminaberis? & *per fas & nefas velle eos facere Christianos* qui Christianos vel impotentissime oderant

CAP. XIII.

l Id. ibid. fol. 60. extr.
m ibid.

n Id. ibid. ad verba *Dedit discipulis.*
o Bell. L. 4. de Euch c. 5.
§ Sexto profertur Gabr.

Capvt XIV. ac persequebantur, vel certe plane penitusque Apage ineptias. Atqui eadem est Clementij cum Biele ratio; quem, quod quædam ejus verba in rem nostram Chemnitius adduxerit, eo puto nullus negauit Latinæ scholæ pugillem & quidem acerrimum fuisse. Quod vero docet Bellarminus duplicem apud suos esse *Ecclesiasticæ fructum*; unum primarium qui ex ejus esu percipitur; alios esse secundarios, qui ex ejusdem asseruatione habentur; ad id ego breviter respondeo, hunc quidem, quem ille *primarium vocat*, Sacramenti hujus fructum, qui ex ejus manducatione habetur, à Christo in Evangelio commendari, & ab omni antiqua & recenti Ecclesia celebrari; illos veros alios, quos iste ex asservata in pyxide Eucharistia percipi fingit, nusquam vel in Canonicis, vel in Ecclesiasticis trium priorum Christianismi sæculorum monumentis extare. Illum quidem Gabrielis verba diserte ponere, & ex Christi præcepto *manifeste* (quod ait Bellarminus) *colligere*; Hos vero Bellarmini secundario ex pyxide fructus, ita parce, maligneque tãgere, ut eos Gabriel non tam augere quam imminuere, multoque potius evertere quam constituere voluisse videatur; ea gratia factum esse, ut Chemnitius præclaras ejus re eade voces, ex hoc ipso onere veluti flores ex denso alioqui multiplició errorum spineto legere & huic disputationi inspergere operæ pretium putarit. Sed hæc de Eucharistiæ ad infirmorum viaticum asservatione dicta satis sunto. Nunc ad cætera pergamus.

CAPVT XIV.

Reservatas post sextum, septimumve sæculum particulas ad morientium duntaxat viaticum. Novum esse, quod nunc à Latinis hostiæ ad longe alios fines asservantur, ad pompam, & adorationem, & alia. Ingens hac in parte recentiorum à veteribus discrimen. Reservationis, quæ nunc fit, proximum ac præcipuum finem esse hostiæ adorationem.

SVperest tertium de Eucharistiæ asservatione caput; in quo apparet Latinos non modo à vetustioris ad sextum sæculum Ecclesiæ nullas particulas in altari asservantis, sed etiam à proxime sequentis more discessisse, quæ particulas quidem aliquas reservasse agnoscitur, non tamen ad eosdem cum hodiernis fines atque usus, neque eadem ratione, eodemve modo. Nam quibus temporibus Eucharistia cœpit asservari, patet non ad aliud asservatam fuisse, quam ad infirmorum viaticum. Canon Concilij Turonensis apud Burchardum quartus; *Vt omnis Presbyter habeat pyxidem, aut vas tanto sacramento dignum, ubi corpus Dominicum diligenter recondatur ad VIATICVM recedentibus à sæculo.* Sic etiam qui paulò post apud eundem sequitur Vormatiensis Synodi canon,

p Burchard. L 5.c.9

q Vt

q Vt presbyter semper Eucharistiam habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet. Neque quisquam istius memoriæ reservatam ad alium quam ad hunc usum Eucharistiam fuisse tradit. Nunc vero manifestum est etiam ad alios fines reservari. Quinimo negat *r* Marcus Ant. de Dominis, Spalatensis Episcopus, necesse esse Eucharistiam hodie asseruari, si nullus ejus sit alius usus ac finis, præter privatam infirmorum vel etiam aliorum communionem; *Quæ nobis nunc* (inquit) *necessitas talis asseruationis pro agrotis, sive adventis, si quotidie innumerabiles Missæ celebrantur, quibus possit communio quæcunque privata exhiberi?* Ac merito quidem ita judicare videtur. Nam ex tam multis Missis, quæ ubique gentium quotidie apud Latinos celebrantur, sacerdos de infirmi voluntate ac necessitate admonitus posset nullo negotio particulam, dum missam peragit, ad eum pro viatico deferendam ex patena, æque ac ex pyxide accipere. Huc etiam accedit, quod licet non paucis canonibus vetitum sit alibi, quam in locis consecratis, vel certe benedictis, sacra facere, hodie tamen vulgo *missificent* etiam in locis non benedictis, non modo propter necessitatem, sed etiam extra eam, modo cum privilegio, vel cum Papæ aut Episcopi licentia, imo etiam absque ea; tanta libertate, ut ubi nullus sit contemptus, nullumque scandalum vix arbitretur Sotus *s* *posse contingere* peccatum mortale. Idem refert *t* *Prædicatoribus & Minoribus indultum esse, ut cum altari portatili possint etiam sine licentia Episcopi extra Ecclesiam celebrare*; eoque ex jure canonico laudat *In his* de privilegiis. Addit etiam modo per Pontificum *diplomata, ratione cruciatæ, quibusvis concessum esse, ut intra lares proprios Missas possint facere celebrari.* Idque Sotus, tametsi in his paulo severior, probat tamen, *quoties aliqua necessitas incumbit*; concessiones istas à simili inde confirmans, quod Concilium Agathense, *Siquis oratorium in agro habere voluerit, ei justa ordinatione permittit, ut ibi, exceptis maioribus. Missas audiat propter fatigationem familiæ.* Iam quod Papa Prædicatoribus & Minoribus, id est Monachis, per se & ab origine sua, ab omni Ecclesiastico munere alienis, indulget, *ut ubicunque fuerint cum altari valeant viatico celebrare, etiam absque Prælatorum assensu*; id multo justius legitimis atque ordinariis Ecclesiarum Præpositis ac Curatoribus concedi debet, ut saltem in infirmorum necessitate liceat sacra in eorum ædibus cum altari viatico facere. Item; Quod modo quibusvis ratione cruciatæ permittitur, *ut intra lares proprios Missas possint facere celebrari*; id ipsum infirmis ratione viatici eo magis liberum esse decet, quod ea, in qua isti versantur, necessitate maior nulla pæne alia apud Latinos habeatur. Nihil ergo necesse fuit sacras particulas apud eos asservari propter eam, quam illi falso obtendunt, infirmorum communionem, quibus scilicet absque ea Papa de viatico prospicere facillime potuit, id Christi presbyteris in infirmorum duntaxat causa concedendo, quod suis Monachis multo leviori minusque necessaria, ne dicam nulla de causa indulsit. Imo haud dubie

CAP. XIV.
q Ibid. c. 10.
r de Domin. L. 5. de Rep. Eccl. c. 6. §. 257.
s Sot. in 4. d. 13. q. 2. art. 3 p. 331. col. 1.
t Id. ibid.
u de consecr. d. c. 35. Siquis etiam
x Decret. Greg. L. 5. 4. 33. c. 30. In his, quæ

Caput XIV. hauddubie, nisi quid aliud obstaret, fecisset jam pridem, ad ea pericula scandala atque incommoda vitanda quæ sæpe alias acciderunt, ac ne imposterum quidem satis caveri possunt, dum hostia in pyxide jacet; dumq; ad infirmum defertur. Nihil tamen hactenus simile ab ullo Papa tentatum audivimus his sexcentis retro annis, tametsi multa sane contigerint quæ murium, & aranearum injurias, & subitam tempestatum vim, & varios hominum sacra per vicos publice gestantium casus præcavere satis clare monebant. Necesse est ergo à Latinis aliquid aliud, & quidem illa infirmorum communione majus graviusque in hac Eucharistiæ asservatione fuisse quæsitum. Imo vix in ea verisimile est ullam habitam esse supremæ illius communionis rationem; cum absque asservatione facillime, ut ostendimus, infirmorum solatio ac saluti consulere liceret; atque ita hostiam ab omni eorum incommodorum periculo liberare, quibus asservata & procul ad ægrotos delata objicitur. Ex his patet Kemnitium hac de re à Bellarmino satis inique fuisse reprehensum; *Falsum est etiam* (inquit) y *quod Kemnitius dicit apud nos non servari Eucharistiam ad manducationem, sed ad alios fines alienos ab institutione. Nam ut supra diximus, primarius finis servandi Eucharistiam semper fuit & est manducatio. Servatur enim potissimum ob viaticum infirmorum.* Hæc ille. Respondeo hujus moris cum primum in Ecclesiam irreperet, & proxime secutis dehinc temporibus finem re vera hunc fuisse præcipuum, imo unicum. Nullum certe alium apud veteres memoratum reperio. Sed neque negaverim hunc quoque ipsum Latinos suæ reservationis finem esse plerumque profiteri; neque Kemnitium, virum, quod ejus monumenta litteraria testantur, doctissimum id nescivisse putaverim. Quid ergo est, quod hoc ipsum negat? Hæc sunt ejus recitata à Bellarmino verba; z *Dicit* (inquis: Kemnitius scilicet) *veteres, qui Eucharistiam asservabant, sine superstitione id fecisse, quia asservabant, ut manducaretur; nunc à Catholicis asservari superstitiose quia non ad manducationem sed ad pompam & gestationem, & adorationem, & alios ejusmodi fines alienos à Christi institutione asservatur.* Hæc ille. Iam non est is orationis Kemnitianæ sensus ut velit nihil ex iis particulis comedi, quæ apud Latinos asservantur. Ne ipse quidem credo. Bellarminus Kemnitium tam infantem fuisse dixerit, ut ei hic tam absurdus sensus tamque ab iis alienus, quæ quotidie apud istos fieri etiam pueri vident; in mentem venire potuerit; Ergo hoc reiecto sensu, planum est Kemnitium totis verbis comparate esse locutum, ac significare voluisse Eucharistiam, non ad solam manducationem, ut olim à Patribus servabatur, ita nunc à Latinis asservari, sed insuper ad pompam, adorationem, gestationem & alia. Ita enim loqui vulgo sæpe solemus, ut ea absolute in speciem negemus, quæ comparate tantum negata intelligi volumus; Vel certe Kemnitius non rem ipsam apud Latinos solennem reservationem scilicet respexit; sed eorum, qui post sancitum transsubstantiationis dogma, priscum morem retinuerunt, significans id eos proprie cepisse consilij non propter manducationem ad quam

y Bell L. 4. de Euch. c. 5. § Falsum est

z Bell. ibid. §. Altera responsio

adquam reservatio necessaria nequaquam fuit, sed ob alia quædam, quæ commemorat. Atq; hunc ipsum Kem. sensum Antonius de Dominis diu postea sic clarius expressit; *Non ad necessitatem* (inquit) *privatarum illarum communionum apud nos asservatur* (Eucharistia scilicet) *sed ad solam adorationem.* Bellarminus ergo Kemnitium vel non intellexit, vel si intellexit, calumniatus est, sensum ei affingens à sua mente alienum. Quod vero ipse affirmat *primarium finem asservandi Eucharistiam esse manducationem* (sic nimirum, ut apud veteres fuit) id quam falso dixerit, satis ex iis quæ attigimus, patet. Nam si vel nihil aliud quam infirmorum, salutem, vel hanc certe primario ac præcipue in animo habuissent, nihil huc eos venire necesse fuit, ut suam hostiam iis periculis ac scandalis objicerent, quæ ex illa reservatione ut plurimum accidere solent. Cum verò à Latinorum hominum prudentia abhorreat rem periculi & invidiæ plenam absque ulla necessaria vel idonea causa vel inducere, vel inductam ab aliis fovere; profecto non est credibile eos Eucharisticam asservandam ideo vel vnicè vel præcipue putasse, quo infirmis de seculo recessuris viaticum exhiberetur; Verius est aliquid aliud scitis & rebus suis commodius cogitasse, & eo primum impulsos esse, ut hostiam in templis & altaribus asservandam esse statuerent; illud quoque secundo decrevisse, ut inde viaticum fidelibus in supremis versantibus assumeretur; hoc enim ipso fucum se hominibus facturos, quasi hac in parte cum veteribus plane consentiant, quibus à septimo seculo & aliis ad duodecimum id fuisse moris sciebant, ut particulas ad infirmorum viaticum asservarent. Non ergo hanc Eucharistiæ reservationem Latini duodecimi ac decimitertij seculi, quam apud majores jam à longo tempore fuisse reperiebant, ob eandem illam infirmorum communionem retinuerunt, ob quam hactenus eam in usu fuisse videbant. Si nihil aliud fuisset, non dubito, quin eam, ut alia non pauca, abrogaturi atque antiquaturi fuerint; veluti rem novo suo de Eucharistiæ divinitate dogmati parum consentaneam; quæ scilicet creditum ab illis Numen in quædam discrimina tanta majestate indigna abjiceret. Sed cum altera ex parte considerarint, quam utile futurum esset, quam decorum & salutare, nuperique sui dogmatis rationibus consentaneum, quod Numen esse decreverant, id in templis atque altaribus suis præsentissimum habitare, & in sacra illa sede delatos à fidelibus honores ac cultus excipere, hac velut injecta necessitate victi, servandam more prisco in altaribus, tametsi diverso consilio Eucharistiam censuerunt. Ita in omnium animis quotidiano illo cultu facile constitutum, auctumque iri, novum alioqui ac creditu difficile de hostiæ suæ divinitate dogma. Hoc Kemnitius; hoc Marcus Antonius breviter significarunt; cum ea scriberent, quæ nos recitavimus. Bellarminus his non plane penitusque repugnat; Tantum vult *manducationem finem & quidem primarium*, *servandi Eucharistiam*, qui fuit olim apud veteres, nunc esse etiam apud suos; in quo quantopere eum ratio fugerit, satis ni fallor, demonstravimus. Iam de altera parte.

CAP. XIV.

a de Dom. L. 5. de rep. Christ. c. 6. §. 257.

Cap.XIV. quid dicit? de ea scilicet, quæ affirmat Eucharistiam ad pompam & adorationem asservari? Negat ne? Non est ausus rem in omnium oculis positam negare. Ergo-ne assentitur? Ne hoc quidem fecit. Tantum ut ex difficili loco astu elaberetur, cum dixisset Eucharistiam *servari potissimum ob viaticum infirmorum* continuo hæc addit, *Interim autem* (inquit) *dum non consumitur, nihil prohibet sumere ex ea alias utilitates. ut Patres fecerunt.* Viden' sophisticæ artem? Quærebatur *de pompa, de gestatione, de adoratione Eucharistiæ* Kemnitius hanc ad illas a Latinis servari dixerat; à veteribus servatam ad hæc negabat. Bellarminus hic plane versipellis hæc uno saltu transilit, quæque diserte erant ab adversario posita, ea ipse neque ait, neque negat, sed demissis manibus ex scommate furtim se proripiens, inter fugiendum clamitat, *nihil prohibere dum Eucharistia non consumitur, alias sumere ex ea utilitates, ut Patres fecerunt.* Primo de *utilitatibus*, nihil nunc quidem quærebatur. Quærebatur *an ad pompam, an ad gestationem, an ad adorationem.* Eucharistia olim publico solennique totius Ecclesiæ more atque instituto asservaretur, ut nunc fit apud Latinos. Esto. Asservata fuerit ad communionem infirmorum; & fatemur id factum post sextum seculum. Fuerit hic olim primarius reservationis usus & finis, ut nunc esse vult Bellarminus Quæritur an pompa, an gestatio, an adoratio reservationis apud veteres, olim finis atque usus fuerit saltem secundarius. Quid ad hæc Bellarminus? Nihil. Nobis ille de *utilitatibus* otiose philosophatur; quas extra institutum à Domino usum ac finem, quomodocumque ex Eucharistia percipi posse putat, quasque negat quicquam prohibere, quominus eas si forte ex illa percipiamus, dum nondum consumpta servatur. Si respondeat se *utilitatum* nomine etiam pompas & gestationem & cætera hujus generis complecti; quin ergo recta & incunctanter affirmavit Latinos has etiam *utilitates* ex servata Eucharistia quæsivisse? Cur ambiguo & generali *utilitatum* nomine nos ludit? cum se sciret de istis in specie a Kemnitio memoratis esse pulsatum, non in genere de omnibus? Quanquam non putem apud veteres ad quicquam aliud, præter esum, servatam fuisse Eucharistiam, publico inquam Ecclesiæ more ac instituto. Siquid Satyrus, & Gorgonia & alij inde utilitatis perceperint (de quo postea videbimus) id privatorum hominum consilium, & factum fuit. Hic de publicis solennibusque totius Ecclesiæ institutis atque actibus quærimus

CAPUT

CAPUT XV.

Pompa & adorationes, ad quas Latini suas hostias asservant. 1. ipse locus, in quo hostia asservatur, & loci ornatus, & lucernæ coram ea ardentes. 2. Eius sic collocatæ cultus, etiam extra synaxeos tempora. 3. Eius in Ordinatione, in chrismatis confectione, in baptismo, in pœnitentiæ sacro, in rebus difficilibus usus ac cultus. 4. Templi ex ea sanctificatio. 5. Eius ad res prosperas adversasve expositio. 6. Pompa cum evehitur ad infirmos. 7. Festum eius. 8. Circumgestatio ex die. 9. etiam aliis diebus. 10. Ea Papæ antefertur ad præsidium & custodiam. Ad ista Eucharistiam apud Latinos præcipue asservari.

NOs vero missis Bellarmini cavillationibus, rem ipsam, quæ agitur, videamus, an Eucharistia ad pompam olim servata sit, ut nunc servatur à Latinis. Ad pompam autem pertinet ipso primo sedes, in qua asservanda collocatur. Nunc ergo, ut observat *b* Spalatensis, ac ut omnes vident, *in præcipuo ac maxime patenti totius Ecclesiæ altari tabernacula, quæ vocant, eriguntur, & pretiosissimo opere, ornatuque fiunt conspicua.* Sed præter usum Latinorum communem, ex quo hæc de iis vere dicta esse scimus, extat in authenticis eorum libris disertissima lex, quæ Barochum jubet *c* cum hoc ornatu Eucharistiam asservare; *Curare porro debet* (inquit) *ut perpetuo aliquot particulæ consecratæ eo numero, qui usui infirmorum & aliorum fidelium communioni satis esse possit, conserventur in pyxide ex solida decentique materia, eaque munda, & suo operculo bene clausa, albo velo cooperta, & quantum res feret, ornato in tabernaculo clave obserato. Hoc autem tabernaculum conopæo decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum, in altari maiori, vel in alio, quod venerationi & cultui tanti sacramenti commodius ac decentius esse videatur sit collocatum.* Estius, nobilis scholæ Latinæ Theologus, hujus asservationis typum olim fuisse vult *d* manna illud, quod Domini jussu *in vasculo repositum custodiebatur in arca in futuras generationes.* Nimirum ut arca in tabernaculo ad dignitatem, tanquam pretiosissimum divinæ præsentiæ ac majestatis pignus asservabatur; ita quoque nunc sacramentum in tabernaculo Iudaïcæ magnificentiæ æmulo custoditur. Ac ut in arca manna inerat cœlestis Angelorum cibus; ita sacramento Christi caro, æternitatis pabulum, divina animarum esca, continetur. Deinde ut manna, tametsi edulium per se esset, non tamen istic ad manducationem servabatur, *e* sed ad significandam & ad posteros propagandam Dei in Israëlem benignitatem atque indulgentiam; ita quoque, si bene posita est ab Estio hæc inter utrumque cibum ratio, necesse est divinum illum panem, qui nunc à Latinis in tabernaculo cõditus servatur, non

b de Domin. de Reb. Eccles. L. 5. c. 6. §. 257.

c Rit. Rom. Tit. de Euch. p. 73. 74.

d Est. in 4. d. 10. §. 11.

e Exod. 16. 33. 34. 35.

Cap. XV. non ad esum, quanquam alioqui esui esse possit, sed ad Dei honorem ac fidelium cultum istic servari. Lex recitata his congruit, quæ Eucharistiam tabernaculo inclusam in altari locari, prostare & servari præcipit, non ad solam communionem, sed etiam *ad venerationem & cultum*. Sed hæc Latinæ hostiæ cum Hebraico manna comparatio in duobus tamen, ut cætera mittam, insigniter claudicat; quorum hoc prius est, quod hostia quidem istic reposita à Latinis *latria* colitur; manna à Iudæis eo cultu adoratum nusquam legimus. Alterum discrimen est, quod vetus quidem illud manna nusquam in arca computruisse cernitur, incorruptumque ad posteras generationes mansisse certo intelligitur ac creditur; Divinum vero panem imo ipsum Deum Latinorum eadem gaudere incorruptione nondum audivimus; quod devotas animas nonnihil conturbat, merito indignantes putredini id nunc licere in ipsissimum Dei sui corpus, vel certe in divini corporis velum, quod olim non licuit in nudam ejus umbram. Siccine antiquioris Christianismi Patres? Hic vero neque Latini quicquam proferunt; neque nos sane apud Patres quicquam legere meminimus de illo Latinorũ tabernaculo. Bellarminus supra ex Pseudo-Clemente nobis *Pastophoria* recitabat, olim legitimam Eucharistiæ (ut ille quidem vult) sedem. Nos demonstravimus *pastophorij* nomine exedrã, vel cubiculum, sive gazophylacium significari ad latus Ecclesiæ extructũ. Eo importabantur, quæ peracta communione ex Euchatistia remanserãt; consumenda, ut nos quidem existimamus; ut vero jubet Bellarminus, asservanda. Donemus istic asservata fuisse; Certe pastophorium, quod erat ad latus Ecclesiæ, ab altari paulò remotius fuisse necesse est. Ergo si vel Bellarmino largiamur istic non consumptas, sed asservatas fuisse sacramenti particulas; omnes vident eas non in altari ad pompam, sed in gazophylacio ad custodiam fuisse asservatas. Volebat idem Bellarminus *reliquias fragmentorum Dominici corporis* ab alio quodam Pseudo-Clemente in epistola memoratas, esse *particulas Eucharistiæ* post peractum sacrum residuas, in sacrario servatas. Atqui illud Pseudo-Clementis *sacrarium*, nõ tabernaculum in altari situm fuit, sed cubiculum, in quo vela, candelabraque, cæteraque Ecclesiastici ministerij servabantur. Fateor apud Burchardum, quod supra observatum est, *oblatam super altare obseratam in pyxide, sive vase tanto sacramento digno diligenter reconditam* legi f necessaria adversus mures & nefarios homines cautione. Sed ne illic quidem quicquã de tabernaculo reperimus. Et quod de *altari* dicit, id vel Turonensium, apud quos canon hic conditus dicitur, proprium fuit, vel postea certe nõ ubique obtinuit, quod ex Spalatensis observatione patet; *Vidi* (inquit) *& observavi in plurimis antiquis templis locum ad asservationem Eucharistici panis quasi armariolum quoddam præparatum. Et quia hæc armariola cernũtur in angulis seu columnis, in partibus templi, quasi abditioribus; hinc satis evidenter colligo non fuisse, ut nunc apud nos, asservatam Eucharistiam ad adorandum & ad preces coram ea fundendas.*

f Burch. L. 5. c. 9.

g De Domin. L. 5. de rep Ch. c. 6. §. 257.

Ad hanc pompam illud quoque pertinet, quod ante hostiarum tabernaculum,

naculum, ita ut diximus, vel in alio aliquo ad cultum commodissimo Ecclesiæ loco positum lampades *plures, vel saltem unam die noctuque perpetuo ardere* jubent; ut habetur *b* apud Rituale Romanum; cujus ego moris memoriam ex veris veterũ monumentis posco. In his enim nullam ejus mentionem hactenus vel ipse reperi, vel à Latinis indicatam vidi. Hic ipse rei tanto apparatu extructus suggestus satis clamat longe ad aliud, quam ad esum servari apud Latinos hostiam. Quod nihil tantæ hujus pompæ simile apud veteres reperitur (apud eos inquam, quos eucharistiã reservasse confessum est) id arguit horum, quam illorum plane aliam fuisse asservationem. Omnia nos eo, quo docet Spalatensis, ducunt; nempe ad adorationem, qui potissimus esse videtur hujus asservationis finis. Primo enim Latini hostiam suam, etiam ita velatam, ciborioque ac tabernaculo veluti duplici quodam muro undique munitam ac conclusam, adorare tamen plurimum solent quicumque sunt apud Latinos paulo tenerioris in res divinas religionis; illud fere usurpantes, quod de quodã sanctissimo duorum Ignatianorum sodalium pari alibi diximus, ut quoties Ecclesiam aliquam ingrediuntur, toties versus altare procedentes genibus positis Eucharistiam devotissime adorent illic quiescentem. Quam multi sunt, qui Ecclesias non alia de causa frequentes ingrediuntur, quam ut jacens in suo tabernaculo numen vel adoratione, vel invocatione venerentur? Iam siquid agatur grave ac momentosum, id solent adhibita hostiæ præsentia sanctificare; ut cum Presbyteri ab Episcopis ordinantur *paratur hostia super patenam posita*, *k* ut in præsentis Numinis conspectu omnia sanctius administrentur, & Ordinator, ut id officij auspicato aggrediatur, inprimis *sacramento facit reverentiam*, Et in confectione chrismatis Pontifex, *l* & qui ei adsunt, sacerdotes duodecim sacramento in altari posito eundem cultũ exhibent. Feria sexta antepaschali, ubi crucis adoratio peracta est, sacerdos genu posito sacramentum adorat; *m* & in funebri apparatu presbyter ante sacramentum, si forte transeat, genu flectit. *n* Iesuitæ sacro lavacro initiatos in Goana Ecclesia ante hostiam sistunt *o* pro suæ regenerationis munere, humili eam gratiarum actione veneraturos. Iidẽ quoque pœnitentes ante idem sacramentum prostratæ pro suis criminibus satisfacere instituunt; *p* acceptius fore atque efficacius hoc eorum officium putantes, si eo ante ipsius os Numinis fungantur. Quin & hostiã in altari quiescentem de rebus dubiis ac difficilibus consulere, Iesuiticæ religionis esse docent exempla alibi ex eorum annalibus allata. Denique quanti hoc, si vel unum esset, censendum est, quod per hanc particularum reservationem Deum habent in templis divinissimo suo corpore præsentem? quo munere nulla unquam vel vera, vel falsa religio, præter Latinã, gloriata est? Pagani, siqua in suis fanis ac delubris Deorum, quos colebant, simulacra vel ob antiquitatem, vel ob singularem operis excellentiã religiosiora haberẽt, beatos se putabant. Israëliticæ gentis multo verior, majorque fuit gloria, qui veri Numinis, non quidem simulacrum, sed arcam, tabernaculum, ædem, carissima sempiternæ Majestatis pignora penes se servarent, viderent, ac contemplarentur. Sed neque

CAP. XV.

b Rit. Rom. tit. de Euch. p. 74.

k Pontif. R. p. 37. extr. p. 49.

l Ibid. p. 408. 423.

m Miss. Rom. in Parasc. p. 219.

n Rit. Rom. de exeq. p. 173.

o Ep. ann. Iap. a. D. 1577.

p Froes. ep. ann. Iap. an. D. 1581. p. 153. 194.

q L. 2. de obj. cult. relig. c. 11. p. 249.

Cap. XV. que his, neque ullis aliis datum unquam fuit, præsentem apud se in plurimis ædium suarum spectare, Dei non imaginem, aut evanidam effigiem, sed ipsissimã Majestatem, ipsissimam illam, quam ad salutem nostram suscepit, carnem. Atqui hoc tantum decus, quo se uni ex omni hominum genere Latini jactant atque efferunt, uni isti Eucharistiæ asservationi debent. Absque hac foret, non perpetua, neque fixa ac stabilis, ut nunc est, in sacris eorum templis ac delubris esset Dei præsentia, sed mobilis & per intervalla tantum se se modo exhibens, modo subducens adeoque ædes etiam sanctissimas necesse esset gloriosæ illius majestatis præsenti tutela carere. Bellarminus alibi, cur Deus preces in templis citius potiusque exaudiat, quam in aliis locis, hanc quinto loco adfert r rationem *quia præter Dei præsentiam, quæ est ubique, est etiam ordinarie in templis præsentia Mediatoris Christi corporaliter in Eucharistia; quæ certe* (inquit) *auget spem & fiduciam orantis, & præterea non potest non incutere menti religiosæ timorem & reverentiam.* Idem inter ea, quæ efficiunt, *ut templum consecratum merito sanctum ac venerabile, ac divina quadam virtute præditum existimari debeat*; recenset s *Dominici corporis in Eucharistia præsentiam.* Iam vero, cum hæc quæ in medium adfert, omnino sint ex Latinorum fide præcipui ad pietatem, adeoque ad salutem, ædificationem, ac consolationem momenti, eoque per Dominici corporis præsentiam latius & crebrius efficiantur, quo ea in templis magis assidua est; apparet nihil apud Christianos haberi posse utilius ac divinius, quam si in Ecclesiis jugis ac perpetua sit *Dominici corporis* præsentia. At in templis perpetua non aliter esse potest, quam si ex consecratis hostiis aliquæ semper asseruentur; quia scilicet synaxes non fiunt, neque vero fieri possunt perpetuo atque indesinenter. Ergo qui Eucharistiam ipsissimum esse Christum putant Latini, omnino imprudenter, ac pœne impie se gererent, si, etiamsi nulla esset communionis in supremis necessitas, Eucharistiam ad fines adeo nobiles ac salutares minime asservarent. Illi vero cum sint in sua generatione longe prudentissimi, dubitandum non est, quin eam reservationem putarint, non tantum ad dandum morientibus viaticum, sed etiam ad conciliandam & fidelium precibus, & ipsis in quibus eæ fiunt, templis vim ac dignitatem tam admirabilem. Quo apertissime spectat ipsa eorum praxis. Nam præter ea, quæ paulò ante commemoravimus, quoties opus est Deo vel ob res adversas afflictasque, ardentiores solito preces. Vel ob lætas & prosperas vehementiores gratiarum actiones offerre, toties fere ab illis videmus Eucharistiam *exponi*, id est in loculo egregie ornato, apud aliquam Ecclesiam collocari, omnesque fideles ad supplicationem apud sanctissimum Sacramentum indictam publice convocari; quo velut classico accensa immensa virorum ac mulierum multitudo eo undique confluit apud hostiam prostrata atque adorabunda preces, vota, gratiarum actiones pro diversis causis atque temporibus indesinenter fundens; cujus inventi gloriam Iesuitæ videntur sibi vindicare. Narrat enim Orlandinus suos illos Ignatianos Sodales ann. D. 1556. Maceratæ in Italia, ut cives à spectaculis

r Bell. de cult. Sanct. L. 3. c. 4. § Quinta ratio
s ibid. c. 5. § Iam vero
t Orland. L 16. § 10. p. 540.

à spectaculis sæcularibus ad pietatem averterent, *pulcrè exornato loculo, in eundem diem, quo populo exhibenda à iuventutis principibus fabula* passim à plærisque avidissime expectabatur, *quadraginta horarum supplicationem ad sanctissimum Christi corpus* (id est ad hostiam suam) edixisse. Majorem civitatis partem ad preces illas concurrisse; idque institutum Iesuitas apprime salutare expertos ad minuendam genialium ante quadragesimam dierum solitam lasciviam ac licentiam, *ita posterioribus annis frequentasse*, ut id suis in domiciliis prope omnibus in mores tandem induxerint. In hac quidem amplissima Parisiorum civitate quotannis famoso illo Hilariorum die videmus à Iesuitis illam ad Sacramentum supplicationem apud suas Ecclesias indici ac celebrari. Nunc vero ille mos Eucharistiæ ad supplicationes exponendæ omnium, ut opinor Latinorum ita communis factus est, atque ita invaluit, ut diversis temporibus, variisque de causis, non in Iesuitarum tantum conventiculis, sed in quibusvis etiam parochialibus Ecclesiis frequenter usurpetur, rebus tam lætis quam tristibus, diebus festis ac profestis; cujus usus exempla ex Latinorum historiis praxique quotidiana nos alibi edidimus. Quin & tanta est de harum supplicationum vi opinio, ut Iesuitæ tres totos menses à suis sociis aliquando continuatas fuisse prædicent, dum alij aliis in hoc precandi officio ita succederent, ut omni illo tempore nullum momentum effluxerit, quo non aliquis genibus ante panem sacrum positis oraret. Audio & alios hic Iesuitarum disciplinam longe esse supergressas, & nobili quodam Monacharum cœnobio hanc in perpetuum servandam tulisse legem, ut non trimestri, sed anno toto, qui quantusque est, de religiosis illius domus mulieribus semper una aliqua precans atque supplex ante Sacramentum in altari quiescens excubet. Atque ad hos quidem usus prodest jacens in tabernaculo Eucharistia.

u L. 2. de obj. cult. relig. p. 244.

Sed & cum de his excita locis surgit, & foras extra Ecclesiam prodit etiam tum à Latinis & ad gloriam Dei & ad hominum salutem non parum conferre creditur. Primo enim cum ad infirmos in supremis versantes pro viatico sumenda fertur, tanta hinc enascitur bonorum seges, ut morientis solatium exigua videri possit eorum portio. Hostia enim magna pompa publice ante ora civium sub umbella, venerantium promiscua multitudine comitante stipata circumfertur, funalibus copiose allucentibus, tintinnabuli sono obvios omnes, quacumque iter tendit adorationis ad officium excitante. Ac ne hæc putes spontanea hominum devotione fieri, ipsi in suo Rituali ea accurate jubent, diserteque lege lata præcipiunt. x *Deferri* (inquiunt) *debet hoc sanctum Sacramentum ad privatas ægrotantium domos decenti habitu, superposito mundo velamine, manifeste atque honorifice, ante pectus cum omni reverentia & timore, semper lumine præcedente.* Tum Parochum jubent *ad hoc officium processurum curare ut aliquot campanæ ictibus convocentur Parochiani, seu Confraternitas sanctissimi Sacramenti, ubi fuerit instituta, seu alij pij*

x Rit. Rom. Tit. de comm infirm. p. 81. 82.

Cap.XV. *alij pij Christi fideles, qui sacram Eucharistiam cum cereis seu intortitiis comitentur, & umbellam seu baldachinum, ubi haberi potest deferant. Ut agri cubiculum mundetur, & in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in qua sanctiss. Sacramentum decenter deponatur*; & cætera ad ægroti communionem spectantia. His paratis *sacerdos indutus superpelliceo, & stola, & si haberi potest, pluviali albi coloris, Acolythis seu Clericis comitatus, &c. de more acceptas particulas consecratas vel unam tantum*, &c. *Imponat in pyxide, seu parva custodia, quam proprio suo operculo cooperit, & velum sericum super imponit; ipse imposito sibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu accipiat vas cum Sacramento, & deinde umbellam seu baldachinum subeat, nudo capite processurus. Præcedat semper Acolythus, vel alius minister deferens laternam*, &c. *Sequantur duo Clerici, quorum alter aquam benedictam*, &c. *Alter librum Ritualem deferat, & campanulam jugiter pulset. Succedant deferentes intortitia: postremo sacerdos Sacramentum gestans elevatum ante pectus sub umbella*; & quæ sequuntur. Signum campana datur, ut omnes viri mulieresque quotquot per vicos & plateas pompæ occurrunt, eo sono moniti in genicula adorabundi procumbant, neque ante surgant, quam pompa præterierit. Infirmi cubiculum diligenter everri, ac quam decentissime, potest ornari. Neque vero apud Latinos recens est tota Eucharistiæ extra Ecclesiam gestatæ adoratio. Honorius III. jam ante a.D 1227. legem tulerat, y qua hostiam jubet, non modo in Ecclesia, cum à sacerdote elevatur, sed etiam extra sacrum adorari si cui forte presbyter, vel in publica via occurrat, homine cui illa fit obvia *se reverenter*, id est *flexis genibus, inclinante* ut habet Glossa. Sed jam paulo ante Honorij tempora eundem hostiæ cultum extra sacrum præceperat z Odo Parisiensis Episcopus.; Si tamen vere ejus est hoc Constitutionis, nomen Odonis præferentis caput. Id enim eo mihi suspectum est, quod in editione Parisiensi notatum fuerit, & lineolis à cæteris sejunctum. Ac ut scias quanti hanc pompam faciant Iesuitæ, memento eos aliquando Peckini apud Sinas unius ex suis neophytis viaticum in morbo letali flagitantis precibus nullis adduci potuisse. a Ut hostiam in ejus ædes ferrent, quod in urbe à Christianismo aliena ferri eam cum solenni illo triumpho non liceret. Quod eorum factum aperte refellit Bellarmini temeritatem affirmantis infirmi communionem primarium esse finem, cur Eucharistia asservetur; Nam si ita esset, sapientissimi Iesuitæ sacramentum sua pompa quam sacramento neophytum carere maluissent. Nunc cum neophyto viaticum, quam Sacramento pompam deesse potius justiusque duxerint, eo clare pronuntiarunt hostias non tam ad morientium necessitatem, quam ad pompæ gloriam à suis asservari. Neque tu Iesuitas temere ita judicasse putaveris. Sciebant quam esset hæc pompa ad Sacramentum deferendum necessaria, cœlesti quodam prodigio edocti, quod apud Orlandinum veracissimum Societatis historiographum extat. Narrat b enim ille non diu ante sua tempora cum Salzani, agri Tarvisini pago, sacerdos quidam

y Greg. Decretal. L.3. Tit.41.c 10.

z Od Stat. Synod. de Sacr. al.4 c. 6. Bibl. Patr. T.6.p 411.

a Trigant. Exped sin. L. 5.c.7.p.517.

b Orland. Hist. L.2.§. 27.p.43.

CAPUT. XVI.

quidam Sacramentum ad ægrotum sine comitatu ac pompa deferret, asellos extra oppidum occurrisse, qui ex utroque viæ latere in genua statim procumbentes primo numen obvium adorarunt; inde præeuntem sacerdotem sequentes ad infirmi ædes pompam deduxerunt; denique à sacerdote ab infirmo post peractum officium egrediente dimissos ita demum ad pascua rediisse. Quo illustriori miraculo sanciri potuit pompæ ad Sacramentum rite deferendum necessitas?

Sed Eucharistiam non modo ad fidelium in exitu viaticum, sed etiam ad alios usus, in quibus nulla fit ejus manducatio, efferri apud Latinos mos est; quorum longe nobilissimus est, cum quot annis festum huic sacramento ab Vrbano Papa a. D. 1264. dicatum celebratur; de cujus origine & caussis alibi *c* fuse diximus. In hoc autem festo Eucharistia bis de suo tabernaculo educitur; prius quidem ipsa solennitatis die, id est ejus hebdomadis quinta feria, quæ à Dominica Trinitati sacra exsurgit; iterum vero octava ab hinc die. Pæne par est utriusque diei pompa. Sacramentum ipsum, à quo dies *corporis Christi*, vel etiam *Dei festum* dicitur, *singulari veneratione ac solennitate ita celebratur, ut in processionibus reverenter & honorifice per vias & loca publica circumferatur*; His enim verbis Tridentini Patres rei summam describunt, *d* ac definiunt *e aequissimum esse sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari quadam, ac rara significatione gratos & memores testentur animos erga communem Dominum & Redemptorem pro tam ineffabili & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria ac triumphus repræsentatur.* Quibus & hæc insuper addunt, *Atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere, ut ejus adversarij in conspectu tanti splendoris, & in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi vel fracti & debilitati tabescant, & confusi aliquando resipiscant.* Ac ne quis de his dubitare ausit, mox anathemate feriunt, *f quicumque negaverit sanctum Eucharistiæ sacramentum festiva peculiari celebritate esse venerandum; & in processionibus secundum laudabilem & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum.* Neque ego nunc discutio, quam vere ista omnia dixerint; vel quo pudore, quave oris verecundia affirment sacramentum in processionibus solenniter *circumgestare universalem esse sanctæ Ecclesiæ ritum ac consuetudinem*, cum nemo sit usque adeo rerum Ecclesiasticarum rudis, qui nesciat illum sacramenti *in processionibus circumgestationem* adeo non esse *Ecclesiæ universalem ritum*, ut cæteris omnibus, qua Christianismus ad omnes orbis plagas patet, Ecclesiis præter unos Latinos, etiam hodie plane penitusque ignotus sit; ipsis vero Latinorum majoribus anno demum quo diximus, 1264. innotescere cœperit, cum superioribus temporibus, maxime vero quarto ac quinto sæculis, quæ laudatissima ac fœlicissima habentur, mos obtinuerit isti ritui adeo adversus atque contrarius, ut siquis hoc sacramentum populo per vias ac plateas publice

c L. 1. de cult. relig. obj c. 17.

d Conc. Trid. d Sess. 13. cap. 5.

e Ibid.

f Ibid. canone 6.

Cap.XVI. circumferens proposuisset, nemo eruditus dubitet, quin eum hominem omnes illius memoriæ Christiani pro impio ac sacrilego mysteriorum proditore habituri fuerint. Sed hæc mitto. Illud mihi nunc satis est, quod si hæc, quæ Tridentini decernunt, vera sunt, negari profecto non potest, quin hæ asservandæ Eucharistiæ causæ non minus sint momentosæ ac necessariæ, quam illa infirmorum in exitu communio, quæ Bellarmino primarius est reservationis finis. Quid enim istis, quæ Tridentini narrant, majus aut justius fingi potest, *singulari, ac rara significatione gratos ac memores animos testari erga Christum pro divino suo beneficio, & sacros ei aliquot dies statuere? Veritatem victricem de hæresi triumphum agere, Ecclesiæ adversarios debilitari ac frangi, tabescere, vel certe resipiscere?* Si illud Dominici corporis festum ad hæc tanta, tamque divina confert aliquid (quod isti ponunt ac constituunt) nemo negaverit, quin id festum indici ac consecrari *æquissimum* fuerit; imo (quod iidem pronuntiant) quin id *oportuerit* ita fieri. Ita autem fieri non potest, nisi Eucharistia asservetur inconsumpta. Neque enim ea circumgestari, & ante ora omnium ostentari poterit, si omnis quantacumque est, à communicantibus apud Domini mensam consumatur. Aliquam inconsumptam post Synaxin servari particulam plane necesse est, quæ ex suo loculo educta per urbem circumgestetur. Siquis mihi responset Eucharistiam quidem ab exeuntibus sumi, ad eorum salutem esse necessariam; omni illa hostiæ circumgestatione, quæ fit die ejus sacro, Ecclesiam sine ullo detrimento carere posse; primum nescio an hoc sint facile concessuri, qui primi eam solennitatem instituerunt, vel qui de ea instituenda præceptum divinitus accepisse dicuntur. 2. Ipsi Tridentini, qui quod per hujus festi pompam fieri affirmant, id ipsum quoque affirmant FIERI OPORTVISSE; quod idem esse videtur, ac si dixissent id factu fuisse necessarium. Denique ut hoc concedam, eo nihil ad viaticum redit præcipui. Iesuitæ enim viaticum ad salutem morientium hactenus necessarium esse censent, *g* si ad eos cum pompa deferri possit. Si non potest, consultius omitti putant, ut ex eo Sinensis neophyti exemplo patet, de quo nuper diximus.

g vide Trigantii locum Exp. edit. fin. L. 5. c. 7. p. 517.

Præter duos illos dies huic pompæ sacros, Eucharistiam olim ante annos 200. singulis totius anni hebdomadibus feria quinta circumgestari apud Germanos consuevisse. Albertus Crantsius testatur, *h* scribens hunc apud eos morem fuisse, *ut id Sacramentum in publicum deferretur in diebus Iovis per anni circulum*; sed Nicolaum Cardinalem Cusanum, Papæ Legatum, morem inhibuisse. Crantsius Nicolai consilium ideo laudat, *quod Eucharistiæ usus à cœlesti Magistro institutus sit ad esum, non ad ostentationem.* Nunc vero etiam aliis præter festum, temporibus ac caussis videmus Eucharistiã ex suo tabernaculo foras efferri; ut in Paschali festivitate; qua narrat *i* Froës Iesuita se sacramentum apud Iaponas sub pallio, quod umbella careret, gestasse; & alibi *k* legimus in Paschalis Parasceves solennibus, Bungi Iaponum urbe, a. D. ni fallor, 1580. Sacramentum

h Crants. Metrop. L. 11. c. 39. p. 360. A.

i Froës E. ist. Iapon. L. 4 p. 121

k Laur. M ex Litt. ann. a. 580 p. 115. 116.

CAPUT XV.

tum, Patre quodam Protasio umbellam præferente, rite atque honorifice sepulcro in Ecclesia extructo fuisse conditum; nimirum ut Dominici corporis sepultura graphice repræsentaretur. Similia in ejusdem dici solennibus apud Brasilienses a.D. 1577. acta in Ludovici Fonsecæ epistola eodem anno data occurrunt; *l* quo conjicio plærorumque apud Latinos hunc esse communem morem. Præterea compertum habemus hostiam ex suo tabernaculo sæpe efferri ad restinguenda incēdia, cujus rei illustre alibi *m* exemplum attulimus, cum Avenione a.D. 1656. grassanti in Franciscanorum Recollectorum domo igni Pontificis Romani Legatus Sacramentum objecit.

l Fonsec. ep. Ann. a.1577. p.59.60

m L 1 de cult. rer.obj. c.10 p.97.

Postremo neque omittendus est alius hostiæ asservatæ apud Latinos usus, qui primo fortasse loco commemorandus fuisse videbitur, ob summam ejus, cui impenditur, in Ecclesia Romana dignitatem. Cum enim Papa equitat in Pontificalibus, Eucharistia semper præit; cujus ritus pompam ita describit sacrarum Cærimoniarum liber. Is enim cum tradidisset post crucem, quæ Papæ præfertur, *immediate incedere duodecim pedites Clericos vel Laicos accersa funalia deferentes, & juxta eos equitare duos Clericos Capellæ, laternas duas argenteas præferentes, in quibus candela perpetuo lucent*, ita deinde pergit; * *Ducitur post hos equus albus, phaleratus, mansuetus, pulcher, cum tintinabulo ad collum bene sonante, qui capsulam venit cum sacratissimo Christi corpore, supra quod cives nobiles portabunt baldachinum; Funalia condecenter deferentur per Clericos cum superpelliciis.* Eidem Papæ ad urbes alias iter facienti, easque intranti idem quoque Sacramentum eadem cum pompa præferri patet ex eodem libro quo loco dicit cives ejus urbis, in quam Papa est ingressurus, debere *baldachinum pro sacramento & pro Papa invenire*, id est ni fallor, cuique suum. Idem quoque fit, cum Papa sine Pontificalibus equitat ad aliquam Ecclesiam religionis gratia, *Sacramentum corporis Christi* (inquit idem auctor) *semper aderitus.* Denique Perronius Cardinalis tradit † Papæ extra Urbem procedenti, vel peregre iter agenti nunquam deesse crucem & Eucharistiam, quæ ante eum præferuntur, ad sacri scilicet Illius capitis *custodiam, præsidialem* (inquit Perronius) *& patronalem*, non autem *ministerialem*, ut ille solertissime distinguit. Id vero jam in usu fuisse initio sæculi quintidecimi constat ex Theoderico à Nyem, quo loco iter describit ** Gregorij P. R XII. Luca Senas tendentis, *Contigit* (inquit) *quod mula, quæ corpus gestabat Dominicum ante ipsum Dominum Papam prout etiam fieri consuevit, ut asl mo non bene recta, neque directa per iter, ad quoddam fossatum cecidit, adeo graviter, quod quasi mortua pene duabus horis jacebat in ipso. Sed tandem rediviva beneficio, quem gestabat, Salvatoris, qui homines salvat & jumenta, cum non modico labore multorum auxiliantium à fossato hujusmodi trahebatur.* Hæc ille: ex quibus intelligimus ann D.1408. quo hæc gesta sunt, jam consuevisse Eucharistiam Papæ urbico præferri, in mula quidem certe, nondum quod sciam, in equo.

* Christ. Marcell. L.1. Sacr Cærim. Sect.12.c.1. p 82. A edit. Ven. ann. D. 1582. apud dunt.

Ibid. c.5. p. 85.

Ibid p.86.A.

† Perr. L.3. de Euch. c. 19. extr. p. 918.

** Theoder. à Nyem Nem. Union. Tract.6. c. 43 p 391. edit. Basil. a. D.1566.

Ex his nemo non intelligit Latinos, non solum ad infirmorum viaticum

Cap. XVI. viaticum hostias ex Synaxi reservatas in pretiosissimis illis, ornatissimisque tabernaculis condere, ac custodire, sed ad hoc præcipue ac primario, ut numen in suis Ecclesiis perpetuo præsens habeant, quod fidelium ante se apud altare procumbentium cultum, latriam, religiosas supplicationes, vota, gratiarum actiones, consultationes excipiat, atque exaudiat; ut ipsi templo sanctitatem, ac divinam quandam virtutem conciliet, orantiumque animos hinc spe ac fiducia sublevet; inde reverentia ac religioso timore perfundat; ac postremo, ut subindè ex tabernaculo prodiens honorifice gestatum, modo ab obviis civibus per vicos publice ante adoretur, quam infirmorum tecta subeat; modo omnia sigillatim urbium & castellorum loca lustret deducente vniuersa plebe, dignasque summis ac æternis beneficiis grates ac laudes religiosis animis vocibus ac plausibus exsolvente, de hostibus victis triumphet, eosque tantæ gloriæ splendore perculsos vel frangat ac tabefaciat, vel certe ad pœnitentiam ac resipiscentiam cogat. Sed neq; contemnendam esse operam, quam asservatæ hostiæ Latinis navant aliquando ad assimulandam Christi sepulturam, vt in Parasceve, interdum ad restinguenda incendia, sæpe denique ac pæne assidue ad honorandum ac protegendum ac protegendum Pontificis maximi, id est summi rei Christianæ apicis, comitatum.

CAPVT XVI.

Eucharistiam nullam apud veteres asservatam fuisse ad vllam ex istu proxime commemoratis pompis & adorationibus. Ne nunc quidem à Græcis ad quidquam hujusmodi asservari; multo etiam minus ab Æthiopibus, qui eam ne ad morientium quidem viaticum servant; cujus scilicet plane nullus est apud eos usus.

ITa quidem hodie Latini instituunt. Iam quæ ad aliquem ex his finibus asservaretur Eucharistia, plane nulla in omni Christiana antiquitate reperitur. Ac de ea quidem quæ solenniter circumgestatur, vel publice extra synaxin populo adoranda proponitur vel die festo, vel procedente extra domum Pontifice, nemo dubitat, quin apud veteres ignota & inaudita fuerit, quorum scilicet mos fuit totum hoc mysterium religiose occultare, ac ne verbis quidem aperte significare, quid rei esset, nedum ut id vulgo ac palam ostenderent, videndumve aut spectandum quorumvis oculis objectum irent. Par est omnium veterum silentium de Eucharistia ad hoc in templis perpetuo quiescente, ut locum & ędificium ipsum sanctificet, divinaque nescio qua virtute afficiat, ac ut sic dicam, induat; vel ut indictas à Præpositis ad certam diem fidelium ante eam prostratorum supplicationes, vota, gratiarũ actiones, cõsultationes, latriã ac Dei proprios cultus suscipiat. Nusquã totũ hoc reservationis genus apud Christianos occurrit ante duodecimũ seculũ. Nihil opus est ire per singula.

Cum

Cum enim in asservanda post peractam Synaxin Eucharistiæ fines in ejus CAPUT.
adoratione siti omnes sint; nullum eorum apud veteres fuisse inde certo XVI.
colligere licet, quod ii patriam, id est religiosum vni Deo debitum cultum nunquam detulerunt, vel deferendum censuerunt; quod quia in libro sequente fuse ac vt spero valide demonstrabitur, nihil necesse est in eo probando tempus ac verba hic perdere. Sed hoc idem apertissime ni fallor ostendit ipsa Bellarmini in hoc loco disputatio, qui de servata à veteribus ad pompam, ad gestationem, denique ad adorationem Eucharistia proprie, clare diserteque à Kemnitio pulsatus, de horum aliquo plane nihil reposuit. Quis enim talem virum putaverit, si quid hujusmodi in aliquo antiquitatis monumento vere extaret, id non fuisse deprehensurum, qui ea est sagacitate, vt in istis libris, etiam quæ nulla re vera in iis sunt, sæpe tamen & quidem facile olfaciat atque odoretur? Reperisse autem eum aliquid apud veteres hujusmodi, sed noluisse tamen in medium proferre, etiam ab adversario provocatum, vsque adeo stultum atque absurdum dictu est, vt neminem, qui virum vel ex ungue norit, tale quid de eo unquam suspicaturum credibile sit. Neque vero est, quod quis respondet, quæ à Bellarmino ex antiquitate ad hunc Kemnitij locum allata sunt, a ea adversarij interrogationi satisfacere. Vel inspecta negant se ejus esse ordinis, de quo quæsitum erat à Kemnitio. In primis Gorgoniæ & Satyri exempla, plane sunt ἀπροσδιόνυσα. Illa enim, quæ ex iis colligitur, particularum reservatio: privata fuit; hic autem de solenni, publica, denique Ecclesiastica quæritur. Illa Laicorum fuit, sua sponte ac voluntate, nullo Ecclesiæ imperio Eucharistiam in Synaxi acceptam asservantium; hæc, quæ nunc agitur, sacerdotum est, & quidem Ecclesiæ Latinæ præcepto ac lege instituta. Illa ergo hinc facessat; quæ suo mox loco atque ordine ventilabitur. Nunc de publica & sacerdotali reservatione absolvamus. Etiam ineptius objicitur Cyrilli auctoritas communicantes monentis, vt labia vini sacri contactu sanctificata dignito tangant, eoque humore oculos & frontem contingant. Quid ad reseruationem sacerdotalem hæc quæ apud mensam Domini illico post communionem fiebant? Neque eo quicquam facit Augustinianus ille Presbyter, qui vexatam à dæmoniis domum oblata synaxi purgavit. Quid ni preces ipso sanctissimi officii tempore Deo oblatæ beneficium impetrarint? Nihil eo particulis reservatis vel meritur: Denique quem Episcopi alii aliis in signum pacis & communionis mittebant sacrum panem; unde habet Bellarminus vel ex sua pyxide, nō autem ex media Synaxi missum esse? vel ad hoc non esse missum, ut ederetur? sed ut seruaretur? Vtrum libet horum posuerit, suum somnium posuerit; non veteris Ecclesiæ institutum operæ pretium fecisset, si pro istis, quæ à re instituta aliena sunt, nobis alicui de priscis Vrbis Episcopis, si non Cornelio, aut Victori, Leoni certe. Gelasio, aut Gregorio præeuntem in equo mansueto Eucharistiam ex priscis illius ævis monumentis ostendisset. Sed

a Bell. L. 4. de Euch c. 5. § Ad quart. part

Cap. XVI. difficile est, quod nunquam fuit, id re vera olim fuisse demonstrare. Præterea hæc quoque ista omnis Bellarmini objectio vitio laborat, quod quæ objiciuntur, ea fieri plæraque jampridem desierunt. Quod enim Gorgonia, mulier conjugata servavit, quod Satyrus nondum initiatus collo circumligavit sacramentum, hoc apud Latinos hodie siqua mulier, siquis vir facere auderet, sacrilegij damnaretur. Neque minus credo haberentur communicantes, siqui quod suos Cyrillus facere adhortatur vini sacri in labiis relictas guttulas digito abstergerent, iisque oculos contingerent. Quid de missitato olim ab Episcopis ad collegas sacramento dicam? quem morem jampridem apud Latinos abrogatum omnes sciunt? Viderit Bellarminus ex iis quæ Patres faciebant, ipse vero & alij Latini neque faciunt, neque facienda judicant, quam vere, quamque sincere ac verecunde concluserit se *sacramento servato, utilitates sumere, ut Patres fecerunt.* Non eas certe, quas illi sumpserunt. Cæterum quod de *utilitatibus* ex sacramento sumendis toties reponit, id lectorem prudentem non fallet, qui meminerit Kemnitium, cui iste respondet, de *utilitatibus* nihil dixisse; hoc tantum negasse Patres sacramentum nequaquam ad *pompam*, ad *circumgestationem*, vel denique ad *adorationem* reservasse, quod nunc Latini omnes sacerdotes assidue faciunt.

Cum ergo hæc quæ qualisque nunc in usu apud Latinos est, Eucharistiæ in tabernaculo *ad pompam, ad circumgestationem & adorationem* asservatio in nullis ante duodecimum & amplius seculum veris ac sinceris Christianismi monumentis, vel à Bellarmino & aliis reperta sit, vel à quoquam reperiri possit; confitendum est eam apud ipsos Latinos novam esse ac recentem, ac ut vere & acute collegit *o* Spalatensis Episcopus, tum demum institutam, cum jam duobus illis supra decimum seculis in Ecclesiæ Occidentalis fidem invectum esset nuperum transsubstantiationis dogma; idque inde confirmatur evidentissime, quod cæteri extra Papæ communionem Christiani ista Latinorum propria sacramenti ad pompam asservatione carent. Æthiopes nullas infirmis in exitu exhibendas particulas servare, imo ne ullas quidem exhibere supra jam non semel diximus. *p* Græci fateor, infirmis viaticum in exitu præbent; & unde anno toto præbeant, particulas quinta quotannis feria antepaschali acceptas, vinoque sacro adspersas diligentissimeque siccatas in annum currentem servant; *Ad pompam, ad circumgestationem, & adorationem* plane nullas servant. Metrophanes Critopulus, *q* qui in patriam redux Patriarcha Alexandrinus nostra memoria factus est; *Non circumferimus* (inquit, de Eucharistia verba faciens) *sanctum hoc mysterium per plateas, sed tantum in infirmi ædes portatur; quia hoc nobis datum non est, ut circumferatur per plateas, sed ut religiose participetur in remissionem peccatorum secundum verba Domini* οὐ περιφέρομεν δὲ τοῦτο τὸ ἅγιον μυστήριον διὰ τῶν πλατειῶν. ἀλλ᾽ ἢ μόνον ὅταν κομίζηται εἰς οἶκον νοσοῦντος. ὅτι οὐ δέδοται ἡμῖν τοῦτο ἵνα περιφέρηται διὰ τῶν πλατειῶν. ἀλλ᾽ ἵνα εὐλαβῶς μετέχηται εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν κατὰ τὰ δεσποτικὰ ῥήματα. Cassander ritus Latinos novitatem ro-

o de Dom. L. 5. de Rep. Eccl. c. 6. p. 257.

p Supr. c. 3. 13.

q Met. Critop. Conf. Eccles. Orient. c. 9. p. 103.

unde confitetur; r *Consuetudo vero* (inquit) *qua panis Eucharistia in publica pompa conspicuus circumfertur, ac passimomnium hominum oculis ingeritur, præter veterum morem ac mentem haud ita longo tempore inducta & recepta videtur.* Addit veteres (quod sane verissimum est) *ne ad inspectionem quidem* hujus sacramenti alios admisisse, nisi fideles, quos Christi membra & tanti mysterij participatione dignos esse existimarent, ideoque ante consecrationem Catechumenos & cæteros non communicantes Diaconi voce & Ostiariorum ministerio ex Ecclesia dimitti ac secludi solitos olim fuisse. Vnde concludit hunc circumgestationis usum cum Ecclesiæ lucro omitti posse, *cum* (inquit) *recens sit, & sine eo diu suus sacramento honos constiterit, & hodie constare possit.* Memorat Alberti Crantsij, quam supra exhibuimus, de Cardinali Cusano narrationem & sapiens ea de re judicium. Postremo denique quod mireris; *De ipso vero* (inquit) *festo certum est illud ab Vrbano, non ad circumgestationem institutum, sed ad celebriorem conventum, & ut homines per pietatis opera ita se præpararent, quo huius pretiosi sacramenti eo die participes fieri, atque ipsum reverenter suscipere mereantur. Ita enim habent verba decreti, ad quod institutum si redeatur, nil puto fore absurdi.*

CAPVT XVII. r Cass. Consult. ad Imp. ad art. 22. p. 84.

CAPVT XVII.

De privata singulorum fidelium reservatione, olim apud veteres concessa; nunc apud Latinos nulla. Eorum, qui sic servabant communionem propius à legitima communicandi forma abfuisse, quam qui hodie apud Latinos ex reservatis hostiis communicant. Olim usitatum fuisse, ut utriusque sexus fideles acceptas apud Domini mensam particulas domi servarent, & peregre etiam secum ferrent; non tantum tertio, quartoque seculo, sed etiam secutis usque ad duodecimum ex Tertulliano, Cypriano, Basilio Gregorio Nazianzeno, Ambrosio Gregorio Romano, Moscho, Beda, Theodoro Studite, & Laurentio Dublinensi. Monachos Græcos idem, etiam hodie, factitare. Is mos jampridem à Latinis abrogatus.

HActenus de publica, sive Ecclesiastica Eucharistiæ asservatione diximus. Nunc de privata dicendum est. Vt illa apud veteres fere ac diu inusitata, apud Latinos frequentissima, perpetua ac pæne assidua; ita hæc vicissim, quæ veteribus notissima atque usitatissima fuit, nunc apud Latinos nulla, ac non modo non solennis, sed etiam illicita, eo loco ac numero censetur, ut siquis eam hodie usurpet, eum Papa & Latini pro homine profano atque irreligioso habituri sint. Nam apud veteres Christianos diu licitum fuit quibusvis fidelibus acceptam apud mensam Domini particulam vel statim ibidem edendo consumere, vel secum

Caput XVII. secum inconsumptam habere,ac domi quamdiu liberet, asservare, suo tempore consumendam. Fateor morem istum parum probabilem videri; neque satis cum Christi institutione & Apostolorum praxi convenire. Illud tamen vere, ni fallor, affirmaverim hanc priscorum reservationem minus à recta rei ipsius ratione discedere, quam eam, quæ hodie apud Latinos in usu est. Primo quidem quod veteres,non ad alium finem particulas acceptas reservarent, quam ad communionem, id est ad esum; Latini vero sacerdotes suas hostias etiam ad pompam, ad circumgestationem,ad cultum & adorationem & alia non pauca servent, de quibus proxime disputavimus. Nemo autem dubitat, quin proprius, verus, ac maxime legitimus Eucharistiæ finis sit esus, sive communio; à qua illæ Latinorum pompæ legitime remotæ sunt. Id etiam mos vetus præ recenti habet præcipui, quod omnes isti,qui Eucharistiam servabant, synaxi sacræ,in qua ea erat confecta ac consecrata,interfuerant & particulam,quam asservabant; de manu Ministri, ipsi acceperant: Apud Latinos vero infirmi, neque Missæ interfuerunt, in qua illa hostia confecta est, quæ iis in exitu præbetur: neque eam adeo apud altare ex celebrantis manu acceperunt. Vnde porro sequitur ex particulis, quas olim fideles domi sumebant, cuique sumenti eam ipsam, quam sumebat,fuisse à Christi ministro destinatam, adeoque in ejus proprie usum consecratam, Apud Latinos res longe aliter habet. Nam quæ à sacerdote asservantur hostiæ, eæ in nullius certæ ac definitæ personæ usum vel consecratæ vel servatæ sunt. Quo fit,ut qui olim particulas è mensa Domini acceptas,& servatas domi sumebant, eorum qui suas in ipsa synaxi consumpserant convivæ & essent, & merito dicerentur: qui scilicet cum illis ad eandem mensam accubuerant, eundemque panem acceperant: nullo alio discrimine, quam quod hi cibum in eodem illo convivio sacro sibi oblatum destinatum, acceptumque in aliquot horas vel etiam dies distulerant, quem cæteri convivæ apud ipsam mensam confecerant. In Latino vero more, nihil tale fit: quo reservatæ hostiæ iis dantur, qui neque synaxi, in qua consecratæ sunt, adfuerunt, neque eas ipsi ex celebrantis manu acceperant: quibus certe definite ac nominatim à ministro, cum cæteris Christi convivis distribueret, neque vel manu, vel animi cogitatione destinatæ erant: ut fractum, qui apud Dominum in illa sacra ubi benedictæ sunt, collecta epulati sunt, convivæ dici nequaquam possint. Vnde postremo magnum inter utrosque discrimen cernitur. Qui enim apud veteres particulas servatas domi esitabant, ij ejusdem mensæ, in qua celebratum erat sacrum epulum, cum fidelibus, qui apud sacram mensam ederant, communio certa claraque hoc ipso nomine erat, ut eorum convivæ vere essent. Latinis, qui porrectas sibi à Presbytero hostias domi in exitu sumunt, plane nulla est, hactenus quidem, cum iis communio, qui Missæ in qua consecratæ sunt, interfuerunt, & sacramenti apud eam participes fuerunt: ut eorum convivæ vere dici non possint. Iam vero hanc fidelium inter se communionem in eo sitam, quod ex eodem pane

in

in communi mensa consecrato, sibique destinato ac distributo participant, ad legitimum convivij usum pertinere apertissime docet Paulus, cum ait *nos unum corpus esse*, qui tametsi multi cæteroqui simus, omnes tamen *ex uno pane* (illo scilicet; qui in mensa Dominica nobis distribuitur) *participamus*. Fateor hanc Dominicorum convivarum communionem plenius, perfectiusque, & ad Christi mentem accuratius ab iis præstari ac repræsentari, qui eundem panem, non modo apud eandem mensam accipiunt, sed etiam eodem tempore ac loco simul, semelque omnes edunt, quæ solennis est convivij forma à Christo in prima Cœna instituta, ab Apostolis in sequentibus, quantum ex Scripturis intelligimus, servata; Sed neque negari potest multo ab ea longius discedere nunc Latinos; propius vero ab ea abfuisse veteres in sua utrosque particularum asservatione, ut ex dictis patet. Neque enim horarum, vel etiam dierum aliquot mora prohibet, quo minus unum idemque convivium *moraliter*, si non *physice*, fuerit, fuisseque merito censeatur, id cujus particulas sibi certo ac definite destinatas omnes sumebant, tametsi quidam suas paulo quam cæteri, serius sumerent. Ut vero eorum conviva fuisse dicaris, quibuscum neque accubuisti, neque tibi ex eorum epulo destinatam, missamque ullam partem accepisti, non ratio, non communis sermonis leges patiuntur. Atqui hæc plane est infirmorum hostias apud Latinos in exitu esitantium ratio, quas ipsis constat neque præsentibus, cum sacrum epulum celebraretur, distributas fuisse, neque vero absentibus à celebrante ex mensa missas, vel etiam levissima animi cogitatione destinatas. Quæ cum ita sint apparet eos sacrum cibum rapere potius, quam accipere; ut siquis ex regio convivio ferculum aliquod furtim legat, idque homini forte obvio, ac poscenti, nullo Regis consilio, nulla certa ac definita voluntate donet; nemo credo, dixerit eum hominem, qui ferculo ita sibi dato vescitur, Regis eo ipso convivam esse. Neque ego moror, quod scio à Bellarmino observatum, illas particulas apud veteres in multos aliquando menses, etiam interdum in annum, vel in annos fuisse servatas. Paucissima hujus generis ex antiquitate exempla afferuntur, ex caussis extra consuetum rerum ordinem emergentibus, ac (ut sic dicam) intercursantibus orta, quorum adeo vel nullam, vel certe perexiguam rationem haberi decet; quale est verbi gratia, quod mox memorabitur è Moscho petitum de fideli hominis cujusdam hæretici famulo, qui cum sacram de more particulam servasset in armario repositam; forte accidit, ut heri jussu peregre, subito urgente negotio proficisceretur, multoque quam putarat diutius abesset domo; Quo factum est, plane (ut in scholis loquuntur) *per accidens*, ut illas sacra particula annum totum in illo armario hæserit. Alias, si nihil hujusmodi accideret, non est verisimilem ultra unum, aut alterum, vel tertium quartumve ad summum diem dilatum olim fuisse particularum, quæ asservabantur, esum. Sed etsi par esset utriusque, veteris scilicet & hodiernæ asservationis ratio ac conditio, illam tamen à Latinis antiquari

CAPUT XVII.

1 Cor. 10. 17.

Caput XVII. minime decebat, tantis antiquitatis veneratoribus. Utcumque sit, patet eos, etiam in hac parte, novatores fuisse, si, quod apud veteres in usu fuit, id ipsi obsolescere, tandemque plane exstingui passi sunt; tanto contumeliosius, quanto gravior in majores irreverentia est eorum instituta rescindere atque abolere, quam novis adjectis amplificare.

Hunc autem, quem diximus, morem & veterum fuisse & Latinorum esse desiisse, utrumque juxta certum atque manifestum est. Ac primo quidem morem hunc nos alibi *t* ex Tertulliano & Cypriano clare ostendimus jam ab initio tertij seculi usitatum fuisse. Sed & diu postea mansisse clarum est, ex sequentium temporum monumentis. De quarto seculo testis inprimis est locupletissimus Basilius, qui ad a. D. 380. pervenit. Is enim negat *u* *graviter aut inique ferendum esse, si quis sacerdote vel ministro absente propriis manibus communionem percipiat; cum enim primo necessitate, persecutionis temporibus invectum fuisse morem; postea vero inveterata consuetudine confirmatum. Nam* (inquit) *& illi omnes, qui per eremos vitam monasticam instituunt, ubi copia non suppetit sacerdotis, cum habeant domi communionem, de suis manibus illam percipiunt. Alexandriæ autem & per Ægyptum, unusquisque etiam de plebe ut plurimum habet domi suæ communionem.* πάντες γὰρ οἱ κατὰ τὰς ἐρήμους μονάζοντες, ἔνθα μή ἐστιν ἱερεὺς, κοινωνίαν οἴκοι κατέχοντες, ἀφ' ἑαυτῶν μεταλαμβάνουσι. ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ καὶ ἐν Αἰγύπτῳ, ἕκαστος καὶ τῶν ἐν λαῷ τελούντων, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἔχει κοινωνίαν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. Idem aliquot ejusdem ævi exemplis illustratur Gregorius Nazianzenus, Basilij amicus intimus, narrat *x* Gorgoniam sororem suam, gravi morbo laborantem, *si quid antityporum preciosi corporis aut sanguinis manu sua recondidisset, & apud se haberet, id cum lacrymis suis admiscuisse*, atque ita morbo liberatam repente fuisse. εἴπου τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισεν. Ambrosius, qui a. D. 397. mortuus est, ejusdem rei nobis insigne exhibuit exemplum. Narrat *y* enim Satyrum, fratrem suum, cum navis, qua vehebatur, scopuloso vado illisa esset, in ultimo vitæ discrimine constitutum ab iis, qui erant initiati, cum nondum ipse esset baptizatus, ne mysteriis plane vacuus exiret è vita fidelium sacramentum poposcisse, idque orario illigatum collo involvisse; atque ita cum se in mare misisset, incolumen enatasse. De quinto seculo testes duos habemus eximios; Hieronymum tradentem *z* quosdam Romæ de numero nobilium Eucharistiam suæ domi sumpsisse; quam scilicet è mensa Dominica susceptam secum servaverant; & Augustinum narrantem *a* piam quandam matronam Acatio filio oculis capto cataplasma ex eucharistia fecisse; quam adeo habebat domi; filium eo cataplasmate oculis imposito curatum esse. De sexto seculo Gregorius Romanus geminam Ambrosianæ historiam tradit; Maximianum adhuc Monachum cum aliquot sociis Constantinopoli Romam redeuntes, in mari Adriatico nimia tempestate deprehensos, ac præsenti

t L. 2 de cult. relig. obj c. 21. p. 300.

u Bas. ep. 289. T. 3. p. 279. B.

x Greg. Naz. Orat. 2. T. 1. p. 187 B.

y Ambr. de obitu Satyri.

z Hieron. Apol ep. 50. ad pamm T. 2. fol. 39 I.

a Aug. L. 3. op. imp. contr. Iulian. §. 164.

b Greg. Dial. L. 3, c. 36.

præsenti monte turbatos *sibimet pacem dedisse, corpus & sanguinem Redemptoris accepisse, Deo se singulos commendantes.* Deique benignitate præter spem omnem humanam octavo post die mirabiliter servatos esse. Ioannes Diaconos eadem ex Gregorio, cujus vitam scripsit, repetita narrat. Arcudius perperam, veluti duas de rebus diversis narrationes suis lectoribus obtrudit. *d* Eadem Benedicti ratio est: quem idem Gregorius narrat jussisse Eucharistiam poni super pectus cujusdam monachi mortui, atque ita eum sepeliri. Eucharistiam illam Benedictus, non ex Ecclesiæ pyxide, quod fingit Bellarminus sed arcu habuit, in qua eum pro more illius ævi servabat. Atque ex his Baronij manifestus error arguitur, scribentis *g hanc consuetudinem in Occidente perseverasse saltem usque ad Hormisdæ tempora.* Cum enim Gregorius annis post Hormisdam 67. ordinatus fuerit Romæ Episcopus, patet etiam post Hormisdam eundem illum Eucharistiæ domi servandæ morem in Occidente mansisse. Arcudius Baronium errantem sequitur. Vtriusque eo inexcusabilior fuit oscitantia, quod quo loco dicunt *istam consuetudinem apud Latinos antiquatam esse tum ex Concilio Toletano I. c.14. tum ex Cæsaraugustano c.3. & Rotomagensi Can.2.* eodem inquam illo loco attulerant & Maximiani ex Gregorio I. & quatuor sacerdotum ex Laurentij Dublinensis vita mox à nobis proferendam historiam; quarum prior quidem consuetudinem illam annis post Cæsaraugustanam Synodum 140. post Toletanam 120. in usu adhuc apud Latinos fuisse docet; Posterior vero annis post Rothomagensem Synodum circiter 150. fuisse adhuc in ultimo Occidente usurpatam, manifestam fidem facit. Baronius alibi eorum, qui Synodum Cæsaraugustanam ad Hormisdæ tempora rejecerant parachronismum corrigit. Scribit enim habitam sub Damaso a. D. 381. Garsias Loaisa ad a.D.380. retulit. *k* Fateor in illa Synodo Episcopos Hispanos anathema ei dixisse, qui *Eucharistiæ gratiam in Ecclesia acceptam non sumpserit*; idque ipsum decretum Toletanos ejusdem gentis Patres his verbis post annos XX. *Siquis acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur.* Vnde ducta sunt, ut apparet, illa quæ in Capitulari Caroli Magni leguntur; *n Placuit, ut omnes qui sacrum acceperint Eucharistiam, & non sumpserint, ut sacrilegi repellantur.* Iam cum Gregorij Nazianzeni de Gorgonia sorore Ambrosij de Satyro fratre, Gregorij Romani de Maximiano & sociis, narrationes vincant neque Cæsaraugustanæ, neque Toletanæ Synodi decreta vel à Latinis fuisse observata; necessario confitendum est illum utriusque Synodi canonem topicum & nationalem duntaxat fuisse, neque alibi quam apud Hispanos valuisse; in quorum sane gratiam ex causis gentis illius propriis conditus fuerat. Illis enim temporibus, quibus utraque Synodus habita est, per Hispanias grassabatur pestifera Priscillianistarum hæresis, qui (quod est à Baronio observatum) *o ut laterent, convenientes ad Ecclesiam Catholicorum, ut viderentur communicare, sic accipiebant Eucharistiam; ut eam non comederent.* Hispani ergo Patres, ut hanc latebram

CAPUT XVII.

c Ioan. Diac. Vita Greg. L.1.c.33.
d Arcud. de conc. Eccl. Or l.3. c.59. p.343.
e Greg. Dial. L. 2. c. 24.
f Bell. L.4. de Euch. 4. §. Post a. D.
g Bar. a. D. 57. §.150.
h Arcud. ub. supr. L.3. c. 59. p.344.
i Bar. a. D. 381. §.
k Loais. ad Syn. Cæsar. aug. 1.
l Conc. Cæsar. c.3. T.1. Conc. p.684.
m Conc. Toll. c. 14. ibid. p.739.
n Capit. Car. M. L.7. c. 367.
o Bar. a. D. 381. §.106.

Caput XVII. lucifugis unguibus eriperent, canonem illum in duabus Synodis apud suos promulgarent, cuius nulla à cæteris Christiani orbis provinciis habita est ratio; quod se scirent scilicet Priscillianisticæ pestis expertes, adeoque intelligerent non sibi, sed Hispanis latam fuisse hanc legem: neque iustum esse putarent consuetudinem longo usu apud vniuersam Ecclesiam firmatam uno atque altero aliquot de Hispania Antistitum gentis suæ caussis consulentium decreto convelli & aboleri.

Præter adducta ex Gregorio exempla alia sunt, quæ eundem morem illis temporibus perseverasse ostendunt. Quale est, quod apud Ioannem p Moschum occurrit de fideli, & Catholico viro Seleuciensis civis severiana hæres, infecti famulo, qui cum die Cœnæ Dominicæ (id est feria quinta Paschali communionem ex illius regionis more accepisset: eam linteo mundissimo involutam in armario reposuit, in quo totum annum vertentem mansit, cum ille Constantinopolim negotij cujusdam gratia missus eam istic per oblivionem proficiscens dimisisset. Anno autem sequenti, eadem feria Paschali recurrente, cum absentis famuli armarium herus hæreticus reserasset, Moschus eum vidisse narrat *sanctas particulas culmos & spicos germinaße*, reique miraculo attonitum ejurata hæresi nomen Ecclesiæ Catholicæ dedisse. οὗτος κατὰ τὸ ἔθος τῆς χώρας ἔλαβε κοινωνίαν τῇ ἁγίᾳ πέμπτῃ. καὶ βαλὼν αὐτὴν ἐν μανδηλίῳ ἀπέθετο ἐν τῷ ἰδίῳ ἀρμαρίῳ. Hæc autem sub extrema sexti sæculi tempora accidisse inde conjectura est, quod ea sibi à Theodoro, Seleuciæ Episcopo, veluti recenti memoria sub Dionysio suo in illa Ecclesia decessore, narrata fuisse ipse Moschus testetur; quem constat paulo post id tempus scripsisse.

p Mosch. Prat. spir. c. 79. Bibl. Patr. Gr. L. T. 1. p. 1089.

Id ipsum apud Latinos etiam septimo sæculo jam ad exitum vergente solenne fuisse apparet, ex iis, quæ Beda de Ceadmone narrat; q qui cum divinitus admonitus intelligeret sibi mortem instare, rogavit ministrum suum, vt sibi locus in casa quadam monasterio, vbi ipse degebat, proxima pararetur, *in qua infirmiores, & qui prope morituri esse viderentur, induci solebant*. Eo translatus, & multa cum iis, qui ibidem antea inerant hilariter locutus, cum jam media pars noctis exacta esset, interrogare omnes cœpit, si Eucharistiam intus haberent; quam allatam in manum accepit, & hoc viatico mature se muniens paulo post in Domino obdormivit. Vnde videmus etiam hoc sæculo apud Anglos, qui Ecclesiæ Romanæ ritus ab Augustino illinc misso acceperant, solenne tamen fuisse, vt Eucharistia extra altare & tabernaculum apud communes domos à fidelibus Laïcis servaretur. Nono sæculo Michael Studites, referente r Baronda, tradit huc fuisse Theodori Studitæ morem, *vt haberet ubique secum partes aliquas vivifici corporis*; & habuisse eum aliquas in carcere, quo arctissime inclusus tenebatur. Quem locum Annalista recitans; *Ferre secum* (inquit) *solitos sanctos viros Eucharistiam in itinere, moris fuisse olim tam in Occidentali quam in Orientali Ecclesia, suis locis sæpe superius dictum est.* Sed quod multo magis mireris, annis etiam post receptam transsubstantiationem non paucis, circa ann. D. 1160. solenne

q Bed. Hist. l. 4. c. 24. extr.

r Prator. a. D. 8. 6. §. 12.

solenne adhuc fuisse quibusdam Latinis peregre proficiscentibus Eucharistiam deferre, discimus ex vita Laurentij Episcopi Dublinensis, in Hibernia; quem constat ex hac vita a. D. 1181. migrasse. Narrat enim vitæ *s* ejus auctor quatuor sacerdotes cum magna turba hominum per loca prædonibus infesta iter facientes *Eucharistiam, sicut tunc moris erat pluribus secum pro tuto viatico ac securo duce itineris publice detulisse.* In his anonymi scriptoris verbis apprime observandum est illud, quod ait *id moris tunc pluribus fuisse* Eo enim duo significat; ac prius quidem illis de quibus scribit temporibus, id est jam altero seculo post constitutam in Papalibus Synodis transsubstantiationem adhuc fuisse id moris, & quidem non paucis, sed *pluribus*, Eucharistiam peregre proficiscentibus *secum* deferre *pro tuto viatico*; quosdam tamen ab illo more desistere jam tum cœpisse. Alterum vero, quod itidem innuit, est eo quo ipse vivebat tempore, plane desiisse eum morem apud suos Latinos. Quod enim ait *tunc fuisse*, id liquido negat *NUNC*, id est eo, quo scribebat, tempore, amplius in usu fuisse. Apud Græcos vero ne hodie quidem mos ille plane penitusque intercidit. Arcudius, ortu Græcus, sed deserta avita religione, Latinus communione, *suæ gentis Monachos Eucharistiam peregre deferre, idque in itineribus longioribus* testatur. *t* Ac id quidem ipse in locis Turcorum, & Barbarorum infidelium tolerandum putat (certe tolerare videtur) quod ibi propter periculum Eucharistiam liceat per vicos sine cruce tintinnabulo & luminibus latenter deferre ægrotantibus; in locis vero Christianorum hunc sibi morem *absurdissimum videri* dicit *propter parvam* (inquit) *reverentiam erga tantum Sacramentum*; neque semel Græcos suos ille transfuga hac de re culpat. Ego vero illum non miror patriæ à qua defecit, mores reprehendere: Latinorum, ad quos transiit, laudare; miror præ novæ suæ fidei studio non cogitare se, dum cives ac gentiles suos ita procaciter insectatur, vetustissimos ac sanctissimos Patres una eademque opera sugillare ac proscindere, & *parva*, quod ait, *reverentia erga tantum sacramentum* damnare Neque enim negare ausus esset, quod à novis ejus magistris paulo ante affirmari diximus, *sanctos viros tam in Orientali, quam in Occidentali Ecclesia*, id olim, etiam nono seculo fecisse, quod novus iste ex Græco Latinus Aristarchus in parentibus & civibus suis ferre non potest. Neque ejus temeritatem purgat, quod apud infideles versantibus ista permittit, quæ *in locis Christianorum ferre* non potest. Non enim qui Ambrosii ævo una cum Satyro ejus fratre in Sardoo mari navigabant fideles, vel qui Gregorij temporibus in Adriatico, Maximianus & socij, in barbarorum & infidelium locis versabantur. Ergo tingatur licet Arcudius, & quicquid est famelirorum Græculorum, qui ejerata Patrum fide in Latinorum castra transfugiunt; hæc olim apud Græcos Latinosque jam inde à Tertullianeo seculo ad a. D. 1100. per novem nimirum secula, usitata fuerunt, quæque apud *u* Latinos *nostris* (inquit *u* Baronius) *temporibus penitus inconcessa sunt*.

CAPUT XVII.

s Laur. Dubl. Vita. c. 8. apud Sur. d. 14. Nov.

t Arcud. ub. supr. L. 3. c. 59.

u Bar. a. D. 57 §. 150.

Caput XVII.

Sed quid ille rem elevat *inconcessa* dicens quæ sub gravissimis pœnis non nescit interdicta? quæ si fierent, pro capitalibus & abominandis facinoribus apud suos habitum iri novit? Petavius multo simplicius, ista apud veteres usitata fuisse præfatus, x *Siquis* (inquit) *nunc Laicus aliquid simile auderet, is apud nos censeretur gravi pœna expiandi criminis reus, veluti sanctissimi sacramenti profanus temerator.* Quis istos neget priscos majorum mores ac sensus ad unguem referre ac retinere qui ea nunc horrent atque abominantur, quæ illi olim concedebant, etiam laudabant, ac pro sanctimoniæ specimine habebant?

x Petav. de la Penit. publiq. Part. I. L. I. c. 7. p. 94.



DE



DE CVLTIBVS LATINORVM RELIGIOSIS,


LIBER SEPTIMVS,

QVI DE EVCHARISTIA QVINTVS EST.

De Eucharistiæ Adoratione.

CAPVT PRIMVM

Proponitur quæstio de Eucharistiæ adoratione. Status controversiæ. Latinorum pro adoratione argumenta solvuntur, I. ex Pseud Origenis Hom. 5. de diversis, ex quo neque transsubstantiationem, neque adorationem Eucharistiæ sequi ostenditur. Perronij fides.



De iis hactenus diximus, quæcumque in hoc Eucharistiæ sacramento ad rem ipsam pertinent, & quibus vel materia ipsa ex qua fit continetur, vel ratio, qua fit, aut distribuitur, aut sumitur; atque in his singulis non pauca esse ostendimus, quæ præter veteris Ecclesiæ morem apud Latinos novata sunt. Cætera minutiora nunc expendenda supersunt. Sed quod de eorum origine multo minor est, quam de superioribus controversia, antequam ad ea procedamus, non modo utile, sed etiam necessarium esse videtur, ut de sacramenti hujus adoratione, quam apud Latinos obtinere non semel demonstravimus, fusius disputemus. Est enim hæc quæstionum omnium, quæ de cultibus Eucharisticis agitantur, longe nobilissima, maximeque momentosa; ad quam cætera si non omnia, certe plæraque referri, imo propter eam inventa atque novata esse suis quæque locis monuimus. Ac primis quidem tribus

Christianismi

Cap. I. Christianismi seculis ignotum fuisse hunc Eucharistiæ cultum, fuse ac nisi fallor, non obscuris neque infirmis argumentis demonstravimus, in alio opere, quod de cultus religiosi objecto edidimus. a Sed & in hac ipsa disputatione multa jam supra præstruximus, ex quibus facile intelligitur, ne sequentibus quidem ad Berengariana usque certamina temporibus, solenne fuisse apud Latinos Eucharistiæ symbola latriæ cultu ut nunc fit, adorare. Quin & pauca quædam, quæ ex Liturgiis ad eum cultum constituendum à nonnullis afferuntur, obiter supra b solvimus, atque explicavimus. Ac tametsi veri videatur simillimum, nullum apud veteres eum Eucharistiæ cultum fuisse, qui in Liturgiis, id est iis ipsis in locis nullus cernitur, in quibus omnes hujus sacramenti partes, atque actus sigillatim copiose ac perspicue repræsentantur; tamen quod Latinorum Theologi suum illum ritum ex aliis antiquitatis monumentis probare ac constituere conentur, multaque ad eam rem veterum scriptorum testimonia recitent, hanc etiam partem expendere placuit, totumque hunc locum quo ad quidem à nobis fieri poterit, diligenter purgare. In ea autem disputatione ita versabor, ut ea primum excutiam, quæ Latini objectant; Cum enim jam a nobis in iis quos dixi libris, præstructum sit ignotam Christianis fuisse ad an. D. 300. hanc Eucharistiæ latriam, necesse est si ea proxime sequentibus temporibus obtinuit, aliquid fuisse in Christianismo præter majorum fidem ac religionem novatam. Id autem factum esse, eorum in primis est demonstrare, qui factum esse contendunt. Nisi id claris documentis approbaverint, apparet rationi esse consentaneum, ut Apostolicæ ac primitivæ Ecclesiæ nepotes potius existimemus in majorum, ut decebat, cultu ac fides mansisse, neque adeo insignem & momentosam novitatem præter ea, quæ à totius religionis auctoribus tradita acceperant, in Christianismum invexisse. Tum vero depulsis cum bono Deo adversariorum telis, illa parte altera afferam, quæ mihi ad verum constituendum aptissima ac maxime idonea videbuntur. Sic enim apertissime constabit totum illum Eucharisticæ adorationis ritum, qui nunc apud Latinos tanto studio tantoque zelo exercetur ac defenditur, novum, imo recentem esse totisque mille annis orbi Christiano ignotum, tandem invecta in Ecclesiæ Romanæ fidem transsubstantiatione in religionem paulatim irrepsisse ac invasisse.

a L. 1. & toto 2.

b Supr. L. 3. c. 12.

Ac priusquam rem ipsam aggrediar, paucis, nequid erroris contingat, aperiendum est, qui verus sit hujus controversiæ status. Itaque illud principio in tota hac disputatione memori mente tenendum est, nos neutiquam abnuere, quin pani & calici, sacris Dominici corporis & sanguinis symbolis suus honos, suaque reventia debeatur. tum ob auctoris majestatem, tum ob rerum quas significant, divinitatem, ac denique ob usus, quem in religione habent, excellentiam singularem. Sed omnem hanc in illa symbola reverentiam ad id honoris genus pertinere censemus, qui & olim Agno Paschali, & nunc baptismo, cæterisque religionis signis, ritibusque sacris legitime habetur, ab eo cultu, qui summo Dei Opt.

Opt. max. numini summus debetur, longe quod omnes fatentur diversus, immensoque infra eum spatio subsidens ac jacens. Sed & illud secundo diligentissime advertendum est, neque nos detrectare, quin fideles in ipsa hujus sacramenti perceptione, divinum corpus hic quidem significatum, in cœlis vero ad Dei dexteram in Majestatis solio radians, prono mentis totiusque animi affecta adorent. Quod enim religiose coli omni & tempore & loco fas esse credimus, id absit ut eo rerum articulo colendum negemus, quo maxime nostram in Dominum pietatem ac religionem cum grata salutis ab eo acceptæ recordatione conjunctam testamur. Hoc unum contendimus hic, ut alias semper, diligenter esse secernenda signa à rebus, quorum signa sunt; enixeque cavendum, ne, quod Augustinus miserrimæ servitutis esse pronuntiat, *c* signa pro rebus accipiamus, altera cum alteris permiscentes, ac confundentes. Signis sua reverentia exhibeatur; Christo sua uni latria servetur. Quæ tametsi in uno eodemque officio, dum sacramentum percipimus, simul semelque fiant, distincta tamen altera ab alteris & inconfusa manere necesse est; quod in baptismo, altero novi fœderis sacramento, clarissime elucet; in quo qui tinguntur adulti, ii Christum Dominum, cui initiantur, quemque toto animo circumfusi complectuntur, religiosissime veluti Servatorem, Redemptorem, ac Deum suum, adorant eo latriæ cultu, quo nullus est superior; & aquam sanctissimum mysterij symbolum, qua eodem momento à ministro perfunduntur, reverenter excipiunt; Vnde nemo sanus concluserit ab iis ipsam quoque aquam latria adorari. Omnes fatentur aliud esse quod Christo; aliud quod aquæ honoris exsolvitur. Plane eadem est honoris, qui in Eucharistiæ perceptione tum Christo, tum sacramento exhibetur, ratio. Non ergo inter nos jam quæritur, num veteris Ecclesiæ fideles, cum communicarent, vel Christum latria adorarint, vel panem & calicem sacrum reverenter exceperint; De utroque, ultro assentimur, ac confitemur. Illud proprie quæritur, an sacramento, quod ministri manu porrectum ipsi accipiebant & sumebant *latriæ cultum, qui vero Deo debetur, exhibuerint*; an is mos qui nunc apud Latinos solennis legitimusque est, *in Catholica Ecclesia semper receptus fuerit.* Ait Tridentina Synodus, cujus hæc ipsissima verba sunt; *d* Nos negamus. Ad hanc lineam certandum est. Hic consistendum. Hoc adversario demonstrandum. Nisi hoc egerit, quicquid aliud egerit, id quod quidem ad præsentem disputationem pertinet, frustra egerit. Ac de antiquissimæ quidem Ecclesiæ, quæ primis tribus Christianismi seculis floruit, more ac instituto, satis superque à nobis in alio opere *e* actum est. Neque adversarij ex primo illo verissimo ac sanctissimo Christianismi statu quicquam habent quod objiciant. Nunc

CAP. I.

c Aug. L. 3. de doctr. Christ. c. 5. extr. & c. 9.

d Conc. Trid. Sess. 13. c. 5.

e L. 2. de relig. cult. obj.

Caput I. quoniam diximus hanc adorationem sero institutam fuisse post receptum undecimo seculo publicaque lege sancitum transsubstantiationis dogma; sequens quoque ab a. D. 300. ad 1100. ætas vindicanda est. Videamus ergo siquid omnibus illis seculis occurrat, quo contraria adversariorum opinio suum Eucharistiæ cultum omni illo tempore apud Christianos obtinuisse contendentium probari constituique possit.

f Bell. l. 4. de Euch. c. 29. §. Secundo probatur.

Bellarminus levissime defungitur *f* ad ea loca nos dimittens, quæ in disputatione de transsubstantiatione à se adducta & expensa fuisse dicit. Perronius eadem, & nonnulla fortasse alia fusius more suo tractat. Nos singula pro ordine temporum evolvemus. Quo in censu hic primam consideremus, quem Origenis nomine afferant locum ex opere decem de diversis homiliarum. Eum enim locum ex priori de religiosi cultus objecto disputatione, ideo nominatim exclusimus, *g* quod ejus operis in quo legitur, non Origenes, sed incertus nescio quis auctor sit. Nam & cæteras homilias quæ eo opere continentur, pæne omnes, ipsi Latini Origeni jamdudum abdicarunt; secundam Erasmus, Sixtus Senensis, Baronius, Possevinus, Gretserus, & hic ipse, qui quintam nunc objicit, Bellarminus; *h* octavam Erasmus, & Merlinus; nonam & decimam idem ille Bellarminus. Primam denique noster Albertinus *i* ex Origenis familia justo certoque decreto ejecit, quod de beatissimæ Virginis partu plane aliter quam Origenes philosophetur, id negans quod diserte ait Origenes, sanctissimæ Mariæ *uterum in partu fuisse reseratum*. Neque mihi veriores videntur reliquæ, quos illi intactas reliquerunt. Tertiam alienam esse ab Origene multa viri eruditione & ingenio indigna arguunt, *m* tota sensuum & orationis id ea, cujus specimen vide in illa Herodis prosopopœa, quæ in media homilia habetur; tum in his, quæ de eodem ibidem dicuntur; *frendebat dentibus, nubilo tenebricabatur aspectu, igneus oculis ejus sese turbo infuderat*, & cætera vix in tirone ferenda. Neque ego putaverim infantium ab Herode occisorum *memoriam*, quod iste scriptor affirmat, jam Origenis temporibus, *semper in Ecclesiis celebratam fuisse secundum integrum ordinem Sanctorum*; idque *Sanctos Patres mandavisse*. Sed hanc ipsam quintam, ex qua Latini argumentantur, non esse Origenis clamat *n* quod inter largitiones fidelibus solennes eas recenset quæ *in altaris honorem cultumque sanctorum fiebant*; nondum quod sciam, ævo Origenico apud nostros notas & usitatas. Quo & illa accedunt quæ de *agri* & *villæ* etymo philosophatur, *agrum dici quod in eo aliquid agatur, villam* vero *à circumvallatione limitis*. Hæc enim scriptorem produnt hominem fuisse Latinum, & quidem satis ineptum; quod utrumque ab Origenis & gente & ingenio valde alienum est. Sed si homiliam Origenis esse nego, non ideo nuperam esse aio. Fateor esse prisci alicujus, de sequioribus post Origenem seculis

g L. 1. de relig. cult. c. 3. p. 37.

h Bell. de script. Eccl. in Orig. de cæteris vid. Coc. in Orig.

i Albert. de Euch. in Orig. c. 3. p. 364 col. 2.

k Orig. hom. 1. de div. init. *claustris non apertis genuit*

l Hom. 14. in Luc. p. 224. init. pag.

m Hom. 3. de div. Orig. T. 2. p. 436.

n Ibid. Hom. 5. p. 440.

o Ibid. p.

seculis. Videamus ergo an Eucharistiam jam tum cum scripta est, adorari fidelibus solitam fuisse demonstret. Auctor illa Centurionis ad Dominum ex Matthæi capite octavo enarrans, p *Non sum dignus, ut sub tectum meum intres; Intrat & nunc* (inquit) *Dominus sub tectum credentium duplici figura, vel more. Nunc enim quando sancti & Deo acceptabiles Ecclesiarum Antistites sub tectum tuum intrant, tunc ibidem per eos Dominus ingreditur; & tu sic existimes, quasi Dominum suscipiens. Et aliud; Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians te ipsum, imitare Centurionem, & dicito, Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Ubi enim indigne ingreditur, ibi ad judicium ingreditur accipienti.* Hæc ille. Bellarminus eo loco, ad quem nos dimittit, hinc argumentatur, quod communicantes ore accipiunt, ipsum esse Dominum Christum (sub panis scilicet speciebus ex præcepto de transsubstantiatione dogmate) latentem. Hoc vero ubi assecutus fuerit, tum hinc aliis assutis ex suo ingenio argumentum conficiet, Eucharistiam adorandam esse, quod eâ scilicet Christus contineatur. Itaque omnes jam vident hunc locum ad disputationem non de adoratione (de qua nihil habet) sed de Domini reali (ut loquuntur) in sacramento præsentia pertinere. Recta enim nihil de adoratione concludit; id tantum inde colligi putat Bellarminus, ex quo si concessum fuerit, consequetur Eucharistiam esse adorandam. Atqui si sic agere licet, magna in hanc disputationem invehetur confusio. Sic enim licebit quæ pro reali Christi in sacramento præsentia à Latinis afferuntur, ea fere omnia in hunc quoque locum transferre, quod illi ex ea semel posita sequi existiment sacramentum esse adorandum. Itaque candidius egisset Bellarminus, si hunc locum in priori de Christi in sacramento præsentia, quo proprie pertinet, attulisse contentus, eo in hac altera de adoratione causa plane abstinuisset. Sed quando ei nobiscum ita se gerere libuit, age videamus, quantam vim habeat hæc ejus argumentatio. q *Si* (inquit) *loqueretur Origenes de corpore Domini per metonymiam, id est de pane significante corpus Christi, non vocaret eum panem, incorruptum epulum, nec ei dici vellet, Domine non sum dignus*, &c. Ego vero respondeo homiliæ auctorem de duobus apertissime loqui, de *sancto illo cibo*, quem *incorruptum epulum*, *vitæ panem*, ac denique *corpus & sanguinem Domini* vocat, Alterum vero subjectum de quo loquitur *Dominus* est, quem ait sub communicantis *tectum ingredi*. Bellarminus hæc duo subdole, sed falso, inter se confundit, ac pro uno eodemque subjecto accipi vult; quæ auctor apertissime distinxit, alterumque ab altero secrevit. De priori dicit, communicantem

CAPUT I.

p Ibid p. 441. ult. med.

q Bell. L. 1. de Euch. c. 8. §. Alterum testimonium.

Cap. I. cibum illum accipere, Domini corpus manducare, sanguinemque bibere; de posteriori dicit *Dominum sub tectum nostrum ingredi*. Hæc autem diversa inter se esse, quis non videt? Neque enim vel qui hospitis tectum subit, eum quisquam *ab hospite manducari, bibi, in cibum accipi* dixerit, vel cujus *corpus, & sanguis ab hospite manducatur & bibitur*, eum sub *tectum hospitis intrare*. Hi actus tam inter se diversi res ipsas, quibus illi tribuuntur, plurimum quoque inter se differre apertissime indicant. Si vero unam eandemque Christi personam (quod pugnat Bellarminus) significare hic scriptor voluisset, nihil necesse erat tam diversis vocabulis in priori & posteriori enuntiationis parte uti; rem satis in priori parte vero nomine expressam relativo pronomine simpliciter in posteriori ad hunc modum signasset: *Quando Dominum in sacro & incorrupto epulo manducas, ille ipse tunc sub tectum tuum ingreditur*. Qui ergo non ita loquitur, sed alia in hac parte vocabula, alia in illa usurpat, in illa quidem *sanctum cibum, incorruptum epulum, vitæ panem & poculum, corpus* denique *ac sanguinem Domini* dicit; in hac vero *Dominum* ipsum; is hoc tanto nominum discrimine clamat se res diversissimas intelligere; prioribus scilicet nominibus *Eucharistiam* Domini epulum, posteriori vero *Domini* vocabulo ipsam *Christi* personam significasse; plane ac si dixisset *Quando panem & poculum sacrum accipis, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur*. Sed & ipsa scriptoris mens, totiusque loci ratio necessario postit res istis vocabulis diversas significari. Nam quisquis hunc locum attente legerit, statim per se satis intelliget, scriptorem hoc velle, quod posteriori loco dicit, *Dominum sub tectum nostrum ingredi*, aliquid esse majus, ac divinius, nobisque honorificentius, quam quod priori loco dixerat, *Domini corpus manducare & sanguinem bibere*. At si hoc de ipsa Domini persona ac natura proprie dicta perinde ac in secundo loco *Domini* nomen intelligas; patet totam illam manifestissimam scriptoris intentionem perverti. Nam si ita se res habeat, quod posteriori loco dicitur, eo quod priori dictum erat, non modo non erit majus, sed etiam multo erit minus. Quis enim non intelligit, multo majus, atque mirabilius esse Christum in os, in pectus, in viscera ipsa admittere, quam in ædes? Christumque multo majori amore ac honore eum dignari, in cujus se viscera penitus immittit, quam cujus tectum subit? Ergo nisi tu hunc tuum testem Bellarmine ineptissime, ac plane ridicule non modo aliud quam quod in animo habebat, sed res cum iis quas intendebat, recta pugnantes locutum fingas; necessario confiteri debes illum quem priori loco dicit *sanctum cibum, vitæ panem* &c. omnino aliud esse, quam hunc, quem posteriori loco nominat, *Dominum*. Atque ita esse altera illa, quæ præcessit, hujus gemina, enuntiatio liquido demonstrat; *Quando* (inquit) *sancti & Deo acceptabiles Ecclesiarum antistites sub tectum tuum intrant, tunc ibidem per eos Dominus ingreditur*. Hic ne tu quidem negatis *Antistites*, quos priori loco dicit, plane aliud esse quam *Dominum*, quem deinceps nominat; & hoc quod posteriori loco ait, *Dominum tectum nostrum subire* aliquid esse

majus

majus atque honorificentius, quam quod prius dixerat, *Antistites sub tectum nostrum intrare*; ac denique id quod dicit, Dominum *tunc* ad nos *ingredi*, non proprie esse intelligendum, ac si vellet significare Christi personam naturamque ejus humanam tectum nostrum corpore suo subire (quod omnes satis vident esse absurdissimum) sed improprie ac figurate esse accipiendum; ut eo significetur Christum ad nos non *per se*, sed per *Antistites* ingredi, quod ipsum diserte adjecit auctor, *tunc* (inquit) *PER EOS Dominus ingreditur*. Vno verbo Christum dicit tunc *ad nos ingredi*, quia *aliquid Christi* (ut sic dicam) tunc tectum nostram subit; tametsi non ipse Christus, vel ipsa Christi persona tectum nostrum subeat. Illos enim antistites quos qualesque describit, nemo aliquid Christi esse negaverit; Christi scilicet ministros, & membra. Omnino par eorum est ratio, quæ continenter de communicantibus subjicit; *Quando sanctum cibum &c. accipis, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur* Ergo & hic, ut in superiore exemplo, aliud *cibus*, aliud *Dominus*; & *Dominum sub tectum tuum ingredi*, aliquid majus atque honorificentius est, quam sacrum *cibum accipere*; ac denique quod ait tunc cum communicamus scilicet *Dominum sub tectum nostrum ingredi*, id non proprie dictum esse, ac si Christus ipse, ejusque vel persona vel natura humana ad nos veniat; sed improprie ac figurate, ut significetur Christus non per se, sed per *sacramentum suum* ingredi; non quod *ipse*, sed quod *ipsius aliquid*, tum ad nos ingrediatur; ejus scilicet panis ac poculum; qualiter Christum & per Antistites *ad nos ingredi* modo dixerat, & paulo ante *verbo venire*, ubi Centurionem indignitatem suam ne Christus ad se veniret, pluribus excusantem, inducit; [r] *Non sum dignus* (inquit) *ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, sed tantum VENI VERBO*. Eadem *ingrediendi*, quæ *veniendi*, & *sacramenti* eadem quæ *verbi* ratio. Quod Christus ad nos *sacramento ingreditur*, eo Christi sacramentum Christum ipsum proprie ac realiter esse, haud sapientius dixeris, quam Christi verbum ipsum realiter Christum ideo esse, quod Christus *verbo ad nos veniat*. Denique ipse scriptor hæc ita esse accipienda hunc sermonem ingrediens diserte præcipit, certe præcipere videtur; *Intrat* (inquit) *& nunc Dominus sub tectum credentium duplici figura vel more*; *Figuram* dicit, non proprietatem; neque alteram tantum *figuram*, qua ad nos Christus per *antistites* ingreditur; sed *utramque*; *duplici* (inquit) *figura*, adeoque etiam ea, qua Christus per cibum sanctum, sub tectum nostrum intrat. Quanquam de eo nos moneri nihil magnopere opus erat. Quid enim ista sermonis figura notius, qua vel Christo, vel à Christo fieri dicuntur, quæ iis rebus & personis fiunt, quæ Christi sunt, qualia illa sunt, [s] *Qui recipit vos, me recipit*; *Qui vos audit, me audit*; Qui *vos spernit, me spernit Qui accipit siquem misero, me accipit*. *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*. Inde illud, *Saule, Saule quid me persequeris?* Vt quæ ministri Christi nomine patiuntur ea Christus ipse pati dicitur. Iam ut ministri, sic & verbum, & sacramenta aliquid quoque sunt

CAP. I.

r Orig. ub. supr. p. 491.

s Matth. 10. 40. Luc. 10. 16. Ioan. 12. 20. Matth. 25. 40. Act. 9. 4.

Cap. I. Christi; ejus scilicet organa, media, ac instrumenta, quæ non modo instituit, sed quibus etiam ipse utitur ad opus ædificationis nostræ; ut ad quos *verbum venit*, quibus sacramentum aliquod *Dominicum* confertur, ad eos nihil mirum sit dici Christum ipsum *ingressum esse*. Cum ergo ex his satis superque pateat *cibum, & Dominum* in loco objecto duo esse re inter se distincta, aliudque cibum esse, aliud Dominum; hinc non modo non confirmatur, sed etiam apertè evertitur ac refellitur quod Bellarminus inde concludit Eucharistiæ sacramentum vere proprieque esse Christi corpus; adeoque ipsum Christum. Quæ vero ille affert, ut hoc probet, ea ex his quæ diximus, nullo negotio vel solvuntur, vel etiam refelluntur: Ne ipse quidem id urget, quod cibum illum sanctum scriptor *corpus Domini* dicit. Merito facit. Verissimum enim est, quod dicit *t* illud *corporis Dominici* nomen *de pane significante corpus Christi* id est de Eucharistia per metonymiam dici. Nihil apud Patres vulgarius; de quo & ipsi nos sedulo monuerant. Augustinus; *u Pane quidem sacramentum omnes corpus eius* (Christi) *dicimus*. Facundus & ipse quoque Afer, sed Augustino centum annis recentior; *x Sacramentum corporis & sanguinis eius* (Christi) *quod est in pane & poculo consecrato CORPUS eius & SANGUINEM dicimus, non quod proprie corpus eius sit panis, & poculum sanguis; sed quod in se mysterium corporis sanguinisque contineant*. Quod vero Bellarminus sic accipi posse negat *corporis Dominici* nomen apud homiliæ scriptorem positum; in eo largiter fallitur. Sed (inquit) si ita acciperet, *non vocaret eum panem*, incorruptum epulum. Quidni (inquam) Bellarmine? Petrus quidem *verbum Dei semen* regenerationis nostræ scilicet, *incorruptibile* vocat. *y* Sacramentum quoque *Dei verbum* est; neque alio à verbo distat, nisi quod aure, illud oculo & manu & ore percipitur; unde & hoc Augustinus *visibile verbum* dixit. *z* Et baptismum alterum Ecclesiæ sacramentum, *aquam vitæ* ὕδωρ ζωῆς Iustinus, *a indumentum incorruptionis* ἀφθαρσίας ἔνδυμα Nazianzenus *b* vocant; unde nemo colligit aquam baptismalem vel Christum, vel Spiritum Sanctum vere esse ac *realiter*. Quod vero negat Bellarminus sacro pani dici posse, *Domine non sum dignus*, fateor. Domino Christo sic ad nos in sacramento, ut in *verbo*, ut in *Ecclesiæ antistitibus venienti*, id dici non posse nego; neque ex eo *panis* magis quam *verbi*, vel *Antistitum* in Christum transsubstantiationem, vel certe Christi in his præsentiam realem concludi posse defendo. Ex quibus quivis videt, frustra & præter rem hic ab eodem illa afferri *Christum per fidem non posse accipi nisi à piis, & ab indignis non accipi secundum nos, nisi externum symbolum*. Nihil enim hic scriptor habet, quod his repugnet. Is enim cibus de quo loquitur, non alius à nobis intelligitur, quam Dominici corporis sacramentum, quod etiam ab impiis aliquando, sed in judicium sumi, confitemur. Atque hinc postremo omnes intelligunt, cum ex hoc ignoti scriptoris loco vel panis transsubstantiatio vel Christi realis in pane præsentia nullis Bellarminianæ sophistices fidiculis extorqueri possit, multo minus ex eo

Eucharistiæ

t Bell. L. 2. de Euch. c. 8. §. Alterum test.
u Aug. serm. 53. de verb. Dom.
x Facund. L. 9. de trib. capit.
y 1. Petr. 1. 23.
z Aug. L. 19. contr. Faust. c 16.
a Iust. contr. Tryph. p. 178. lin. 48.
b Greg. Naz. orat. 40.

Eucharistiæ adorationem ulla arte elici posse. Nimirum cui scriptor dici vult, *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum*, quemque ideo Bellarminus *adorari & invocari* argumentatur: is (quod ille absurdissime atque ineptissime supponit, non est panis Eucharisticus, qui à communicantibus ore corporis manducatur: absit: sed est Dominus Christus, quem panis ille significat ex ipsius instituto, & *in quo* vel *per quem* Dominus ad nos *venire & ingredi* dicitur, non proprie, ac ut sic dicam *naturaliter* vel *personaliter*, sed metaphorice & figurate: ut in suo sacramento: plane eodem modo, quo idem quoque Christus ab hoc ipso auctore ad nos & *in verbo venire*, & *per Ecclesiæ antistites* ingredi hoc eodem in loco dicitur: unde nemo sanæ mentis concluserit, vel vocali Domini verbo, quod aures carnis nostræ ferit, vel *antistitibus* Ecclesiæ nos Christi nomine convenientibus, latriæ adorationem atque religiosam invocationem exhiberi à nobis debere. CAP. I.

Perronius hunc quoque locum in tractatu de adoratione Eucharistiæ, velut idoneum admittit, *c* sed ad aliam sui operis partem, eam scilicet quæ est de transsubstantiatione nos ablegat, in qua se adversarij solutiones discussisse dicit. Sed ibi de adoratione nihil proprie dicit. *d* Tantum ex his scriptoris verbis haberi affirmat Christi corpus vere ac realiter esse in sacramento. Cæterum ad id probandum nihil habet præter illa ipsa, quæ à Bellarmino allata profligavimus. Sed antequam ad cætera pergo, obiter observandum est qua fide Perronius disputator ille apud nostrates famosissimus, quaque religione controversias nostras tractarit. Ille Origenem quoties occurrit, miris modis lacerat, veluti hominem intestabilem: in hac nominatim causa, quæ de Eucharistia est, *omni auctoritate carere* pronuntiat: *e* & cum nobilem ex eo locum objecisset adversarius, ne viri quidem conspectum tulit: totusque repente inhorrescens exclamat, indignatur, tumultuatur, maledicta & convicia eructans, omnesque in miserum Origenem irarum effundit habenas: ac ut cætera mittam, quædam ejus ex loco qui fuerat objectus, hanc vim habere dicit, *f* ut significent ab eo quæri, *an Eucharisticus panis vere sit corpus Christi necne*? Origenem hujus quæstionis *partem negantem sequi ac defendere*: adversus *simpliciores* (quo nomine Perronius vult *g* ab eo *Catholicos* fuisse significatos) *partem quæstionis affirmantem sequentes*. Mitto Perronianæ hujus causæ vana: ut sunt plæraque illius viri. De his Albertinum nostrum non indiligenter, neque perfunctorie disputantem, videat qui volet. Nunc illud tantum observo confiteri Perronium imo docere & argumentis pro sua virili probare hanc fuisse Origenis eandem cum nostra de Eucharistia sententiam; quem ille scilicet affirmat sensisse hoc sacramentum *nequaquam vere esse Christi corpus*. Itaque locum objectum Perronius dimittit ac repudiat veluti hominis adversarij, suarumque partium hostis professi, indignum adeo cujus in hac disputatione ulla habeatur ratio. Satis quidem pro imperio:

c Perr. L. 3. de Euch. c. 12. p. 878.

d Id. ibid L. 2. Auct. 7. Orig. p. 215.

f Ibid. L. 1. c. 35. extr. p. 16.

f Ibid. L. 2. Auct. 7. p. 216.

g Ibid. p. 220.

Cap. II. imperio; Ferremus tamen si sibi constaret. Nunc plane aliter est. Hunc enim Origenem quem modo contra se dicturum, veluti hominem intestabilem, repulit, hunc ipsum inquam, vix dimissum statim revocat, eumque contra nos audiri æquum justumque esse postulat. Homiliam enim illam in qua habetur locus de quo proxime disputavimus, pro genuino Origenis fœtu in nos citat; antiquissimi ac longe doctissimi scriptoris nomen & voces vel explodens, vel laudans, prout rebus suis vel adversatur, vel favet. Nullam ego causam tam desperatam esse puto, quam non sit facile his quidem legibus tueri; ut unius ejusdemque viri testimonium valeat quidem siquid pro te; abiiciatur vero ac dimittatur siquid in te dixerit. Sed ad rem nunc redeamus.

h Ibid. p. 223. 225.

Caput II.

Solvuntur Latinorum pro Eucharistiæ adoratione Arg. II. ex Pseudo-Clemente. III. ex Cyrillo Hierosolymitano. IV. ex Gregorio Nazianzeno. V. ex Ambrosio.

Bellarminus Constitutionum Pseudaphostolicarum parentem inter eos quoque auctores censet, *i* ex quibus suam Eucharistiæ adorationem probari posse putat. *k* Locum indicat L. 2. c. 61. (in Græca editione est 57.) *Quisque ordo seorsum corpus Domini & pretiosum sanguinem sumat accedentes ordine, cum pudore & reverentia, ut ad corpus Regis.* μεταλαμβανέτω ἑκάστη τάξις καθ' ἑαυτὴν τοῦ κυριακοῦ σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος ἐν τάξει, μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας ὡς βασιλέως προσερχόμενοι σώματι. Ex veteris Ecclesiæ stilo, quem nuper ex Augustino & Facundo observabamus, pro Eucharistiæ sacramento *Domini corpus* dicit & *sanguinem*. Sumi à singulis cum *pudore & reverentia* jubet; quod tanto sacramento à Christo in suæ mortis memoriam instituto dignum sit; *latria adorari*, quod unius Dei est, neque hic neque alibi usquam jubet. Eucharistiam porro adiri vult, ὡς βασιλέως σῶμα, *ut corpus Regis*; quia scilicet ejus est μνημεῖον, ac ut hic auctor sæpius nominat ἀντίτυπον, *antitypum*; eo institutum, ut divinissimi illius corporis ad salutem nostram mactati passionem annuntiemus; sacroque hoc ejus monumanto atque pignore excitati divinam illam victimam nobis ob oculos mentis ponamus, ac veluti in ejus præsentia nos geramus. Quis dubitat adultos ad salutarem baptismi aquam eodem quoque pudore, eademque reverentia accedere debere, veluti ad Christum pro nobis mortuum ac sepultum, cum eo commoriturος ac consepeliendos, eumque quod ait *m* Paulus, *induturos*? Nemo tamen illam, ut Iustinus vocat, *vitæ aquam* ideo putaverit latria colendam.

i Bell. L. 4. de Euch. c. 29. §. Secundo probatur.
k Const. L. 2. c. 57. (al. 61.) extr.
l Ibid. L 5. c. 13. p. 926. D. L. 6. c. 29. p. 967. B. L 7. c. 26. p. 975. D.
m Gal. 3. 27.

Sequitur Cyrilli Hierosolymitani locus ex Catechesi Mystagogica quinta, quo Latini plurimum utuntur, ad constituendum tum transsubstantia-

stantiationis, tum adorationis negotium. De priori, quæ ex eo argumententur, mitto; Siquis ea cognoscere cupiat, Albertinum *n* nostrum adeat in opere, quo totam illam quæstionem doctissime ac copiosissime est exsecutus. Quod vero ad Eucharistiæ latriam pertinet, Bellarminus *o* & Perronius *p* illa enixe urgent Cyrilli *q* verba; *Post communionem* (inquit) *corporis Christi, accede & ad calicem sanguinis, non extendens manus, sed pronus, in modum adorationis & venerationis, dicens Amen.* μετὰ τὸ κοινωνῆσαί σε τοῦ σώματος χριστοῦ, προσέρχου καὶ τῷ ποτηρίῳ τοῦ αἵματος, μὴ ἀνατείνων τὰς χεῖρας, ἀλλὰ κύπτων, καὶ τρόπῳ προσκυνήσεως καὶ σεβάσματος, λέγων τὸ ἀμήν. Audio, quo corporis statu accedendum sit ad sacrum calicem; nimirum stantem quidem, sed tamen corpore nonnihil prono & inflexo, in hominis venerabundi morem. Calicem ipsum latria adorari, non equidem audio. Illud fateor, docet mysterium hic agi, rem sacram quæque ad salutem animæ pertinet, tibi communicari; quem ad actum nemo negat, quod jam ab initio præstruximus, magnam reverentiam esse afferendam, ac hujusmodi quæ vel exterius in ore, in oculis, in totius corporis gestu ac positura eluceat. Corpus ergo vult *inclinari* aliquantulum, hactenus ut nonnullam adorantis aut venerantis speciem præ se ferat. Ipsam proprie adorationem fieri non jubet; quamquam etsi juberet, nihil eo Latinorum causam juvaret; hoc enim quicquid est quod præcipit venerationis & adorationis, non definit cui sit impendendum; ego vero non dubito, quin ad ipsum Christum, cujus mysterium agitur, non autem ad symbola, dirigendum esse senserit quicquid adorationis hoc loco fit, siquid fit. Cæterum quod dixi, verum est, auctorem non hic præcipere communicanti, ut vel Christum, vel Christi poculum adoret. Tantum describit, quo corporis habitu accedendum sit ad calicem; quem sic describit, ut communicans pronus sit, hominis adorabundi ac venerabundi more modoque; non corpore, vel humi strato, vel in genua procumbente, sed cervice inflexa, & pectore si forte incurvato. Hæc Cyrilli mens est. Adorationis aliquid simile fieri vult; adorationem ipsam fieri non hic quidem intelligit. Quæ adoratio cultus est religiosus, ac ut Latini loqui amant, *latria*, ea fateor, fit in Eucharistia, sed Christo Domino in cœlo sedenti, & in corde adorantis per fidem præsenti, fit; *pani & calici* non fit. Chrysostomus vero hominem baptisma suscepturum liquido diserteque plenam veri nominis adorationem facere jubet; *r Postquam* (inquit) *ad thalamum Spiritus perveneritis, postquam ad porticum gratiæ accurreritis; postquam prope tremendam simul & desiderabilem piscinam veneritis, & tanquam captivi procideritis coram Rege, omnes similiter in genua vos projicite.* ἐπειδὰν πλησίον γένησθε τῆς φοβερᾶς ὑμῶν καὶ ποθεινῆς κολυμβήθρας, προσπίπτετε τῷ βασιλεῖ, ῥίψατε πάντες ὁμοίως ἐπὶ γόνατα. Adorationem hic disertissime expressit; non solam, ut ille, adorationis similitudinem. Sed eam adorationem dixit, quæ ad Regem, id est Christum, non ad aquam dirigitur. Idem de iis

CAPUT II.

n Albert. L. 2. de Euch. in Cyr. Hier. p. 431. a.

o Bell. L. 2. de Euch. c. 13 §. Neque enim.

p Perr. de Euch. ubi supr.

q Cyrill. Hier. Catech. myst. 5. extr.

r Chrys. Hom. in illud, Simile est regnum. &c.

Cap. XII. quæ Cyrillus habet de Euchariſtico poculo loquens eo magis ſtatuendum eſt, quod ne adorare quidem accedentem ad illum calicem diſerte præcipit.

ſ Greg. Naz. orat. 11.

t Perr. L. 2. de Euch. Auct. 18. p. 345. 346.

Ex Gregorio Nazianzeno locum deſcribunt, in quo narrat ſ Gorgoniam ſororem cum morbo graviſſimo laboraret, abjectis humanis remediis, intempeſta nocte, cum morbus nonnihil remiſiſſet, *ad altare cum fide procubuiſſe, & eum qui ſuper eo honoratur magno clamore invocaſſe*, τῷ θυσιαςηρίῳ προσπίπτει, μετὰ τῆς πίςεως, ἢ τ᾽ ἐπ᾽ αὐτῷ τιμώμενον ἀνακαλεσαμένη βοῇ μεγάλῃ &c. Inanes Perronij t ad hunc locum ampullas de Gorgoniæ in Euchariſticis ſymbolis, ſive vt Gregorius loquitur, antitypis fiducia, nihil moror. Sunt enim mera verba hominis ſibi indulgentis & aërem vano ſtrepitu verberantis, noſque tam ſtultos fore præſumentis, vt ei conceſſuri ſimus, nihil nos in morbis levaminis, aut remedij ſperare poſſe, niſi ab eo, quod ſit numen, unique numini debito cultu dignum; quaſi non & à Deo omnia, & à medicis, aliiſque humanis mediis & à cæteris cauſſis ſecundis præſidij aliquid exſpectare liceat, dum ſuo à ſingulis, ordine ac gradu pendeamus. Bellarminus non quidem fœlicius, ſed tamen ſimplicius, ac meliori fide, miſſis Perronianæ eloquentiæ ſpiſſis & contortis fumis, agit, u & quod Gorgonia eum *qui in altari honoratur* ſive *colitur invocavit*, concludit *adorandam* eſſe Euchariſtiam. Quid ita? Quia (inquit) *dubium eſſe non poteſt, quid ſuper altare colatur, cum nihil ibi ponatur à Chriſtianis niſi panis & vinum mutanda in corpus Chriſti.* Zelus, quo in hoſtiæ gloriam ardet Bellarminus, ejus menti alioqui perſpicaciſſimæ caliginem interdum offundit; atque id illi hoc loco accidiſſe videtur. Sic enim agit, quaſi vel quicquid ſuper aliquo altari colitur, id ſuper eo poni neceſſe ſit; vel quicquid ſuper altari ponitur, id etiam ſuper eo coli deceat; (cultum autem intelligit religioſum, atque uni Deo debitum. At Deum olim ſuper Iſraëlis altari cultum fuiſſe ſatis ni fallor, conſtat; quem ſuper eo poſitum aliquando fuiſſe; haud ſane memini. Et victimas in eodem altari poſitas, ſcimus; adoratas, nemo ut puto, dixerit. Nihil ergo neceſſe eſt Chriſtum quum realiter ſub ſpeciebus hoſtiæ latentem ſuper altari jacere; ut *ſuper eo coli* dici poſſit. Satis eſt, quod omnis ille cultus, qui ſuper altari, vel ut ſimplicius cum Paulo dicam, ſuper menſa Domini peragitur, ad Chriſti gloriam peragitur, eique à piis cum fide & ſumma animi demiſſione offertur. Non ergo antitypa, id eſt panem & vinum, ſed Chriſtum, antitypis illis ſignificatum invocavit Gorgonia; Vnde concludas licet, Chriſtum ergo, qui in menſa ſacra colitur, eſſe invocandum; quod ego libens concedo; Non licet illud quoque quod tu vis, inde argumentari; Ergo panem & vinum corporis & ſanguinis Dominici antitypa, eſſe invocanda, & latriæ cultu adoranda.

u Bell. L. 2. de Euch. c. 18. § Illud teſtim.

Sed

Sed Latini de nobili illo Ambrosii loco præcipue gloriantur, in quo hæc Psalmi verba, *Adorate scabellum pedum ejus*, id est Dei, enarrans; x *Per scabellum* (inquit) *terra intelligitur; per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu, ut supra diximus, adorarunt.* Ad quæ verba Bellarminus absque ullo certamine ἐπινίκιον sibi canit; x *Hic locus* (inquit) *nullam admittit solutionem.* Sed nodum vel indicare, vel certe facere debuerat, antequam ejus solutionem desideraret. Quid enim? Nos-ne *carnem Christi*, quod ait Ambrosius, *in mysteriis*, id est *in sacramentis*, adorari, vel *adorandam esse*, negamus? Perronius solennes quoties fallit, artes hic usurpat; y densa nos interrogationum (ut sic dicam) grandine magno impetu, sed irrito strepitu feriens, & grandibus vocabulis detonans, ex barbaro illo scholarum idiomate quæsitis; *Quis non videt* (inquit) *S. Ambrosium illic loqui de adoratione externa, corporali & visibili, quæ fit in actu celebrationis Eucharistiæ, directeque ac distincte & particulariter ad corpus Christi dirigitur, & quidem ut in Eucharistia existens, non simpliciter ut in cœlo existens? Nam si simpliciter ageretur de adoratione interna, mentali, & intellectuali, qua in spiritu corpus Christi coniunctim una cum divinitate ad Patris dexteram adoramus; quid opus erat præcise hic denotare ipsum celebrationis sacramenti momentum?* Cætera mitto, quæ similibus bombis resonantia per grandes istius paginas volvuntur, & aures flagellant, mentem non poscunt. Noli nos quæso, Perroni, tuis istis ampullis nimium territare. Mitte tua illa, in quibus tantopere tibi places, distinctionum scholasticarum crepundia, *externe, interne, mentalis, corporalis, visibilis intellectualis.* Ego, ut simpliciter & bona fide interroganti tibi respondeam, istorum, quæ tu apud Ambrosium *ab omnibus videri* affirmas, fateor me nihil apud eum vidisse. Eum vidi de illis Prophetæ verbis sollicitum, *Adorate scabellum pedum eius*; quod terram, quæ *scabellum pedum Dei* apud Scripturam est adorare sit nefas. Vidi eum ut hunc nodum exsolvat, eo confugere, ut per terram, carnem à Dei Filio in personæ unionem assumptam, intelligat; quam adorare rite legitimeque apud omnes Christianos constat; idque probat duplici argumento, altero, à solenni adoratione, quæ colitur apud Ecclesiam in mysteriis; altero, Apostolorum auctoritate, & exemplo, qui *eum adoraverunt in carnis gloria resurgentem*, quod ipse paulo ante dixerat, z & nunc repetit. Hæc autem eo spectant, ut Christi divinitatem ex ejus cultu constituat; qui etiam carni ejus competit ob unionem personalem in quam à Filio assumpta est. Vnde patet nihil ad Ambrosij disputationem referre interna ne sit illa Dominicæ carnis adoratio, an externa; carnis-ne sit in terra an in cœlo existentis; solius-ne & seorsum à divinitate consideratæ, an cum ea & simul cum ea, & propter eam adoratæ. Nam divinitatis certissimum argumentum est non minus interna

Mmmmm 2 quam

CAP. II.

x Ambr. L. 3 de Sp. S. c. 12. p. 403. A. T. 2

x Bell. L. 2. de E. ch. c. 14. § Quint. testium.

y Du Perr. L. 3. de l'Euch. c. 14. p. 887.

z Ambr. ub. supr. p. 402. D.

CAP. II. quam externa adoratio; neque ea minus, quæ in cœlo existenti nunc defertur ab Ecclesia, quam ea quæ olim ab Apostolis in terra existenti delata est. Itaque inanis est omnis hæc Perronii speculatio; non alio comparata, quam ad tenebras lectori offundendas. Iam & illud futile est, quod quærit, cur adoratio ab Apostolis Christi carni olim delata comparetur cum ea quæ nunc à nobis eidem in mysteriis exhibetur, nisi hæc æque ac illa externa visibilis & corporalis sit, pariterque in obiecto sub specie aliqua visibili existente terminetur? Nam & ab ipso similiter quæretur, quorsum hæc cum illa comparetur, nisi hæc itidem, ut illa, in obiecto sub sua, non autem sub aliena specie, existente terminetur? Hæc inquam; nihil ad Ambrosii institutum pertinent; & certe frivola sunt, & extra rem arcessita. Non enim adorationes illas inter se accurate sic inter se comparat, quasi eas in omnibus maximis, minimis circumstantiis inter se accurate ac ut loquuntur ad amussim congruant. Eas hactenus duntaxat comparat quatenus utraque vera est Dominici corporis adoratio; Rem cum re, actum cum actu comparat; non singulas rei actusque inter se circumstantias. Tam enim hæc nostra, quam illa Apostolorum vetus Christi divinitatem probat; quod nunc Ambrosio satis est. Quæ ergo in his vanis & futilibus Perronius deinceps extruit, in fumos omnia abeunt. Cur autem *mysteria* hoc loco Ambrosius proprie & nominatim memoraverit, non autem in genere tantum dixerit à nobis Christi carnem adorari; ratio manifesta est, quia scilicet in aliis Christianæ religionis actibus non profitemur diserte à nobis Christi corpus coli; Eucharistiæ vero mysterium, quod Dominici corporis ac sanguinis in cruce ad salutem nostram oblati & recordatio sit & communicatio, apparet neminem, sincere ac legitime absque fraude & hypocrisi celebrare nisi qui corpus illud & illum sanguinem Domini adoraverit. Quisquis enim ad hanc mensam rite ac legitime accedit, eo ipso profitetur se justitiam, salutem atque æternitatem quam sperat huic divinissimo Filij corpori ac sanguini acceptam ferre; quisquis autem hoc vere & ex animo sentit, fieri profecto non potest, quin is Christo, æterno Servatori ac Redemptori qua Sacerdoti & qua Victimæ sacrificium Eucharisticum pro divino illo & immortali munere exsolvat, quem nemo credo negaverit esse veri numinis cultum. Quam Patrum hac de re sententiam fuisse vel ipsum Eucharistiæ nomen indicat, quod jam à vetustissimis temporibus huic mysterio indiderant; quo etiam pertinet illud elogium quo Epiphanius idem Sacramentum ornavit, dum id *λατρείαν οἰκονομίας œconomiæ*, (id est incarnationis) *cultum* vocat. a Ita enim est. Hoc ipsum mysterium, quod in memoriam Dominicæ mortis celebratur, Dei ac Domini gloriæ, pro nobis crucifixi, adeoque incarnati latria est. Atque inde est, quod Nestorium Cyrillus in Synodo Ephesina Christum hominem in terris natum alium à λόγῳ, æterno & consubstantiali Patris Verbo esse docentem argumento ex his mysteriis

a Epiph. expos fid. §. 21. p. 1105. D.

ducto

ducto refellit, *b* in quibus scilicet omnis Ecclesia Christi carnem pro nobis passam, vivificam esse non hominis nudi, sed Dei summi λόγου scilicet carnem profitetur adeoque adorat. Christianos enim Eucharistiam conficere *credentes corpus, quod in ea celebratur & communicatur, non hominis cujuspiam nobis similis, sed Verbi omnia vivificantis proprium esse corpus.* Itaque inde probat, quod *communis caro vivificare non potest,* ex Domini apud Ioannem dicto, *Caro non prodest quicquam*; Vnde concludit Nestorium hujus *mysterij vim ac virtutem* hæresi sua dissolvere. Cum ergo omnes qui vere sincereque communicant, credere se profiteantur Christi carnem vivificam, adeoque veram ac propriam Dei carnem esse; planum est neminem vere sincereque mysteriis communicare, qui non Christi carnem adoret, adorandamque esse ab omnibus hoc ipso suo facto pronuntiet. Ipsum per se mysterium de vi carnis Dominicæ vivifica, adeoque de ejus divinitate ex personali cum λόγῳ unione testatur; sic omnes fideles, maxime cum communicant, ad debitum divinitati cultum provocans. Quod vero eam carnis Dominicæ adorationem, quam Eucharistiæ mysterium à communicantibus exigit, Perronius postulat non spiritualem & mentalem, sed externam & corporalem esse, item ad carnem eo loco, quo fit adoratio, non in cœlo existentem dirigi, utrumque gratis postulat; quod probari debuit, non postulari. Id enim supponit, quod quæritur, nimirum carnem Christi sub panis speciebus realiter esse præsentem; de quo nihil hoc loco dicit Ambrosius; tantum dicit carnem à nobis *in mysteriis adorari*; quod sive spiritu duntaxat fiat, sive etiam corpore, sive ad præsentem carnem, sive ad absentem, ad Ambrosij causam perinde est. Ad rem quam agit satis est, carnem Christi in mysteriis adorari, quomodocumque adoretur. Inde enim conficitur scabellum pedum Dei adorari, quod unum ille hoc loco agit. Addo tamen ἐκ περιουσίας veteres illam quam carni Christi in mysteriis exhibebant, adorationem, non fuisse corporalem, & externam, id est genuflexionem, & prostrationem, neque ad Eucharistiam directam, supra abunde probatum esse ex omnibus veterum Liturgiis, in quibus nulla hujusmodi Eucharistiæ adoratio occurrit, qualis hodie in Latinorum Missa & præcipitur, & exhibetur; idemque ex eo confici, quod Cyrillus & Ephesini Patres, qui contra Nestorium id quidem urgent, quod ex mysteriis clarissime habetur carnem Christi esse vivificam, adeoque Verbi, id est veri & Patri consubstantialis Dei merito adorandam carnem; nuspiam vero ei objicere reperiuntur externam illam corporalem Eucharistiæ adorationem; quæ si in usu Ecclesiæ solenni fuisset, ut nunc est apud Latinos, objecta proculdubio fuisset à Patribus, utpote quæ una rem totam confecisset; clareque evicisset carnem Christi latria adorandã esse; quod Nestorius diserte ac nominatim negabat; non alia profecto de causa, quam quod eam contenderet non esse veram ac propriam verbi carnem. Sed hæc ad Ambrosij locum satis sunt.

CAP. II.
b Conc. Ephes. Part. 3. Explan. Anath 11. p. 440. T. 2. Conc.

CAPUT III.

Solvitur Latinorum pro adoratione Arg. VI. ex Chrysostomo ductum Chrysostomum credidisse Eucharistiam esse panis substantiam; non credidisse eam esse Deum, Videri etiam ea dici, quorum signa videntur, etiamsi ipsa proprie minime videantur.

AD Chrysostomum & Augustinum veniamus; quos duos pro omnibus audiri Bellarminus præcipit. Primum Chrysostomi locum; quem audiri vult, in homilia ad populum Antiochenum 61. haberi indicat, c & hæc verba describit, *Si pura sunt vestimenta, adora & communica.* Sed hæc non probant sacramentum adorari. Docent tantum fidelem, antequam communicet, adorare debere; de quo nemo ambigit. Nemo enim vere religiosus ad terribilem illam mensam accedit, cujus panem quisquis indigne comedit, mortem sibi & judicium comedit, quia prius Deum vel Christum supplex adoret, ac Spiritus lumen poscat, quo mente purgata cœlestes dapes ad vitam sumat. Aliud hic insuper ad hoc testimonium observandum occurrit. Eruditi dudum deprehenderunt d homilias Chrysostomi ad populum Antiochenum veras quidem ac genuinas, non esse plures, quam unam & viginti primas; cæteras, quæ infra primam & vicesimam ad LXXX. eodem titulo sequuntur, non esse verum Ioannis opus, sed ἀπανθίσματα florilegia ab aliquo ejus studioso ad exercendum si forte stylum, vel ad suum usum ex diversis eloquentissimi scriptoris orationibus excerpta, & in sermonum morem contexta; quo fit ut in posterioribus iisque emendatioribus Chrysostomi editionibus, ut Parisiensi, & Etoniensi omissæ sint. Fronto Ducæus in ea quinti Tomi editione, quæ Lutetiæ ann. 1609. exiit, pro summa, qua pollebat, eruditione, incredibilique diligentia, & indefesso de litteris bene merendi studio, accuratum earum homiliarum quæ supra 21. ad populum Antiochenum inscribuntur, indicem edidit, in quo magna solertia annotavit è quibus Chrysostomi operibus singulæ earum partes essent excerptæ. Hanc autem quam laudat Bellarminus LXI. docet e Fronto tribus constare partibus; quarum prima habetur in Chrysostomea in Joannem 46. Secunda in tertia ad Ephesios; Tertia quæ ultima est in XVII. ad Hebræos. Loca notata adii, & legi diligenter; sed verba à Bellarmino descripta, nusquam inveni; ea tamen inveni ex quibus illa ducta sunt. Nam in tertia ad Ephesios Chrysostomus auditores adhortans, f ut se diligenter ad sacrum epulum præparent, *Si vestes* (inquit) *sunt munda, accumbe ergo, & participa.* ἀλλὰ καθαρὰ ἐστιν ἱματίου ἀνάπεσον καὶ μέτεχε. Florilegii interpres hallucinatus ἀνάπεσον, putavit idē esse, quod *procumbere*; quo errore factū sit, ut *adora* hic pro *accumbe* sit interpretatus. Ita interpres fraudi fuerit Bellarmino; Hāc enim locū interpretis adulterasse, & *adora* pro *accumbe*

c Bell. L. 4. de Euch. c. 29.

d Vid. Front. Duc Not ad Chrys. Hom. ad pop. Antioch. 1. ad titul. p. 1. & 2.

e Fronto Duc. Catal. Homil. T. 5. Chrysost.

f Chrys. Hom. 3. in Ephes. p. 887. E.

cumbe rescripsisse non fit mihi verisimile. Vtcumque sit, illud quidem certum est, Chrysostomum hoc loco nihil ipsum de adoratione, quod Bellarminus putauit scripsisse; & hoc quod etiam Latinus ejus interpres reddidit, voluisse, fidelem cui pura sint vestimenta accumbere mensæ Dominicæ debere. CAP. III.

Sed ex hoc potissimum Chrysostomi loco adoratam fuisse olim Eucharistiam argumentatur: *h Hoc corpus* (inquit) *etiam iacens in præsepi reveriti sunt Magi. Viri impii & barbari patria & domo relicta, & longam viam confecerunt, & cùm venissent, cum multo metu & tremore adorarunt. Imitemur ergo etiam barbaros, nos, qui cœlorum cives sumus.* τοῦτο τὸ σῶμα καὶ ἐπὶ φάτνης κείμενον ᾐδέσθησαν μάγοι. καὶ ἄνδρες ἀσεβεῖς καὶ βάρβαροι τὴν πατρίδα καὶ τὴν οἰκίαν ἀφέντες, καὶ ὁδὸν ἀνύσαντες μακρὰν, καὶ ἐλθόντες μετὰ φόβου καὶ τρόμου πολλοῦ προσεκύνησαν. μιμησώμεθα τοίνυν κἂν τοὺς βαρβάρους ἡμεῖς οἱ τῶν οὐρανῶν πολῖται. Sed hæc Christi corpus adorandum esse conficiunt (qua de re nemo dubitat (Eucharistiam non significant adoratam fuisse à Christianis illius memoriæ, de quo quæritur. Itaque ut Eucharistiam ipsam esse probent illud quod Chrysostomus dicit Christi corpus, verba ejus sequentia hæc recitant; *Nam & illi quidem, cum & in præsepi vidissent, & in tugurio, neque tale quidpiam vidissent, quale tu nunc, cum magna accesserunt reverentia. Tu autem non in præsepi vides, sed in altari; non fœminam eum tenentem, sed sacerdotem adstantem, & Spiritum cum magna copia ea, quæ sunt proposita, supervolantem. Non solummodo hoc ipsum corpus vides, sicut illi, sed nosti eius & virtutem & dispensationem, & nihil ignoras ex iis, quæ per ipsum effecta sunt, ut qui in omnibus mysteriis sis exacte & accurate initiatus. Nos ergo ipsos excitemus, & formidemus, & longe maiorem, quam illi barbari, ostendamus reverentiam, ne si temere & inconsiderate accesserimus, in nostrum caput ignem congeramus.* ἐκεῖνοι μὲν γὰρ καὶ ἐπὶ φάτνης ἰδόντες καὶ ἐν καλύβῃ, καὶ οὐδὲν τῶν ἰδόντες, οἷον σὺ νῦν, μετὰ πολλῆς τῆς φρίκης προσῄεσαν. σὺ δὲ οὐκ ἐν φάτνῃ ὁρᾷς, ἀλλ' ἐν θυσιαστηρίῳ. οὐ γυναῖκα κατέχουσαν, ἀλλ' ἱερέα παρεστῶτα, καὶ πνεῦμα μετὰ πολλῆς τῆς δαψιλείας τοῖς προκειμένοις ἐφιπτάμενον. οὐχ ἁπλῶς αὐτὸ τοῦτο τὸ σῶμα ὁρᾷς, ὥσπερ ἐκεῖνοι, ἀλλ' οἶδας αὐτοῦ καὶ τὴν δύναμιν, καὶ τὴν οἰκονομίαν ἅπασαν, καὶ οὐδὲν ἀγνοεῖς τῶν δι' αὐτοῦ τελεσθέντων, μετὰ ἀκριβείας μυσταγωγηθεὶς ἅπαντα. διαναστήσωμεν τοίνυν ἑαυτοὺς καὶ φρίξωμεν, καὶ πολλῷ τῶν βαρβάρων ἐκείνων πλείονα ἐπιδειξώμεθα τὴν εὐλάβειαν, ἵνα μὴ ἁπλῶς, μηδὲ ὡς ἔτυχε προσελθόντες πῦρ ἐπὶ τὴν ἑαυτῶν σωρεύσωμεν κεφαλήν. Sed neque in his quicquam dicit Chrysostomus de Eucharistiæ adoratione. Tantum ait nobis ad sacram mensam accedendum mente vigilante, cum timore & tremore; & majori cum reverentia, quam qua olim Magi ad Christum in præsepi jacentem accesserunt; Quidni, qui mortem Domini, maximum ejus mysterium annuntiari, commemoraturi, & celebraturi venimus? Si corpus illud Sanctissimum pro nobis in ara crucis immolatum, adorandum esse inde colligunt, nemo negat. Aliud quæritur, an id quod à mensa sumitur, quodque in viscera nostra edendo immittitur, adorandum sit; De eo nihil habet Chrysostomus.

h Chrysost. Hom. 24. in 1. Cor p. 261. E.

i Ibid. p. 262. A.

Quod

Cap. III. Quod vero sibi videntur hoc loco videre ipsum illud quod è mensa sumitur, quodque omnes nostri sensus panem esse judicant ac testantur, esse vere & realiter corpus Domini olim in cruce oblatum; ea vero est mera eorum imaginatio, à præcepto & præjudicato transsubstantiationis dogmate profecta; neque ad hanc quam nunc tractamus de adoratione, sed ad aliam de transsubstantiatione quæstionem pertinet; de qua adeundi nostri, qui fusissime eam explicarunt. Albertinus, ne cæteros laudem, quæcumque ad eam ex Chrysostomo afferuntur, & hunc ipsum nominatum locum, docte ac copiose excussit ac explanavit. k Ego breviter pauca delibabo. Ac inprimis illud præfabor, quam alienus fuerit Chrysostomus ab illo (mirifico profecto, & apud omne hominum genus inaudito) dogmate, constare ex iis, quæ ab eo ad Cæsarium Monachum scripta, & à Petro Martyre olim laudata, nos certe qui epistolam totam vidimus, vera esse scimus; *Antequam* (inquit) *sanctificetur panis, panem nominamus; divina autem illum sanctificante gratia mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici corporis appellatione, etsi NATVRA PANIS in eo permansit.* Hæc ille, quem id, quod *natura* panem esse sentiebat, latria adorasse, vel adorandum docuisse, nemo, qui viri sanctitatem atque eruditionem norit sibi persuaderi patietur; Ne jam illud dicam, quod infra suo loco memorabitur, Chrysostomum Dei nomine & cultu ea indigna esse censuisse quæcumque homines furari possent. Qui ergo Eucharistiam hujusmodi injuriis obnoxiam esse non nesciret, nemo non intelligit eum necessario sensisse Eucharistiam non esse vere ac proprie Deum latriæ adoratione colendum. Neque sane, si à Latinorum mentibus absit ille præceptus penitusque animis infixus de transsubstantiatione error, quicquam in descriptis Chrysostomi verbis occurrit, quod illi dogmati faveat. Quæ enim dicit de Christi corpore magnifica ea ad verum & proprie dictum Christi corpus quod in cœlis est pertinent; ad symbola non pertinent, sed per symbola significantur, adeoque in animis fidelium, quo tempore communicant, versari debent. Sed, inquit, Chrysostomus diserte dicit & quidem non semel, nos Domini corpus *videre* & videre in altari; & quidem illud ipsum Domini *corpus*, quod Magi olim in præsepi jacens viderunt. Fateor; sed quis hæc non sentit mystice ac figurate ita dici, quod in hoc sacramento corpus Christi nobis ut in ara crucis jacens, ob oculos ponitur, eaque videri à nobis dici, quorum signa quidem ac symbola in mensa sacra prostant, imagines vero spirituales ex rerum ipsarum recordatione effictæ animos nostros eo momento sic occupant atque afficiunt, ac si res ipsæ præ oculis nostris adessent ac gererentur? Corpus Christi ne tu quidem à te in Missa proprie *videri* dixeris, ut visum est olim à Magis. Nam si proprie loquendum est, non *alia videmus*, quam ea, quorum colorem, formam ac figuram, & cætera quæ Scholæ vocant *accidentia*, oculis usurpamus; atque ita Magos Christi infantis corpus olim vidisse ex

k Albertin. de Euch. L. 2. in Chrysost. c. 4. p. 555.

Evangelio

Evangelio ſcimus. Tu vero Dominici corporis in tuo altari neque colorem, neque formam, neque ſpeciem, neque quantitatem, aut menſuram, neque ullum aliud denique accidens *vides*; non Dominici corporis, ſed panis illæ omnes ſpecies ſunt, quæ ſenſus hic tuos feriunt; ut ſi verum auſis dicere, neceſſario fateri debeas te ſi proprie loquendum eſt, non *Chriſti corpus*, ſed *panem*, vel certe panis ſpecies in altari tuo *videre*. Sed te mittamus. Patres de quibus quæritur, certum eſt credidiſſe ac docuiſſe Dominum Chriſtum ac Deum noſtrum videri hic in terris non poſſe. Diſertas Auguſtini voces *eum oſtendi* poſſe non uno loco negantis infra ſuo loco audiemus. Non *oſtendi* autem non poſſet, ſi videri poſſet. Si dicas ſub ſua quidem ſpecie (ut vos loquimini) Dominum videri oſtendique non poſſe; poſſe tamen certo ac definite locum atque ſpecies oſtendi, in quibus latet; ne id quidem Patres ſenſerunt. Auguſtinus enim exſerte negat digito intento Dominum nunc à nobis oſtendi poſſe; quod facillime fieret, ſi vera eſſent quæ tu de pane in Chriſtum tranſſubſtantiato nobis narras. Quid enim facilius eſt, quam intento in oblatam digito dicere, *Ecce quod colo*; *Ecce Deum quem colo?* Qui ergo Domini corpus *oſtendi*, adeoque & *videri*, hoc modo ac ſenſu negant Patres eos, neceſſe eſt aliud intellexiſſe, dum *corpus Domini in altari* à fidelibus *videri* dicunt. Conſtat nimirum eos dum ſic loquuntur, neque id intelligere quod vos ipſi quoque reſpuitis, corporis Dominici colorem, figuram, menſuram, cæteraſque ſpecies illic *videri*; neque id velle quod vos admittitis quidem, ſed illi Auguſtini ore repudiant, nos ſcilicet in altari definitum locum in quo Domini corpus eſt, definitaſque ſpecies ſub quibus eſt, *videre*. Ergo inquam, neceſſe eſt, ut illa eo ipſo, quo ego accipio ſenſu dixerint; nimirum Dominum in Euchariſtia *videri*, ut in ſuo ſigno ac ſymbolo, & quidem ad hoc ipſum inſtituto, ut eo oſtendatur ac memoretur quam acerbam, quam diram ſanctiſſimo corpore pro ſalute noſtra mortem in cruce pertulerit. *Tu (inquit Chryſoſtomus) Domini corpus in altari vides.* Nimirum quod per panem illum in altari jacentem *oſtenditur*, illud ipſum Domini corpus eſt, quod Magi olim in præſepi viderunt. Itaque corpus illud Chriſti verum, in altari per panem *oſtenditur*, adeoque à fidelibus myſterium intelligentibus, in pane & ex pane *videtur* quidem, quod ait Chryſoſtomus; non ideo tamen ipſum quoque vel in pane, vel cum pane vere ac realiter eſt, ut in loco, vel *circumſcriptive*, vel *definitive*, ut in ſcholis loquuntur, quorum nihil neque hic, neque alibi dicit Chryſoſtomus. Quid enim? Nihilne videri dicitur, niſi id cujus ſubſtantia ibi proprie eſt, ubi videri dicitur? Atqui apud hunc ipſum Chryſoſtomum Dominus Chriſtus hypocritas, quos ob non præſtitam piis egentibus caritatem damnat, his verbis alloquitur; *n Eſurientem me VIDISTIS, & non cibaſtis*, πεινῶντά με ἴδετε, καὶ οὐκ ἐθρέψατε. Iam vero nemo dubitat,

l Aug. de div. verſ. ſerm. 12. c. 2.

m infr. c. 18.

n Chryſ. Hom. in Matth. 50. (al. 51) p. 555. C. ad Matth. 25. 42.

Cap. III. quin visos ab istis intelligat eos ipsos, quos non cibaverant, pios scilicet egentes. Ergo ne hinc concluseris vel pios ab istis hypocritis contemptos ac neglectos Christum vel revera ipsum fuisse, corpore hic in terris præsentem, vel saltem in piorum persona carne sua latentem? Nemo sanus dixerit. Sed quod pij sint Christi membra, fide ei innexi tanquam Domino ac Redemptori suo, ideo ille se in iis visum ac despectui habitum queritur. Eodemque sensu capienda sunt, quæ idem scriptor multo etiam majori cum emphasi & eodem illo loco, & alibi sæpe hac de re dicit; Idem scilicet Christi corpus, & in mensa sacra, & in paupere honorari. *Qui enim dixit, Hoc est corpus meum, & verbo rem confirmavit, eum quoque dixisse, Esurientem me vidistis*; Aperte significat Christi corpus tam in paupere fideli, quam in Eucharistia esse, videri, honorari. Alibi de paupere fideli loquens, eum esse dicit *o altare sanctum, quia ipsum Christi corpus est*, ἐπειδὴ αὐτὸ σῶμά ἐστι Χριστοῦ. Non est ergo mirandum, cum hic *ipsum Christi corpus sit*, Christum ipsum dici videri, quoties ille videtur. Et tamen ridicule argumentetur siquis concludat Christi carnem in fideli paupere realiter esse præsentem. Non est ergo sanior Latinorum ratiocinatio, dum ex eo quod Christi corpus in Eucharistia *videri à nobis* scribit Chrysostomus, concludunt in ea Christi corpus realiter adesse. Constat enim familiare esse Patribus, imo omnibus hominibus, ita loqui, ut ea nobis *ostendi & à nobis videri* dicant, quorum signa & symbola, imagines, vel etiam argumenta nobis *ostenduntur* & à nobis *videntur* atque percipiuntur. Ipsi Patres id diserte observarunt; *Qui videt imaginem alicuius* (inquit Origenes *p*) *videt eum cuius imago est.* Quidni, cum ad hoc ipsum fiant signa & imagines, ut res quæ in iis expressæ sunt, sensibus nostris exhibeantur quo quæ, qualesque ipsæ sint, inde perspiciamus? *Imagines* (inquit Marcellus Ancyranus apud Eusebium *q*) *ostensiva sunt eorum, quorum sunt imagines, etiam absentium; adeo ut per illas, isque absens est, apparere, videntur*; αἱ εἰκόνες τούτων ὧν εἰσιν εἰκόνες, καὶ ἀπόντων δεικτικαί εἰσιν, ὥστε καὶ τὸν ἀπόντα δι' αὐτῶν φαίνεσθαι δοκεῖν. Inde illa sunt passim apud Patres obvia; Apud Eusebiũ Pseudemissenum, cum de Iona Christi typo sermo esset *r Videte* (inquit) *Dominum etiam in veteri testamento in servi* (Ionæ) *persona mirabiliter APPARVISSE.* Si *apparuisse* dicere licet, ergo & ab iis qui Ionam viderunt, *visum esse* dici potest. Prophetarum litteræ Christi venturi signa & argumenta sunt. Ergo & de iis verba faciens alius quidam multo recentior, qui sub eodem Eusebij Pseud. Emisseni nomine circumfertur; *s Ibi* (inquit) *Christum invenies, & cognosces, & VIDEBIS. Ibi enim transfiguratur. Ibi suis fidelibus Maiestas eius revelatur.* Huc illa quoque pertinent de Evangelio in Sermone de uno legislatore apud Chrysostomum *t* dicta; *Quotiescumque prædicatum fuerit Evangelium, nihil aliud VIDEO quam Petrum, & Andream, & chorum Apostolorum recte Evangelicum expandentes*; ὁσάκις ἐὰν κηρυχθῇ τὸ εὐαγγέλιον, οὐδὲν ἕτερον ΟΡΩ ἢ Πέτρον καὶ Ἀνδρέαν, καὶ τὸν χορὸν τῶν Ἀποστόλων δίκτυον ἁπλοῦντας τὸ εὐαγγελικὸν

o Id. Hom. 20. in 2. ad Cor. p. 689. E.

p Orig. Hom. 1. in Gen.

q Euseb. L. 1. c. 4. contr. Marcell. Ancyr.

r Euseb. Emiss. Hom. 2. de Pasch. p. 37. B.

s Id. Hom. in Evang. Hom. post 1. Dom. quadrag. fol. 64. B.

t Chrys. T. 6. serm. de uno Legisl.

ἀναγγέλλων. Quale & illud est Basilij Seleuciensis, *u VIDI modo in ore Evangelico Dominum miracula patrantem*, ΕΙΔΟΝ ἄρτίως ἐν στόματι ἀγγελικῷ τὸν δεσπότην θαυματουργοῦντα. Et mox; ΕΙΔΟΝ τὸν ἑκατόνταρχον πρὸς τὰ τοῦ δεσπότου καλινδούμενον ἴχνη; *VIDI Centurionem ad Domini vestigia provolutum.* Stella, quæ Magis præluxit, Christi signum erat. In eo ergo Christum apparuisse, imo etiam splenduisse & radiasse scribunt, quæ jam supra obiter attigimus. *Christus* (inquit Maximus Taurinensis) *x iacebat in præsepi, sed in SIDERE RVTILABAT. Nobis* (inquit idem *y*) *vagiebat in cunis; nobis arridebat in stella.* Idem iterum de eodem; *In cunis* (inquit) *iacebat; sed RADIABAT in cœlo.* Ita & Chrysologus Christum *fulsisse* dicit *z* in stellis. *Hodie* (inquit) *Magus, qui FVLGENTEM quærebat in stellis, in cunis reperit vagientem.* De eadem stella auctor sermonis 34. de tempore apud Augustinum, *a Christus* (inquit) *in alto FVLGET.* Sic Herodes apud auctorem operis imperfecti in Matthæum, *b* de Christo loquens, *Quis* (inquit) *est puer ille, qui antequam nascatur in terra, iam APPARET in cœlo?* Rubus, quem ardentem vidit Moyses, insigne Christi symbolum fuit. Itaque Arnobius junior; *c Filius* (inquit) *Dei luctatur cum Iacob; SPLENDET in rubo.* Eadem eorum ratio est, quæ nobis res ad quas referuntur, in memoriam revocant, & animis nostris veluti præsentes sistunt. Cum enim ea adsunt & à nobis cernuntur, & intelliguntur, tum res ipsas videre & intueri dicimur. Paula & Eustachium apud Hieronymum; *d Sepulcrum Christi* (inquiunt) *quotiescumque ingredimur, toties iacere in sindone CERNIMVS Salvatorem; & paululum ibidem commorantes rursus VIDEMVS Angelum sedere ad pedes eius, & ad caput sudarium convolutum.* Sed nemo est Chrysostomo nostro in hoc genere crebrior, aut elegantior; De animalium creatione, quam ex Mosaicis monumentis Ecclesiæ in concione repræsentaverat; *e VIDISTIS* (inquit) *animantia & ex aquis & ex terra edita;* εἴδετε τὰ ζῶα τὰ ἔμψυχα καὶ ἐκ τῶν ὑδάτων καὶ ἐκ τῆς γῆς ἀναδιδόμενα; Quia scilicet audiverant enarrantem horum creationem. Alibi, ubi omnes adesse jubet *f* Dominici natalis die, *ut* (inquit) *VIDEAMVS Dominum in præsepi iacentem, fasciis involutum, tremendum illud ac stupendum spectaculum.* ἵνα ἼΔΩΜΕΝ ὸν δεσπότην ἐπὶ τῆς φάτνης κείμενον ἐσπαργανωμένον. τὸ φρικτὸν ἐκεῖνο καὶ παράδοξον θέαμα. De Lazaro mendico, cujus historiam pro concione explicabat, cum priori ejus parte absoluta ad alteram progrederetur; *g Tum illum* (inquit) *VIDISTIS in vestibulo divitis; VIDETE eundem hodie in sinu Abrahæ. Vidistis illum cum à canibus circumlingeretur, Videte nunc eundem ab Angelis stipatum. Vidistis illum tum in paupertate; VIDETE nunc eundem in deliciis: Vidistis illum in fame, VIDETE nunc in multa rerum affluentia: Vidistis illum certantem: videte coronatum. Vidistis labores: videte præmium.* εἴδετε αὐτὸν ἐν τῷ πυλῶνι τοῦ πλουσίου, ἴδετε βλέπετε αὐτὸν σήμερον ἐν τοῖς κόλποις τοῦ ἀβραάμ. εἴδετε αὐτὸν ὑπὸ κυνῶν περιλειχόμενον. βλέπετε αὐτὸν ὑπὸ τῶν ἀγγέλων δορυφορούμενον. εἴδετε αὐτὸν ἐν πενίᾳ τότε. βλέπετε ἐν τρυφῇ νῦν. εἴδετε

CAP. III.
u Basil. Seleuc Orat. 19. p 108. C.
x Max. hom. 1. in Epiph.
y Ibid. hom. 2. p 571. B.
z Petr. Chrys. Serm. 160. init.
a Aug. Serm. 34. de tempore c. 1.
b Chrysost. T. 2 in N. T. Hom. 2. op. imp. in Matth. p. 21. col. 1 D.
c Arnob. in Ps. 102. p. 275.
d Hier. ep. 17 quæ est ad Marcell.
e Chrys. Hom. 9. in Gen p. 73. B.
f Id. T. 1. Hom. 31. de B. Philog. p. 357. B.
g Id. T. 5. Hom. 2. de Laz. p. 42. C.

Cap. III. ἐν λιμῷ βλέπετε ἐν ἀφθονίᾳ τρυφῇ. εἴδετε ἀγωνιζόμενον. βλέπετε στεφανούμενον. Harum locutionum exempla, quibus alia non pauca similia addi possent, clare docent, ubi adsunt & videntur rerum signa & memoriæ, ibi Patres dicere solere res ipsas, tametsi absentes, *videri*. Cum ergo & Patres doceant, & Latini ipsi fateantur, Eucharistiam esse signum, symbolum, imaginem, monumentum corporis & sanguinis Dominici, & in eo celebrari memoriam mortis Christi, qua divinum illud corpus mactatum & sanguis ejus effusus est; omnes jam intelligunt, ubi Eucharistia adest, & celebratur, ibi ex familiari Patrum stilo, dici posse corpus & sanguinem Domini *videri*, tametsi ex eo loco absint. Vnde postremo apparet falso & inepte Latinos argumentari dum ex descriptis Chrysostomi verbis, quibus ait fidelem, qui Eucharistiam in altari videt, in eo *videre corpus Domini*, concludunt ipsum illud Domini corpus proprie *videri*, adeoque Eucharistiam esse proprie ac realiter Domini corpus; Plane ac siquis colligeret *Salvatorem in sepulcro iacuisse, & Angelum ad pedes eius sedisse*, quoties eo ingrederentur Paula & Eustachium, ex eorum paulo ante recitatis verbis, *iacere in sindone cernimus Salvatorem, & videmus Angelum sedere ad pedes eius*: vel si quis ex iis Chrysostomi verbis, quæ addidimus concluderet ejus auditores, vel *animalia* ex terra & aquis creata, cum Genesin; vel Lazari statum in vita & post mortem cum parabolam Evangelicam exponeret; vere ac proprie oculis suis vidisse; vel Christi substantiam vere in stella fuisse; aut stellam ipsum Christum realiter fuisse, quam videbant Magi, eo argumentaretur, quod Patres Christum in ea *fulsisse, rutilasse, randiasse, apparuisse* diserte scribunt; quæ quam falsa atque absurda sint, etiam cæci vident. Clarum est in his & aliis ejusdem ingenij locis, ea nos videre dici non quæ oculis aut aliis corporis sensibus ipsa usurpamus, sed quæ vel ex rebus quas videmus, vel ex verbis, quæ audimus, intelligimus, & animo velut præsentia, cogitamus. Ita Domini corpus in Eucharistia *videmus*; cum pane præsente ejus symbolo admoniti ad animum revocamus, cordaque sursum, quod Ministri jubent in cœlum attollentes, omnem cogitationem, omnemque mentis sensum in divino illo corpore defigimus; quod tametsi à terra in qua consistimus, longissime absit, fidei tamen nostræ præsentissimum est. Qui sensus ad Christi corpus in Eucharistia videndum afferendi sint, auctor ille qui sub Eusebij Emisseni nomine circumfertur, his verbis lucidissime docuit; *h Tu (inquit) cum ad reverendum altare salutari cibo, potuque reficiendus accedis sacrum Dei tui corpus & sanguinem FIDE RESPICE, MENTE CONTINGE, CORDIS MANV suscipe, & maxime haustu INTERIORE assume.* Neque hilum valet Bellarmini vitilitigatio; *i Si Christum (inquit) tantum in signo habemus, non modo non sumus Magis superiores, sed tanto inferiores, quanto inferior est imago Christi ipso vero Christo.* Respondeo nos Magis à Chrysostomo hoc præferri, quod plura in Eucharistia videamus, quæ nos ad Dominici corporis reverentiam excitant atque obligant.

h Euseb. Emiss. Hom. 5. de Pasch. p. 45. A.

i Bell. L. 2. de Euch. c. 22 § Adde quod hom. 24.

obligant, quam quæ Magi Bethlehemi viderunt Hos enim vidisse cor- CAP. III.
pus Christi, sed infantis jacentis in præsepi; Nos id ipsum in Eucharistia videre, sed viri, mactati pro salute nostra, nos carne sua suoque sanguine in vitam æternam pascentis, Illos vidisse mulierem pauperculam corpus infantis in ulnis suis gestantem; Nos videre sacerdotem Christo, ut Deo apparentem ac ministrantem; Illos vidisse infantem pannis involutum; Nos videre Spiritum Sanctum magna copia undique super hæc mysteria volitantem, Illos corpus oculis usurpasse; divinam illam corporis vim, virtutem, œconomiam, & quæcumque per ipsum effecta sunt, id est ejus mortem, resurrectionem, ascensionem in cœlum, victoriam & triumphos non vidisse, quæ nos omnia clarissime videmus, ex Evãgelio edocti. Hæc illis potiora esse, augustiora & diviniora, majorem adeo ab accedentibus ad communionem reverentiam exigere, nemo negaverit. Non ergo nos *Christum in signo tantum habemus*, quod falso delirat Bellarminus; sed vere & re ipsa eum Christum habemus, qui qualisque per Eucharistiæ signum nobis objicitur ac monstratur; nisi forte ille putet divina hæc quæcumque sacramentum nobis objicit ac repræsentat, fabulas esse & fallaces umbras. Fateor si non alios quam carnis oculos ad hoc sacramentum afferamus, nihil nos istorum in eo visuros; sed neque quicquam in oblata Latinorum deprehensuros patet, qui eam non alio quam corporis sensu metiuntur. Hi enim in altari non corpus Dei, sed vilissimam exigui panis bracteolam cernent, quod spectaculum infra divini infantis à Magis conspectam formam multum subsidit. Sin dicat Bellarminus quod res est non carnis, sed mentis fide illuminatos oculos ad hoc mysterium afferendos, his certe oculis magna illa quæ diximus omnia conspicienda tam vere à sacramento nostro objiciuntur, quam ab oblata Latinorum, id est tam à pane incolumi ex Christi disciplina consecrato, quam ab eodem transsubstantiato. Neque quod illa divina ab eo loco absunt in quo nos sacris operamur, eo fit. ut mente obscurius à nobis percipiantur, vel incertius aut inefficacius fide apprehendantur atque teneantur. Nihil enim ad rem & veritatem mysterij vel prodest vel nocet loci ac temporis vel propinquitas vel longinquitas. Corpus certe Dominicum, quicquid Latini de ejus sibi præsentia blandiantur, tam ab eorum sensibus abest, quam si non alibi quam in cœlo esset; ut nihil dicam de ejus morte, & de sacrificio crucis, quæ ipsi fatentur in signo tantum haberi, solaque communicantium mente ac fide percipi. Cæterum quanti sit Christum ita habere non in signo tantum, sed etiam in animo, docet *k* Augustinus; *Habemus* Christum (inquit) *si credimus. Habebant illi* (duo discipuli) *Christum in convivio. Nos habemus in animo. Plus est Christum habere in corde, quam in domo.* Neque hic omiserim incerti quidem, sed tamen disertissimi scriptoris locum, *l* qui hactenus sub falso Eusebij Emisseni nomine latet. Is idem hoc de Magis argumentum tractans; *Secundum hac* (inquit) *carissimi, nos quoque personam Magorum spiritali bus imitemur obsequiis. In primis tamdiu quæramus Christum,* donec

k Aug. Serm. 144. de Tempore c. 7. B.

l Euseb: Emiss. Hom. 1. in Epiphan. p. 8. extr. & 9. init.

Cap. IV. *donec illum invenire mereamur. Ducatum nobis prabeat, velut Stella, lux fidei. Hac illum nobis ostendat, non iam in præsepio vagientem, sed in summa COELI arce dominantem; nec in matris gremio, sed in patris SOLIO ADORANDUM, nec alterius in HUMILITATE iudicandum, sed ad iudicium cum maiestate venturum.* Ergo ut hunc locum cum scriptore illo concludamus fatemur Dominum à piis videri & adorari, sed quo eum loco *OSTENDIT FIDEI LUX*, non in terra nobiscum versantem, aut in HUMILITATE, inter panis involucra latentem (quo nihil dici potest humilius; adeo ut ne suæ quidem humiliationis tempore eo usque se demiserit) sed in gloriosissimo Patris SOLIO sedentem, ibi regnantem, ibi citra controversiam à tota Ecclesia adorandum. Eò evehendas mentes, & alias, & in Eucharistia maxime, quæ tota ad ejus gloriam gratis animis celebrandam instituta est. Itaque cum ex allatis Chrysostomi verbis ne illa quidem realis ut loquuntur Domini sub panis speciebus præsentia concludi possit, multo minus ex iis haberi potest Eucharistiæ adoratio, quam Latini nulla alia de causa huic sacramento deferendam putant, quam quod in ea Christum realiter latere summo sibi mentis errore persuaserunt.

CAPUT IV.

Solvuntur tria alia Latinorum ex eodem Chrysostomo argumenta; VII. ex L. de Sacerdotio. VIII. ex Hom. in Eph. IX. ex Hom. in 1. ad Cor. Refellitur X. Perronij eadem de re ex Hieronymo non tam argumentum, quam suspicio.

HOc autem, cui plurimum confidunt, ita explicato loco vel nulla vel certe perexigua superest in aliis ex eodem scriptore objectis difficultas; quorum eadem fere est ratio. Pertinent enim omnia non ad sacramenti, sed ad Domini Christi, cujus sacramentum est, adorationem ac cultum. Quale est quod ex opere de Sacerdotio affertur; *m Ego* (inquit) *commemorantem olim quemdam audivi, cum diceret senem quemdam, virum admirabilem, ac cui revelationum mysteria multa divinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum à Deo esse, ac per illud quidem tempus* (consecrationis Eucharistiæ) *derepente Angelorum multitudinem conspexisse* (*quatenus conspectus humanus ferre poterat*) *candidis vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium, & deorsum se inclinantium, ut siquis milites præsente Rege stantes videat; id quod facile mihi persuadeo.* ἐγὼ δὲ καί τινος ἤκουσα διηγουμένου ποτὲ, ὅτι αὐτός τις πρεσβύτης, θαυμαστὸς ἀνήρ, καὶ ἀποκαλύψεις ὁρᾷν εἰωθώς, ἔλεγεν ὄψεως ἀξιωθῆναι τοιαύτης ποτὲ, καὶ κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἄφνω πλῆθος ἀγγέλων ἰδεῖν, ὡς αὐτῷ δυνατὸν ἦν, στολὰς ἀναβεβλημένων λαμπρὰς, καὶ τὸ θυσιαστήριον κυκλούντων, καὶ κάτω νενευκότων, ὡς ἂν εἴ τις στρατιώτας παρόντος βασιλέως ἑστῶτας ἴδοι. καὶ

m Chryſ. L. 6. de Sacerd. c. 4. T. 4. p. 83. A.

ἔργῳ πέπομαι. Hunc locum Perronius magna cum pompa de more ostentat, & velut Achillem suorum Triariorum postremum in acie collocat; *n* adorationem sacramenti eo haberi dictitans *ex testimonio non rhetorico, metaphorico, aut allegorico, sed historico*; idque hoc etiam mendacio exaggeravit, *testari* scilicet Chrysostomum se hæc qua narrat, *ex proprio eorum ore audivisse quibus Angeli in Eucharistiæ celebratione apparuerunt*. Ait enim Chrysostomus se hæc olim accepisse, non ab ipso sene, cui oblata erat hæc visio, sed à *quodam* alio ea commemorante, quæ senex ille sibi narrauerat; ut ex verbis modo descriptis clare cognoscitur. Sed ego narrationis, etiam ab alio, quam ab ipso auctore traditæ fidem non sollicito; tametsi periculosum sit Christianismi vel dogmata, vel cultus hujusmodi visionum posteris privatisque hominibus oblatarum fundamento superstruere; quas res ipse Thomas diserte hinc excludit in ipso suæ Summæ limine, sapienter præscribens *o fidem nostram inniti revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi si qua fuit aliis Doctoribus facta*. In hac vero Chrysostomæa nihil est quod Latinorum opinionem pro qua adducitur, constituat. Angelos Ecclesiæ conventui interfuisse narrat, stolis albis amictos: altare circumdantes, ore deorsum inclinatos instar militum coram Rege adstantium. Quidni, quos & Chrysostomus & cæteri fere Patres divinarum litterarum auctoritate freti consentiunt sacris religiosisque piorum cœtibus gaudere, reverenterque interesse? Adoratæ Eucharistiæ, de qua quæritur, ne meminit quidem. Κάτω νεύειν dicit: id est capite inclinato stare, quod aliud hic esse quam adorare, vel militum coram Imperatore consistentium imago docet. Neque enim Regem circumstare significat civilem ei adorationem exhibere: sed honoris causa reverenter ei apparere; qualis est Angelorum & piorum hominum in Dei conspectu consistentium, etiam cum non adorant, sed vel verbum divinum audiunt, vel alij sacro religionis officio intersunt, & vacant. Sed fac adorasse Angelos. Eo ne Eucharistiam adorasse confeceris? Quasi vero Christum, in solio quidem cœlesti corpore considentem, hic vero Majestate in medio suorum consessu, quod promisit, præsentem adorasse non sit verius, & Angelico spiritu dignius, quam eum in pane in his terris posito quærere. Hoc vero conjectare est non modo piorum hominum, sed quod multo etiam tætrius est, Angelorum cœlestium mentes è cœlo in has terrenas & humiles regiones dejicere.

Eadem ratio est locorum, in quibus ait *p* Chrysostomus nos ejus sanguinem gustare, *qui sursum* (in cœlo scilicet) *sedet, quique ab Angelis adoratur*; id est Christi, ut omnes vident. Hic locus *Christum, qui in cœlo sedet ab Angelis adorari* dicit; quod & Paulus docet, *q* & omnes Christiani confitentur; Eucharistiam à fidelibus adorari, nequaquam dicit; quod quæritur, quodque erat probandum. Alibi in Acta Apostolorum de Eucharistiæ celebratione; *r Adsunt* (inquit) *Angeli, adsunt Archangeli, adest ipse Dei Filius, cum tanto tremore adstant omnes; adstant illi clamantes omni-*

CAP. IV.

n Perr. L. 4. de Euch. c. 15. p. 899.

o Thom. P. 1. q. 1. art. 1. Ad 2.

p Chrys. Hom. 3. in Eph. p.

q Hebr. 1.

r Chrys. Hom. 21. in Act.

tes omni-

Cap.IV. *tes omnibus silentibus.* πάρεισιν ἄγγελοι, ἀρχάγγελοι. πάρεστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ· μετὰ τοσαύτης φρίκης ἑστήκασιν ἅπαντες. παρεστήκασιν ἐκεῖνοι βοῶντες πάντων σιγώντων. *Angelos adstare*, & *Christum adesse* mysteriis ait. Nemo negat. *Altare cum tremore Angelos*, id est cum religiosissima reverentia. Quidni, in tam divini mysterij actione. *Clamare* eosdem ait; Merito vel præ admiratione rerum divinarum, vel præ gaudio ob salutis humanæ, & Dominicæ in homines misericordiæ excellentiam. De adoratione, nihil; quanquam siqua hic memoraretur, ea ad Christum facta intelligenda esset, non carne in panis speciebus latentem; sed Majestate & Spiritu inter pios præsentem. Eodem quoque illa pertinent ex homilia in nativitatem Christi, in quibus auditores incondite & immodeste hoc sacrum celebrantes objurgans, ut doceat quanta cum reverentia mysteriis interesse debeant, affirmat *s altare cum timore & tremore Angelicas* virtutes, & Cherubinos facies suas velare, & seraphinos cum tremore clamare *Sanctus, Sanctus Dominus*. Eadem quæ in loco proximo, nisi quod explanat, quis esset ille Angelorum clamor cujus ibi meminerat. Nimirum hymnum Seraphicum illo clamore significari.

s Id.Hom. in Nativ. Chryst.T.5.

Hæc sunt loca, in quibus de Angelis fit mentio. Sed & adorandam esse Eucharistiam eo argumentantur, quod invocatam fuisse à fidelibus Chrysostomus alicubi doceat; *t Rogamus* (inquit) *Agnum iacentem* (in mensa scilicet Dominica) *qui suscepit peccata mundi.* δεόμενοι τοῦ ἀμνοῦ τοῦ κειμένου, τοῦ λαβόντος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. *Hic* (inquit *u* Bellarminus) *apertissime dicit invocari* (*quæ species est summa adorationis*) *Agnum in altari iacentem.* Ego vero libens admitto, quod ille hic ponit, invocationem religiosam *speciem esse summa adorationis*; neque in præsentia quæro, vel excutio, cur ergo Sanctos & Angelos idem esse religiose invocandos defendat, quos *summa adoratione* colendos negat. His missis, quod non eloquitur quidem, sed tamen necessario intelligit, nego Chrysostomum dicere Eucharistiam invocari. Fateor *Agnum in altari iacentem invocari.* Sed quem? Eum qui *suscepit peccata mundi.* τὸν λαβόντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, id est (ut ex Scripturis universa fatetur Ecclesia) unum Dominum Christum. Eucharistiam vero *suscepisse peccata mundi*, & in Scripturis & in Ecclesia juxta inauditum. Sed (inquit adversarius) Eucharistiam esse ipsum illum Christum, quem tu invocandum esse confiteris, aperte docet, cum ait Agnum illum, quem & nos Christum intelligimus, *jacere*, scilicet in altari. Christus enim qui sedet in cœlo non potest idem jacere in altari, nisi Eucharistia, quæ sola *jacet in altari*, intelligatur esse Christus. Sed hæc omnis argumentatio vana est & sophistica, ab eo quod figurate & in signo dicitur id quod proprie intelligitur colligens, plane eodem modo, quo supra ex eo quod Christus à fidelibus in Eucharistia videri apud Chrysostomum figurate dicitur, Eucharistiam proprie Christum esse concludebat. Hic ergo eadem quæ supra ad idem sophisma, respondeo, Agnum *iacere* hic dici plane eodem modo ac sensu, quo supra *videri* denuntiavimus, in *signo* scilicet, non in se ipso; in my-

t Chrys. Hom 41. in 1.ad Cor.p.
u Bell L. 2. de Euch. c. 22. § Quintum testim.

stelio significante, non in carnis veritate, adeoque tropice & figurate, CAP. IV. non proprie, Christus *iacet in altari*, id est eo pane, qui jacet in altari, repræsentantur tanquam victima jacens in ara, in qua pro peccatis nostris immolatus est. Panis enim & calix Eucharisticus memoria & symbolum est illius sacrificij. Ne ipsi quidem Latini verbum *iacere* aliter possunt hoc loco interpretari. Neque enim ille Christus quem fingunt in pane latere, ibi *iacere* proprie dici potest. Docent enim eum ibi esse, non *circumscriptive* (ut loquuntur in Scholis) ad modum corporis, sic, ut singulæ ejus partes extendantur alia extra aliam, locumque occupent suæ quantitati parem; sed *definitive*, admodum spiritus, qui omnis molis expers est, nullumque adeo spatium implet. At, quæ sic sunt in loco, ea vel *jacere*, vel *stare*, vel *sedere*, nisi falso non dicuntur, si proprie loquendum est. Nemo unquam quod sciam, Angelum *jacere* dixit, ut significaret eum in loco certo & definito esse. Vt exempli causa, Gabrielem, cum Mariam allocutus est, nemo sanus dixerit in Beatæ Virginis cubiculo *jacuisse*. Ipse Bellarminus ea tantum verba de corpore Christi in Eucharistia *simpliciter affirmari posse* definit, x quæ ejus in illa præsentiam significant *à modo existendi abstractam*; addens ideo *recte dici corpus Domini esse, contineri, manere, reperiri, sumi, percipi in Eucharistia. At* (inquit) *non recte diceremus, Corpus Christi in Eucharistia extensum est, vel occupat locum.* Iam verbum *jacere* non significat præsentiam rei in loco *abstractam à modo existendi. Iacere* enim est non simpliciter, sed *certo quodam modo existere in loco* Aliter enim existũt in loco, quæ jacent; aliter quæ stant; aliter quæ sedent. Ergo ipsi etiam Latini necessario confugere coguntur ad tropum, ut id interpretentur quod Chrysostomus & alij Patres passim dicunt Christum *jacere in mensa Dominica*; nimirum hæc ita dici non per se quasi ipsum Christi corpus proprie jaceat (quod ex eorum hypothesi liquido falsum est) sed *ratione specierum, quibus conjunctum est*. Quod illæ jaceant, ipsum quoque jacere, sed improprie dicitur. Quod autem illæ jacent, eo nobis Christi corpus repræsentatur ut jacens in altari quando pro nobis immolatum est. Cum ergo ex ipsa Latinorum doctrina Christo ipsi tribui possint ea, quæ ejus signo, qua signum est, proprie conveniunt; profecto nihil vetat, quin Christus *jacere* ibi ipse dictatur, ubi proprie non ipse, sed ejus signum jacet. Atqui panis, qui Christi signum, vel symbolum est, in mensa sacra jacet; Ergo & Christus ipse recte, tametsi figurate, ibi *jacere* dici potest. Quod enim ipsum Christi corpus abest ab eo loco, in quo panis jacet, non eo fit, ut Christi signũm esse panis nequeat; quod ad rationem signi nihil necesse sit adesse cum signo id ipsum quod significatur; ne jam illud dicam, quod signa rerum potius absentium, quam præsentium esse solent; quæ scilicet frustra adhibentur, ubi res ipsæ præsto sunt; maxime cum signa eo sunt instituta, ut earum rerum, quas significant, memoria per ipsa jugiter conservetur, ac recolatur; in quo signorum genere Eucharistiam habendam esse & Paulus, imo & ipse Christus docet, & omnes ni fallor, consentiunt.

x Id. L. 1. de Euch. c. 2. §. Quarta regula &c.

Cap. IV. Christus infans quo tempore in cunis erat, ab illo mirabili sidere, quod Magis ex Oriente venientibus præluxit, longe aberat, quod quidem ad corporis, quod induerat substantiam ipsam pertinet. Quia tamen id Christi infantis salutare signum fuit, Patres, quos nuper laudavimus, dicere non dubitarunt, Christum *in stella apparuisse, fulsisse; in cunis IACVISSE, sed in cælo radiasse*; ea Christo aperte tribuentes, quæ signi proprie erant. Quid ni nunc vice versa eum in cœlo RADIANTEM, & longissime à terris nostris semotum, dixerint in eo signo IACERE, quod jacet, eoque proprie & quidem ab ipso institutum est, ut divinissimi sui corporis pro nobis immolati, adeoque tanquam in altari jacentis sacrificium repræsentet? Cum ergo ex loco Chrysostomi minime probari possit Eucharistiam ipsum illum Agnum esse, quem fideles in sacra Liturgia rogabant; apparet, nihil valere Bellarminianum argumentum quo hinc Eucharistiã invocatam olim adeoque adoratam fuisse concludebat.

Cætera Chrysostomi, quæ ad præsentiam Dominici corporis in Eucharistia realem plurima, sed frustra afferuntur, quod ad hanc de adoratione sacramenti disputationem proprie non pertineant, missa facio; apud eos videnda, qui de priori illa quæstione disputarunt; ac, ut cæteros taceam, apud Albertinum nostrum, qui omnia Chrysostomi in utramque partem dicta diligentissime ac copiosissime excussit, explanavit, & à Latinorum cavillationibus ac sophismatis vindicavit.

y Albertin. de Euch. L. 2. in Chrys. a. p. 522. ad 578.

Sed antequam ad Augustinum venio quem unum cum Chrysostomo audiri volebat Bellarminus, Perronio occurrendum est, quemdam Hieronymi locum nobis objicienti ex Præfatione in epistolam Theophili Alexandrini Paschalem Latine à se interpretatam; z *Mirati sumus*, inquit, *in opere tuo utilitatem omnium Ecclesiarum, ut discant, qui ignorant, eruditi testimoniis Scripturarum, qua debeant veneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deservire, sacrosque calices & sancta velamina, & catera qua ad cultum Dominica pertinent passionis, non quasi inanima & sensu carentia sanctimoniam non habere; sed ex consortio corporis & sanguinis Domini eadem qua corpus eius & sanguis maiestate veneranda.* Hinc Perronius argumentatur, a ex cujus Eucharistiæ consortio *calices, & velamina*, & cætera ejusdem census venerationem consequuntur, eam ipsam *adoratione & latria* haud dubie colendam esse. Sed ille dum sic agit, nobis quæ ipse obstat, obtrudit; non quæ Hieronymus dicit, in cujus verbis nihil de *adoratione & latria* legitur. Ille quidem ait nos *sancta debere cum veneratione suscipere altarisque ministerio deservire. Sancta* autem Eucharistiam dicit, *sacra dona, τὰ ἅγια*; quæ non *latriæ*, vel *adorationis*, quod ait Perronius, sed *venerationis* honore excipi vult. Iam vero *venerationem* Dei sacramentis deberi, nemo negat, & nos diserte in ipso disputationis limine professi sumus. *Venerationem* autem longe aliud esse quam latriam, & omnes sciunt, & hic ipse docet Hieronymus; cum *sacros calices, & velamina veneranda* esse scribit. Nemo enim est, qui istis rebus latriæ cultũ deberi putet. Sed neque ex eo, quod his veneratio propter consortiũ

z Hier. Præfat in Pasch. Theoph.

a Perron. L. 3. de Euch c. 15. extr. p. 900.

sacramenti

sacramenti defertur, consequens est, ut ipsum sacramentum *latria* cola- CAP. V.
tur. Plures enim sunt *venerationis* gradus, & eorum quæ *veneramur* alia aliis magis minusve veneramur. Eucharistiæ ergo majorem quidem exhibendam esse venerationem, quam velaminibus & cæteris, quæ propter ejus consortium veneramur, verum est, idque hinc concludi posse concedo; latriam vero eidem deferendam, quod vult Perronius, nulla arte ex his Hieronymi verbis excludi potest. Multo verius inde collegeris Eucharistiam, quamquam majore, *veneratione* tamen ejusdem cum eis generis quæ istis Ecclesiæ ministeriis exhibetur, tametsi superioris gradus esse honorandum; non autem *latria*, quæ supra venerationem toto genere assurgit. Vltima autem Hieronymi verba cum ait illa velamina & cætera cultus diuini ministeria eadem, *qua corpus eius & sanguis maiestate veneranda esse*, Perronius nequaquam edit quo sensu intellexerit. Tantum eam, quam Hieronymus dicit, majestatem, ipse *sacramenti maiestatem* vocat; quod neque auctor dicit, neque eo sane admitto. *Dominica passionis mysterium* intelligit, quaque ejus *maiestate fit*; ut Eucharistiam tanti mysterij symbolum veneremur, eadem quoque fieri dicit, ut vela, calices, & alia quorum est aliquis in hoc celebrando sacro usus, ex eo consortio veneranda ipsa quoque censeantur; quia nimirum ipsa quoque suo modo ac gradu *ad cultum Dominica pertinent passionis*. Hæc ni fallor, vera est Hieronymi in hoc loco mens ac sententia; quæ id quod præmisimus apertissime constituit; Eucharistiam, non quidem latria, quæ uni Deo ac Domino debetur, colendam; sed tamen ob *Dominica passionis*, cujus sacramentum est, summam dignitatem atque majestatem, esse venerandam; neque eam tantum, sed etiam cætera quæ in ejus administratione adhibentur, eadem majestate esse veneranda, id est ob eandem mysterij, cui celebrando suo modo atque ordine inserviunt, majestatem.

CAPVT V.

Solvitur Latinorum pro adoratione sacramenti XI. Arg. ex Augustino in Ps. 98. Caro Christi adoratur. Discutitur vana Perronij sophistice. Vltima loci verba expenduntur & exponuntur. Quamlibet *adverbium esse in his Augustini verbis.*

ITa discussa Perronij ad illum Hieronymi locum suspicione verius quam argumentatione, nunc ad Augustinum veniamus. Ex eo primum objicitur locus, in quo ad illa Davidis verba fluctuans, quæ in Psalmo latine legebat, *Adorate scabellum pedum eius*, Dei scilicet, eo cum Ambrosio confugit, *b* ut terram illam, quæ adorari jubetur, de Christi car- *b* Aug. in
ne accipiat; *Suscepit enim* (inquit) *de terra terram, quia caro de terra est*, Ps. 98.

Cap. V. *& de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Numquid autem caro vivificat? Ipse Dominus dixit, cum de ipsa commendatione eiusdem terræ loqueretur,* Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest. *Ideo & ad terram quamlibet cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cujus pedum scabellum est, quod adoras; propter ipsum enim adoras. Ideo & hic subjecit,* Adorate scabellum pedum ejus; quia sanctum* est. *Quis Sanctus est? In cujus honore adoras scabellum pedum eius. Et cum adoras illum, ne cogitatione remaneas in carne, & in Spiritu non vivificeris.* Spiritus enim, inquit, vivificat; Caro non prodest quicquam. Hæc Augustinus, quibus diserte quidem docet carnem Christi, propter Sanctum illum, id est Dei verbum, verum Deum, cui personaliter unita est, adorandam esse, Eucharistiam vero adorari vel esse adorandam, adeo non dicit, ut ejus toto hoc loco ne meminerit quidem. Sed, inquit c Bellarminus, si tantum vellet Augustinus dicere terram sine impietate adorari, quia caro Christi *ut est in cœlo adoratur; sine causa dixisset eam carnem nobis manducandam datam esse.* Ego vero pariter à Bellarmino quæro, si Augustinus præcise significare vellet, *carnem Christi in Eucharistia manducari*; cur & quorsum dicat, eum *in ipsa carne hic ambulasse*? Hoc enim quid quæso ad Eucharistiam? Sed ille utrumque hoc posuit, ut adorari Christi carnem à fidelibus demonstret. Cum enim Christus cum in terris versaretur, sæpe fuerit adoratus; cumque in terris vivens non aliter quam illa carne visus fuerit, & quidem velut in sua propria carne vere in utero Mariæ suscepta; inde patet Christum, etiam qua homo est, esse adorandum, sive, quod idem est, carnem quoque ejus propter inhabitantem Deitatis plenitudinem, esse adorandam. Atque hoc ipsum argumentum ad eandem rem probandam Ambrosius quoque supra adhibebat, cum Christum diceret in gloria resurgentem fuisse ab Apostolis adoratum. Quod vero de manducatione carnis addit Augustinus, eodem spectat. Est enim alterum adorationis Dominicæ carni debitæ argumentum. Cum enim Dominus carnem suam nobis manducandam dederit ad salutem; hinc etiam probatur eam carnem veluti salutis nostræ causam, sive ut supra loquebatur Cyrillus veluti vivificam, Deique adeo non hominis nudi propriam, summo cultu esse adorandam, neque illam rite ac legitime, adeoque ad salutem manducari à quoquam posse, nisi qui eam adoraverit. Hoc autem non alio quam ad eam adorationem, quæ fit in Eucharistia, pertinere, affirmanti Bellarmino assentirer si crederet Augustinus Christi carnem non alibi quam in sacramento manducari posse. Nunc cum Dominicam carnem etiam extra Eucharistiam, à piis & quidem salutariter manducari docuerit & Augustinus, & omnis illius memoriæ Ecclesia; absurdum

* Videtur leg. *Sanctus*.

c Bell. l. 2. de Euchar. c. 24. § Præterea si tantum.

absurdum est & futile illa Augustini verba ad eam solam carnis Dominicæ manducationem restringere, quæ fit in Eucharistia. Aliud etiam est Bellarmini peccatum, quod hic vult præter auctoris mentem, de adoratione carnis Dominicæ agi in Eucharistia *PRÆSENTIS* (realiter scilicet) non autem simpliciter de omni illius carnis adoratione sive præsentis, sive absentis. Nihil enim fidelem vetat etiam in ipsa Eucharistiæ participatione Christi carnem mente in cœlum evecta tametsi absentem vere adorare. Quinimo ipsum hoc sacramentum aperta quædam manifestaque est de adoranda Christi carne protestatio, quæ carnem illam vivificam, ac salutiferam esse, eaque vitæ æternæ causam contineri clamat; eoque potentissime argui quod ex Cyrillo & Synodo Ephesina didicimus, carnem illam non alterius cujusquam nudi hominis, sed Filij Dei vere ac personaliter esse carnem propriam. Quo nescio equidem, quid clarius atque illustrius doceat carnem illam adorandam esse; ut siquis Eucharistiam sumat, is hoc ipso se carnem Domini adorare profiteatur. Ex quibus Perronij quoque ad hunc locum cavillationes refelluntur. Objicit *d externam* hic *adorationem* ab Augustino intelligi; quod probat ex his ejus verbis, *cum te inclinas atque prosternis.* Respondeo proprie intelligi *mentalem*, absque qua nulla est vera vereque dicta adoratio; sed quæ tamen interdum cum prostratione vel inclinatione corporis conjuncta sit. Externam ergo hic comprehendi non negamus; sed sinceram, & cum mentali conjunctam. Objicit secundo adorationem carnis eam intelligi, quæ fit ante manducationem; *Nemo carnem illam manducat nisi prius eam adoraverit.* Atqui hoc de adoratione mentali dici non potest, inquit Perronius; Quia, inquit, adoratio illa mentalis nihil aliud est quam manducatio *mentalis* scilicet, quam hic nos ab Augustino dictam capimus. Hoc vero, quod ille sumit, negamus. Etsi enim indivulso inter se nexu duo illi actus cohæreant, *adorare, & manducare,* sic, ut nemo carnem Christi vere mente & animo manducet, nisi qui eam adoraverit, & vicissim nemo adoret, quin etiam manducet; non sint tamen *formaliter* ut loquuntur, unus idemque actus. *Adorare* enim est carnem Domini ut Filij carnem, eique vero, summo ac æterno Deo personaliter unitam colere; *Manducare* vero est eadem fide ad salutem frui; quæ diversa inter se esse omnes vident. Neque aliud vincunt huc allata à Perronio Vigilij Tapsensis, & ipsius Augustini loca; quæ id tantum, quod nos concessimus, docent actus scilicet illos esse indivisibiliter connexos; qualiter Iacobus ait, *e religionem veram esse visitare pupillos, & viduas*; tametsi hos visitare nemo nesciat aliud esse formaliter quam religionem; sed quia caritas, quæ hoc agit, cum religione veluti rivus cum fonte, à quo defluit, necessario ac indivisibili nexu conjuncta est, ideo Apostolus non dubitavit veram religionem his caritatis actibus censere ac definire. Sed nihil nos necesse est in his immorari, quæ & per se manifesta sunt, & ab Albertino nostro jam satis sunt contra Perronium constituta ac explicata.

d Perr. L. 5. de Euch. c. 16. p. 900. & Tract. de Aug. c. 11. p. 122.

e Iacob. 1. 27.

Cap. V. explicata. *f* Quod vero his addit Perronius *externam adorationem non posse directe terminari in carne Christi, ut in cœlo existente*, id inquam non modo falsum, sed etiam absurdum & inopinabile est. Quid enim vetat fidelem, corporis inclinationem ad eandem illam in cœlo existentem Domini carnem dirigere, ad quam mentalem adorationem dirigit? Atqui id ne aliter quidem fieri posse videtur, si sincere fit. Corporis enim actus animi sensum atque intentionem sequitur. Neque melior est, aut solidior ratio, quam suæ hujus assertionis attulit, quod scilicet *g cæterarum adorationum quotquot externas Christo Domino exhibemus, nulla sit, quam ad carnem Christi proprie dirigi ullo argumento pateat.* Nihil enim necesse est hoc patefieri ullo exteriori argumento. Satis est ad Augustini disputationem, quod fideles suas aliquas adorationes ad corpus Christi, ut Filio Dei personaliter unitum, mente ideo dirigant, quod ejus corporis passiones sibi salutem pepererint. Hoc enim si verum est, quod est sane verissimum, habet Augustinus, quod illo loco contendit; nimirum etiam terram esse aliquam, quæ non modo absque impietate adoretur, sed cui id pietatis officium exsolvi necesse sit. Postremo illa nobis Augustini verba objicit *h* Perronius, *Ideo & ad terram quamlibet, cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum Sanctum, cuius pedum scabellum est, quod adoras; propter ipsum enim adoras.* Consultius se gessit Bellarminus, ab hoc loco manum abstinens; qui Latinos torquet, neque ullum ad rem eorum Eucharisticum commodum sensum admittit. Mitto Vasquem gloriosissimæ Societatis præcipuum decus, qui *quamlibet illam terram*, de qua Augustinus, non de carne Christi, neque de Eucharistia, sen de terra quavis elementari, montana, campestri, palustri, culta, inculta, fertili, infrugifera, vitibus an pomiferis arboribus consita accipit, quam magnus ille Magister decernit posse à piis quibusque adorari, eodem modo atque res sacras à suis Latinis adorari sciebat. Absurdissime fateor; sed ne felicius quidem Perronius locum attrectavit, qui *quamlibet* illam Augustini *terram* de variis diversisque suarum Missarum hostiis, nove ni fallor, sed perversissime accipit. Hostias Perronianas mittamus. Augustinus quidem certe *terram*, de qua hic verba facit, *carnem* Christi esse, in qua olim ambulavit, quam nobis manducandam *ad salutem* dedit, tam liquido, tam clare, tam crebro toto hoc in loco clamat, ut de alio subjecto nisi præter apertam auctoris mentem accipi non possit. Si hostias suas Perronius hanc ipsam carnem esse ostendit, præterquam quod litem ex lite serit, & rem difficilem atque obscuram alia longe difficiliori atque incredibiliori expedit (quod non est bene & cum laude disserere) hoc quidem necessario confiteri debet omnes suas hostias, quamlibet immensus sit earum numerus, unam tamen, & quidem individuam esse Christi carnem, non plures. Atqui de re, quæ una est atque individua, nomen quilibet dici non potest *Quamlibet* autem dicit Augustinus eam *terram* de qua loquitur; Ergo plures sunt ejus partes, quibus singulis *terræ* nomen ac definitio convenit; quod cum de Christi corpore

f Albert. L. 2. de Euch. in August. Proposit. 4. c. 6. p. 687. B.

g Perr. tract. de S. Aug. locis c. 21. p. 212.

h Id. ibid. p. 223.

i Vasq. in 3. Thom. T. 1. disp. 96. c. 6 §. 45. & disp. 110. c. 2. §. 0.

CAPUT V.

corpore, quod unum est, neque in plura sui ordinis ac census corpora dividi possit, clarum est neque id Christi corpus, neque hostias Latinorum, si sunt omnes unum hoc Christi corpus, *terram* eam esse, de qua Augustinus hic ait, *terram quamlibet*. Hæc Vasquem ni fallor, eo adegerunt, ut *terram* illam *quamlibet* de diversis terræ elementaris speciebus sive partibus sumeret; Sed illi quod ait Poëta accidit, *Incidit in Syllam cupiens vitare Charybdin.* Perronius difficultatem vidit, quam cum probe intelligeret esse ineluctabilem, insigni hic fraude usus est, qua selectoribus minus ad rem attentis speravit illusurum. Vt enim Augustini verba ad suas hostias torqueret, de vi ac sensu nominis adjectivi *quilibet* ita grammaticatur; k *Nomen* quilibet (inquit) *quod hic terra adjicitur, existendi multiplicitatem inducit*, vel (ut ipse loquitur) *importat. Suam autem in locis existentiam non multiplicat corpus Christi, quatenus in cœlo est, sed tantum quatenus est in terra sub specie sacramenti, sub qua multiplicat suum esse in loco secundum hostiarum sacramentalium multitudinem. Ideoque nomen quidem* quamlibet *multiplicitatem notat atque exprimit hostiarum sacramentalium sub quibus caro Christi continetur; nomen vero* terræ *carnem Christi significat, quæ scilicet sola est terra illa ideo adoranda, quod scabellum sit pedum Christi.* Sed ille quidem frustra cavillatur. Quod enim statuit vocabulum *quilibet* ejus rei, cujus nomini adjicitur, *existendi multiplicitatem* notare, id obscure ad tegendam sophismatis fraudem sed falso dictum est. Res si penitius perspiciatur, patet. Nam illa *existendi multiplicitas* quam iste dicit, vel est rei sive subjecti in pluribus locis existentia, vel diversa existendi in locis illis ratio, ut in uno existat sic (puta *circumscriptive*) in alio aliter (puta *definitive*,) Atqui utrumque est à propositis Augustini verbis alienum; qui neque de loco, in quo existit *terra* illa adoranda, neque de modo, quo in loco existit, quicquam dicit. Totus illi sermo est de ipsa *terra*, ut patet. Si dixisset *quolibet loco existat illa terra*, vel *quocumque modo in loco existat ubi est*; faterer *multiplicitatem existendi* his verbis significari. Nunc plane aliter est. Dicit enim *ad terram quamlibet* adeoque notat non *existentiæ*, aut *modi existendi*, quem Perronius somniat, sed rei ipsius, id est terræ *multiplicitatem*. Nam ex omnium communi loquendi usu manifestum est vocabulum quilibet id ipsum cui adjicitur nomen, non aliud in plura necessario distribuere, neque adeo posse congrue ac legitime ulli subjecto adjici nisi ei, quod plura sub se continet, de quibus vere atque univoce prædicetur; ut si dixero *quolibet animal sentit, quilibet homo risibilis est*, nemo non intelligit plura esse veri nominis animalia, plures veri nominis homines, ex quibus significo nullum animal sumi posse, quod non sentiat; nullum hominem qui non sit risibilis. Sin vero res de qua sermo est, una omnino sit sui census atque ordinis, individue, neque in ulla alia partibilis, de quibus ejus nomen dici possit; apparet non posse ejus rei nomini vocabulum quilibet adjici nisi stulte & absurde. Vt si quis de Socrate illo Atheniensi diceret, *Quilibet Socrates*, vel de proprio ejus corpore, *Quodlibet Socratis corpus*,

k Perr. ub. supr. p. 223.

Cap. III. quin visos ab istis intelligat eos ipsos, quos non cibaverant, pios scilicet egentes. Ergo ne hinc concluseris vel pios ab istis hypocritis contemptos ac neglectos Christum vel revera ipsum fuisse, corpore hic in terris præsentem, vel saltem in piorum persona carne sua latentem? Nemo sanus dixerit. Sed quod pij sint Christi membra, fide ei innexi tanquam Domino ac Redemptori suo, ideo ille se in iis visum ac despectui habitum queritur. Eodemque sensu capienda sunt, quæ idem scriptor multo etiam majori cum emphasi & eodem illo loco, & alibi sæpe hac de re dicit; Idem scilicet Christi corpus, & in mensa sacra, & in paupere honorari. *Qui enim dixit, Hoc est corpus meum, & verbo rem confirmavit, eum quoque dixisse, Esurientem me vidistis*; Aperte significat Christi corpus tam in paupere fideli, quam in Eucharistia esse, videri, honorari. Alibi de paupere fideli loquens, eum esse dicit

p Id. Hom. 20. in 2. ad Cor. p. 689. E. *o altare sanctum, quia ipsum Christi corpus est*, ἐπειδὴ αὐτὸ σῶμά ἐστι χριστοῦ. Non est ergo mirandum, cum hic *ipsum Christi corpus sit*, Christum ipsum dici videri, quoties ille videtur. Et tamen ridicule argumentetur siquis concludat Christi carnem in fideli paupere realiter esse præsentem. Non est ergo sanior Latinorum ratiocinatio, dum ex eo quod Christi corpus in Eucharistia *videri à nobis* scribit Chrysostomus, concludunt in ea Christi corpus realiter adesse. Constat enim familiare esse Patribus, imo omnibus hominibus, ita loqui, ut ea nobis *ostendi, & à nobis videri* dicant, quorum signa & symbola, imagines, vel etiam argumenta nobis *ostenduntur* & à nobis *videntur* atque percipiuntur.

p Orig. Hom. 1. in Gen. Ipsi Patres id diserte observarunt; *Qui videt imaginem alicuius* (inquit Origenes) *videt eum cuius imago est.* Quidni, cum ad hoc ipsum fiant signa & imagines, ut res quæ in iis expressæ sunt, sensibus nostris exhibeantur quo quæ, qualesque ipsæ sint, inde perspiciamus? *Imagines* (inquit Marcellus Ancyranus apud Eusebium q) *ostensiva sunt eorum, quorum sunt imagines, etiam absentium; adeo ut per illas, isque absens est, apparere, videntur*; αἱ εἰκόνες τούτων ὧν εἰσιν εἰκόνες, καὶ ἀπόντων δεικτικαί εἰσιν, ὥστε καὶ τὸν ἀπόντα δι' αὐτῶν φαίνεσθαι δοκεῖν. Inde illa sunt passim apud Patres obvia; Apud Eusebiū Pseudemissenum, cum de Iona Christi typo sermo esset r *Videte* (inquit) *Dominum etiam in veteri testamento in servi* (Ionæ) *persona mirabiliter APPARVISSE.* Si *apparuisse* dicere licet, ergo & ab iis qui Ionam viderunt, *visum esse* dici potest. Prophetarum litteræ Christi venturi signa & argumenta sunt. Ergo & de iis verba faciens alius quidam multo recentior, qui sub eodem Eusebij Pseud. Emisseni nomine circumfertur; s *Ibi* (inquit) *Christum invenies, & cognosces, & VIDEBIS. Ibi enim transfiguratur. Ibi suis fidelibus Maiestas eius revelatur.* Huc illa quoque pertinent de Evangelio in Sermone de uno legislatore apud Chrysostomum t dicta; *Quotiescumque prædicatum fuerit Evangelium, nihil aliud VIDEO quam Petrum, & Andream, & chorum Apostolorum recte Evangelicum expandentes*; ὁσάκις ἐὰν κηρυχθῇ τὸ εὐαγγέλιον, οὐδὲν ἕτερον ὁρῶ ἢ Πέτρον καὶ Ἀνδρέαν, καὶ τὸν χορὸν τῶν ἀποστόλων δίκτυον ἁπλώσαντας τὸ εὐαγγελικόν.

q Euseb. L. 1. c. 4. contr. Marcell. Ancyr.

r Euseb. Emiss. Hom. 2. de Pasch. p. 57. B.

s Id. Hom. in Evang Hom. post 1. Dom. quadrag. fol. 64. B.

t Chrys. T. 6. serm. de uno Legisl.

λαγγέλικόν. Quale & illud est Basilij Seleuciensis, *u* *VIDI modo in ore* CAP. III.
Evangelico Dominum miracula patrantem, ΕΙΔΟΝ ἄρτίως ἐν σίμασιν εὐαγ- *u* Basil. Se-
γελικοῖς τὸν δεσπότην θαυματεργοῦντα. Et mox; ΕΙΔΟΝ τὸν ἑκατόνταρχον leuc Orat.
πρὸς τὰ τοῦ Δεσπότου καλινδούμενον ἴχνη; *VIDI Centurionem ad Domini* 19. p 108. C.
vestigia provolutum. Stella, quæ Magis præluxit, Christi signum erat. In eo ergo Christum apparuisse, imo etiam splenduisse & radiasse scribunt, quæ jam supra obiter attigimus. *Christus* (inquit Maximus Taurinensis) *x iacebat in præsepi, sed in SIDERE RVTILABAT. Nobis* (inquit *x* Max. hom.
idem *y*) *vagiebat in cunis; nobis arridebat in stella.* Idem iterum de eodem; 1. in Epiph.
In cunis (inquit) *iacebat; sed RADIABAT in cœlo.* Ita & Chrysologus *y* Ibid. hom.
Christum *fulsisse* dicit *z* in stellis. *Hodie* (inquit) *Magus, qui FVLGEN-* 2. p 571. B.
TEM quærebat in stellis, in cunis reperit vagientem. De eadem stella auctor *z* Petr.
sermonis 34. de tempore apud Augustinum, *a Christus* (inquit) *in alto* Chrys. Serm.
FVLGET. Sic Herodes apud auctorem operis imperfecti in Matthæum, 160. init.
b de Christo loquens, *Quis* (inquit) *est puer ille, qui antequam nascatur in terra, iam APPARET in cœlo?* Rubus, quem ardentem vidit Moyses, insigne Christi symbolum fuit. Itaque Arnobius junior; *c Filius* (inquit) *Dei luctatur cum Iacob; SPLENDET in rubo.* Eadem eorum ratio est, quæ nobis res ad quas referuntur, in memoriam revocant, & animis nostris veluti præsentes sistunt. Cum enim ea adsunt & à nobis cernuntur, & intelliguntur, tum res ipsas videre & intueri dicimur. Paula & Eustachium apud Hieronymum; *d Sepulcrum Christi* (inquiunt) *quotiescumque ingredimur, toties iacere in sindone CERNIMVS Salvatorem; & paululum ibidem commorantes rursus VIDEMVS Angelum sedere ad pedes eius, & ad caput sudarium convolutum.* Sed nemo est Chrysostomo nostro in hoc genere crebrior, aut elegantior; De animalium

a Aug. Serm. 34. de tempore c. 1.
b Chrysost. T. 2 in N. T. Hom. 2. op. imp. in Matth. p. 21. col. 1 D.
c Arnob. in Ps. 102. p. 275.
d Hier. ep. 17 quæ est ad Marcell.

creatione, quam ex Mosaicis monumentis Ecclesiæ in concione repræ- *e* Chrys.
sentaverat; *e VIDISTIS* (inquit) *animantia & ex aquis & ex terra edi-* Hom. 9. in
ta; ἴδετε τὰ ζῶα τὰ ἔμψυχα καὶ ἐκ τῶν ὑδάτων καὶ ἐκ τῆς γῆς ἀναδιδόμενα; Quia Gen p. 73. B.
scilicet audiverant enarrantem horum creationem. Alibi, ubi omnes adesse jubet *f* Dominici natalis die, *ut* (inquit) *VIDEAMVS Dominum in præsepi iacentem, fasciis involutum, tremendum illud ac stupendum spectaculum.* ἵνα ΙΔΩΜΕΝ ἐν φάτνῃ κείμενον ἐσπαργανωμένον. τὸ φρικτὸν ἐκεῖνο καὶ παράδοξον θέαμα. De Lazaro mendico, cujus historiam pro concione explicabat, cum priori ejus parte absoluta ad alteram progrederetur; *g Tum illum* (inquit) *VIDISTIS in vestibulo divitis; VIDETE eundem hodie in sinu Abrahæ. Vidistis illum cum à canibus circumlingeretur, Videte nunc eundem ab Angelis stipatum. Vidistis illum tum in paupertate; VIDETE nunc eundem in deliciis: Vidistis illum in fame, VIDETE nunc in multa rerum affluentia: Vidistis illum certantem: videte coronatum. Vidistis labores: videte præmium.* ἴδετε αὐτὸν ἐν τῷ πυλῶνι τοῦ πλουσίου· ἴδετε βλέπετε αὐτὸν σήμερον ἐν τοῖς κόλποις τοῦ ἀβραάμ. εἴδετε αὐτὸν ὑπὸ κυνῶν περιλειχόμενον. βλέπετε αὐτὸν ὑπὸ τῶν ἀγγέλων δορυφορούμενον. εἴδετε αὐτὸν ἐν πενίᾳ τότε. βλέπετε ἐν τρυφῇ νῦν. εἴδετε

f Id. T. 1. Hom. 31. de B. Philog. p. 357. B.
g Id. T. 5. Hom. 2. de Laz. p. 42. C.

Cap. III. ἐν λιμῷ· βλέπετε ἐν ἀσθενείᾳ πολλῇ. εἴδετε ἀγωνιζόμενον. βλέπετε στεφανούμενον. Harum locutionum exempla, quibus alia non pauca similia addi possent, clare docent, ubi adsunt & videntur rerum signa & memoriæ, ibi Patres dicere solere res ipsas, tametsi absentes, *videri*. Cum ergo & Patres doceant, & Latini ipsi fateantur, Eucharistiam esse signum, symbolum, imaginem, monumentum corporis & sanguinis Dominici, & in eo celebrari memoriam mortis Christi, qua divinum illud corpus mactatum & sanguis ejus effusus est; omnes jam intelligunt, ubi Eucharistia adest, & celebratur, ibi ex familiari Patrum stilo, dici posse corpus & sanguinem Domini *videri*, tametsi ex eo loco absint. Vnde postremo apparet falso & inepte Latinos argumentari dum ex descriptis Chrysostomi verbis, quibus ait fidelem, qui Eucharistiam in altari videt, in eo *videre corpus Domini*, concludunt ipsum illud Domini corpus proprie *videri*, adeoque Eucharistiam esse proprie ac realiter Domini corpus; Plane ac siquis colligeret *Salvatorem in sepulcro iacuisse, & Angelum ad pedes eius sedisse*, quoties eo ingrederentur Paula & Eustachium, ex eorum paulo ante recitatis verbis, *iacere in sindone cernimus Salvatorem, & videmus Angelum sedere ad pedes eius*: vel si quis ex iis Chrysostomi verbis, quæ addidimus concluderet ejus auditores, vel *animalia* ex terra & aquis creata, cum Genesin; vel Lazari statum in vita & post mortem cum parabolam Evangelicam exponeret; vere ac proprie oculis suis vidisse; vel Christi substantiam vere in stella fuisse; aut stellam ipsum Christum realiter fuisse, quam videbant Magi, eo argumentaretur, quod Patres Christum in ea *fulsisse, rutilasse, raudiasse, apparuisse* diserte scribunt; quæ quam falsa atque absurda sint, etiam cæci vident. Clarum est in his & aliis ejusdem ingenij locis, ea nos videre dici non quæ oculis aut aliis corporis sensibus ipsa usurpamus, sed quæ vel ex rebus quas videmus, vel ex verbis, quæ audimus, intelligimus, & animo velut præsentia, cogitamus. Ita Domini corpus in Eucharistia *videmus*; cum pane præsente ejus symbolo admoniti ad animum revocamus, cordaque sursum, quod Ministri jubent in cœlum attollentes, omnem cogitationem, omnemque mentis sensum in divino illo corpore defigimus; quod tametsi à terra in qua consistimus, longissime absit, fidei tamen nostræ præsentissimum est. Qui sensus ad Christi corpus in Eucharistia videndum afferendi sint, auctor ille qui sub Eusebij Emisseni nomine circumfertur, his verbis lucidissime docuit; *b Tu (inquit) cum ad reverendum altare salutari cibo, potuque reficiendus accedis sacrum Dei tui corpus & sanguinem* FIDE RESPICE, MENTE CONTINGE, CORDIS MANV *suscipe, & maxime haustu* INTERIORE *assume*. Neque hilum valet Bellarmini vitilitigatio; *i Si Christum (inquit) tantum in signo habemus, non modo non sumus Magis superiores, sed tanto inferiores, quanto inferior est imago Christi ipso vero Christo* Respondeo nos Magis à Chrysostomo hoc præferri, quod plura in Eucharistia videamus, quæ nos ad Dominici corporis reverentiam excitant atque obligant.

b Euseb. Emiss. Hom. 5. de Pasch. p. 45. A.

i Bell. L. 2. de Euch. c. 22 §. Adde quod hom. 24.

CAP. III.

obligant, quam quæ Magi Bethlehemi viderunt Hos enim vidisse corpus Christi, sed infantis jacentis in præsepi; Nos id ipsum in Eucharistia videre, sed viri, mactati pro salute nostra, nos carne sua suoque sanguine in vitam æternam pascentis, Illos vidisse mulierem pauperculam corpus infantis in ulnis suis gestantem; Nos videre sacerdotem Christo, ut Deo apparentem ac ministrantem; Illos vidisse infantem pannis involutum; Nos videre Spiritum Sanctum magna copia undique super hæc mysteria volitantem, Illos corpus oculis usurpasse; divinam illam corporis vim, virtutem, œconomiam, & quæcumque per ipsum effecta sunt, id est ejus mortem, resurrectionem, ascensionem in cœlum, victoriam & triumphos non vidisse, quæ nos omnia clarissime videmus, ex Evãgelio edocti. Hæc illis potiora esse, augustiora & diviniora, majorem adeo ab accedentibus ad communionem reverentiam exigere, nemo negaverit. Non ergo nos *Christum in signo tantum habemus*, quod falso delirat Bellarminus; sed vere & re ipsa eum Christum habemus, qui qualisque per Eucharistiæ signum nobis objicitur ac monstratur; nisi forte ille putet divina hæc quæcumque sacramentum nobis objicit ac repræsentat, fabulas esse & fallaces umbras. Fateor si non alios quam carnis oculos ad hoc sacramentum afferamus, nihil nos istorum in eo visuros; sed neque quicquam in oblata Latinorum deprehensuros patet, qui eam non alio quam corporis sensu metientur. Hi enim in altari non corpus Dei, sed vilissimam exigui panis bracteolam cernent, quod spectaculum infra divini infantis à Magis conspectam formam multum subsidit. Sin dicat Bellarminus quod res est non carnis, sed mentis fide illuminatos oculos ad hoc mysterium afferendos, his certe oculis magna illa quæ diximus omnia conspicienda tam vere à sacramento nostro objiciuntur, quam ab oblata Latinorum, id est tam à pane incolumi ex Christi disciplina consecrato, quam ab eodem transsubstantiato. Neque quod illa divina ab eo loco absunt in quo nos sacris operamur, eo fit, ut mente obscurius à nobis percipiantur, vel incertius aut inefficacius fide apprehendantur atque teneantur. Nihil enim ad rem & veritatem mysterij vel prodest vel nocet loci ac temporis vel propinquitas vel longinquitas. Corpus certe Dominicum, quicquid Latini de ejus sibi præsentia blandiantur, tam ab eorum sensibus abest, quam si non alibi quam in cœlo esset; ut nihil dicam de ejus morte, & de sacrificio crucis, quæ ipsi fatentur in signo tantum haberi, solaque communicantium mente ac fide percipi. Cæterum quanti sit Christum ita habere non in signo tantum, sed etiam in animo, docet *k* Augustinus; *Habemus* Christum (inquit) *si credimus. Habebant illi* (duo discipuli) *Christum in convivio. Nos habemus in animo. Plus est Christum habere in corde, quam in domo.* Neque hic omiserim *l* incerti quidem, sed tamen disertissimi scriptoris locum, quæ hactenus sub falso Eusebij Emisseni nomine latet. Is idem hoc de Magis argumentum tractans; *Secundum hæc* (inquit) *carissimi, nos quoque personam Magorum spiritali bus imitemur obsequiis. Inprimis tamdiu quæramus Christum,*

k Aug. Serm. 144. de Tempore c. 7. B.

l Euseb: Emiss. Hom. 1. in Epiphan. p. 86 extr. & 9. init.

Cap. IV. *donec illum invenire mereamur. Ducatum nobis prabeat, velut Stella, lux fidei. Hac illum nobis oſtendat, non iam in praſepio vagientem, ſed in ſumma COELI arce dominantem; nec in matris gremio, ſed in patris SOLIO ADORANDVM, nec alterius in HVMILITATE iudicandum, ſed ad iudicium cum maieſtate venturum.* Ergo ut hunc locum cum ſcriptore illo concludamus fatemur Dominum à piis videri & adorari, ſed quo eum loco *OSTENDIT FIDEI LVX*, non in terra nobiſcum verſantem, aut in HVMILITATE, inter panis involucra latentem (quo nihil dici poteſt humilius; adeo ut ne ſuæ quidem humiliationis tempore eo uſque ſe demiſerit) ſed in glorioſiſſimo Patris SOLIO ſedentem, ibi regnantem, ibi citra controverſiam à tota Eccleſia adorandum. Eò evehendas mentes, & alias, & in Euchariſtia maxime, quæ tota ad ejus gloriam gratis animis celebrandam inſtituta eſt. Itaque cum ex allatis Chryſoſtomi verbis ne illa quidem realis ut loquuntur Domini ſub panis ſpeciebus præſentia concludi poſſit, multo minus ex iis haberi poteſt Euchariſtiæ adoratio, quam Latini nulla alia de cauſa huic ſacramento deferendam putant, quam quod in ea Chriſtum realiter latere ſummo ſibi mentis errore perſuaſerunt.

CAPUT IV.

Solvuntur tria alia Latinorum ex eodem Chryſoſtomo argumenta; VII. ex L. de Sacerdotio. VIII. ex Hom. in Eph. IX. ex Hom. in 1. ad Cor. Refellitur X. Perronij eadem de re ex Hieronymo non tam argumentum, quam ſuſpicio.

HOc autem, cui plurimum confidunt, ita explicato loco vel nulla vel certe perexigua ſupereſt in aliis ex eodem ſcriptore objectis difficultas; quorum eadem fere eſt ratio. Pertinent enim omnia non ad ſacramenti, ſed ad Domini Chriſti, cujus ſacramentum eſt, adorationem ac cultum. Quale eſt quod ex opere de Sacerdotio affertur; *m Ego* (inquit) *commemorantem olim quemdam audivi, cum diceret ſenem quemdam, virum admirabilem, ac cui revelationum myſteria multa divinitus fuiſſent detecta, ſibi narraſſe, ſe tali olim viſione dignum habitum à Deo eſſe, ac per illud quidem tempus* (conſecrationis Euchariſtiæ) *derepente Angelorum multitudinem conſpexiſſe* (*quatenus conſpectus humanus ferre poterat*) *candidis veſtibus inductorum, altare ipſum circumdantium, & deorſum ſe inclinantium, ut ſiquis milites praſente Rege ſtantes videat; id quod facile mihi perſuadeo.* ἐγὼ δ' ὁ καί τινος ἤκουσα διηγουμένου ποτὲ, ὅτι αὐτῷ τις πρεσβύτης, θαυμαστὸς ἀνὴρ, καὶ ἀποκαλύψεις ὁρᾶν εἰωθὼς, ἔλεγεν ὄψεως ἠξιῶσθαι τοιαύτης ποτὲ, καὶ κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἄφνω πλῆθος ἀγγέλων ἰδεῖν, ὡς αὐτῷ δυνατὸν ἦν, στολὰς ἀναβεβλημένων λαμπρὰς, καὶ τὸ θυσιαστήριον κυκλούντων, καὶ κάτω νενευκότων, ὡς ἂν εἴ τις στρατιώτας παρόντος βασιλέως ἑστῶτας ἴδοι. καὶ

m Chryſ. L. 6. de Sacerd. c. 4. T. 4. p. 83. A.

ἔγωγε

ἔργα πείθομαι. Hunc locum Perronius magna cum pompa de more ostentat, & velut Achillem suorum Triaricorum postremum in acie collocat; *n* adorationem sacramenti eo haberi dictitans *ex testimonio non rhetorico, metaphorico, aut allegorico, sed historico*; idque hoc etiam mendacio exaggeravit, *testari* scilicet Chrysostomum se hæc qua narrat, *ex proprio eorum ore audivisse, quibus Angeli in Eucharistiæ celebratione apparuerunt.* Ait enim Chrysostomus se hæc olim accepisse, non ab ipso sene, cui oblata erat hæc visio, sed à *quodam* alio ea commemorante, quæ senex ille sibi narrauerat; ut ex verbis modo descriptis clare cognoscitur. Sed ego narrationis, etiam ab alio, quam ab ipso auctore traditæ fidem non sollicito; tametsi periculosum sit Christianismi vel dogmata, vel cultus hujusmodi visionum posteris privatisque hominibus oblatarum fundamento superstruere; quas res ipse Thomas diserte hinc excludit in ipso suæ Summæ limine, sapienter præscribens *o fidem nostram inniti revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi signa fuit aliis Doctoribus facta.* In hac vero Chrysostomæa nihil est quod Latinorum opinionem pro qua adducitur, constituat. Angelos Ecclesiæ conventui interfuisse narrat, stolis albis amictos: altare circumdantes, ore deorsum inclinatos instar militum coram Rege adstantium. Quidni, quos & Chrysostomus & cæteri fere Patres divinarum litterarum auctoritate fieri consentiunt sacris religiosisque piorum cœtibus gaudere, reverenterque interesse? Adoratæ Eucharistiæ, de qua quæritur, ne meminit quidem. Κάτω νεύειν dicit: id est capite inclinato stare, quod aliud hic esse quam adorare, vel militum coram Imperatore consistentium imago docet. Neque enim Regem circumstare significat civilem ei adorationem exhibere: sed honoris causa reverenter ei apparere; qualis est Angelorum & piorum hominum in Dei conspectu consistentium, etiam cum non adorant, sed vel verbum divinum audiunt, vel alij sacro religionis officio intersunt, & vacant. Sed fac adorasse Angelos. Eo ne Eucharistiam adorasse confeceris? Quasi vero Christum, in solio quidem cœlesti corpore considentem, hic vero Majestate in medio suorum consessu, quod promisit, præsentem adorasse non sit verius, & Angelico spiritu dignius, quam cum in pane in his terris posito quærere. Hoc vero conjectare est non modo piorum hominum, sed quod multo etiam tætrius est, Angelorum cœlestium mentes è cœlo in has terrenas & humiles regiones dejicere.

Eadem ratio est locorum, in quibus ait *p* Chrysostomus nos ejus sanguinem gustare, *qui sursum* (in cœlo scilicet) *sedet, quique ab Angelis adoratur*; id est Christi, ut omnes vident. Hic locus *Christum, qui in cœlo sedet ab Angelis adorari* dicit; quod & Paulus docet, *q* & omnes Christiani confitentur; Eucharistiam à fidelibus adorari, nequaquam dicit; quod quæritur, quodque erat probandum. Alibi in Acta Apostolorum de Eucharistiæ celebratione; *r Adsunt* (inquit) *Angeli, adsunt Archangeli, adest ipse Dei Filius, cum tanto tremore adstant omnes; adstant illi clamantes omni-*

CAP. IV.

n Pert. L. 4. de Euch. c. 15. p. 899.

o Thom. P. 1. q. 1. art. 1. Ad 2.

p Chrys. Hom. 3. in Eph. p.

q Hebr. 1.

r Chrys. Hom. 21. in Act.

Cap. IV. *tes omnibus silentibus.* πάρεισιν ἄγγελοι, ἀρχάγγελοι. πάρεστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ· μετὰ τοσαύτης φρίκης ἑστήκασιν ἅπαντες. παρεστήκασιν ἐκεῖνοι βοῶντες πάντων σιγώντων. *Angelos adstare*, & *Christum adesse* mysteriis ait. Nemo negat. *Altare cum tremore Angelos*, id est cum religiosissima reverentia. Quidni, in tam divini mysterij actione. *Clamare* eosdem ait; Merito vel præ admiratione rerum divinarum, vel præ gaudio ob salutis humanæ, & Dominicæ in homines misericordiæ excellentiam. De adoratione, nihil; quanquam siqua hic memoraretur, ea ad Christum facta intelligenda esset, non carne in panis speciebus latentem; sed Majestate & Spiritu inter pios præsentem. Eodem quoque illa pertinent ex homilia in nativitatem Christi, in quibus auditores incondite & immodeste hoc sacrum celebrantes objurgans, ut doceat quanta cum reverentia mysteriis interesse debeant, affirmat *s altare cum timore & tremore Angelicas* virtutes, & Cherubinos facies suas velare, & seraphinos cum tremore clamare *Sanctus, Sanctus Dominus*. Eadem quæ in loco proximo, nisi quod explanat, quis esset ille Angelorum clamor cujus ibi meminerat. Nimirum hymnum Seraphicum illo clamore significari.

s Id. Hom. in Nativ. Chryst. T. 5.

Hæc sunt loca, in quibus de Angelis fit mentio. Sed & adorandam esse Eucharistiam eo argumentantur, quod invocatam fuisse à fidelibus Chrysostomus alicubi doceat; *t Rogamus* (inquit) *Agnum iacentem* (in mensa scilicet Dominica) *qui suscepit peccata mundi.* δεόμενοι τοῦ ἀμνοῦ τοῦ κειμένου, τοῦ λαβόντος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. *Hic* (inquit *u* Bellarminus) *apertissime dicit invocari (quæ species est summa adorationis) Agnum in altari iacentem.* Ego vero libens admitto, quod ille hic ponit, invocationem religiosam *speciem esse summæ adorationis*; neque in præsentia quæro, vel excutio, cur ergo Sanctos & Angelos idem esse religiose invocandos defendat, quos *summa adoratione* colendos negat. His missis, quod non eloquitur quidem, sed tamen necessario intelligit, nego Chrysostomum dicere Eucharistiam invocari. Fateor *Agnum in altari iacentem invocari.* Sed quem? Eum qui *suscepit peccata mundi.* τὸν λαβόντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, id est (ut ex Scripturis universa fatetur Ecclesia) unum Dominum Christum. Eucharistiam vero *suscepisse peccata mundi*, & in Scripturis & in Ecclesia juxta inauditum. Sed (inquit adversarius) Eucharistiam esse ipsum illum Christum, quem tu invocandum esse confiteris, aperte docet, cum ait Agnum illum, quem & nos Christum intelligimus, *jacere*, scilicet in altari. Christus enim qui sedet in cœlo non potest idem jacere in altari, nisi Eucharistia, quæ sola *jacet in altari*, intelligatur esse Christus. Sed hæc omnis argumentatio vana est & sophistica, ab eo quod figurate & in signo dicitur id quod proprie intelligitur colligens; plane eodem modo, quo supra ex eo quod Christus à fidelibus in Eucharistia videri apud Chrysostomum figurate dicitur, Eucharistiam proprie Christum esse concludebat. Hic ergo eadem quæ supra ad idem sophisma, respondeo, Agnum *iacere* hic dici plane eodem modo ac sensu, quo supra *videri* denuntiavimus, in *signo* scilicet, non in se ipso; in mysterio

t Chrys. Hom 41. in 1. ad Cor. p.

u Bell L. 2. de Euch. c. 22. § Quintum testim.

sterio significante, non in carnis veritate, adeoque tropice & figurate, non proprie, Christus *iacet in altari*, id est eo pane, qui jacet in altari, repræsentantur tanquam victima jacens in ara, in qua pro peccatis nostris immolatus est. Panis enim & calix Eucharisticus memoria & symbolum est illius sacrificij. Ne ipsi quidem Latini verbum *iacere* aliter possunt hoc loco interpretari. Neque enim ille Christus quem fingunt in pane latere, ibi *iacere* proprie dici potest. Docent enim eum ibi esse, non *circumscriptive* (ut loquuntur in Scholis) ad modum corporis, sic, ut singulæ ejus partes extendantur alia extra aliam, locumque occupent suæ quantitati parem; sed *definitive*, admodum spiritus, qui omnis molis expers est, nullumque adeo spatium implet. At, quæ sic sunt in loco, ea vel *jacere*, vel *stare*, vel *sedere*, nisi falso non dicuntur, si proprie loquendum est. Nemo unquam quod sciam, Angelum *jacere* dixit, ut significaret eum in loco certo & definito esse. Vt exempli causa, Gabrielem, cum Mariam allocutus est, nemo sanus dixerit in Beatæ Virginis cubiculo *jacuisse*. Ipse Bellarminus ea tantum verba de corpore Christi in Eucharistia *simpliciter affirmari posse* definit, x quæ ejus in illa præsentiam significant à *modo existendi abstractam*; addens ideo *recte dici corpus Domini esse, contineri, manere, reperiri, sumi, percipi in Eucharistia. At* (inquit) *non recte diceremus, Corpus Christi in Eucharistia extensum est, vel occupat locum.* Iam verbum *jacere* non significat præsentiam rei in loco *abstractam à modo existendi. Iacere* enim est non simpliciter, sed *certo quodam modo existere in loco* Aliter enim existũt in loco, quæ jacent; aliter quæ stant; aliter quæ sedent. Ergo ipsi etiam Latini necessario confugere coguntur ad tropum, ut id interpretentur quod Chrysostomus & alij Patres passim dicunt Christum *jacere in mensa Dominica*; nimirum hæc ita dici non per se quasi ipsum Christi corpus proprie jaceat (quod ex eorum hypothesi liquido falsum est) sed *ratione specierum, quibus conjunctum est*. Quod illæ jaceant, ipsum quoque jacere, sed improprie dicitur. Quod autem illæ jacent, eo nobis Christi corpus repræsentatur ut jacens in altari quando pro nobis immolatum est. Cum ergo ex ipsa Latinorum doctrina Christo ipsi tribui possint ea, quæ ejus signo, qua signum est, proprie conveniunt; profecto nihil vetat, quin Christus *jacere* ibi ipse dicatur, ubi proprie non ipse, sed ejus signum jacet. Atqui panis, qui Christi signum, vel symbolum est, in mensa sacra jacet; Ergo & Christus ipse recte, tametsi figurate, ibi *jacere* dici potest. Quod enim ipsum Christi corpus abest ab eo loco, in quo panis jacet, non eo fit, ut Christi signũm esse panis nequeat; quod ad rationem signi nihil necesse sit adesse cum signo id ipsum quod significatur; ne jam illud dicam, quod signa rerum potius absentium, quam præsentium esse solent; quæ scilicet frustra adhibentur, ubi res ipsæ præsto sunt; maxime cum signa eo sint instituta, ut earum rerum, quas significant, memoria per ipsa jugiter conservetur, ac recolatur; in quo signorum genere Eucharistiam habendam esse & Paulus, imo & ipse Christus docet, & omnes ni fallor, consentiunt.

CAP. IV.

x Id. L. 1. de Euch. c. 2. §. Quarta regula &c.

Ooooo Christus

Cap. IV. Christus infans quo tempore in cunis erat, ab illo mirabili sidere, quod Magis ex Oriente venientibus præluxit, longe aberat, quod quidem ad corporis, quod induerat substantiam ipsam pertinet. Quia tamen id Christi infantis salutare signum fuit, Patres, quos nuper laudavimus, dicere non dubitarunt, Christum *in stella apparuisse, fulsisse*; *in cunis IACVISSE, sed in cælo radiasse*; ea Christo aperte tribuentes, quæ signi proprie erant. Quid ni nunc vice versa eum in cœlo RADIANTEM, & longissime à terris nostris semotum, dixerint in eo signo IACERE, quod jacet, eoque proprie & quidem ab ipso institutum est, ut divinissimi sui corporis pro nobis immolati, adeoque tanquam in altari jacentis sacrificium repræsentet? Cum ergo ex loco Chrysostomi minime probari possit Eucharistiam ipsum illum Agnum esse, quem fideles in sacra Liturgia rogabant; apparet, nihil valere Bellarminianum argumentum, quo hinc Eucharistiã invocatam olim adeoque adoratam fuisse concludebat.

Cætera Chrysostomi, quæ ad præsentiam Dominici corporis in Eucharistia realem plurima, sed frustra afferuntur, quod ad hanc de adoratione sacramenti disputationem proprie non pertineant, missa facio; apud eos videnda, qui de priori illa quæstione disputarunt; ac, ut cæteros taceam, apud Albertinum nostrum, qui omnia Chrysostomi in utramque partem dicta diligentissime ac copiosissime excussit, explanavit, & à Latinorum cavillationibus ac sophismatis vindicavit.

y Albertin. de Euch. L. 2. in Chrys. a. p. 522. ad 578.

Sed antequam ad Augustinum venio quem unum cum Chrysostomo audiri volebat Bellarminus, Peronio occurrendum est, quemdam Hieronymi locum nobis objicienti ex Præfatione in epistolam Theophili Alexandrini Paschalem Latine à se interpretatam; z *Mirati sumus*, inquit, *in opere tuo utilitatem omnium Ecclesiarum, ut discant, qui ignorant, eruditi testimoniis Scripturarum, qua debeant veneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deservire, sacrosque calices & sancta velamina, & cætera quæ ad cultum Dominicæ pertinent passionis, non quasi inanima & sensu carentia sanctimoniam non habere; sed ex consortio corporis & sanguinis Domini eadem qua corpus eius & sanguis maiestate veneranda.* Hinc Peronius argumentatur, a ex cujus Eucharistiæ consortio *calices, & velamina*, & cætera ejusdem census venerationem consequuntur, eam ipsam *adoratione & latria* haud dubie colendam esse. Sed ille dum sic agit, nobis quæ ipse obstat, obtrudit; non quæ Hieronymus dicit, in cujus verbis nihil de *adoratione & latria* legitur. Ille quidem ait nos *sancta debere cum veneratione suscipere altarisque ministerio deservire. Sancta* autem Eucharistiam dicit, *sacra dona*, τὰ ἅγια; quæ non *latriæ*, vel *adorationis*, quod ait Perronius, sed *venerationis* honore excipi vult. Iam vero *venerationem* Dei sacramentis deberi, nemo negat, & nos diserte in ipso disputationis limine professi sumus. *Venerationem* autem longe aliud esse quam latriam, & omnes sciunt, & hic ipse docet Hieronymus; cum *sacros calices, & velamina veneranda* esse scribit. Nemo enim est, qui istis rebus latriæ cultũ deberi putet. Sed neque ex eo, quod his veneratio propter consortiũ

z Hier. Præfat in Pasch. Theoph.

a Perron. L. 3. de Euch c. 15. extr. p. 900.

sacramenti

sacramenti defertur, consequens est, ut ipsum sacramentum *latria* colatur. Plures enim sunt *venerationis* gradus, & eorum quæ *veneramur* alia aliis magis minusve veneramur. Eucharistiæ ergo majorem quidem exhibendam esse venerationem, quam velaminibus & cæteris, quæ propter ejus consortium veneramur, verum est, idque hinc concludi posse concedo; latriam vero eidem deferendam, quod vult Perronius, nulla arte ex his Hieronymi verbis excludi potest. Multo verius inde collegeris Eucharistiam, quamquam majore, *veneratione* tamen ejusdem cum eis generis quæ istis Ecclesiæ ministeriis exhibetur, tametsi superioris gradus esse honorandum; non autem *latria*, quæ supra venerationem toto genere assurgit. Vltima autem Hieronymi verba cum ait illa velamina & cætera cultus diuini ministeria eadem, *qua corpus eius & sanguis maiestate veneranda esse*, Perronius nequaquam edit quo sensu intellexerit. Tantum eam, quam Hieronymus dicit, majestatem, ipse *sacramenti maiestatem* vocat; quod neque auctor dicit, neque eo sane admitto. *Dominicæ passionis mysterium* intelligit, quaque ejus *maiestate fit*; ut Eucharistiam tanti mysterij symbolum veneremur, eadem quoque fieri dicit, ut vela, calices, & alia quorum est aliquis in hoc celebrando sacro usus, ex eo consortio veneranda ipsa quoque censeantur; quia nimirum ipsa quoque suo modo ac gradu *ad cultum Dominicæ pertinent passionis*. Hæc ni fallor, vera est Hieronymi in hoc loco mens ac sententia; quæ id quod præmisimus apertissime constituit; Eucharistiam, non quidem latria, quæ uni Deo ac Domino debetur, colendam; sed tamen ob *Dominicæ passionis*, cujus sacramentum est, summam dignitatem atque majestatem, esse venerandam; neque eam tantum, sed etiam cætera quæ in ejus administratione adhibentur, eadem majestate esse veneranda, id est ob eandem mysterij, cui celebrando suo modo atque ordine inserviunt, majestatem. CAP. V.

CAPVT V.

Solvitur Latinorum pro adoratione sacramenti XI. Arg. ex Augustino in Ps. 98. Caro Christi adoratur. Discutitur vana Perronij sophistice. Vltima loci verba expenduntur & exponuntur. Quamlibet *adverbium esse in his Augustini verbis.*

ITa discussa Perronij ad illum Hieronymi locum suspicione verius quam argumentatione, nunc ad Augustinum veniamus. Ex eo primum objicitur locus, in quo ad illa Davidis verba fluctuans, quæ in Psalmo latine legebat, *Adorate scabellum pedum eius*, Dei scilicet, eo cum Ambrosio confugit, *b* ut terram illam, quæ adorari jubetur, de Christi carne accipiat; *Suscepit enim* (inquit) *de terra terram, quia caro de terra est*, *b* Aug. in Ps. 98.

 & de

Cap. V. *& de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Numquid autem caro vivificat? Ipse Dominus dixit, cum de ipsa commendatione eiusdem terræ loqueretur,* Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest. *Ideo & ad terram quamlibet cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cuius pedum scabellum est, quod adoras; propter ipsum enim adoras. Ideo & hic sub ecit,* Adorare scabellum pedum ejus; quia sanctum* est. *Quis Sanctus est? In cuius honore adoras scabellum pedum eius. Et cum adoras illum, ne cogitatione remaneas in carne, & in Spiritu non vivificeris.* Spiritus enim, inquit, vivificat; Caro non prodest quicquam. Hæc Augustinus; quibus diserte quidem docet carnem Christi, propter Sanctum illum, id est Dei verbum, verum Deum, cui personaliter unita est, adorandam esse; Eucharistiam vero adorari vel esse adorandam, adeo non dicit, ut ejus toto hoc loco ne meminerit quidem. Sed, inquit c Bellarminus, si tantum vellet Augustinus dicere terram sine impietate adorari, quia caro Christi *ut est in cœlo adoratur; sine causa dixisset eam carnem nobis manducandam datam esse.* Ego vero pariter à Bellarmino quæro, si Augustinus præcise significare vellet, *carnem Christi in Eucharistia manducari*; cur & quorsum dicat, eum *in ipsa carne hic ambulasse*? Hoc enim quid quæso ad Eucharistiam? Sed ille utrumque hoc posuit, ut adorari Christi carnem à fidelibus demonstret. Cum enim Christus cum in terris versaretur, sæpe fuerit adoratus; cumque in terris vivens non aliter quam illa carne visus fuerit, & quidem velut in sua propria carne vere in utero Mariæ suscepta; inde patet Christum, etiam qua homo est, esse adorandum, sive, quod idem est, carnem quoque ejus propter inhabitantem Deitatis plenitudinem, esse adorandam. Atque hoc ipsum argumentum ad eandem rem probandam Ambrosius quoque supra adhibebat, cum Christum diceret in gloria resurgentem fuisse ab Apostolis adoratum. Quod vero de manducatione carnis addit Augustinus, eodem spectat. Est enim alterum adorationis Dominicæ carni debitæ argumentum. Cum enim Dominus carnem suam nobis manducandam dederit ad salutem; hinc etiam probatur eam carnem veluti salutis nostræ causam, sive ut supra loquebatur Cyrillus veluti vivificam, Deique adeo non hominis nudi propriam, summo cultu esse adorandam, neque illam rite ac legitime, adeoque ad salutem manducari à quoquam posse, nisi qui eam adoraverit. Hoc autem non alio quam ad eam adorationem, quæ fit in Eucharistia, pertinere, affirmanti Bellarmino assentirer si crederet Augustinus Christi carnem non alibi quam in sacramento manducari posse. Nunc cum Dominicam carnem etiam extra Eucharistiam, à piis & quidem salutariter manducari docuerit & Augustinus, & omnis illius memoriæ Ecclesia; absurdum

* Videtur leg. Sanctus.

c Bell. l. 2. de Euchar. c. 24. § Præterea si tantum.

absurdum est & futile illa Augustini verba ad eam solam carnis Dominicæ manducationem restringere, quæ fit in Eucharistia. Aliud etiam est Bellarmini peccatum, quod hic vult præter auctoris mentem, de adoratione carnis Dominicæ agi in Eucharistia *PRÆSENTIS* (realiter scilicet) non autem simpliciter de omni illius carnis adoratione sive præsentis, sive absentis. Nihil enim fidelem vetat etiam in ipsa Eucharistiæ participatione Christi carnem mente in cœlum evecta tametsi absentem vere adorare. Quinimo ipsum hoc sacramentum aperta quædam manifestaque est de adoranda Christi carne protestatio, quæ carnem illam vivificam, ac salutiferam esse, eaque vitæ æternæ causam contineri clamat; eoque potentissime argui quod ex Cyrillo & Synodo Ephesina didicimus, carnem illam non alterius cujusquam nudi hominis, sed Filij Dei vere ac personaliter esse carnem propriam. Quo nescio equidem, quid clarius atque illustrius doceat carnem illam adorandam esse; ut siquis Eucharistiam sumat, is hoc ipso se carnem Domini adorare profiteatur. Ex quibus Perronij quoque ad hunc locum cavillationes refelluntur. Objicit [d] *externam* hic *adorationem* ab Augustino intelligi; quod probat ex his ejus verbis, *cum te inclinas atque prosternis.* Respondeo proprie intelligi *mentalem*, absque qua nulla est vera vereque dicta adoratio; sed quæ tamen interdum cum prostratione vel inclinatione corporis conjuncta sit. Externam ergo hic comprehendi non negamus; sed sinceram, & cum mentali conjunctam. Objicit secundo adorationem carnis eam intelligi, quæ sit ante manducationem; *Nemo carnem illam manducat nisi prius eam adoraverit.* Atqui hoc de adoratione mentali dici non potest, inquit Perronius; Quia, inquit, adoratio illa mentalis nihil aliud est quam manducatio *mentalis* scilicet, quam hic nos ab Augustino dictam capimus. Hoc vero, quod ille sumit, negamus. Etsi enim indivulso inter se nexu duo illi actus cohæreant, *adorare*, & *manducare*, sic, ut nemo carnem Christi vere mente & animo manducet, nisi qui eam adoraverit, & vicissim nemo adoret, quin etiam manducet; non sunt tamen *formaliter* ut loquuntur, unus idemque actus. *Adorare* enim est carnem Domini ut Filij carnem, eique vero, summo ac æterno Deo personaliter unitam colere; *Manducare* vero est eadem fide ad salutem frui; quæ diversa inter se esse omnes vident. Neque aliud vincunt huc allata à Perronio Vigilij Tapsensis, & ipsius Augustini loca; quæ id tantum, quod nos concessimus, docent actus scilicet illos esse indivisibiliter connexos; qualiter Iacobus ait, [e] *religionem veram esse visitare pupillos, & viduas*; tametsi hos visitare nemo nesciat aliud esse formaliter quam religionem; sed quia caritas, quæ hoc agit, cum religione veluti rivus cum fonte, à quo defluit, necessario ac indivisibili nexu conjuncta est, ideo Apostolus non dubitavit veram religionem his caritatis actibus censere ac definire. Sed nihil nos necesse est in his immorari, quæ & per se manifesta sunt, & ab Albertino nostro jam satis sunt contra Perronium constituta ac explicata.

CAP. V.

[d] Perr. L. 3. de Euch. c. 16. p. 900. & Tract. de Aug. c. 21. p. 222.

[e] Iacob. 1. 27.

Cap. V. explicata. *f* Quod vero his addit Perronius *externam adorationem non posse directe terminari in carne Christi, ut in cœlo existente*, id inquam non modo falsum, sed etiam absurdum & inopinabile est. Quid enim vetat fidelem, corporis inclinationem ad eandem illam in cœlo existentem Domini carnem dirigere, ad quam mentalem adorationem dirigit? Atqui id ne aliter quidem fieri posse videtur, si sincere fit. Corporis enim actus animi sensum atque intentionem sequitur. Neque melior est, aut solidior ratio, quam suæ hujus assertionis attulit, quod scilicet *g ceterarum adorationum quotquot externas Christo Domino exhibemus, nulla sit, quam ad carnem Christi proprie dirigi ullo argumento pateat.* Nihil enim necesse est hoc patefieri ullo exteriori argumento. Satis est ad Augustini disputationem, quod fideles suas aliquas adorationes ad corpus Christi, ut Filio Dei personaliter unitum, mente ideo dirigant, quod ejus corporis passiones sibi salutem pepererint. Hoc enim si verum est, quod est sane verissimum, habet Augustinus, quod illo loco contendit; nimirum etiam terram esse aliquam, quæ non modo absque impietate adoretur, sed cui id pietatis officium exsolvi necesse sit. Postremo illa nobis Augustini verba objicit *h* Perronius, *Ideo & ad terram quamlibet, cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum Sanctum, cuius pedum scabellum est, quod adoras; propter ipsum enim adoras.* Consultius se gessit Bellarminus, ab hoc loco manum abstinens; qui Latinos torquet, neque ullum ad rem eorum Eucharisticum commodum sensum admittit. Mitto Vasquem gloriosissimæ Societatis præcipuum decus, qui *quamlibet illam terram*, de qua Augustinus, non de carne Christi, neque de Eucharistia, sed de terra quavis elementari, montana, campestri, palustri, culta, inculta, fertili, infrugifera, vitibus an pomiferis arboribus consita accipit, quam magnus ille Magister decernit posse à piis quibusque adorari, eodem modo atque res sacras à suis Latinis adorari sciebat. Absurdissime fateor; sed ne felicius quidem Perronius locum attrectavit, qui *quamlibet* illam Augustini *terram* de variis diversisque suarum Missarum hostiis, nove ni fallor, sed perversissime accipit. Hostias Perronianas mittamus. Augustinus quidem certe *terram*, de qua hic verba facit, *carnem* Christi esse, in qua olim ambulavit, quam nobis manducandam *ad salutem* dedit, tam liquido, tam clare, tam crebro toto hoc in loco clamat, ut de alio subjecto nisi præter apertam auctoris mentem accipi non possit. Si hostias suas Perronius hanc ipsam carnem esse ostendit, præterquam quod litem ex lite serit, & rem difficilem atque obscuram alia longe difficiliori atque incredibiliori expedit (quod non est bene & cum laude disserere) hoc quidem necessario confiteri debet omnes suas hostias, quamlibet immensus sit earum numerus, unam tamen, & quidem individuam esse Christi carnem, non plures. Atqui de re, quæ una est atque individua, nomen quilibet dici non potest *Quamlibet* autem dicit Augustinus enim *terram* de qua loquitur; Ergo plures sunt ejus partes, quibus singulis *terræ* nomen ac definitio convenit; quod cum de Christi corpore

f Albert. L. 2. de Euch. in August. Proposit. 4. c. 6. p. 687. B.

g Perr. tract. de S. Aug. locis c. 21. p. 212.

h Id. ibid. p. 225.

i Vasq. in 3. Thom. T. 1. disp. 96. c. 6 §. 45. & disp. 110. c. 2. §. 0.

corpore, quod unum est, neque in plura sui ordinis ac census corpora dividi possit, clarum est neque id Christi corpus, neque hostias Latinorum, si sunt omnes unum hoc Christi corpus, *terram* eam esse, de qua Augustinus hic ait, *terram quamlibet*. Hæc Vasquem ni fallor, eo adegerunt, ut *terram* illam *quamlibet* de diversis terræ elementaris speciebus sive partibus sumeret; Sed illi quod ait Poëta accidit, *Incidit in Syllam cupiens vitare Charybdin*. Perronius difficultatem vidit, quam cum probe intelligeret esse ineluctabilem, insigni hic fraude usus est, qua selectoribus minus ad rem attentis speravit illusurum. Vt enim Augustini verba ad suas hostias torqueret, de vi ac sensu nominis adjectivi *quilibet* ita grammaticatur; [x] *Nomen* quilibet (inquit) *quod hic terra adjicitur, existendi multiplicitatem inducit*, vel (ut ipse loquitur) *importat. Suam autem in locis existentiam non multiplicat corpus Christi, quatenus in cœlo est, sed tantum quatenus est in terra sub specie sacramenti, sub qua multiplicat suum esse in loco secundum hostiarum sacramentalium multitudinem. Ideoque nomen quidem* quamlibet *multiplicitatem notat atque exprimit hostiarum sacramentalium sub quibus caro Christi continetur; nomen vero* terræ *carnem Christi significat, quæ scilicet sola est terra illa ideo adoranda, quod scabellum sit pedum Christi*. Sed ille quidem frustra cavillatur. Quod enim statuit vocabulum *quilibet* ejus rei, cujus nomini adjicitur, *existendi multiplicitatem* notare, id obscure ad tegendam sophismatis fraudem sed falso dictum est. Res si penitius perspiciatur, patet. Nam illa *existendi multiplicitas* quam iste dicit, vel est rei sive subjecti in pluribus locis existentia, vel diversa existendi in locis illis ratio, ut in uno existat sic (puta *circumscriptive*) in alio aliter (puta *definitive*,) Atqui utrumque est à propositis Augustini verbis alienum; qui neque de loco, in quo existit *terra* illa adoranda, neque de modo, quo in loco existit, quicquam dicit. Totus illi sermo est de ipsa *terra*, ut patet. Si dixisset *quolibet loco existat illa terra*, vel *quocumque modo in loco existat ubi est*; faterer *multiplicitatem existendi* his verbis significari. Nunc plane aliter est. Dicit enim *ad terram quamlibet* adeoque notat non *existentiæ*, aut *modi existendi*, quem Perronius somniat, sed rei ipsius, id est terræ *multiplicitatem*. Nam ex omnium communi loquendi usu manifestum est vocabulum quilibet id ipsum cui adjicitur nomen, non aliud in plura necessario distribuere, neque adeo posse congrue ac legitime ulli subjecto adjici nisi ei, quod plura sub se continet, de quibus vere atque univoce prædicetur; ut si dixero *quolibet animal sentit, quilibet homo risibilis est*, nemo non intelligit plura esse veri nominis animalia, plures veri nominis homines, ex quibus significo nullum animal sumi posse, quod non sentiat; nullum hominem qui non sit risibilis. Sin vero res de qua sermo est, una omnino sit sui census atque ordinis, individue, neque in ulla alia partibilis, de quibus ejus nomen dici possit; apparet non posse ejus rei nomini vocabulum quilibet adjici nisi stulte & absurde. Vt si quis de Socrate illo Atheniensi diceret, *Quilibet Socrates*, vel de proprio ejus corpore; *Quodlibet Socratis corpus*,

x Perr. ub. supr. p. 223.

Cap.V. *corpus*, nemo non rideret vanam & recti sensus inanem elocutionem; quod omnes sciant tam Socratem, quam ejus corpus, subjectum esse unum, in alia ejusdem nominis impartibile. Iam sanctissimum illud Domini corpus, quod constat ab Augustino *terra* nomine in loco objecto significari, unum est, neque in alia dividi potest, quæ singula Christi corpus univoce cum ipso dici possint. Omnes enim consentiunt unum esse, non plura Domini Christi corpora. Fateor id corpus posse in pluribus locis consistere; Sed sive in pluribus istis locis *successive*, quod nos verum putamus, sive simul semelque, quod Latini fingunt, existere dicas, unum tamen idemque corpus est, non plura. Locorum diversitas rem ipsam nihil mutat. Neque modi, quo in loco existit, magis quam ipsius loci, multiplicitas corpus ipsum multiplicat. Neque enim Latini corpus hoc, cum id in sacramento *definitive existere* quamquam absurdissime ac plane prodigiose statuunt, aliud tamen ab eo esse imaginantur, quod est *circumscriptive* in cœlo. Etsi aliter hic, aliter illic esse fingant, unum tamen idemque esse, non plura, contendunt. Quæ cum ita se habeant, apparet chimærica illa Perronij de *existentiæ multiplicitate* dictata ad nihilum redire, & ab hoc loco plane penitusque esse aliena; omninoque statuendum esse *terræ* nomine vel aliud Augustinum intellexisse quam Christi *corpus*, vel sane illam ejus locutionem *quamlibet terram*, ineptam esse & intolerabilem, quo sensu eam accipi vult Perronius, de Christi corpore sive in cœlo, sive in sacramento existente; quorum prius cum supra sit à nobis clarissima ratione explosum, neque ab alio quod sciam, quam à Vasque, defendatur, in hoc posterius omnino concedendum est. Quid ergo (inquis) tu ne Augustinum inepta, & veri rectique sensus inania hic profudisse putas? Ego vero non puto. Sed quod mihi jam olim venit in mentem, quodque Albertinum nostrum sequutum, esse video, *l* locum levi menda laborare suspicor, & expuncta præpositione *ad*, quæ in nostris codicibus habetur, ita esse legendum, ut ab Hadriano P. R. I. in epistola ad Carolum Magnum pro septima Synodo exhibetur; *m Ideo & terram quamlibet, cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum Sanctum, cuius pedum scabellum est, quod adoras.* Loci ita constituti sensus est rectus, neque obscurus, si modo vocabulum *quamlibet*, non pro accusativo singulari fœminino nominis adjectivi *quilibet* sumamus (quomodo Perronius & alij perperam & præter omnem rationem sumpserunt) sed pro adverbio, *quamlibet*, idem significante quod *licet, etiamsi*, vel *quantumvis*; quodque in eo sensu cum cæteri scriptores Latini, passim usurpant, tum vel maxime & frequentissime Augustinus. Exempla sunt apud eum pæne innumerabilia, ut cum de animalibus hominum ultima die resuscitatorum verba faciens, *n Sic habebunt* (inquit) *sua corpora, ut nunquam non habeant, nunquam ea prorsus vel ad exiguum QUAMLIBET tempus ulla morte deponant.* *Quamlibet* idem hic esse, quod *quantumvis* etiam cæci vident. Ita & alibi in eodem opere, *naturam quamlibet minimam* eodem modo dicit. *o* Neque hic mihi quisquam

l Albert. ub. supr. p. 689.

m Hadr. I. pro Sept. Syn. c. 31.

n Aug. L. 22. de Civ. D. c. 26.

o Ibid. L. 12. c. 24.

quisquam vitilitigator cavilletur Augustinum dixisse *terram quamlibet*, non autem *quamlibet terram*, ut in aliis fere solet, cum illa particula pro *quamvis, licet, quantumvis* utitur, Inanis est hæc argutia; Has enim particulas nominibus quibus adjiciuntur, non modo præponi, sed interdum etiam postponi, vel illud è Cypriano docet de vino Eucharistico parvulæ invitæ ac repugnanti ingesto *p Diaconus* (inquit) *RELVCTANTI LICET, de sacramento calicis infudit*; ubi vides *licet* non propositum, sed postpositum nomini; *reluctanti licet*; plane ut si hic Augustinus dixisset, *terram licet intuearis*. Cum autem utriusque particulæ *licet* & *quamlibet* idem sit sensus, eundem quoque esse usum clarum est. Sed & in uno duorum ex ipso Augustino exemplorum *exiguum quamlibet tempus* attentius intuenti clarum est particulam quamlibet id nomen afficere cui postponitur, nempe *exiguum*; nō autem id cui præponitur nempe *tempus*. Sed in his tricis immorari piget. Iam vero planus est si hæc sequimur, totius Augustinianæ in hoc loco orationis sēsus; hominē scilicet Christianum, cum *se inclinat & prosternit*, nimirum ad terram illam, id est ad carnem Dominicam adorandam eam *quantumvis terra sit* (substātiæ scilicet ac naturæ suæ ratione) *intuendam* tamen esse non *quasi terram*; sed quasi Sanctum illum, Filium scilicet Dei, Deum verum, *cujus pedum* (inquit) *scabellum est, quod adoras; propter ipsum enim adoras*. Locus Domini carnem ob unionem cum Filio personalem adorandam docet, & quidem adorandam non quasi terram, id est quę nostræ est substantiæ & originis, sed *quasi Sanctū illum*, cujus *scabellum pedum* est, à quo scilicet assumpta est, velut ejus πρόσλημμα; quo nomine indigetatam alicubi à Gregorio Theologo Christi carnem meminisse videor, tametsi nunc non succurrat locus. De Eucharistiæ vero adoratione verbum nullum hic habetur; nullum cernitur vestigium, Quod enim Perronius urget verbum *intuearis, non quasi terram intuearis*, inde argumentans *obiectum adorationis* nostræ propinquum esse, & eo loco situm quo à nobis etiam oculis corporeis cerni viderique possit, non adeo in cœlo, quo nulla humani visus acies penetrare potis est; id inquam, dilutum est, ac nequid gravius dicam, frigidum. Quis enim nescit nos ea possim dici *intueri*, quæ non carnis, sed mentis oculis usurpamus, cogitamus, ac consideramus? Vt apud Apostolum, de Melchisedecho, *q Intuemini* (inquit) *quantus sit hic, cui & decimas, dedit de præcipuis Abraham Patriarcha*; Intueri liquido hic est non oculis contendere, sed mente cogitare, considerare atque animadvertere. Quo sensu nos idem in eadem epistola *r aspicere* jubet *in auctorem fidei & consummatorem Iesum*; unde ne ipse quidem credo Perronius collegerit Iesum hic in terris existentem cominus à nobis intuendum à divino scriptore intelligi. Sed neque aliter apud Augustinum accipi res ipsa patitur, Quod enim *intueri* nos jubet, id non aliis quam mentis oculis intueri licet. Nos enim jubet non in terra sive *carne* defigere oculos; sed aciem in *Sanctum*, Deum Filium intendere; qui non aliter quam mente atque animo aspici potest. Sed hæc de illo Augustini loco satis.

Cap. V.

p Cypr. de lapf. p. 206. lin.10.

q Hebr. 7.4.

r Hebr. 12. 2.

CAPUT VI.

Duo alia Latinorum ex Augustino ducta Argumenta solvuntur, XII. ex epist. 118. XIII. ex Tract. in Psal. 21. (Hebr. 22.)

s Bell. L. 4. de Euch. c. 29. §. ult & L. 2. c. 24. §. Id. in ep. 118.

ALium post hunc Bellarminus locum nos inspicere jubet ex epistola 118. c. 3. docentem *Eucharistiæ* (inquit) *deberi singularem venerationem.* Ego apud Augustinum *singularem illam venerationem Eucharistiæ* lego; eam ibi de *latriæ adoratione*, sacramenti symbolis delata vel debita intelligendam nego, de *veneratione* Eucharistiæ & divinorum sacramentorum propria ac singulari libens admitto; quam nemo nostrum rejicit aut impugnat. Augustinus sane baptismo eandem quam Eucharistiæ venerationem, utrumque sacramentum conjungens, decernit, ubi de illis ambobus verba faciens; *t Quæ unusquisque* (inquit) *cum percipit, quo referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali serviente, sed spiritali potius libertate VENERETUR.* Ergo & baptismus huic venerandus; An ideo & latria colendum putas? Absit. Neque ergo Eucharistiæ latriam vindicat debita ei & exhibita veneratio. Quid ergo istic præterea scripsit Augustinus, unde sua illa elicuerit Bellarminus? Ille scripsit *u* hoc sacramentum neque qui quotidie accipiendum negant, neque qui aiunt, *exhonorare*; sed potius utrosque id certatim *honorare contendere.* Iam vero *honorare* nemo nescit longe latius patere quam *adorare*; neque *siquos* vel *siqua* honoremus, eo nos istis continuo *latriæ* cultum, qui uni Deo debetur, impendimus. Sed instat Bellarminus, & istos qui ad hoc sacramentum ex devotione utrique vel accedunt quotidie vel non accedunt, observat ibidem ab Augustino *cum Zachæo & cum Centurione comparari, quorum alter Dominum accepit in domum suam gaudens; alter dicit, Non sum dignus.* Fateor, inquam. Quid tum postea? Rogas, inquit? Nimirum hinc sequitur latria colendum hoc esse sacramentum; quia nisi ipsam Dominicæ carnis substantiam vere & realiter sumamus, *comparatio inepta & frigida est.* Atrox decretum; quod non ratio, sed merum causæ studium Bellarmino dictavit. Memini scriptorem Origenis nomine supra nobis objectum comparasse eos qui antistites suscipiunt cum istis Christum in Evangelio tecto suo excipientibus. Ergo ne Bellarmine, nisi Antistites latria uni Deo debita colamus, & in iis Christi substantiam vere & realiter inesse credamus; decernes tuum illum Origenem *inepte & frigide* hæc inter se comparavisse? Non facies tu quidem, si sapis. Quid, quod ipse quoque Augustinus Zachæo Christum sub tectum suum excipienti eos comparat, *x* qui nunc Christum ut ipse loquitur, *attendunt jacentem in porticu*, esurientem, frigus patientem, egenum, peregrinum. Egenos, sed Christianos, Christi servos, & membra in Christo illo jacente in porticu, haud dubie significat, quos quoties suscipimus Christum à nobis

t Aug. de doctr. Christ. L. 3. c. 9.

u Aug. ep. 118. c. 3.

x Aug. Serm. 19. de diversis.

nobis suscipi intelligit. Ergo si legislatori Bellarmino paremus, isti egeni CAP. VI.
latria colendi sunt; in istis enim propria Christi substantia, quanquam sub pannis istis latens, vere tamen & realiter inest, Nemo ut opinor, Bellarmino has leges ferenti auscultabit; Ne ipse quidem credo sibi talia decernenti dum in vivis esset, paruit. Sed tamen inquis, jubet ille nisi lex sua steterit frigidam & ineptam esse omnem illam Augustini comparationem. Vellem ne fecisset. Vt enim nunc sunt res hominum comparatæ, vix erit, ut non omnes censeant, inepte frigidoque potius judicasse Bellarminum, quam comparasse Augustinum. Vtcumque sit, nullam nos quidem hactenus Eucharistiæ ab Augustino *latriam* decretam fuisse videmus.

Superest ultima ex Augustino objectio ducta ex aliquot locis, in quibus ille hæc Psalmi 21. Hebræis 22.) verba vel explicans, vel alludens, y *Manducaverunt & adoraverunt omnes divites plebis*, *Ipsi quidem* (inquit) divites id est superbi, *adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine ejus. sed adorant tantum, non etiam saturantur, quoniam non imitantur. Manducantes enim pauperem, dedignantur esse pauperes.* Cætera loca, quod eadem sit eorum & mens & ratio, nihil necesse est describere. z Ad hæc, quæ recitavimus, ita Bellarminus; *Hoc loco* (inquit) *Augustinus aperte dicit homines superbos accipere de mensa Domini corpus Domini, & adorare; sed non saturari* Imo neutrum dicit, nedum ut aperte utrumque dixerit. Non prius; Nam eos de Dominica mensa accipere dicit, non quod iste ait, *corpus Domini*, sed quod habet recitatus locus, *de corpore & sanguine Domini*, quod aperte negat istos *accipere corpus Domini*; quod cum sit indivisibile, plane totum vel accipitur, vel non accipitur. At sacramentum Dominici corporis quod frangitur, & per partes sumitur, & ex observata à nobis supra ex ipsis Patribus locatione *corpus Domini* passim apud eos dicitur, hic intelligere eo ipso agnoscitur Augustinus, quod *ex eo accipere* dicuntur communicantes. Id enim *sacramento* quidem convenit quod *corporis* nomine figurate vocatur; naturali proprieque dicto Christi *corpori*, non convenit. Itaque Beda, quo nemo Augustinum pressius ac studiosius sequitur, hæc ipsa Psalmi verba exponens, ait a istos divites *manducaturos*, non simpliciter, sed *quantum ad sacramenta*. Sed neque illud alterum quod aperte ab Augustino dici affirmabat Bellarminus, in loco descripto extat, *Corpus* scilicet Domini *istos adoravisse*. Hæc enim sunt ejus verba, b *Accipiunt de corpore & sanguine Domini, sed adorant tantum.* Quid *adorent* hic tacet; alibi dicit apertissime, *Non dixit* (inquit) *manducaverunt & saturati sunt: sed manducaverunt & adoraverunt. ADORANT quidem Deum, sed humanitatem nolunt exhibere fraternam* Hinc ergo habetur Deum ab iis, qui communicant, adorari (quod nemo negat) sacramentum *adorari*, quod quæritur, non habetur. Quo autem sensu isti superbi Deum cum communicant, *adorare* dicantur, planissime explicat c Beda loco nuper laudato; *Adorabunt* (inquit) *quia cum quadam exteriori veneratione accedent, vel manducabunt; id*

y Aug. ep. 120. c. 27.

z Vid. eund. in Ps. 21. Expos. 1. & in Ps 48 Conc. 1 & serm. 8. de div. Bell. L. 2. de Euch. c. 24. §. in Ep. 120.

a Bed. in Ps. 21.

b Aug. in Ps. 48. Conc. 1.

c Bed. in Ps. 21.

Cap. VII. *est delectabuntur in passione mea, & ADORABUNT simulantes venerationem meam veram; sed non saturabuntur, quia omnes qui descendunt in terram, id est qui solis terrenis delectantur, vel qui in sacramentis nihil nisi QUOD TERRENUM ET VISIBILE est attendunt, cadent, id est casum patientur damnationis æternæ.* Hæc ille; sane luculentissime. Neque enim putandum est veram ac legitimam, adeoque Domino gratam & acceptam esse illorum hypocritarum simulatam & eatenus quadam oris atque oculorum dejectione adumbratam adorationem; de qua ex Beda intelligenda sunt Psalmi verba. Ex quibus refellitur atque evertitur omnis Bellarmini sophistice. *Per corpus Domini* (inquit) *non intelligitur signum corporis* Quidni, inquam? *Quia* (inquit) *panis non adoratur.* Atqui inquam, neque illud Domini corpus, *ex quo accipimus*, usquam *adorari* dicit Augustinus. Tu quidem hoc ei affingere ausus es; sed repugnanti, & alibi *Deum* ab istis adorari exserte testanti. Paris est sophistices, quod ait corpus Domini non intelligi ut est in cœlo. Sane inquam. Nam hoc quod figurate ex communi Ecclesiæ more dicit Augustinus, *corpus Domini*, ejus corporis quod *est in cœlo*, sacramentum est; non est ipsum illud proprie atque univoce naturale Domini corpus. Atque ita concidit quicquid isti ex Augustino pro Eucharistiæ adoratione afferre solent.

CAPUT VII.

Solvitur Latinorum pro Eucharistia adoratione Argumentum XIV. ex Theodoreti Dialogis ductum. Theodoretum à transsubstantiationis fide alienum fuisse, etiam quosdam ex Latinorum Theologis confiteri. τὸ προσκυνεῖν adorare *ambiguum. Discutitur Perronij sophistice; & in ipsum retorquetur.*

SUb Augustini occasum efflorescebat in Oriente Theodoretus Cyri Episcopus, excellentis vir ingenij, qui plurimis iisque eximiis operibus Ecclesiam sui seculi illustravit; is ipse, qui alibi ait *d ultima esse dementia id ipsum adorare, quod comeditur:* quisque negat *sanæ mentis hominem id quod Deo offert & comedit, pro Deo habiturum*; quibus nihil dici potuit adversus Eucharistiæ adorationem disertius. Ex hoc tamen scriptore locum afferunt Latini de quo vehemente gloriantur, & quidem non sine aliqua specie. De symbolis Eucharisticis loquens, in disputatione contra Eutychis sectatores sua; *e Intelliguntur* (inquit) *ea esse, quæ facta sunt, & creduntur & adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur.* Νοεῖται δὲ ἅπερ ἐγένετο καὶ πιστεύεται, καὶ προσκυνεῖται, ὡς ἐκεῖνα ὄντα ἅπερ πιστεύεται. In his ea adorari ait, quæ comeduntur & offeruntur; Eucharistiæ enim symbola & offerri & comedi omnis olim prædicavit, omnis etiam hodie confitetur Ecclesia; maxime autem Latina. Alibi, quod modo dicebamus, negat quæ offeruntur & comeduntur, ea adorari. Nihil in speciem dici

d Theodoret in Genes. Quæst 55. & in Levitic. Q. 11.

e Id. Dial. contr. Eutich. 2.

dici potest his duabus assertionibus magis ἀσύστατον, quarum prior affirmat, quod altera diserte negat. Non est autem verisimile vel mediocris ingenij virum, nedum Theodoretum, quo pauci sunt auctores acutiores, & mentis in omni doctrinæ genere constantioris, res tam inter se pugnantes eodem ore pronuntiare, eademque manu litteris mandare posse. Quid ergo est? Profecto necesse est in verbis, quod sæpissime, etiam præstantissimis scriptoribus accidit, aliquod anceps & homonymum latere; ex quo exortum sit illud ἐναντιοφανές. Expendamus ergo ea verba, ex quibus inter se discrepantes ac compugnantes orationes contextæ sunt. Neque sane diu laborandum est, quo conciliandæ utriusque orationis rationem inveniamus. Occurrit enim statim in utraque oratione verbum *προσκυνεῖν, adorare*; quod ambiguum esse ac πολύσημον, neque semper de eodem cultus, honorisve genere apud Ecclesiasticos illius seculi scriptores Græcos, imo & Latinos à multis & veteris & recentioris memoriæ doctissimis viris observatum ac demonstratum est. Res innumerabilibus posset exemplis ex Christianæ antiquitatis monumentis confirmari ac illustrari. Ego quia de Theodoreto quæritur, non aliũde afferam, quam ex auctoribus, qui ante quintum seculum adultum, quo ille floruit, scripserunt. Quod antequam facio, paucis Perronio hic nostros criminanti satisfaciendum est. Is enim in quodã operis de Eucharistia sui loco nostros scribit *f* *nolle Patres unquam admisisse aliam religiosæ adorationis speciem* *f* Pett. de
præter eam, quæ soli Deo debetur. Equidẽ illud putarim vere affirmari posse Euch. L. 2. in
antiquissimos ad quarti usque seculi initia Patres hac voce *προσκυνεῖν adorare* nunquam aliter usos, ubi de honore & cultu in religione solenni sermo est, nisi ad eum cultum significandum, qui uni Deo debetur, neque iis notos fuisse istos hujus cultus gradus, quos Latini nunc triplici discrimine celebrant, *latriamque, duliam, & hyperduliam* vocitant; quod nos in prima alterius operis disputatione *g* satis ni fallor demonstravimus. Sed & *religiosæ adorationis* ambiguo Perronius nostris dolum struxit. Nam si illam adorationem *religiosam* dicit, quæ ipsius religionis actus est, ab ea ut in scholis loquuntur, *elicitus*; non puto Perroniũ inter eos Theologos qui ante quartum seculum vixerunt, quemquam facile reperturum fuisse, qui hanc adorationem alij quam Deo deberi, censuerit. Sin adorationis religiosæ nomine eos venerationis actus intelligit, quos religio non quidem ipsa elicit, sed tamen rebus & personis sacris exhiberi imperat; non facile crediderim quemquam nostrorum putasse Patres nullum horum actuum alij quam Deo deberi censuisse. Hæc ad depellendam à nostris calumniam satis sunt. Quod vero nunc quæritur, id clarum certumque est nimirum vocabula προσκυνεῖν & προσκύνησιν, etiamsi aliter quam pro latriæ cultu sumpto fuisse non reperiantur à Theologis, qui ante seculi, quarti initia vixerunt, reperiri tamen ab iis qui floruerunt quarto seculo, & quinto quo Theodoretus scripsit, usurpata pro ea veneratione quæ sacris cum personis, tum rebus exhibetur, immẽso infra latriam interuallo. De personis, res clara est. Nã in Capreoli Carthaginensis Episcopi ad Synodũ Ephesinã I. epistola, *h* quæ in illius Cõcilij Actis Græce interpretata extat,

Cap. VII.

Theodoret. c. 8. p. 532.

g L. 1. de cultus rel. obi. c. 3. 4. 5. & propriec. 6.

h Capt. Ep. ad Conc. Eph.

Cap. VII. extat, ipsa synodus *προσκυνητὴ adoranda* dicitur, & qui ei interierant, Patres & Archimandritæ *προσκυνητοὶ ἀδελφοὶ adorandi fratres*, & *προσκυνητοὶ ἱερεῖς adorandi sacerdotes* salutantur. Sic etiam Martianus Augustus Calchedonensem Synodum *προσκυνητὴν* vocat. *i* Iam illarum Synodorum Patres & Ælienses Archimandritas venerandos sive venerabiles fuisse, ut omnes fatentur, ita latria cultos fuisse nemo dixerit. Ergo *προσκύνησις* & *προσκυνητὸς* etiam de veneratione, id est honoris genere à latria plurimum discrepante, dici ac usurpari Græcorum Patrum jam eo tempore usus fuit quo Theodoretus vixit. Ille enim duabus istis Synodis Ephesinæ & Calchedonensi interfuit. Sed eadem quoque ratio est ejus venerationis, quæ sanis rebus, ad usum religionis pertinentibus defertur. Ita loquitur *k* quarto seculo provecto Gregorius Nazianzenus; *Venerare* (inquit) *Bethlehem, & præsepe ADORA, Βηθλεὲμ σεβάσθητι, καὶ τὴν φάτνην ΠΡΟΣΚΥΝΗΣΟΝ*. *Adorare* dici pro *venerari* clarum est, quomodo & Latine Hieronymus; *l Adoravi* (inquit) *præsepe & incunabula Salvatoris*: & apud eum Paula & Eustochium, *Helisæi* (inquiunt) *& Abdiæ cineres pariter adorare*. Nemo dixerit latriæ cultum præsepi Bethlehemi, & Prophetarum cineribus exhibitum fuisse. *Adoratas* quidem hoc sensu Martyrum reliquias qui istis locis ita loquitur Hieronymus, alibi *m* vehementer negat. Neque vero aliter sumendum est, quod in Chrysostomi *n* Liturgia legimus *Evangelij codicem* à Diacono *cum reverentia adorari*, *ἢ ΠΡΟΣΚΥΝΗΣΑΣ μετὰ ἀληθείας τὸ ἅγιον Εὐαγγέλιον*; eodemque pertinet quod Galla Placidia *altare adorandum* vocat, *προσκυνητὸν θυσιαστήριον*; Isidorus Pelusiota *o præsepe Christi* adoratum *προσκυνούμενον*. Ex his nemo non intelligit verbum *adorare προσκυνεῖν* apud Patres illius ævi, interdum & quidem sæpe significare, non latriam, Deo uni debitum cultum, sed honorem illum, qui rebus sacris exhibetur, quemque veteres alias *venerationem* appellare solent. Ita Augustinus de signis & sacramentis ad religionem pertinentibus; *p Sub signo* (inquit) *servit, qui operatur aut VENERATVR aliquam rem significantem, nesciens quid significet. Qui vero aut operatur aut VENERATVR utile signum divinitus institutum, cujus vim significationemque intelligit, non hoc VENERATVR, quod videtur & transit, sed illud potius quo talia cuncta referenda sunt.* Tum proprie de baptismo & Eucharistia; *Quæ* (inquit) *unusquisque cum percipit, quo referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed spiritali potius libertate veneretur.* Gregorius in libro Sacramentorum de ipsa Eucharistia; *q Conferat nobis Domine S. Ioannis utrumque solennitas, ut & magnifica sacramenta quæ sumpsimus, digne VENEREMVR, & nobis salutaria sentiamus.* Augustinus alibi *honorare* simpliciter dicit; *r* ubi de Eucharistia, *saluberrimum* (inquit) *sacramentum certatim HONORARE contendunt*, tam scilicet qui sæpe, quam qui raro communicat. *Nam* & ille (inquit paulo post) *HONORANDO non audet quotidie sumere, & ille HONORANDO non audet ulla die prætermittere.* Mox honorem illum definit non *latriam* vel *divinam adorationem*, sed *VENERATIONEM*. *Apostolus*

i Marc. ep. ad Ardum. Æl. Act. Syn. Calch.

k Greg. Naz. orat. 38. p. 625.

l Hier. Apol. adv. Ruffin. 9. 6. & ep. 17.

m Id. contra Vigilant.

n Liturg. Chrys.

o Isid. ep. L. 4. ep. 27.

p Aug. L. 3. de doctr. Christ. c. 9.

q Greg. L. sacr. die decollat. Bapt. p. 118.

r Aug. ep. 118. c. 3.

stolus (inquit) *indigne dicit acceptum* (sacramentum Domini) *ab eis, qui hoc non discernebant à cæteris cibis, VENERATIONE singulariter debita.* Cum hunc ergo *honorem*, hanc *venerationem* rerum sacrarum & à Deo in religione ad usum fidelium institutarum, *adorandi* vocabulo sæpe significatum fuisse ex iis quæ adduximus pateat à Patribus qui ab an. D. 380. ad 460. vixerunt; non est mirandum, quod Theodoretus, qui illis temporibus floruit, & Synodis Ephesinæ & Calchedonensi interfuit, *adorare* de Eucharistia loquens eodem illo sensu dixerit; neque dubitandum, quin eo vocabulo eam simpliciter *venerationem* intellexerit, quam Augustinus & Gregorius sacramento deberi & exhiberi dicunt. Ex quibus nunc facile est illa quæ pugnare inter se videatur diversa Theodoreti dicta conciliare, alterum quo id quod comeditur, *adorare* προσκυνεῖν fas esse negat; alterum quo symbola Eucharistica quæ conceduntur eadem *adorari* προσκυνεῖσθαι in Ecclesia ait. Nimirum horum unum de latriæ cultu, alterum de veneratione diversissimo à latriæ honore, accipiendum est. Iam neque obscurum est uter locus posteriori hoc sensu intelligendus sit. Nam res ipsa clamat, & omnes credo, consentiunt, de latriæ cultu accipienda esse illa loca, in quibus scribit *s summam esse insaniam adorare quod comeditur* τὸ ἐσθιόμενον προσκυνεῖν idque à se ita intelligi nos ipse docet in alio hujus simili loco, quo eadem de re verba faciens negat *t sanæ mentis quemquam Deum id esse nuncupaturum quod vero Deo oblatum ipse etiam comedit.* πῶς γὰρ ἄν τις εὖ φρονῶν ὀνομάζοι θεὸν τὸ τῷ ἀληθινῷ θεῷ προσφερόμενον καὶ παρ' αὐτοῦ ἐσθιόμενον; Clare dicit quod προσκυνεῖν prius dicebat; id esse quod adoras *Deum nuncupare*; quod ad latriam pertinere planum est. Idque alibi ipse hoc idem argumentum tractans diserte pronuntiat, *u* Deum ea quæ comeduntur, indicasse esse *contemnenda neque divinos sibi honores vindicare*, καὶ μὴ τὸ θεῖον σφετερίζεσθαι σέβας. *Divinos honores*, θεῖον σέβας, id est latriam vocat eum cultum, quem iis rebus exhibendum negat, quæ *comeduntur*. Nulla nunc dubitatio est, quin de summo latriæ cultu intellexerit eam adorationem, quam nefas esse putat ac decernit iis exhibere quæ comeduntur. Illum ergo (nisi sibi ipsi turpiter contradixisse velimus, necessario confitendum est cum in objecto loco *adorari* dicit quæ offeruntur & comeduntur, symbola scilicet Eucharistica, id non de *latriæ cultu*, sed de ea duntaxat veneratione locutum esse, quæ rebus sacris exhibetur, quæque toto quod aiunt cœlo à latria distat; qualiter sexto seculo baptismum, quem nemo latria colendum putat προσκυνητὸν *adorandum* à Iustiniano Augusto vocatum *x* esse scimus; quod & ex duobus illis Theodoreti locis manifestum est, quæ jam jam attigimus. Latini enim quod offerunt & comedunt sacramentum, id ipsum *Deum suum* nuncupant, θεὸν ὀνομάζουσι, eique *divinos honores* τὸ θεῖον σέβας exhibent. Non ergo eadem est cum Eucharistiæ solenni apud Latinos *latria*, ea *adoratio*, qua Theodoretus *adorari* dicit symbola Eucharistica; à qua scilicet ipsum exsociandu his removisse atque exclusisse constat Dei & nomenclaturam, & σέβας honores. Frustra in hæc quæ solida sunt & immota,

CAP. VII.

s Theodor. in Gen. Q. 55.

t Id. in Levitic. Q. 11.

u Id. serm. 7. de sacr.

x Iustinia. Novell. 6.

Cap. VII. immota, & omni veteris Ecclesiæ fidei ac praxi consentanea, argumentatur *y* Perronius symbola hæc Eucharistica dici à Theodoreto προσκυνεῖσθαι adorari, *ὡς ἐκεῖνα ὄντα ἅπερ πιστεύεται, ut quæ illa sunt, quæ esse creduntur;* Frustra ad hæc declamitat particulam *VT*, non *similitudinis* esse, sed *identitatis*; id est conjunctionem esse hoc loco ratiocinativam, quæ ideo adoranda esse symbola constituit, quod illa ex ipsa sint, quæ esse credantur. Ego vero hæc, in quibus tantopere exultat Perronius, adeo non repudio, ut ex iis illum ipsum quem posui Theodoreti sensum, exstruam atque confirmem. Istis enim quæ ab adversario allata dixi concessis, ex iis etiam Perronio præeunte concludo illam à Theodoreto attributam symbolis Eucharisticis adorationem ex iis esse definiendam, quæ ipse de illis symbolis credebat. *Adorantur* (inquit) *ut quæ sint ea ipsa quæ creduntur, ὡς ἐκεῖνα ὄντα ἅπερ πιστεύεται.* Ergo hic Eucharistiæ honos ab ea fide pendet, quæ de ea erat apud Theodoretum. Videamus quid ille de Eucharisticis symbolis crediderit. Inde constabit quem iis honorem, quam adorationem exhibuerit. Credidit-ne Theodoretus nullum esse in Eucharistia consecrata panem verum, nullum vinum? omnem utriusque elementi substantiam ac naturam in divinum Christi corpus vere ac realiter fuisse commutatam? Credidit-ne illa symbola postquam consecrata sunt, non amplius panem illum, aut vinum esse ex quibus facta sunt, sed naturale Domini corpus, αὐτὸ σῶμα, sed ipsum Dominum, Deum ac servatorem nostrum esse Iesum Christum? Si hæc ita esse Theodoretus credidit, si Theodoretum credidisse Perronius demonstraverit; nos facile concedemus, tametsi quæ contra adduximus valide repugnent, illam quam symbolis tribuit προσκύνησιν iste de *latria* intelligendam, quam scilicet omnis tum recens, tum vetus Christianismus Dominico corpori vindicet. Sin vero aliud auctor ille credidit, si symbola verum panem, verum vinum esse; si de pristina substantia ac natura nihil mutasse sensit, si dono & gratia Christi ornata esse putavit, ut sanctissimi ejus corporis, vera ac non fallacia signa, symbolaque essent; profecto illud inde apertissime consequitur, ut non latriam, quæ unius Dei, nullius vero creaturæ est, sed venerationem rerum sacrarum propriam ab eo intellectam fuisse fateamur, quo loco illa symbola de quibus ita scilicet senserit, *adorata* à se & cæteris fidelibus dixit. Vt autem intelligamus utrum istorum de symbolis Eucharisticis senserit Theodoretus, nihil necesse est hinc longe discedere. Locum enim objectum immediate præcedebant hæc verba; *z Neque enim* (inquit) *mystica symbola post sanctificationem à sua NATVRA discedunt. Manent enim in priori SVBSTANTIA & forma, & visibilia, & palpabilia sunt, qualia prius erant.* οὐδὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως. μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους. καὶ ὁρατά ἐστι καὶ ἁπτά, οἷα καὶ πρότερον ἦν. His illa, quæ prius à Bellarmino & aliis objecta descripsimus, continenter subnectuntur. Sed & alibi in eodem opere suam hanc de symbolorum Eucharisticorum natura & ratione sententiam explicavit:

y Perr L. de Euch. p. 906.

z Theodoret. Dial. 2.

è quibus unum tantum locum afferam, quo ea & pristinam panis & vini substantiam retinere affirmat, & rationem cur *corpus & sanguis Domini* dicantur breviter quidem, sed tamen clarissime exponit, ita de Domino Christo loquens; a *Qui quod natura corpus* (suum scilicet) *est frumentum & panem appellavit, is visibilia symbola* (panem nimirum & vinum) *corporis & sanguinis sui appellatione honoravit, nō NATURAM MUTANS, sed gratiam naturæ adjiciens.* Hæc & alia, quæ prudens mitto adversus Latinorum transsubstantiationem, adeo sunt dilucida, ut qui hos Dialogos Romæ ediderūt, præfati sint, quæ à Theodoreto his locis dicta sunt, eorū sentētiæ favere videri, qui tradūt permanere in sacramento panis substantiam. Neq alij eorumdem partium desunt, b qui idem quoq; de hoc scriptore judicant. Sed homines valde quoties expedit, benigni, hoc Theodoreto peccatū facile ut alias solent, ignoscunt, virū hoc nomine venia dignum censentes, quod *ea de re eius tempore ab Ecclesia nondum fuisset aliquid promulgatū*; Gamachæus vero etiam explicatius, d quod *transsubstantiatio eius tēporibus non ita perspicue tradita & explicata fuerat.* Non laudo, quod veteres, ad quorū tribunal de religionis controversiis indesinenter tantis clamoribus provocant, quos judices legerant, eos nunc reprehendunt, seq; iis condonare profiteantur siquid ad suam mentem minus commode dixerint; quasi ipsi Patrū non modo judices, sed etiā Principes sint. Illud vero non possum non laudare, quod libere fateantur nondum fuisse Theodoreti tēporibus promulgata sua illa de transsubstātiatione mysteria, eumq; videri sensisse in saccramento *manere panis substantiā.* & merito quidem ita judicarūt. Quid enim est obsecro, iis verbis lucidius, quæ recitavimus, in quib. & *mutari* symbolorū *naturam* negat, vel ea, quod idē est, *à propria natura discedere* & affirmat disertissime eadē *in priore substantia, & figura, & forma permanere*? Ex his apertissima nunc est Theodoreti & Ecclesiæ illius seculi de his mysticis Eucharistiæ symbolis fides; Credebantur nimirum esse ejusdem post sanctificationem *natura* atque *substantia* cujus retro fuerant, id est verus *panis* verumque *vinum*; *corporis & sanguinis* Dominici nomine ideo donata, quod eorum *naturæ gratiam* Christus adjecerit, non quod *naturā* ipsam *mutaverit.* Hujusmodi autē rebus; quæ sunt *panis* scilicet & *vinum* natura ac substantia sua, *latriam* deferri apud omnem Ecclesiam, multoque magis apud scripturam nefas est; venerationem deberi, ut gratiæ divinæ instrumentis, quibus Domino uti libuit ad sui corporis & sanguinis communionem, nemo unquam abnuit. Cum ergo Theodoretus ea *adorari* affirmavit, veluti *quæ sunt illa quæ creduntur esse*, profecto qui hæc, ea quæ diximus esse credidit, vel intellexit non latria esse adoranda, quod volunt Latini, sed veneratione (quod nos sentimus) prosequenda, vel certe mentitus est, cum scripsit *adorata* fuisse, ideo quod ista esse quæ ipse exposuit, crederentur. Neque enim symbolis mysticis ut ut sanctificatis materia tamen inanimata constantibus latriæ cultus vel alius quam venerationis honos convenit; secundum ipsius maxime Theodoreti doctrinam à nobis paulo ante ex ejus in Genesin & Leviticum

a Id. Dial. I.

b ut Gardinerus, Alanus, Gregorius Valentinianus, Gamachæus.

c Præfat. in edit. Rom. Dial. Theodor.

d Gamach. T. 3. ad Q. 75. c. 3.

Cap. VIII. commentariis, explicatam. Vnde postremo conficitur Verum ac genuinum Theodoreti in verbis objectis sensum esse quem nostrorum aliqui expresserunt, nimirum symbola Eucharistica esse *veneranda*, non autem quod Latini nulla ratione contendunt, *latria* colenda. Quas vero ad hunc scriptorem Perronius effudit, sane longissimas atque inanissimas more suo meteorologias, eas accuratissime Albertinus noster discussit; quem adeat, siquis & illius sophisticen & hujus acumen atque solertiam penitius pernoscere cupiat. Nos qui de uno adorationis negotio tractamus, ista quæ ad transsubstantiationem proprie pertinent, invadere prohibent institutæ disputationis leges.

CAPUT VIII.

Solvitur Latinorum pro adoratione sacramenti Argumentum XV. ex Pseudo-Dionysij Areopagitæ ad Eucharistiam Apostrophe per prosopopœam effecta; quam illi frustra falsoque religiosam esse volunt.

Dionisij Pseud-Areopagitæ quod Latini afferunt quo Eucharistiæ adoratione testimonium huc distuli, quia qui sub hoc nomine circumfertur scriptor paulo post Theodoretum vixisse videtur circa seculi vel quinti finem, vel sexti initia Sic autem habet objectus ex eo locus; e *O divinissimum ac sacrosanctum sacramentum circumposita tibi symbolice ænigmatum operimenta revelans liquido nobis manifestare, mentisque nostra obtutus singulari & intecta luce adimpleto.* ὦ θειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετή, τὰ περικείμενά σοι συμβολικῶς ἀμφιάσματα τῶν αἰνιγμάτων ἀποκαλυψαμένη τηλαυγῶς ἡμῖν ἀναδείχθητι, καὶ τὰς νοερὰς ἡμῶν ὄψεις ἑνιαίου καὶ ἀπερικαλύπτου φωτὸς ἀποπλήρωσον. Ad hæc Bellarminus; f *At* (inquit) *ejusmodi invocatio stultissime & impie referretur ad sacramentum, si solum esset panis triticeus, non autem panis cœlestis vivus & divinus.* Ego vero respondeo Bellarminum inepte ac nugatorie argumentari, dum id postulat quod erat demonstrandum, idque ridicule sumit veluti confessum quod non conceditur. Quod enim ille ponit his Pseudo-Dionysij verbis sacramenti invocationem contineri, id nos non concedimus, sed negamus. Quanquam enim iste & cæteri Latini parum profecto verecunde, Eucharistiam latria coli solitam ab hoc scriptore inde colligant, quod ab eo invocata sit, qui ipsi scilicet B. Mariam, Angelos, Divos, crucem imagines invocant, tametsi nihil eorum latria vel à se adorari, vel esse revera adorandum doceant; nos tamen facile concedimus quod verum est, nefas esse religiosa prece quicquam invocare, nisi quod ipsum latria quoque colendum sit; adeoque fatemur nostrum hunc Dionysium Eucharistiæ adoratæ merito reum fore, si verum est, quod fingit Bellarminus eum hic Eucharistiam invocare. Sed ille hanc Areopagitæ orationem (quam

e Dionys. Hierarch. Eccl. c. 3. Theor. §. 2. p. 249.

f Bell. L. 2. de Euch. c. 3. §. Ille igitur.

pse gratis & absque ratione vult esse invocationem) minatur *stultissime*, imo & *impie relatum iri ad sacramentum si solum esset panis triticeus.* CAP. VIII.
Ac neque Dionysium, neque nos ferit hoc telum. Quis enim Christianus Eucharistiam docet *solum esse panem triticeum?* Certe sacramentum esse omnes confitemur. Nemo ergo *solum* esse *panem triticeum* credit. Et Dionysius passim *symbolum* esse dicit; & nos post eum & cæteros Patres id arcte tenemus; & quidem symbolum corporis & sanguinis Dominici, ab ipso Christo institutum & commendatum ad memoriam mortis suæ, divinissimi mysterij, quo omnis nostra salus continetur; denique tanti momenti tantæque utilitatis sacramentum, ut illius corporis ac sanguinis, cujus symbolum est, etiam communio sit, siquis id rite ac digne sumat. Ne *panem* quidem *cœlestem, vivum ac divinum* (quod ait Bellarminus) suo quodam sensu ac modo dici posse abnuimus. Illud unum, quod ille ambigue maluit, quam aperte dicere, negamus sacramentum hoc nullum esse vere & univoce panem, meram esse Christi Domini substantiam sub nudis panis & vini jam nullius accidentibus delitescentem. Hac ego depulsa Bellarmini calumnia, quærendum nunc superest, an Dionysiana oratio non possit ad Eucharistiam referri, nisi ea non sit panis; nisi sit *realiter ac substantialiter* (ut loquuntur) ipse Dominus Christus *latria* colendus? Hoc, quod nos negamus, probare debuit Bellarminus; & certe id probare satagit, cum proximo paragrapho adversus Martyrem nostrum disputans, dicit Dionysium *ea à sacramento petere, quæ à solo Deo recte peti possunt*; unde sic colligit; *Existimavit igitur* (inquit) *in sacramento vere Christum ipsum Deum & hominem contineri, imo ipsum Christum una cum externis symbolis sacramentum esse.* Antequam hujus conclusionis argumentum discutio, in ea ipsa observandæ sunt artes Bellarmini. Argumentum erat Dionysium *ea petere à sacramento, petere, quæ à solo Deo recte peti possunt.* Hinc erat recta ac simpliciter inferendum; Ergo Dionysio sacramentum erat Deus. Noster hoc, quod rectum erat, parva corporis declinatione vitavit, & minus aliquid, quam quod ex argumento sequebatur, posuit; nempe, *Ergo Dionysius existimavit Christum Deum & hominem vere in sacramento contineri.* Sed hæc conclusio aberrat à scopo. Nam Bellarminus illa, *quæ non ab alio, quam à Deo peti recte possunt*, dixerat Dionysium petere, non ab eo, *qui sit in sacramento*, sed *à sacramento* ipso. Et Dionysium sane ad τὴν τελετὴν, ad sacramentum orationem convertit, non ad aliquid quod sit in sacramento. Neque profecto ex eo quod invocare licet eum, qui in aliquo est, puta Deus in mundo, Christus in cruce, in fidelis cujusque corde, bene concluseris mundum, crucem, fidelem quemque esse invocandum religiose, id est latria adorandum. Hinc videre est quam vafer fuerit sophista Bellarminus, qui aliud pro alio clanculum ita solerter substituens, ut vix quid agat, animadvertas, disputationem à suo cardine furtim revulsam alio longissime transtulit. Sed neque altera pars conclusionis, qua videtur partis prioris vitium tegere ac corrigere voluisse recte se habet. Cum enim

Cap.VIII. aperte ac rotunde dicendum esset, *imo sacramentum esse ipsum Christum*; quod scilicet ex argumento recta sequebatur; ille rursum rem subdole involvit, pro illo, quod non est ausus dicere, hæc aliena supponens, *imo ipsum Christum una cum externis symbolis esse sacramentum*. Primo invertit rectum ac genuinum elocutionis ordinem. Conclusio enim hæc recta esse debuerat; *Ergo sacramentum est Christus, sive Deus*. At ne hoc quidem ausus est dicere, sed inverso ordine nomen Christi, quod erat legitimum *enuntiationis* (ut in scholis loquuntur) *prædicatum*, pro *subiecto* posuit, & vice versa *sacramenti* nomen, quod erat verum conclusionis *subiectum*, loco prædicati substituit, ita; *Ipse Christus est sacramentum*. Deinde ut rem emolliret illa ascititia orationi pro sua libidine infulsit. *VNA CVM EXTERNIS SYMBOLIS*; quæ non ex auctore, ex quo argumentatur, neque ex ipsius argumenti (ut decebat) propositione repetivit; sed ex suæ sophistices penu ad turbandam & implicandam miseri lectoris mentem vafre intrusit. Sed & hinc emergit manifesta absurditas. Si enim illa, quæ iste dicit, externa symbola necessaria sunt sacramenti pars, ita ut absque illis Christus sacramentum non sit, sequetur Dionysium, qui sacramentum religiose ex Bellarmino latria adoravit, illa quoque externa symbola, id est meram creaturam, quod est nefas, invocasse & adorasse. Nimirum symbola illa externa ex Bellarmini & aliorum Latinorum sententia nihil aliud sunt, quam nuda panis & vini accidentia, nulla naturali, essentialive cum Christo ipso unione conjuncta; cujus hęc scilicet accidentia nulla sunt. Atque ita recidit adversarius in id ipsum absurdum, quo nos terrere voluit. Nam si vera *sunt*, quæ ponit, Dionysius à meris creaturis, saltē partim, ea petivit, *quæ à solo Deo recte peti possunt*; atque ita non modo *stultissime*, sed etiam ex Bellarmino, *impie* invocationem ad objectum illicitum ac vetitum direxit. Denique hæc istius ascititia glossa pugnat cum solenni Patrum doctrina, qui hæc ipsa symbola sacramentum esse passim docent; eademque corpus & sanguinem Christi secundum *quemdam modum* esse dicunt. Vnde planum est Patres sensisse non Christum cum symbolis (quod iste novus sacramentorum architectus affirmat) sed symbola sola sacramentum Christi esse, nequid dicam de illa prodigiosa sacramenti definitione, cujus Deus ipse (id est Christus) præcipua, imo sola, pars essentialis constituitur. Neque enim nuda ac mera accidentia ad ipsum sacramenti essentiam pertinent, quæ nullo nexu essentiali cum ea substantia cohærent, quæ secundū Latinos propria & quidē una, sacramēti est. Sed jam ipsum Bellarmini argumentū consideremus illis tricis & involucris liberatū, quibus ipse illud consulto implicare studuit, quod scilicet cū suo dogmate aptari ac cohærere posse diffidebat. Argumentū inde erat petitū, quod Dionysius ea hoc loco à sacramento petere dicitur, quæ à solo Deo recte peti possunt; quod cū non liceat, inde Bellarminus concludit Dionysiū sacramentū pro Deo habuisse, ac religiose invocasse, adeoq; latria coluisse. Antequā respōdeā, operæpretiū facturus mihi videor, si Bellarmini in alio opere similis nodi solutionem attulero. Quo enim ille loco de ea religiosi cultus specie

disputat

disputat, qui imaginibus debetur, cum negasset *ullam imaginem latria cultu per se & proprie adorandum*, Thomistarum qui aliud sentire videntur, objectiones solvens eam inprimis excutit, quam illi ex quodam valde solenni apud Latinos cantico ducunt, in quo omnes eorũ Ecclesię crucis Dominicæ simulacrum, quod habent præ oculis, his versiculi afflantur; *g*

g Breviar. Rom. Sabb. ant. Domin. Passion.

O crux ave spes unica Hoc passionis tempore
Auge piis iustitiam Reisque dona veniam.

vel ut habent novissima Vrbani P. R. VIII. jussu emendata Breviaria, *Piis adauge gratiam Reisque dele crimina.* Iam *piis augere iustitiam*, vel *gratiam*; *reis* vero *veniam donare*, vel *crimina delere*, quod illi utrumque à cruce petunt, ex eorum genere est, *quæ à solo Deo recte peti possunt.* Ergo ex hac Bellarmini ad Dionysium argumentatione sequitur, certe sequi videtur, vel stultissimam esse atque impiam hanc Latinorum ad crucem orationem; vel certe eos existimare illa crucis simulacra, à quibus hæc petant, Deum ipsum esse. Quid igitur ad hæc tandem noster ille Bellarminus? Ille vero præfatus & hoc & cætera facile solvi respondet *h* in his cantici verbis *vel sumi crucem pro ipso Christo crucifixo, vel illam esse Prosopopœam rhetoricam, qua Ecclesia alloquitur crucem eo modo quo Moses alloquitur cœlum,* Audite cœli, quæ loquor; *& quando B. Andreas, eandem alloquebatur, cum diceret,* Salve crux pretiosa, &c. *Significamus autem* (inquit) *hac prosopopœa nos desiderare fructũ crucis, id est salvari per meritum Christi, qui in cruce passus est.* Iam si hæc recta sunt, & ad solvendã Thomistarum objectioné valent, profecto non possunt non valere ad solvẽdum præsens Bellarmini contra nos ex Dionysio ductum argumentum; quo Eucharistiam ab illo scriptore religiose invocatam & latria adoratam ex iis colligit, quæ ille ab hoc sacramento petit. Respódebo enim cum ipso, qui ita contra nos argumentatur Bellarmino, τελετὴν *sacramentum* vel ibi accipi pro Christo per sacramentũ significato & repræsentato; vel illam esse prosopopœam Rhetoricã, qua Dionysius alloquitur Eucharistiam, eo modo quo Moses alloquitur cœlos; Illum autem figurata hac oratione significare se desiderare fructum Eucharistiæ, id est per Christi communionem; quæ in Eucharistia habetur, vera luce, veraque vita frui. Bellarminus hanc loci Dionysiani interpretationem respuere non potest, quin & suas in illud Latinorum ad crucem canticum glossas refutet. Nam si *crucis* vocabulum in Cantico pro Christo ipso crucifixo recte *accipi* potest, ut in priori solutione accipit Bellarminus, multo magis τελετὴ *sacramentum* pro Christo accipere in Dionysij verbis licet; quia Eucharistia quidem ad hoc ipsum à Christo instituta est; ut sui corporis ac sanguinis symbolum, imo & ipsa communio fidelibus sit, ut vero materiale illud *crucis*, quod Latini præ oculis habent, simulacrum sui apud nos symbolum, vel communio sit, nequaquam instituit vel præcepit. Cum ergo Christus non alia de causa per aliarum rerum nomina significari jure possit, quã quod eæ res ad ipsum legitime referãtur, ejusq; signa ac symbola sint, omnino consequens est, ut Eucharistiæ quidem nomen cum Christo aliquo modo communicari possit, ad quem

h Bell. L. 2. de Imag. Sanct. c. 24. §. Ex his ad arg.

Cap. VIII. scilicet significandum illa vere proprieque à Domino instituta est; *crucis* vero vocabulo Christus intelligi non aliter possit, quam ex mero sermonis abusu; quæ scilicet ad eum apud fideles repræsentandum nusquam instituta cernitur. Huc præterea accedit, quod ne ita accipiatur *crucis* in hoc Cantico nomen, multa obstent. Istic enim *crucis* vocabulo crucem materialem, non autem Christum intelligi suadet primo simulacrum ipsum in quod intuentes hæc loquuntur. Secundo id ipsum vincunt elogia, quæ cruci isti ibidem tribuuntur; quod *sit lignum, à quo regnavit Deus*; quod *sit arbor decora & fulgida, electa, quæ digno stipite tam sacra* Domini *membra tangeret*; quod *eius brachiis pretium pependerit seculi*; quod *statera facta sit corporis* Dominici. Nihil horum Christo; Cruci materiali omnia conveniunt; quæ eam apertissime à Christo ipso distingunt. Post hæc autem continuo Latini illa quæ diximus, canunt; *O crux, ave spes unica*, &c. Ergo nihil aliud hic significatur, quam *illud lignum, à quo regnavit Deus, illa arbor quæ Domini membra tetigit, & in cuius brachiis pretium mundi pependit.* Cui autem hæc conveniunt, non Christus, sed materialis, veri propriique nominis crux est. At in Dionysiano loco, nihil supra, nihil infra est, quod τελετῆς *sacramenti* (ut Latini interpretantur) vocabulum pro Domino Christo, cujus Eucharistia sacramentum est, hic sumi vetet. Ergo prior illa Bellarmini solutio Dionysij verbis apte accommodari potest; Cantici ad crucem Latini verbis non potest. Sed & alterius Bellarminianæ solutionis eadem ratio est. Si enim hæc Cantici verba, *O crux auge piis iustitiam* &c. congrue & apposite per prosopopœam significare, quod ait Bellarminus, possunt eos qui hæc ita canunt, *desiderare fructum crucis*; nemo negaverit, quin hæc quoque Dionysiana, *O sacramentum nostros mentis oculos tua luce adimple*, itidem per prosopopœam significare possint, eum qui illa dicit *desiderare sacramenti fructum*, id est eam divinæ cognitionis ac vitæ lucem, quæ per Eucharistiam habetur. Atqui hos Eucharistiæ, non minus, quam illos crucis fructus desiderari à piis decet. Quæ vero pios *desiderare* decet, hæc eos significare à se *desiderari* nulla est vel stultitia, vel impietas. Ergo hæc Dionysiana neque *stulte*, neque *impie* quod statuebat adversarius dicta sunt. Ex his videre est, quale Bellarmino jecur fuerit; qui cum sibi probe esset conscius, qua ipse alibi ratione Cantici ad crucem verba interpretatur, eadem quoque plane ac liquido explicari posse Dionysij ad sacramentum verba, neque ex his Eucharistiæ magis, quam ex illis crucis ἀποστροφὴν, invocationem ac latriam confici, hic tamen scribere ausus est illam Dionysianam Eucharistiæ allocutionem stultissimam, atque impiam fore, nisi concedamus à Dionysio verum proprieque dictum latriæ cultum sacramento per eam exhiberi. Sed hæc de Bellarmini versutia, ac dissimulatione, cæterisque sophisticis artibus satis sunt.

Nunc recta ac sincere, quod candidum ac veri amantem hominem decet, objectum ex Dionysio locum expendamus, quamque nihil habeat

cum

cum divino Eucharistiæ cultu commune, breviter ostendamus. Scio CAP. VIII.
nonnullos de nostris, & quidem viros doctissimos illa Areopagitæ verba sic interpretari, ut τελετῆς nomine Dominum ipsum per metonymiam significatum velint; eodem modo quo Bellarminum *crucis* nomen in Latinorum cantico accepisse diximus; qua in re Pachymerem, Græcum Dionysij Paraphrastem, *i* præeuntem habuisse, ac secuti esse videntur, *i* Pachym. ad hunc loc. in Hier. Eccl. c. 3.
ducem sane haudquaquam ignobilem. Horum ego sententiam in medio relinquo; satisque habeo edere quid mihi simplicius, & scriptoris menti propius videatur. Igitur inprimis concedo τελετὴν illam, ad quam Dionysius sermonem convertit, quamque Latini interpretes *sacramentum* reddiderunt, esse auctori totam Eucharistiæ actionem, atque cærimoniam, totum sacramenti hujus ritum, panis & vini consecratione, fractione, distributione, communione, aliisque actibus, una cum relatione, ad ea, quorum signa sunt mystica, constantem; qui quidem actus in superiori hujus capitis parte, quam scriptor *mysterium* appellat, accurate descripti sunt, iidemque deinceps in hac altera, quam nunc ingreditur, quamque theoriam dicit, ita explicantur, ut quo singuli referantur, quasque significationes habeant, & siquid in iis mysterij lateat, auctor enucleate more suo edisserat, & in claram lucem educat. Is enim nominis sensus communi Dionysij, & cæterorum Græciæ scriptorum usui maxime congruit Hesychius; τελεταί. ἑορταί, θυσίαι, μυστήρια. *teleta, festa, sacrificia, mysteria.* Phavorinus; τελετὴ θυσία μυστηριώδης, *sacrificium mysticum.* Glossæ veteres τελετὴν *consecrationem* interpretantur; id est, ut ego quidem capio, actum & ritum, qui in consecrando adhibetur. Sed & totius loci genio, atque argumento hic sensus apprime convenit. Absoluta enim ipsius mysterij sive Liturgiæ expositione, pauca in theoriam præfatus, cum in eo esset, ut arcanas rituum Eucharisticorum significationes edisséreret, Eucharistiæ personam affingit, & converso veluti ad animantem rationis & loquelæ compotem sermone, eam optat ac jubet suorum ipsam mysteriorum ænigmata, & in externis actibus abditos reconditosque sensus pandere, ac nudare, latentisque in rerum terrenarum involucris veritatis lucem in apertum eductam mentium nostrorum oculis clare conspiciendam objicere. Id nimirum jubet Eucharistiam facere, quod ipse mox est in omni sequenti oratione facturus. Ergo figuratus est hic Dionysij sermo. Figura autem est apud Rhetores nobilissima *Prosopopœa*, quæ rebus mutis atque inanimatis sensum, mentem, & sermonem affingit; apud scriptores sacros, prophanosque usitatissima, eos præsertim, qui grandi & sublimi orationis idea gaudent. Personarum enim fictio à Cicerone & Quintiliano, *k* summis artis magistris in iis *k* Quintil. Inst. L. 9. c. 2.
censetur, quæ sunt in oratione *audaciora*, & *maiorum* (ut ipsi loquuntur) *laterum*. Bellarminus paulo ante fatebatur eam etiam à Prophetis & Apostolis usurpatam; à suis vero pane quotidie etiam nunc usurpari; Quominus mirandum est Dionysium hunc PseudAreopagitam, scriptorem excelsi spiritus, sublimia sensuum ac verborum ubique fere consectantem,

Cap.IVII. ctantem, interdum in eo genere ultra modum assurgentem, ac tantum non lascivientem, ea figura usum esse. Possem exempla huic similia ex auctoribus locupletissimis pæne innumerabilia afferre; sed in re obvia, & apud omnes eruditos, etiam apud Bellarminum confessa, non placet tempus & chartam perdere. Esto ergo constitutum hunc Dionysij sermonem totum esse figuratum; adeoque non *invocationem religiosam*, quod perperam ponit Bellarminus, sed prosopopœa mixtam ad Eucharistiam apostrophen, qua eam in personam audientem atque intelligentem effingit, effictamque alloquitur. Cæterum tametsi audacior sit hæc figura, suum tamen fateor, modum habet, suasque leges, à quibus si discesserit, merito exsilibandæ, & ad sermonis, non ornamenta, sed ineptias, & dehonestamenta, ableganda est, & in eo genere quod Græci Rhetores ψυχρὸν vocant, deterrimum orationis vitium, censenda. Lex autem prosopopœæ hæc vel præcipua, maximeque necessaria est, ne personæ quæ fingitur, quidquam tribuatur, quod sit à rei subjectæ ratione alienum. Ita enim præcipiunt magistri, *ne personæ* quam fingimus, quod ei non convenit, tribuamus. His ita constitutis, de quibus nemo mentis compos, dubitabit, nunc videamus, quæ Dionysianæ prosopopœæ ratio sit, quisque sensus. *Sed tu* (inquit) *ò divinissimum ac sacrosanctum sacramentum, circumposita tibi symbolice ænigmatum operimenta revelans, liquido nobis manifestare.* τηλαυγῶς ἡμῖν ἀναδείχθητι, id est *te ipsam* nobis Eucharistia, quæ qualisque es, non foris, sed intus, ostende; non qua etiam carni, sed qua uni menti pates; non ea modo, quæ in te videntur, sed ea etiam quæ intelliguntur; non quæ corporis, sed quæ cordis oculis objicis. Eucharistiæ quædam *ænigmatum vestimenta* ἀμφιάσματα, *integumenta*, *operimenta* tribuit, id est, ut puto, *ænigmata* quibus magni divinique sensus, magna mysteria, sic teguntur, ut veste corpus. *Ænigmatum operimenta*, id est ænigmata quæ sunt operimenta; Qualiter dicitur *herba lapathi*, *urbs Athenarum*, & apud nostros *signum circumcisionis*, *expansum cœlorum*, & alia de hoc genere sexcenta. Sin malis *ænigma* esse, non orationem, qua res obscure significatur, sed rem ipsam, quæ ita significatur, & *operimenta ænigmatum* accipere de iis, quibus res ipsæ tectæ ac latentes, obscurius significantur, quanquam hic nominis sensus vix in usu sit, non tamen repugnabo. Res enim eadem recidet. Iam hæc Eucharistiæ, quæ res subjecta est, ad amussim congruunt. In ea enim notum est, aliud esse quod videtur; aliud quod intelligitur; ac ut in ænigmate verba, ita & in sacramento res actusque ea tegere ac significare, quæ non minus ab iis quæ cernuntur, diversa sunt, quam corpus à veste qua tegitur. Sed quod ista ait esse *Eucharistiæ symbolice circumposita*. τὰ περικείμενά σοι συμβολικῶς, id est instar symbolorum, vel ut sint rerum aliarum, quam ipsa sunt, signa ac symbola, id etiam ad Eucharistiam pertinet. Nam quæ objicit sensibus, ea rerum quæ intelliguntur, totidem sunt symbola; quo nomine in hoc argumento Dionysius impense gaudet; ut est à Maximo Areopagiticorum Scholiaste obser-

vatum; *l* *Nota* (inquit) *quod divinam hanc hierurgiam ubique dicit symbolicam, & sancta dona verum veriorum, quæ sursum sunt, symbola.* Σημείωσαι (inquit) ὅτι πανταχοῦ συμβολικὴν λέγει τὴν θείαν ἱερουργίαν, καὶ τὰ ἅγια δῶρα σύμβολα τῶν ἄνω καὶ ἀληθεστέρων. Sed & verba & alia symbola rerum, quas significant, amictum veluti ac vestem apud Patres passim censeri observare est. Tertullianus *m* de Psalmo 21. (Hebræis 22.) qui totus de Christo est; *Totus Psalmus* (inquit) *vestimenta sunt Christi.* Marcus Eremita; *Egent* (inquit) *plerique scientia, ut prius velamenta verborum Deo verbo circumposita penetrantes eum nudum ita demum mente contemplentur.* πολλοῖς χρεία τῆς ἐπιστήμης, ὥστε διαδύντας πρότερον τὰ περὶ τὸν θεὸν λόγον τῶν ῥημάτων καλύμματα οὕτω γυμνὸν τῷ νοῒ αὐτὸν &c. θεάσασθαι. Iam quod Eucharistiam jubet ista sibi simbolice circumposita ænigmatum operimenta ipsam retegere ἀποκαλύπτειν, id est amovere & explicando patefacere, quæque in iis latebant mysteria nudare ac revelare, seque (id est veritatem ad quam illa unice refertur, quaque præcipue constat) palam atque aperte ut nudam ostendere (ea enim vis est horum verborum, πλὴν ὡς ἡμῖν ἀναδείχθητι) id inquam ab Eucharistiæ ratione simpliciter ac per se consideratæ alienum est; hactenus enim res est inanimata intelligentiæ sermonisque expers; Eidem vero, ut personæ, in quam à Dionysio efficta est, omnia rectè congruunt. Nam si, quod ille hic fingit, Eucharistia persona esset, mente ratione, loquendi facultate prædita, non esset ipsi puto, quam Dionysio difficilius symbolorum, rituum, & actuum suorum mysticas significationes evolvere, aperire, ac explicare. Quod enim eam hic facere jubet, id ipse statim exsequitur; imo hæc ad sacramentum oratio suæ de his theoriæ quædam præfatio est, qua quid sit in ea tractaturus, breviter & figurate ob oculos lectoris ponit; omnia scilicet Eucharistiæ arcana ita enarraturus ac revelaturus, ut quæ nunc in iis tecta latet veritatis lux mentes nostras circumfusura sit, seque clare conspiciendam exhibitura. Itaque si hanc ejus sermoni figuram detraxeris, simplex hic sensus remanebit, se nunc operam daturum, ut totum nobis Eucharistiæ mysterium patefiat; sibi jam animum esse illud penitius explicare, atque efficere, ut quæcumque suis illis multiplicibus in sensus incurrentibus cærimoniis, ritibusquè sacris tegit, adumbrat, atque paulo obscurius significat, ea nuda apertaque nobis ante oculos ponantur, ac intuenda ostendantur. Hoc autem ipsum, quod nunc figurate facturum se pollicetur, id è vestigio facere aggreditur, atque in eo tota hæc ultima capitis pars ita diligenter atque accurate versatur, ut quivis attente perlegens id ipsum illic ab auctore fieri facile intelligat, quod & sacraméto fieri postulaverat. Hujus autem prosopopœa plane illa gemina *n* est, qua Latini sacras reliquias, cum eas procedétes in novas ædes transferunt, jubent id facere. quod ipsi suo iis ministerio præstát, id est in ea loca imigrare, in quæ ipsi illas humeris vel manibus portantes transferunt. Sic enim illi suas Reliquias in solenni quodam carmine affantur; Movete

CAP. IV.

l Max. in Hier. Eccl. c. 3. p. 75.

m Tertull. L. 4 contr. Marcior. c. 42. p. 573. B.

n Pontif. Rom. Tit. de Consecr. Eccl. p. 24. an. 245. 246; 251.

Cap. VIII. *vos Sancti Dei de mansionibus vestris. Ad loca festinate, quæ vobis parata sunt.* Tum post alia non pauca; *Surgite, Sancti Dei de mansionibus vestris, Loca sanctificate Plebem benedicete, & nos homines peccatores in pace custodite.* Item paulo post; *Ambulate Sancti Dei. Ingredimini civitatem Domini Ædificata est enim vobis Ecclesia nova.* Denique; *Ingredimini Sancti Dei. Præparata est enim à Domino habitatio sedis vestræ.* Hæc illi; quæ tametsi ossibus & cineribus, vitæ motusque expertibus dicantur, non ideo tamen *stultissime dici* putabat Bellarminus. Nimirum per prosopopœam dicta sunt, quæ Latini significant istas reliquias in Ecclesiam illam novam ex animo votoque suo transferri, eamque translationem & Sanctis honori; & sibi suisque magno usui futuram; ut non dubitent Reliquias, si reviviscerent, & motus sensusque animi & corporis pridem amissos iterum reciperent, sibi ipsis de tanta & sua, & fidelium fœlicitate gratulaturos, atque ultro ad loca illa honorifica ambulaturos, in quæ nunc vita cassæ, alienis pedibus manibusque transferuntur. Non excutio nunc, quod iidem ex suæ Theologiæ placitis jubent istas reliquias *loca sanctificare, plebem benedicere, & peccatores in pace custodire.* Quod cum nullo in Scripturis divinis fundamento nitatur, nihil invenio quo Latinorum prosopopœa à labe purgari possit, ea à reliquiis petens, quæ supra hominis dignitatem posita, unius Dei sunt. Hac ergo Latina reliquiarum prosopopœa illa Eucharistiæ Dionysiana multo hac in parte castior est; sed eo etiam laudabilior esse videtur, quod illa Latinorum de reliquiarum, si reviviscerent, ob suam translationem gratulatione, & spontanea in novam Ecclesiam migratione persuasio, ex rebus ipsis adeo non constat, ut reliquias indignaturas multo sit probabilius ob has scilicet neque à Christo, neque ab Apostolis institutas, neque ab antiquissimis ad an. D. 300. Christianis usurpatas novas illas in mortuos religiones, & aversaturas exoticum istum ac peregrinum sui cultum. Quod vero supponit Dionysiana prosopopœa, Eucharistiam, si animæ & sermonis compos esset, quæ mysteria nunc sub symbolis clausa continet, ea ipsam nudaturam, & aperte revelaturam, id inquam, rei ipsius institutioni & usui consentit. Nam tametsi hoc sacramentum mente & sermone careat, neque adeo reconditam in se veritatem clara & sensibili voce demonstret; hæc tamen quodammodo facere, non quidem proprie, sed per tropum dici potest, quod istorum argumenta objicit, & imagines non spernendas, neque iis profecto obscuras, qui Christi in hoc sacro instituendo consilium norunt; Qualiter *cœli* apud Prophetam quantumvis, quod ipse monet; *nullæ sint iis loquelæ, neque sermones*, dicuntur tamen *Dei gloriam enarrare*, quod ejus percipiendæ atque intelligendæ luculentissima nobis argumenta diu noctuque objicere non desinant.

Ps. 18. (Hebr. 19.) 2. 4.

Sed Dionysius tertium quiddam ultimo tandem loco ab Eucharistia in illa sua prosopopœa petit, quod interpretes movisse, & in devia egisse videtur. Eam enim rogat, ut revelatis ænigmaticis illis suis integumen-

dis, nudam se aperte manifestans, *nostra mentis oculos* (obtutus) *singulari & aperta* (retecta, nullis ut antea involucris tecta) *luce adimpleat.* καὶ τὰς νοερὰς ἡμῶν ὄψεις ἑνιαίου καὶ ἀπερικαλύπτου φωτὸς ἀποπλήρωσον. Sed neque in his ulla major, quam in superioribus difficultas revera inest. Quam enim iste dicit lucem, ea profecto nihil aliud est, quam eadem illa veritas quam optavit ænigmaticis & symbolicis involucris liberatam atque exsolutam erumpere, ac sese palam inspicientium oculis videndam ostendere. Quod ut intelligatur, meminisse nos oportet duplicem esse in Scripturis & apud Patres *lucem*; Unam, quæ mentibus nostris divinitus infunditur; Alteram, quæ mentis oculis objicitur. Illa interior est, à Spiritu in animos nostros illabente; Hæc extrinsecus objicitur in verbo & in sacramentis. Illa divina vis est Spiritus hominum animos vel ad fidem comparantis vel in ea confirmantis, Hæc doctrina, quæ vel auribus percipitur, cum prædicatur; vel oculis, cum legitur. Breviter illa gratia est; hæc veritas. Vtriusque illustre in Actis exemplum exstat, quo loco Dominus dicitur *o* cor Lydiæ purpuratoriæ *aperuisse, attendere his, quæ dicebantur à Paulo.* Illa Domini gratia, quæ cor mulieris clausum aperuit lux fuit Spiritus quædam cœlestis ac divina. Veritas Evangelica, quæ mulieri à Paulo prædicante offerebatur, lux & ipsa fuit: utraque ab eadem quidem origine, sed alia tamen atque alia. Illa Domini unius manu quibus ei libet, dispensatur: Hæc quibusvis passim objicitur, etiam iis à quibus respuitur. Illam Paulus intelligit, cum Deum precatur, *p* ut Ephesiis det *illuminatos cordis oculos*; Hanc, cum se missum ad gentes narrat, *q* ut convertantur à tenebris ad lucem, id est ad veritatem Evangelicam. Ipsum enim Dei verbum lucem esse & omnes fatentur, & docet Propheta, *r* dum id *oculos illuminare,* & alibi *lucernam esse pedibus suis, & lumen semitis suis* canit. Cum porro quæ verbo, eadem sacramento contineatur veritas, patet, tam quæ hoc, quam quæ illo significatur ac docetur, eam utramque & esse, & jure dici lucem. De illa priori luce, quæ interior est, quamque unus Dei ac Christi Spiritus in hominum animos infundit, proximis verbis dixerat Dionysius, ubi se ait sacram nostram *synaxin atque consentaneam rerum intelligibilium contemplationem Iesu prælucente* (vel *lucem præferente*) *visurum.* τὴν ἱερὰν ἡμῶν σύναξιν, καὶ τὴν ἐμπρεπῆ τῶν νοητῶν Ἰησοῦ φωταγωγοῦντος ἐφόμεθα θεωρίαν. De hac vero altera luce, quæ in Sacramenti symbolis abdita habetur, & inde per theoriam educitur, omnino capienda sunt illa verba, quæ ad ipsam Eucharistiam per prosopopœam dicit, & *mentis nostræ oculos singulari ac retecta luce adimpleto.* Id docet primo ipse orationis ordo. Prius enim petivit *circumposita sacramento ænigmatum operimenta revelari*; tum demum *lucem illam oculos suos implere.* Nimirum illa quidem in Eucharistia, etiam ante ænigmatum, illorum revelationem inerat, sed abdita, ac veluti nube clausa: iam vero hoc veluti reducto velo, emicat, suoque splendore oculos mentis nostræ ferit, & quod ait Dionysius, adimplet. Atqui hæc in alteram illam lucem, quæ à Deo infunditur, non congruunt.

Cap. VIII.

o Act. 16. 14.

p Eph. 1. 17.

q Act. 26. 18.

r Ps. 18. (Hebr. 19.) 9. & 118. (Hebr. 119.) 104.

Cap. IX. Neque enim ut mentibus nostris illucescat, necesse est prius ulla ænigmata solvi. Quinimo si naturæ ordinem spectes, illa prius infunditur. Nullæ ante fugantur umbræ; nulla solvuntur ænigmata; sed eo potius infunditur, ut illæ umbræ fugentur, & quicquid inerat in animis nostris erroris ac tenebrarum, id ejus adventu discutiatur. Idem significat, ac vincit epitheton lucis nomini adjectum. Non enim petit Dionysius mentes nostras luce simpliciter repleri; sed *luce retecta*, sive *revelata*, *ἀνακεκαλυμμένῳ*, non amplius, tecta; quæ lux nulla alia esse potest, quam veritas, quæ explanatis Eucharisticorum symbolorum significationibus ex illis veluti latebris clara demum erumpit. Nunc patet argumēti à Bellarmino objecti solutio; Si sacramentum (inquit) Deus non est, non sunt ab eo petenda, *quæ à solo Deo recte peti possunt*. Ego vero toto capite annuo; & Bellarminum sui hujus decreti meminisse jubeo. Atqui (inquit) Dionysius à sacramento petit *quæ à solo Deo recte peti possunt*. Hoc vero nego; Neque qui affirmat, Bellarminus de eo demonstrando laboravit, ac ne cogitavit quidem. Videtur enim pro re indubitata, & apud omnes confessa sumpsisse, *lucem*, quam Dionysius dicit, de interiori Spiritus luce esse intelligendam, quæ sane non ab alio, quam à Deo Patre, Christoque ejus mentibus nostris ad percipiendam & credendam mysteriorum suorum veritatem infunditur. Sed illum sua opinio fefellit. Nam *lucem* illam licet, imo decet ac necesse est de ea veritate accipere, quæ in sacramenti symbolis habetur, & latet quidem quamdiu vera eorū significatio ignoratur; effulget vero atque erumpit, ubi ea semel percipitur. Iam veritatis illius expositionem & explanationem non tantum à Deo ejus auctore; sed etiam à veris ejus ministris poscere fas est, & ex ejus verbo atque sacramentis petere. Nam petere eam debemus ex omnibus locis, in quibus à Deo reposita est. Collocatam vero divinam illam veritatem à parente ejus Deo & in verbo & in sacramentis, & in ore fidelium verbi prædicatorum, omnes fatētur. Nulla ergo invidia, nulla Dei injuria est eam etiam ex his petere. Et à Ministris quidem qui mente atque loquendi facultate præditi veræ personæ sunt, peti eam posse & nos & maxime Latini confitemur. A verbo & sacramento, quæ res sunt animæ & vitæ expertes, proprie ac citra tropum peti poscique non posse concedimus; per prosopopœam posse, cum iis persona, ut sæpe fit, affingitur, nemo qui hanc figuram in hominum sermonem admittit, negaverit. Quid ni ergo Dionysio per hanc figuram licuerit Eucharistiam veluti personam alloqui, & ab ea petere, ut illis reductis symbolorum & signorum velis, quibus ea veluti amicta ac operta est, sese quæ qualisque & est & intelligitur, nudam nobis patefaciat, & luce illa divinæ veritatis, quam continet, retecta ac patefacta nostræ mentis oculos impleat? Nihil in his est, quod non ipse Dionysius abunde in sequentibus præstiterit, illam quam dicit *lucem* id est veritatem ex Eucharistiæ symbolis theoriæ adminiculo eductam nobis ob animi oculos clare conspiciendam sistens. Quod ergo id petit ab Eucharistia fieri, eo significat ea huic sacramento inesse, quæ si attente, ut par est, ab homine Christianismi perito considerantur, illum per se

ad

ad claram veritatis divinæ lucem facile deducturа sint, quæ rebus istis sacramenti externis adumbratur ac significatur. *Cœlos* Propheta dicit *s enarrare Dei gloriam, & firmamentum annuntiare opera manuum eius*; actus iis per prosopopœam tribuens, qui proprie sunt personarum. Per eandem ergo figuram licet cœlos alloqui, & ab iis petere, ut nos auctoris sui gloriam doceant; ut *eius invisibilia, sempiternam virtutem ac divinitatem* nobis patefaciant, eaque *conspicienda* in aperto constituant; ac denique ut primæ illius veritatis splendidissima ac saluberrima luce mentis nostræ oculos perfundant ac repleant. Hæc enim *à creatura mundi per ea quæ à Deo facta sunt, intellecta conspici* Paulus nos luculentissime docuit. *t* Neque ego siquis cœlos ita figurate alloquatur, quemquam putem futurum Bellarminum, qui eum hoc nomine idololatriæ accuset, vel concludat *stultissime & impie* à cœlis ea petivisse, quæ *à solo Deo recte peti possunt*. Cum ergo parem esse Dionysianæ orationis sensum abunde sit demonstratum; falso Bellarminus affirmavit eam invocationem esse religiosam, quæ mera est sacramenti per apostrophen & prosopopœam allocutio; falso hunc scriptorem sumpsit ea à sacramento petere, quæ à solo Deo recte peti possunt; falso denique ex his conclusit eum Eucharistiam latria coluisse, & Christum ipsum esse putavisse.

s Ps. 18. (Hebr. 19.) 2.

t Rom. 1. 20.

Sed antequam hinc discedo, nequid ex iis quæ de negata à Bellarmino imaginum latria supra veluti, cuiquam scrupuli aut dubij hæreat, tacendum non puto, ex iis quæ hic ille verissime quidem sed præter rem posuit, nimirum *quæ à solo Deo recte peti possunt, ea impie ab aliis peti*, validissime eo argui ac refelli eam prosopopœam, ex qua idem suos ut diximus, purgare conatur à cruce petentes, ut *iustitiam piis adaugeat, & reis donet veniam*. Cum enim hæc non ab alio, quam ab uno Deo haberi & recte peti possint: apparet intolerabilem, planeque vitiosam esse eam, quam Bellarminus in illa verba inducit prosopopœam; quæ scilicet ea personę, quæ fingitur, tribuit, quæ ei, etiamsi revera id esset, quod fingitur, id est persona, minime tamen convenirent. *Donare* enim *reis veniam & augere piis iustitiam*, solius est Dei Opt. Max. Nullius alterius personæ vel est vel esse potest, qualemcumque eam vel quantumcumque esse finxeris. Sed & hinc quoque videre est Mosis & Andreæ exempla, quæ ibidem Bellarminus ad suam illam ineptissimam atque impiam prosopopœam constituendam attulit, plane esse ab ea aliena. Mosis verba sunt: *Audite cœli, quæ loquar: audito terra sermones oris mei.* Nempe cœlo & terræ, multis & sensus expertibus auditum tribuit, & testimonium denuntiat. Ergo inquam, prosopopœa est: sed elegans, & legitima: quæ nihil ab ea persona, quam illis affingit, alienum continet. Cum sint enim cœlum ac terra virtutum ac operum Dei illustrissimi quidam ut sic dicam testes, indices ac præcones: quis utrumque, si personæ, quod fingitur, mente ac memoria præditæ essent, nõ putet minas illas, promissionesq; cœlestes, quas Moses Dei nomine illo loco ac tẽpore apud Israëlem explicabat, avidissime auditurum atque intellecturum fuisse, memorique mente reconditurum

& olim si necesse esset, luculentum de his, quæ audiverunt, testimonium perhibiturum? Vestra vero illa Bellarmine, prosopopœa longe alia est; quæ non modo absurde, sed etiam impie ea cruci tribuit, quæ unius Dei ita proprie sunt, ut nullius creatæ, quantumvis celsæ atque eminentis personæ cum Deo communia esse possint. Tu-ne vero idem esse putasti *cælo & terra* testandi de rebus à se auditis jus ac facultatem tribuere, quod fecit Moses, cum eo, quod vos facitis, qui *cruci materiali*, ligneæ aut lapideæ augendæ piorum justitiæ, & donandæ reis veniæ potestatem affingitis? Atqui hoc unius Dei; illud cujusvis creaturæ rationalis esse nemo nescit. Nihil ergo ad rem tuam Mosis prosopopœa. Ne illæ quidem Andreæ tui ex apocryphorum lacunis haustæ voces te hilo magis juvant. Andreas cum crucem ad quam erat propter Christi fidem damnatus, vidisset, fertur eam his verbis salutasse; *Salve crux, quæ in corpore Christi dedicata es.* Nihil enim ille aliud significavit (si tamen vere hæc aliquando dixit) quam crucem post Domini exemplum adeo nullum sibi horrorem, vel metum incutere, ut etiam gratum sibi atque suave sit tantum Magistrum sequi præeuntem, & in cruce, quod ille prior passus est, mori; Quæ omnes intelligunt, quantum ab iis distent, quæ Latini à crucis simulacro petunt, ut pios justitiæ augmentis, reos peccatorum venia donet. Sed hæc obiter. Nunc ad institutam disputationem redeamus.

u S. Andr. Act. c. 10. apud Sur. d. 30. Nov. p. 655.

CAPUT IX.

Dimissa Bellarmini ad adorationem inutili Pseud-Eusebij Emisseni citatione, expenduntur & solvuntur, quæ Perronius pro eadem objecit. Argum. XVI. ex Iustiniano & Euthymio. XVII. ex Ioanne Climaco. XVIII. ex Metaphraste; de Theoctiste Monacha paria.

HÆc ergo sunt quæ pro adoratione Eucharistiæ sua Bellarminus attulit. Nam quod Pseud-Emisseni quintam in Pascha homiliam indicat, x eo lectorem fallit. Vbi enim fuse hujus scriptoris dicta recitat, y quæ ipse Latinorum causæ favere putat, pro transsubstantiatione quidem satis multa describit ex hac ipsa homilia; pro adoratione vero, nihil adfert; neque ego sane quicquam in ea reperio, quod ad hanc constituendam valere possit.

Perronius vero præter hæc, quædam alia adducit. Inprimis Iustiniani Augusti, qui sexto seculo adulto imperavit, Novellam CIX. in qua Eucharistiam vocat *sacrosanctam & ADORABILEM communionem.* a Cui loco alter genuinus, sed auctoris longe recentioris, adjungendus est, qui paulo post à Perronio quoque describitur, b Euthymij c scilicet, Eucharistiæ *mysteria*, adorabilia vocantis. Vtriusque loci plane eadem est

x Bell. L. 4. de Euch. c. 29. §. ult.
y Id. ibid L. 2. c. 30. toto.
z Perron. de Euch L. 3. c. 17. p. 908.
a Iustin. Auth. Nov. Const. 1. 9.
b Perr. ibid. p. 909.
c Euthym. in Matth 26.

est ratio. Sed solutio facilis est ex iis, quæ ad Theodoretum diximus de verbo *adorare*, & nominibus inde derivatis *adoratio*, *adorabilis*; ea jam quarto seculo cœpisse latius à nostris accipi non tantum pro *latria* cultu; ut olim solebant tribus primis Christianismi seculis; sed etiam pro veneratione longe diversi à latria generis, ea scilicet, quæ cum personis, tum etiam rebus sacris habetur; quo sensu baptismus ab hoc ipso Iustiniano *adorabilis* προσκυνητὸς dictus est; & quo sensu optimus & eruditissimus auctor, *e* Isidorus Pelusiota τὰ εὐαγγέλια προσκυνητὰ *Evangelia adorabilia* vocat; de codicis Evangelici apertione verba faciens. Vt ergo nemo sapiens inde concluserit (vel baptismum, vel codicẽ Evangeliorum latria olim cultum fuisse à Christianis ita neque ex eo quod Eucharistiam alterum novi fœderis sacramentum, *adorabilem* nuncuparint Iustinianus & Euthymius quisquam sanæ mentis consequens esse putaverit, ut eam vel ipsi vel cæteri illius memoriæ fideles *latria adoraverint*.

d Iust. Nov. 6.
e Isid. Pelus. L. 1. ep. 136.

Eadem est eorum ratio, quæ Perronius è Ioanne Climaco, Monacho Sinaita *f* refert; *Si fœda & indecora illa verba mea sunt, quomodo donum, dum sumo, adoro; quomodo possum maledicere & benedicere*: εἰ γάρ ἐμοὶ οἱ ἄσεμνοι ἐκεῖνοι καὶ ἀπρεπεῖς λόγοι. πῶς τὸ δῶρον δεξάμενος προσκυνῶ; πῶς λοιδορεῖν καὶ εὐλογεῖν δύναμαι; Cum enim hunc Ioannem, non an. D. 346. (quod perperam tradit Trithemius) sed non longe post tempora Iustiniani Imperatoris, ut habet Baronius, an. D. 560. (ut Bellarminus *h* & Raderus *i* consentiunt) vixisse constet, nullam vim habet hoc ejus dictum ad constituendam Eucharistiæ latriam. Cum enim illis temporibus verbum προσκυνεῖν passim à nostris pro *venerari* usurparetur; nihil aliud ex recitatis Climaci verbis vere ac legitime concludi potest, nisi eo seculo Eucharistiam veneratos esse fideles; id est eo honore esse prosecutos, quem rebus sacris, ac præsertim institutis à Domino sacramentis, ut baptismo verbi gratia, haberi decet; qua de re nulla est à nobis controversia. Hunc autem inter honorem, & eum quem Latini vocant *latria* cultum, uni Deo debitum, magnum esse, imo immensum & infinitum intervallum διάστημα omnes Christiani pariter consentiunt ac confitentur. Hunc autem fuisse istis temporibus usum, ut adorare προσκυνεῖν pro simplici *veneratione* dicerent, præter ea, quæ supra attulimus ostendit Rustici, Ecclesiæ Romanæ Diaconi, Iustiniano imperante florentis, superstes contra Acephalos disputatio, in qua id verbum passim eo sensu usurpat, ut cum de crucis signis verba faciens; *k* *Adoramus* (inquit) *omnes crucem, & per ipsam, illum cuius est crux; non tamen crucem coadorare dicimur Christo*; Quibus verbis crucem à se latria coli negat; *non enim coadorari in Sancta Trinitate nisi personas tantummodo*, dixerat. Ibidem statim; *Similiter adorare altare; coadorare altari Trinitatem non dicimur; sed potius per altare*. Idem multis interjectis; *l* *Nec non & clavos, quibus confixus est* (Christus) *& lignum venerabilis crucis omnis per totum mundum Ecclesia, absque ulla contradictione adorat*. Ergo ut hic dum *crucem, altare, clavos, lignum crucis* Christianos *adorare* dicit, non *latriam*, quæ

f Climac. Grad. 23. in fine p. 278. extr.
g Baron. ad Martyr. Rom d. 30. Mart.
h Bell. de Script. Eccl. in Climaca.
i Rader. Præf. ad suam Clem. eclit. c. 3.
k Rust. cõtr. Aceph. T. 9. Bibl. Patr. Part. 1. p. 831. A.
l Ibid. p. 838. E.

Cap. IX. quæ unius Dei eſt, ſed venerationem iſtis rebus impendi ſignificat; ita & Climacus Euchariſtiam eodem modo ac ſenſu dum adorare ſe ſcribit, *venerari* ſe intelligit. Eadem quoque ratione loca ſancta, in quibus olim Dominus verſatus eſt, *adorare* pro *venerari* dicebant; ut Antiochus Lauræ Monachus, qui non multo poſt Climacum vixit, ab externis regionibus Hieroſolymam multos venire ſcribit, *m ut ſancta illa loca adorarent*, *εἰς προσκυνῶσιν τῶν ἁγίων τόπων*. Loca dixerat paulo ante *σεβάσμια*, *venerabilia*; qualiter & *crucem* Ruſticus *venerabilem*. Æque ſi libuiſſet, dixiſſent hic *crucem adorabilem*; ille *loca adoranda*. Iſtis nimirum ut *προσκυνεῖν adorare* eſt *σεβάζεσθαι venerari*; ita *προσκυνητὸς adorabilis* eſt *σεβάσμιος venerabilis*.

m Antioch. ep. Pand. præfix. Bibl. Patr. Gr. Lat. T. 1. p. 1024. E.

Tertio, hunc *n* ex Metaphraſte noni ſeculi ſcriptore de ſancta Theoctiſte Leſbia locum recitat Perronius; *Ego eduxi è ſinu meo pyxidem cum carne Domini* (Euchariſtiam autem ex veterum ſtilo dicit) *Cum illa autem in terram cecidiſſet, divinum donum accepit, & lamentationibus & lachrymis terram rigans, dixit; Nunc dimittis ancillam tuam Domine; quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuûm; quoniam remiſſionem peccatorum in manibus accepi. Nunc abibo, quo me tua jubet potentia.* Hæc autem apud Metaphraſtem loquitur adoleſcens quidam, qui cum venandi ſtudio errans in Pari inſulæ deſertis in Theoctiſten ab annis 35. in ſumma ibi ſolitudine degentem forte incidiſſet, à ſancta virgine rogatus, ut Euchariſtiam qua omni illa tempore caruerat, ſibi anno ſequente afferret, his verbis narrat quid acciderit cum ipſe rem præſtitiſſet. Cæterum Perronius illa quidem verba deſcribit; qua autem ratione hinc Euchariſtiæ adorationem eruat non dicit. An quod ſe Theoctiſte donum acceptura in terram abjecerit? Sed unde ſcit adverſarius ſanctam mulierem illa ſui abjectione, non Dominum Chriſtum, ſed ipſum propriè ſacramentum adoraſſe. Angli fratres, quos Latini æque ac noſtros homines in Sacramentariis cenſent, panem Domini ingeniculati accipiunt; & apud nos, multis ac pæne omnes paulo antequam ad menſam ſacram communicaturi accedant, Deum de geniculis adorant; neque tamen quiſquam vel Anglos fratres vel noſtros homines ſuſpicatur non Deo, ſed ſacramento illam adorationem deferre. Sed & Latinos ipſos cum ſacerdotes, tum miniſtros & laïcos ſiquis cineribus ſacris *latriam* exhibere ideo dixerit, quod eos quotannis in capite quadrageſimalis jejunij omnes non aliter, quam *genibus ante altare flexis ſingulatim recipiant*, imo & recipere jubeantur; non puto Perronium ſi viveret, æquo animo laturum fuiſſe hominem ita ratiocinantem. Atqui hujus geminum eſt ſophiſma, quo nunc ipſe nobis perſuadere conatur Theoctiſten ſacramentum *latria* adoraſſe, eo quod in terram procumbens ſacrum illud donum acceperit. Theoctiſtes factum Latini non alia de cauſa quam ex ſuo more ad rem ſuam interpretantur; Nimirum quod ipſi in genua procumbentes Euchariſtiam ſumant, eoque ſe actu ſacramentum proprie *latria* adorare profiteantur, eadem Theoctiſten mente, idem officium Euchariſtiæ, non

n Vita Theoct. apud Sur. c. 24. d. tom. Nov. p. 240.

o Miſſ. Rom. ad fer. 4. Ciner. p. 75. a.

Chriſto

Christo, exsolvisse sibi fingunt. Colorem haberet figmentum, si Græcæ Ecclesiæ, in qua illa nata, tinctaque & educata fuerat patilis mos esset. Nunc res aliter habet; Stantes enim Græci, non prostrati Eucharistiam sumunt. Neque ergo probabile est sanctam Virginem hanc suam adorationem ipsi Eucharistiæ ignoto apud suos ritu, sed Domino Christo detulisse, gratias agentem, quod desideratum tam multis annis donum, sacrum, & Dominicæ mortis μνημόσυνον, & suæ salutis pignus, tandem videret ac teneret, dulcissimum animæ suæ antequam de carne migraret, solatium. Neque enim nesciebat se brevi, quod ita quoque contigit, migraturam. Si Perronius aliud spectavit; si quod Theoctiste Symeonis de Christo verba repetens, se *salutare Domini oculis suis vidisse* dicit, eo illam argumentatur quod à venatore acceperat sacramentum pro ipso Christo, prece sacerdotis vere ac realiter ex pane nuper confecto, habuisse; eadem ratione potuit argumentari, nos quos falso ac contumeliose Sacramentarios vocitat, ipsos quoque secum transsubstantiationem admittere. Nos enim (apud quos natus & educatus erat, Patre, ac institutore verbi divini Ministro, optimo ac doctissimo viro) nescire profecto non potuit quoties sanctam Eucharistiam in Ecclesiis nostris percepimus, hoc idem Symeonis canticum Deo de geniculis adorabundos una omnes succinere, gratias illis ipsis verbis de sumpto dono agentes quibus pari loco usa est Theoctiste. Neque ego quemquam rerum Christianarum tam esse ignarum puto, qui eum *Dei salutare* vidisse negaverit, qui Christum salutis auctorem ac principem fide vera sinceraque complexus, & sacramento digne accepto consignatus adoravit; etiamsi eum in carne non viderit. Nota sunt Domini ipsius ad Thomam verba, *p Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Beatos ait, quos vidisse negat; carne scilicet; Nam Spiritu quidem nemo non vidit, qui modo credidit. p Ioan. 20. 29.

CAPVT X.

Solvuntur duo alia Perronij pro adoratione argumenta. XIX. ex vita Stephani iunioris. Ambiguitas verbi προσκυνεῖν *apud auctores horum seculorum ex Germano, ex Synodi 7. Patribus & aliis explicatur. XX. ex Nicolao Cabasila.*

QVarto adfert Perronius quædã Stephani junioris verba, q qui mortẽ a.D.767. ob imaginũ causam perpessus est. Is in collatione cũ Constãtino Copronymo habita inter alia multa, ita eũ allocutus fertur; *Quid?* (inquit) *An tu quoque corporis & sanguinis Christi antitypa ab Ecclesia proscribes, ut qua imaginẽ ac veram illorũ figurã teneant? qua & ADORAMVS & osculamur, & eorum perceptione, sanctitatem consequimur?* Stulte quidem ille hæc ab illo Imperatore quærens, quẽ satis sciebat id Iconoclastarum q Vita Steph. Iun. apud Sur. c. 36. ad d 28. Nov. p. 645.

Cap. X. Concilium probare ac sequi, à quo nuper inter cætera, quibus religiosum imaginum cultum damnaverant, etiam Eucharistiæ venerabile sacramentum allatum esse, veluti sinceram Dominicæ œconomiæ ab ipso institutam imaginem. Sed & hoc ipso quod sic disputat, clarissime docet Eucharistiam neque à se, neque à suis pro vero ac naturali Christi corpore haberi. Nam si ita cum Latinis hodiernis sensisset, hæc absurdissime Copronymo erat objecturus; cui in promptu fuisset respondere Christi antitypum, quod sic esset vera ejus figura, ut simul etiam ipse Christus realiter esset, merito & quidem latria adorari; imaginum longe aliam esse rationem; quæ cum nuda sint & vacua verum divinarum simulacra, ab eo longissime abesse, ut res ipsæ vere sint. Itaque quod eas de medio tollat, nihil ideo esse Stephano metuendum, ne ipsum quoque divinum, latriaque dignum Domini corpus ab Ecclesia proscribat. Mitto istum qui sacramentum quo tempore adoratur, quoque adeo jam consecratum fuit, *antitypa corporis & sanguinis Dominici nuncupat, imaginem illorum ac veram figuram tenere* dicit, his verbis crassum & pestilentem Nicænorum Patrum errorem confutare, qui aliquot post illius mortem annis, in sua illa septima, ut ipsi quidem volunt, universali Synodo non minus imperite quam imprudenter negarunt Eucharistiam à Patribus unquam dictam fuisse imaginem vel antitypum corporis Dominici, nisi forte ante consecrationem. Sed his missis, Perronio hinc latriam Eucharistiæ suam concludenti respondeo, nihil ejus argumentum valere, non enim de latria, sed de veneratione, quæ rebus sacris impeditur, intelligendum esse id quod ait Stephanus, se & cæteros fideles *antitypa corporis & sanguinis Christi adorare & osculari*; plane eodem sensu quo uno tantum & altero supra locum descriptum versiculo; cum dixisset se *crucem ex quacumque tandem materia confecta sit, ADORARE*; statim addit, r *Sed & pepla sancta* (inquit) *& sacrosancta vasa à nobis ADORATA nullam nobis reprehensionis notam inurunt.* Nemo non videt, si argumentum Perronij valet, latriam Eucharistiæ delatam fuisse; inde colligentis, quod eam Stephanus *adoratam* fuisse à communicantibus scribit: latriam non modo *crucibus* ex qualibet materia confectis, sed etiam *peplis* ac vasis sacris exhibitam fuisse à Græca illius ævi Ecclesia; valide quoque inde confici, quod idem ille Stephanus eodem loco ista à se & aliis Christianis adorata fuisse affirmet sine ulla reprehensionis nota; quod cum à Latinis, ut error absurdissimus explodatur, ipsos denique confiteri necesse est hoc Perronij sui argumentum nihil ut diximus valere. Ac tametsi quæ de προσκυνεῖν, προσκυνήσεως, προσκυνητὸς, *adorare, adoratio, adorabilis* vocabulis notavimus abunde probent ea jamdudum apud nostros de veneratione simpliciter fuisse usurpata; nequid tamen desit, juvat allatis aliis exemplis demonstrare iis potissimum in quibus nunc versamur seculis, id est septimo & proxime consequutis, quibus exarserunt de imaginum cultu inter Christianos certamina, passivum ac promiscuum fuisse hunc illarum vocum usum dicam an abusum.

r. Ubi supr.

Ac

Ac primum quidem Germanum, Constantinopolitanum Antistitem, doctissimum causæ imaginum patronum audiamus. Ille præfatus divinum cultum uni Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto deberi ac deferri, quem ad sanctos conservos nostros deflecti sit nefas; docet *s* tamen nulla ejus fraude Sanctis à nobis exhiberi honorem quendam inferiorem; *Neque enim* (inquit) *Reges vel Principes in terra ADORANTES, æqualem adorationi, quam Deo exhibemus facere noscimur. Etenim Nathan Prophetam constat super terram adorasse David hominem existentem & Regem; sed non ideo accusabitur quasi qui hominem veneratus sit præter Deum.* οὐ γὰρ βασιλεῖς ἢ ἄρχοντας κατὰ γῆς προσκυνοῦντες, τὴν ἴσην ὡς πρὸς τὸν Θεὸν προσκύνησιν ποιοῦντες φαινόμεθα. καὶ γὰρ ὁ προφήτης Νάθαν φαίνεται ἐπὶ τῆς γῆς προσκυνήσας τὸν Δαβὶδ ἄνθρωπον ὄντα καὶ βασιλέα. ἀλλ' οὐ παρὰ τοῦτο ἐγκληθήσεται, ὡς ἄνθρωπον σεβασθεὶς παρὰ τὸν ὄντα Θεόν. Ex his vides apud Germanum προσκυνήσεως *adorationis* vocabulum, ut de honore civili dicitur qui regi exhibetur, ita & de ea veneratione dici, quam personis & imaginibus quoque sacris deberi putabat; utraque tamen longe ab ea adoratione diversa quam uni Deo debemus. Sed nihil iis clarius dici potest, quæ de hoc vocabulo non semel docet *t* Nicæna ipsa an. D. 794. pro imaginibus habita Synodus; qui diserte definit προσκυνεῖν idem esse quod ἀσπάζεσθαι, *salutare*; quo quidem ipsi usurpant sensu; idque longe aliud esse ab *adoratione latriæ*. Cum enim dixissent illi Patres Sanctorum imaginibus in Ecclesia positis impendendam esse adorationem debitam τὴν ἐξειλεγμένην προσκύνησιν; continuo hæc addunt; *Sive ergo alicui gratum sit salutationem vocare, sive adorationem (utrumque enim ipsum idem est) nisi forte quis adorationem, quæ secundum latriam intelligat, alia enim est hæc, ut multipliciter est ostensum.* εἴτε οὖν ἀσπασμόν τινι φίλον καλεῖν, ἢ προσκύνησιν ταὐτὸν γὰρ ἀμφότερα. εἰ μή που τὴν κατὰ λατρείαν προσκύνησίν τις ἐννοήσειεν. ἄλλη γὰρ αὕτη, ὡς πολλαχῶς δέδεικται. Diserte docens προσκύνησιν *adorationem* idem esse quod ἀσπάζειν, *salutationem*; utramque aliud esse quam λατρείαν *latriam*, id est cultum uni Deo debitum. Eadem Synodus alibi cum dixisset imagines *adorandas id est salutandas; id ipsum enim est* (inquit) *u utrumque.* κυνεῖν *quippe antiqua lingua Græca & salutare & osculari significat, & præpositio* πρὸς *augmentum quoddam significat amoris; quemadmodum* φέρω *&* προσφέρω, κυρῶ *&* προσκυρῶ, κυνῶ *&* προσκυνῶ, *quod salutationem significat, & secundum protensionem amicitiam* (id est vehementem amicitiam) *quod enim quis osculatur, etiam adorat, & quod adorat profecto & osculatur.* καὶ ταύτας (εἰκόνας) προσκυνεῖν ἤτοι ἀσπάζεσθαι. ταὐτὸν γὰρ ἀμφότερα. κυνεῖν γὰρ τῇ ἑλλαδικῇ ἀρχαίᾳ διαλέκτῳ τὸ ἀσπάζεσθαι, καὶ τὸ φιλεῖν σημαίνει. καὶ τὸ τῆς πρὸς προθέσεως ἐπίτασίν τινα δηλοῖ τοῦ πόθου. ὥσπερ φέρω καὶ προσφέρω, κυρῶ καὶ προσκυρῶ, κυνῶ καὶ προσκυνῶ, ὃ ἐμφαίνει τὸν ἀσπασμὸν, καὶ τὴν κατ' ἐπίτασιν φιλίαν. ὃ γάρ τις φιλεῖ, καὶ προσκυνεῖ, καὶ ὃ προσκυνεῖ, πάντως καὶ φιλεῖ. Sic etiam distinguitur adoratio προσκύνησις à latria in sententiis de usu imaginum, quæ dicuntur comprobatæ in illa ipsa secunda Nicæna Synodo. *x Cultus ille in Spiritu & veritate quem Latriam appel-*

CAP. X.

s German. CP. ep. ad Ioann. Synod. Conc. 7. Act. 4. p. 665. A.

t Conc. 7. Act. 6 Tom 6. p. 810. D.

u Ibid. Act. 7. epist. ad Imperat. p. 833. C. D.

x Sent. de usu imag. Bibl. PP. Gr. Lat. T. 1. p. 727. C.

Cap. X.

appellant, beatæ Trinitati tribuitur ab Orthodoxis; sanctis autem imaginibus non latria omnino, sed ADORATIO, exosculatio & honor. ἡ μὲν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ λατρεία τῇ μακαρίᾳ τριάδι παρὰ τῶν ὀρθοδόξων ἀπονεμομένη. ταῖς δὲ ἁγίαις εἰκόσιν, οὐ λατρεία πάντως, ἀλλὰ προσκύνησις, καὶ ἀσπασμὸς, καὶ τιμή. Hic vides προσκύνησιν *adorationem*, non tantum distingui à *latria*, sed ei etiam sic opponi, quasi ne nomen quidem προσκυνήσεως *adorationis latriæ* conveniat, id est quasi latria non sit amplius vocanda *adoratio*, neque adorationis nomine, viliori scilicet & humiliori, significanda. Aiunt enim imaginibus tribui non *latriam*, sed *adorationem*. Non potuit validius negari *adorationem* esse *latriam*. Mox ita alteram ab altera

Ibid.

distinguunt, *y* ut quæ Christo ipsi tribuitur, sit per *latriam*; naturalis, suæ scilicet ipsius divinæ naturæ causa; cultus vero qui imagini defertur, adoratio quædam sit *relativa & æquivoca*. ἐπὶ μὲν τοῦ χριστοῦ, λατρευτικὴ ἡ προσκύνησις· καὶ φυσικὴ &c. κατὰ τὴν θείαν αὐτοῦ φύσιν. ἐπὶ δὲ τῆς εἰκόνος τοῦ χριστοῦ, σχετικὴ ἡ προσκύνησις καὶ ὁμωνυμική. Vbi notandum est istos his fateri adorationis vocabulum, de honore isto ut vocant, *relativo* σχετικῷ, dici tantum æquivoce ὁμωνύμως, adeoque proprie ac συνωνύμως soli *latriæ* convenire. Sed ex iis quæ paulo ante dixerant, apparet id nominis communi hominum usu tandem à sua proprietate tam longe discessisse, ut non modo ad *latriam* sed etiam ad *venerationem* quandam significandam plurimum, imo immensum à latria distantem, indifferenter quin etiam sæpius ac crebrius usurparetur. Ibidem ex Leontio

z Ibid. p. 729. B. C.

rem omnem ita explanant; *z Adorationum una est eximia & supra omnes posita adoratio, quæ soli universorum Deo Creatori &c. debetur & attribuitur, qualis est quæ in Spiritu & veritate consideratur. Aliarum altera est excellentiæ causa & dignitatis, ut quæ Regibus & aliis principibus à subditis exhibetur. Altera tyrannica & violenta, quam hostibus ac tyrannis metu ac pœnæ timore inviti, coactique præstant. Alia voluntaria est & honoraria, non per latriam ex desiderio &* fide; *qualem eam* esse aiunt, *quæ Sanctis, Angelis item, & viris divinis attribuitur; quin & sacris & templis honorandis & vasis*, ἱεροῖς καὶ ναοῖς τιμίοις καὶ σκεύεσι. Vltimum autem hoc προσκυνήσεως *adorationis* genus nihil aliud quam *venerationem* esse patet; De qua id quoque intelligendum quod paulo

a Ibid. B.

ante ex eodem Leontio dicebant, *a Veneramur & adoramus ea quoque loca, in quibus ambulavit, aut sedit Dominus.* σεβόμεθα καὶ ΠΡΟΣΚΥΝΟΥΜΕΝ καὶ τοὺς τόπους ἔνθα περιεπάτησεν, ἢ ἐκάθισεν. Eadem quoque habet, *b* qui

b Theod. Stud. Serm. 15. Bibl. Patr. T. 2. p. 627. E.

iisdem temporibus vixit Theodorus Studites, imaginum cultor ac patronus ardentissimus, an. D. 826. mortuus. Is non tantum imagines, sed & alia multa adoranda dicit, quibus ne Latini quidem ipsi alium, quam venerationis honorē detulerint; *Loca* (inquit) *in quibus editus est Christus, adoranda atque sancta & sunt & dicuntur.* Tum de Romanis; *Illi* (inquit) *argento fabrefactas* (Petri claves) *proponunt adorandas; tanta est eorum religio.* Atque hæc ipsa idem alibi in epistola ad Naucrationem

c Bibl. Patr. T. 3 p. 163. D.

totidem verbis repetit. *c* Sed quid necesse est plura addere? Perronius

hæc

hæc adeo non nescivit, ut ea ipse quoque & quidem in hoc ipso opere CAP. X.
diserte tradiderit, ubi *adorationem imaginum* à Patribus septimæ Synodi constitutam ex ipsorum mente venerationem esse intelligendam dicit; *d neque enim* (inquit) *aliud* προσκυνήσεως *adorationis vocabulo significatum voluerunt*, & paulo post eosdem Patres dicit *e sacris imaginibus simplicem duntaxat honorariam decrevisse adorationem, quam* (inquit) *venerationem appellamus.* Quo improbior est illius viri sophistice, qui cum probe sciret adorationis nomen istis Patribus, cæterisque adeo ejusdem seculi & sequentium temporum scriptoribus passim esse aliud nihil quam *venerationem*, ea tamen illorum testimonia ad demonstrandam Eucharistiæ *latriam* afferre non dubitavit, in quibus illa nihil aliud quam *adorata*, vel *adoranda* dicebatur, quæque ipse sibi conscius erat de simplici sacramenti veneratione accipi posse, nihilque adeo de latria Eucharistiæ exhibita probare.

d Perr. 4. de Euch. L. 2. Aug. 36. p. 653. lin. 6.
e Ibid. l. 3. a f.

Istis quæ Perronius pro sua Eucharistiæ adoratione hic attulit, addenda sunt quæ idem alio quidem loco, sed ad eandem causam ambitiose recitat *f* Nicolai Cabasilæ verba, de infima Græcia sane doctissimi scriptoris. Is ubi explicavit quomodo sacerdos sumpto ipse prius sacramento laicos ad communionem adhortetur, hæc continenter subjicit; *g Illi autem* (inquit) *pietatem ostendentes, & fidem, Iesum qui in iis* (in donis sanctificatis) *intelligitur, & adorant & benedicunt, ac ut Deum celebrant; & ut sit splendida glorificatio ex verbis Prophetæ eam faciunt; Benedictus, qui venit in nomine Domini. Deus, Dominus & apparuit nobis.* Tum paucis interjectis; *h Iisdem ipsi quoque verbis utentes, Christum tanquam nunc ad eos venientem & apparentem benedicunt* αὐτοὶ δὲ τὴν εὐλάβειαν ἐπιδεικνύμενοι, καὶ τὴν πίστιν; καὶ προσκυνοῦσι καὶ εὐλογοῦσι καὶ θεολογοῦσι τὸν ἐν αὐτοῖς (ἁγιάσμασι) νοούμενον Ἰησοῦν. καὶ ἵνα λαμπρὰ γίνηται ἡ δοξολογία ἀπὸ τῶν προφητικῶν αὐτὴν ποιοῦνται ῥημάτων, Εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι τοῦ Κυρίου. Θεὸς Κύριος καὶ ἐπέφανεν ἡμῖν....... τούτοις καὶ αὐτοὶ τοῖς λογίοις χρώμενοι, ὡς νῦν αὖθις τὸν Χριστὸν ἐρχόμενον καὶ φαινόμενον εὐλογοῦσι. Cabasilam Perronius in his *diserte docere* affirmat *Eucharistiam à populo adorari.* Ille Iesum *adorari* dixit, fateor; *dona*, vel *sanctificata adorari*, certe non dixit. Hoc neque Græca, neque quæ nos Latina ex Græcis expressimus, præferunt. Quæ Perronius Gallice interpretata recitavit, illa fateor id ipsum quod affirmat, *diserte* habent. Sic enim ille ista Cabasilæ Græca, καὶ προσκυνοῦσι, καὶ εὐλογοῦσι, καὶ θεολογοῦσι τὸν ἐν αὐτοῖς νοούμενον Ἰησοῦν, Gallice sic repræsentavit, *Eux monstrans leur pieté & leur foy LES adorent, & benissent & celebrent comme Dieu Iesus qui est entendu estre en eux*; id est, *Ipsi pietatem & fidem suam ostendentes, ILLA* (nimirum sanctificata dona) *adorant, & benedicunt & celebrant ut Deum, Iesum, qui intelligitur esse in iis.* O interpretẽ! I, & cum isto homine in tenebris mica. Atqui hoc sensum auctoris est nõ reddere, sed mẽtiri; & tuum figmentum, non ejus testimonium edere. Quæro, ubi sit apud Cabasilam illa brevis quidem, sed tamen hic magni omnino momẽti vocula *LES*, id

f Perr. L. 3. de Euch. c. 14. p. 827.
g Cabasil. Exposit. Lit. c. 39. Bibl. PP. Gr. Lat. T. 2. p. 250. B C.
h Ibid.

Cap. X. est, *ILLA, sanctificata* scilicet, sive *dona*? Tantilla voce Cabasilæ verbis de suo non minus callide quam liberaliter inserta, *dona* nobis *adorata* apud eum reperit, quod ipse cupiebat: pro *Iesu adorato*, quem auctor dixerat; in Cabasilæ corio Papæ credo Clementi, cui purpuram debebat,

i Clem. 8. in Instr. de libris tit. de Correct. §. 3. obsequutus præcipienti *i in libris Catholicorum si paucis additis quod emendari posse videatur, id correctores faciendum curent.* Cabasilas quidem diu ante an. D. 1515. vixit; adeoque fuit extra eorum auctorum censum, in quorum scripta hanc censuram exerceri voluit Clemens. Sed Perronius fortasse hoc in hominem Græcum, & aperte schismaticum etiamsi Catholicis, in quos paria Clemens permisit, aliquanto vetustiorem, jure sibi licere putavit. Vtrumque est, bene nobiscum agitur quod Græca Cabasilæ integra supersunt, quæ omnem istam Perronianam liberalitatem respuunt. In iis enim tria illa verba activa, προσκυνοῦσι, εὐλογοῦσι, θεολογοῦσι, nullum aliud vel nomen vel pronomen habent, quo referri, quodque regere queant præter unum in accusandi casu positum Domini nomen Ἰησοῦν; quo fit ut necessario ita reddẽda sint, ut nos ea exhibuimus, *Ipsi* &c. *Iesum & adorant & benedicunt* & θεολογοῦσι, *ut Deum celebrant.* Itaque absit modo mala & infida interpretis manus, nullum hic quidem est Cabasilæ pro Latina Eucharistiæ adoratione testimonium. Si adorata esset à populo apud Græcos, moniti essent hoc in Liturgiis loco communicantes, genua flectere, eamque de geniculis sumere; ut fit apud Latinos. At in Græcorum Liturgiis nullum occurrit hoc in loco ea de re verbum. Quin & stantes & dona sumpsisse eos olim, & nunc

k Supr. L. 6. c. 1. sumere, supra *k* probatum est. Mitto alteram Perronii in his Cabasilæ verbis fraudem; à quo, ut pro sua transsubstantiatione testimonium extorqueret, quod ille simpliciter scripserat Ἰησοῦν ἐν τοῖς ἁγιάσμασι νοεῖσθαι, *Iesum in donis intelligi*, hoc est ut omnes vident, ut in signis symbolisque suis significari, & mentis cogitatione considerari, sic reddit, quasi auctor scripserit *Iesum intelligi esse in sanctificatis.* Si fidum interpretem desideras, *verbum verbo*, quod ait vetus Poëta, *reddentem*, alium quæras licet quam Perronium, hunc nostrum, qui in tantillo spatio geminam suo auctori imposturam fecit. Neque ultima Cabasilæ in loco objecto verba moror, quibus nonnihil quoque Perronius confisus videtur. Christus *communicantibus venire*, & *apparere* dicitur, ut in signo scilicet & symbolo suo, concitante Majestate & Spiritu, cum corde excepturis, si digne communicent, ut supra Christum apud Pseud-Origenem in antistitibus ad nos venire audivimus, & apud alios in *stella Magis fulsisse, rutilasse, apparuisse.* Quomodo & alij Deum in Nathan ad Davidem venisse, & Christum in Iona visum esse dixerunt. Sed hæc ad transsubstantiationis caussam proprie pertinent, cui adeo non favet hic Cabasilas, ut ipsi etiam Latini suos moneant caute esse legendum, quemdam ejus in hoc ipso

l Cabasil. ub. supr. c. 43. p. 254. E. opere locum haud satis cum eorum placitis consentientem; *l Non omnes* (inquit) *quibus dat sacerdos, vere sumunt; sed illi omnino soli, quibus dat ipse Christus: Sacerdos enim simpliciter omnibus qui accedunt: Christus autem dat*

dat iis solum, qui participes esse digni sunt. οὐ γὰρ πάντας, ὡς δίδωσιν ὁ ἱερεὺς, ἀδιαφόρως μεταλαμβάνουσιν. ἀλλ' ἐκεῖνοι μόνοι πάντως, οἷς αὐτὸς δίδωσιν ὁ χριστός. ὁ μὲν γὰρ ἱερεὺς πᾶσιν ἁπλῶς τοῖς προσιοῦσιν. ὁ δὲ χριστὸς τοῖς ἀξίοις τοῦ μεταχεῖν. At transsubstantiatores cunctos simpliciter tam indignos quam dignos, Christum ipsum totum Deum & hominem vere ac ut loquuntur, *realiter*, non duntaxat signo & sacramento tenus accipere decreuerunt. Sed nos nunc aliud agimus. CAP. X.

CAPUT XI.

Solvitur aliud Perronij ex eodem Nicolao pro adoratione Eucharistiæ Argumentum, Latinorum XXI. Refellitur recentioris cuiusdam ex Iansenij ludo scriptoris nova ex eodem Nicolai loco instantia.

PErronius alium Cabasilæ locum ex eodem ejus opere describit, cujus quæ ad ostensionem sacramenti pertinent nos supra jam expendimus; quæ ad transsubstantiationem ab Albertino nostro fuse explicata sunt, & ab adversariorum παρερμηνείαις vindicata. Nos hic tantum ea attingemus, quæ ad Eucharistiæ latriam perperam detorquentur. Auctor eo loco suorum errorem arguit, qui vulgo fere solebant, & etiam hodie solent, sacrum panem, vinumque cum nondum sanctificata ex Protheseos altari in magnum altare Ecclesiæ ad consecrationem transferuntur eadem veneratione excipiunt, quæ excipienda essent, si jam sanctificata essent; ostenditque unde hic eorum error ortus sit; *m Siqui autem* (inquit) *eorum qui Sacerdoti cum donis ingredienti accidunt, dona quæ deferuntur adorant, atque interloquuntur, ac si ea iam essent corpus & sanguis Christi: illi ab ingressu præsanctificatorum decepti sunt, ignorantes huius & illius sacrificij differentiam. Hoc enim in hoc ipso ingressu dona habet nondum sacrificata, perfectaque: illud vero eadem habet perfecta & sanctificata, & corpus & sanguinem Christi.* εἰ δέ τινες τῶν προσπιπτόντων εἰσιόντι μετὰ τῶν δώρων ἱερεῖ, ὡς σῶμα χριστοῦ καὶ αἷμα τὰ κομιζόμενα δῶρα προσκυνοῦσι, καὶ διαλέγονται. ἀπὸ τῆς εἰσόδου τῶν προηγιασμένων δώρων ἠπατήθησαν, ἀγνοήσαντες τὴν διαφορὰν τῆς ἱερουργίας ταύτης κἀκείνης, αὕτη μὲν γὰρ ἐν ταύτῃ τῇ εἰσόδῳ ἄθυτα ἔχει τὰ δῶρα καὶ ἔτι ἀτελεύτητα. ἐκείνη δὲ τέλεια καὶ ἡγιασμένα, τὸ σῶμα καὶ αἷμα χριστοῦ. Hæc Cabasilas; in quibus interpretãdis duo sunt inprimis notãdi errores Latini interpretis. Prior est, cũ prima hujus loci verba sic reddidit; *siqui autem eorum, qui sacerdote cum donis ingrediente humi procumbunt*; quasi Cabasilas scripsisset, εἰσιόντος μετὰ δώρων ἱερέως, in genitivo, ut Grammatici loquuntur, absoluto. Quod non ita est, ut liquet. Scripsit enim τινὲς τῶν προσπιπτόντων εἰσιόντι μετὰ δώρων ἱερεῖ, in casu dandi, qui apud Græcos nunquam *absolute* ponitur, sed semper pendens à verbo, vel participio, à quo regitur; ut sciunt qui Græce sciunt. Itaque clarum est illos dativos

m Id. ibid. c.24. extr. p. 230. C. D.

εἰσιόντι

Cap. XI.

εἰσιόντι ἱερεῖ non esse absolute positos (quod in lingua Græca monstrum esset inauditum) sed regi à proximo participio τῶν προσπιπτόντων, adeoque cum eo construendos; & sicut nos reddidimus interpretandos esse, *Siqui autem eorum, qui SACERDOTI cum donis INGREDIENTI ACCIDUNT*, id est, qui eum procumbentes humillima veneratione ingredientem salutant atque excipiunt. Ita Symeon Thessalonicensis à Goare laudatus de hac ipsa cærimonia verba faciens; *n Sacerdotibus supplices cuncti procumbant fideles, meritoque eorum precibus iuuari exposcunt;* προσπίπτουσι πάντες τοῖς ἱερεῦσιν οἱ πιστοὶ, δικαίως τὰς αὐτῶν εὐχὰς ἐξαιτούμενοι. Unde manifestum est illam τῶν προσπιπτόντων venerationem sacerdoti factam fuisse non donis; ad illum adeo non ad hæc referendam esse. Latinus qui vellet ad dona pertinuisse, ut Græcorum suæ similem haberet in sacramentum religionem, inde paululum deflexit, & *sacerdote ingrediente* absolute posuit, quasi illa procumbentium veneratio nihil ad sacerdotem pertineret, sed tota donorum esset. Hanc fuisse Gentiano Herveto interpreti, in loco alioqui facili ac plano, errandi causam, valde probabile est. Eadem haud dubie & Arcudio ratio fuit hæc Cabasilæ verba cum citasset, Latine cum eodem vitio repræsentandi. Neque enim nescire potuit homo Græcus, & in gentili lingua multum versatus quid Græca significarent. Utcumque sit, sive imprudens, sive dolo, Cabasilæ verba Gentianus male acceperit, ejus quidem errorem avide secutus Perronius, interpretis quam auctoris verba lectori obtrudere maluit, quo nimirum persuaderet illam, quam mox auctor dicit, *donorum adorationem*, eandem cum Latina fuisse, atque adeo Græcos in genua procumbentes (qui Latinorum nunc mos est) Eucharistiam veneratos esse. Sic enim ille lingua Francica, plane ut Gentianus Latina, Cabasilæ locum expressit: *p Si quelques uns de ceux, que lors qui le Prestre entre portant les dons, se prosternent à terre, adorent les dons*, &c. Neque unus Perronius hunc locum ita corrupit. Novissimus ex Ianseniano rum grege disputator, non satis habuit Perronij sui peccatum retinere ac sequi: Id insuper altera fraude cumulavit, locum ita vitiatum exhibens, ut diserte definiat istos Græcos non sacerdoti, quod vult Cabasilas, sed *donis* exhibuisse illam suam venerationem, qua in terram procumbebant. Sic enim locum Gallice interpretatur, *q Si quelques uns de ceux, qui lors que le Prestre entre auecque les dons, se prosternans par terre adorent les dons qui sont portez* &c. id est, *Siqui eorum qui sacerdote cum donis ingrediente, se in terram prosternentes dona quæ deferuntur adorent* &c. Hoc novo istius flagitio, vides diserte affirmari istos *dona obiecto in terram corpore adorasse*; quod procul est à vero & auctoris mente. Eo autem istorum & fœdior lapsus est, & fraus inhonestior, quo clarior est Cabasilæ oratio. Is enim hanc donorum à Prothesi in sanctuarij altare translationem describens, verbis proxime præcedentibus, hunc ipsum venerationis sacerdoti cum donis ingredienti exhibendæ ritum enixe commendaverat: *Oportet etiam tunc* (inquit) *ad sacerdotis genua procidere, & orare ut illis orationibus nostri meminerit*, &c. Ne-

n Sym. Thess. apud Goar. in Euch. p. 132. b.

o Arcud. de Eccl. Orient. & occid. concl. L. 3 c. 19.

p Perr. ub. supr.

q Perpet. de la foy de l'Euch. Part. 2. c. 5. p. 267.

&c. *Neque enim est alius modus supplicationis, qui tantum possit.* δεῖ δὲ CAP. XL.
προσπίπτειν τε ἱκετεύοντα τῷ ἱερεῖ, καὶ δεῖσθαι, ἵνα ἡμῶν ἐν ταῖς εὐχαῖς ἐκείναις μνησθῇ. ὅτι οὐκ ἔστιν ἄλλος τρόπος ἱκεσίας οὕτω μεγάλα δυνάμενος. Cum sexto abhinc versiculo laïcos audis προσπίπτοντας εἰσιόντι μετὰ δώρων ἱερεῖ *sacerdoti cum donis ingredienti ad genua accidentes*; an-non satis perspicuum est iisdem illis verbis eodem modo constructis rem eandem significari, sacerdotis scilicet non donorum propriam venerationem? Nonne istis Latinis causæ studium mentem & oculos eripuerat, qui rem tam claram non viderunt? Huc & illud accedit, quod Cabasilas illam donorum præproperam antequam ea confecta sint, adorationem improbat, atque erroris arguit. At sacerdotis ingredientis venerationem adeo non damnat, ut eam etiam quod diximus commendet. Non potest ergo hæc ingredienti sacerdoti facta veneratio eadem esse cum illa à Cabasila reprehensa donorum adoratione. Ipse quidem personas utraque fungentes apertissime distinguit. Hos enim quos arguit intempestivos donorum adoratores, dicit quosdam fuisse eorum, qui sacerdoti accidebant; non dicit fuisse *omnes*. Quod ergo omnes venienti & dona transferenti sacerdoti ad genua acciderent, seque ejus precibus commendarent, non reprehendit; sed ut rite factum, & à se proxime præceptum ac laudatum probavit. Illos tantum reprehendit, siqui sacerdoti accidere seque ac sua ejus precibus commendare non contenti, dona insuper ipsa, quasi jam confecta ac consecrata essent, propria ac solenni veneratione excipiebant. Atque ita satis ni fallor, priorem Peronij & aliorum Latinorum in hoc Cabasilæ loco errorem confutavimus. Alter error est, & quidem ex eodem fonte, nimio scilicet causæ studio, exortus, quo verbum διαλέγονται interpretati sunt *alloquuntur*; ut incautis lectoribus persuadeant Cabasilam velle istos Eucharistiam esse allocutos, adeoque pro persona vivente ac vere divina habuisse; *&* *parlent à eux* (inquit Peronius) *comme au cors & au sang de Christ*, id est, *& ad ea* (ad dona) *loquuntur tanquam ad corpus & sanguinem Christi*. Istos dicit quidem Cabasilas *dona tanquam corpus & sanguinem Christi adorasse*; *allocutos esse dona*, vel *locutos esse ad dona*, non dicit. Græce enim recte dixeris προσκυνεῖν δῶρα *adorare dona*, nomen rei adoratæ in accusandi casu construens cum verbo προσκυνεῖν (quod legitimum est) Διαλέγεσθαι vel δῶρα, vel aliud quicquam, barbarum est, & apud Græcos inauditum. Suidas diserte monet dativum regere; ubi alloqui significat. Διαλέγονται hoc loco absolute, ac (ut Grammatici loquuntur) *neutraliter* positum est, & istos ea tum locutos significat, quæ Græcorum fideles solent, ubi sacramentum confectum venerantur, quæque adeo absurde & ἀκαίρως dicuntur, cum nondum est confectum. Quales forte erant gratiarum ad Deum actiones pro eximio hoc dono, & cætera ejusdem generis. Ex his nullum apud Cabasilam superesse apparet Eucharistiæ latria cultæ argumentum. Quid? (inquis) Nonne dona à laicis in illo introitu sacerdotis *adorata* dicit? Non nego; & quæ hic

 loco

Cap. XI. loco & ordine non ſuo adorata denotat, fateor eum velle ubi conſecrata ſunt, rite adorari. Sed ſi hæc adoratio de illa *προσπτώσει* quam ſcriptor dicit, id eſt corporis vel proſtratione vel in genua ſummiſſione quod tu vis intelligantur;non erit profecto hæc adoratio latria; quam nuper demonſtravi *ſacerdoti* fuiſſe delatam; quem nemo quod ſciam, *latria* coli jubet. Sed te tuaque mitto. Non ego paulo ante multis demonſtravi familiare fuiſſe veteribus, iis maxime qui octavo ſeculo & ſequentibus vixerunt, *προσκυνεῖν* late uſurpare, pro ea *veneratione* quæ perſonis vel rebus ſacris habetur; Si adoratio *προσκύνησις* Patribus ſeptimæ Synodi in imaginum negotio uſurpatæ confitente ac docente Perronio nihil aliud eſt, quam ea, quæ à nobis dici ſolet veneratio; quid ni Cabaſilæ quinque & amplius ſeculis poſt Synodum illam nato licuerit debitam Euchariſtiæ ſanctiſſimo ſacramento, ab ipſo Domino inſtituto venerationem, eodem quoque vocabulo ſignificare? Ergo uno verbo reſpondeo quos hic auctor dona *προσκυνεῖν* dicit, eos iſta veneratos eſſe intelligere; omnino que ſic hoc loco ſumendum illud verbum, ut in Synodo Nicæna accipi vult Perronius. Cætera, quæ ille ex Cabaſila deſcribit, à meo inſtituto aliena ſunt, & ad controverſiam de tranſſubſtantiatione pertinent. Sed quia hunc Cabaſilæ locum video pro Euchariſtiæ latria à Ianſeniano illo, de quo nuper dixi, diſputatore vehementer urgeri, libet in eo explanando paulo etiam diutius immorari. Nervus ratiocinationis à noviſſimo illo adverſario nobis objectæ, in eo, quantum equidem intelligo, ſitus eſt, *r* quod Cabaſilas illam, quam iſti quos reprehendit, donis exhibebant adorationem, cum è Protheſi in ſanctius altare conſecranda transferuntur, eam donis iiſdem, ſed poſtquam rite conſecrata fuerint, deberi legitimeque deferri putavit. Neque ego ſane negaverim ita ſenſiſſe Cabaſilam. Quod vero adverſarius aſſumit, certe aſſumere debet, Cabaſilam ſenſiſſe quam iſti donis nondum conſecratis exhibebant, adorationem, eam latriam fuiſſe uni Deo debitam; id ergo abſit, ut concedam, quod neque Cabaſilas dicit, neque ſane ex eo demonſtrari poteſt. Quod ſi id adverſarius ex auctore valide probaſſet, merito profecto concluderet putaſſe Cabaſilam Euchariſtiæ ſymbola ſemel conſecrata latria ut Deum, colenda eſſe. Sed ille hoc adeo non demonſtravit, ut ne unum quidem ad id probandum verbum fecerit. Ad id vero refellendum ſatis eſt, quod Cabaſilas eos, qui hos honores donis nondum conſecratis deferebant, *erroris* duntaxat arguit, qui à præſanctificatorum ſacro ſolenne aliorum temporum ſacrum eo diverſum eſſe non animadverterent, quod in hoc dona nondum conſecrata, in illo jam conſecrata è Protheſi transferrentur. Neque ille quicquam in iſtas gravius dicit, qui ſi latria vere fuiſſet ille eorum cultus, idololatriæ & quidem craſſiſſimæ rei futuri erant. Quos vero tanti tamque horrendi in religionem criminis, manifeſtos eſſe putaſſet Cabaſilas, vir doctiſſimus, ac ſacris ſuis addictiſſimus; profecto longe acrius atque durius habuiſſet; neque *erroris* aut *incogitantiæ*, ſed impietatis ac non ferendi ſceleris damnaſſet. Atqui nihil ſimile in

r Perpet. de la Foy P. c. 3. p. 260.

micos dicit; Errorem eorum duntaxat leniter castigat, satisque habet eos docere quid sit verius. Non ergo putavit Cabasilas istos quos reprehendit idololatriæ reos fuisse, neque adeo latriam fuisse quem illi donis nondum consecratis deferebant cultum. Vnde plane contra quam contendit adversarius apertissime conficitur Cabasilam, qui ex adversarij hypothesi cultum quem isti donis nondum consecratis perperam tribuebant, eum consecratorum verum ac legitimum cultum esse sentiebat, illud quoque quod nos affirmamus sensisse eam scilicet quam dicit sacramenti adorationem nequaquam esse latriam, sed multo inferiorem cultum, eum qui sacramentis debetur. Scio Arcudium ipsos illos honores, quos nunc omnes Græci donis, cum è Prothesi nondum confecta transferuntur, magnifice exhibent, multo tristius atque acerbius excepisse, quam Cabasilam; quin & eo usque provehi, ut istos cultus *idololatricos* esse asserat, s & Græcos qui eos exercent, *idololatrare* rotunde dicat, & *adorationem latriæ reipsa pani non consecrato exhibere.* Nos vero Cabasilæ viro doctissimo, patriæque ac Ecclesiæ Græcæ amantissimo, Thessalonicensi Archiepiscopo de suorum rebus ac cultibus ante annos trecentos scribenti credere multo verius esse putamus, quam Arcudio, avitæ religionis desertori, Romæ procul patria ad Papalia beneficia anhelanti, & in suos cives odium ac contemptum passim non obscure prodenti. Neque hanc levissimi hujus Græculi in damnandis suorum ritibus temeritatem probavit vir tametsi Latinus, Græcarum tamen rerum multo quam iste est consultior, Iacobus Goar, sed hac de re disserens ostendit t ex ipsis Latinorum Græcorumque dogmatis ac principiis illum quem tantopere Arcudius exagitavit panis & vini nondum consecrati cultum omnis esse idololatriæ expertem. Primo ipsam hujus cultus pompam fuse describit, è qua ea tantum libabo, quæ Arcudium maxime, ut videtur, commoverunt; ut verbi gratia, quod *cuncti celebrantium orationibus commendant, quod quidam inclinant, alij procumbunt in genua, nonnulli pedibusse transeuntium substernunt,* & quod his *frequentius* esse dicit, *Christum quasi præsentem latronis in cruce pœnitentis voce alloquuntur, u* Κύριε, μνήσθητί μου, ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου, *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum.*(hic est διαλογισμὸς, voce διαλέγεσθαι significatus à Cabasila, ad Christum, non ad panem, & vinum, quod Perronius & Iansenius delirant, directus) Denique *populo venerabundo procumbenti* (προσπίπτοντι τῷ ἱερεῖ, inquit Cabasilas) *& adoranti*, sacerdos dona ferens, reponit, x *Memor sit Dominus omnium nostrùm in regno suo, perpetuo, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.* Μνησθείη Κύριος ὁ Θεὸς πάντων ἡμῶν ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, &c. Iam si Arcudium urit, quod illi Christum ut præsentem alloquuntur & colunt, *condemnet ille* (inquit Goar) *Catholicos quosvis, qui viso Christi vultu depicto, simili cultu, quasi præsentem quoque venerantur, & sæpius ô Domine Iesu, velut audienti exclamant.* Et paulo post; *Homines vivos, pictas imagines, reliquias Sanctorum, sacram Christi crucem, Deum ipsum adorare dicimur in Scripturis, in Conciliis, in Patrum Ecclesiæ codicibus;*

Cap. XI.

s Arcud. L. 3. c. 21. p. 197. A. 1. 199. B. 2.

t Goar. in Miss. Chrys. Not. 110. Euchol. p. 131. col. 2.

x Goar. ibid. p. 132. a.

u Luc. 23. 42.

CAP. XII. *codicibus; an ideo idololatriæ rei sumus proclamandi?* Neque ego quidem satis mirari possum istos sive Perronios, sive alios ejusdem ordinis viros, qui cum ipsi quotidie ante Divorum suorum vel reliquias vel iconas prostrati aut ingeniculati Divos ipsos veluti præsentes alloquuntur atque invocant, tametsi & Divos ab istis rebus, quas venerantur, & latriam à suo in eas cultu longissime abesse profiteantur; iidem siquos fideles apud veteres memorari audiant aliquid simile ante Eucharistiam fecisse, statim exclamant eos ergo qui sic se gesserunt scilicet, Dominum reapse in sacramento ipso sui corporis substantia præsentem latriaque adeo adorandum esse putavisse. Atqui hæc, quæ apud Eucharistiam fiunt, eo minus quam illa quæ Latini apud imagines faciunt, culpanda esse videntur, quod Eucharistia quidem sacramentum sit à Domino Christo ad sui memoriam institutum; icones & reliquiæ à Deo non modo non institutæ, sed quod multo gravius est, etiam prohibitæ fuisse videantur. Si Græcos regerant hos cultus etiam non consecratis symbolis deferre; respondebo difficile esse capere quid Divorum icones & reliquiæ consecrationis habeant, quæ ne institutæ quidem à Deo sunt. Goar vero respondet istam *ad summum esse præcipitatam quandam venerationem, & exuberans devotionis argumentum.* Denique qua nulla est apud Latinos certior veri demonstratio, eam huc affert, *summum Pontificem in Græcis Romæ degentibus, & dona sacra quolibet teste venerantibus hæc aut approbare aut tolerare*; Græcos vero qui hæc faciunt illam ἀρτολατρείαν, & εἰκονολατρείαν sibi *à contribuli suo Arcudio imputatam* omnes ad unum inficiari ac despuere. Sed nobis satis est Goaris, viri & Arcudio & Perronio & Ianseniano disputatore, accuratius ac fœlicius in Græcorum rebus tractandis ac pernoscendis, versati judicio atque auctoritate demonstrasse honorem illum, qui à Græcis præpropere sacris symbolis ante exhibetur, quam ea consecrata sint, latriæ esse expertem. Vnde omnes intelligunt, quam absurda, quamque inepta sit Ianseniani disputatoris ratiocinatio, ex eo quod idem ille honos ex Cabasila donis consecratis deferri debeat, argumentantis, qui honos consecratis symbolis à Græcis exhibetur, cum revera esse latriæ cultum.

CAPVT XII.

Solvitur Latinorum pro sua adoratione Argumentum XXII. à recentiori scriptore ex nuper vulgato ignoti auctoris Græci commentario de Luca æque ignoti Anachoreta vita & rebus ductum.

HÆc hactenus Perronius; Disputator vero Iansenianus *y*, præter Theoctistes factum, & Cabasilæ testimonium, quæ & ipse post

Perronium

Perronium in hanc causam induxit, ignoti quoque scriptoris de Luca quodam Anachoreta juniore, adeo hactenus obscuro, ut vel ejus nomen Baronius, Annalista tantus ignoraverit, narrationem huc affert. y Tradit z Franciscus Combefix, Monachus Dominicanus, vir sane doctus, sed apocryphorum & μυθώδων paulo avidior, se Lucæ istius Acta habere, *sed prolixiora* (inquit) *quam ut commodum videatur integra exscribere & dare.* Itaque multis recisis, excerpta tantum edidit, quæ maxime utilia judicavit. Omnia testimonium haud sane multum commendant, testis innominatus, is de quo scribit, etiam summo Latinorum Annalistæ ignotus, utriusque tempora obscurissima, de quibus per ambages hariolandum potius & divinandum, quam certi aliquid definiendum est, editor Monachus, & quidem vitæ Basilianæ, Amphylochio inscriptæ, & aliorum ejusdem furfuris patronus ac laudator, opus denique ipsum, neque cuiquam ante hos retro quinque & viginti annos visum, neque integrum, sed ab editore pro suo judicio breviatum. Qui disputator illustrissimorum auctorum, Origenis, Eusebij, Tertulliani, Cypriani, Augustini, Theodoreti, Gelasij Pontificis Romani, & aliorum vel ejusdem vel non admodum disparis census certissimas voces, siquando à nostris contra Latinam transsubstantiationem, vel sacramenti latriam adferuntur, vix audire sustinet, obscuras esse dictitans, & ex ignotis angulis latebrisque eductas; quanto quæso cum fastidio rejecturus erat, si quod hujus sui Lucæ simile testimonium in rem nostram ederemus? quantis cum sibilis & cachinnis nos nostrumque testem explosurus erat? Sed videamus tamen, quid ille tam sero exortus Lucas præsidij Latinis afferat. Is quemdam Corinthi æque ignotum Episcopum, non quidem invisit consulturus (quod adversarius credidisse videtur) sed se invisentem ea accepta occasione consuluit, qua ratione sibi montes ac solitudines colenti tremenda mysteria absente sacerdote percipienda sint; Cui Episcopus ita respondisse dicitur; a *Si sacerdos necessaria omnino ratione absit, imponendum sacra mensa præsanctificatorum vasculum; siquidem est oratorium; sin autem cella, scamnum mundissimum. Tum explicans velum minus propones in eo sacras particulas, accensoque thymiamate, Typicorum psalmos, aut hymnum ter Sanctus cantabis cum symbolo fidei; trinaque genuum flexione facta, manus quidem contrahes, ore autem sacrum pretiosi Christi ac Dei nostri corpus sumes, dicendo Amen.* Græca quoque ipsa subjicienda sunt; ἐκείνου δὲ κατὰ πᾶσαν ἀνάγκην ἀπόντος, ἐπὶ τῆς ἁγίας τραπέζης τιθέναι τῶν προηγιασμένων τὸ σκεῦος, ἐὰν εὐκτήριον ᾖ. εἰ δὲ κέλλιον, ἐπὶ σκάμνου τοῦ καθαρωτάτου. εἶτα καλυμμάτιον ἐφαπλώσας, ἐν αὐτῷ προθήσεις τὰς ἁγίας μερίδας καὶ θυμίαμα καύσας, τοὺς τῶν τυπικῶν ψαλμοὺς, ἢ τὸ τρισάγιον ἐπάσεις, μετὰ τοῦ συμβόλου τῆς πίστεως. καὶ τρὶς τὸ γόνυ κλίνας. τὰς μὲν χεῖρας συστελεῖς. μεθέξεις δὲ στόματι τοῦ τιμίου σώματος Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, λέγων τὸ Ἀμήν. In his ego quædam ab antiquissima Christianismi simplicitate aliena video; ut illam morosam cellæ ab oratorio, mensæ à scamno distinctionem, veli expansionem, thymiama, genuum

CAP. XII.

y Perpet. de la Foy de l'Euch. P. 2. c. 5. p. 260.

z Combefix. Not. ult. in Vit. Theod. Stud. p. 970. T. 2. Auctar. Bibl. PP. Gr. Lat.

a Luc. jun. Vita. p. 985. 986. C. D.

Cap. XII. flexionem, & quidem trinam, omnia tribus primis seculis ignota & inaudita; illud etiam ab omnis Græciæ veteris more abhorrens, ut dona ore non manu sumantur, quod ex sequiorum Latinorum usu est; de adoratis ipsis donis nihil audio. Quod enim jubet Episcopus anachoretam *genu ter ante flectere, quam communicare*, cur de adorato pane sacro potius intelligamus, quam de adorato Christo ipso, cujus hoc totum mysterium est, nulla plane ratio est, si unam Latinorum de sua sacramenti latria πρόληψιν & praxin amoveris. Nam & nos ipsi Christum ante adoramus, quam ad sacram ejus mensam accedamus. Hoc vidit recentissimus ille disputator Iansenianus. Itaque ut rem conficeret, Perronij magistri in his sui solertiam imitatus, inserta auctoris verbis una de suo litterula, brevi, sed audaci facinore, *adorationem sacramenti* in hoc testimonium, in quo nulla erat, fœliciter, sed falso immisit. Quod enim simpliciter & absolute in Græcis legitur, τρὶς τὸ γόνυ κλίνας, *ter genu flexo*, in Latinis vero *trina genuum flexione adorans*, noster iste corrector Gallice sic reddidit; *b puis L' ADORANT en fléchissant trois fois les genoux*, id est, *deinde hoc adorans ter flexis genibus*. Littera illa *L*, qua una Latini interpretis versionem auctiorem de suo fecit, idem est Francis, quod *HOC* Latinis; *HOC* autem positum est pro eo, quod præcessit, *mysterij* sive *sacramenti* nomine. Itaque unius iste litterulæ adjectione, ex Clementis 8. disciplina, & Perronij praxi, callidissime effecit, ut sacramenti adoratio, quæ in ipso auctore nulla est, in sua interpretatione diserta esset. Artem hominis, industriam, solertiam, ingenium, Latini per me licet laudent, ac si libet admirentur; Nos, quibus simplex veritas placet, totum hoc artificium non alio quam fraudis, & imposturæ, vero nomine censere possumus. Hoc unum ad hunc locum addere libet tres illas Lucæ à Corinthio Antistite præceptas γονυκλισίας, *genuflexiones*, totidem esse videri προσκυνήματα ex eorū genere, quæ supra *c* ex Goare, sunt à nobis explicata, Græcis non modo in Dei cultu, sed etiam in Divorum, & sacrarum imaginum, & ipsorum etiam Antistitum honoribus familiaria; προσκύνημα enim definiente Goare, *d est corporis incurvatio profunda Deo vel imagini sacræ exhibita, quam corpore erecto sequuntur aliquot crucis signa cum brevi prece.* Ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis.* Hæc sunt quæ Lucas ter facere ac dicere communicaturus jubetur, quæ, cum illa, qua totus ritus concluditur, precatio ad Deum dirigi ostendat, perperam ut omnes vident, ea novus disputator ad Eucharistiæ sumendæ latriam traduxit. Nuper sane ex Cabasila & Symeone Thessalonicensi audivimus *sacerdotibus omnes fideles accidisse sive procubuisse supplices, eorum precibus juvari exposcentes*, quod aliquanto majus est apud Græcos, quam προσκύνημα & γονυκλισία simplex; idque ipsum esse videtur, quod illi vulgo vocant μετάνοιαν βάλλειν; de quo supra *e* ex Goare diximus. Nemo tamen sacerdotibus latriæ cultum à Græcis deferri somniavit. Sed hæc de Iansenianı disputatoris objectionibus, adeoque de Latinorum pro

b Perpet. de la Foy de l'Euch. p. 261.

c Supr. L. 3. c. 11.

d Goar. in Euchol. Ord. sacr. minist. Not. 13. p. 29.

e Supr. L. 3. c. 11.

pro adoratione Eucharistiæ sua, ex antiquitate petitis testimoniis, satis sunt. Cap. XIII.

CAPUT XIII.

Transitur ad alteram disputationis partem, in qua demonstratur Eucharistiam non fuisse à veteribus Christianis adoratam. Id de Ecclesia quæ ad an. D. 300. fuit, alibi iam esse probatum; Sed neque sequentibus ad undecimum seculis cognitam fuisse illam sacramenti adorationem ostenditur variis argumentis; quorum hoc Primum inde ducitur, quod ea neque à Iuliano desertore, neque à cæteris Paganis toto illo tempore nostris obiecta vel exprobrata fuisse reperiatur; qui cætera Christianismi omnia speciem aliquam absurditatis habentia, cupidissime criminati sunt.

DEpulsis ac confutatis iis, quæ adversarij pro sua Eucharistiæ latria ex veterum monumentis objiciunt; superest, ut ea quæ contrariam sententiam, id est nostram confirmant, in medium afferamus. Nihil me necesse est hic ea repetere, quibus alibi * valide ni fallor ac perspicue demonstravi tribus primis Christianismi seculis ignotum fuisse illum Eucharistiæ latria adorandæ morem, qui & à Tridentinis diserte constitutus est, & ab his sexcentis retro annis apud omnes Latinorum Ecclesias obtinet; cujus demonstrationis veritas vel ex eo clarissime perspicitur, quod ne ipsi quidem celeberrimi adversarum partium Theologi Bellarminus ac Perronius ullum ex veris ac genuinis illius memoriæ libris pro illo suo ritu testimonium quod afferrent, habuerunt. Atque id quidem unum rem attente consideranti satis esse ad nostram hanc causam videri merito posset. Cum enim adversarij non modo confiteantur, sed etiam acriter contendant nihil apud suos majores in hac religionis parte à primis Christianismi seculis ad Berengariana certamina mutatum esse; qui demonstravimus Eucharistiam primis illis temporibus latria minime fuisse adoratam, profecto eadem opera simul semelque confecimus eam ne sequentibus quidem ita cultam fuisse; si stant quæ ipsi veluti certa de suorum majorum in retinenda primitivæ Ecclesiæ traditione constantia decernunt, præsertim cum vana & futilia esse proxime ostenderimus quæcumque ab iis contra afferuntur. Sed quanquam supervacaneus labor hic noster, causa jam ex iis quæ alias disputata sunt, profligata videri possit; tamen quia res est gravissima & præcipui in tota Christi Domini religione momenti, ad expugnandam omnem adversariorum pertinaciam, operæ pretium est sequentia Christianismi à tertio ad undecimum secula lustrare, & siquid in iis occurrat, quo sententiæ nostræ veritas luculentius confirmari possit, id observare, & quam vim habeat,

* L. 2. de cult. relig. obj. toto.

Cap. XIII. habeat, expendere. Quam autem in priori de tribus primis Ecclesiæ seculis disputatione rationem ac methodum secuti sumus, eandem hic in posterioribus tenebimus, ac inprimis ostendemus argumenta illa, quæ antiquissimos Christianos probant nullam Eucharistiæ latriam detulisse, eadem, certe plæraque id ipsum quoque de sequentium temporum ad an. D. 1000. Ecclesiæ, demonstrare.

Quale est inprimis id, quod in priori disputatione à Paganorum hac de re silentio duximus argumentum. Nimirum siqua fuisset apud nostros vel quarto seculo & sequentibus, Eucharistiæ adoratio, incredibile est Paganos, qui tum vel religionem Christianam oppugnabant, vel suam defendebant, non fuisse ejus rei in utroque loco aliquam mentionem injecturos; propter insignem utilitatem quam iis ille cultus præbere poterat cum ad nostra refutanda, tum ad sua tuenda. Hunc enim sacramenti cultum infideles non poterant aliud esse existimare, quam religiosam panis & vini, rerum in natura vilissimarum, adorationem; neque adeo dubitare, quin quæ ita à nostris coli, summisque ac vere divinis honoribus affici cernerent, ea ab illis pro numinibus, proque primi ordinis Diis haberentur. Iam vero Pagani, ut quis id ipsum adoret, quo vescitur, non modo absurdissimum, sed etiam incredibile esse sentiebant; (ut est sane si rem ex communi hominum sensu atque ratione æstimemus) atque id ex his apparet, quæ vel Ethnicorum pueri apud suum Ciceronem quotidie legebant, f *Ecquem* (inquit) *tam amentem esse putas, qui illud quo vescatur, Deum credat esse?* Id ipsum vero Bellarminus rotunde confitetur; *Vere* (inquit) g *stulti haberi possemus, si absque verbo Dei crederemus veram Christi carnem ore corporali manducari. Nam id semper infideles stultissimum paradoxum existimarunt; ut notum est de Averroë & de aliis.* Atqui neminem vidimus Paganum panis & vini adorationem nostris unquam ad undecimum seculum objectasse, quo publice à Latinis susceptum est transsubstantiationis dogma. Quarto seculo extitit insignis Christianismi obtrectator, atque hostis infensissimus Iulianus Augustus, & quidem Apostota, qui nostris sacris, quæ à puero didicerat, ac coluerat, perfide abjectis ac ejuratis Paganicam impietatem palam ac publice professus est, eamque rerum potitus ornare ac restituere, Christianam vero fidem delere omni nisu conatus est. Is cum litterarum & philosophiæ studiis ultra Principis modum apprime excultus esset, libros septem contra Christianos *in expeditione Parthica evomuit,* ut loquitur h Hieronymus, in quo se opere *de omnibus eorum dogmatibus verba facturum profitebatur*; idque ipsum præstitisse eo fateatur Cyrillus, quod scribit nihil plane apud nos fuisse, quod ejus dentem effugerit, sive *quod intactum & irreprehensum reliquerit*, ὅτι καθ' ἡμᾶς (inquit) ἀπαρά-ψεκτον παρ' αὐτῷ πεπλανᾶς, ὡς ἦν. Neque enim nostrorum quicquam ignorabat, *qui* ut testatur i Cyrillus l *in Ecclesia & in monasteriis fuerat enutritus, inter fideles baptisma,* adeoque & *Eucharistiam, assecutus, & in sacris libris erudixus.* Cum ergo & odio in Christianos acerrimo flagraret, & Eu-

f Cic. L. 2. de nat. Deor. p. 135.
g Bell. L. 1. de Euch. c. 12. §. Secundo ex illis verb.
h Hieron. ep 84. ad Magn.
i Iulian. apud Cyr. L. 2. p. 41. E.
k Cyrill. Alex L. 10. contr. Iulian. p. 326. B T 6.
l Cyr. Alex. L. 1. contr. Iul T 6. p. 3. e d.

& Eucharistiæ casus annos complures particeps fuerat, mysterium & siquid in eo singulare fuit, vel calumniæ obnoxium, probe sciret, ejus quam vere panem ac vere vinum esse sentiebat, latriam inprimis erat nostris objecturus & exprobraturus, si, qui nunc apud Latinos obtinet sacramenti cultus religiosus, is jam tum in Ecclesiæ usu fuisset. Præter summam ipsius rei apud homines solo sensu rationisque judicio utentes, absurditatem, ad hoc hominem provocabat suorum simulacrorum & cæterarum Paganismi cærimoniarum causa, & in solennes nostrorum in id genus reprehensiones & irrisiones. Quid enim vel ad suorum cultuum defensionem, vel ad nostrorum invidiam dici potuit appositius, atque opportunius, quam eos qui Paganorum vel in homines mortuos, vel in simulacra muta & animæ expertia religionem criminabantur, & pro intolerabili insania traducebant, ipsos panis frustula, & vini guttulas pro summo nomine supplices de geniculis quotidie adorare, & quæ statim in os indeque in ventriculum immissuri erant ea divinissimis uniusque principis Dei propriis honoribus afficere? Atqui hac de re Iulianus inter tam multa quæ in Christianismum furens passim jactat probra; nullum in totis septem libris verbum fecisse apud Cyrillum Alexandrinum legitur, qui ejus opus accuratissime refellens cætera omnia illius in nos dicta memorat, ac plærumque ipsas adversarij voces describit. Atqui ille Christi nobis adorationem non semel exprobrat, eumque à nobis præter Dei legem se unum coli præcipientis, adorari objicit; m *Si enim* (inquit) *neminem vult adorari* (Deus) *quamobrem Filium hunc adoratis, quemque ipse non sensit, aut existimavit unquam suum?* εἰ γὰρ οὐδένα θέλει προσκυνεῖσθαι, τοῦ χάριν τὸν υἱὸν τοῦτον προσκυνεῖτε, καὶ ὃν ἐκεῖνος ἴδιον οὔτε ἐνόμισεν, οὔτε ἡγήσατο πώποτε; iterum alibi nostros *dementissimos* fuisse coarguit n (sic enim de iis impius desertor loquitur) *qui æternis Diis relictis ad Iudæorum mortuum* (Iesum scilicet) *se contulerint.* εἰς τοῦτο ἦλθον ἠλίθιοι, ὥστε τοὺς αἰωνίους ἀφέντας θεοὺς ἐπὶ τὸν Ἰουδαίων μεταβῆναι νεκρόν. Est etiam ubi & Iesum, & multos præter eum alios, Martyras scilicet, à Christianis coli denotat, cum tolerabilius erraturos fuisse nostros dixisset si Iudæorum religioni plane adhæsissent, *Vnum enim* (inquit) o *pro multis Diis* (Deum scilicet) *coleretis, non hominem* (Christum scilicet) *imo multos potius infœlices homines* (Martyras nimirum dicit.) ἵνα γὰρ ἀντὶ πολλῶν θεῶν ἐσέβεσθε ἄν, οὐκ ἄνθρωπον, μᾶλλον δὲ πολλοὺς ἀνθρώπους δυστυχεῖς. Hæc & Iulianus scripserat & Cyrillus bona fide, ut erant scripta exhibet. Sed neque hanc Apostata criminationem in aliis quæ nunc etiam supersunt, operibus omiserat. *Christum* (inquit, ad nostros Antiochenos verba faciens p) *amatis, & quasi numen tutelare colitis, pro Iove & Daphnæo, & Calliope.* Χριστὸν δὲ ἀγαπῶντες ἔχετε πολιοῦχον ἀντὶ τοῦ Διὸς καὶ τοῦ Δαφναίου καὶ Καλλιόπης. Sic & Alexandrinos increpat, q quod Sole & Luna dimissis, & cæteris cœli sideribus, quos Deos ἐμφανεῖς *illustre* sive *conspicuos* vocat, Iesum colerent; *Ac istorum quidem*

CAP. XIII.

m Ibid. L. 5. p. 159. e.

n Ibid. L. 6. p. 194. D.

o Ibid. p. 100. e.

p Iul. Misopog. p. 49.

q Id. ep. 51. ad 12.

Cap. XIII. (inquit) *Deorum nullum adorare audetis; quem vero neq; vos, neque Patres vestri viderunt Iesum Deum esse VERBUM creditis oportere.* καὶ τούτων μὲν θεῶν οὐδένα προσκυνεῖν τολμᾶτε ὃν δὲ οὔτε ὑμεῖς, οὔτε οἱ πατέρες ὑμῶν ἑωράκασιν, Ἰησοῦν οἴεσθε χρῆναι θεὸν ΛΟΓΟΝ ὑπάρχειν. Hæc ille. Atqui multo & per se invidiosius & ad causam quam iste agit, aptius erat & speciosius panis & vini quam Christi adorationem nostris objicere. Christum enim virum fuisse ratione præditum, & quidem eximie pium, ac bonum & fœlicem, & numinis amicum, negare non poterat, nisi & Porphyrium, r & suos ipsius Deos mentitos esse defenderet, qui hæc & alia perhonorificè de eo affirmaverunt. Panem vero & vinum res esse & inanimes, & exigui pretij, & ab omni non modo divina, sed etiam humana excellentia longissime remotas, non suos modo omnes confitentes, sed etiam ipsam rerum naturam suis hac in parte consentientem habebat. Hæc ergo si à Christianis adorari scivisset, eorum profecto tanto potius ac crebrius quam Christi cultum dixisset ac exprobrasset, quanto illa quam hunc coli indignius ac turpius esse putabat. Atqui plane aliter res habet. Christi enim adorationem sæpe ac passim; panis & vini ne semel quidem nostris objicit. Nimirum Christum à nostris religiosissime adorari certo sciebat; panem & vinum adorari nesciebat; Nescivisse, Iulianum, quod apud nostros in quotidianis religionis cultibus solenne esset atque usitatum, nemo nisi insigniter vel stultus vel improbus dixerit. Ergo confitendum est nondum apud illius memoriæ Christianos in usu solenni fuisse ut Eucharistia adoraretur. De cæteris, quæ non pauca in Christianismo criminabantur, idem judicandum est. Omnia arguunt nondum ejus ævo notam nostris fuisse panis ac vini sacri adorationem. Verbi gratia, nostros infœlicissimos, cæterorumque mortalium vel odio, vel certe commiseratione dignos ideo fuisse judicat, quod Martis quidem ancile διοπετὲς cœlo (ut ille delirans fabulatur s) delapsum adorare nollent; *crucis vero lignum adorarent, eius signa in fronte formantes, & vestibulis ædium insculpentes.* τὸ τοῦ σταυροῦ προσκυνεῖτε ξύλον, εἰκόνας αὐτοῦ σκιαγραφοῦντες ἐν τῷ μετώπῳ, καὶ πρὸ τῶν οἰκημάτων ἐγγράφοντες. Atqui neque rectum verumque est, quod hic *crucis lignum* eo à nostris adoratum fuisse argumentatur, quod ejus signum & manu in fronte effingerent, & vestibulis ædium insculperent; Hæc enim tum à Christianis fiebant, non ut crucis signa adorarent, sed ut salutarem Domini crucem, quæ nos (ut ait t Cyrillus) *ad omnis virtutis recordationem adducit*, ejusque memoriam his sibi signis ad animum assidue revocarent, atque hac se cogitatione de vita recte sanctéque & ad Christi humilitatem ac caritatem instituenda admonerent. Sed neque hæc signorum crucis adoratio quam iste falso & per calumniam sciens ac prudens nostris impingit, etiamsi vere iis objecta fuisset, *panis & vini adorationi* æquiparanda erat, si ea quidem vere apud nostros obtinuisset, ut nunc apud Latinos. Latini enim Eucharistiæ per se latriam deberi; cruci, plærique non latriam, sed duliam; & qui latriam, eam non

r Vide hæc de Iesu testimonia apud Euseb. L. 3. Demonstrat. p. 87. gr. ed. c. 6. p. 274. Lat. ed.

s Iul. apud Cyr. L. 6. p. 194. C.

t Ibid. p. 90. D. & 96. D.

non per se, sed propter alius deberi putant; omnes certe quicquid cruci CAP. XIII.
cultus impenditur, id ad relativi & σχετικοῦ cultus genus pertinere consentiunt. Ergo ex his patet panis multo verius ac potius, quam ligni crucis adorationem debuisse nostris à Iuliano objici, si illam quidem apud eos solennem esse scivisset. Ille vero nostris crucis quidem lignum adoratum objectat; de pane adorato tacet. Ergo tum apud nostros aliquid fuit quod aliquam tametsi falsam haberet adoratæ crucis speciem; nihil fuit quo adoratam ab iis fuisse Eucharistiam, non dico vere, sed vel probabiliter & cum aliqua veri similitudine argumentari posses. Sed neque eum cultum omisit Iulianus, quem Martyribus Chrystiani deferebant. Locum paulo ante recitavimus, in quo præter Christum *multos ab iis cultos fuisse* dicit *u infœlices homines*; Martyres nostros eo nomine significat summo mentis errore *infœlices* putans, qui sunt beatissimi. Eadem ei mens est, cum alibi Christianos compellans; *x Vos* (inquit) *multos prisco illi mortuo* (Iesum dicit) *novos mortuos superinduxistis*; idque factum ait præter primam disciplinam, novo recentiorum *invento*, πολλοὺς ἐπεισηγάγετε τῷ πάλαι νεκρῷ τοὺς προσφάτους νεκρούς. Eosdem in alio opere intelligit, *y* quos *à Diis ad mortuos & reliquias conversos* dicit, id est ad eum religionis cultum, quem ipse suis Diis deferendum putabat, ad Martyras & eorum reliquias transtulisse. τοὺς ἀπὸ θεῶν ἐπὶ τοὺς νεκροὺς καὶ τὰ λείψανα μεταπετραμμένους. Neque id omisit *z* Eunapius sophista, ejusdem cum Iuliano sectæ, cum inter cætera probra; quibus nostros aspergit; *Quos* (inquit) *publicum magistratus tribunal supplicio affecerat isti Deos designarunt, & iis supplices advolvuntur.* θεοὺς ἀπέδειξαν, καὶ προσκυλινδοῦνται. Sic etiam Maximus Madaurensis indignatur *a* Iovi, Iunoni & aliis Ethnicorum Diis prælatos esse à Christianis Martyras barbaricis nominibus, ac ut videtur Punicis appellatos; quos ut Eunapius iste quoque mentitur *conscientia nefandorum facinorum, specie gloriosæ mortis scelera sua sceleribus cumulantes, dignum moribus factisque suis exitum maculatos reperisse. Horum* (inquit) *busta si memorari dignū est, reiectis templis neglectis maiorum suorum manibus, stulti frequentant.* Sed & reliquiarum cultum, quem Iulianus obiter tetigit, Eunapius quoque nostris exprobrat; *Ossa* (inquit) *& capita noxiorum hominum colligunt: seque meliores putant si ad eorum sepulcra polluantur.* ὀστέα καὶ κεφαλὰς τῶν ἐπὶ πολλοῖς ἁμαρτήμασιν ἑαλωκότων συναλίζοντες. Iulianus, quam in loco nuper adducto uno verbo significarat Martyrum adorationem fusius mox ibidem clarius disertiusque edisserit, reliquiarum cultum nominatim nostris & probrans; *b Sepulcris* (inquit) *& monumentis implestis omnia, licet apud vos nusquam dictum sit, ut sepulcris quis advolvatur, vel ea colat.* πάντα ἐπληρώσατε τάφων καὶ μνημάτων, καίτοι οὐκ εἴρηται παρ' ὑμῖν οὐδαμοῦ τοῖς τάφοις προσκυλινδεῖσθαι καὶ θεραπεύειν αὐτούς. Quin & huic cultui objicit Christi apud Matthæum verba, *c sepulcrum plenum esse omni immunditia; Si ergo* (inquit) *sepulcra Iesus, immunditia plena esse dixit, quomodo vos super iis*

u Ibid. L. 6. 194. D.

x Ibid. L. 6. p. 335. B.

y Iul. ep. 52. ad Bostr. p. 216.

z Eunap. in vita Ædesii.

a Max. Mad. ep. ad Aug. quæ est 43. inter Epist. Aug. p. 58. D.

b Iul. apud Cyr. L. 10. contr. Iul. p. 335. b. c.

c Matth. 23. 27.

Cap.XIII. *Deum invocatis?* εἰ τούτων ἀκαθαρσίας Ἰησοῦς ἔφη εἶναι πλήρεις τοὺς τάφους πῶς ὑμεῖς ἐπ' αὐτῶν ἐπικαλεῖσθε τὸν θεόν; Qui hos Christianis cultus exprobrat, quanto magis panis & vini sacri adorationem erat objecturus, si ea tunc temporis apud eos solennis erat & quotidiana? Martyras enim nostri divinis à se honoribus affici, sive adorari, quod Iulianus ait, strenue negabant; *Sanctos porro Martyres* (inquit d Cyrillus) *neque Deos esse dicimus* (quòd impudenter calumniatur Eunapius) *neque adorare* * *consuevimus, sed eos summis potius honoribus coronamus, quippe qui fortiter ac generose pro veritate certarunt.* τούς γε μὴν ἁγίους μάρτυρας, οὔτε θεοὺς εἶναί φαμεν, οὔτε προσκυνεῖν εἰθίσμεθα. στεφανοῦμεν δὲ μᾶλλον ταῖς ἀνωτάτω τιμαῖς, ὡς τῆς ἀληθείας γενναίως ὑπεραθλήσαντας. Sed & cum reliquiarum cultum nostri, quem iis Ethnici imputabant, pariter quoque inficiabantur; & quicquid iis honoris à suis impendebatur id ad sepultorum laudem ac memoriam pertinere, neque ultra tendendum docebant, ut ex iis constat, quæ ad hanc Iuliani criminationem fuse respondet Cyrillus; e in quibus illud eximium est, quod disputationem concludens, scribit; f *Divinitus inspirata Scriptura nos docet crucem & natura secundum veritatem* **Deum**; *alium vero præter ipsum, plane neminem adorare soliti sumus.* μάλιστα μὲν οὖν ἕνα τε καὶ φύσει καὶ κατ' ἀλήθειαν ὄντα θεὸν ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διηγόρευσε γραφή. ἕτερον δὲ πλὴν αὐτὸν παντελῶς οὐδένα προσκυνεῖν εἰθίσμεθα. Eucharistiæ vero adorationem (si tamen eadem veteres cum hodiernis Latinis ea de re sensisse finxeris) adeo non erant inficiaturi Christiani, ut eam etiam liquido fuerint explanaturi, ac professuri se sanctissimo illi sacramento, non humanum aliquem honorem deferre, sed (quod Tridentini promulgarunt g) *ipsum illum latria cultum* indubitato in veneratione exhibendum censere ac definire *qui vero Deo debetur.* Si hæc erat veteris Ecclesiæ hac de re fides & praxis, vel stupidum vel prævaricatorem fuisse Iulianum necesse est, qui hanc causam tanto cum apparatu, studio ac conatu agens, illa de Sanctorum, ac reliquiarum cultu dubia ac controversa, neque apud adversarios confessa, hic & illic passim eadem ad fastidium inculcans, objicit; Eucharistiæ liquidam, indubitatam; ac minime controversam adorationem adversariis ne semel quidem totis septem libris objecisse cernitur. Illum vero impium, ac perfidum etiam supra vulgarem modum fuisse confitemur; stupidum aut in hac causa prævaricatorem fuisse, nemo nisi ad prodigium imperitus, omnisque illius historiæ ignarus dixerit. Quid ergo est, cur homo singulari quidem in nostros odio, ardens, sed tamen neque ingenij, neque eruditionis expers totum hunc adeo insignem, adeo ad eam quam agit causam opportunum, utilem, atque necessarium locum de Eucharistiæ adoratione nusquam in longissima disputatione tractarit, explicarit, objectarit? Quid est, quod ne uno quidem verbo rem adversariis invidiosissimam attigerit, aut perstrinxerit? Ego vero nullam aliā tam stupendæ tamque incredibilis reticentiæ rationem

video

d Cyrill. ibid. L. 6. p. 203.D.

* Glossam è margine in textum perperam insultam omisimus, quæ & in Oecolampad. interpretatione deest.

e Cyr. L. 10. p. 335. d. e.

f Ibid. p. 338. D.

g Conc. Trid. Sess. 13. cap. 5.

video, nisi hanc unam; Eucharistiæ nimirum adorationem Iulianus Christianis nullam objicit, quia quæ nondum apud eos ulla erat, sed multis postmodum seculis exorta est, nullam scire potuit. Atque hoc unum nondum adoratæ quarto seculo à nostris Eucharistiæ argumentum, tam clarum mihi esse videtur, ut etiamsi alia omnia nobis deessent, unum ad rem definiendam apud æquos quidem, neque ullo vel studio vel odio corruptos judices, satis futurum putem. CAP. XIII.

Eadem quinto seculo adulto Christianis de reliquiarum cultu à Paganis objecta fuisse patet ex Theodoreto, qui eos ita convenit; *h Deridetis* (inquit) *& ludibrio habetis honorem qui his* (Sanctis & Martyribus) *passim ab omnibus defertur, & abominandum scelus ducitis ad mortuorum busta propius accedere,* ἀλλὰ γελᾶτε καὶ κωμῳδεῖτε τὸ τούτοις παρὰ πάντων προσφερόμενον γέρας, καὶ μύσος ὑπολαμβάνετε τὸ πελάζειν τοῖς τάφοις. Idem Ethnicos ad purgandum religiosum plurium apud se solennem cultum, nostrorum in Angelos honorem in medium attulisse testis est; *i Etiam vos* (inquiebant) *invisibiles quasdam potestates esse dicitis, quas & Angelos & Archangelos nominatis & appellatis, & Principatus ac potestates & Dominationes & Thronos, aliasque insuper Hebraicis nominibus Cherubim ac Seraphim vocari didicistis. Cur itaque adversum nos indignamini, si post Deum illum qui semper est, quique eodem modo semper se habet, secundarios quosdam Deos, eoque multo inferiores opinamur esse, & veneratione prosequimur?* ἀνθ' ὅτου τοίνυν νεμεσᾶτε μετὰ τὸν ἀεὶ ὄντα, καὶ ὡσαύτως καὶ κατὰ τὰ αὐτὰ ἔχοντα, δευτέρους τινὰς θεοὺς, καὶ κομιδῇ γε ἐκείνου ἀποδέοντας νομίζουσί τι καὶ γεραίρουσι. Augustinus de iisdem eadem quoque ante Theodoretum tradiderat; *k Respondent* (inquit) *Non colimus mala dæmonia; Angelos, quos* DICITIS, *ipsos & nos colimus, virtutes Dei magni & ministeria Dei magni.* Ac illi quidem suum plurium cultum non sine aliqua veri specie defendebant; quanquam neque hac in parte plane pares essent nostrorum in Angelos honores cum Gentilium in Divos religionibus. Neque enim illi Angelis, ut hi Divis (quod ipsum affert *l* hic Theodoretus) *Deorum* nomen tribuebant, vel religiosum proprie cultum exhibebant. οὐ μὲν θεοὺς (inquit) τούτους ὀνομάζομεν, οὐδὲ θεῖον αὐτοῖς ἀπονέμομεν γέρας, οὐδὲ μερίζομεν εἰς τὸν ὄντα θεὸν καὶ τούτους τὴν θείαν προσκύνησιν. *Hos tamen Deos non appellamus, nec divinum illis cultum tribuimus, neque divinam adorationem in eum qui Deus est, & istos partimur*; quod & in Sermone octavo non semel docet. *m* Quod vero Christianos subsannarent, ob mortuorum & reliquiarum honores, in eo etiam ipsa rationis vel umbra carebant; qui scilicet & ipsi mortuos, eorumque tumulos adorabant; quod fuse ostendit *n* ad hanc eorum criminationem Theodoretus; unde merito rem concludens ita eos arguit; *o Quid vos igitur, qui tot numero mortuos homines Deo appellastis, nobis succensetis, qui Martyres non Deos facimus, sed honoramus tanquam Dei testes, servosque amantissimos? Cur inquinari pollulique, eum censetis, qui ad defunctorum loculos accedat? sunt enim ista amentia atque ignorantia summa,*

h Theodoret. serm. 8. de Martyr. T. 4 p. 594. A.

i Id. Serm 3. de Angelis &c. ibid. p. 522. A.

k Aug. in Psal. 6. p. 445. col. 1. D.

l Ibid. B.

m Id. serm. 8. p. 597. D. 599. C.

n Ibid. p. 594. 595. 596.

o Ibid. p. 597. D. 598.

Cap.XIII. idque eo probat, quod ipsorum Paganorum templa mortuorum sepulcra essent, Cecropis, Acrisij, Cleomachi, Lycophronis, Telmesij vatis. Hinc videre est inepte à Paganis hoc utrumque nostris objectum fuisse. Quanto illi rectius & invidiosius, & ad rem suam utilius panis & vini cultum objecturi erant si is jam tum apud nostros fuisset, ut nunc est, apud Latinos, solennis & quotidianus? Nam hic neque à divino distinguitur, sed is ipse est, qui Deo debetur, neque apud Gentiles in usu erat, ut cum Paganis liceret & ad purgandam suam in plures religionem probabiliter afferre, & secure irridere, apud quos scilicet nulla erat quæ in eos repercuti posset, panis & vini alicujus sacri adoratio? Bacchum illi quidem & Cererem adorabant, *vinum* ipsum & *panem* adorasse inauditum; & in Mithræ sacris adhibitum fuisse panem legimus, p adoratum non legimus. Atque quos, quod erat & ad sui in plures cultus purgationem, & ad nostrorum irrisionem ineptius, objecisse ex Theodoreto discimus Angelorum scilicet honorem, & sepulcrorum ac reliquiarum venerationem, & alia; eos, quod longe erat ad utramque illam causam appositius atque aptius, Eucharistiæ nimirum adorationem, in suis adversum nos disputationibus attulisse, neque hic Theodoretus, neque alibi quisquam ejusdem ævi scriptor tradidit. Vnde hic tantus virorum minime stultorum in deligendis argumentis stupor? Illi vero non mentis aut ingenij culpa peccarunt, sed argumenti penuria. Martyrum & reliquiarum honore, quem apud adversarios videbant, in rem suam abusi sunt; de Eucharistiæ adoratione non fuerunt illis molesti, quæ nondum scilicet inventa, nulla apud nostros erat. Eandem fuisse & seculis temporibus eorum, quæ Pagani in nostris denotabant rationem, ex illius memoriæ libris patet. Imaginum enim cultum, cum is postea in Christianismum irrepsisset, haud segniter ad purgandum idololatriæ suæ crimen arripuerunt. Ita apud Ioannem Thessalonicensem Episcopum in loco à septimæ Synodi Patribus laudato, *Græcus*, id est *Gentilis*, disputans inducitur; q *Vos ergo in Ecclesiis imagines non pingitis Sanctis vestris? & adoratis illas? & non solum Sanctis, sed ipsi Deo vestro? Sic ergo æstima & nos simulacra circumfoventes, non ea adorare, sed incorporales virtutes, quæ per illa placantur.* ὑμεῖς οὖν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις εἰκόνας οὐ γράφετε τοῖς ἁγίοις ὑμῶν; καὶ οὐ μόνον τοῖς ἁγίοις ἀλλὰ καὶ αὐτῷ τῷ θεῷ ὑμῶν; οὕτως οὖν νόμιζε καὶ ἡμᾶς τὰ βρέτη περιθάλποντας οὐκ αὐτὰ προσκυνεῖν, ἀλλὰ τὰς δι' αὐτῶν θεραπευομένας ἀσωμάτους δυνάμεις. Quin & Iudæos hoc argumento usos esse contra adorationem quam nostri illis temporibus cruci deferebant testis est Athanasius, qui Quæstiones ad Antiochum diu post Alexandrinum illum magnum Athanasium scripsit; r *Si crux à fidelibus quod nostri asserebant, propter Christum qui in ea pependit adorari debet; ergo debere & a nobis asinos salutari, quandoquidem etiam asino Christus insedit*, ἐπειδὴ καὶ εἰς ὄνον ὁ χριστὸς ἐπεκάθισεν, ὀφείλομεν λοιπὸν καὶ τοὺς ὄνους ἀσπάζεσθαι. *Hoc enim* (inquit auctor) *nobis objiciunt Iudæorum, Græcorumque filij.* τοῦτο γὰρ ποιεῖ; ἡμᾶς λέγουσιν οἱ ἰουδαίων καὶ ἑλλήνων παῖδες.

p Tertull. de Præscr. c 40. p 247. A.

q Syn. 7. Act. 5 T. Conc. p. 700. E.

r Athan. T. 2. p. 1346. D. Quæst. ad Ant. 40.

CAPVT

CAPUT XIV.

II. contra adorationem Eucharistiæ Argumentum, superioris geminum, inde petitum, quod neque Iudæi eam olim Christianis veteribus objectarunt; licet ij non secus quam Pagani, objicere nostris solerent, quæcumque aliquam absurditatis speciem in Christianismo habere viderentur.

NAm Iudæos quod iste ait, acerrimos Christianismi hostes, & hæc & alia siqua iis apud nostros dura, & vel à communi rationis luce, vel à veterum Scripturarum auctoritate aliena esse viderentur, studiose collegisse, & objectasse, nihil est quod dubitemus. Præter hunc Pseudonymum Athanasium id confirmat Leontius, Cyprius Episcopus, qui libro quinto sui contra Iudæos operis objectam sibi pro magno crimine à Iudæo, quem secum colloqui facit, imaginum adorationem prolixo & quidem satis longe arcessito sermone dissolvit; *s* quem videat, qui volet, in ejusdem Synodi septimæ Actis. Hunc autem Leontium cujusdam in Cypro Ecclesiæ Episcopum fuisse, & sub Mauricio Augusto floruisse testatur ibidem Constantinus Constantiensis in eadem insula Episcopus, unus ex Patribus Synodi VII. In eadem quoque Synodo disputatio quædam Iudæi & Christiani laudatur; in qua Iudæus sic interfatur; *t Credidi ad omnia, & credo crucifixo Iesu Christo, quia est Filius Dei vivi. Scandalizor autem in vos Christiani, quia imagines adoratis. Scriptura quippe ubique præcipit non facere quemquam sculptile, vel omnem similitudinem.* ἐπίστευσα εἰς πάντα, καὶ πιστεύω τῷ ἐσταυρωμένῳ Ἰησοῦ χριστῷ. ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος. σκανδαλίζομαι δὲ εἰς ὑμᾶς ὦ χριστιανοὶ, ὅτι τὰς εἰκόνας προσκυνεῖτε. ἡ γραφὴ γὰρ πάντως παραγγέλλει μὴ ποιεῖν ἑαυτοῖς γλυπτὸν ἢ πᾶν ὁμοίωμα. Anastasius Abbas S. Euthymij in Palæstina, quem circa an. D. 749. vixisse ferunt, hanc unam fuisse ex Iudaïcis adversum nos objectionibus scribit, *u ut quærerent cur cum Deus præceperit non adorare ligna, aut lapides, aut denique opera hominum, ipsi colamus & adoremus cruces & imagines.* Sed quid opus est exoticos testes asciscere, ut sciamus quid olim Iudæi in cultibus Christianorum oderint ac reprehenderint? Extat vernaculus eorum liber, de disputatione à nescio quo Iudæo perdocto cum Cosri Rege quodam habita ante annos viginti & nongentos, id est circa an. D. 746. *x* in qua ipsos eadem illa in Christianismo criminantes videre est, quæ nostris à Leontio dicuntur olim objecisse. Nam in quarta operis parte, Iudæus interlocutor fatetur *y* homines alterius à sua sectæ intentionem quidem suam direxisse ad Deum; sed *retinere ritus cultuum antiquorum* (Paganicos autem dicit) *diesque festos & solennitates illorum, nihilque nisi figuras mutasse, quæ erant illic; has abolevisse; non etiam fidem & religionem earum; ut parum* (inquit) *absit, quin dicam Deum eo, quod dixit,*

s Syn. 7. Act. 4. p. 631. E. T. 5. Conc. Ibid. p. 638. E.

t Ibid. Act. 5. p. 702. B.

u Anast. L. adv. Iud. in Bibl. PP. T. 4. Part. 2. p. 1079. A.

x Vid. Buxt. in Cosr. P. 1. §. 47. p. 23.

y Cosri Part. 4. §. 11. p. 284.

Et

CAP. XIV. *Et servietis illic Diis alienis ligno & lapidi Deut. 4 28. & alibi sæpius repetitur, respexisse ad hos, qui exaltant lignum & lapidem.* Notat Buxtorfius z hæc *ultima* auctoris *verba in secunda editione expuncta fuisse, quia videntur in Christianos dicta.* Neque sane ad alios, quam ad hos pertinent; qui paulo ante seculum octavum vel etiam septimum præter dierum festorum & solennium jam antea receptam multitudinem, cœperant lapideas & ligneas cruces atque imagines in sacris locis erigere, Martyrum & Sanctorum formas referentes, non ut olim apud Paganos Deorum; quod mihi videntur significare illa Iudæi scriptoris, nostros dicentis *figuras* veterum duntaxat *mutasse*; non religiosos ritus, quibus in suis colendis numinibus usi erant Ethnici; ipsam quinetiam priscorum de Divorum officiis atque muneribus opinionem quam fidem vocat, pæne eadem apud Christianos mansisse. Iterum alibi de Christianis diserte ac nominatim verba faciens, dicit *a eos in Apostolis ac Apostolicis viris sibi benedicere, & loca tum nativitatis, aut habitationis, tum mortis eorum VENERARI & exstruere eis fana ac delubra nominibus eorum insignita & dicata* His autem verbis cum Latini suam & majorum in Martyres ac Sanctos, eorumque loca, tumulos ac reliquias cultum apertius denotari viderent, quam ut hæc alio torqueri possent, nomen הנוצרים *Nazariorum*, quo Iudæi Christianos significare solent, in secunda quoque editione deleverunt, ac pro eo *Persas* rescribi curarunt; eadem techna, qua ex suorum & cæterorum libris, ubi id in illos juris est ac potestatis, quæcumque displicent eradunt; Quibus artibus si in posterum grassari in libros pergant, ut his centum & quod excurrit annis factum est, brevi fiet, ut nulla rerum, quæ Romanis vel moribus vel dogmatis adversantur, memoria uspiam supersit.

z Buxtorf. ad loc.

a Ibid. §. 22. p. 198.

Cætera mitto quæ in Christianismo tam Pagani quam Iudæi criminabantur, ut Trinitatis fidem quam Iulianum diserte his verbis denotasse testatur Cyrillus; *Nos* (inquit) *b ab utrorumque opinione* (Græcorum & Iudæorum) *aberrasse putat, quod neque multos admittamus Deos, neque porro unum, secundum legem, sed tres tamen pro uno confiteamur;* ὃ ἐν ἀμφοῖν δόξης ἡμαρτηκέναι νομίζει τὰ καθ' ἡμᾶς, διά τοι τὸ μήτε θεοὺς προσίεσθαι πολλοὺς, μήτε μὴν ἕνα κατὰ τὸν νόμον, τρεῖς δὲ μὴν ἀνθ' ἑνὸς ὁμολογεῖν. Hoc inquam, mitto, & alia ejusdem generis sexcenta, quæ ob eam cum ratione repugnantiam quæ ipsis inesse videtur, absurda putabant; quod ea ad ipsum Christianismi dogma pertineant, non autem ad religionis cultum, de quo nunc disputamus. Hæc quæ hactenus atulimus à Paganis & Iudæis in religionis Christianæ cultu denotata satis sunt, ut intelligamus nihil ab iis ex nostris rebus prætermissum esse, quod vel in speciem rationi adversari videretur, vel etiam aliquam habere cum iis, quæ ipsi factitabant, affinitatem. Vnde porro id quod diximus, conficitur, neutros Eucharistiæ adorationem intactam fuisse dimissuros, si eam apud Ecclesiam solennis fuisset, ut nunc apud Latinos obtinet. Neque enim vel eorum quæ nostris ab iis objecta memoravimus, vel aliorum in

b Cyr. L. 9. contr. Iul. p. 314. A. B.

genere omnium, quæ in religionis negotio instituta apud homines fuisse accepimus, quicquam facile reperias, quod vel hujus ritus apparentem absurditatem exæquet, vel Paganis utilius esse potuerit ad suos cultus purgandos ac defendendos. Cætera quæ illi nobis objiciunt, cum ratione hominum pugnare videntur; hoc sensus, totamque eorum fidem funditus evertit. Huc accedit, quædam immanitas, ab omni non modo humanitate, sed etiam pietate in speciem aliena; ut quis Deum ipse suum voret, cum vel hostem glutire nemo nisi ex Cacibum genere sustineat, id est ut quod ames & venereris sanctissime, in hoc ipsum id committas, quod nemo nisi vel furens, vel belluinis moribus etiam in eos quos acerbissime odit, atque exsecratur, designare velit; quoque vel ipsæ Poetarum fabulæ nihil dirius, aut horribilius comminisci potuerunt. Iam neque in omni nostra religione quicquam est, quod Paganicis cultibus magis in speciem favere videatur, quam idem ille adorandæ Eucharistiæ ritus. Nostri Paganos exagitabant, quod simulacra muta, sensus expertia esse, & manu hominis facta pro Diis adorarent. Quo jure, si multo etiam viliores, & ab homine atque confectas panis & vini species ipsi adorabant? Quis non intelligit Ethnico paratum & in promptu apud ipsum adversarium fuisse quo sua propugnaret, si à nostris Eucharistia adorata fuit? Irridebant & nostri nescio quas simulacrorum per numinis in consecrata illabentis præsentiam ab Ethnicorum sapientibus excogitatas apotheoses. Atqui quas verbo refellebant, eas facto constituebant, si & ipsi Deum in pane & calice consecratis adorabant. Siquid ergo hujusmodi apud Christianos solenne fuisset, id profecto Pagani præ cæteris omnibus denotassent, objecissent, inculcassent, in ore pæne semper habuissent; quoties vel nostra lacessebant, vel sua defendebant. Non jam disputo vere-ne absurdus sit ille Eucharistiæ cultus, vere-ne aliquid habeat Paganorum rebus simile. Id unum, quod nemo sanus negaverit, assumo Paganis omnia ex sensu & ratione æstimantibus, & ex præceptis domi à puero de suis sacris, deque sua religione opinionibus, non potuisse hunc cultum non absurdissimum, & iis quæ sibi objiciebantur, non multo ditiorem & stultiorem videri. Itaque in suis de Christianismo, quem oderant & acerbissime persequebantur, sermonibus Iulianus, & cæteri ejusdem census adversarij, hunc locum vel unum, vel certe præ cæteris omnibus maxime & acerrime tractassent, in eo præcipue pedem fixissent, sive nostra oppugnanda, sive sua propugnanda essent. Atqui toto illo tempore quo Paganismus stetit, nihil hujusmodi factum ab ejus sectatoribus cernitur; ne uno quidem verbo injecta ab illis de Eucharistiæ cultu mentio in iis omnibus extat, quæ plurima contra sanctissimam Christi Domini disciplinam effudisse in priscis vel suis, vel nostris monumentis noscuntur. Quo accedit Iudæorum, etiam acriorem Evangelij hostium, par eadem de re silentium. CAP. XIV.

CAPUT XV.

Superiora duo argumenta inde illustrantur & confirmantur, quod post undecimum seculum Muhammedani, Iudæi, & Philosophi adorationem hostiæ Latinis obiectarunt, & obiectant etiam hodie; veluti rem absurdissimam; quo intelligimus veteres Paganos & Iudæos, quibus neque odium in Christianismum, neque in disputando solertia deerat, illum cultum Christianis obiecturos fuisse, si is iam tum apud illos obtinuisset.

SEd ut tota hæc demonstratio clarius elucescat, nunc observandum est, qualter iidem illi se gesserint, ubi secutis post explosam Berengarij fidem temporibus Eucharistiæ adoratio apud Latinos constituta, palamque suscepta, solennis apud eos in omnibus sacris esse cœpit. Nemo enim negat rem hoc loco apud Latinos undecimo seculo præcipiti fuisse, maxime autem duodecimo & tertio decimo, & sequentibus. Hic vero Ethnici illi fateor, qui nobis erant antea adversati, nulli supererant; jam pridem tota Europa extincto ac deleto veteri Græcorum & Romanorum Paganismo. Itaque de eo genere frustra quemquam his locis ac temporibus in orbe hoc nostro Occidentali quæsieris, quem roges, quid de sacri panis adoratione senserit. Sed neque tum deerant Christianismi hostes, priscis Paganis haudquaquam mitiores, Muhammedani, Philosophi, Iudæi; uno vocabulo homines infideles à Christi Evangelio & fide alieni. Hi ne ergo de Eucharistiæ adoratione tacent? Eamne indictam & intactam prætereunt, ubi docent quid in nostra religione reprehendant, vel cur ab ea abhorreant? Minime gentium. Quinimo de qua nemo veterum Paganorum vel unum verbum fecerat, hi omnes repente coorti, eam primo fere semper loco memorant; clamant nihil apud nos sibi videri intolerabilius, vel magis ab omni ratione alienum. Refert *c* doctissimus Hottingerus noster, Akmed Ben Edris Muhammedanum doctorem ante annos quingentos in Mauritania contra Christianos & Iudæos hactutum scripsisse, in quo ait *Christianos atrociores esse in Christum quam Iudæos. Hos enim Christum occisum reliquisse; hos carnem eius edere & sanguinem bibere, quod ipsa experientia teste affirmat esse truculentius.* Qui hæc de manducatione Eucharistiæ, quæ ejus adorationem sequitur, ita sensit; apparet eum & ipsam adorationem pro Domini ludibrio habuisse, haud ejus absimili, quo ipsi illi Christum positis genibus adorasse legantur, *d* qui eum mox erant crucifixuri. Eadem mens erat Averroïs excellentissimi quidem philosophiæ Peripateticæ interpretis, sed à Christi quoque fide alieni, & apud Muhammedanos educati, quem ex Epitome Vasci & aliis Arabum monumentis a. Hegiræ 595. mortuum esse

c Hotting. Apol. de Euch. Sect. 14 p. 220.

d Matt. 15. 29.

esse nos docet Eduardus Pocockius, *e* vir in litteris & rebus Arabicis apprimere versatus. Id autem tempus cum seculi à Christo nato duodecimi fine, vel 13. initiis concurrit, cum Romæ sederet Innocentius III. lateque apud Latinos transsubstantiationis dogma regnaret. Hic ergo Averroës si de Latinorum sacris eum interroges, respondet (quod ex Petro Scarga Iesuita à Perronio traditur, *f* & apud omnes vulgare est) se sectam *Christiana deteriorem aut ineptiorem nullam reperire; cujus sectatores suum quem colunt Deum, dentibus discerpunt, & devorant.* Hinc vides acutissimo illi viro nihil hac Eucharistiæ adoratione in tota Latinorum religione visum fuisse absurdius, & à recta ratione magis alienum. Neque obscurum est eadem hac de re cæteros quoque Muhammedanos sentire, quod vel vulgare apud Turcos ostendit in homines Christiani ritus convitium; quos quia omnes Eucharistiam perinde ac Latinos adorare putant, θεοφάγους *Dei voratores,* * sive *manducatores* διαπυρτικῶς ad contemptum appellitant; idque αὐτόπτης Boulagus in suæ per Orientem peregrinationis relatione tradidit. *g* Sed neque Iudæi aliter hunc Latinorum in Eucharistiam cultum, & dogma, quo utitur, exceperunt. Iosephus Albo, quem alij volunt an. D. 1425. floruisse; R. vero Gedalja an. D. 1390. mortuum esse tradit in Cabbalæ Schaschelet, id est Catena; is inquam Ioseph satis indicat, quid de hac Eucharistiæ adoratione sentiat, cum transsubstantiationem, qua illa nititur, multis ex ipsa rerum natura petitis argumentis refellit, & demonstrat *h Eucharistiam panem esse & vinum hujusmodi, quæ si in quantitate idonea sumantur, hominem iis vescentem nutritura sint, & in membrorum nutrimentum cessura, sic plane ut fieret, si quivis alius panis, & quodvis aliud vinum sumpta essent.* Hinc enim clarum est Rabbinum istum una cum suis recutitis, illam Eucharistiæ adorationem, quæ fit à Latinis, habere pro religioso veri proprieque dicti *panis ac vini* cultu; eam adeo censere in eo cultus genere quem ipsi vocant *avoda zara.* Sed nemo dubitat hanc illorum esse de hac re sententiam. Quod in Iudæorum libris sub Latinorum imperio excusis vel pauca, vel etiam fortasse nulla fere hodie extent hujus eorum sententiæ testimonia, id non est mirandum. Nam Romana Congregatio Cardinalium ad Librorum Indicem permissionem, & prohibitionem, expurgationem & impressionem *in universa Rep. Christiana deputatorum* cavet, vel per se in urbe, vel Inquisitorum, Episcoporum, & Monachorum in aliis civitatibus ac regnis opera & manu nequid Ebraïcorum voluminum in lucem exeat, quod non fuerit omnibus minimis, maximis, quæ Latinis displicent, diligenter purgatum, resectis vocabulis, commatis, capitibus, siqua Romanam vel fidem, vel praxin pulsare videntur; cujus rei duo nuper specimina à doctissimo & candidissimo Buxtorfio nostro in Cosri observata dedimus. Ac ne alios referamus hunc ipsum Iosephum Albo ab iisdem exsectoribus multo majores in suis illis novissimæ editionis Ikkarim plagas accepisse scimus, quam quas olim infans in cute à suo Mohele acceperat cum octavo die circumcideretur. Vera me dixisse fatebi-

e Pocock. Not. ad Greg. Abulfaraj. p. 385. num. 196.

f Petron. de Euch. L. 3. c. 29. p. 579.

* Mange Dieu

g La Boul. Voyag Part. 1. c. 10. p. 21.

h Ios. Alb. L. 3. Ikkarim c. 35. Latine edit. à Gilb. Genebr. Par. a. 1566. p. 18. 19.

Cap. XV. tur, quisquis Venetam an. D. 1618. operis Ikkarim in folio editionem cum superioribus, puta cum Bombergiana an. D. 1521. in quarto, vel an. D. 1597. sedulo comparaverit. Nam vt cætera mittam, hanc ipsam Iosephi contra Latinorum de transsubstantiatione dogma disputationem, quam citavi, in postrema illa editione capite libri tertij vicesimo quinto vnde eam citavi, totam desiderari perspiciet, inde Biblomastigum Romuleorum fraude sublatam & erasam, quæ ante centum fere annos in Bombergiana bona fide repræsentata erat, quamque ipse Genebrardus inde excerptam & Latine seorsum redditam annis ante hunc diem duobus supra centum Lutetiæ ediderat. Sed & nuper didici ipsum illum Iosephi Albo locum itidem totum haberi in tribus aliis eiusdem operis Editionibus, Veneta an. D. 1544. Ariminensi, an. 1522. Lublinensi an. 1597. Erupit tamen, sed Amstelodamo, i non Roma, auctor cujusdam Iudaicæ Responsionis ad quæstiones XXIII. ab aliquo vt verisimile est Christiano propositas; cum XLVI. quæstionibus Iudaicis, vicissim a Respondente repositis. Iudæus ille, quisquis est, in harum 42. & 43. quærit, k qui factum sit, *vt hostia, quam Christiani* (Latini scilicet) *pro ipsomet Deo ostentant, semel coram Pontifice, & alio rursus tempore coram Rege Hispaniæ attrectata sit & pedibus conculcata ab Anglo, quem tamen nulla in ipso facinore divina quidem vindicta oppresserit, cum Asam* l *constet statim exanimatum concidisse, cum arcam Dei, in qua solum posita erant legis tabulæ, simpliciter attrectasset, & quidem ex religiosa animi reverentia metuens ne caderet?* Quin & nequissimus ille Iudæus ita quærere ausus est; m *Si hostia* (inquit) *Deus est, cur situ obducta corrumpitur? cur a gliribus & muribus corroditur?* Denique cum hæc fidei Christianæ, quæ impossibilia putat, recensuisset; *Vnum & tres, Deum & hominem Virginem & puerperam,* illa quoque tria adjecit, *Panem & carnem, Vinum & sanguinem, vnum corpus in multis diversis locis vno eodemque temporis articulo.* Sed hæc ni fallor satis sunt. Iam vtrosque Christianismi adversarios inter se comparemus, veteres cum recentioribus, Paganos cum Muhammedanis. Iudæos antiquos cum suis posteris; illos qui ante vndecimum sæculum, cum his qui post id tempus vixerunt. Vtrorumque adversus nostros pugnas, tela, objectiones, consideremus. Multa vtrorumque in hoc certamine communia animadverto. Par vtrorumque in nostros odium; ingenium haud multum absimile, & siquid in hoc discriminis est, veteres præsertim Pagani, eruditione & eloquentia his recentioribus fidei nostræ hostibus superiores erant. Iisdem propemodum telis vtrique nostra repellunt. Christum veteres indignabantur cum Patre æque a nobis, tametsi vnius Dei fidem professis, coli. Hoc nemo nescit a Iudæorum nepotibus & a Muhammedanis nobis quoque invidiosissime ad hunc diem objectari. Veteres Martyrum & Apostolicorum virorum nimios & divinorum æmulos honores, ossa, tumulos, reliquias exprobrant. Eadem si Muhammedani parcius, Iudæorum certe nepotes haud segui-

i Amstel. an. 1662. Q. Iud. 42.

k Resp. Iud. ad 23. q. cum consider. Ioan. Corr.

l Odam Reg. 6. 7.

m Vb. supr. R. 46. p. 346.

segniter reprehendunt. Iam crucis, ab antiquioribus, & paulo post imaginum ab eorum successoribus adoratio partim irrisa à Iudæis; partim etiam à Paganis in nostros repercussa cernitur. Iuniores vix quicquam acerbius, frequentius, aut majori cum indignatione jaculantur. Iudæus quidem suos Fioghus nihil eos omnes dubitare testatur, [n] quin Latini, qui imaginibus cultum magno studio & defendunt & factitant, cultores sint *avoda zara*; quod quid sit, norunt qui Hebraice sciunt. Vnū hoc quod diximus, inter utrosq; discrimen est; quod qui ante undecimum seculum vixerūt veteres nuśquā nostris objectasse reperiuntur, quam sequentium post undecimum temporum vel unam, ut sæpe, vel certe inprimis ac præcipue in Christianis cædunt ac despuunt Eucharistiæ adorationem. Iuniores clamāt in Christum suos esse quam Iudæos multo crudeliores qui quem adorarunt, vocant & hoc vel uno Christianismum omni alia religione deteriorem esse arguunt; ideoq, nostri nominis homines θεοφάγους vocant. A veteribus sive Paganis, sive Iudæis nihil unquam hujusmodi objectum nostris fuisse reperimus. Ἀνθρωποφαγίαν vetustissimos exprobrasse aliquando legimus, de θεοφαγίᾳ nullum uspiam verbum factum audivimus. Atqui dirius est Deum quam hominem glutire; Ac ἀνθρωποφαγίας quidem crimen neque ab aliis, quam à levibus & inverecundis de plebe sycophantis, neque diu jactatum fuisse comperimus. Qui fabulam hanc totam apud Minutium recitat Cæcilius, de vulgi sermonibus haustam fatetur, [o] (*Passim* inquit) *omnes loquuntur*; & qui eum refellit Octavius paucis depellit, ut dignum erat, crimen nulla veri specie fricatum; *fabulam*, inquit, *adversum nos dæmonum coitio mentita est*. Sed & insulsam calumniam tempus brevi delevit, neque ultra Tertulliani tempora consistere sivit. Certe altum de illa ἀνθρωποφαγίᾳ apud Paganos ævi Cypriani & sequentium seculorum silentium. Eo præter cætera, quæ nos alibi [p] sumus exsecuti, illorum error arguitur, qui diabolicum illum de nostris rumorem ex Eucharistici sacri occasione ortum fictumque putant. Cum enim sacrum illud apud nostros semper manserit, neque à posteris quam à primis Christianis parcius, aut negligentius factitatum ac frequentatum fuerit, mansisset una apud Paganos hæc calumnia, si hæc ejus origo fuisset. Illa vero subito defecit, ac evanuit una cum hæreticis, è quorum flagitiis & nefariis sacris efficta coaluerat. Sed qui de ἀνθρωποφαγίᾳ tametsi neque omnes neque diu aliquid fabulati sunt Pagani, nullam vel ipsi, vel eorum quandiu manserunt, posteri, θεοφαγίαν criminati sunt. Nova est, & recentiorum Muhammedanorum propria hæc accusatio. Rogo, cur tam sero tam invidiosum crimen contra Christianos spargi cœperit? Eucharistiam à nostris comedi jam ab initio solenne fuit. Si eandem jam tum pro Deo adorari mos fuit; nemo est adeo hebes, qui non perspiciat Deum à nostris jam tum comedi solenne fuisse. Hoc ex illo sequi, Turci ipsi, quorum quod sciam, nulla est in Dialecticis præ cæteris vel exercitatio vel excellentia, animadverterunt. Quis veteres Paganos

CAP. XV.

[n] Fab. Fiogh. Dial c. 33. p. 68. B.

[o] Minut. in Octav. p. 23. 92.

[p] L. 2. de cult. relig. obj. c. 28. p. 332.

Cap. XV. homines doctos & eruditos hunc rerum nexum, hanc ut Scholæ loquuntur, *consequentiam* non vidisse dixerit, quam vel stupidissimi facile deprehendant? Omnino enim necesse est veteris illos nostræ fidei hostes nescivisse Christianos Deum suum comedere, qui hoc illis nunquam objecerunt, objecturi haud dubie, si scivissent, rem tam novam, tam inauditam, tam in speciem dicam atque horrendam. Cur autem id si verum est nesciverint, reperire non possum. Sciebant à nostris Eucharistiam comedi. Ergo si eam non prius à quoquam apud nostros comedi scivissent, quam ab eodem esset adorata, illud profecto quod inde clarissime consequitur, nescire non potuerunt Christianos quod adorabant id ipsum comedisse, adeoque Deum suum comedisse. Atqui hoc illos qui non objecerunt, nescivisse certum est. Vt autem rem apud nostros sibi suisque ubique permixtos in religione jam à ducentis, trecentis, quadringentis annis solennem, usitatam, quotidianam, Pagani eorum cives nescierint, fieri multo minus potuit, quam ut Turci Latinorum cultum ignorarent. Quidni? inquit, eum cultum nescierint, quem nostri consulto ac de industria occultabant, neque unquam palam vel coram infidelibus, sed clam tantum inter suos, factitabant? Absurdissimum, & inanissimum commentum, quo simul semelque singularis, quædam & nostris vafrities & Paganis inauditus stupor, summaque cæcitas & stultitia præter omnem rationem tribuitur, satis alibi *q* confutavimus. Hic satis est quærere, an Iulianum quoque id arcanum nescivisse? pudeat Si ita est, hominem ac prodigiũ obliviosum fuisse necesse est, qui ætate floréti, quę antehac à puero assidue ac pæne quotidie per viginti annos & amplius & fecerat ipse & alios facientes viderat, eorum nondum exacto à quo facere illa desierat, triennio, nihil prorsum meminisset. Sin, quod plane necesse est, fateris Iulianum probe scivisse quicquid apud Christianos in Eucharistiæ administratione ac communione fieri solenne esset; vitare non potes, quin illud quoque mihi concedas, non fuisse tum apud nostros istum adorandæ Eucharistiæ morem, qui nunc apud Latinos est. Nam si fuisset, inde Iulianus perspexisset Christianos id ipsum quod adorabant, adeoque pro numine habebant, comedere ac glutire solitos. Id vero nescivisse Iulianum omnis illa disputatio quam in nos evomuit, clamat; in qua cum plurima alia multo leviora nobis exprobret, quædam etiam præter verum affingat, de illa θεοφαγίᾳ nihil dicit. Iam eorum quæ Christianis Iudæos post undecimum seculum hac de re objecisse diximus, eadem quoque ratio est. Nemo ante illud tempus Iudæus occurrit, qui nostros, quod Ioseph Albo fecit, de pane Eucharistiæ vexet, qui hunc quæsitis ex naturali ratione argumentis veri propriique nominis panem esse ad corpus nutriendum idoneum colligat, eoque perperam adorari cogitandum lectoribus relinquat; nemo, qui ut festivus ille ex Anstelodamo verpus quærat cur *hostia si Deus est, situ obducta corrumpatur? cur eadem à gliribus & muribus corrodatur?* Non abnuo, quæ tria Christianismo velut impossibilia, objicit, *unum & tres, Deum & hominem,*

q L. 2. de cult. relig. abj. c. 25. p. 318.

nem, *Virginem & puerperam*, à primis hostium nostrorum majoribus agitata quoque & sugillata esse. Nam primum quidem de Deo uno & trino jam antiquissimis temporibus irrisum vulgo fuisse velut ex illa ipsa contradictione, quam involvere videtur, incredibile, Philopatridis Dialogus apud Lucianum ostendit, in quo Triephon cum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum commemorasset; r ἓν ἐκ τριῶν (inquit) καὶ ἐξ ἑνὸς τρία, ταῦτα νόμιζε. *Vnum ex tribus, tria ex uno eadem putato*; cui Critias, *Non* inquit *intelligo quid dicas*; *unum tria, tria unum*. Et diu postea Iulianus, quod paulo ante diximus, *tres pro uno nostros confiteri* criminabatur. In *Deum* vero & *hominem*, id est *Deum in carne manifestatum*, sive *verbum carnem factum*, nemo nescit jam à principio tanquam contra absurdum & impossibile dogma, & Paganos & Iudæos allatrasse. Tryphon unus ex Iudæi nostri proavis jam pridem hoc de nostris ut vocat Iustinus *paradoxis* velut *blasphemum* criminatus erat, s & Græcorum Poetarum figmentis homo impius æquiparaverat. Quod denique pertinet ad nativitatem Christi ex Virgine (quam hic ex recutitorum colluvie recentissimus *impossibilem* stulte & impie censet) jam unum olim ex istius majoribus à Celso philosopho in sua contra nostros disputatione inductum fuisse ex Origene t didicimus, qui & alia complura Iesu Christo objectaret, & hoc inprimis, *quod se ille finxerit ex Virgine natum*. ὡς πλασαμένου αὐτοῦ τὴν ἐκ παρθένου γένεσιν. Et hoc unum fuit ex illis ut loquitur Tertullianus, u *mundi stultis*, quæ jam olim in Christianismo deridebant Ethnici, *credere in Deum natum, & quidem ex Virgine, & quidem carneum, qui per illas naturæ contumelias volutatus sit*. Hæc tria priora, hodierni ex Iudæis disputatoris scandala, non miramur, ad quæ veteres Evangelij hostes tum Ebræos, tum Græcos jam ab initio constanter offendisse ex omnibus Ecclesiæ Christianæ monumentis novimus. Tria vero postremo de quibus idem à novissimis Christianis deinceps quærit, cur ea tametsi impossibilia in fidei suæ fundamentis censeant, nimirum *panem & carnem, vinum & sanguinem, unum corpus in multis diversis locis uno eodemque temporis articulo*, ista inquam, neminem vel Hebræum, vel Gentilem ante seculum decimum à Christianorum veterum fide novisse reperimus. Quibus & illud adjungendum est, quod idem paulo ante à Christianis quærebat; *Cur si hostia Deus est, situ obducta corrumpitur? Cur eadem à gliribus & muribus arroditur?* Excute omnia Christianismi veteris monumenta, nullum invenies ex priscis illis infidelibus vel Paganis vel Iudæis qui hæc *incredibilia* objecerit, ac de illis negotium nostris fecerit. Cedo mihi aliquem ex omni illa antiquitate vel Tryphonem, vel Celsum, vel Iulianum, vel Eunapium, vel de utrovis hostium, Iudæorum inquam, aut Gentilium grege aliquem, qui de his nostros veluti de totidem fidei suæ fundamentis cõvenerit, ut nunc Latinos iste recutitus convenit; qui quæsierit, cur id, *quod ipsi adorabant & Deum esse credebant, à gliribus & muribus arroderetur? & situ quoque obductum corrumperetur?* Cur panem & vinum simulatque consecrata sunt unum idemque esse

CAP. XV.

r Lucian. Philop. T. 2. p. 998.

s Apud Iust. cõtr. Tryph. p. 198. l. 35. & 217. l. 30. & 216. extr. 227. a.

t Orig. L. 1. contr. Cels. p. 22.

u Tertull. de carn. Chr. c. 4. p. 361. A.

Cap. XV. cum Christi corpore & sanguine putarent? cur unum idemque numero corpus simul semelque in locis inter se remotissimis uno & eodem temporis puncto existere crederent? Nullum dabis, qui sic nobiscum primis Christianismi seculis egerit. Quæro ergo cur veteres fidei hostes ab istis recentioribus tam diverse in hac disputatione se gesserint? Cur qui & tria illa de Trinitate, de Incarnatione, de virginitate Mariæ, qui cætera, de quibus diximus, Martyrum & reliquiarum honores, crucis & simulacrorum usum & venerationem, &c. Christianis quidem olim plane ut eorum hodie & anterioribus aliquot seculis posteri, objecerunt; illa vero quæ hi velut palmaria urgent, panis & vini cum corpore & sanguine Dominico unitatem ac ut ita dicam, *identitatem* & unius corporis in diversis ac disiunctis locis existentium, & murium & glirium in id quod à Christianis pro Deo adoratur injurias, non minus in speciem absurda, sensibus certe humanis multo magis exposita, nunquam nostris exprobraverint? Tanti in eadem agenda causa inter utrosque discriminis aliquam subesse rationem necesse est. Neque enim id fortuito contigisse potest. Necesse est aliquam vel in Christianismo qui oppugnatur, vel certe in iis, qui oppugnant factam esse mutationem. In his nulla apparet, nulla revera est. Idem apud utrosque in nostrum nomen odium; idem conciliandæ Christianismo invidiæ studium. Neque vero quæ nunc posteri pro absurdis & incredibilibus habent; eorum majores vera, vel saltem probabilia esse censuerunt; quo factum sit ut quibus hi abstinuerant elenchis, eos illi nunc in oppugnanda Latinorum fide adhibeant. Illa enim de quibus quærit ille hodie Iudæus, ut quod panis & vinum est omnium quidem sensuum judicio, id ipsum hominis caro sit & sanguis, & quod hic in terris corpus consistit simul in cœlo sit, ac denique ut Deus sit atque adoretur quod à muribus ac gliribus atroditur, illa inquam nullus non modo Iudæos, sed ne ullum quidem hominum genus, pro veris, aut probabilibus ac denique pro non absurdis vel censuit unquam, vel olim censebit; si eos modo ex hac numero exceperis, qui sibi firmissime credunt auctoritate divina præceptum esse, ut ista quantumvis per se incredibilia, pro veris tamen habeant; quod Iudæi non magis veteres, quam hodierni, sibi divinitus imperatum nunquam putarunt. Cum ergo quam quærimus hujus in hac causa discriminis rationem, ea in adversariis qui Christianismum oppugnant nulla sit, eam necesse est in ipso Christianismo inesse. Nimirum ista quæ nunc ei ab aliquot seculis Iudæi objiciunt, ea nondum apud nostros obtinebant, quo tempore veteres Iudæi vivebant. Multis post temporibus inventa & addita sunt; ut nihil mirandum sit Iudæorum majores quidem de istis nihil dixisse, quæ nondum erant scilicet; posteros vero eadem lacessivisse, quæ nimirum quo ævo vixerunt, in Christianam fidem recepta videbantur. Atque ita videmur satis demonstrasse Eucharistiæ adorationem ex illo tum Ethnicorum tum Iudæorum veterum de ea silentio, nondum primis decem seculis ullam apud Christianos fuisse; undecimo & duodecimo ac deindeps

deinceps invaluisse, ex Muhammedanorum & Iudæorum qui illis temporibus vixerunt disputationibus; in quibus eam, ejusque necessaria consectaria diserte memorata videmus. Vnde omnes facile intelligunt cum illo undecimo seculo Berengarij fides explosa, & transsubstantiationis dogma receptum fuerit, adorationem hostiæ ex transsubstantiationis fide ortam esse.

CAPVT XVI.

Argum. contra adorationem sacramenti III. inde ductum, quod cum plurimi post seculum decimum contra eam insurrexerint, & à Latinis haeretici judicati sint, inter tam multos qui Ecclesiam decem retro seculis hæretici turbaverant, nemo reperiatur, qui ei de hac Eucharistia adoratione controversiam moverit.

IDem nos docet aliud superioris affine argumentum; altum nimirum de hac Eucharistiæ adoratione apud omnes veteres hæreticos silentium, quotquot ante susceptum à Latinis undecimo seculo transsubstantiationis dogma, ab Ecclesia secesserunt. Ac primis quidem tribus Christianismi seculis nihil Ecclesiæ de Eucharistiæ adoratione objectam fuisse ab hæreticis abunde alibi *x* demonstratione. Sequentibus par eorum fuit ab ea de re silentium. Manichæos Augustini temporibus videmus Catholicis quosdam cultus invidiosissime exprobrasse; de Eucharistiæ adoratione, quæ longe gravius & odiosius istos commovisset, nihil dicunt. *Vos* (inquit Faustus eorum Episcopus Catholicos conveniens) *desciscentes à Gentibus Monarchiæ opinionem primo vobiscum divulsistis, id est ut omnia credatis & Deo; sacrificia vero eorum vertistis in agapes, idola in Martyres, quos votis similibus colitis; defunctorum umbras vino placatis & dapibus; solennes Gentium dies cum ipsis celebratis, ut Calendas & solstitia; de vita certe mutastis nihil.* Hæc ille; nostris quædam per calumniam de suo affingens, alia supra verum ad invidiam extollens. Certe de Eucharistiæ adoratione nihil habet. Neque sequentium seculorum quisquam Latinis hac de re molestus fuit. At cum postremis citimisque seculis pro transsubstãtiatione, mox ipse hic sacramẽti cultus apud Latinos erupisset, ingens statim hominum multitudo oorta est, qui & ipsum dogma, & adorationẽ Eucharistiæ, quæ dogma consecuta est, rejecerunt atque oppugnarunt; eoque nomine à Latinis hæreseos damnati, ab eorum communione discedere coacti sunt, ij primo qui circa ipsa duodecimi seculi initia orti Valdenses paulo post à Lugdunensi quodam cive, cui Petra de Valdo nomen fuit, circa an. D. 1142. dici cœperũt. Circa an. D. 1140. Henricum quendam cum Petro Bruits eadem seculum esse tradit *z* ex Petro Cluniacensi Bellarminus. Albigẽses, qui vel plane iidẽ cũ Valdensibus, vel certe corũ genuini fuerũt, transsubstantiationẽ, & adorationẽ Eucharistię

x L. 1. de cult. rel. obj. c. 17. p. 145.

y Faust. apud Aug. L. 20. contr. Faust. c. 4 T. 6. p. 151. A.

z Bell. L. 1. de Euch. c. 1. §. Quintus

Cap.XVI. quæ ex ea sequitur oppugnarunt, ut ipse ex Antonino refert ac fatetur *a* Bellarminus, eosque an. 1208. docuisse testatur. Eorum autem sectam longe lateque toto illo seculo ac sequente, idest quarto decimo, disseminatam esse patet ex illorum temporum scriptoribus. Ante an. D. 1315. Clemens P. R. Begardos & Beguinos testatur *b* docuisse *se in elevatione corporis Christi non debere assurgere, nec ei reverentiam exhibere.* Bellarminus auctorem Flagellantium circa an. D. 1350. eadem de re Eucharistica sensisse ex Bernardo Lutzenburgensi affirmat. *c* Ioannem Viclefum an. D. 1372. cæteras Latinorum traditiones, & hanc nominatim vehementer in Anglia oppugnasse & superstites ejus libri, & omnium illius ævi scriptorum monumenta clarissime testantur. Valdensis, qui contra ipsum pro Latinis tres tomos olim edidit, refert *d* eum huic Eucharistiæ cultui usque adeo infensum fuisse, ut *idololatriam bestialem* esse diceret, & qui hostiam adorarent eos *muribus stultiores* esse contenderet, *qui non recognoscerent in sacramento substantiam nutribilis panis; hos in adorando hostiam, tanquam gentes ad simulacra muta pro ut ducebantur, captivatos ire ad idololatrandum.* Eadem sequebantur ejus discipuli, quos & longe plurimos fuisse, vulgari *Lollardorum* nomine notos constat. Seculo quinto decimo Taboritas eadem in Bohemia sensisse ex Ioanne Lukavits patet qui pro iis Apologiam accuratam sane ac eruditam scripsit. *e* Apud eos an. D. 1512. manebat eadem fides; quod ipsi in Apologia ad Regem Vladislaum docent, *f* dum exerte negant, vel à Domino traditum fuisse *colere sacramentalem subsistentiam corporis & sanguinis Christi* (id est sacramentum corporis Christi.) Negant *g* *Apostolos ullam tali sacramento venerationem exhibuisse.* Iidemque in alio ejusdem argumenti libello scribunt *Ecclesiam primitivam non fecisse reverentiam huic sacramento*; neque *Christum hoc sacramentum ad venerationem dedisse.* Denique concludunt *non esse reverentiam exhibendam sacramento, sed corpori Christi existenti in cælis.* Paucis post annis Martinus Lutherus; & qui eum propemodum innumerabiles in Germania, Dania, Succia, & in aliis Septentrionalibus civitatibus ac provinciis ad hodiernum diem sequuntur, tametsi aliquam dogmatis de Eucharistia Latini partem retinuerint, in hoc tamen consentiunt, quod ipsum sacramentum adorandum omnes pariter negant Huldricum Zuinglium, Andream Carolostadium, Ioannem Oecolampadium, Ioannem Calvinum, & alios ejusdem fidei consortes, nihil opus est memorare, quos notum est in Helvetia, Germania, Gallia, Belgio ac tota Britannia hunc Eucharistiæ cultum omnes constanter respuere, ac inter præcipuas causas censere, quæ eos à Latinis disiunxerunt. Hi à publicato transsubstantiationis dogmate contra Eucharistiæ adorationem omnes insurrexerunt, eoque nomine hæreseos à Latinis damnati sunt ac proscripti; Quorum præsertim tam multorum exemplum ostendit siqua apud veteres ante undecimum seculum Christianos publica solennisque fuisset Eucharistiæ hujus Latriæ adoratio; non defuturos aliquos, qui Ecclesiæ ea de re litem moverent; eoque à Patribus damnarentur

a Id. ibid. §. Sextus.
b Clement. L. 5. Tit. de Hær. c. 3.
c Bell. ub. supr. §. Septimus.
d Vald. T. 2. c. 26. fol. 25. B. Et T. 3. tit. 12. 13. 14. & c. 128. in. & Tit. 20.
e Ioan. Lux. Conf. ss. Tab. c. 8. p. 17.
f Apol. Vald. p. 18.
g Excusat. cor. p. 43. 44. 67. 70.

damnarentur, & inter hæreticos censerentur. Nulla enim ratio est cur illa adoratio his citimis seculis absurdior hominibus visa fuerit, quam superioribus; vel cur eam quibus absurda videbatur, postremis potius temporibus pulsarent, quam primis. Rei ipsius ingenium tempora non mutant. Quocunque ex seculo existat, non potest non gravis videri, & hominis ratione utentis mentem ac sensus non movere ac ferire. Quinimo si bene repures vix quicquam in toto Christianismo est, quod ab omni rationis specie vehementius abhorrere videatur, quam hic ritus, quo id homines fideles adorare jubentur, quod sensus motusque omnis expers est, quodque & ab eo qui confecit editur, & ab iis ipsis qui adorarunt, in os ac ventriculum assumitur, atque dejicitur. Vnde est quod Averroes ut supra vidimus, Christianorum Latinorum secta nullam esse deteriorem hoc ipso judicarit, quod soli ex omni religiosorum hominum numero suum quem colunt Deum, ipsi vorent, vel quod eodem recidit, quod id ipsum pro Deo suo colant, quod vocant. Hoc ergo ex istius eruditissimi atq; acutissimi philosophi judicio omniū, quę in Christianismo absurda esse putabat, absurdissimū est. Hæretici autem non alia fere vexanda arripiunt, quam quæ insignem aliquam absurditatem ex cōmuni sensus ac rationis judicio cōtinere videntur. Excute omnes qua veteres, qua recentiores hæreses. Omnes reperies non aliunde exortas esse, quam ex aliqua Ecclesiastici dogmatis, quod oppugnandum sumebant, absurditate (ut sic loquar) apparente. Eundem & hominem esse & Deum apud rationem humanam stultum & insanum est. Eo factum est, ut utrumque de Christo vere dici neque posse neque debere plurimi jam ab ipsis Ecclesiæ incunabulis contenderint. Alij Christum Deum negarunt; ut Ebion, ut Artemon, ut Arius, ut Photinus; Alij hominem, ut Marcion, ut omnes Docetæ, ut Manichæi & alij. Nasci Deum, imo & crucifigi & mori absurdissimum sensui carnis videtur. Neque sane defuerunt hæretici, qui hæc omnia de Christiana fide tollerent. Carnem hominis mortui de pulvisculo, in quem resoluta est, in pristinam formam refingi, philosophus ut ridiculum; explodit. Ergo fuere & hæreticorum plures greges, qui carnis resurrectionem de fidei Christianæ censu eraderent. Manichæi & Pelagij contrarias inter se factiones, eadem utramque absurditatis species peperit; quod utrisque incredibile videretur à Deo id ulla ratione esse, quod malum est. Cætera sigillatim persequi nihil necesse est. Patet enim, neque à quoquam ut opinor, negabitur; nihil eorum esse, quæ Gentiles Christianismi *paradoxa, impossibilia*, vel *stulta* appellabant, ex quo non aliqua in Christum & Ecclesiam, Paganorum foris calumnia, hæreticorum intus blasphemia & scissio orta sit. Atque ut id quis adoret quod ipse glutit, hoc inquam longe omnium absurdissimum & omni humano generi videtur, & est sane, si res seorsum per se æstimetur. Ergo & de hoc quæsiisset, dubitasset, seditionem fecisset aliquis hæreticus, si id quidem jam tum in publico Ecclesiæ cultu fuisset. Neque vero causari potes, fuisse quidem qui hoc non proba-

CAP. XVI.

Cap. XVI. rent; non tamen ausos vel rem negare diserta Christi aut Ecclesiæ lege præscriptam, atque sancitam, vel auctoritatem præsidentium pulsare. Nam præterquam quod neutrum istorum veteres hæreticos terruit, quominus plurima ex disertissimis Christi litteris & publica totius Ecclesiæ voce definita oppugnarent; clarum ac liquidum est neque ullam de ista Eucharistiæ adoratione vel Christi vel universalis Ecclesiæ legem apud nostros ante Berengariana tempora extitisse; neque unquam adversantibus, & aliud à communi publicaque fide sentientibus formidabiliorem fuisse Ecclesiæ auctoritatem, quam quo seculo Latina de Eucharistiæ adoratione lex pulsata est. Tum enim in eos qui contra hanc legem auderent hiscere, non ut olim, admonitione, censura, & excommunicatione, sed ferro & igne, conscriptisque exercitibus, cædibus, lanienis, bellis denique sævissimis, actibus antehac apud omnes retro Christianos inauditis, agebatur. Ergo nihil revera fuit, quod prohiberet veteres hæreticos Eucharistiæ adorationem reprehendere, ac de ea controversiam Ecclesiæ, quæ tum florebat, movere. Atqui nullos unquam de Eucharistiæ adoratione hæreticos Ecclesiæ non dico bellum indixisse, sed vel obloquutos esse ante Berengariana tempora constat. Imo ne fuisse quidem ullos ante Bertramum & Scotum, qui de Dominici corporis in sacramento præsentia dubitarent, quæ adorationis mater est, confitetur *h* Bellarminus. Is (inquit de Erigena, id est de Scoto loquens) *primus in Ecclesia Latina de hac re scribere cœpit.* Scripsit autem Ioannes iste Erigena, non (quod Bellarminus falso & inscite dicit) *tempore Caroli Magni circa an. D.* 800. sed sub Carolo Calvo, circa an. D. 850. Quod vero nonnulli suspicantur jam Ignatij temporibus fuisse hæreticos, qui de transsubstantiatione vel Christi in sacramento præsentia dubitarent, id inquam, ipse Bellarminus merito refellit, *i* observans *antiquißimos illos hæreticos*, quorum mentio fit in loco à Theodoreto velut ex Ignatij ad Smyrnæos epistola, adducto, *non tam sacramentum Eucharistiæ, quam mysterium incarnationis oppugnasse, Dominum* exerte *negantes habere carnem*; ut est in ipso illo Pseud-Ignatij loco. Verum quoque est quod ibidem addit Bellarminus, *nullum veterum, qui de hæresibus scripserit*, hunc errorem *in Catalogo posuisse: ut* (inquit) *patet ex Irenæo, Tertulliano, Philastrio, Epiphanio, Augustino, Theodoreto, Damasceno.* Sed quod idem addit primos *qui veritatem corporis Domini in Eucharistia in quæstionem vocarunt* (apud Græcos scilicet) *fuisse Iconomachos* (ut refertur in 7. Syn. Act. 6. T. 3. in fine) id inquam à recentissimis Latini dogmatis defensoribus Iansenianis nuper explosum est, qui hos Iconomachos cum Nicænæ *Synodi* 2. *Patribus de Eucharistia quod ad rem ipsam pertinet consensisse* ponunt *k* atque constituunt; & paulo post negant *l* quicquam esse in Iconomachorum verbis, quod ad litteram *non sit verum ex ipsa Catholicorum sententia*; Denique eosdem affirmant *m* quæstionem de Eucharistiæ conversione *decidisse ex Catholicorum mente*; *Nicæ nosque ipsos Patres id agnovisse.* Neque hujus de Iconomachis opinionis Ianseniani isti

h Bell. de Euch. L. 1. c. 1. §. Secundus.

i Ibid. §. Primi.

k Lib. de Perpet. fid. de Euch. Part. 2. c. 4 p. 345.

l Ibid. p. 352.

m Ibid. p. 351.

isti primi sunt auctores. Idem de illis scripserat *n* vir in his controversiis famosissimus Iacobus Davy Perronius, è cujus fere scriniis Ianseniani sua de hac quidem quæstione pene omnia compilarunt. Iam si hæc Perronij & Iansenianorum scita vera sunt, necessario falsum est, quod eos dicit Bellarminus suorum Catholicorum *sententiam in quæstionem vocasse*. Sed si ab utrorumque dictis seponantur quæ cæco De sua transsubstantiatione præjudicio admista sunt, facile est utrosque revocare ad concordiam. Patres enim Synodi Constantinopolitanæ contra imagines, Eucharistiæ *transsubstantiationem* non modo quod ait Bellarminus *in quæstionem vocarunt*, sed apertissime everterunt, qui diserte definiunt *substantiam panis Christi præcepto in Eucharistia offerri*, & alia ejusmodi non pauca, quæ qui cum transsubstantiatione conciliare nituntur, aërem verberant, neque hilo magis proficiunt, quam si (quod est apud Poëtam) *vulpes iungerent, & mulgerent hircos*. Sed altera ex parte illud quoque fatendum est, quod volunt Ianseniani, catholicum fuisse quod hac de re dicunt Iconomachi, neque si summam rei spectes, vel ab Ecclesiæ illius temporis doctrina alienum, vel à Nicænis ipsorum adversariis imaginum patronis damnatum fuisse. Nihil ergo erat, quod Bellarminus de illius Constantinopolitanæ Synodi Patribus suos hic lectores obtunderet. Mihi vero abunde est, quod nemo ex decem primis Christianismi scriptoribus profertur, qui hæreticus ideo ab Ecclesiæ judicatus fuerit, quod Eucharistiæ adorationem rejiceret; nemo hæreticus judicatus, qui Ecclesiæ adorationem Eucharistiæ objecerit. Quæro enim cur & qua ratione factum sit, ut cultus qui, quod ex humano judicio rectaque ratione, imo & ex Scripturæ doctrina, videtur absurdissimus, innumerabiles his fere sex retro seculis habuit adversarios, nullos totis decem primis habuerit? Cur quem totæ Christianorum gentes acerrime his postremis temporibus Latinis exprobrarunt, ne unus quidem vir Christiani nominis primis ad undecimum seculum objecerit? Cur cujus caussa & nomine omnis generis sexus & status mortales Latini his quingentis annis damnarunt & excommunicarunt; ob eum nemo homo annis à Christo nato mille & amplius non dico excommunicatus & damnatus, sed vel perstrictus, aut admonitus ab Ecclesia fuisse legatur? Tanti inter utraque tempora discriminis rationem posco. Nulla alia ne fingi quidem potest, quam hæc; postremis scilicet seculis eos quos Latini hæreticos appellant, quosque eo nomine à sua communione præscripserunt, habuisse de quo cum Latinis de adoratione Eucharistiæ expostularent, quod hanc illi revera adorarent; priorum seculorum hæreticis nihil fuisse quod de Latino Eucharistiæ cultu Christianos Catholicos reprehenderent, quia hi scilicet Eucharistiam nulli tum adorabant.

CAP.XVI.

n Perr. 1. de Euch. auct. 36. p. 649. 650.

CAPUT

Capvt XVII.

CAPVT XVII.

Stultum & iniquum esse à nobis ea veterum in hac causa testimonia flagitare, quibus diserte & formaliter negent se Eucharistiam latria adorare. Argumentum contra Eucharistiæ adorationem IV. inde ductum, quod illa adoratio, quibus maxime insignibus tribus locis apud Latinos semper fit atque in eorum Liturgiis accurate & in aliis etiam libris non raro memorata occurrit, ea nusquam apud veteres occurrit, vel in Liturgiis, vel in aliis eorum libris. Tria autem illa tempora sunt, I. cum ea in Missa à sacerdote adoratur, simulatque confecta est. II. cum à plebe ibidem, cum elevatur, III. cum ad infirmos vel alios foras effertur, ab obviis quibusvis extra sacrum adoratur.

SEd jam Catholicos Christianos spectemus, quid ipsi de suo cultu suaque religione profiteantur ac doceant. Hic noli expectare, ut eos sistam diserte totidem verbis negantes à se Eucharistiam adorari. Satis enim est quemque quid colat, edere; quæ non colit, sigillatim persequi, ac de singulis negare ea à se coli, nihil necesse est; neque sane id homines æqui à quoquam exigunt; nisi singularis aliqua causa subsit. Vt siquis de alieno aliquo cultu vel accusatus est, vel per se suspectus, quod vel iis qui ei addicti sunt in eadem gente ac civitate permixtus habitet, vel frequentem cum iis usum habeat; hunc & suæ existimationis & alienæ ædificationis ratio postulat non modo quid colat, candide profiteri, sed & id, de quo suspectus esse potest, negare atque à se amoliri. Veteres Christianos, quos ut ostendimus, neque foris Pagani, neque intus hæretici, de Eucharistiæ adoratione unquam pulsasse reperiuntur, nihil necesse fuit id inficiari de quo nemo eos arguebat. Illi fateor, non semel negant, atque exsecrantur Paganicorum numinum cultum; quod iis scilicet temporibus ac locis viverent, quibus impia istorum obtinebat religio; quanquam quod se Christianos profitentur, eo ipso satis negent se vana illa coluisse. Eucharistici cultus, plane alia ratio est, quem cum nulla gens, nulla secta, nullum collegium exerceret, profiteretur aut nosset, præposteræ fuisset diligentiæ se ab eo purgare, quod vix ac ne vix quidem in cujusquam mentem cadere potuit. Quin & veri ut mihi quidem videtur perquam simile est ne ullum quidem extitisse priscis illis seculis Christianum, qui vel ipsa animi cogitatione præsenserit aliquando futurum ut res usque adeo absurda, & ab omni non modo hominum sensu atque ratione sed etiam Dei lege & doctrina, in aliquem Ecclesiæ usum veniret. Quo fit, ut non possim satis mirari quorumdam Latinorum in hac disputatione iniquitatem; qui nostras de hac causa argumenta-

mentationes irrident, atque elevant; flagitantes à nobis diserta liquidaque testimonia, in quibus Patres totidem verbis clare ac proprie pronuncient se Eucharistiæ cum latriæ cultum, qui uni Deo debetur, nequaquam exhibendum credere. Atqui ipsorum est hujusmodi nobis de veteris Ecclesiæ secum in hac adoratione consensu documenta proferre; quibus hoc, quod isti nunc docent ac factitant, Patres exerte affirment, panem scilicet ac vinum sacrum latria esse colendum, Primo quod in hac causa actores sint, quibus probandi onus, ut notum est, incumbit. Nostrum est, quid isti afferant, expendere. Ipsi enim adoratam ab antiqua Ecclesia Eucharistiam affirmant, nos negamus. Secundo, quod hoc, quod isti affirmant, non modo mirum & insolens, sed etiam absurdum atque incredibile apparet; quod ipse sensus respuit; quod ratio refugit; quod nulla Dei, nulla naturæ vox commendat; ut, nisi necessaria atque evidenti ex Dei legibus demonstratione constitutum fuerit, non facile à quoquam cordato admitti vel possit vel debeat. Nullum autem Latinos hujusmodi veterum de re proposita testimonium habere (quo scilicet necessario ac evidenter demonstretur, latriæ cultum fuisse olim Eucharistiæ à Christianis exhibitum) nuper ostendimus, & quæcumque nobis in hac causa ab illis objiciuntur, ea abunde dissolvimus. Nunc ergo quod instituimus agamus, missaque, quod à nobis in hac disputatione posci iniquum est, puræ disertæque inficiationis testimonio, argumentis, ut cœpimus, ductis à rei consequentibus, antecedentibus, oppositis, & aliis hujusmodi signis, investigemus, an Eucharistia olim à Christianis ante undecimum seculum adorata fuerit. CAPUT XVII.

Quo in genere illud primum, sane memorabile censeo, quod ille hujus sacramenti cultus, quibus locis nunc apud Latinos maxime conspicuus occurrit, & quibus hunc revera maxime occurrere consentaneum est apud eos, qui Eucharistiam latria dignam putant, nullus in veterum monumentis apparet. Loci autem illi, ut cæteros nunc mittam, tres sunt à nobis maxime insignes in Latinorum religione supra observati; primus, cum sacramentum simulatque confectum est, statim à celebrante accuratissime adoratur, ante utrumque sigillatim symbolum illico in genua procumbente. Alter huic proximus locus est, cum sacer quidem panis prius, mox & sanctus calix suo uterque ordine à sacerdote elevatus ab omni plebis circumstantis corona companulæ sono excitatæ, de geniculis devotissime colitur; Tertius denique locus est, cum vel ad infirmorum viaticum, vel quævis alia se causa publice defertur, passimque ab omnibus, quotquot occurrunt, nullo sexus, ætatis, dignitatis discrimine, in terram eo viso procidentibus eadem religione excipitur. Nemo negaverit Eucharistiæ, si res est latria digna, ac ut uno verbo dicam, si *Deus*, quod Latini affirmant, vere est, jure meritoque, adeoque necessario, tribus his locis ac temporibus adorationem illam eximiam deberi. Hoc si Eucharistiæ deberi Latinorum exemplum, omni in eos argumento validius, non præscribit, ratio certe communisque omnium

mortalium

Caput XVII.

mortalium animis ab ipsa natura insitus sensus vincit; quo interius urgente, homines cætera stupidissimi, etiam absque monitore, siquid occurrat quod ipsi numen esse pro certo credant, statim ei adorationem vel prostrati vel in genua ruentes, vel alio quocumque solenni apud suos religionis ritu exhibent. Fecisse hoc pios sanctosque veteris sub Moyse fœderis viros non semel in divinis litteris legimus, quoties iis Dominus Majestatem suam in aliquo signo conspiciendam præberet, statim adorabant, quem Deum esse certo comperiebant. Vnum Iosuæ exemplum satis est, quem pronum in terram cecidisse, adorantem videmus, o simul intellexit Deum esse, qui se alloquebatur. Gentium in sua numina eandem fuisse religionem, vel ille apud Minutium nostrum Cæcilius docet, qui Serapidis simulacrum, ut vidit, odoravit; *Serapidos* (inquit) *simulacro denotato* (id est animadverso) *manum ori admovens osculum labiis pressit*; quam ipsissimam fuisse solennem apud Paganos adorationem notum est. Neque hæc unius Cæcilij religio fuit. Eadem paribus locis facere solitos cæteros ejus consecraneos monet nos Minutius, qui hoc Cæcilij factum narrans, *ut* (inquit) *superstitiosus vulgus solet*. Idem demonstrat omnium gentium similis vel in principes, & eximiæ dignitatis, vel in amicos & caros viros, si quãdo iis obvij fiunt civilitas. Nulla enim gens est paulo humanior, in qua non videamus, nonmodo ad omnem Regis & magistratuum, sed etiam majoris cujusque personæ occursum homines inferioris ordinis (ut cum Tertulliano loquar) *decrescere*, id est corpus, certe caput & pectus honoris & reverentię causa inclinare ac summittere. Quanto magis Deo, summo Divorum, atque hominum Regi, si quando is se nobis dignatur in conspectum dare; suam, id est divinam, adorationem debemus? Hoc vero nostri esse in Christum suum officij, Pater ipse liquido definit, qui ut est apud Apostolum, r *cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit. Et adorent eum omnes Angeli*. Nam si Christum ubicumque apparet, ipsi Angeli adorare ex hac Patris lege necesse est; nos eodem in ipsum officio fungi eo magis decet, quo ei plura quam vel Angeli, vel ullæ aliæ creaturæ, debemus. Si ergo veteres Christiani Eucharistiam ipsissimum Christum esse sese nobis tribus illis locis quæ notavi, manifestantem, juxta cum Latinis credidissent, non est dubitandum, quin sacramento in his locis versantes latriæ adorationem delaturi fuerint. Non detulisse supra ad singula loca inde demonstravimus, quod in Liturgiis, quæ eorum nomina præferunt nulla istic extat hujus adorationis mentio. Sed præter Liturgias id ipsum quoque ex cæteris antiquitatis ante decimum seculum veris certisque monumentis intelligitur. Cum enim in Latinorum libris, qui his retro proximis quinque seculis scripti extant, non pauca passim reperiantur adoratæ his locis Eucharistiæ exempla, nullum hujusmodi observare est in vetustiorum jam ab initio Christianismi ad decimum usque quod diximus seculum, sive historicis, sive alterius argumenti litteris. Quod ego inter utraque tempora tam insigne discrimen pro certo ejus diversitatis argu-

o Ios. 5. 14.

p Minut. in Octav. p. 4.

q Tert. de Pœnit. c. 13. p. 148. A.

r Hebr. 1. 6.

mento habeo, quam in hac cultus Christiani parte inter utramque Ecclesiam, antiquiorem scilicet & hanc recentiorem fuisse defendimus. CAPUT XVII.
Idem quoque tertio licet inde argumentari, quod Latini suarum Ecclesiarum rectores jubent [s] plebes suæ fidei commissas, de divino hoc Eucharistiæ cultu diligenter docere, dareque operam, ut omnes laïci, quibus ipsi præsunt, eam religiose colãt, sancte frequenterq; suscipiãt ut illud præterea intelligant, memorique mente teneãt non debere hoc sacramentum cuiquam tradi nisi rite confesso & naturaliter jejuno (quod qui sit supra docuimus) ita demum paratos utroque genu flexo sacramentum humiliter adorent, ac reverenter suscipiant. Atque hæc quidem commonefactio Latinorum fidei quam sit consentanea, quam in eorum disciplina necessaria omnes vident. Cum enim in omni religione nihil sit latriæ cultu divinivis, nihil in quo gravius, majorique cum periculo peccetur, apparet, qui cultum hunc Eucharistiæ deberi credunt, vehementer eos ac turpiter officio suo deesse, ni suas plebes ad eum rite exhibendum accuratissime, quo ad fieri potest, instituant. Atqui in veteris decimo seculo anterioris Ecclesiæ monumentis, cum plurima loca occurrant, in quibus majores nostri suos fideles ad hoc sacramentum legitime atque utiliter sumendum diligentissime cohortentur; altum ubique est de eo latria adorando silentium. Ergo confitendum est majores illos nostros, vel homines fuisse sui officij negligentissimos, quod nemo pius suspicabitur; vel quod est sane verissimum, hanc Latinorum adorationem ac latriam nescivisse. Iesuitæ quidem tanti faciunt suorum hac in parte zelum, ut quo omnes ad parem hostiæ Missalis cultum accendant, in suorum sodalium elogiis (quos sane laudare admodum liberaliter solent) hoc inter cætera eorum decora non raro commemorent, quod magno in hoc sacramentum zelo atserint. Qualiter Orlandinum videmus inter cæteros flores, quibus Cornelij cujusdam Croci de Ignatiana familia herois, pietatem ac Christianismum conspergit, hunc hominis zelum nominatim laudasse; [s] *Divinum (inquit) cultum, venerationem præsertim augustissimæ Eucharistiæ perstudiose tuebatur.* Nemo mihi in veterum, quos dixi, laudationibus simile quicquam ostenderit. Cum ergo ex his satis superque constet illis, quæ notavi, locis nullam apud veteres hujus Eucharistiæ mentionem occurrere, cum conclusum esto in prisca Ecclesia ignotam fuisse.

[s] Rituale Rom. tit. de Sacr. Euch. p. 71.

[s] Orland. Hist. Societ. L. 10. §. 73.

Caput XVIII.

CAPUT XVIII.

Argumentum contra adorationem Eucharistiæ V. inde ductum, quod ea adoratio neque in aliis multis locis, in quibus fit apud Latinos, unquam facta reperiatur apud veteres, ut in solenni cujusque fidelis communione, in baptismi, in pœnitentiæ, in Ordinationis administratione, in Chrismatis confectione; in solenni crucis die Parasceves cultu, in infirmorum communione, in funeris apparatu, in Ecclesiæ ingressu.

SEd Eucharistiæ adoratio, non modo in tribus illis locis, quorum maxime propria est apud Latinos extat. Etiam alibi frequens est, inprimis vero quoties fideles communicant. Lex hæc est in Rituali, *u* Omnes utriusque sexus genu flexo sacramentum humiliter adorent, ac reverenter suscipiant. Itaque nemo nisi utroque genu humi posito apud eos communicat, qui adorandi apud Christianos jam ab initio solennis est ac legitimus ritus. Hunc ergo & veteres in Eucharistia sumenda usurpassent si eam cum hodiernis Latinis summo latriæ cultu adorandam putassent. Atqui abunde supra demonstravimus antiquiorum temporum Christianos stantes communicasse; eumque adhuc usum apud Græcos, & Æthiopes servari. Illud quidem, confiteor, siquis Eucharistiam sumens genu flexus adoret, non esse inde consequens, ut ipsam adorasse putandus sit, Fieri enim potest, ut illa sua genuflexione non panem vinumque sacrum, sed Christum, qui per ista symbola significatur, adoret, ad quem se cor sursum *habere* professus est. Apud ipsos Latinos genibus flexis suscipiuntur & cineres in capite jejunij, & rami benedicti in Dominica Palmarum; neque tamen quod sciam, latria vel rami vel cineres adorantur. Cui vero latriam deberi credis, id excipere nefas est alio quam adorantis actu gestuque. Iam vero humi genua figere, vel in terram corpus prosternere solennis semper ac legitimus apud Christianos adorationis ritus fuit ; si Dominicos dies totamque Pentecosten excipias; quibus temporibus ad Dominicæ resurrectionis memoriam stantes adorare & precari mos olim fuit , tametsi nunc etiam apud Latinos antiquatus. Atqui veteres non Dominicis modo & Pentecostes diebus, sed quocumque etiam alio anni tempore ac die, Eucharistiam stantes accipiebant; neque aliter Græci & Æthiopes etiam hodie factitant. Necessario ergo fatendum est eos vel impios fuisse, qui quod numen latria dignum esse credebant , id aliter quam genu flexi acciperent; vel certe aliud quam Latinos de Eucharistiæ natura & honore sensisse; id nimirum pro sanctissimo & utilissimo sacramento , magna cum veneratione sumendo habuisse; non putasse Numen esse, eadẽ cum Deo latria colẽdum.

u Rit. Rom. Tit. de Euch. p. 73.

x Supr. L. 6. c. 1.

y Missale ad fer. Gen p. 74 75. Ibid. Dom. in Palm. p. 180.

Nunc

tat hæc hostiæ adoratio. Nam ut in [illegible] sacris pæne ubique occurrit (ut supra, *z* cum de ejus reservatione disputaremus jam annotavimus) in Baptismi, in Pœnitentiæ, in Ordinationis administratione, in Chrismatis confectione, in solenni crucis die Parasceves cultu, in infirmorum visitatione. Alibi *a* ostendimus Indos quidem à Iesuitis ad suam fidem Goæ conversos simul atque sacro lavacro abluti sunt, *sacramento in altari quiescenti gratias agere pro tanto beneficio, quo eius filij facti sunt*; pœnitentes vero disciplinas ante hoc sacramentum suas facere, id est Deo pro peccatis satisfacere solere; idque Sanguini cujusdam Iaponis exemplo probauimus, qui ad expiandum nescio quid criminis à se admissi à religiosissimis Latinorum sacrorum antistitibus Iesuitis jussus est ante sacramentum prostratus tandiu tergum flagris lacerare, donec recitatus esset unus è psalmis pœnitentialibus; Eodemque loco ostendimus neutrius moris ullum extare in omni primorum Christianorum Ecclesia, qui ante an. D. 300. vixerunt, vestigium. Sed neque in sequentis ad an. D. 1100. Ecclesiæ monumentis quicquam simile observare est. Ejus disciplina fuit, ut omnes neophyti & adulti & infantes statim à baptismo Eucharistiam sumerent; idque nos supra demon- *b* stravimus; Vt adorarent, inauditum. Ita Cyrillus quos alloquitur recens baptizatos, eos statim ad sacram communionem vocat. *c* Sic apud Dionysium Pseud-Areopagitam Episcopus hominem rite baptizatum *sacrosancta Eucharistia participem declarat*; *d* & in eodem capite; *Omnibus vero* (inquit) *peractis eum, qui initiatus est, ad sanctissimam Eucharistiam vocat, & mysteriorum perficiendi vim habentium communionem illi tradit.* Ambrosius vel quisquis est auctor sane vetus, *His abluta plebs dives insignibus ad Christi contendit altaria*; Quorsum? An ut adoret sacramentum? Nihil ille *e* de eo tradit; sed quid in altari quærat neophytus, mox docet, *cæleste illud* (inquit) *festinat adire convivium.* Ergo sacramento vescebatur baptizatus. Eadem significat *f* liber de Sacramentis quartus apud eundem Ambrosium. Morem ad undecimum seculum mansisse Ordo Romanus loquitur, *g* in quo videmus baptizatos, etiam infantes, statim *communicasse sacramento corporis Christi.* Baptizatos ergo adultos Eucharistiam post factum *lavacrum* sumpsisse, omnes veteres testantur; *adorasse*, nemo. Iesuitarum disciplina hujus plane contraria; ex qua adultæ post susceptum baptismum Eucharistiam *adorasse* quidem legi; *sumpsisse*, quod meminerim, non legi. Sed à prisco more multo etiam longius recedit eorum lex Pœnitentialis; qua peccatores exhomologesin illam (sane diram ac inhumanam & omni quod sciam veteri Ecclesiæ ignotam) ante ipsam Eucharistiam prostrati & adorabundi faciunt; à quo instituto adeo aberant veteres, ut sacra symbola ne eminus quidem videre pœnitentes fas esset; nedum ut ante ea consistere, piis adorationem exhibere liceret; adeoque clara Diaconi voce quicumque erant in eo ordine ex Ecclesia ante dimittebantur, quam Eucharisticum sacrum fieret; quod quia

z Supr. L. 6. c. 13.
a L. 2. de cult. rel. obj. c. 32. p. 251.
b Supr. L. 5. c. 3. & 4.
c Cyril. Hier. Bat. Myst. 4.
d Dionys. Hier. Eccl. c. 2. in fin. myst. & in fin. Hier.
e Ambr. de iis qui init. c. 8. init.
f Id. L. 4. de Sacr. c. 2.
g Ordo Rom. T. 10. Bibl. Patr. p. 84. C.

XVIII. nihil immorari necesse est. En quam accurati sint Iesuitæ antiquitatis imitatores! quorum leges non modo aliæ sunt quam veteres, sed veteribus plane veluti de industria oppositæ atque contrariæ.

In ordinationibus quoque apud Latinos occurrit Eucharistiæ adoratio, ut in Presbyterali, ad quam præter cætera, *paratur h hostia super patenam posita*. Ordinator, id est Pontifex, sive Episcopus postquam ordinati dispositi fuerint & genuflexi, ipse *facit reverentiam sacramento*. In confectione chrismatis Pontifex semel atque iterum *facit i reverentiam sacramento in altari consecrato*. Postmodum duodecim quoque illi sacerdotes, qui ei adsunt, antequam chrisma salutent, suo singuli ordine eidem *sacramento in altari posito reverentias faciunt*. *k* Sed & feria sexta in Parasceve in processione, quæ fit finita crucis adoratione, cum perventum est ad locum Sacramenti, *Sacerdos genu flectit ante sacramentum, & orat aliquantulum*. *l* Iam cum viaticum ad infirmos defertur, *m* sacerdos sacramentum, super *mensa depositum genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus*. Infirmo communicato si altera *particula* superfuerit. (superesse autem semper debet) *genu flectit presbyter, & discedit. Postremo cum pervenerit ad Ecclesiam, ponit sacramentum super altare, & adorat.* Apud veteres in his omnibus locis nulla occurrit de *adorando sacramento*, vel de *reverentia ei facienda*, vel de *flectendis coram eo genibus* mentio. In Constitutionibus Pseudo-Apostolicis, *n* & apud Dionysium *o* describitur ritus ordinationis Presbyteralis; apud hunc etiam chrismatis confectio ejusque ritus. *p* Nullum in his apud utrumque de Eucharistiæ adoratione verbum. Sed neque in Ordine Romano, *q* ubi de ordinatione, vel Clericorum in genere; vel Presbyterorum nominatim, vel de chrismatis confectione, vel crucis die Parasceves adoratione fuse agitur, quicquam de reverentia sacramento facta dicitur. Præterea ex Orlandino *r* observo qui sunt apud Latinos cæteris religiosiores (vulgo devotos dicimus) eos in ipso in Ecclesias ingressu Eucharistiam ante omnia adorare. Hæc enim ille Palmij cujusdam Iesuitæ verba de se & de Sylvestro quodam Landino ejusdem ordinis sanctulo; *Nuper (inquit) in templum pariter descendimus populo expectante concionem. Genua fleximus ante sanctissimam Eucharistiam.* Posco de simili adoratione sacramento in Ecclesiæ ingressu à fidelibus delata ex veteris ad an. D. 1000. Christianismi monumentis exemplum. Nullum memini; nullum ex sinceris quidem libris exhiberi posse puto. Hoc quoque apud Latinos scriptores de suis hominibus legimus; ut apud Solerium, *s* de Sacramenti sodalibus, eos Ecclesias *frequentare, ut sacramentum adorent*. Atque hunc quidem esse plærorumque vulgo morem satis superque notum est, ut templa adeant, sacramenti non participandi, sed adorandi gratia. Neminem de toto illo vetere, quem diximus, Christianismo reperies, qui ad Eucharistiam adorandam loca sacra adiisse, vel in iis versatus esse dicatur.

h Pontif. Rom. de ordin. Presb. p. 37. extr.
i Ibid. p. 49. Ibid. Part. 3. de chrism. p. 408. col. 2.
k Ibid. p. 423. col. 1.
l Miss. Rom. Parasc. p. 219. b.
m Rit. Rom. Tit. de Euchar. p. 83. 85.
n Const. Apost L. 8. c. 16. & 24.
o Dion de Eccl. Hier. c. 5.
p Ibid. c. 4.
q Ord. Rom. Tit. de sacr. ordin. p. 96. 97. T. 10. Bibl. PP. & Tit de ord. Presb. ibid p. 102. 103. ibid. de chrism. p. 70. Ibid. die Parasc. p. 71. 72. 73.
r Orland. Hist. Soc. L. 14. 33
s Sol. Iapon. L. 17. c. 2. p. 491.

CAPVT

CAPUT XIX.

Argumentum VI. contra adorationem Eucharistiæ, inde ductum, quod sacramentum Deum & Dominum suum vocare, & sacramenti vocabulo Deum significare, Latinis quidem familiare est; apud veteres vero plane insuetum & inauditum.

IAm de honoribus dicamus, qui huic Sacramento decreti delatique ex ejus divinitatis opinione fluxerunt. Quo in genere illud primum occurrit à rei nomine petitum, quod Eucharistiam veteres si latriæ cultu adorassent, eam utique *Deum & Dominum*, &, *omnem* suum vocassent, vicissimque ejus vocabulo ad numen significandum usi essent; quod utramque nunquam fecisse reperiuntur. Latini certe, qui eam adorant, in quotidiano sermone, quoties causa, vel occasio incidit, utrumque libere usurpant. Gulielmus Alanus, Cardinalis, *Dominum nostrum*, & *Deum nostrum* vocat; *t* Richardus vero Bristous *Dominum meum*, & *Deum meum* appellat. *u* Apud nostrates vulgare est & omnium fere sermone tritum, ut se *Creatorem suum sumpsisse*, vel *sumpturos* esse dicant, qui hujus sacramenti communionem significare vult. Neque vero novum est memoratum à nobis alibi distichon, quo obviam Eucharistiam flexis genibus à suis salutari vult Decretalis Honorianæ Glossator,

t Alan. de sacr. Euch. c. 41.

u Brist. motiv. 26.

Salve lux mundi, verbum Patris, hostia vera,
Viva caro, Deitas integra, verus homo.

Sed & Eucharistiæ nomen pro Dei Dominique nostri in secula benedicti nomine in communi sermone usurpare tam est familiare, ut illud etiam hoc illis pæne suavius & religiosius esse videatur. Certe pro illis in omni retro Ecclesia notissimis atque usitatissimis, *Laus Deo, Laus Christo, Christo laudes*, Latinorum plærique, & quidem qui cæteris religiosiores, purioresque Catholici existimantur; hæc de Eucharistia semper in ore habent, *Laus sanctissimo sacramento*. Suos ipsos Martyras ultimum pro Latina fide certamen adeuntes illa verba ad exitum usq; ingeminasse tradunt Iesuitarum annales; ut Ioannem Gerogemonem Iaponem ex horum disciplina athletam, quem aiunt, quum se ad mortem à Magistratu damnatum audivisset, exultantem & sibi de decreta hac palma gratulantem, chartulæ hæc verba inscripsisse, *x Laus sanctissimo altaris sacramento*, & chartulam in sinu suo condidisse, quæ sibi esset pro viatico. Paulum Vehubirorum, cujus invictam fortitudinem in cœlum ferunt, in horrendis cruciatibus ad mortem non desiisse *y* idem carmen occinere, *Laus sanctissimo sacramento*, Paria de sexdecim Martyribus paucis post annis apud Iapones pro sua fide occisis narrant; item de Iacobo Caravallio Iesuita, *z* Simeone Iapone, *a* & aliis quos dicere longum & supervacaneum est. Denique hunc Iesuitæ Salsetanis,

x Sol. Iapon. L. 19. p. 755. 756. Rois Gir. Ann. Iap. a. 1626. p. 1614.

y Relat. cap. a. 1628. p. 41.

a Gir. Rela. 1626. p. 336.

z Solier. L. 20. c. 28.

Cap.XIX. suo regno, in suburbano Goæ agro, morem esse gloriantur, ut homines vel præsentes, vel etiam absentes per epistolam non aliter sese mu--- colloquentes salutent, qnam his ipsis verbis, *Laus sanctissi--- sacramento;* quam benedicendi formulam audio & apud Hispanos esse in communi omnium usu. Nihil horum apud vetustiores transsubstantiationis incunabulis Christianos reperitur. Nemo eorum *Creatorem sumere* dixit pro panem sacrum edere, Nemo Eucharistiam *Deum ac Dominum vel nostrum, vel suum* vocavit; Nemo quod in scholis Latinis auditum est Creatorem à sacerdote creari, vel *Dominum Christum in Episcoporum manibus quotidie incarnari,* quod nuper Adamus Iesuita in libello contra nos suo scripsit. *b* Illæ vero jam multo usu consecratæ apud Latinos voces, Laus sanctissimo sacramento; plane inauditæ fuerant in omni Christianismo, ante hæc novissima tempora; neque dubito quin veteris Ecclesiæ hominibus horrorem incussuræ fuerint, si quos hujusmodi audivissent. Non ergo veteres oblatam latria adorabant; quam si ita coluissent, haud dubie *Deum ac Dominum suum* censuissent; neque ei sua nomina, suamque laudem ac gloriam invidissent, neque aliter quam Latini de hoc sacramento loquuti essent. Quorum *loquela* adeo diversa est, non potest idem fuisse vel sensus vel cultus. Sed præterquam quod nihil istorum in veterum libris extat, hoc etiam eos nunquam sic esse locutos arguit, quod nemo unquam Paganorum, vel aliorum adversariorum ante Berengariana tempora nostris objecisse legitur, quod *panis eorum esset Deus;* quod procul dubio erant opinaturi, si ipsi Eucharistiam, ut nunc Latini Deum, Dominumque suum vocassent, aut *laudem sacramento* eum dixissent, quam Deo cæteri fere omnes dicunt. Neminem vero tribus prioribus seculis Christianismi repertum esse, qui *panem* eorum *Deum* fuisse diceret, alibi fuse *c* demonstravimus. Sequentium vero seculorum plane eadem ratio est, quod ad hanc quidem criminationem attinet, quam ex historiis constat post transsubstantiationis receptum à Latinis dogma, exortam fuisse. Sed pergamus ad cætera.

b Adam Rép. à Daillè p. 51.69.

c L. 2. de cult. rel. obj. c. 14. p. 135.

CAPUT

CAPUT XX.

Argumentum VII. contra Eucharistiæ adorationem, inde ductum, quod apud veteres solenne non fuerit ut coram sacramento lucerna semper arderent, ut nunc est apud Latinos. Argum. VIII. Quod quæ nunc Latini Eucharistiæ sigilla sive parva simulacra habent, ex veteribus ignota fuerint.

LEx apud Latinos de cultu Eucharistiæ extat, ubi de tabernaculo in quo illa asservatur, præcipiunt; *d Lampades coram eo plures, vel saltem una, die noctuque perpetuo colluceant.* Itaque harum lampadum sive lucernarum multa ubique apud eorum scriptores mentio. Exempla non pauca ex Iesuitarum historiis in alio opere exhibuimus, *e* quæ nihil necesse est hoc loco repetere. & hunc ritum ab Ecclesiæ, quæ ante tertij seculi exitum floruit, moribus & institutis plane alienum fuisse, ibidem fuse docuimus. Fatemur quarto seculo extremo mature inductum hunc fuisse morem, ut etiam de die cerei in Ecclesiis accenderentur vel apud martyrum memorias, vel etiam dum Evangelium legeretur, quorum prius *per imperitiam & simplicitatem secularium hominum*, aut *religiosarum fœminarum* irrepsisse; posterius passim *per totas Orientis Ecclesias* factum *f* fuisse tradit Hieronymus. Sed neque me latet sequioribus postea diu post Hieronymi mortem temporibus receptum fuisse, ut Eucharisticum sacrum nunquam nisi accensis cereis etiam de die, celebraretur; Qua de re tota infra *g* cum bono Deo disputabimus. Nunc illum proprie morem tango quo lampades coram Eucharistia, non cum conficitur, sed alias noctu diuque perpetuo collucent. Hujus ego ritus exemplum apud Christianos aliquod ex antiquioribus Ecclesiæ temporibus requiro. Nullum me vidisse memini; nullum ante undecimum seculum, & exinde secutas ætates reperiri apud veros scriptores puto.

d Rit. Rom. de sanct. Euchar. sect. p. 74.
e L. 2. de cult. relig. obj. c. 15.
f Hieron. contr. Vigil. T. 2. fol. 45. a. 44. M.
g Infra L. 8. c. 31.

Etiam ut opinor, multo est recentius Eucharistiæ sigilla, id est parvula ex ære vel ex alia materia simulacra, sacra ac religiosa fieri, multoque esse apud Latinos in pretio; de quibus ipsis alibi *h* quoque diximus. Vt antiquissimus Christianismus, apud quem nefas erat imagines ullas colere, Eucharistiam hoc honore fundaverit; non debebant certe posteri, qui octavo seculo, obsoleta illa majorum suorum prisca religione, imagines non modo impune sed etiam cum laude fieri ac coli putabant, non debebant inquam illi sacramentum, si id quidem numen esse putabant pati hod signorum & icuncularum ornamento carere. Sed qui a septimo seculo imagines Christo in carne manifestato consecraverunt atque coluerunt, eos nullas apparet Eucharistiæ dedicasse, aut in aliqua suæ religionis parte posuisse. Quod non levi est argumento eos *toto illo tempore Eucharistiam* nondum vel adorasse, vel pro Deo habuisse,

h L. 2. de cult. rel. obj. c. 16.

CAPUT

Cap.XXI.

CAPUT XXI.

Argum. IX. contra adorationem Eucharistiæ, inde petitum, quod veteres à communicaturis naturale jejunium exegisse non reperiantur; quod nunc fit apud Latinos.

HOc quoque Latini Eucharistiæ honori dederunt, ut nemo eam sacerdos celebraret, nemo vel Clericus, vel Laïcus sumeret, nisi à media nocte accuratissime & naturaliter (ut loquuntur) jejunus; quod ab omni veteris Ecclesiæ usu alienum fuisse supra *i* demonstravimus. Quarto seculo institutum, ut non nisi jejuni communicarent; sed id jejunium morale & Ecclesiasticum fuisse, non naturale, ibidem docuimus, imo ne aliud quidem nostris notum fuisse per illa tempora jejunium, quam hoc ipsum quod Latini nunc Ecclesiasticum vocant. Postquam vero Eucharistiam Deum esse placuit, qui sacramento honos satis hactenus fuerat, is ipsi Deo non esse satis visus est; & est sane rationi consentaneum, ut ipsi præsentis numinis majestati majores, quam ejus absentis symbolo, quantumvis sacro, honores habeantur. Itaque mortalium omnium longe sapientissimi atque acutissimi Scholastici Theologi novum illud jejunij genus, quod ipsis Naturale nuncupare libuit, commenti sunt, in Ecclesia omnibus retro seculis ad illa tempora inauditum. Quod si (ut Latinis placet) qui absque hoc jejunio Eucharistiam sumit, graviter peccat; veterem Ecclesiam, quæ nullum unquam nisi Ecclesiasticum jejunium ad hoc sumendum sacramentum flagitasse à suis noscitur, Latinum illud de Christo in pane ac calice vere ac (ut loquuntur) substantialiter præsente ac latente mysterium nescivisse necesse est.

i Supr. L. 3. c.10.

CAPUT XXII.

Argumentum contra adorationem Eucharistiæ X. inde ductum, quod quæ nunc Latini Eucharistiæ dedicant sodalitia veteres nulla habuisse reperiantur. Argum. XI. quod festum Eucharistiæ sacrum omnis, etiam Latina, ad seculum 13. Ecclesia nesciverit. Argumentum XII. quod veteres nullas ad sacramentum preces fecerint, quod nunc à Latinis fit studiosissime.

IAm ut ad reliqua pergamus, inter eos honores, quos Latini Eucharistiæ tribuunt, hic quoque observandus est, quod sodalitia in ejus nomen instituant (confraternitates vulgo vocant) pæne in omnibus civitatibus; sic ut rara sit apud eos paulo amplior Ecclesia, in qua non sit aliquod hujusmodi dedicatum sodalitium; quadam ut videtur, veterum

 Ethnico-

Ethnicorum imitatione, apud quos suæ erant Divorum, qui publice colebantur, servitio addictæ societates, sive familiæ, ut ex Cicerone in Verrinis earum apud Siculos institutarum crebro mentionem injiciente discimus. Hi autem sacramenti sodales ea omnia apud Latinos procurant quæ ad ejus cultum pertinent; hostiam frequentes deducunt, quoties ea publice vel ad infirmos vel ad alios defertur, & cætera id genus officia obeunt. Narrant Iesuitæ eorum se opera apud Iapones utilissime fuisse usos ad Latinæ fidei propagationem; eorumque pietatem ac zelum magnis ferunt laudibus. Quosdam illius ordinis memorant, qui singulis mensibus Missæ, quam suo nomine, suaque causa magnifice celebrari curant, intersunt, quique ea peracta omnes una communicant; quo sic accendi eorum animos in hujus sacramenti religionem prædicant, ut ad hoc adorandum sint multo quam cæteri in Templis frequentiores. Quin & nocturno tempore, quo ædes sacra raro aperitur, ante ejus fores prostratos excubare, horasque in oratione & precibus totas ducere, à Solerio traditum est. *k* Novum esse institutum & apud omnes olim Christianos inauditum, ne ipsi quidem credo; Iesuitæ negaverint. Vnde factum est, ut quod Eucharistiæ majestas flagitabat consecratorum sui cultui hominum collegium, ejus summam utilitatem ac propemodum necessitatem, Latinorum majores per tam multa secula, vel non animadverterint, vel neglexerint? Eorum hoc quidem pietate, illud vero sapientia plane indignum est. Quid ergo est? Nimirum quod sacramentum numen esse latria colendum ne suspicati quidem unquam erant, eos non est mirandum nullum ad illius magis quam ad baptismi adorationem instituisse sodalitium.

CAPVT XXII.

k Soler. Iapon L. 17. c. 2. §. 11.

Præterea Eucharistiæ Latini diem festum consecrarunt. Neque aliter fieri debuit, si verum est quod ipsi credunt, hoc sacramentum esse summum numen, & quidem mirabili quadam ac incomprehensibili stupendaque prorsus ratione apud nos præsens, ad salutem nostram. Cum enim dies festos maxime in honorem Dei, & ad memoriam & significationem præcipuorum mysteriorum fidei institui oporteat, eorumque observatio cultus divini pars sit, ut late disputat *l* in suis controversiis Bellarminus; negari non potest, ex Latinorum quidem hypothesi, quin dies festus sacramento consecrari debeat; quod scilicet contendunt & numen esse summum, omni latriæ cultu dignum, & mysterium continere, quo nihil sit in omni Christianismo celsius, augustius, ac divinius; & quod illi *miraculum miraculorum* vocant. Absque hoc festo foret, mutila esset Latinorum pro sua fide religio. Atque id ipsum portendebat illa Lunæ species Iulianæ virgini, primæ hujus festi inventrici, divinitus oblata, splẽdentis quidem, sed *tamen cum aliquanta sui orbicularis corporis fractione.* *m* Hoc enim idẽ, qui visum obtulerat, Spiritus Iulianæ quid hoc esset dubitanti, interpretatus est, *significari in Luna quidem Ecclesiam, in eius vero fractione, defectum huius ipsius festi.* Vnde omnes intelligunt

l Bell. L. 3. de cultu Sanct. c. 10.

m Diest. Blar. apud Bzov. an. D. 1232. §. 16.

Cap.XVI. quæ ex ea sequitur oppugnarunt, ut ipse ex Antonino refert ac fatetur *a* Bellarminus, eosque an. 1208. docuisse testatur. Eorum autem sectam longe lateque toto illo seculo ac sequente, idest quarto decimo, disseminatam esse patet ex illorum temporum scriptoribus. Ante an. D. 1313. Clemens P. R. Begardos & Beguinos testatur *b* docuisse *se in elevatione corporis Christi non debere assurgere, nec ei reverentiam exhibere*. Bellarminus auctorem Flagellantium circa an. D. 1350. eadem de re Eucharistica sensisse ex Bernardo Lutzenburgensi affirmat. *c* Ioannem Viclefum an. D. 1372. cæteras Latinorum traditiones, & hanc nominatim vehementer in Anglia oppugnasse & superstites ejus libri, & omnium illius ævi scriptorum monumenta clarissime testantur. Valdensis, qui contra ipsum pro Latinis tres tomos olim edidit, refert *d* eum huic Eucharistiæ cultui usque adeo infensum fuisse, ut *idololatriam bestialem* esse diceret, & *qui* hostiam adorarent eos *muribus stultiores* esse contenderet, *qui non recognoscerent in sacramento substantiam nutribilis panis*; *hos in adorando hostiam, tanquam gentes ad simulacra muta pro ut ducebantur, captivatos ire ad idololatrandum*. Eadem sequebantur ejus discipuli, quos & longe plurimos fuisse, vulgari *Lollardorum* nomine notos constat. Seculo quinto decimo Taboritas eadem in Bohemia sensisse ex Ioanne Lukavits patet qui pro iis Apologiam accuratam sane ac eruditam scripsit. *e* Apud eos an. D. 1512. manebat eadem fides; quod ipsi in Apologia ad Regem Vladislaum docent, *f* dum exerte negant, vel à Domino traditum fuisse *colere sacramentalem subsistentiam corporis & sanguinis Christi* (id est sacramentum corporis Christi.) Negant *g Apostolos ullam tali sacramento venerationem exhibuisse*. Iidemque in alio ejusdem argumenti libello scribunt *Ecclesiam primitivam non fecisse reverentiam huic sacramento*; neque *Christum hoc sacramentum ad venerationem dedisse*. Denique concludunt *non esse reverentiam exhibendam sacramento, sed corpori Christi existenti in cœlis*. Paucis post annis Martinus Lutherus; & qui eum propemodum innumerabiles in Germania, Dania, Suecia, & in aliis Septentrionalibus civitatibus ac provinciis ad hodiernum diem sequuntur, tametsi aliquam dogmatis de Eucharistia Latini partem retinuerint, in hoc tamen consentiunt, quod ipsum sacramentum adorandum omnes pariter negant Huldricum Zuinglium, Andream Carolostadium, Ioannem Oecolampadium, Ioannem Calvinum, & alios ejusdem fidei consortes, nihil opus est memorare, quos notum est in Helvetia, Germania, Gallia, Belgio ac tota Britannia hunc Eucharistiæ cultum omnes constanter respuere, ac inter præcipuas causas censere, quæ eos à Latinis disjunxerunt. Hi à publicato transsubstantiationis dogmate contra Eucharistiæ adorationem omnes insurrexerunt, eoque nomine hæreseos à Latinis damnati sunt ac proscripti; Quorum præsertim tam multorum exemplum ostendit siqua apud veteres ante undecimum seculum Christianos publica solennisque fuisset Eucharistiæ hujus Latriæ adoratio; non defuturos aliquos, qui Ecclesiæ ea de re litem moverent; eoque à Patribus damnarentur

a Id. ibid. §. Sextus.

b Clement. L. 5. Tit. de Hær. c. 3.

c Bell. ub. supr. §. Septimus.

d Vald. T. 2. c. 26. fol. 25. B. Et T. 3. tit. 12. 13. 14. & c. 128. in. & Tit. 20.

e Ioan. Luk. Conf. st. Tab. c. 8. p. 17.

f Apol. Vald. p. 18.

g Excusat. cor. p. 43. 44. 67. 70.

damnarentur, & inter hæreticos censerentur. Nulla enim ratio est cur illa adoratio his citimis seculis absurdior hominibus visa fuerit, quam superioribus; vel cur eam quibus absurda videbatur, postremis potius temporibus pulsarent, quam primis. Rei ipsius ingenium tempora non mutant. Quocunque ex seculo existat, non potest non gravis videri; & hominis ratione utentis mentem ac sensus non movere ac ferire. Quinimo si bene reputes vix quicquam in toto Christianismo est, quod ab omni rationis specie vehementius abhorrere videatur, quam hic ritus, quo id homines fideles adorare jubentur, quod sensus motusque omnis expers est, quodque & ab eo qui confecit editur, & ab iis ipsis qui adorarunt, in os ac ventriculum assumitur, atque dejicitur. Vnde est quod Averroes ut supra vidimus, Christianorum Latinorum secta nullam esse deteriorem hoc ipso judicarit, quod soli ex omni religiosorum hominum numero suum quem colunt Deum, ipsi vorent, vel quod eodem recidit, quod id ipsum pro Deo suo colant, quod vocant. Hoc ergo ex istius eruditissimi atq;acutissimi philosophi judicio omniũ, quę in Christianismo absurda esse putabat, absurdissimũ est. Hæretici autem non alia fere vexanda arripiunt, quam quæ insignem aliquam absurditatem ex cómuni sensus ac rationis judicio cótinere videntur. Excute omnes qua veteres, qua recentiores hæreses. Omnes reperies non aliunde exortas esse, quam ex aliqua Ecclesiastici dogmatis, quod oppugnandum sumebant, absurditate (ut sic loquar) apparente. Eundem & hominem esse & Deum apud rationem humanam stultum & insanum est. Eo factum est, ut utrumque de Christo vere dici neque posse neque debere plurimi jam ab ipsis Ecclesiæ incunabulis contenderint. Alij Christum Deum negarunt; ut Ebion, ut Artemon, ut Arius, ut Photinus; Alij hominem, ut Marcion, ut omnes Docetæ, ut Manichæi & alij. Nasci Deum, imo & crucifigi & mori absurdissimum sensui carnis videtur. Neque sane defuerunt hæretici, qui hæc omnia de Christiana fide tollerent. Carnem hominis mortui de pulvisculo, in quem resoluta est, in pristinam formam refingi, philosophus ut ridiculum; explodit. Ergo fuere & hæreticorum plures greges, qui carnis resurrectionem de fidei Christianæ censu eraderent. Manichæi & Pelagij contrarias inter se factiones, eadem utramque absurditatis species peperit; quod utrisque incredibile videretur à Deo id ulla ratione esse, quod malum est. Cætera sigillatim persequi nihil necesse est. Patet enim, neque à quoquam ut opinor, negabitur; nihil eorum esse, quæ Gentiles Christianismi *paradoxa, impossibilia*, vel *stulta* appellabant, ex quo non aliqua in Christum & Ecclesiam, Paganorum foris calumnia, hæreticorum intus blasphemia & scissio orta sit. Atque ut id quis adoret quod ipse glutit, hoc inquam longe omnium absurdissimum & omni humano generi videtur, & est sane, si res seorsum per se æstimetur. Ergo & de hoc quæsiisset, dubitasset, seditionem fecisset aliquis hæreticus, si id quidem jam tum in publico Ecclesiæ cultu fuisset. Neque vero causari potes, fuisse quidem qui hoc non proba-

CAP. XVI.

Cap. XVI. rent; non tamen ausos vel rem negare diserta Christi aut Ecclesiæ lege præscriptam, atque sancitam, vel auctoritatem præsidentium pulsare. Nam præterquam quod neutrum istorum veteres hæreticos terruit, quominus plurima ex disertissimis Christi litteris & publica totius Ecclesiæ voce definita oppugnarent; clarum ac liquidum est neque ullam de ista Eucharistiæ adoratione vel Christi vel universalis Ecclesiæ legem apud nostros ante Berengariana tempora extitisse; neque unquam adversantibus, & aliud à communi publicaque fide sentientibus formidabiliorem fuisse Ecclesiæ auctoritatem, quam quo seculo Latina de Eucharistiæ adoratione lex pulsata est. Tum enim in eos qui contra hanc legem auderent hiscere, non ut olim, admonitione, censura, & excommunicatione, sed ferro & igne, conscriptisque exercitibus, cædibus, lanienis, bellis denique sævissimis, actibus antehac apud omnes retro Christianos inauditis, agebatur. Ergo nihil revera fuit, quod prohiberet veteres hæreticos Eucharistiæ adorationem reprehendere, ac de ea controversiam Ecclesiæ, quæ tum florebat, movere. Atqui nullos unquam de Eucharistiæ adoratione hæreticos Ecclesiæ non dico bellum indixisse, sed vel obloquutos esse ante Berengariana tempora constat. Imo ne fuisse quidem ullos ante Bertramum & Scotum, qui de Dominici corporis in sacramento præsentia dubitarent, quæ adorationis mater est, confitetur *h* Bellarminus. Is (inquit de Erigena, id est de Scoto loquens) *primus in Ecclesia Latina de hac re scribere cœpit.* Scripsit autem Ioannes iste Erigena, non (quod Bellarminus falso & inscite dicit) *tempore Caroli Magni circa an.* D. 800. sed sub Carolo Calvo, circa an. D. 850. Quod vero nonnulli suspicantur jam Ignatij temporibus fuisse hæreticos, qui de transsubstantiatione vel Christi in sacramento præsentia dubitarent, id inquam, ipse Bellarminus merito refellit, *i* observans *antiquissimos illos hæreticos*, quorum mentio fit in loco à Theodoreto velut ex Ignatij ad Smyrnæos epistola, adducto, *non tam sacramentum Eucharistiæ, quam mysterium incarnationis oppugnasse, Dominum* exerte *negantes habere carnem*; ut est in ipso illo Pseud-Ignatij loco. Verum quoque est quod ibidem addit Bellarminus, *nullum veterum, qui de hæresibus scripserit*, hunc errorem *in Catalogo posuisse; ut* (inquit) *patet ex Irenæo, Tertulliano, Philastrio, Epiphanio, Augustino, Theodoreto, Damasceno.* Sed quod idem addit primos *qui veritatem corporis Domini in Eucharistia in quæstionem vocarunt* (apud Græcos scilicet) *fuisse Iconomachos* (ut refertur in 7. Syn. Act. 6. T. 3. in fine) id inquam à recentissimis Latini dogmatis defensoribus Iansenianis nuper explosum est, qui hos Iconomachos cum Nicænæ *Synodi 2. Patribus de Eucharistia quod ad rem ipsam pertinet consensisse* ponunt *k* atque constituunt; & paulo post negant *l* quicquam esse in Iconomachorum verbis, quod ad litteram *non sit verum ex ipsa Catholicorum sententia*; Denique eosdem affirmant *m* quæstionem de Eucharistiæ conversione *decidisse ex Catholicorum mente; Nicænosque ipsos Patres id agnovisse.* Neque hujus de Iconomachis opinionis Ianseniani isti

h Bell. de Euch. L. 1. c. 1. §. Secundus.

i Ibid. §. Primi.

k Lib. de Perpet. fid. de Euch. Part. 2. c. 4 p. 345.
l Ibid. p 352.
m Ibid. p. 352.

CAP. XVI.

isti primi sunt auctores. Idem de illis scripserat *n* vir in his controversiis famosissimus Iacobus Davy Perronius, è cujus fere scriniis Ianseniani sua de hac quidem quæstione pene omnia compilarunt. Iam si hæc Perronij & Iansenianorum scita vera sunt, necessario falsum est, quod eos dicit Bellarminus suorum Catholicorum *sententiam in quæstionem vocasse.* Sed si ab utrorumque dictis seponantur quæ cæco De sua transsubstantiatione præjudicio admista sunt, facile est utrosque revocare ad concordiam. Patres enim Synodi Constantinopolitanæ contra imagines, Eucharistiæ *transsubstantiationem* non modo quod ait Bellarminus *in quæstionem vocarunt*, sed apertissime everterunt, qui diserte definiunt *substantiam panis Christi præcepto in Eucharistia offerri*, & alia ejusmodi non pauca, quæ qui cum transsubstantiatione conciliare nituntur, aërem verberant, neque hilo magis proficiunt, quam si (quod est apud Poetam) *vulpes iungerent, & mulgerent hircos.* Sed altera ex parte illud quoque fatendum est, quod volunt Ianseniani, catholicum fuisse quod hac de re dicunt Iconomachi, neque si summam rei spectes, vel ab Ecclesiæ illius temporis doctrina alienum, vel à Nicænis ipsorum adversariis imaginum patronis damnatum fuisse. Nihil ergo erat, quod Bellarminus de illius Constantinopolitanæ Synodi Patribus suos hic lectores obtunderet. Mihi vero abunde est, quod nemo ex decem primis Christianismi scriptoribus profertur, qui hæreticus ideo ab Ecclesiæ judicatus fuerit, quod Eucharistiæ adorationem rejiceret; nemo hæreticus judicatus, qui Ecclesiæ adorationem Eucharistiæ objecerit. Quæro enim cur & qua ratione factum sit, ut cultus qui, quod ex humano judicio rectaque ratione, imo & ex Scripturæ doctrina, videtur absurdissimus, innumerabiles his fere sex retro seculis habuit adversarios, nullos totis decem primis habuerit? Cur quem totæ Christianorum gentes acerrime his postremis temporibus Latinis exprobrarunt, ne unus quidem vir Christiani nominis primis ad undecimum seculum objecerit? Cur cujus causa & nomine omnis generis sexus & status mortales Latini his quingentis annis damnarunt & excommunicarunt; ob eum nemo homo annis à Christo nato mille & amplius non dico excommunicatus & damnatus, sed vel perstrictus, aut admonitus ab Ecclesia fuisse legatur? Tanti inter utraque tempora discriminis rationem posco. Nulla alia ne fingi quidem potest, quam hæc; postremis scilicet seculis eos quos Latini hæreticos appellant, quosque eo nomine à sua communione præscripserunt, habuisse de quo cum Latinis de adoratione Eucharistiæ expostularent, quod hanc illi revera adorarent; priorum seculorum hæreticis nihil fuisse quod de Latino Eucharistiæ cultu Christianos Catholicos reprehenderent, quia hi scilicet Eucharistiam nulli tum adorabant.

n Perr. L. 2. de Euch. Auct. 36. p. 649. 650.

CAPUT

Caput XVII.

CAPUT XVII.

Stultum & iniquum esse à nobis ea veterum in hac causa testimonia flagitare, quibus diserte & formaliter negent se Eucharistiam latria adorare. Argumentum contra Eucharistiæ adorationem IV. inde ductum, quod illa adoratio, quibus maxime insignibus tribus locis apud Latinos semper sit atque in eorum Liturgiis accurate & in aliis etiam libris non raro memorata occurrit, ea nusquam apud veteres occurrit, vel in Liturgiis, vel in aliis eorum libris. Tria autem illa tempora sunt, I. cum ea in Missa à sacerdote adoratur, simulatque confecta est. II. cum à plebe ibidem, cum elevatur, III. cum ad infirmos vel alios foras effertur, ab obviis quibusvis extra sacrum adoratur.

SEd jam Catholicos Christianos spectemus, quid ipsi de suo cultu suaque religione profiteantur ac doceant. Hic noli expectare, ut eos sistam diserte totidem verbis negantes à se Eucharistiam adorari. Satis enim est quemque quid colat, edere; quæ non colit, sigillatim persequi, ac de singulis negare ea à se coli, nihil necesse est; neque sane id homines æqui à quoquam exigunt; nisi singularis aliqua causa subsit. Vt siquis de alieno aliquo cultu vel accusatus est, vel per se suspectus, quod vel iis qui ei addicti sunt in eadem gente ac civitate permixtus habitet, vel frequentem cum iis usum habeat; hunc & suæ existimationis & alienæ ædificationis ratio postulat non modo quid colat, candide profiteri, sed & id, de quo suspectus esse potest, negare atque à se amoliri. Veteres Christianos, quos ut ostendimus, neque foris Pagani, neque intus hæretici, de Eucharistiæ adoratione unquam pulsasse reperiuntur, nihil necesse fuit id inficiari de quo nemo eos arguebat. Illi fateor, non semel negant, atque exsecrantur Paganicorum numinum cultum; quod iis scilicet temporibus ac locis viverent, quibus impia istorum obtinebat religio; quanquam quod se Christianos profitentur, eo ipso satis negent se vana illa coluisse. Eucharistici cultus, plane alia ratio est, quem cum nulla gens, nulla secta, nullum collegium exerceret, profiteretur aut nosset, præposteræ fuisset diligentiæ se ab eo purgare, quod vix ac ne vix quidem in cujusquam mentem cadere potuit. Quin & veri ut mihi quidem videtur perquam simile est ne ullum quidem extitisse priscis illis seculis Christianum, qui vel ipsa animi cogitatione præsenserit aliquando futurum ut res usque adeo absurda, & ab omni non modo hominum sensu atque ratione sed etiam Dei lege & doctrina, in aliquem Ecclesiæ usum veniret. Quo fit, ut non possim satis mirari quorumdam Latinorum in hac disputatione iniquitatem; qui nostras de hac causa argumenta-

mentationes irrident, atque elevant; flagitantes à nobis diserta liquidaque testimonia, in quibus Patres totidem verbis clare ac proprie pronuntient se Eucharistiæ cum latriæ cultum, qui uni Deo debetur, nequaquam exhibendum credere. Atqui ipsorum est hujusmodi nobis de veteris Ecclesiæ secum in hac adoratione consensu documenta proferre; quibus hoc, quod isti nunc docent ac factitant, Patres exerte affirment, panem scilicet ac vinum sacrum latria esse colendum, Primo quod in hac causa actores sint, quibus probandi onus, ut notum est, incumbit. Nostrum est, quid isti afferant, expendere. Ipsi enim adoratam ab antiqua Ecclesia Eucharistiam affirmant, nos negamus. Secundo, quod hoc, quod isti affirmant, non modo mirum & insolens, sed etiam absurdum atque incredibile apparet; quod ipse sensus respuit; quod ratio refugit; quod nulla Dei, nulla naturæ vox commendat; ut, nisi necessaria atque evidenti ex Dei legibus demonstratione constitutum fuerit, non facile à quoquam cordato admitti vel possit vel debeat. Nullum autem Latinos hujusmodi veterum de re proposita testimonium habere (quo scilicet necessario ac evidenter demonstretur, latriæ cultum fuisse olim Eucharistiæ à Christianis exhibitum) nuper ostendimus, & quæcumque nobis in hac causa ab illis objiciuntur, ea abunde dissolvimus. Nunc ergo quod instituimus agamus, missaque, quod à nobis in hac disputatione posci iniquum est, puræ disertæque inficiationis testimonio, argumentis, ut cœpimus, ductis à rei consequentibus, antecedentibus, oppositis, & aliis hujusmodi signis, investigemus, an Eucharistia olim à Christianis ante undecimum seculum adorata fuerit. CAPVT XVII.

Quo in genere illud primum, sane memorabile censeo, quod ille hujus sacramenti cultus, quibus locis nunc apud Latinos maxime conspicuus occurrit, & quibus hunc revera maxime occurrere consentaneum est apud eos, qui Eucharistiam latria dignam putant, nullus in veterum monumentis apparet. Loci autem illi, ut cæteros nunc mittam, tres sunt à nobis maxime insignes in Latinorum religione supra observati; primus, cum sacramentum simulatque confectum est, statim à celebrante accuratissime adoratur, ante utrumque sigillatim symbolum illico in genua procumbente. Alter huic proximus locus est, cum sacer quidem panis prius, mox & sanctus calix suo uterque ordine à sacerdote elevatus ab omni plebis circumstantis corona companulæ sono excitatæ, de geniculis devotissime colitur; Tertius denique locus est, cum vel ad infirmorum viaticum, vel quavis alia se causa publice defertur, passimque ab omnibus, quotquot occurrunt, nullo sexus, ætatis, dignitatis discrimine, in terram eo viso procidentibus eadem religione excipitur. Nemo negaverit Eucharistiæ, si res est latria digna, ac ut uno verbo dicam, si *Deus*, quod Latini affirmant, vere est, jure meritoque, adeoque necessario, tribus his locis ac temporibus adorationem illam eximiam deberi. Hoc si Eucharistiæ deberi Latinorum exemplum, omni in eos argumento validius, non præscribit, ratio certe communisque omnium

mortalium

Caput XVII. mortalium animis ab ipsa natura insitus sensus vincit; quo interius urgente, homines cætera stupidissimi, etiam absque monitore, siquid occurrat quod ipsi numen esse pro certo credant, statim ei adorationem vel prostrati vel in genua ruentes, vel alio quocumque solenni apud suos religionis ritu exhibent. Fecisse hoc pios sanctosque veteris sub Moyse fœderis viros non semel in divinis litteris legimus, quoties iis Dominus Majestatem suam in aliquo signo conspiciendam præberet, statim adorabant, quem Deum esse certo comperiebant. Vnum Iosuæ exemplum satis est, quem pronum in terram cecidisse, adorantem videmus, *o* simul intellexit Deum esse, qui se alloquebatur. Gentium in sua numina eandem fuisse religionem, vel ille apud Minutium nostrum Cæcilius docet, qui Serapidis simulacrum, ut vidit, odoravit; *Serapidos* (inquit) *simulacro denotato* (id est animadverso) *manum ori admovens osculum labiis pressit*; quam ipsissimam fuisse solennem apud Paganos adorationem notum est. Neque hæc unius Cæcilij religio fuit. Eadem paribus locis facere solitos cæteros ejus consecraneos monet nos Minutius, qui hoc Cæcilij factum narrans, *ut* (inquit) *superstitiosus vulgus solet*. Idem demonstrat omnium gentium similis vel in principes, & eximiæ dignitatis, vel in amicos & caros viros, si quãdo iis obvij fiunt civilitas. Nulla enim gens est paulo humanior, in qua non videamus, non modo ad omnem Regis & magistratuum, sed etiam majoris cujusque personæ occursum homines inferioris ordinis (ut cum Tertulliano loquar) *decrescere*, id est corpus, certe caput & pectus honoris & reverentię causa inclinare ac summittere. Quanto magis Deo, summo Divorum, atque hominum Regi, si quando is se nobis dignatur in conspectum dare; suam, id est divinam, adorationem debemus? Hoc vero nostri esse in Christum suum officij, Pater ipse liquido definit, qui ut est apud Apostolum, *r cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit. Et adorent eum omnes Angeli.* Nam si Christum ubicumque apparet, ipsi Angeli adorare ex hac Patris lege necesse est; nos eodem in ipsum officio fungi eo magis decet, quo ei plura quam vel Angeli, vel ullæ aliæ creaturæ, debemus. Si ergo veteres Christiani Eucharistiam ipsissimum Christum esse sese nobis tribus illis locis quæ notavi, manifestantem, juxta cum Latinis credidissent, non est dubitandum, quin sacramento in his locis versantes latriæ adorationem delaturi fuerint Non detulisse supra ad singula loca inde demonstravimus, quod in Liturgiis, quæ eorum nomina præferunt nulla istic extat hujus adorationis mentio. Sed præter Liturgias id ipsum quoque ex cæteris antiquitatis ante decimum seculum veris certisque monumentis intelligitur. Cum enim in Latinorum libris, qui his retro proximis quinque seculis scripti extant, non pauca passim reperiantur adoratæ his locis Eucharistiæ exempla, nullum hujusmodi observare est in vetustiorum jam ab initio Christianismi ad decimum usque quod diximus seculum, sive historicis, sive alterius argumenti litteris. Quod ego inter utraque tempora tam insigne discrimen pro certo ejus diversitatis

argu-

o Iof. 5.14.

p Minut. in Octav. p. 4.

q Tert. de Pœnit. c. 13. p.148.A.

r Hebr.1.6.

mento habeo, quam in hac cultus Christiani parte inter utramque Ecclesiam, antiquiorem scilicet & hanc recentiorem fuisse defendimus. Idem quoque tertio licet inde argumentari, quod Latini suarum Ecclesiarum rectores jubent *s* plebes suæ fidei commissas, de divino hoc Eucharistiæ cultu diligenter docere, dareque operam, ut omnes laïci, quibus ipsi præsunt, eam religiose colãt, sancte frequenterq; suscipiãt ut illud preterea intelligant, memorique mente teneãt non debere hoc sacramentum cuiquam tradi nisi rite confesso & naturaliter jejuno (quod qui sit supra docuimus) ita demum paratos utroque genu flexo sacramentum humiliter adorent, ac reverenter suscipiant. Atque hæc quidem commonefactio Latinorum fidei quam sit consentanea, quam in eorum disciplina necessaria omnes vident. Cum enim in omni religione nihil sit latriæ cultu divinivis, nihil in quo gravius, majorique cum periculo peccetur, apparet, qui cultum hunc Eucharistiæ deberi credunt, vehementer eos ac turpiter officio suo deesse, ni suas plebes ad eum rite exhibendum accuratissime, quo ad fieri potest, instituant. Atqui in veteris decimo seculo anterioris Ecclesiæ monumentis, cum plurima loca occurrant, in quibus majores nostri suos fideles ad hoc sacramentum legitime atque utiliter sumendum diligentissime cohortentur; altum ubique est de eo latria adorando silentium. Ergo confitendum est majores illos nostros, vel homines fuisse sui officij negligentissimos, quod nemo pius suspicabitur; vel quod est sane verissimum, hanc Latinorum adorationem ac latriam nescivisse. Iesuitæ quidem tanti faciunt suorum hac in parte zelum, ut quo omnes ad parem hostiæ Missalis cultum accendant, in suorum sodalium elogiis (quos sane laudare admodum liberaliter solent) hoc inter cætera eorum decora non raro commemorent, quod magno in hoc sacramentum zelo arserint. Qualiter Orlandinum videmus inter cæteros flores, quibus Cornelij cujusdam Croci de Ignatiana familia herois, pietatem ac Christianismum conspergit, hunc hominis zelum nominatim laudasse; *Divinum (inquit) cultum, venerationem præsertim augustissimæ Eucharistiæ perstudiose tuebatur.* Nemo mihi in veterum, quos dixi, laudationibus simile quicquam ostenderit. Cum ergo ex his satis superque constet illis, quæ notavi, locis nullam apud veteres hujus Eucharistiæ mentionem occurrere, cum conclusum esto in prisca Ecclesia ignotam fuisse.

CAPVT XVII.

s Rituale Rom. tit. de Sacr. Euch. p. 73.

s Orland. Hist. Societ. L. 10. §. 73.

Caput XVIII.

CAPUT XVIII.

Argumentum contra adorationem Eucharistiæ V. inde ductum, quod ea adoratio neque in aliis multis locis, in quibus fit apud Latinos, unquam facta reperiatur apud veteres, ut in solenni cujusque fidelis communione, in baptismi, in pœnitentiæ, in Ordinationis administratione, in Chrismatis confectione; in solenni crucis die Parasceves cultu, in infirmorum communione, in funeris apparatu, in Ecclesiæ ingressu.

SEd Eucharistiæ adoratio, non modo in tribus illis locis, quorum maxime propria est apud Latinos extat. Etiam alibi frequens est, inprimis vero quoties fideles communicant. Lex hæc est in Rituali, *u* Omnes utriusque sexus genu flexo sacramentum humiliter adorent, ac reverenter suscipiant. Itaque nemo nisi utroque genu humi posito apud eos communicat, qui adorandi apud Christianos jam ab initio solennis est ac legitimus ritus. Hunc ergo & veteres in Eucharistia sumenda usurpassent si eam cum hodiernis Latinis summo latriæ cultu adorandam putassent. Atqui abunde supra *x* demonstravimus antiquiorum temporum Christianos stantes communicasse; eumque adhuc usum apud Græcos, & Æthiopes servari. Illud quidem, confiteor, siquis Eucharistiam sumens genu flexus adoret, non esse inde consequens, ut ipsam adorasse putandus sit, Fieri enim potest, ut illa sua genu flexione non panem vinumque sacrum, sed Christum, qui per ista symbola significatur, adoret, *ad* quem se cor suum *habere* professus est. Apud ipsos Latinos genibus flexis suscipiuntur & cineres in capite jejunij, & rami benedicti in Dominica Palmarum; neque tamen quod sciam, latria vel rami vel cineres adorantur. Cui vero latriam deberi credis, id excipere nefas est alio quam adorantis actu gestuque. Iam vero humi genua figere, vel in terram corpus prosternere solennis semper ac legitimus apud Christianos adorationis ritus fuit; si Dominicos dies totamque Pentecosten excipias; quibus temporibus ad Dominicæ resurrectionis memoriam stantes adorare & precari mos olim fuit, tametsi nunc etiam apud Latinos antiquatus. Atqui veteres non Dominicis modo & Pentecostes diebus, sed quocumque etiam alio anni tempore ac die, Eucharistiam stantes accipiebant; neque aliter Græci & Æthiopes etiam hodie factitant. Necessario ergo fatendum est eos vel impios fuisse, qui quod numen latria dignum esse credebant, id aliter quam genu flexi acciperent; vel certe aliud quam Latinos de Eucharistiæ natura & honore sensisse; id nimirum pro sanctissimo & utilissimo sacramento, magna cum veneratione sumendo habuisse; non putasse Numen esse, eadē cum Deo latria colēdum.

u Rit. Rom. Tit. de Euch. p. 73.

x Supr. L. 6. c. 1.

y Missale ad fer. Gen p. 74 75. Ibid. Dom. in Palm. p. 180.

Nunc

Nunc ad cætera loca pergamus, in quibus apud Latinos frequens ex- CAPUT. XVIII
tat hæc hostiæ adoratio. Nam ut breviter dicam, ea in Latinorum sacris pæne ubique occurrit (ut supra, *z* cum de ejus reservatione disputaremus jam annotavimus) in Baptismi, in Pœnitentiæ, in Ordinationis administratione, in Chrismatis confectione, in solenni crucis die Parasceves cultu, in infirmorum visitatione. Alibi *a* ostendimus Indos quidem à Iesuitis ad suam fidem Goæ conversos simul atque sacro lavacro abluti sunt, *sacramento in altari quiescenti gratias agere pro tanto beneficio, quo eius filij facti sunt*; pœnitentes vero disciplinas ante hoc sacramentum suas facere, id est Deo pro peccatis satisfacere solere; idque Sanguini cujusdam Iaponis exemplo probauimus, qui ad expiandum nescio quid criminis à se admissi à religiosissimis Latinorum sacrorum antistitibus Iesuitis jussus est ante sacramentum prostratus tandiu tergum flagris lacerare, donec recitatus esset unus è psalmis pœnitentialibus; Eodemque loco ostendimus neutrius moris ullum extare in omni primorum Christianorum Ecclesia, qui ante an. D. 300. vixerunt, vestigium. Sed neque in sequentis ad an. D. 1100. Ecclesiæ monumentis quicquam simile observare est. Ejus disciplina fuit, ut omnes neophyti & adulti & infantes statim à baptismo Eucharistiam sumerent; idque nos supra demonstravimus; Vt adorarent, inauditum. Ita Cyrillus quos alloquitur recens baptizatos, eos statim ad sacram communionem vocat. *c* Sic apud Dionysium Pseud-Areopagitam Episcopus hominem rite baptizatum *sacrosancta Eucharistia participem declarat*; *d* & in eodem capite; *Omnibus vero* (inquit) *peractis eum, qui initiatus est, ad sanctissimam Eucharistiam vocat, & mysteriorum perficiendi vim habentium communionem illi tradit.* Ambrosius vel quisquis est auctor sane vetus, *His abluta plebs dives insignibus ad Christi contendit altaria*; Quorsum? An ut adoret sacramentum? Nihil ille de eo tradit; sed quid in altari quærat neophytus, mox docet, *cœleste illud* (inquit) *festinat adire convivium.* Ergo sacramento vescebatur baptizatus. Eadem significat *f* liber de Sacramentis quartus apud eundem Ambrosium. Morem ad undecimum seculum mansisse Ordo Romanus loquitur, *g* in quo videmus baptizatos, etiam infantes, statim *communicasse sacramento corporis Christi.* Baptizatos ergo adultos Eucharistiam post sacrum *lavacrum* sumpsisse, omnes veteres testantur; *adorasse*, nemo. Iesuitarum disciplina hujus plane contraria; ex qua adultæ post susceptum baptismum Eucharistiam *adorasse* quidem legi; *sumpsisse*, quod meminerim, non legi. Sed à prisco more multo etiam longius recedit eorum lex Pœnitentialis; qua peccatores exhomologesin illam (sane diram ac inhumanam & omni quod sciam veteri Ecclesiæ ignotam) ante ipsam Eucharistiam prostrati & adorabundi faciunt; à quo instituto adeo aberant veteres, ut sacra symbola ne eminus quidem videre pœnitentes fas esset; nedum ut ante ea consistere, piis adorationem exhibere liceret; adeoque clara Diaconi voce quicumque erant in eo ordine ex Ecclesia ante dimittebantur, quam Eucharisticum sacrum fieret; quod quia

z Supr. L. 6. c. 13.
a L. 2. de cult. rel. obj. c. 32. p. 251.
b Supr. L. 5. c. 3. & 4.
c Cyril. Hier. Bat. Myst. 4.
d Dionys. Hier. Eccl. c. 2. in fin. myst & in fin. Hier.
e Ambr. de iis qui init. c. 8. init.
f Id. L. 4. de Sacr. c. 2.
g Ordo Rom. T. 10. Bibl. Patr. p. 84. C.

Caput XVIII. omnibus notum est, in eo nos ex veterum monumentis demonstrando nihil immorari necesse est. En quam accurati sint Iesuitæ antiquitatis imitatores! quorum leges non modo aliæ sunt quam veteres, sed veteribus plane veluti de industria oppositæ atque contrariæ.

In ordinationibus quoque apud Latinos occurrit Eucharistiæ adoratio, ut in Presbyterali, ad quam præter cætera, *paratur h hostia super patenam posita*. Ordinator, id est Pontifex, sive Episcopus postquam ordinati dispositi fuerint & genuflexi, ipse *facit reverentiam sacramento*. In confectione chrismatis Pontifex semel atque iterum *facit i reverentiam sacramento in altari consecrato*. Postmodum duodecim quoque illi sacerdotes, qui ei adsunt, antequam chrisma salutent, suo singuli ordine eidem *sacramento in altari posito reverentias faciunt. k* Sed & feria sexta in Parasceve in processione, quæ fit finita crucis adoratione, cum perventum est ad locum Sacramenti, *Sacerdos genu flectit ante sacramentum, & orat aliquantulum. l* Iam cum viaticum ad infirmos defertur, *m* sacerdos sacramentum, super *mensa depositum genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus*. Infirmo communicato si altera *particula* superfuerit. (superesse autem semper debet) *genu flectit presbyter, & discedit. Postremo cum pervenerit ad Ecclesiam, ponit sacramentum super altare, & adorat.* Apud veteres in his omnibus locis nulla occurrit de *adorando sacramento*, vel de *reverentia ei facienda*, vel de *flectendis coram eo genibus* mentio. In Constitutionibus Pseud-Apostolicis, *n* & apud Dionysium *o* describitur ritus ordinationis Presbyteralis; apud hunc etiam chrismatis confectio ejusque ritus. *p* Nullum in his apud utrumque de Eucharistiæ adoratione verbum. Sed neque in Ordine Romano, *q* ubi de ordinatione, vel Clericorum in genere; vel Presbyterorum nominatim, vel de chrismatis confectione, vel crucis die Parasceves adoratione fuse agitur, quicquam de reverentia sacramento facta dicitur. Præterea ex Orlandino *r* observo qui sunt apud Latinos cæteris religiosiores (vulgo devotos dicimus) eos in ipso in Ecclesias ingressu Eucharistiam ante omnia adorare. Hæc enim ille Palmij cujusdam Iesuitæ verba de se & de Sylvestro quodam Landino ejusdem ordinis sanctulo; *Nuper* (inquit) *in templum pariter descendimus populo expectante concionem. Genua fleximus ante sanctissimam Eucharistiam.* Posco de simili adoratione sacramento in Ecclesiæ ingressu à fidelibus delata ex veteris ad an. D. 1000. Christianismi monumentis exemplum. Nullum memini; nullum ex sinceris quidem libris exhiberi posse puto. Hoc quoque apud Latinos scriptores de suis hominibus legimus; ut apud Solerium, *s de Sacramenti sodalibus*, eos Ecclesias *frequentare, ut sacramentum adorent.* Atque hunc quidem esse plærorumque vulgo morem satis superque notum est, ut templa adeant, sacramenti non participandi, sed adorandi gratia. Neminem de toto illo vetere, quem diximus, Christianismo reperies, qui ad Eucharistiam adorandam loca sacra adiisse, vel in iis versatus esse dicatur.

h Pontif. Rom. de ordin. Presb. p. 37. extr.
i Ibid. p. 49. Ibid. Part. 3. de chrism. p. 408. col. 2.
k Ibid. p. 423. col. 1.
l Miss. Rom. Parasc. p. 219. b.
m Rit. Rom. Tit. de Euchar. p. 83. 85.
n Const. Apost. L. 8. c. 16. & 24.
o Dion. de Eccl. Hier. c. 5.
p Ibid. c. 4.
q Ord Rom. Tit. de sacr. ordin. p. 96. 97. T. 10. Bibl. PP. & Tit. de ord. Presb. ibid p. 102. 103. ibid. de chrism p. 70. ibid. die Parasc. p. 71. 72. 73.
r Orland. Hist. Soc. L. 14. § 33
s Sol. Iapon. L. 17. c. 2. p. 491.

CAPUT XIX.

Argumentum VI. contra adorationem Eucharistiæ, inde ductum, quod sacramentum Deum & Dominum suum vocare, & sacramenti vocabulo Deum significare, Latinis quidem familiare est; apud veteres vero plane insuetum & inauditum.

IAm de honoribus dicamus, qui huic Sacramento decreti delatique ex ejus divinitatis opinione fluxerunt. Quo in genere illud primum occurrit à rei nomine petitum, quod Eucharistiam veteres si latriæ cultu adorassent, eam utique *Deum* & *Dominum*, &, *omnem* suum vocassent, vicissimque ejus vocabulo ad numen significandum usi essent; quod utramque nunquam fecisse reperiuntur. Latini certe, qui eam adorant, in quotidiano sermone, quoties causa, vel occasio incidit, utrumque libere usurpant. Gulielmus Alanus, Cardinalis, *Dominum nostrum*, & *Deum nostrum* vocat; *t* Richardus vero Bristous *Dominum meum*, & *Deum meum* appellat. *u* Apud nostrates vulgare est & omnium fere sermone tritum, ut se *Creatorem suum sumpsisse*, vel *sumpturos* esse dicant, qui hujus sacramenti communionem significare vult. Neque vero novum est memoratum à nobis alibi distichon, quo obviam Eucharistiam flexis genibus à suis salutari vult Decretalis Honorianæ Glossator,

t Alan. de sacr. Euch. c. 41.
u Brist. motiv. 26.

Salve lux mundi, verbum Patris, hostia vera,
Viva caro, Deitas integra, verus homo.

Sed & Eucharistiæ nomen pro Dei Dominique nostri in secula benedicti nomine in communi sermone usurpare tam est familiare, ut illud etiam hoc illis pæne suavius & religiosius esse videatur. Certe pro illis in omni retro Ecclesia notissimis atque usitatissimis, *Laus Deo, Laus Christo, Christo laudes*, Latinorum plærique, & quidem qui cæteris religiosiores, purioresque Catholici existimantur; hæc de Eucharistia semper in ore habent, *Laus sanctissimo sacramento*. Suos ipsos Martyras ultimum pro Latina fide certamen adeuntes illa verba ad exitum usq; ingeminasse tradunt Iesuitarum annales; ut Ioannem Gerogemonem Iaponem ex horum disciplina athletam, quem aiunt, quum se ad mortem à Magistratu damnatum audivisset, exultantem & sibi de decreta hac palma gratulantem, chartulæ hæc verba inscripsisse, *x Laus sanctissimo altaris sacramento*, & chartulam in sinu suo condidisse, quæ sibi esset pro viatico. Paulum Vehubirorum, cujus invictam fortitudinem in cœlum ferunt, in horrendis cruciatibus ad mortem non desiisse *y* idem carmen occinere, *Laus sanctissimo sacramento*, Paria de sexdecim Martyribus paucis post annis apud Iapones pro sua fide occisis narrant; item de Iacobo Caravallio Iesuita, *z* Simeone Iapone, *a* & aliis quos dicere longum & supervacaneum est. Denique hunc Iesuitæ Salsetanis, suo

x Sol. Iapon. L. 19. p. 755. 756. Rois Gir. Ann. Iap. a. 1626. p. 1614.
y Relat. cap. a. 1628. p. 41.
a Gir. Rel. a. 1626. p. 336.
z Solier. L. 20. c. 28.

Cap.XIX. suo regno, in suburbano Goæ agro, morem esse gloriantur, ut homines vel præsentes, vel etiam absentes per epistolam non aliter sese mu[illegible] colloquentes salutent, quam his ipsis verbis, *Laus sanctiss[illegible] sacramento;* quam benedicendi formulam audio & apud Hispanos esse in communi omnium usu. Nihil horum apud vetustiores transsubstantiationis incunabulis Christianos reperitur. Nemo eorum *Creatorem sumere* dixit pro panem sacrum edere, Nemo Eucharistiam *Deum ac Dominum vel nostrum, vel suum* vocavit; Nemo quod in scholis Latinis auditum est Creatorem à sacerdote creari, vel *Dominum Christum in Episcoporum manibus quotidie incarnari,* quod nuper Adamus Iesuita in libello contra nos suo scripsit.[b] Illæ vero jam multo usu consecratæ apud Latinos voces, Laus sanctissimo sacramento; plane inauditæ fuerant in omni Christianismo, ante hæc novissima tempora; neque dubito quin veteris Ecclesiæ hominibus horrorem incussuræ fuerint, si quos hujusmodi audivissent. Non ergo veteres oblatam latria adorabant; quam si ita coluissent, haud dubie *Deum ac Dominum suum* censuissent; neque ei sua nomina, suamque laudem ac gloriam invidissent, neque aliter quam Latini de hoc sacramento loquuti essent. Quorum *loquela* adeo diversa est, non potest idem fuisse vel sensus vel cultus. Sed prætterquam quod nihil istorum in veterum libris extat, hoc etiam eos nunquam sic esse locutos arguit, quod nemo unquam Paganorum, vel aliorum adversariorum ante Berengariana tempora nostris objecisse legitur, quod *panis eorum esset Deus;* quod procul dubio erant opinaturi, si ipsi Eucharistiam, ut nunc Latini Deum, Dominumque suum vocassent, aut *laudem sacramento* eum dixissent, quam Deo cæteri fere omnes dicunt. Neminem vero tribus prioribus seculis Christianismi repertum esse, qui *panem* eorum *Deum* fuisse diceret, alibi fuse [c] demonstravimus. Sequentium vero seculorum plane eadem ratio est, quod ad hanc quidem criminationem attinet, quam ex historiis constat post transsubstantiationis receptum à Latinis dogma, exortam fuisse. Sed pergamus ad cætera.

[b] Adam Rép. à Daillè p. 51.69.

[c] L. 2. de cult. rel. obj. c. 14. p. 135.

CAPUT

CAPUT XX.

Argumentum VII. contra Eucharistiæ adorationem, inde ductum, quod apud veteres solenne non fuerit ut coram sacramento lucernæ semper arderent, ut nunc est apud Latinos. Argum. VIII. Quod quæ nunc Latini Eucharistiæ sigilla sive parva simulacra habent, ex veteribus ignota fuerint.

LEx apud Latinos de cultu Eucharistiæ extat, ubi de tabernaculo in quo illa asservatur, præcipiunt; d *Lampades coram eo plures, vel saltem una, die noctuque perpetuo colluceant.* Itaque harum lampadum sive lucernarum multa ubique apud eorum scriptores mentio. Exempla non pauca ex Iesuitarum historiis in alio opere exhibuimus, e quæ nihil necesse est hoc loco repetere, & hunc ritum ab Ecclesiæ, quæ ante tertij seculi exitum floruit, moribus & institutis plane alienum fuisse, ibidem fuse docuimus. Fatemur quarto seculo extremo mature inductum hunc fuisse morem, ut etiam de die cerei in Ecclesiis accenderentur vel apud martyrum memorias, vel etiam dum Evangelium legeretur, quorum prius *per imperitiam & simplicitatem secularium hominum*, aut *religiosarum fœminarum* irrepsisse; posterius passim *per totas Orientis Ecclesias* factum fuisse tradit Hieronymus. Sed neque me latet sequioribus postea diu post Hieronymi mortem temporibus receptum fuisse, ut Eucharisticum sacrum nunquam nisi accensis cereis etiam de die, celebraretur; Qua de re tota infra g cum bono Deo disputabimus. Nunc illum proprie morem tango quo lampades coram Eucharistia, non cum conficitur, sed alias noctu diuque perpetuo collucent. Hujus ego ritus exemplum apud Christianos aliquod ex antiquioribus Ecclesiæ temporibus requiro. Nullum me vidisse memini; nullum ante undecimum seculum, & exinde secutas ætates reperiri apud veros scriptores puto.

d Rit. Rom. de sanct. Euchar.

e Cet. p. 74. L. 2. de cult. relig. obj. c. 15.

f Hieron. contr. Vigil. T. 2. fol. 45. a. 44. M.

g Infra L. 8. c. 31.

Etiam ut opinor, multo est recentius Eucharistiæ sigilla, id est parvula ex ære vel ex alia materia simulacra, sacra ac religiosa fieri, multoque esse apud Latinos in pretio; de quibus ipsis alibi h quoque diximus. Vt antiquissimus Christianismus, apud quem nefas erat imagines ullas colere, Eucharistiam hoc honore fundaverit; non debebant certe posteri, qui octavo seculo, obsoleta illa majorum suorum prisca religione, imagines non modo impune sed etiam cum laude fieri ac coli putabant, non debebant inquam illi sacramentum, si id quidem numen esse putabant pati hoc signorum & iconcularum ornamento carere. Sed qui a septimo seculo imagines Christo in carne manifestato consecraverunt atque coluerunt, eos nullas apparet Eucharistiæ dedicasse, aut in aliqua suæ religionis parte posuisse. Quod non levi est argumento eos *toto illo tempore Eucharistiam* nondum vel adorasse, vel pro Deo habuisse,

h L. 2. de cult. rel. obj. c. 16.

CAPUT

CAPVT XXI.

Argum. IX. contra adorationem Eucharistiæ, inde petitum, quod veteres à communicaturis naturale jejunium exegisse non reperiantur; quod nunc fit apud Latinos.

HOc quoque Latini Eucharistiæ honori dederunt, ut nemo eam sacerdos celebraret, nemo vel Clericus, vel Laïcus sumeret, nisi à media nocte accuratissime & naturaliter (ut loquuntur) jejunus; quod ab omni veteris Ecclesiæ usu alienum fuisse supra *i* demonstravimus. Quarto seculo institutum, ut non nisi jejuni communicarent; sed id jejunium morale & Ecclesiasticum fuisse, non naturale, ibidem docuimus, imo ne aliud quidem nostris notum fuisse per illa tempora jejunium, quam hoc ipsum quod Latini nunc Ecclesiasticum vocant. Postquam vero Eucharistiam Deum esse placuit, qui sacramento honos satis hactenus fuerat, is ipsi Deo non esse satis visus est; & est sane rationi consentaneum, ut ipsi præsentis numinis majestati majores, quam ejus absentis symbolo, quantumvis sacro, honores habeantur. Itaque mortalium omnium longe sapientissimi atque acutissimi Scholastici Theologi novum illud jejunij genus, quod ipsis Naturale nuncupare libuit, commenti sunt, in Ecclesia omnibus retro seculis ad illa tempora inauditum. Quod si (ut Latinis placet) qui absque hoc jejunio Eucharistiam sumit, graviter peccat; veterem Ecclesiam, quæ nullum unquam nisi Ecclesiasticum jejunium ad hoc sumendum sacramentum flagitasse, à suis noscitur, Latinum illud de Christo in pane ac calice vere ac (ut loquuntur) substantialiter præsente ac latente mysterium nescivisse necesse est.

i Supr. L. 3. c.10.

CAPVT XXII.

Argumentum contra adorationem Eucharistiæ X. inde ductum, quod quæ nunc Latini Eucharistiæ dedicant sodalitia veteres nulla habuisse reperiantur. Argum. XI. quod festum Eucharistiæ sacrum omnis, etiam Latina, ad seculum 13. Ecclesia nesciverit. Argumentum XII. quod veteres nullas ad sacramentum preces fecerint, quod nunc à Latinis fit studiosissime.

IAm ut ad reliqua pergamus, inter eos honores, quos Latini Eucharistiæ tribuunt, hic quoque observandus est, quod soldalitia in ejus nomen instituant (confraternitates vulgo vocant) pæne in omnibus civitatibus; sic ut rara sit apud eos paulo amplior Ecclesia, in qua non sit aliquod hujusmodi dedicatum sodalitium; quadam ut videtur, veterum

Ethnico-

Ethnicorum imitatione, apud quos suæ erant Divorum, qui publice colebantur, servitio addictæ societates, sive familiæ, ut ex Cicerone in Verrinis earum apud Siculos institutarum crebro mentionem injiciente discimus. Hi autem sacramenti sodales ea omnia apud Latinos procurant quæ ad ejus cultum pertinent; hostiam frequentes deducunt, quoties ea publice vel ad infirmos vel ad alios defertur, & cætera id genus officia obeunt. Narrant Iesuitæ eorum se opera apud Iapones utilissime fuisse usos ad Latinæ fidei propagationem; eorumque pietatem ac zelum magnis ferunt laudibus. Quosdam illius ordinis memorant, qui singulis mensibus Missæ, quam suo nomine, suaque causa magnifice celebrari curant, intersunt, quique ea peracta omnes una communicant; quo sic accendi eorum animos in hujus sacramenti religionem prædicant, ut ad hoc adorandum sint multo quam cæteri in Templis frequentiores. Quin & nocturno tempore, quo ædes sacra raro aperitur, ante ejus fores prostratos excubare, horasque in oratione & precibus totas ducere, à Solerio traditum est. *k* Novum esse institutum & apud omnes olim Christianos inauditum, ne ipsi quidem credo; Iesuitæ negaverint. Vnde factum est, ut quod Eucharistiæ majestas flagitabat consecratorum sui cultui hominum collegium, ejus summam utilitatem ac propemodum necessitatem, Latinorum majores per tam multa secula, vel non animadverterint, vel neglexerint? Eorum hoc quidem pietate, illud vero sapientia plane indignum est. Quid ergo est? Nimirum quod sacramentum numen esse latria colendum ne suspicati quidem unquam erant, eos non est mirandum nullum ad illius magis quam ad baptismi adorationem instituisse sodalitium.

CAPUT XXII.

k Soler. Iapon L. 17. c. 2. §. 11.

Præterea Eucharistiæ Latini diem festum consecrarunt. Neque aliter fieri debuit, si verum est quod ipsi credunt, hoc sacramentum esse summum numen, & quidem mirabili quadam ac incomprehensibili stupendaque prorsus ratione apud nos præsens, ad salutem nostram. Cum enim dies festos maxime in honorem Dei, & ad memoriam & significationem præcipuorum mysteriorum fidei institui oporteat, eorumque observatio cultus divini pars sit, ut late disputat *l* in suis controversiis Bellarminus; negari non potest, ex Latinorum quidem hypothesi, quin dies festus sacramento consecrari debeat; quod scilicet contendunt & numen esse summum, omni latriæ cultu dignum, & mysterium continere, quo nihil sit in omni Christianismo celsius, augustius, ac divinius; & quod illi *miraculum miraculorum* vocant. Absque hoc festo foret, mutila esset Latinorum pro sua fide religio. Atque id ipsum portendebat illa Lunæ species Iulianæ virgini, primæ hujus festi inventrici, divinitus oblata, splēdentis quidem, sed *tamen cum aliquanta sui orbicularis corporis fractione. m* Hoc enim idē, qui visum obtulerat, Spiritus Iulianæ quid hoc esset dubitanti, interpretatus est, *significari in Luna quidem Ecclesiam, in ejus vero fractione, defectum hujus ipsius festi.* Vnde omnes intelligunt

l Bell. L. 3. de cultu Sanct. c. 10.

m Diest. Blar. apud Bzov. an. D. 1232. §. 16.

Caput XXII.

Ecclesiam quæ hoc festo caret, Lunam esse, sed fractam; sed hiulcam & intercisam, & aliqua sui parte defectam. Itaque si veteres Christianismi magistri, ac ut sic dicam Patriarchæ Eucharistiam summum numen esse putassent; si Eucharistiam, ut nunc Latini, latria uni Deo debita, adorassent, non est dubitandum quin ei hoc festum consecraturi fuerint; ne hiulcam & aliqua labe deformem Ecclesiam suis discipulis posterisque traderent. Quid-ni qui Christi morti Parasceven, resurrectioni Pascha, ascensioni in cœlos cognominem solennitatem, incarnationi Natalem dedicarunt; huic quoque pari, ac fortasse diviniori Dominicæ in sacramento præsentiæ diem suum consecrarent? **Convenit enim devotioni fidelium** (ut ait n sapientissimus Thomas in ipso festi hujus officio) *solemniter recolere institutionem tam salutiferi, tamque mirabilis sacramenti, ut ineffabilem modum divinæ præsentiæ in sacramento visibili veneremur, & laudetur Dei potentia, qui in sacramento eodem tot mirabilia operatur, nec non & de tam salubri tamque suavi beneficio exsolvantur Deo debitæ gratiarum actiones*. Hoc profecto *convenire* quod ait Thomas, nemo negaverit, qui ea, quæ fuit dicit, de Eucharistiæ mysterio senserit. Natalem Christi festo celebrandum duxerunt, quod Dei Filius se in terris præsentem stitit in Virgine & ex Virgine incarnatus. Cur Eucharistiæ mysterium non pari honore dignarentur, qui eo putant eundem Dei Filium sese fidelibus præsentem quoque in pane & ex pane incarnatum sistere; non modo, ut cum in terris natus est, conspiciendum & adorandum, sed etiam manducandum, & in viscera trajiciendum? Si rei magnitudinem spectas, hominem ex crustulo statim fieri, & ex pane incarnari, *majus & mirabilius* est, quam hominem ex muliere, quamlibet Virgine, & quidem non repente, sed solenni novem mensium spatio, formari. Sin utilitatem respicis, quid salutarius est, quam Deum non mente aut cogitatione, sed visceribus ipsis tuis suscipere, tuæ carni resurrectionis & æternitatis semina suæ sanctissimæ carnis contractu mandantem atque infigentem? Si ergo vetustissimi Patres hoc quod nunc cum suo Thoma omnes Latini sentiunt, de Eucharistia ipsi quoque sensissent; nulla ratio est, cur dubitemus, quin ii, vel eorum certe posteri, quos omnes sapientissimos ac propemodum divinos homines fuisse confitentur, id facturi fuerint, quod huic fidei *convenit*. Habuisset profecto hoc festum vel prima & Apostolica, vel certe sequens Constantiniani ævi Ecclesia. Atqui plane aliter se res habet. Vetus omnis Ecclesia hoc tam necessario ornamento totis undecim seculis caruit; Ne duodecimo quidem seculo ausi sunt Latini de eo promulgando cogitare, quamquam jam tum de dogmate & cultu unde festum pendet, edocti; quod nimirum ejus fidem prius constituendam, quam festo decorandam esse prudenter animadverterent. Totum ergo duodecimum seculum in priori cura consumpserunt; sed postquam longis ac subtilibus disputationibus, & ardentissimis concionibus, præsertim vero ferro & igne, milite, proscriptionibus, suppliciis, exercitibus, ac bellis transsubstantiationis dogma ita apud omnes confirmatum

n Brev. Rom. Offic. fer 6. inst. oct. corp. Chr. lect. 4. & 5.

ac stabilitum fuit, ut nemo contra hiscere auderet; tum demum de adjicienda festi solennitate, quæ hactenus defuerat, serio cogitare cœperant, resque tandem circa annum 1264 ab Vrbano P.R. confecta est. Ex quibus omnes vident veterem omnem ad XI. seculum Ecclesiam hoc sacramentum neque adorasse, neque pro summo numine habuisse; quæ nullum ei festum toto illo tempore consecravit. Sed nos plura alibi o de toto hoc festo disputavimus; quæ nihil necesse est hoc loco repetere. CAPUT XXII. o L. 2. de cult. rel. obj. c. 17.

Iam religiosa prece hoc Eucharistiæ sacramentum invocare, quod est adorationis vel consequens, vel etiam pars aliqua, tam veteribus insuetum, ignotumque fuit, quam est hodie Latinis solenne atque familiare. Horum quidem hæ in publicis ac ritualibus libris leguntur ad Eucharistiam preces. In hymno Thomæ ab illa Deitate & humanitate, quam sub his sacramenti *figuris vere latitare* utramque dicunt, Deumque suum esse confitentur; id inprimis *petunt*, p quod *petivit* latro *pœnitens* (ut sui scilicet in regno cœlesti meminerit) tum, *Fac me* (inquit unusquisque eorum supplicans) *tibi semper magis credere, In te spem habere, te diligere*; mox, *Præsta meæ menti de te vivere, & te illi semper dulce sapere*. Titulum hymnus hunc præfert, q *Rhythmus S. Thomæ ad sacram Eucharistiam*. In *Missis propriis festorum Ordinis Fratrum Minorum* Prosa habetur *de sacratissimo Christi corpore* (Eucharistiam intelligunt (*Ave verum corpus natum de Maria Virgine*; tum post unum aut alterum versiculum; *Esto nobis prægustatum mortis in examine*. Faber Iesuita nobilis in Monitis, quæ Parmensi sodalitati suæ multum rogatus reliquit cum esset ab illis discessurus, ubi de Eucharistia confecta & elevata loquitur; r *Tum vos* (inquit) *vestris malis morbisque remedia, & quæ optatis dona peteris à Deo, ut robur animi & cognitionem vestri pectoris, ut mutuam fraternamque concordiam, quodque in summis memorandum est donis, famem, sitimque iustitiæ*. Hæc ad Deum; De sacramento, quod *Christi corpus*, ut illi loqui solent, dicit, ista continenter addit; *Rogabilis etiam ipsum Christi corpus, ut spiritali quadam communione sui haud abnuat tectum animæ vestræ succedere*. Hoc enim ab istis peti vult, quoties sacro interessent quidem, non tamen communicarent (ut loquuntur) *sacramentaliter*. Fabrum vero preces ad sacramentum suas ipsum quoque inter ministrandum fecisse Orlandinus alibi testatur. Narrat s enim istum, quem ut absolutissimum Iesuiticæ pietatis exemplar ostentat, induxisse *in animum se quotannis rebus omnibus, quæ præsentem ad victum & cultum pertinerent funditus exuere, nihil ut se spoliatius, nihil esset egentius*. Quibus ita explicatis sic pergit; t *Itaque* (inquit) *rogavit inter sacrificandum ex animo Christum, quem suis præsentem intuebatur oculis, manibusque tractabat, ut quamdiu vita suppeditaret, nullus abiret aut recurreret annus, quo mens illa pariter non rediret*. Ita Latini quidem. Apud veteres ab ullo unquam Christiano invocatum fuisse ante Berengariana tempora hoc sacramentum, nullum eorum monumentorum docet, quæ ex Ecclesiastica ad illud seculum antiquitate supersunt. Cur quæ in

p Miss. Rom. Orat. ante Miss. p. ult.

q Ad calcem Miss. p. 57.

r Orland. Hist. Soc. L. 2 §. 109. p. 76.

s Id. ibid. L. 2. § 33.

t Ibid. §. 34. p. 81.

Caput XXIII. Latinis libris nunc extat atque eminet sacramenti invocatio, in veteribus nuspiam occurrit? In promptu causa est; quod sacramenti scilicet adoratio apud illos solennis sit; apud hos inusitata atque ignota fuerit.

CAPUT XXIII.

Argumentum XIII. ab illis pompis ductum, quibus hodie Latini suam hostiam & in Ecclesiis servant, & foras eductam gestant; quarumque nihil simile apud veteres uspiam occurrit. Argum. XIV. inde ductum, quod Eucharistiam Latini quidem sæpe, veteres vero nunquam in rebus dubiis ac momentosis consulere reperiuntur.

IDem quoque arguit ipsa illa rei pompa, quoties Latini suam (ut vocant) hostiam vel apud Ecclesias variis de causis atque temporibus exponunt, vel publice gestant, atque circumferunt, sive ad infirmorum viaticum, sive ad ornandam præcipuorum festorum solennitatem, sive ad exorandam, ut aliquando fit in rebus adversis, divinam aliqua supplicatione Dei Majestatem. Nam in his omnibus pompa adhibetur ejus quodammodo æmula, quæ ipso sacramenti die per totas civitates spectanda magno cum triumpho deducitur; denique cum ad Papæ iter facientis præsidium ante eum gestatur, de quibus, quia sigillatim supra u satis diximus, & infra x attingemus, nihil hic aliud dicendum occurrit, nisi quod ista omnia apud Christianos nova sunt, in omni veteri Ecclesia inusitata ac inaudita.

u Supr. L. 6. c. 13.
x Infr. c. 7. sequenti. id est 24.

Postremo, adorationis quæ Eucharistiæ defertur, pars quoque censeri debet, quod eam Latini in rebus momentosis, dubiis, ac difficilibus non aliter consuluit, quam Deum Israelitæ, vel sua numina Ethnici paribus locis atque temporibus consulere olim solebant. Quod fecisse Ignatium Iesuiticæ societatis conditorem narrat y Orlandinus, cum scribendis Constitutionibus suis operam daret; *Prinsquam quid* (inquit) *de quaque re deliberaret, omninoque decerneret, id quod super eam orando, deliberandoque commentatus esset, calamo exceptam, atque exaratum imponebat altari, ubi quotidiana sacrificia factitabat (quemadmodum & nos à senioribus accepimus, & is qui sacrificanti minister aderat Ioannes Paulus Borellus exposuit) ut scribenti deliberantique illucesceret Christus uberius, & multiplicato lumine de re quaque secundum maximam Dei gloriam, honoremque statueret.* Apud eundem Bartholomæus quidam Bustamantius, sacerdos ac Theologus Hispanus, cum studio flagraret ardentissimo omni ratione probandi se Deo, & quæreret quæ ad id optima & rectissima esset regula, in ea postremo deliberatione sacramentum sibi consulendum putavit, z *Ad extremum* (inquit Orlandinus) *inter Missa solennia vi lacrymarum atque singul-*

y Orland. Hist. L. 10 §. 54. 55. p. 317. 318.
a Id L. 12. §. 48. p. 394.

singultuum Christum illum, quem HABEBAT in manibus, oculisque cernebat, quodammodo perpulit (votis precibusque suis scilicet) *ut significationem sibi aliquam ederet voluntatis suæ, sibique genus illud vitæ, quod ei maxime probaretur, ostenderet.* Neque defuit consultationi suus eventus. Christus enim ille, quem manibus missificans tenebat, id est ut apparet *hostia*, hominem per arcanas quasdam, ut oraculorum mos est, ambages ad Ignatij Loyolæ veluti omnium longe optimam sectam deduxit; ut ille societatis scriptor tradit. Id ipsum Adalberto Bausech sed recta & diserte idem oraculum neque interroganti ultro respondit; siqua Orlandino fides. Is enim Adalberto isti narrat *a In Collegij Iesuitici templo preces ad Deum fundenti Iesum pueri venustissimi specie in sacrosancta hostia apparuisse, rogantique quid ab se vellet, Volo* (inquit puer) *ut ibi sis, ubi es*; quo responso Adalbertus quod facile erat intellexit se ad Iesuitismum vocari. Hostiæ vocanti paruit, & paulo post Iesuita factus est. Huc etiam ni fallor pertinet, memorabile Petri Paësij, Antonij Fernandis, & Antonij de Angelis Iesuitarum exemplum; qui cum ad difficillimam sibi à societatis suæ rectoribus impositam sacræ in Æthiopas expeditionis provinciam proficiscerentur, *b* ille an. D. 1603. hic vero an. D. 1604. pridie quam navigarent, totam noctem ante hostiam in Ecclesia prostrati, supplices, adorabundi, multis cum votis, precibus, ac lacrymis insomnes egerunt, testantes se in illius Domini, quem scilicet præsentem se in hostia habere ac videre credebant, manus se totos tradere. Hoc enim ipso hostiam de sua profectione consulebant, an ei grata, & accepta esset; Ejus ut numinis præsentissimi fidei, ac voluntati consilia sua, eventusque committebant; sicuti se rem tantam auspicato non aliter aggredi posse judicarent, quam propitiato his suæ pietatis officiis sacramento.

a Ibid. L. 16. § 22. p. 544.

b Iarric. in Iudicis L. 5. c. 32. 35. T. 3. p. 230. 270.

CAPUT XXIV.

CAPUT XXIV.

Superiora argumenta varie illustrantur ac confirmantur.

IAm hæc quæ enumeravimus omnia iis quæ adorantur, ab iis qui ea adorant, deferri non tantum licere, sed etiam oportere, ac officij in rem adoratam humani esse, patet primo ex hac ipsorum Latinorum in suam hostiam praxi; qui hæc & alia ejusdem ordinis pro religiosissimis suæ pietatis actibus habent. Secundo id ipsum probat omnium gentium mos ac sensus, quæ religiosæ vel nunc esse vel olim fuisse perhibentur. Earum enim vix ullam reperies, quæ non paribus Latinorum officiis id, quodcumque esset, quod adorabant, coluerit. Evolve verbi gratia veterum Paganorum sive Græcorum sive Latinorum quæ plurima extat monumenta. Liquido intelliges eos sacra illa simulacra, quæ adorabant, *exposuisse*, id est suis ad venerationem in loco aliquo sacro exhibuisse, statis solennibusque festis, rebus vel secundis vel adversis; eadem gestasse in supplicationibus, & præsidij causa secum portari

Caput XXIV. ac deferri curavisse, ac denique in rebus dubiis consuluisse. Tertio eadem Latini in disputationibus suis fatentur. Bellarminus enim suam hostiæ die ei sacro circumgestationem ex veteri ipsius Israëlis ritu probat, c quem ex divinis litteris ostendit arcam fœderis in castra traduxisse, & cum ex uno loco in alium transferretur publica ac lætissima processione prosecutum esse; quam ad rem aliquot divinorum librorum testimonia citat, in quibus arca vel in castris fuisse perhibetur, ut cum insignem victoriam rex Saul de Philistinis retulit, d & cum Ioab Hammonitas superavit, vel non fuisse in exercitu observatur, e ut cum Israëlitæ ab Amalekitis victi sunt; quasi scriptura significet causam illius cladis fuisse divinæ arcæ absentiam. Item alia loca, quæ describunt f solennes populi arcam in suum locum deducentis processiones. Perronius qui arcam ab Israelitis adoratam fuisse putat, iisdem exemplis istos hostiæ à suis delatos processionis & circumgestationis honores constituit. g Idem quoque de eo more statuendum est, quo nunc hostiam Papa ad sui tutelam atque præcidium in suo comitatu, quoties peregre proficiscitur in equo magnifice instrato deferri jubet. Nam & omnes Iudæorum in deserto per annos XL. peregrinatio, Arca, Sacrosancto divinæ Majestatis apud suos præsentissimæ Symbolo, præeunte fiebat, & apud Ethnicos similes quoque de Deorum suorum præsidio ritus fuisse certum est; ut iis scilicet, maxime vero Regibus & Principibus viris Dij, quos colebant, iter agentibus præferrentur. Sanctius, Iesuita doctissimus, solerter observavit: * *Reges Persarum* (inquit) *quocumque procedebant, ignis antecedebat:* quod ex Xenophonte, Curtio, Procopio, Ammiano Marcellino, & Tertulliano firmat. Tum; *Quia* (inquit) *Solem Persæ & Chaldæi colebant; ideo quoque credo, ignem pro Deo coluisse; qua si vspiam vlla, hæc viva Solis imago est.* Itaque *tabernaculum Moloch*, quod Stephanus *ab Israëlitis susceptum fuisse* dicit, † *feretrum quoddam* interpretatur *in quo solenni pompa circumferebatur Moloch, quem* (inquit) *Iudæi gentium ritu secum quocumque pergerent, protectionis & religionis ergo portabant, instituta viæ comitem ac ducem; sicut per desertum Arcam, & in ipsa divinum oraculum olim portaverunt Hebræi. Vsitatum autem esse, ut gentes Tutelares Deos viæ comites. Secum adducerent, docet Servius; in id Æneidos 6.* . . .

e Bellarm. de Euch. l. 4. c. 30. extr.
d 1. Sam. 14. 18. 2 Sam. 2. 11.
e Num. 14. 44.
f 2 Sam. 6. 5. 1. Reg. 1. 8.
g Perron. de Euchar. l. 3. c. 19 p. 917.
* Gasp. Sanct. in Act. 7. 47. num. 92 94. ex Xenop. Cyrop. L. 8. Q. Curt. l. 3. Proc. l. 2. bell. Pers. Amm. Marc. l. 23. Tertull. Apolog. c. 16.
† Act. 7. 47.

Errantesque Deos, agitataque numina Trojæ,

Neque aliam ob causam existimo Rachel furatam esse Deos patris sui, & servos Iacob, cum egressi sunt ex Mesopotamia, à quibus Iacob abstulit idola, & infodit ea subter terebinthum. Gen. 35. Hac puto de causa Laban tum facile deprehendisse, sublatos esse Deos; quia cum viæ comites ex more habere vellet, non invenit. Atque hæc ille quidem hactenus. Iam vero si hi & Israëlitarũ & Gentilium similes in hujusmodi religionibus ritus ac mores ostendunt (ut ostendunt certe) ex ipso rectæ rationis judicio qui adorantur, iis fas atque æquum esse hujusmodi honores ab illis qui adorant deferri; quanto magis eosdem Deo summo haberi deceret, imo

 necesse

necesse esset, si is ipse apud nos in proprio suo corpore vere ac ut loquuntur realiter præsens esset? Latinos ergo qui hoc de sua hostia credunt, illa ei omnia quæ recensuimus deferre nemo mirari debet. Sed neque est quod quisquam dubitet eadem quoque facturam veterem Ecclesiam, si de Eucharistia idem quod sentiunt nunc Latini; ipsa quoque olim sensisset; id est si eam ipsum Deum ac Dominum vere esse credidisset, eoque nomine latria adorasset. Quod enim eo loco ac numero haberent, quodque summo proprieque divino cultu adorarent, ei recta ratio, omniumque religiosarum gentium exemplum, ac Latinorum postremo praxis, illa quæ diximus deberi demonstrant. Atqui non modo istos omnes quos recensuimus honores, sed ne eorum quidem aliquem Eucharistiæ à veteribus delatum fuisse vllum ostendit ex omnibus antiquitatis monumentis; quod certissimo argumento est ne illorum quidem quicquam apud eos fuisse olim vsitatum, ut nunc sunt apud Latinos omnia. Neque enim fieri si aliter fuisset, poterat, ut horum non aliquid saltem extaret in tam multis veterum libris, quos etiam hodie habemus superstites. Ac nos quidem alibi *b* jam demonstravimus nullum istorum rituum apud primos ad an. D.300. Christianos cognitum fuisse. Sed clarum est neque seris eorum ad an. D.1000. nepotibus solenne fuisse, ut vel Eucharistiam cum ea pompa deducerent, quæ hodie apud Latinos in vsu est, sive singulari aliquo anni die, sive passim cum ad infirmos deferebatur; vel ut lætis adversisve rebus suis in illis ad gratias agendas, in his ad auxilium sibi impetrandum vel laude vel supplicatione coram & aperte exponerent, vel in rebus obscuris ac difficilibus consulerent, vel secum circumferendam vlli istorum temporum Papæ ad sui præsidium procurarent. Nihil istorum in libris veteribus legitur, qui ab an. D.300. ad millesimum scripti sunt. Ergo neque id quod nos defendimus, obscurum est ignotum omnibus illis seculis apud Ecclesiam Christianam fuisse hoc apud Latinos nunc vbique receptum de Eucharistiæ divinitate & adoratione decretum.

CAPUT XXV.

b L.2. de cult. relig. obj.c.9.10. n.14.

CAPUT XXV.

Argum. XV. contra Eucharistiæ adorationem, ab ingenti illa Latinorum sollicitudine, qua morosissime & præter omnium veterum consuetudinem, cavent nequid sacri panis decutiatur aut excidat, & siquid exciderit, id religiosissime legunt, & siquid ei sordidi adhæserit, sacro quodã ritu expiant. Ista non occurrere apud veteres.

SEd idem quoque arguit ingens illa Latinorum præter veterum mores sollicitudo, nequid sacri panis decidat, vel sacri calicis effluat. Fateor & antiquos Christianos vtramque illam Eucharistiæ speciem reverenter, ut res sacras decet, habuisse; fateor cavisse, nequid eius de celebrantium, vel sumentium manibus laberetur; sed moderate; neque

aliter,

Caput XXV.

aliter, quam cætera, quæ vel sacra sunt, vel ob insignem utilitatem cara tractare atque usurpare solemus. Testem habemus Tertullianum; *i Calicis* (inquit) *aut panis, etiam nostri, aliquid decuti in terram, anxie patimur.* Eandem sibi de pane etiam communi, & quotidiano, ad victum in mensis domesticis apposito, sollicitudinem fuisse dicit. Hunc enim significat, quod ait, *panis*, etiam *nostri*, id est, ut liquet, non tantum *Dominici*, quo consecrato apud Ecclesiam vescimur, sed etiam nostri, quo in communi vita alimur; *etiam non Eucharistici*, *etiam profani*, ut optime accepit *k* Rigaltius. Ergo vel parem, vel certe pæne parem de utroque, nequid eius in terram decuteretur, curam sibi ac cautionem fuisse significat. Quod ergo panis sacri *aliquid in terram decuti anxie paterentur*, id à nulla divinitatis in eo residentis opinione proficiscebatur. Neque enim eos dixeris *suum*, id est non sacrum, *panem*, idcirco Deum esse putasse, quod etiam hujus aliquid in terram decidere ægre atque anxie paterentur. Similis quoque postea fuit citeriorum seculorum de *benedicto* (ut vocant) *pane* cautio; quem nemo, quod sciam, *transsubstantiatum* putat. Atqui etiam de eo Hincmarus id ipsum Sacerdotibus suis præcipit; *l* quod à fidelibus in Eucharistiam observatum olim esse fatemur, & nunc etiam ab omnibus piis observari scimus; *Sacerdos* (inquit ille de pane benedicto verba faciens) *accepturis distribuat, & MICAS ne incaute defluant, custodiat.* Veterum in faciendo & sumendo Eucharistiæ sacramento cautio non alia fuit, quam ea quæ ab Hincmaro in pane benedicto præcipitur; Ut concedam aliquanto majorem fuisse, quanto panis Eucharisticus eo sacratior est, qui *benedictus* dicitur, certe eiusdem census atque ordinis fuit, tametsi gradus nonnihil superioris; (reverentia scilicet in panem à Christo institutum, eoque sacratissimum) cæterum natura panem. Latinorum vero sollicitudo ac cautio longe major; plane quam de re non modo sacra, sed divina, imo quam non de re divina, sed de Deo ipso esse decet. Primo enim nequid hujusmodi accideret, id est nequid panis sacri in terram decuteretur, sacramentum conficiunt ex pane, non communi & usitato, sed azymo, quod hic quam ille, ut supra observavimus, lentior sit, adeoque minus friabilis. Tum azyma sua in minutam atque exiguam formam, instar nummorum contracta, frangere cavent, sed tota integra atque illæsa communicantibus singulis singula in os immittunt; nequid eorum inter frangendum excutiatur, & decidat; quod est à nobis supra demonstratum cum de sacramenti fractiones disputaremus. Eius vero omissæ atque antiquatæ hanc Salucero sane *bonam* quod ipse dicit ac veram rationem adfert, *m ne in fractione periculum accidat, & aliquæ micæ vel particulæ panis sacri pereant.* Neque in his stetit anxia Latinorum religio, ac de hoc cavendo periculo sollicitudo. Nam tametsi tripartita illa sacramenti fractio, de qua supra diximus, sic fiat in eorum Missis, ut facile caveri possit nequa mica excidat, quod & unius hostiæ, & in partes non [illegible] quam tres fractio fit; præsertim cum eas ipse ille, qui dividit

i Tertull. de coron. c.3. p.121.D.

k Rigalt. in loc. Not. p. 28.

l Hincm. in Capit. an. 852.c.7. T.1. p.712.

m Salm. tract.15. in Act.

Sacerdos statim omnes absorbeat; illi tamen nullam in tanti momenti negotio cautionem nimiam esse posse existimantes, *n* jubent Sacerdotem, vbi duas hostiæ, quam trifariam divisit, particulas sumpsit, *accipere patenam, inspicere corporale, colligere fragmenta cum patena, siqua sint in ea; patenam quoque diligenter cum pollice & indice dextra manus super calicem extergere, & ipsos digitos, nequid fragmentorum in eis remaneat;* tum *calicem cum particula in eo posita totum sumere*, ac haurire; ac deinceps *vino in calicem infuso se purificare; deinde vino & aqua abluere pollices & indices super calicem, eosque abstergere purificatorio;* postremo *ablutionem sumere* (id est ebibere) *& extergere os & calicem purificatorio;* vsque adeo misere metuunt, nequid sui numinis in illis micis hæserit. Sed & de hostiis *pro alio tempore conservandis* eadem cavent, ut Sacerdos dum eas ex corporali, super quo erant positæ, acceptas *reponit o in vas ad hoc ordinatum, diligenter advertat, ne aliquod fragmentum quantumcumque minimum, remaneat super corporale; quod si fuerit accurate reponit in calicem;* una cum sacro vino scilicet, & particula in immissa simul semelque absorbendum. Post aliorum, sive laïcorum, sive clericorum communionem, eædem cautiones occurrunt. *p Si particula* (id est hostiæ, quæ iis distributæ sunt) *posita erant super Corporale, Sacerdos illud extergit cum patena, & siqua in eo fuerint fragmenta, in calicem immittit.* Ad eandẽ cautionẽ pertinet, quod cõmunicantes jubent *q* ore exceptam hostiam modeste retinere, & vino vel aqua libatis leniter versatam glutire, ut si quod ex ea fragmentum in ore superfuerit, id una cum sumpto liquore in ventriculum demittatur. Nec dum finis. His enim officiolis perfunctos vetant *r statim ab Ecclesia discedere, aut colloqui, aut vagis oculis circumspicere, aut expuere, aut de libro orationes recitare; ne* scilicet *sacramenti species de ore decidant.* Sed quia in tanto Missarum, quæ vbiq; quotidie celebrantur numero, quantarumq; adhibeatur diligentia, vix ac ne vix quidem effugi potest, ut non aliquãdo alicui Latinorũ hostiæ id accidat, quod illi tantopere metuunt ac cavent, ne id quidem neglexerunt si quid hujusmodi præter solennem rerum ordinẽ contingat; verbi gratia *si Sacerdos* evomat sumptam hostiam, eam *si species integræ appareant, reverenter sumi* præcipiunt. *s* Sin obstet nausea quominus sumatur, *tunc species* (inquiunt) *consecratæ caute separentur, & in aliquo loco sacro reponãtur, donec corrumpantur, & postea in sacrariũ projiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in sacrariũ mittantur.* Item, *t siquid venenatũ contigerit hostiam consecratã, tunc alterã consecret* (Sacerdos) *& sumat; & illa servetur in tabernaculo loco separato, donec species corrumpantur, & corrupta deinde mittantur in sacrariũ.* Deniq; ne omnia hic describam; *u Si hostia consecrata, vel aliqua eius particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, & locus vbi cecidit, mundetur, & aliquantulũ abradatur, & pulvis seu abrasio hujusmodi in sacrariũ immittatur. Si ceciderit extra Corporale in mappã, seu alio quovis modo in aliquod linteũ, mappa vel linteũ eiusmodi diligenter lavetur, & lotio ipsa in sacrariũ effundatur.* Hãc ego tantã, tã accuratã, tam

CAPUT XXV.

n Miss. Rom. tit. de rit. celebr. Miss. c. 10. §. 4. 5.

o Ibid. §. 5.

p Ibid. §. 6.

q Ritual. Rom. Gallice edit. de Euch. p. 107.

r Ritual. Rom. Tit. de Euch. Sacr. p. 73.

s Missal. de defectib. Miss. c. 10. §. 14.

t Ibid. §. 7.

u Ibid. §. 15.

Caput XXV.

tam morosam in Eucharistiam religionem, tantas, nequid ex ea quantumvis exiguum decidat, tamque delicatas cautelas, nimias esse, & Iudæorum verporum, quam Christianorum hominum spiritu digniores, fateor, si nobiscum statuas eam vere panem esse, quantumvis sacrum ac salutarem; neque aliud Latinos ipsos, si eadem de hoc sacramento sentirent, existimaturos fuisse, id ut mihi videtur, satis arguit, quod de aqua baptismali, tametsi eam pro sanctissimo mysterio habeant, non sunt tamen vsque adeo solliciti, nequa guttula effluat. Sed si quod illi studiose docent ac vehementer affirmant, Eucharistia ipsissimus Christus revera est, latriæ cultu una cum Patre adorandus: nemo credo, negaverit, quin omnis hæc eorum de re tanta diligentia, cautio, atque morositas religiosa, legitimaque, ac omnino necessaria censeri debeat. Neque illi profecto stulte aut improvide metuunt, omnibusque modis ne accidat, cavent id, quod siquando accidat, non potest ex hac quidem eorum sententia non pro fœdissimo, omnibusque Christianismi studiosis detestando ac nefando casu haberi. Quid enim quæso dirius, quid piorum omnium horrore & abominatione dignius est, quam illas particulas quod ait Salmero *perire*, quarum nulla est quantumvis exigua mica, quæ non sit Christus, Deus super omnia benedictus, opt. max. orbis conditor, ac nostri generis Redemptor ac Servator? Itaque qui sic sentiunt Latini merito mihi videntur omnia, quæ ad hoc cavendum tantum nefas pertinent, excogitasse ac procurasse, vsitatum panem ex suis altaribus amovisse, azymum ad hoc sacrum adhibuisse, ipsam postremo fractionem amoliti esse. Nam ut illud mittam, quod videtur absurdissimum, ut id tute confringas, quod Deum tuum esse credis; quo non injuria videntur primi Latinorum transsubstantiatorum discipuli mirati esse, ut refert *x* ille supra à nobis laudatus Ordinis Romani interpres, quod sui majores (quos eadem secum de reali panis transsubstantiatione sensisse tametsi falso putabant) *confringi præciperent corpus Christi*; ut id inquam mittam, nulla profecto est, humana quidem attentio, ac diligentia tanta, quæ in plurium particularum fractione, quæ qualisque fit præsertim in populosis Ecclesiis, cum aliquot hominum millia communicant, cavere possit ne vlla omnino mica excidat; quæ siqua exciderit, quantumvis exigua & insectilis, Christus ipse, ut isti quidem sibi persuadent, cecidit in ea totus; in pulverem lapsus est, murium & animalculorum morsibus, & hominum pedibus conculcandus objectus est. Rebus etiam sacris, aliquid istorum in omnibus sectis ac religionibus interdum accidere notum est; quo fit, ut id siquando accidat, nullam vel exteris calumniæ, vel infirmis scandali probabilem occasionem præbeat; Deum vero ipsum huiusmodi casibus esse obnoxium, & in exigua panis mica in pulvisculum defluere, id vero portentum est apud homines inauditum, quod exteri rident, infirmi stupent, omnes mirantur. Itaque his rationibus videmus qui eadem de Eucharistia cum Latinis sentiunt, eos si sapiunt, necessario debere sibi cavere ab illa

x Ord. Rom. Expos. apud Cass. Liturg. c. 29.

promiscua

promiscua sacri panis fractione; quod si ipsa rerum ratio satis clare non demonstraret, vincit certe vel Latinorum exemplum; qui suo iudicio sapientissimi, nostro callidissimi, fractionem panis Eucharistici aboleverunt; rem à Christo præceptam, ab Apostolis & cæteris omnibus Christianis ad hodiernum diem, etiam ab ipsis Latinorum majoribus ad seculum decimum tertium factitatam, abrogarunt tamen, tanti illi antiquitatis veneratores; quod nunquam facturi fuisse videntur, nisi suæ de Eucharistia fidei ratio ac necessitas coegisset; intelligentes fieri non posse, ut in tam multa tamque fœda ac dira discrimina eum panem mitterent, quicumque eum non amplius panem, sed Christum ipsum revera esse crederent. Cum ergo Dominum Christum, cum ejus Apostolos, cum eorum ad vndecimum seculum posteros nefas sit existimare minus acutos, minusve sapientes fuisse, quam Latinos istos de temporum fæce novitios; omnino concludendum est eos vel Eucharistiam cum illis minime habuisse vel habendam censuisse pro ipso latria digno Christi corpore sub panis speciebus realiter latente; vel certe panem neque ipsos fractum in synaxi esitasse, neque aliis manducandum fregisse ac distribuisse. Atqui nos supra ex apertissimis veterum testimoniis, & ex diserta ipsorum Latinorum confessione ostendimus veteres neque in azymis, sed in pane vsitato, eoque in totidem particulas fracto, quot erant communicaturi, hoc sacramentum ad duodecimum vsque seculum constanter celebrasse; Quas autem nos supra partim ex Missali, partim ex Rituali Latinorum descriptas cautelas exhibuimus; apud scriptores Paschasio primo transsubstantiationis satore antiquiores frustra quæsieris; Nullus eas, quas exhibuimus, omnes exhibet. Nihil ergo est quod dubitemus à veteribus nullum sacro pani exhibitum fuisse quem ei Latini hodie exhibent latriæ cultum. Neque vero mirandum est, quod vetus fractionis ritus aliquandiu apud Latinorum majores manserit etiam post susceptam ex aliquot Paparum decretis transsubstantiationis fidem. Nam ne ipsa quidem adoratio statim post receptum illud dogma admissa fuisse videtur. Consuetudines nimirum multo ægrius, quam opiniones mutantur. Hæ enim in paucorum animis resident; Illæ familiari ac continuo vsu omnium animos imbuunt. Quo accedit hominibus innata antiquitatis veneratio, qua fit ut inviti dimittant quæ olim in religione à majoribus factitata perpetua quadam praxi ad se propagata fuisse vident. Non pauca alia, apud veteres solennia, eadem de causa aliquot annis apud Latinos etiam post receptam transsubstantiationem servata sunt; quæ postea sunt abrogata, cum esset animadversum ea suscepto dogmati non satis congruere; quod supra de infantium Eucharistia, de communione sub vtraque specie, & aliis observavimus. CAPVT XXV.

Caput XXVI.

CAPVT XXVI.

Argum. XVI. ab eo, quod Latinorum de vino, nequid eius effluat, vel effundatur, etiam multo major est, quam de pane nequid eius excidat, metus. Eo factum, ut præter veteris Ecclesiæ morem ac leges primo panem vino intinctum dederint communicantibus, vel per pugillares distribuerint; postea etiam ut omnes præter celebrantem solum calice multarint. Cautiones ea de re veteribus ignotæ. Eo item factum, ut Eucharistia infantium, & calicis vitrei vsus à Latinis antiquarentur.

HVc præterea pertinet Latinorum de calice, etiam multo quam de pane major metus, quod vini species liquida sit, adeoque fundi & effluere quam panis decidere facilior; tum quod colligi panis quidem lapsus potest, vinum vero fusum non potest; ut est à Bellarmino diserte observatum. y Idem fieri posse negat, *ut sanguis Domini ministretur tantis populorum turbis, quantæ in Paschate ad communionem accedunt, quin sæpius effundatur; præsertim cum multi sint senes, debiles, rustici, qui vix ad bibendum de manu alterius accommodare se norunt. In deportatione etiam ad ægrotos facillimum esset* (inquit) *ut vel effunderetur, vel ex illa agitatione turbidum & ineptum ad bibendum fieret.; quod non raro accidisse docent exempla, quæ referuntur ab Ænea Sylvio in Dialogo de communione sub vtraque specie.* Cassander narrat z fuisse sua memoria virum quendam doctum (nomen eius se honoris causa supprimere dicit) *qui hæc pericula & scandala sacrilegij & irreverentiæ ex sanguinis effusione tantopere vrgebat, ut scriberet huic periculo non posse provideri, nisi per calicis ablationem, ac nisi à rectoribus Ecclesia id fiat, omnem culpam illis imputandam; præsertim quia hoc sacrilegium non sit inter casus incpinatos, & raro contingentes.* Hujus viri, cum Bellarmino, ut apparet, sentientis de hac quæstione judicium Cassander arguit ac reprehendit. Merito facit, si Papæ & Papalium Conciliorum de transsubstantiatione & latria sententias ac decreta respuit. Sin probat, ut sane probare videtur, hæc reprehensio non est ejus sententiæ ac fidei consentanea. Sacrilegium & scandalum effusioni objectum ne ipse quidem negat vere objici. Quod vero ea per communionem ex pane intincto minui posse putat, frustra est. Illa enim intinctio & cum Christi Domini institutione, & cum praxi antiquioris ac melioris puriorisque Ecclesiæ pugnat, & quod apud plærosque Latinos præcipuum habetur, à duobus Papis disertissime explosa, atque damnata est, ut nos supra a suo loco fusius ostendimus. a Sin vini sacri effundendi periculum in promiscua omnium sub vtraque communione non tam crebro quam ille

y Bellar. L. 4. de Euchar. c. 24. § Secundum in commodum.

z Cass. de comm. sub vtraque p. 1035. extr.

a Supr. l 3. c. 19.

ille ejus adversarius aiebat, contingere pertendat, cogor equidem in hac hominis alioqui eruditissimi censura aliquid attentionis vel certe sinceritatis desiderare. Istorum enim quæ & ejus adversarius, & postea Bellarminus objectarunt, aliquid frequenter ac pæne semper contingere, neque plane vitari admissis ad calicem omnibus communicantibus posse, & ipse communis sensus satis docet, & Bellarmini inductiones probant Transsubstantiatorum experientia confirmat qui quinque pæne secula in hoc cavendo effusionis periculo frustra laborarunt, donec tandem novam illam de calice laïcis & sacerdotibus non conficientibus adimendo legem ferendam esse judicarunt. Neque enim eos nuper & à Constantiensis tantum Synodi temporibus incessere cœpit novus hic tantus effusionis metus. Vix lata erat à Leone nono, & mox à Nicolao 2. Pontificibus de transsubstantiatione adversus Berengarium sententia, cum Latinorum animos statim subiit ingens ille de effusione pavor. Ille motus jam effecerat, *b* ut *quotidianus Ecclesiæ* usus esset, hostiam sanguine *intinctam tribuere* communicantibus, *cum à Domino prius corpus, deinde sanguis porrectus fuisse memoretur*; quod legimus apud Ernulfum illis propriè temporibus scribẽtem in epistola ad Lamberdum à nobis supra *c* alio in loco commemorata. Neq; ille aliam affert *d* tantæ mutationis causam præter effusionis periculũ, quod inevitabile esse probat, si seorsum utramq; speciem traderent, alteram ab altera divisam. *Nos carnem Domini (* inquit *) intinguimus in sanguine Domini &c. ne accipientes sive porrigentes peccemus, non habita forte competenti cautela in labiis & manibus nostris. Evenit enim frequenter, ut barbati, & prolixos habentes granos,* * *dum poculum inter epulas sumunt, prius liquore pilos inficiant, quam ori liquorem infundant. Ii si accesserint ad altare liquorem sanctum bibituri, QVOMODO periculum devitare POTERVNT inter accipiendum? quomodo uterque accipiens scilicet & porrigens effugiẽt GRANDE PECCATVM? Præterea si imberbes & sine granis, aut mulieres ad sumendam communionem sanctam conveniant, quis sacerdotum poterit tam provide ministrare, tam caute calicem Domini distribuere, ut multis eum singulatim dividat, dividens sic in ora eorũ fundat, ut infundens nihil effundat? Sæpe enim dum sibi soli calicem infundere disponit, negligentia aut imprudentia faciente effusionis periculum incurrit; quanto facilius in multitudine posito sacerdoti, multis diversarum formarum ministranti contingere potest unde GRAVITER offendat? unde eum asperam POENITENTIAM agere oporteat? Ne ergo POLLVAMVS sanguinem nostræ redemptionis; ne tanquam IMPIETATIS manibus effundamus poculum humanæ salutis, à religiosis viris provide actum est, ut Dominici portiuncula corporis, non sicca, sicut Dominum egisse novimus, sed Domini infusa sanguine fidelibus tribuatur.* Hæc ille; in quibus duo sunt animadvertenda, prius, quod illum sacramentalem Christi quem appellat sanguinem fundere peccatum esse judicat, etiamsi id per imprudentiam vel à sacerdote vel à communicante fiat, *non habita forte* (inquit) *competenti cautela in labiis aut manibus nostris*; neque simpliciter pecca-

CAPUT XXVI.

b Ernulph. ep. ad Lamb. in Miscell. Dach. T. 2. p. 433.

c Supr. L. 3. c. 19.

d Ernulph. Ibid. p. 435.

* Id est mystacis pilos, qui grani Gothis; non autem *capillos sparsos*, quod ab hoc loco alienum, etsi forte alibi is sit vocabuli sensus. Vid. Voss. de Vit. serm. Lat. in *Grandis bala* & *Grani* p. 215. 216.

Caput XXVI.

tum, sed *GRANDE peccatum*, *gravem offensam*, & aspera pœnitentia luendam; quod etiam clarius significat, cum eos, quibus id contingit mox dicit *e polluere sanguinem humanæ redemptionis, & tanquam impietatis manibus effundere poculum humanæ salutis*; & cum paulo post ait *f* eum, qui intinctum panem vel sumit vel porrigit, *periculum evadere, dum Christum in tanta re offendere oppido formidat*. Alterum vero est, quod liquido negat fieri posse, ut non crebro incidant in illud effusionis tantum tamque grave peccatum, qui calicem seorsum à pane vel porrigunt sacerdotes, vel sumunt communicantes. *Quomodo* (inquit) *periculum evitare poterunt* &c. *quanto facilius ministranti contingere potest?* quæ loquendi formulæ rem de qua interrogant, validius, ut notum est, negant. Atque in hac quidem ille re cum Bellarmino sentit, quem paulo ante id ipsum, de quo loquitur Ernulfus *fieri posse* negantem audivimus; ut scilicet freqnenti plebi in communione puta Paschali calix Domini ita ministretur, quin sæpius effundatur. Cum ergo illi hanc effusionem & gravissimam offensam & tamen in calice seorsum omnibus ministrando inevitabilem esse putent, non est mirum cum hac necessitate se constrictos teneri viderent; illud quod existimabant levius maluisse ne scilicet calix seorsum omnibus & singulis ministraretur. Itaque Ernulfus eas causas, quibus adductam fuisse Ecclesiam ad distribuendum communicantibus panem, Christi (ut loquitur) sanguine intinctũ *necessarias* paulo post vocat; *g Nec mirum* (inquit) *rationabilem usum TANTIS actum NECESSARIIS CAUSIS, Iulij* (P.R.I. *decretis anteponi*. Neque satis intelligo, qui duorum, quæ iste posuit, alterum negari à Transsubstantiatoribus possit. Nam ut de priori prius dicam, quid vel animo fingi potest in divinissimum Domini ac Servatoris nostri corpus indignius aut contumeliosius, quam id in homuncionis pilo hærens ferri, vel terræ allidi, vel in lapidem, aut pulvisculum, aut cœnum defluere? Potest ne Christianismus profanorum hominum sannis atque ludibriis apertius exponi, quam si id ipsum quod ab ejus cultoribus latria adoratur, quodque divinis unique summo numini debitis honoribus colitur corpus, ad hanc ignominiam ab ipsis redigi audiant, ut ista quæ nulla gens, quantumvis vana & superstitiosa, de Deo suo admisit, illi de Dei Filio, vero Deo ac Domino Christo credant ac concedant. Si enim, quod Eucharistiæ adoratores volunt, etiam in minima sacri vini guttula totum est Domini corpus cum toto sanguine, omnibusque quibus id constat venis, arteriis, mẽbris negari nõ potest, quin ista, quæ nos diximus, ei vere accidant, quoties vini illius sacri aliquid, quantumvis exiguũ, etiam atomo non majus in barbam virorum, vel in digitos sacerdotũ, vel in altare aut linteum defluit. Hoc autem si omnibus fidelibus calix in sacra mensa ministretur, frequenter ac pæne quotidie accidere, satis patet ex iis, quæ nos ex Bellarmino & Ernaldo recitavimus.

e p.435.
f Ibid. paulo post.
g Ibid. p. 436.

Sed illi quidem primi Ernaldinorum temporum, id est undecimi seculi vergentis transsubstantiatores, communionem sub utraque specie

Eucha-

Eucharistiæ adeo necessariam esse adhuc putabant, ut quantumvis urgente diro illo effusionis metu, nondum tamen ausi fuerint eam abolere; verum alio confugerent, quo & salva illa sub utraque specie communione, effusionis tamen periculum caveretur; Nimirum id instituerunt, quod *à religiosis viris PROVIDE actum esse* affirmat Ernaldus, ut panis vino sacro intingeretur, atque ita in eo uno utraque species communicantibus traderetur. Eadem quoque mente invectæ in usum fuisse videntur, illæ argenteæ vel crystallinæ fistulæ, de quibus supra *h* diximus. Sed intincti panis porrigendi mos non diu mansit, ab Urbano ante ipsius undecimi seculi quo cœptus erat, exitum, ut supra *i* ostendimus, abrogatus. Neque fistulæ multo diutius videntur ad communionem usurpatæ. Hinc ergo per Papalem illam legem dejecti, eo confugerunt primo pauci, mox plures, postremo omnes, quod in disputatione de communione sub utraque specie demonstratum est, ut Dominicum calicem, idem qui confecit sacerdos, solus biberet; cæteri sacrum panem sumerent. Quid enim aliud facerent? cum & intinctus panis lege Pontificiis interdictus esset, neque animo alte infixus excuti posset ille ex transsubstantiationis fide necessario existens effusionis metus? Quibus neque transsubstantiationis tam multis artibus, suppliciis ac bellis sancitum dogma deserere licebat, neque à religiosis viris inventum communionis ex intincto pane ministrandæ morem retinere; eos profecto huc necessario concedere cogebat ille de effusione pavor, ut poculo abstinerent, solo pane fruerentur. Itaque Latini eo tandem venerunt; ac ut sublatæ sub utraque specie communionis invidiam minuerent, decreti sui necessitatem iisdem rationibus astruxerunt, quibus in eadem causa usum fuisse Ernaldum ostendimus, sed varie amplificatis, & aliis insuper non paucis pro suo acumine excogitatis argumentis. Quid in eam rem præstiterint, qui Constantiensis Synodi temporibus vivebant Theologi videre est apud Ioannem Gersonem, *k* celeberrimum illius ævi Doctorem, in opusculo *contra hæresin de communicatione laïcorum sub utraque specie*. Illic contendit *consuetudinem* communicandi sub una specie *rationabiliter* fuisse introductam propter evitationem multiplicis periculi irreverentiæ & scandali circa susceptionem hujusmodi benedicti sacramenti; Primum periculum *in effusione* collocat; ad quod alia quæ addit nonnulla revocanda sunt, quale est quod quarto loco memorat *de longis laïcorum barbis*. Recentiores post Tridentini Concilij definitionem eadem fere urgent; etiam acrius & explicatius. Effusionis, quam inprimis cavendam decernunt, causas & occasiones omnes curiose exsequuntur; multos esse adeo rusticos & socordes, ut vix bibant, quin aliquid de poculo effundant, maxime quod non sua, sed aliena manu (ut jampridem fit apud Latinos) ministratur, tenetur ac regitur; vix ac ne vix quidem vitari posse in magna communicantium multitudine ac frequentia, quin aliquid sacri vini effluat; Id vero etiam multo facilius ac crebrius in sacramenti ad ægrotos deportatione contingere, maxime ubi longe deferen-

CAPUT XXVI.

h Supr. L. 3. c. 20.

i Ibid. c. 19.

k Gers. contra hær. de Comm. laic. sub utr. sp.

Caput XXVI.

deferendum est; si sacerdos deferens collabatur, vel ad obvium lapidem aut cæspitem offendat; sed & ex sumentium nausca id ipsum pæne necessario contingere; etiam ædes infirmorum adeo esse interdum angustas, ut incommode apud eos conveniatur, ubi adeo ægre caveri possit ex aliquo casu effusio. Hæc hodie pæne omnes declamitant. Tantum autem esse illius effusionis periculum definiunt, ut si vel semel toto triennio fiat, eo *grande commissum iri sacrilegium* juret Hesselius, *iustum* proinde *ac inexplicabilem fidelium genitum futurum*. Ex his & similibus pronuntiat Bellarminus hoc sacramentum *expositum iri evidenti periculo irreverentiæ, si communiter populo daretur Eucharistia sub specie vini; neque enim si detur, moraliter fieri posse, quin sæpius effundatur sanguis Domini.* Atque hinc idem porro colligit, *licet*, quod ipse negat, *plus gratiæ ac fructus ex utraque specie perciperetur, quam ex una, ne sic quidem consentaneum fore, ut omnes utramque speciem sumant*; Nimitum *ex duobus malis semper est eligendum minus malum; Est autem minus malum, ut homines aliqui careant aliquo bono non necessario, quam ut sacramentum Dei evidenti periculo irreverentiæ exponatur.* Ex his omnibus Latini decernunt calicis usum nemini communicantium, nisi uni, qui eum consecravit, sacerdoti concedendum. *m Decuit enim Ecclesiam,* inquit Slotanus, *omnia illa tollere, per quæ hoc divinissimum sacramentum quovis modo posset inhonorari. Cum enim ei HONOR MAXIMUS debeatur, REVERENTIAQUE MAXIMA, summopere cavendum erat, ne aliqua fieret injuria, aut irreverentia tanto sacramento.* Ergo hoc quidem judice, illa de ministrando sub una specie sacramento Latinorum lex, non aliunde proficiscitur, quam ab illius *honoris ac reverentiæ*, quæ Eucharistiæ debetur, magnitudine. Cui enim *honos maximus, maximaque reverentia* debetur, id irreverentius haberi absque gravi scelere non potest. *Maximam* autem *reverentiam* eam iste dicit, qua nulla major est, id est latriam; quæ summus est ac divinissimus honos, quo nullus cuiquam major deferri potest. *Latriam* autem sive *maximam reverentiam* Eucharistiæ deferre nefas est, nisi ea sit Deus. Latriam enim uni Deo deberi omnes, etiam Latini consentiunt. Vnde evidenter ac necessario consequitur quicumque Eucharistiæ hanc *reverentiam* & credunt exhibendam, & revera ipsi exhibent; eos decere *effusionis periculum* ex hujus sacramenti administratione removere, adeoque vel panem intinctum fidelibus porrigere, vel quod verius potiusque judicarunt, citeriorum ab undecimo seculo temporum Latini, calicem simpliciter negare omnibus præter sacerdotem communicantibus, quia scilicet moraliter *fieri non potest*, Ernulfo de veteri memoria, ac Bellarmino de recentiori judicibus, quin sæpius effundatur vinum sacrum si omnibus fidelibus promiscue detur calix. Ergo qui vinum, non in calice, sed in pane intincto dederunt, *ii provide egerunt*, & quidem *ob causas necessarias*, ut judicavit olim Ernulfus; & qui diu postea calicem laicis & clericis non conficientibus, negarunt Constantienses & Tridentini, ii, quod Gerson contendit, *rationabiliter*, id est rectæ rationi consentanea

Hessel.
l Bell. L. 4. de Euch. c. 23. §. Tertia propositio.

m Slotan. citatus à Chamiero Pâstr. T. 4. p. 520. §. 16.

defi-

definiverunt. Quæ si vera Latini judicant (ut judicant verissima neque illud sane ex altera parte negare possunt improvide eos, ac præter veræ rationis leges egisse, quicumque huic sacramento maximam reverentiam, id est latriam, & religiose ipsi exhibuerunt, & exhibendam ab omnibus fidelibus esse crediderunt, si eam sub utraque specie quibusvis fidelibus promiscue tradiderunt. Apertissimæ enim est imprudentiæ illa non *tollere*, sed stare sinere *per quæ divinissimum hoc sacramentum quovis modo potest inhonorari*; inter quæ communio sub utraque specie ob ingens effusionis periculum merito primas tenet. Sed & istorum imprudentia inde liquido arguitur, quod ex duobus judice Bellarmino malis id quod erat majus nequaquam repudiarunt, sed valere & in medio apud Ecclesiam, veluti quemdam offendiculi lapidem, prostare passi sunt. Ita enim factum fuerit, ut Clericos pariter ac laïcos prudentes conjecerint *in grandis peccati* in *offensa aspera pœnitentia punienda* (quod censet Ernulfus) imo in *grandis* (si Hesselium audimus) *sacrilegij* inevitabilem *reatum*, crimenque hujusmodi, quod *moraliter non potest non contingere*, quod sciscit Bellarminus. Quin imo, quod acute vidit Anonymus ille Doctor, cujus meminit Cassander, quæcumque ex non remota calicis communione apud Ecclesiam sacrilegia per vini sacri effusionem contingunt (multa autem hujusmodi ibi quotidie contingere, unde ea non est remota non modo probabile, sed etiam *moraliter necesse* est, ut fatetur Bellarminus) *omnis hæc culpa Ecclesiæ rectoribus imputanda est*. Atqui veteres Patres communionem sub utraque specie, illam tot malorum, tantorumque sacrilegiorum fœcundissimam, si istis credimus, matrem, non modo non sustulerunt, sed etiam servarunt, coluerunt, commendarunt, *tanta* ad seculum illud undecimum, religione, ut aliqui legantur Eucharistiæ communionem abrumpere, quam sub una specie tradere maluisse; alij hanc sub una specie communionem vetuerint, neque sine sacrilegio fieri definiverint; ut est à nobis in superiore de hoc argumento disputatione clare fuseque demonstratum. *n* Ergo plane necesse est illos Patres, Apostolos inquam, & omnes sequentis ad undecimum seculum Ecclesiæ rectores vel Eucharistiæ maximam summamve *reverentiam* (id est latriam) neque exhibuisse ipsos, neque ab aliis exhibendam docuisse; vel certe *improvide egisse*, extremæ imprudentiæ reos esse, malum retinere majus quam minori carere maluisse; Christianos & coævos & posteros in laqueos inextricabiles induisse, in apertissimum ac ineluctabile sacrilegij & impietatis discrimen conjecisse, deniq; omnium scandalorum ac sacrilegiorum, quæ totis illis decem seculis, quoties aliquid de sacro calice effusum fuit, culpam in eos esse jure meritoque conferendam; qui quam nullo negotio amovere poterant, illam ex qua ista omnia dira ac nefaria orta sunt, calicis communionem, adeo non sustulerunt, ut de ea abroganda toto illo tam multorum seculorum decursu ne cogitasse quidem unquam videantur. Hoc vero nemo nisi qui amens impiusque fuerit, de

CAPUT XXVI.

n Supr. L. 6. c. 9.

Caput XXVI. antiquissimis Ecclesiæ Christianæ rectoribus, Apostolis & Patribus dixerit; Ergo velint nolint Latini, illud alterum quod dixi, necessario confitendum est neque Apostolos, neque Apostolorum ad undecimi seculi initia posteros, *maximam illam* (quam Slotanus dicit) *reverentiam*, ut nos interpretamur *Latriam*, Eucharistiæ detulisse, vel omnino deferendam docuisse; neque adeo illam vini sacri effusionem perinde ac Latinos à sex proximis retro seculis exhorruisse; neque ut istos, pro piaculo vel pro diro & nefando sacrilegio habuisse, siquis ut fit invitus ac nolens per incogitantiam, vel per manus stomachive imbecillitatem fortuito casu, non sponte aut consulto aliquam sacri vini guttulam vel granis inspersisset, vel in terram effluere sivisset. Quantum ab hoc veteres abfuerint vel Cyrilli monstrat exemplum, qui adeo non extimuit nequid vini sacri extra calicem & os sumentium excideret, ut etiam sacri siquid laïcis in labiis hæsisset, eo suos jubeat manu diligenter collecto oculos & frontem contingere; de quo mox *o* fusius dicendum erit.

o Infr. c. 28.

Præter intinctionem sacri panis, & communionem sub una specie in publicas solennesque Latinorum Missas ex nimio effusionis metu post susceptum Transsubstantiationis dogma inductas, alia quoque sunt eorumdem in hujus sacri administratione novata, quæ ex eodem fonte fluxerunt. Quale est, quod supra *p* ostendimus Latinos infantibus Eucharistiam more à Cyprianicis temporibus ad duodecimi seculi initia perducto administrare desiisse illo ipso ut videtur seculo, sed vel præcipiti, vel certe jam adulto. Nam ad hujus ipsius seculi initia mansisse illum ritum ex Paschalis P. R. II. epistola ostendimus *q* (qui an. 1117. vivere desiit.) Sed & paulo post omitti cœpisse ex Hugonis Victorini à nobis ibidem allato testimonio constat; Neque aliunde quam ex ingenti illo effusionis metu usurpari desiisse, idem ille Hugonis locus his verbis indicat. *r Si in reservando sanguinem Christi, vel MINISTRANDO pueris immineat periculum, potius supersedendum videtur.* Timebant scilicet ne vinum sacrum si pueris ministraretur, iis ob ætatis infirmitatem si forte reluctantibus effunderetur; neve si ad hoc servaretur, vel acesceret, vel etiam casu aliquo effunderetur. Neutrum metuisse veteres inde patet, quod quoscumque pueros tinxerant, iis Eucharistiam incunctanter dabant, etiam acrius & improbius reluctantibus; ut ex parvulæ illius à nobis supra *s* commemoratæ exemplo patet; *cui* Cyprianus narrat *t Diaconum reluctanti licet de sacramento calicis aliquid infudisse.*

p Supr. L. 5. c. 5.

q Supr. L. 5. c. 4.

r Hug. de Cærim. Eccl. &c. c. 20.

s Supr. L. 5. c. 5.

t Cypr. de Laps.

Eadem docet alius mos Eucharistiæ scilicet in calicibus vitreis conficiendæ & ministrandæ diu quidem apud veteres etiam post calicum aureorum & argenteorum usum à nonnullis usurpatus; à Latinis vero plane penitusque circa Paschasiana tempora interdictus; quod quia suo supra loco demonstratum est, *u* hic non repetimus. Quin autem vitrum ideo vetitum fuerit, quod futile sit frangique facillimum, nemo ut opinor, dubitat, urgente scilicet hominum animos nimio illo de vini

u Supr. L. 3. c. 8.

sacri effusione metu. Neque ego ab uno quin laudanda sit hæc Latinorum tanta in calicem religio, si Eucharistiæ quidem vera sit, quod illi sibi persuadent, ἀποδέχομαι. Quid enim indignius, quam numen in futili vitro liquidum natare, eoque in loco esse, quo singulis momentis effundi periclitatur? Cur veteres aliter? cur vetustissimi quidem vulgo ac pæne semper, etiam posteri interdum in vitro (ut loquuntur) obtulerunt? Cur nulla lex ante decimum vel certe nonum seculum certa apparet, qua profanus, & ad Dei injuriam tam facilis mos abrogatus sit? Cur qui eum etiam quinto, etiam sexto seculo usurparunt Exuperius, & Cæsarius x adeo non reprehendi, ut etiam laudari eo nomine fuerint? Incredibile profecto est Eucharistiam eos pro Deo adorasse, qui tam flagitiosam irreverentiam non modo inultam dimiserunt, sed etiam laudarunt. Perronius nobis hoc loco prisci in sacris ministerij pompam explicat; y argenteos, aureos, gemmatosque calices, vasa, vela, & cætera magnæ artis magnique pretij ex veteribus scriptoribus ambitioso, sed casso & inani labore conquisita ostentat. Neque enim nunc quæritur, an splendida & pretiosa liceat divino cultui impendi, quod in veteri Ecclesia factum esse nemo negat, quod fieri posse, etiamsi nulla sit rerum sacrarum transsubstantiatio, ditissimus ac splendidissimus Mosaici tabernaculi atque sacerdotij apparatus docet, & omnes credo confitentur. Illud quæritur, cur vetus Ecclesia in vitro ad omnes etiam levissimos ictus casusque fragili Eucharistiæ partem liquidam diu securo obtulerit, ut Tertulliani Zephyrinique Papæ temporibus, cur à quoquam sequentibus offerri passa sit? cur etiam in vitro portatam laudarit? Cur illam nunc tantopere à Latinis formidatam effusionem non extimuerit? cur hoc non intellexerit, quod omnes etiam pueri vident, ad Christi injuriam contumeliamque pertinere quod sanctissimum ejus numen effusionis & irreverentiæ tantæ in vitro exponitur? Ad hoc, quod unum agitur, noster Antiquarius, in vanis ut solet disertus, obmutuit.

CAPUT XXVI.

x Hieron. ep. 4 Cæsar Vita L. 1. c. 14.

y Du Perr. L. 3 de l'Euch. c. 2. p. 844. 845.

Huc quoque pertinet alius apud veteres quidem solennis, apud Latinos vero circa eadem illa noni decimique seculi tempora jamprident antiquatus mos; isque duplex. Calicem enim quem nunc nemini, nisi sacerdoti, qui confecit, tangere licet, veteres omnibus apud sacram mensam fidelibus in manus dabant. Quin &, quod multo mirabilius est, suam cuique sacri vini portionem sibi servare, domum efferre, ibique eam habere suo arbitrio sumendam, contendebant; in quo usu quam immane fuerit effusionis periculum facile omnes vident. Sed de utroque ritu suo seorsum loco mox dicemus. Nunc satis est hinc, quod luce meridiana clarius est, observare veteres de illa vini sacri effusione, quam nunc Latini postquam id numen esse decreverunt, tam miseris modis metuunt, ac formidant, multo minus sollicitos, multoque securiore fuisse; Id ipsum denique ex iis canonibus intelligitur, qui de procuranda ac expianda effusionis irreverentias, si quando ea acciderit, multi apud Latinos, iique

z Mox, cap. seq.

Caput XXVI.

diligenter ac pæne anxie conscripti; apud Patres vero paulo antiquiores plane nulli reperiuntur. Apud illos quidem hæc in omnibus Missalibus leguntur, a & magna cum religione in omnibus eorum Ecclesiis observantur; *Si per negligentiam aliquid de sanguine Christi ceciderit, siquid super terram, seu super tabulam, lingua lambatur; & locus ipse cadatur, quantum satis est, & abrasio comburatur; cinis vero in sacrarium recondatur. Si vero super lapidem altaris ceciderit, sorbeat sacerdos stillam, & locus bene abluatur; & ablutio in sacrarium projiciatur. Si super linteum altaris, & ad aliud linteum stilla pervenerit: si usque ad tertium, linteamina ter abluantur, ubi stilla ceciderit; calix supponatur, & aqua ablutionis in sacrarium projiciatur. Quod si in ipso solum corporali, aut si in vestibus ipsis sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, & ablutio in sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapete, bene abluatur, ut supra. At si contingat totum sanguinem post consecrationem effundi; siquidem aliquid vel parum remanſit, illud sumatur, & de effuso reliquo sacramento fiat, ut dictum est.* Hæc illi; quæ profecto jure meritoque ita accurate, diligenter, ac religiose instituunt, si quod ipsi docent, verum est, harum stillarum, quas tam anxie procurant, nullam esse tam exiguam, quæ non Christus sit ipsissimus *realiter*, ut loquuntur, atque *substantialiter* divino *latriæ* cultu adorandus. Non est ergo dubitandum, veterum si idem fuisset sensus ac cultus, parem quoque futuram fuisse in his locis ac causis diligentiam, sedulitatem atque religionem; ac eo quidem impensius, quod viri erant, ut modestissime dicam, non minori profecto, quam nunc Latini nostri sunt, in res divinas fide, cura ac zelo; quodque ea agebantur tempora, quibus multo quam nunc crebrius ac fœdius illa piacula accidisse constat; cum nimirum vinum sacrum, quod nunc unus sacerdos bibit, id olim omnes promiscue communicantes biberent, omnesque poculum, è quo propinabatur, manu susceptum tenerent, aut denique eam ejus partem quæ sibi propinabatur, excipere, & domum secum deferre unicuique communicantium liceret. Atqui istorum, quos è missali Romano descripsimus, canonum nullum in omnibus, quæ propemodũ innumerabilia supersunt, Christianæ antiquitatis ad sexti seculi exitũ monumẽtis, reperies; nihil, quo de *sanguinis* (ut isti loquũtur) Dominici stillis aliquid præcipiatur, sique forte in terrã, in tabulã, in altare, in linteũ, in corporale ceciderit; nihil quo sacerdos alias ex his stillis sorbere, alias abradere; vel loca quæ cõtigerãt, abluere, ablutionẽ in sacrariũ projicere jubeatur. Hęc Latinæ religionis particula tota antiquissimis eorũ majoribus ad septimi seculi initia, etiam ut probabile est multo diutius, indicta, ignota, atq; inaudita fuit. Quid hoc esse mõstri dicã, ut qui sanctiores fuisse perhibẽtur res tã divinas, Deũ (si istis credimus) ipsũ minus curarint, quã hi, qui suã ab illis pietatẽ omnẽ præfluxisse gloriãtur? ut quæ rarissime nunc cõtingunt flagitia de iis procurãdis plurimæ atque accuratissimæ leges conditæ fuerint; eadem quo tempore ob causas nuper dictas, quotidie accedebant, neglecta, & inexpiata mãserint?

a Miss. Rom. Tit. de defect. circ. Miss. c. 10. §. 12. 13.

ut postremo quibus seculis canones de aliis rebus, multo (si Latinorum quidem de Eucharistia fides admittatur) levioribus propemodum innumerabiles diligentissime conditi sunt, servatique in libris adhuc extant; iis ipsis inquam seculis, ne una quidem littera de causa ad summam Christi injuriam pertinente scripta sit; quæ quidem ad nos manarit? Ne ergo dubitaveris, qui Patres ne sacrum vinum ulla ratione effunderetur, tam negligenter, tamque oscitanter cavisse, ut effusum procuraretur, plane nihil operæ dedisse reperiuntur; eos profecto illam effusionem multo minoris fecisse quam Latinos; quod cum ab iis longissime abesse debere demonstraverimus, qui hoc sacrum vinum pro Domino Deo ac servatore nostro, *latria colunt*; omnino confitendum est, qui ita se in his gesserunt Patres, eos, quicquid obstrepant ac vitilitigent Latini, non vino magis quam pani sacro divinos honore vel exhibuisse ipsos, vel ab omnibus fidelibus exhibendos sensisse aut docuisse.

CAPVT XXVII.

CAPVT XXVII.

Argumentum contra Eucharistiæ adorationem XVII. inde ductum, quod eam veteres quidem omnibus communicantibus in manum tradiderint, Latini alia quam Sacerdotis manu tangi nefas putent. Argum. XVIII. quod veteres Eucharistiam omnibus utriusque sexus fidelibus, etiam laïcis, retinere, domum auferre, domi servare, secum peregre deferre permiserint, ubique & semper ad 12. seculum; exceptis solis Hispanis, qui an. D.381. eum usum, sed ob proprias gentis causas, prohibuerunt; Latini vero hostiam suam alibi quam in loco sacratissimo, prope altare, vel in altari servari nefas putant, Refelluntur Bellarmini & Baronij cavillationes.

SEd ita esse non tantum eo docemur, quod illi multa, quæ Eucharistiæ adorationi consentanea sunt, nullo in usu habuisse noscuntur, ut ea sunt de quibus hactenus diximus. Id ipsum inde etiam facilius atque liquidius intelligimus, quod iidem non pauca factitarunt, solenniaque & legitima habuerunt, quæ divino sacramenti cultui adversantur, eoque à Latinorum religione & sacris nunc absunt, vanaque si fierent, & irreligiosa, quædam etiam nefaria, apud eos censerentur.

Mitto, quod nuper *b* dixi, diu apud nostros vinum sacrum in vitro fuisse & confectum & communicantibus omnibus ministratum; quod nunquam passura erat Ecclesia, si id quod ministratur ipsam esse credidissent Dominici corporis ac sanguinis adorandam substantiam; ob vitri non modo vilitatem (quam unam attendisse videtur Perronius) sed præsertim fragilitatem, ad vitandum effusionis periculum; cujus metus Latinos postremo coegit hujus materiæ in calice Eucharistico usum

b Supra, c.26.

Caput XXVII.

plane abdicare, disertisque legibus vetare.

Huc vero illud evidenter pertinet, quod supra *c* suo loco demonstratum est, veteres scilicet Eucharistiam & præsentibus distribuisse, & ad absentes misisse per Diacanos; quam nunc à solis Sacerdotibus vel distribui, vel deferri sinunt; cui illud quoque adjiciendum est, quod nos docet apud Eusebium Dionysius missam ad infirmum à Sacerdote fuisse per puerum laïcum. Certe in hoc sacramento deferendo diu vsos esse Acolythorum opera & manu discimus, quod illic quoque observatum est, *d* non modo persecutionis tempore, ut patet ex Tharsicij Acolythi historia, quem Acta Stephani P. R. tradunt *e* à Paganis mactatum cum corporis Christi sacramenta portaret; sed etiam pacatis Ecclesiæ temporibus; ut in eadem vrbe Roma etiam quinto seculo morem fuisse nos docet Innocentius, vbi de Ecclesiis intra civitatem constitutis loquens, *f* *Quarum* (inquit) *Presbyteri, quia die ipsa* (Dominica) *propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possint, idcirco fermentum à nobis confectum per ACOLYTHOS accipiunt.* Fermentum enim istic Innocentio, ut & Melchiadi & Siricio in Pontificali, esse Eucharistiam, supra *g* ostendimus. Quid audio! Innocentius sapientissimus siquis alius Pontifex Deum suum, summam numen per Acolythos mittit, infimi in Ecclesia ministerij homines? & mittit non ad vnum aliquem infirmum, sed ad totas Ecclesias, suæ cum iis communionis testandæ causa? Non habuit Presbyterum, non saltem Diaconum per quem mitteret, quamquam ne Diaconos quidem vos dignos putatis, qui Deum vestrum portent? Iam si Innocentius summus ut vos quidem vultis, Ecclesiæ Monarcha ita corpus Dei sui misit, non dubitatis credo & cæteros ejus ex vestra fide, Ministros ac subditos, orbis Christiani Episcopos Eucharistiam ad Ecclesiarum suarum civitatenses presbyteros eodem exemplo per Acolytheo quoque missitare solitos. Profecto confitendum est priscos illos Patres vel rudes admodum crassosque & divini, vestri quidem certe, juris ignaros fuisse, qui sic Eucharistiam tractarent; vel quam sic tractarent, eam pro numine adorandam nequaquam putasse. Prius de Innocentio ac de cæteris illius ævi laudatissimis viris, nemo sanæ mentis dixerit. Ergo alterum confitendum est, Eucharistiæ adorationem & divinitatem illius seculi Christianis nondum notam fuisse. Atque hinc primo patet falli Baronium dum putat *h* non alio quam persecutionis tempore sacramenta Acolythos portasse. Nam quo tempore Innocentio teste solenne erat Eucharistiam per Acolythos ad Ecclesias civitatenses mitti, id non erat persecutionis sed pacis tempus, ut notum est. Quod vero negat esse quod miremur veteres Eucharistiam Acolythis portandam commisisse, qui eam etiam laicis donum secum deferre permittebant; ad id ego sic respondeo vt concedam hoc revera non esse mirabile si illorum temporum Ecclesiam statuas (quod nos contendimus) Eucharistiam pro sancto quidem sacramento habuisse, non tamen putasse summum & latria dignum esse Numen. Si vero

c Supr. L. 5. c. 1.

d Ibid.

e Apud Baron. an. D. 260. §. 5.

f Innoc. I. ep. 1. c 5.

g Supr. L. 5. c. 1.

h Baron. Not. ad Martyr. d. 15. Mai. D.

fingamus

Fingamus (quod Baronius cupit) Patres Eucharistiam pro Christo ipso habuisse, profecto nemo mirandum esse negaverit, quod iidem de qua idem cum Latinis sentirent, eam tam diverse à Latinis tractaverint; Vos quidem Baroni, Eucharistiam Laïcis adeo non permittitis, ut etiam Acolythis, imo & Diaconis ad infirmos portandam negetis. Ac vos quidem qui de ea sic sentitis, merito & dogmati vestro consentanee facitis, qui creditis esse Christum ipsum summum ac latria dignum Deum non ab alio contrectari, ferri, haberi, quam ab eo ipso Sacerdote, cui uni Sacramenti conficiendi, asservandi ac ministrandi jus datum esse censetis. Quin & illud sapientia vestra plane dignum esse concedimus, quod apud Ecclesias paulo copiosiores videmus quemdam ad hoc proprie ministerium deligi Sacerdotem, quem à munere, *Dei bajulum* vel *portitorem* * apud vos dici ferunt; augustissimo quidem, sed omni tamen Christianæ antiquitati ignotissimo nomine. Quæ vos omnia si sacramento, quod esse vere ac reapse summum & æternum Numen creditis, jure meritoque deberi atque exsolvi censetis; profecto illud quoque confiteri vos necesse est non tantum mirabile, sed plane esse incredibile veteres Eucharistiam vobiscum Deum esse putasse, quam non solis ut vos Sacerdotibus, sed etiam Diaconis, neque his tantum sed etiam Acolythis, ac denique ipsis (quod vobis ingens nec sine horrore nominandum nefas videtur) ipsis etiam Laïcis viris ac mulieribus contrectandam, domum asportandam, secum sibi habendam (de quo mox dicemus) vulgo, passim ac pæne quotidie permittebant.

CAPUT XXVII.

* Porte-Dieu.

Hic præterea quiddam aliud occurrit; Quod ante an. D.260. nullo prohibente ab Episcopis factitari solenne fuit; ut illi nimirum Eucharistiam alij aliis circa Paschæ festa testandæ suæ in Domino communionis gratia inter se missitarent. Quo doctissimus Henricus Valesius merito, ut alibi diximus, *i* refert, *k* quod apud Iustinum *l* legimus, Diaconos sacras particulas non tantum distribuisse præsentibus, sed etiam *ad absentes portasse*; missas scilicet à suo Episcopo ad alios absentes Collegas honoris & benedictionis gratia. Idem eodem quoque sensu accipit, quod ex Actis Luciani discimus, *m* Martyrem sacramentorum quæ vinctus in carcere confecerat & sumpserat, sacras partes ad eos qui aberant transmisisse. Cum autem dissitæ inter se & quidem aliquæ plurium dierum itinere Episcoporum essent parœciæ, necesse fuit ad hoc Episcopalis caritatis commercium, Eucharistiam longe ad loca remota sæpe portari.

i Supr. L.6. c.2.
k Vales. Not. ad Euseb. Hist. L. 5. c 24. p.193.
l Iustin. Apol. 2.
m Acta Luc. c 9. ad d. 7. Ian.

Qualiter id officij Asianis olim Romanos Episcopos exhibuisse nos docet *n* Irenæus, vbi ad Victorem vrbis Episcopum scribens, *Illi ipsi qui te* (inquit) *præcesserunt Presbyteri, quamvis id minime observarent, Ecclesiarum Presbyteris qui id observabant Eucharistiam transmiserunt*, ἀλλ' αὐτοὶ μὴ τηροῦντες οἱ πρὸ σοῦ πρεσβύτεροι τοῖς ἀπὸ τῶν παροικιῶν τηροῦσιν ἔπεμπον εὐχαριστίαν. Significat, præeunte & consentiente eruditissimo Valesio, *o* Anicetum, Pium, Hyginum, Telesphorum, & Xystum, qui Ecclesiæ Romanæ

n Iren. ep. ad Vict. apud Euseb. Hist L.5. c.24.
o Vales. vbi supra.

Caput XXVII. Romanæ ante Victorem præfuerant, cum aliarum Ecclesiarum nimirum Asianarum Episcopis, licet diverso quam ipsi solebant die Pascha celebrantibus, pacem tamen coluisse, & Eucharistiam fraternæ concordiæ pignus ad eos misisse. Iam nemo nescit quantum Roma ab Epheso & reliqua Asia distet, & quam multa inter vtrumque locum intercessserint maria καὶ ὄρεα σκιόεντα.

Præter ista, hunc quoque antiquitus apud nostros morem fuisse, vel quæ eum inhibuit p Laodicena Synodus, confirmat. Cur enim id fieri vetaret, quod à nemine fieret? *Quod sancta* (inquit) *instar Eulogiarum in festo Pascha ad alias Paroecias* (vel ex Dionysio Exiguo parochias) *transmitti non debeant.* περὶ τοῦ μὴ τὰ ἅγια εἰς λόγον εὐλογιῶν κατὰ τὴν ἑορτὴν τοῦ πάσχα εἰς ἑτέρας παροικίας διαπέμπεσθαι. Ergo id antea fiebat, id est ante an. Dom. præpropter 360. quo habita est hæc Synodus. Zonaras in hunc canonem; *Fuit hoc quoque* (inquit) *antiqui moris, ut Sancta, corporis scilicet ac sanguinis Domini particulæ*, μερίδες τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, *Pascha tempore ab una paroecia in aliam, benedictionis iis ad quos destinatæ fuerant, impartiendæ causa transmitterentur.* Iam specta quæso in quæ, & quam dira, quam fœda, & infanda discrimina Patres isti vetustiores Deum Christumque suum conjicerent, qui sub Ethnicis Principibus per medios Christianismi hostes, fervente sæpe persecutione ab Italia in Asiam vsque divinum ejus corpus ac sanguinem transmittebant! Hic quidem certum est talibus locis ac temporibus non potuisse Christum cum ea qua dignus est pompa, deferri, longo comitantium ac venerantium agmine cereis hinc inde allucentibus stipatum. Atqui hoc, si vel unum esset, homines sanctos ab hoc incœpto deterruisset; qualiter Pechinenses Iesuitas instituisse legimus, cum viaticum infirmo seni, tametsi cupidissime expetenti, præfracte negarunt, ideo quod hostia in ejus ædes tribus passuum millibus ab vrbe distantes non aliter quam per mediam idololatrarum civitatem deferri posset; consultius judicantes optimum alioqui & sibi addictissimum hominem hoc in supremis solatio, quam Christum legitimis honoribus, dignisque Majestate sua pompis tantisper carere. Absit ergo à nobis ut priscos illos primi Christianismi Patres, Iesuitis ni fallor haudquaquam vel sapientia vel pietate inferiores, pro Domino ac Deo suo Christo illas panis & vini sacri particulas habuisse coluisse & adorasse, quas in loca tam longinqua inglorias & inhonoratas inter mille discrimina mittere audebant, & quidem cum nulla eos acrior necessitas ad hoc periculosissimæ aliæ opus vrgeret.

p Syn. Laodic. c. 14. eod. univ. 118,

q Zonar. in can. 14. Conc. Laod. p. 344.

Sed alios jam vsus exsequamur, siqui apud veteres fuerunt ab Eucharistiæ adoratione alicui. Hic, ut supra r demonstratum est, veterum communis ac diuturnus mos fuit Eucharistiam communicantibus, mulieribus & viris, & his tum clericis tum laicis, in manus tradere; isque vsus ad octavi vsque seculi initia servatus fuisse videtur. Latini non ab aliis, quam à Sacerdotibus tangi fas putant. Merito vtrique, & ex

r Li. 5. c. 2.

& ex sua singuli fide, suoque cultu. Illis enim Eucharistiam, quam panem tametsi sacrum, panem tamen vere esse sentiebant, neque eam latria adorabant, fidelibus quibusque porrigere merito nulla religio fuit. Hi, quod summo, Dei vnius proprio cultu adorant, manifesta ratio est, cur id non ab aliis attrectari quam à sacris hominibus patiantur; qui meminerunt Huzam, arcæ divinæ tactum, tametsi eam necessario tangeret, ut ruentem sublevaret, & à casu prohiberet, morte tamen luisse. Idem haud dubie exemplum veteres Christianos terruisset, ne à suis vel laïcis vel inferioris census clericis sacramentum impune tangi sinerent, si hoc cum recentioribus Latinis latria coluissent, proque summo Deo habuissent. Quos ergo plane aliter se gessisse, & quibusvis Christianis Eucharistiam in manus tangendam attrectandamque per tot secula securos tradidisse videmus; quid aliud eos de hac re sensisse suspicari licet, nisi panem revera esse, nulla latria dignum?

Huc aliud multo gravius accedit; quod veteres Eucharistiam quibusvis communicantibus non modo manu tangendam, sed etiam apud se domi servandam, peregre iter sive in terra sive etiam in mari facientibus secum ferendam tradebant, ac permittebant; quod supra *s* est à nobis luculentis exemplis probatum. Quis veteres Christianorum præpositos, homines, ut liquet, religiosissimos, tam abjecte, ne dicam tam impie de summo numine sensisse putet, ut id nulla ipsis religio fuerit quorumvis virorum, quarumvis mulierculárum temeritati exponere? susque deque habentes ad quid & qualiter vsuri essent non re divina, sed ipso Deo, non aliter quam summis cum honoribus excipiendo, ac tractando? Atqui Eucharistiam constat sanctissimos Patres quibusvis qui expeterent Christianis, ita auferendam & apud se habendam concessisse. Ergo non putarunt eam ipsum esse opt. max. Christianorum Deum. Vide qui ita de hac sentiunt Latini, qualiter se hoc loco gerant. Illi vero ab homine, qui ad divinum cultum non sit consecratus, vel tangi nefas putant. Nusquam eam, nisi in sacro, collocari patiuntur, in ipso templi penetrali, atque adyto, in tabernaculo, & quidem ornatissimo, sera accuratissime clauso. Ne apud Sanctimoniales quidem *intra chorum*, vel *septa monasterij* servari sinunt; *t* nulla quantumvis in speciem honesta ratione, *nullo indulto*, vel *privilegio*, ab *Ecclesiarum publicarum* sacris altaribus decipi patiuntur; Hoc unum ejus esse verum ac legitimum domicilium; hoc solium; hoc cœlum; hunc denique *Solem, in quo posuit suum tabernaculum. u* Siquis laïcus Eucharistiam inde abreptam secum haberet sub tecto suo pernoctantem, vel peregre deferret, *is homo* (inquit Petavius) *x apud nos censeretur gravissimi criminis reus;* Nemo non exclamaret contemptam, violatam ac incestatam esse religionem; temeratum divinissimum sacramentum; ingens admissum sacrilegium. Iam quod isti tantopere exsecrantur crimen, id apud

s Supr. l.6.c. 15.

t Conc. Trid Sess. 25. cap 10.

u Ps. 19 (Lat. 18.) 6.

x Petav. de publ pœnit. L. 1. Part. 1. c. 7. p. 94.

Caput XXVII. id apud veteres impune ab omnibus quotidie Christianis fiebat; à nullo vetustissimorum præpositorum reprehensum reperitur, ad quartum seculum extremum; Nemo ante id tempus, ne id admitteret, Sacerdotum oratione vel admonitione deterritus legitur; Ac ne tunc quidem ubique, sed in sola Hispania ob causas quasdam gentis proprias mos ille vetitus; Ipsi volentibus quibusvis criminis (si hoc quidem crimen fuit) liberam potestatem faciebant, qui nulli petenti, si Hispanos post an. 380. exceperis, sacras panis particulas negabant, secum habendas, domi & ubi libuisset reponendas, servandas, utendas. Sed quid ego illius ævi præpositos quod hoc isti gravissimum crimen, rem, quod ait Baronius, *penitus inconcessam* putant, nemini suorum negasse? nemini ut abstinerent suasisse dico? Profecto ipse ille publicus ac omnium communis usus muta quædam lex erat, qua id non vetari, sed præcipi, non pro crimine damnari, sed pro re honesta laudari, ac pro aliqua pietatis parte commendari videbatur. Neque aliud sensisse ipsos Patres inde apparet, quod ij omnes (præter solos post an. Dom. 380. Hispanos) non modo adversus morem si Latinis credimus, impium, ac profanum, ne levissima quidem unquam voce ipsi intercesserunt, sed etiam quorumdam qui ita factitarunt, pietatem laudant; ut Gorgoniæ Gregorius Nazianzenus, *y* ut Maximiani & sociorum Gregorius alter Romanus. *z* Quid quod Tertullianus suadet *a* quibusdam, ut particulam apud mensam Domini acceptam servent, suo domi tempore, non ibidem in fratrum collecta, concedendam? Quibus enim religio erat panem sacrum stationis die, quo prandium ad horam nonam differebatur, ante peractum jejunium sumere, hoc ille quod diximus, suggerit, quo utrique officio, communionis scilicet & stationis satisfacerent. *Accepto* (inquit) *corpore Domini & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificij, & executio officij.* Petronius sane & his ipsis, & aliis nonnullis argumentis fuse probat *b* hanc Eucharistiæ reservationem, non pro sacramenti profanatione, sed pro religioso & laudabili ritu à veteribus illis Patribus habitam esse. At illi si Eucharistiam Deum esse credidissent & latria coluissent, næ hunc morem ejus in laïcorum manus tradendæ, domi asservandæ, pro singulorum arbitrio utendæ, juxta cum Latinis ut indecorum, ut inhonestum, Deique majestate indignum, denique ut periculosissimum damnassent, & abrogassent. Cum ergo eum probasse, usurpasse, diu retinuisse noscantur, necesse est eos aliud quam Latinos de Eucharistia sensisse, neque eam pro summo numine habuisse vel adorasse. Bellarminus hoc olim permissum fuisse respondet, *c* quod *tunc simpliciores essent Christiani, nec dum cœpissent ad Magias abuti sacramentis.* Ego vero nescio cur vel quo sensu simpliciores tum fuisse nostros dicat, quam nunc sunt. Cum enim hic mos per multa secula in Ecclesia manserit, non video cur eos, qui post Constantinum vixere nobis simpliciores fuisse suspicemur. Sed quicquid ille de veterum simplicitate finxerit, non efficiet, ut Deum per se præsentem apud ullos

y Greg. Naz. orat 11.
z Gregor. Rom. Dial. L.3. c.36.
a Tertull. de orat. c. 14. p.155.A.
b Petr L. 3 de Euchar. c. 7. p.861. 862. 863.
c Bell L. 4. de Euch. c 4. §. Tertio dicit.

vllos Christianos honestum aut decorum fuerit in privatorum hominum manibus esse, in eorum ædibus, arcis, & armariis jacere. Qui hoc ita fieri patiuntur, eos ego verius vel stultos vel certe impios dicendos putaverim. Sane quæ supersunt etiam vetustissimorum opera satis loquuntur eorum simplicitatem cum pari prudentia & sapientia fuisse conjunctam; ut non sit credibile illos hanc tantam moris absurditatem atque indignitatem tardius fuisse intellecturos quam Latinos, si eadem cum iis de Eucharistia sensissent. Sed esto Christianos ad octavum & nonum seculum simpliciores plærosque fuisse concedamus, quam fuerunt ab aliquot retro seculis Latini; nemo tamen negaverit inter plures in unaquaque Ecclesia simpliciores permixtos fuisse non paucos vafros atque improbos; fere eodem modo quo etiam hodie res se habent. Tam istis quam *simplicibus* licitum fuit Eucharistiam apud se habere, eaque *ad Magias abuti*; quo uno metu narrat Bellarminus esse factum, ut mos ille verus aboleretur. *Nondum* (inquit) *cœperant ad Magias abuti sacramentis.* Primo, quis hoc eum docuit? Vnde istius abusus vera initia didicit? Erant jam ab initio Christianismi & Magi, & eorum magistri dæmones, & abusos jam tum hoc ipso sacramento ad opus suum fuisse nonnullos Sathanæ ministros, apud antiquissimum scriptorem Irenæum legimus; *d* ut Marcum illum, qui *Anaxilai ludicra cum nequitia Magorum commiscens per hæc virtutes perficere putabatur; poculaque vino mixta simulans se in Eucharistiam consecrare invocationis verba in multum extendens efficiebat, ut purpurea & rubicunda apparerent.* ποτήρια οἴνῳ κεκραμένα προσποιούμενος εὐχαριστεῖν, καὶ ἐπὶ πλεῖον ἐκτείνων τὸν λόγον τῆς ἐπικλήσεως, πορφύρεα καὶ ἐρυθρὰ ἀναφαίνεσθαι ποιεῖ. Hinc videmus Sathanam jam ante seculi secundi finem hujus sacramenti simulacro abusum esse ad Magias. Quid-ni & sacras particulas apud Catholicos benedictas jam tum ad suas nequitias usurpaverit, quarum erat communis & promiscua reservatio? Frustra ergo in Magorum abusus confertur antiqui hujus moris abolitio. Si hæc ejus abrogandi vera causa fuisset, jam à primis seculis abrogatus fuisset; quibus Magorum abusus non minus metuendi erant, quam posterioribus. Sed hæc abrogati moris aliena causa fingitur, ut vera occultetur; quæ non alia profecto est, quam transsubstantiatio his postremis retrò seculis in Latinam Ecclesiam invecta. Sed aliud etiam subest in Bellarminiana cavillatione vitium. Videtur enim nihil aliud periculi aut absurdi ex hoc veterum more metuisse præter istum Eucharistiæ quem sane unum memorat, ad Magica abusum. Res illi in tuto futura videtur, si sacramento satis à Magis cautum fuerit. Quid? Nihil-ne veretur ipsam rei indignitatem, si Numen, cujus in terris domicilium nullum aliud esse decet, quam sacri templi sanctissimam partem, id in privatis homuncionum quorumvis ædibus habitet, eorum manibus attrectetur, voluntati & libidini permittatur? Nihili-ne facit, quo nescio quid turpius, aut ab omni decoro magis alienum dici possit, Deum Deorum in arca mulier-

CAPUT XXVII.

d Iren. L.1. c.8.9. p.69. 70.

Caput XXVII.

culæ inter muliebres reculas permixtum jacere, vel in servuli armario conclusum annum totum delitescere veluti captivum? Ita enim ex illo antiquo more excipi atque haberi solitam Eucharistiam à mulieribus & servis ex Cypriani *e* & Moschi locis *f* discimus, quæ supra *g* sunt à nobis recitata? Non cohorruit saltem Bellarminus ad illud quod ipse, qui Eucharistiam Dominum esse credit, aliquando factum esse & quidem antiquissimis temporibus non potest negare, ut Deus verus, opt. max. in diabolica spectacula, inter scorta, & histriones delatus consisteret? Eucharistiæ enim suo ævo id accidisse testis est *h* vel Cyprianus, vel eiusdem ævi, auctor libri de Spectaculis, qui inter Martyris illius opera circumfertur; *Festinans* (inquit) *ad spectaculum dimissus* (ex fidelium synaxi) *& adhuc gerens secum, ut assolet, Eucharistiam inter corpora obscœna meretricum tulit.* Non sinit nos veterum gravitas, sanctitas, sapientia, ac religio eos putare istis tam fœdis, tam Deo ac Domino nostro, honoreque quem ei summum debemus, indignis casibus, adeoque Paganorum quidem & Iudæorum sannis atque ludibriis, infirmorum vero magno & periculosissimo scandalo Eucharistiam objecturos fuisse, si eam latria adorassent, ipsumque Deum ac Dominum gloriæ vere ac ut loquuntur realiter esse cum hodiernis Latinis putassent. Baronius narrat *i* hæc laïcis à veteribus concessa fuisse, *cum minus liceret ad sacras synaxes tempore persecutionis Christianæ in unum sæpe coire; ut* (inquit) *cum in Ecclesia, vel aliis in locis abditis sacra peragerentur Missæ, qui ad eas conveniebant fideles Eucharistiæ, quæ oblata erat, particulas à sacerdote acceptas domum ferendas sumerent, quas reverenter asservatas singulis diebus summo mane jejuni participarent.* Fateor Basilium in epistola ad Cæsariam tradere hanc hujus moris originem fuisse. Sed primo, si Eucharistiam quod fingit Baronius, una cum Latinis summum esse Deum jam tum credebant, ne hæc quidem causa fuit idonea, cur eam his quos diximus, casibus, vel infirmorum fidem perniciosissimo scandalo objectum irent. Neque enim quemquam ad hoc ut servetur, Eucharistiam quotidie sumere necesse est. Satis est, si cum licet, sumatur. Contemptus sacramenti, vbi ejus copia est, reum facit; eo carere, si abest necessario ac præter voluntatem tuam, nemini pio nocet. Itaque multo erat potius fideles, quotidiano illo solatio ad tempus fraudari, quam Dei summi majestatem in hæc merito piis horrenda, abjicere. Idque esse consultius vel ipsum Latinorum exemplum demonstrat; quos equidem nunquam audivi suis, quibus locis ac temporibus *minus liceat* inter suæ fidei hostes *ad synaxes in unum coire*, hactenus concessisse, ut sacras particulas sibi singuli viri ac mulieres domi suæ haberent, servarent, pro arbitrio sumerent. Ab eo usque adeo absunt, ut Missæ Papalis religiosissimos zelotas Ignatianos, non modo nihil hujusmodi discipulis in Iaponia suis omnibus in commune indulsisse legamus, quantumvis longa ac dira persecutione oppressis; sed ne id quidem suæ cuidam neophytæ, Iuliæ, mulieri egregia & in Deum pietate, & in-

e Cypr. de Laps. p. 202.
f Mosch. prat. spir. c. 79.
g L. 6. c. 15.
h Cypr. de Spectac. pag. 370.
i Bar. an. D. 57. §. 149.

& in sua sacra fide, in quadam deserta insula ob religionem exulanti, ac sacramenti usum inprimis desideranti, concesserint; k neque aliud ei ad leniendum rei desiderium donaverint, nisi absentis Eucharistiæ iconem. Idem usurpassent in simili causa veteres, & suis non ipsum sacramentum, sed sacramenti æneum aut ligneum simulacrum domi habendum, atque utendum dedissent; si eadem illorum de Eucharistia, quæ nunc est Iesuitarum, jam olim fuisset fides. Vel hoc unum utrorumque in sacramenti administratione tantum discrimen vincit de eo aliud hos, aliud illos sensisse; nisi tu suspiceris Iesuitas, homines ingeniosos, ac doctos, & si non vafros, certe minime *simplices*; facile commentos esse, ut Dei sui imagine suam illam mulierem solarentur, potius quam ipsum Deum in idem cum illa exilium mitterent, veteribus, utpote ex Bellarmini sententia, *simplicioribus*, id est rudioribus, & crassioribus, tam lepidum atque elegans inventum in mentem venire non potuisse. Sed aliud præterea exemplum est, quod etiam apertius docet quam sacer & inviolabilis esse debeat numinis in sacramento residentis honos. Apud Trigautium l legimus Peguinensem quemdam senem constantissimum Iesuiticæ fidei zelotam, cum in supremis esset, ardentissime communionem à Patribus expetivisse; Hos vero præfracte negasse; non quod sibi ob aliquam persecutionem non liceret in sua Ecclesia synaxin facere (hoc enim liberum iis erat) sed quod sacramentum non satis pro majestate numinis honorifice per vicos civitatis Ethnicæ deferri posse putabant. Hominem interim solabantur, negantes viro cæteris pietatis officiis perfuncto fraudi futurum, quod sine viatico *legitime impeditus*, proficisceretur. Atqui multo magis numinis majestas imminuitur ac læditur, si tu id quibusvis apud se habendum, & sub privato tecto inter res domesticas locandum dedas, (quod veteres factitabant) quam si tu id ipsum semel, certe raro, absque pompa, fateor, sed tamen sine contumelia inter Ethnicos deferas, quod facere Iesuitæ sua in sacramentum religione deterriti, noluerunt. Ergo ex his ipsorum Latinorum legibus veteres nihil purgat urgẽtis persecutionis incommodũ; quominus gravissime peccasse censendi sint, qui Eucharistiã vel in hac necessitate, suis promiscue apud se reservandã, & pro arbitrio utẽdã permiserũt; numinis honori ac dignitati hominũ solatiũ antehabentes; quod quam sit perversum ac præposterũ omnes satis intelligũt. Sed absit ut in Patres tantã impietatẽ cadere potuisse putemus. Clara expeditaq; est eorũ purgandorũ ratio; Qui nimirũ Eucharistiam non Deum ac Dominũ ipsum, sed sacrum Dominici corporis signum ac symbolũ esse credebãt; ei satis à se reverentiæ haberi eo statuebant, quod nullis nisi fidelibus, rite initiatis sacramentum tradebant, si qui eo secius uterentur, culpã ipsorum fore, non suam; sacramenti injuria eum qui facit, lædi; cæterum ea neque Dei honorem, imminui, neque vel Gentilibus ludibrij, vel nostris scandali ansam dari. Sed Baroniana sententia, eo etiam laborare noscitur, quod etiamsi ad eos, qui talia fidelibus sæviente persecutione concedunt, purgandos

CAPUT XXVII.

k Trigaut. Martyr. Iapon. L. 1. c. 9. p. 43.

l Id. L. 5. c. 7. Expedit. p[?] in fin.

Caput XXVII.

valeret (nihil autem valere ostendimus) eos certe qui in Ecclesiæ pace eadem concedunt, non purgat, sed in gravissimo manifestæ contra Dei majestatem impietatis crimine hærentes destituit. Atqui veteres Patres, non persecutionis modo, sed etiam plenæ pacis temporibus, sub Constantino, sub Theodosio utroque eundem illum morem, de quo nunc quærimus, servasse certum est; & quidem ut videtur, etiam quam antea, impensius ac frequentius. Basilius eo ipso loco, quem Baronius statim describit, m testis est n etiam suo ævo, id est quarto jam adulto seculo, *Alexandriæ & in Ægypto unumquemque ex laïcis, qui illic degunt maxima ex parte communionem habuisse domi suæ.* Quinimo hunc eundem morem apud Græcos, & Latinos plærosque ultra septimum seculum, & apud quosdam ad duodecimum durasse supra o demonstravimus, & quæ contra verum frustra objectat Baronius, dissolvimus. Quid ergo? Tu-ne hos tam multos; tam pios Patres, tunc totam illam Ecclesiam quæ ad decimum seculum fuit, læsi numinis, spretæque, vel certe neglectæ ejus majestatis damnabis? Absit. Et qui primi invenerunt, & qui postea ad transsubstantiationem apud Latinos receptam, secuti sunt ac retinuerunt illum morem, illi Eucharistiam, non Dominum ipsum, sed Domini panem, non Deum, sed sacramentum esse non latria adorandam, sed reverenter habendam putarunt; eo nihil à se impie in Dei majestatem consuli credebant, quod fidelibus suum sacrum permitterent. Post transsubstantiationem semel receptam, haud diu morem illum perseverasse, sed brevi extinctum esse supra p etiam observavimus; & qui eum illo tempore retinuerunt, ex sola antiquitatis reverentia id retinuerunt, quod à majoribus traditum acceperant; cum nondum novi de Christo ex pane facto dogmatis vim, ac eas quas Scholæ vocant, consequentias satis animadvertissent. Venerationem Eucharistiæ, id est sacramenti à Domino instituti, & quidem ad sanctissimum ac saluberrimum usum instituti ac traditi, reverentiam, eo veterum more non tolli equidem Baronio libens largior; non tolli latriam & adorationem, quod ille cupit, nego. Quæ alia ille à Patribus in Eucharistiam laïcis quibusvis concessa fuisse & ille confitetur, & nos ostendimus; talia inquam concedere id profecto cum sacramenti latria, & transsubstantiationis, ex qua cultus natus est, fide consistere apud viros prudentes nequaquam potest. Frustra ille, ut aliud probet, occinit, majorem penes cunctos, quibus illa olim concedebantur, fidem viguisse, quas nullus fuerit, cui non potuerit tuto committi Deus. Pauca illa, quæ ex Cypriano attigimus, de arca, & de spectaculis, satis ostendunt non fuisse penes cunctos illam, quam Annalista somnians iis tribuit, majorem fidem; & siquis illius Ecclesiæ statum ac mores ex veris avet cognoscere, Cyprianum adeat in libro de Lapsis, fuse deplorantem labes, quæ jam tum Christianorum mores deformabant. Reperiet Ecclesiam, si ea purior tum fuit, quam nunc est, non caruisse tamen suis morbis, vitiis, corruptelis; & bonis permixtos fuisse non paucos malos; à quibus merito metui caverique debebat in Eucharistiam negli-

m Bar. an. D. 57 § 150.
n Basil. ad Cæsariam Patr.
o Supr. L. 6. c. 15.
p Supr. ibid.

negligentia, ac abusus, id est summa in ipsam Dei majestatem impietas, si Eucharistia quidem vere Deus est. Qui ergo Eucharistiam omnibus promiscue communicantibus secum domi habendam; servandam, tractandam, & pro arbitrio sumendam tradere non verebantur, ij profecto hoc ipso negant se Eucharistiam latria colere, proque Deo ac Domino ipso habere; longe aliter scilicet ejus honori ac majestati consulturi, si eam tali loco ac numero habuissent. CAPUT XXVIII.

CAPUT XXVIII.

Argument. XIX. inde ductum, quod veteres laïcos minime vetuerint corpus suum Eucharistia in morbo inungere, vel cataplasma ex ea factum oculis laborantium imponere; quinimo communicantes jusserint utraque eius specie oculos, frontem, sensuum organa contingere; quod nunc Latinis grande piaculum esset, si à quoquam fieret.

IDem quoque inde perspicitur, quod fuisse videmus in veteri Ecclesia, qui illa Eucharistia reservata non ad manducationem, vel ad adorationem, quos Latini legitimos ejus usus censent, sed alia, longe diversa, & quidem eo modo, eaque ratione uterentur, quæ à majestate numinis plane aliena est. Gregorius Nazianzenus refert sororem suam Gorgoniam, in morbo quodam gravi, humana remedia frustra expertam ad Deum confugisse, & intempesta nocte ad altare clamantem & lacrymantem accessisse, & lacrymis, quibus ut pharmaco à se allato totum corpus inungebat, admiscuisse [q] siquid *uspiam antityporum pretiosi corporis aut sanguinis manus reconsiderat*; atque ita morbo liberatam esse. *Antitypa corporis aut sanguinis pretiosi* nemo dubitat, quin Eucharistiam dicat. εἶτα τῷ παρ' ἑαυτῆς φαρμάκῳ τούτῳ τὸ σῶμα πᾶν ἐπαλείφουσα, καὶ εἴ πού τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος ἢ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισε, τοῦτο καταμιγνύουσα τοῖς δάκρυσιν, ὢ τοῦ θαύματος! ἀπῆλθεν εὐθὺς αἰσθομένη τῆς σωτηρίας. Historiam hujus similem narrat Augustinus; *Erat apud nos* (inquit) [r] *Acatius quidam honesto apud suos ortus loco, Clausis oculis natum se esse dicebat: sed quia intus sanis palpebris cohaerentibus non patebant, medicum eos ferro aperire voluisse: neque hoc permisisse religiosam matrem suam, sed id effecisse EX EUCHARISTIA CATAPLASMATE: cum iam puer quinque fere aut amplius esset annorum: unde hoc se satis meminisse narrabat.* Par est utriusque mulieris factum. Ex Eucharistia Gorgonia unguentum fecit, quo se lacrymis suis permixto inungeret: Acatij mater cataplasma quod clausis filij oculis imponeret. Mirificum & inauditum apud hominum genus (si Eucharistia quidem Deus est latriæ cultu adoratus) & *unguentum & cataplasma*: Quis enim unquam fando accepit factum fuisse alicubi ex Deo vel *unguentum* quo corpus perungeretur, vel *cataplasma*, quod

[q] Greg. Nazi. or. 11. p. 18. A.

[r] August. L. 3. secundi adv. Iul. op. §. 164. p. 153. C.

Caput XXVIII. quod oculis imponeretur? Quis ad tam infandum prodigium non cohorrescat? ut quisquam sit, qui quod religiosissime & ipse adorat, & adorandum credit, discors à sua ipsius fide ac religione ex eo sibi unguentum vel cataplasma conficere ausit? eoque summi ac tremendi Numinis majestatem abjicere, ut ex eo ipso, medicinas, quæ ex herbis vilissimis fieri solent suo corpori parare & applicare sustineat? Quis pius & Dei vere religiosus hoc ab homine tentatum vel videns, vel etiam audiens, non indignetur & expavescat ad tantam in Deum opt. max. contumeliam? Si ergo Eucharistiam vel Gorgonia, vel Acatij mater summa, uniusque Dei propria adoratione coluissent, vereque Deum ac Dominum suum esse credidissent, sanctæ ac religiosæ mulieres nunquam id, quod eas fecisse constat, commisissent. Neque illa Dei sui statum admixtis lacrymis corrumpere, & ex eo corpori suo unguentum parare; neque hæc ex eodem cataplasma filij oculis conficere & imponere in animum suum induxisset. Nunquam illa suam, nunquam hæc filij valetudinem contumelioso in Domini sui numen remedio redimendam putassent. Et si per errorem & incogitantiam muliebrem, sui in Deum officij immemores, fecissent, Gregorius certe & Augustinus, sanctissimi ac doctissimi Episcopi, earum factum damnassent, saltem reprehendissent, & præter Ecclesiæ disciplinam ac fidem factum esse monuissent. Neuter vel uno verbo perstrinxit, aut denotavit; Potius laudarunt, & velut insigne religionis ac pietatis exemplum attulerunt, quam in illis mulieribus singularem fuisse significant. Quin & Deum ipsum, Deum illum zelotem, qui in Huzam acerrime animadvertit, quod arcam suam præter fas, tametsi ex speciosissima causa tangere ausus esset, ipsum inquam illum Deum narrant mulieris utriusque facto adeo non fuisse offensum, ut etiam pio earum animo faverit, & quod humili & ardenti prece postulabant, utrique statim repræsentaverit. Neq; ergo hi de Eucharistia aliter, quam illæ sentiebant. Illas, factum; hos, ipsa in eo narrando oratio demonstrat credidisse hoc sacramentum *panem* esse & *vinum* (ex quibus si usus poscit, medicinas fieri abusum esse concedo, scelus, aut impietatem nego) numẽ, Deum, Dominum nostrum ipsum esse nequaquã credidisse; neq; id hoc nomine, latria, uni Deo debita, coluisse. Apud Latinos quidem, qui Eucharistiam latria adorant, Deumq; ac Dominum suum esse putant nullam, quod sciam, ab undecimo seculo, quo tẽpore illa de ejus ἀποθεώσει fides cœpit, mulierem reperies, quæ harum duarum Gregoriani & Augustiniani ævi matronarum facto simile aliquid tentaverit. Siqua nunc quidem id auderet, quo animo id Latini Episcopi laturi sint, patet, qui sacramentum non modo mulieris vel viri, sed etiam clerici cujusquam, nisi qui sacerdos sit, manibus tangi nefas putant. Sed etiamsi quæ apud eos sunt in hanc rem disertissime leges, nullæ extarent; satis quicquid est religiosorum hominum, ipse naturæ ut videtur sensus deterreret, ne quod ipsi supremo cultu adorant, Deumque opt. max. ipsum re vera esse persuasum habent, ex eo sibi *unguenta* & *cataplasmata* facerent, quod usq; adeo absurdũ est, & ab omni pietatis

pietatis ratione alienum, ut hoc ne Paganos quidem ipsos patienter auditoros fuisse credibile sit, sed velut novum & infandū portentum aversaturos. CAPUT XXVIII.

Eodem quoque pertinet, quod Cyrillus Hierosolymitanus de Eucharistiâ apud ipsam Domini in Ecclesia mensam communicantibus præcipit, *s* ut utraque ejus parte oculos contingant. Ac de pane quidem prius; *s* Cyr. Hier. Catech. *Sanctificatis* (inquit) *diligenter sancti corporis contactu oculis, communica.* μετ' ἀσφαλείας ἁγίασον· τοὺς ὀφθαλμοὺς τῇ ἁγίῳ σώματος, μετάλαμβανε. De sacro ibidem vino mox, communicantem, ubi biberit, sic monet, *Deum* Myst. 5. extr. p. 244. D. *adhuc in labiis tuis inest humor, manibus attingens* (illum scilicet humorem, qui in labiis adhuc residet) *& oculos & frontem & reliqua sensuum organa sanctifica.* ἔτι δὲ τῆς νοτίδος ἐνούσης τοῖς χείλεσί σου, χερσὶν ἐπαφώμενος καὶ ὀφθαλμοὺς καὶ μέτωπον καὶ τὰ λοιπὰ ἁγίαζε αἰσθητήρια. Ex Latino dogmate vel minima laticis illius sacri guttula Deus ipse est. Ergo & ea νοτὶς, ille humor Deus est, qui ex sacro calice bibentium labiis adhæsit, quemque vult Cyrillus à communicante manibus ex labiis attingi, & colligi, & collecto oculos & frontem sanctificari. Mitto quod alibi *t* observatum est, quemvis communicantem laïcum vinum sacrum contra Latinorum *t* Supr. L. 5. c. 2. leges & bibere & manu contingere juberi; Illud tantum nunc urgeo, quod illo residuo vini sacri, labiis adhuc adhærente, humore vult Cyrillus oculos, frontem, cæterorum sensuum organa ad hoc madefieri, ut ita sanctificentur. Hoc vero si rem spectes, idem est quod aiebat Gregorius Gorgoniam se antitypo sanguinis Dominici perunxisse, nisi quod illa quidem lacrymas sacramento admiscuit; hic communicans mero antitypi liquore oculos contingit; quo & illud accedit, quod Gorgonia copiosius, hic parcius sacro humore inungitur. Cæterū rem ipsā major minorve modus, vel ut in scholis loquuntur, *gradus* nō mutat. Itaque si Cyrillus sacramentum latria ut verum numen adoravit cum Latinis; fatendum est eum jubere Christianum quemque Deo in illo exiguo rore, quem manu ex labiis abstergit, oculos & frontem & sensuum organa contingere ac madefacere; quod quam dictu absurdum sit, nemo non intelligit. Latini quidem, qui ita de Eucharistia sentiunt, sedulo cavent nequid hujusmodi à sacerdote conficiente fiat (Laïci enim ne id apud illos faciant, nil est verendum quos toto semel calice in perpetuum multarunt) Quin & Arcudius Græcos sacerdotes graviter reprehendit *u* & quod de eo scribit *x* *u* Arcud. L. 3. c. 60. p. 344. de conc. or. & occ. Goar, *rei sacræ profane tractatæ reos agere tentat*, quod *consumpta sancti panis communione, manum qua illum tenuerant, capiti confestim admoveant, ibique abstergāt*; quod scilicet non dubitet, *quin sæpe numero micæ adhæreant, & remaneant.* De calice eadem ratio est; Nam & eosdē de hoc pariter arguit, quod non vereantur postquam ex eo biberunt, statim os abstergere manu seu linteolo: *Imo vero* (inquit) *cum valde nutriant barbam, neque unquam mystaces tondere patiantur, non raro guttæ sanguinis* (ita ille vinum sacrum vocat) *ex mystacibus, vel in ipsum sacrum ornatum, vel super altare, vel etiam quandoque in terram cadunt.* Itaque quemdam *x* Goar. in Miss. Chrys. Not. 113. Euchol. p. 15.

Caput XXIX.

Liturgiæ Græcanicæ locum, quod huic istorum magno, ut ipse sentit, flagitio faveat, corrigi jubet. Goar Græcos recentiores à sui Arcudij criminatione purgat quidem, ostendens tantam esse eorum hac in parte diligentiam, *ut prophanandarum sacrarum specierum nullum sit apud eos periculum*. Veteribus vero Cyrilli coætaneis Græcis fatetur *y Arcudium soleter forsan potuisse scrupulum ingerere*; ob ea scilicet quæ ex nuper descripto Cyrilli præcepto factitabât. Cyrilli ergo scita Latinorum mori non congruunt. Quid est, quod Latini tantopere sibi metuunt ab hoc vel minimæ sacri panis particulæ, vel quantumvis exiguæ vini sacri *guttulæ* contactu? Cur nulla hic iis satis est diligentia? Nimirum quas cujusquam communicantis manu, oculis, fronte, capillis tangi, tantopere formidant, horrent ac refugiunt, Eucharistiæ *micas* & guttulas; latria adorant, Deumque summum vere ac realiter esse & sibi & cæteris persuadent. Hinc illa omnis istorum in hæc suæ fidei consentanea, religio. Cyrillum ergo & ejus *coætaneos*, qui hæc adeo non putarunt nefas esse tangi à communicantibus, ut ea summa ipsi cum a tetigerint, eorumque contactu oculos, frontem, & organa sensuum suorum omnia sanctificaverint, & ab omnibus piis eadem fieri præceperint; eos inquam necesse est, qui tam diverse à Latinis se gesserunt; neque Eucharistiam latria adorasse, neque adeo summum numen, quod unum hoc cultu dignum est, revera esse putavisse.

y Goar. Not. 173. in Miss. Chrys. Euchol. p. 150. col. 2. extr.

CAPUT XXIX.

Argumentum XIX. inde ductum, quod veteribus nulla fuerit religio vino sacro vice atramenti in subscribendo uti; idque probatur repetitis ex veteri memoria exemplis, Theodori Papæ, Patrum Synodi VIII Caroli Calvi Francorum Regis. Id vero plurimum abhorret ab ea religione, qua nunc Latini Eucharistiam prosequuntur, eoque est apud eos ab XI. seculo, quo illa religio primum suscepta esse videtur, plane penitusque inauditum.

Sed ecce alius multo mirabilior Eucharistiæ apud veteres usus; Parte ejus liquida, id est vino sacro etiam vice atramenti quidem Patribus ad subscribendum rebus gravissimis usi sunt, quo major esset subscriptionis religio. Ita de Theodoro Romæ Episcopo refert. Theophanes; *Pyrrhus* (is erat hæreticus Monotheleta) *cum Roma* (inquit) *discessisset, & Ravennam pervenisset, ut canis ad vomitum reversus est. Quo Papa Theodorus comperto, plenitudine convocata Ecclesiæ, ad sepulcrum verticis Apostolorum accessit, & divino calice expostulato, ex vivifico SANGUINE* (sanguinis vivifici sacramentum dicit) *in atramentum stillavit, & ita propria manu depositionem Pyrrhi excommunicati fecit.* Hæc ad an. D 648. ex Baronio *a* referenda sunt; qui illa quoque Theophanis verba ibidem describit, eademque jampridem descripserat Histo-

z Theophan. 20. Heracl. Imp.

a Bar. an. D 648. Paul. Diac Hist. Miscell. L. 18. p. 588.

Historiæ Miscellæ auctor, quæ Pauli Diaconi nomine vulgata circumfertur. Atque hoc ut videtur, exemplum sequuti Patres synodi C.Pæ. quæ Photium Patriarcham Constantinopolitanum an. D. 869. deposuit, quæque VIII. generalis à Latinis habetur. Photij damnationi subscribentes calamum quoque ad majorem hominis detestationem sacro calici intinxerunt. Rem narrat & confirmat *b* Nicethas Paphlago; *Subscribunt autem* (inquit) *damnationi Photij facto chirographo non simplici atramento, sed horrendum dictu* (*ut ab his, qui id norunt accepi*) *ipso videlicet Salvatoris sanguine calamum tingentes ita damnantes Photium* ὑπογράφουσι δὲ τῇ καθαιρέσει οὐ ψιλῷ τῷ μέλανι, ἀλλὰ, τὸ φρικωδέστατον, ὡς τῶν εἰδότων ἀκήκοα διαβεβαιουμένων, ἐν αὐτῷ τῷ Σωτῆρος αἵματι βάπτοντες τὸν κάλαμον, οὕτως ἐξεκήρυξαν Φώτιον. *c* Nemo sanæ mentis id, quod atramento ipse sciens volens immiscet, quoque scribit, adoraverit; vel adoravisse unquam est auditus. Eucharistiam & Theodorus Papa, & octavæ penes Latinos synodi Patres vino sacro atramento immixto ad subscribendum Pyrrhi & Photij condemnationi usi sunt. Num ergo vinum sacrum vel latria coluerunt vel Deum esse crediderunt. Vel hos vel illum id non coluisse latria, quod omnis & Latinorum & Græcorum Ecclesia sic coleret, absurdum est & incredibile. Ergo Eucharistiam neque septimi seculi quo vixit Theodorus, neque noni, quo habita est octava Synodus. vel Latinæ vel Græcæ Ecclesiæ homines latriæ cultu adoraverunt. Sed & tertium nobis ejusdem usus & quidem ex eodem illo nono seculo exemplum nuper exhibuit vir doctissimus & Ecclesiasticæ antiquitatis indagator diligentissimus Stephanus Baluzius ex quodam Ariberti, prisci scriptoris fragmento, quod à Gulielmo Masnavio Tolosano Senatore ex veteri libro sibi suppeditatum refert. In eo enim fragmento Bernardum Tolosanum ex Barcinonensi Comitem narrans pacis specie à Carolo Calvo evocatum, & cum venisset, pugione Regis manu occisum, narrationem sic orditur; *d* *Pace itaque cum SANGUINE EUCHARISTICO separatim per Regem & Comitem firmata, & OBSIGNATA, Bernardus Tolosam venit*; & quæ sequuntur. Occisum autem à Carolo Bernardum án. D. 854. Annales Fuldenses tradunt. Itaque ad hæc usque tempora mansisse patet hunc morem, litteras, quas firmas, sacrasque & inviolabiles apud se esse, futurasque testarentur, eas *Eucharistico sanguine* (ut hic scriptor loquitur) id est vino Eucharistico obsignare; idque solenne apud ejus ævi Christianos fuisse tria diversa exempla, unum Romani Pótificis, alterum Synodi œcumenicæ, tertium Regis Galliarum, satis superque testantur. Ac tertium quidem Caroli & Bernardi pacis inter se factæ tabulas ita obsignantium exemplum nondum, ut reor, viderat Baronius, quod nuper scilicet an. D. 1664. Baluzij opera in lucem exiit. De duobus superioribus, non est quidem ausus aperte negare, quod illi duo scriptores Græci narrant; quia quæ auctores laudati, neq; de alio mendacio convicti, suis temporibus facta pro veris narrant, etiam quæ alter ab iis qui sciebant, sibi confirmata esse dicit, ea pro falsis fictisque rejicere, nulla alia ratione, nisi

CAPUT XXIX.

b Nicet. in Ignat. in Cõc. Gener. edit. Rom. p. 312. E.

c Vid. & Bar. an. 869. §. 39.

d Baluz. Not. ad Agobard. p. 112.

Caput XXIX. quia tibi non probantur, id ut mollissime dicam, nimiæ esset neque ferendæ temeritatis. Cæterum id tamen occulte & per cuniculos agit Annalista, ut utriusque de his fidem elevet. Nam ad Theophanis quidem narrationem, postquam eam descripsit, hæc notat *Hanc* (inquit) *excommunicationem Pirrhi tunc per Theodorum Papam Romæ factam Annales habent, sed de sanguine Christi ex calice distillato in atramentū in signum maledictionis & damnationis æternæ, in ritibus sacris Ecclesiæ Romanæ haud aliqua huiusmodi de his reperitur esse præscripta lex, vel factū ipsum aliquo alio, quod sciamus, declaratum exemplo. Verum desunt ista in Anastasio.* Ad Nicetam vero itidem. *Hac* (inquit) *Nicetas. Verum nihil de his in Actis* (synodi scilicet 8.) *quæ integra extant.* Clarum est, quo ista tendant. Sed neque est obscurius, quam levia sint & futilia; quod ipse credo Annalista sentiens non ausus est, quod sæpe alibi satis liberaliter facit, in istos quicquam dicere inclementius. Quod enim suspecta hæc ideo studet reddere, quod *in sacris* (ut ille loquitur) *Ecclesiæ Romanæ ritibus, nulla de his reperitur præscripta lex*, id aliquam vim haberet, si nihil Romani unquā Pontifices nisi ex lege in suis Ecclesiæ ritibus præscripta vel egissent olim, vel etiam hodie ageret. Sed & has quas dicit leges, nemo nescit, ab alicujus Pontificis exemplo, vel decreto, plærasque esse exortas; ante quem cum nullæ fuerint, non ideo credo, argumentaretur Baronius primum ipsum à quo ductæ sunt exemplum, nunquā revera vllum fuisse, quod scilicet quo tempore editum dicitur, *nulla de eo in Ecclesiæ Romanæ ritibus præscripta lex reperitur.* Satis est, ut hoc à Theodoro fieri potuisse, & vero quando ita affirmat Theophanes, factum esse putemus, quod nulla lex à Baronio proferatur, quæ hoc quod ipse fecisse dicitur, Papam facere vetat. Quamquam tametsi aliqua hujusmodi proferretur, ne sic quidem necesse esset Theophanem mendacij suspectum habere; quam nemini ignotum sit multa Papas fecisse, & posteros contra leges majorum, & majores præter scita & decreta posterorum. Quod idem deinceps negat *se scire hoc factum ullo alio declaratum esse exemplo*; ne quid de Caroli Calvi exemplo dicam, respondeo, Baronium id si cum hæc scriberet nescivit, scivisse certe postea cum XI. Annalium Tomum elucubraret, in quo Patrum octavæ synodi similem ex Niceta subscriptionem, narrans, hæc addit, *quod*, inquit, *factum legimus in damnatione Pyrrhi Pseudo-Patriarchæ Monothelitæ.* Hæc ergo à diversis auctoribus, diversisque temporibus scripta sese mutuo (ut Baronius loquitur) *declarant*; mutuamque alterum alteri lucem fœnerant. Neque Anastasij hominis altero post Theodorum jam elapso seculo scribentis silentium Theophanis, quæ sua memoria gesta erant memorantis disertæ affirmationi fidem abrogare æquum est; neque si in Actis Synodi VIII. publice editis, quicquam de hoc Patrum illius Synodi facto extat; eo fit ut mentiti fuerint ij, qui Nicetæ hoc se nosse ac scire affirmaverant. Acta, qui subscripserint, quo nomine, quoq; ordine subscripserunt, edunt; quo calamo, quo atramēto,

& qua-

& qualiter temperato subscripserint nihil necesse est Acta sigillatim tradere. Mitto Caroli factum quod apertissime vincit hunc fuisse illorum temporum morem. Sed etsi (quod tamen est plane improbabile & ab omni veri specie alienum) demonstraret Baronius factum hoc & Theodoro & Patribus Synodi VIII. falso utrumque à Theophane & Niceta affictum esse; nihilo secius ex eodem utriusque scriptoris figmento, constaret vino etiam sacro, in re gravi, atramentum quo scripturus os diluere, non fuisse illis, quibus isti vivebant, seculis, pro re impia & infanda habitum. Nam & qui fingunt, dant inprimis operam ne quid fingant, quod sui seculi mores, sensusque ac opiniones maxime de religione communes pulsare videatur. Iam si hoc quod isti narrant seculi quo uterque vixit, mores ac fidem de Eucharistia non pulsat; apparet neutro adhuc seculo publice & ex communi Ecclesiæ more aut lege latria pro Deo ac Domino nostro adoratum fuisse Eucharistiæ sacramentum.

CAPUT XXX.

CAPVT XXX

Argumentum XX. inde ductum, quod olim etiam religiosissimi viri particulas sacras cum fidelium corporibus sepeliverint; quod vehementer abhorret à latria Latinorum hodierna.

QVod etiam luculentius perspicitur ex more, qui olim fuit apud non paucos Eucharistiæ particulas una cum mortuis sepelire. Id jampridem observarat e Cusanus; *Alij etiam* (inquit) *mortuis infuderunt Eucharistiam, quod etiam fuit Synodaliter prohibitum.* Rem nostro seculo non dissimulavit Albaspineus, cujus aliquoties in Observationibus L.1.c.9. meminit, f & canones de ea mox citandos attulit. Eo tantum fallitur, quod putat, vel certe putare videtur non aliis, quam Catechumenis, vel Pœnitentibus, illis ante baptismum, his ante absolutionem mortuis datam olim fuisse Eucharistiam; *quod* (inquit) *opitulari posse se iis existimarent, atque hoc modo illos in fidelium numerum transcribere;* idque *veteres canones affirmare ex simplicitate & opinione populari esse profectum.* Hæc ille; Ego vero facile hunc morem concesserim ab istorum errore & simplicitate primum exortum esse, idque factitatum plurimum fuisse inde in ejus generis mortuos, id est qui vel in catechumenatu vel in pœnitentia obierant antequam baptismum & reconciliationem essent consecuti. In his solis hoc esse usurpatum, nego. Nam etiam Antistitibus (quod diserte & quidem vere observat Balsamo) & aliis viris non modo piis & fidelibus, sed etiam magnæ præcipuæque sanctitatis datam esse mortuis Eucharistiam, ex veterum libris constat, ut mox apparebit. Certe Pseud-Amphilochius Basilium, cujus vitam describit, ex illa mirabili synaxi, quam sub oculis Dei & Angelorum fecit *particulam*

e Cusan. ep. 7 ad Boh. p. 854.

f Albasph. l.1. Observ. c.9.

Caput XXX.

una secum sepeliendam servavisse tradit; g τὴν δὲ (μερίδα) ἐφύλαξεν (inquit) συνταφῆναι αὐτῷ; & cum esset *in supremis*, h *testamento sanxisse, ut secum sepeliretur tertia illa particula data sibi à Deo communionis*, διέταξε δὲ (inquit) συνταφῆναι αὐτῷ τὴν τρίτην μερίδα τῆς ὑπὸ τοῦ Κυρίου δοθείσης αὐτῷ κοινωνίας. Combefix illam *consuetudinem* sepeliendæ scilicet cum mortuis Eucharistiæ, tunc (id est quarto seculo adulto, quo mortuus est Basilius) obtinuisse scribit; i sed & eam vult peculiari *Dei instinctu* à Basilio *servatam*. Hoc vero una Pseud-Amphilochij sui auctoritate permotus credidit. De consuetudine, non videtur dubitandum, quin tunc cum illa scripta sunt, obtineret. Neque enim credibile est hunc falsi nominis Amphilochium ea de Basilij gestis fuisse fabulaturum, quæ à sui seculi moribus plane penitusque essent aliena. Goar certe Basilium scribit particulam communionis *diutissime servatam sepeliri secum mandavisse, iuxta VIGENTEM TUNC MOREM.* Sed hujus rei auctores non desunt Pseud-Amphilochio isto multo certiores. Extant enim trium Synodorum diversissimis temporibus ac locis apud Afros, Gallos, & Græcos habitarum canones disertissimi qui hoc fieri vetant; frustra, ut omnes vident, nisi id à quibusdam fieri factumque esse comperissent. Prima lex occurrit in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ, an. Dom. 397. in Carthaginensi Synodo lata; l *Item placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur; scriptum est enim, Accipite & comedite; Cadavera autem nec accipere possunt, nec edere; & ne iam mortuos homines baptizari faciat presbyterorum ignavia.* In Græcis est ἄγνοια, *ignorantia*. Alter canon est m Antissiodorensis Synodi an. Dom. 578. in Gallia habitæ; *Non licet* (inquit) *mortuis nec Eucharistiam nec osculum tradi, nec velo, nec palliis corpora eorum involvi.* Tertius Canon an. D. 692. cum cæteris Trullanis Constantinopoli conditus; n *Ne mortuorum corporibus Eucharistiam communicet; scriptum est enim, Accipite, edite* &c. plane ut in Canone Africano. μηδεὶς τοῖς σώμασι τῶν τελευτώντων τῆς εὐχαριστίας μεταδιδότω. Ad quem Canonem Zonaras; o *Antiquæ* inquit) *consuetudinis fuit corpus & sanguinem Domini mortuorum corporibus impertiri.* ἔθος ἦν παλαιὸν μεταδίδοσθαι τοῖς νεκροῖς σώμασι τῶν τελευτώντων τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου. Balsamo hæc quoque ibidem observat. p *Ante hanc ergo Synodum* (inquit) *mos erat nonnullis divina sacramenta* τὰ θεῖα ἁγιάσματα *corporibus mortuis impertiri.* Recte & vere vterque; quod fortasse etiam à veteribus traditum in iis libris legerant, quibus nos caremus. Quanquam ipsæ per se leges hoc satis verum esse indicant. Quorsum enim tam serio & Afri, & Galli, & Græci seculis quarto, sexto, & septimo eam legem alij primum ferrent, alij latam repeterent, & inculcarent, nisi fuissent non modo qui hoc tam absurdum flagitium olim admisissent, sed etiam qui id postea tametsi ab Afris vetitum admitterent? Sed neque negat Balsamo eum morem in Antistitum sanctorum funere vel olim vsurpatum, vel etiam ævo suo adhuc retineri; q *Quod autem* (inquit) *sanctus panis antistitibus post mortem tradatur, & sic sepeliantur,*

g Amphil. Vita Basil. c. 6. p. 176. C.
h Ibid. c. 17. p. 224. A.
i Combef. in Vit. Bas. Not. 71. pag. 267.
k Goar Not. 32. in Præsanct. off. Euchol. pag. 208. med.
l Cod. Can. Eccl. Afr. c. 18.
m Conc. Antiss. c. 12.
n Conc. 6. in Trullo. c. 83.
o Zonar. in loc.
p Balsam. ibid. p. 460. A.
q Ibid. p. 461. A.

sepeliantur, existimo hoc fieri ad avertendos dæmonis, & ut per ipsum viatico ad iter cœleste muniantur, ἵνα δι' αὐτοῦ ἐφοδιάζωνται πρὸς οὐρανόν. Sed & ex multo vetustioribus monumentis constat, quo tempore quædam harum Synodorum habitæ sunt, imo & post id tempus, hoc ipsum, quod illæ vetant, apud nostros factitatum esse. Primo enim Gregorio teste, discimus id, & quidem auctore Benedicto, monachorum parente, antè an. Dom 543. quo Benedictus mortuus est, in Italia factum esse. Gregorius de puero monacho verba faciens, qui quod sine benedictione è Benedicti monasterio exiisset, subito mortuus erat, r *Cum esset* (inquit) *sepultus, die altera projectum foras corpus eius inventum est, quod rursus tradere sepulturæ curaverunt. Sed sequenti die iterum projectum exterius, atque inhumatum sicut prius invenerunt. Tunc concite ad Benedicti patris vestigia currentes, cum magno fletu petierunt, ut ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinus communionem Dominici corporis dedit, dicens, Ite, atque hoc Dominicum corpus super pectus eius [cum magna reverentia] ponite, & sic sepulturæ eum tradite. Quod dum factum fuisset, susceptum corpus eius terra tenuit, nec ultra projecit.* Bellarminus negat f *credendum esse relictum Dominicum corpus in sepulcro cum homine mortuo, sed tantum positum supra pectus eius, dum collocaretur in tumulo, ac deinde continuo ablatum.* Sed hæc ille solens de suo ingenio hariolatur, & ex fide sua suique seculi moribus Gregoriani seculi fidem & mores perverse æstimans, quod jam nemo hodie absque horrore audiret, illud Domini corpus sepeliri, & in sepulcro cum cadavere relinqui; quia scilicet sacramentum ipsum esse Christum, Deum. Opt. max. putant; eo Bellarminus eandem Gregoriano ævo Latinorum fidem fuisse, eosdemque mores somniat, & ex illo suo somnio Eucharistiam ex pueri illius pectore continuo ablatam vaticinatur. Nos vero vaticinanti non credimus. Auctorem poscimus, vel Gregorium, vel alium eiusdem ævi, qui hoc tradat, quod nunc post mille annos fabulatur Bellarminus. Gregorius quidem nihil tale dicit. Imo diserte dicit factum fuisse, quod fieri jusserat Benedictus; quod cum factum esset, id est cum Dominicum corpus super pectus pueruli mortui positum esset, tum puerum sepulturæ traditum, terram mortui corpus ita demum susceptum tenuisse, neque ultra projecisse. Si Bellarmini somnia vera sunt, terræ mandatum corpus, effodi iterum & exhumari oportuit, ut sacramentum pectori impositum auferretur. De eo nihil Gregorius, qui rem sic narrat, ut Eucharistiam una cum corpore sepultam ibi sub terra mansisse satis significet. Cur hoc vel Bellarminus, vel quisquam Latinus incredibilius putat, quam idem sacramentum una cum Basilij corpore sepultum fuisse, quod narrat Pseud Amphilochius? Sed ne hunc testem respuas, alios de re simili dabo. Amalario quidem noni seculi scriptori hoc non esset visum incredibile, qui ex Beda narrat t *corpus* (*Cuthberti Episcopi* (quem an. Dom. 688. diem suum obiisse tradunt) *totum levatum, capite sudario circumdato, OBLATA super pectus sanctum posita, vestimento sacerdotali indutum,*

CAPUT XXX.

r Gregor. Dial. l. 2. c. 24.

f Bell. l. 4. de Euch c. 4. §. Post an. D. 500.

t Amalar. l. 4. de div. offic. c 41. init. Bibl. Patr. T. 10. p. 497, E. 498, A.

Caput XXX. *indutum, in obviam Christi calceamentis suis preparatum, in sindone cerata involutum esse.* Neque dubitat idem, quin hunc sepeliendorum Antistitum morem Angli ab Ecclesia Romana traditum accepissent. Itaque si ei credimus, ipsi Romæ Episcopi cum Eucharistia pectori imposita sindone involvebantur, atque ita sepeliebantur. Idque eo credibilius Amalario visum esse par est, quod de recentiori memoria fortasse non nesciret Othmarum Sangallensem Abbatem cum oblatis sub capite & circa pectus positis circiter an. Dom. 758. sepultum fuisse. Narrat enim Iso in altero de vita Othmari volumine cum ejus corpus annis post mortem 35 de suis sedibus Salomonis Constantiensis Episcopi jussu effoderetur, repertas ibi quoque fuisse oblatas una cum eo sepultas; *sub capite autem, & circa pectus viri Dei* (inquit) *quædam panis rotulæ, quæ vulgo OBLATÆ dicuntur, ita illasæ atque ab omni corruptione extraneæ ab eodem Episcopo inveniebantur.* Et paulo post, *Idem Episcopus venerabiliter eas* (oblatas scilicet) *assumens sacro corpori apposuit, ipsumque corpus cum summa cautela obvolutum in lectica honorifice commendavit*; quod ibidem tradit x Episcopi jussu *in Ecclesiam S. Galli translatum, ac juxta ejus altarium in dextera parte depositum.* Ex his duobus exemplis intelligimus prima quidem non esse, quod ait Bellarminus, incredibile, sed potius credendum esse Eucharistiam pueri pectori jussu Benedicti impositam, in sepulcro cum eo relictam mansisse; secundo morem istum oblatas particulas una cum mortuis sepeliendi, etiam post Conciliorum Carthaginensis, Altissiodorensis & Trullani decreta diu apud nostros mansisse; ac tertio denique eo more sepeliri cum sacramento solitos esse per ea tempora etiam sanctissimos Episcopos & Abbates, quod supra aiebat Balsamo. Quis vero putaverit quemquam ita stupidum atque immanem apud Christianos fuisse, qui quod summum esse numen crederet, quod hoc nomine divino latriæ cultu adoraret, id hominis mortui corpori tradere, unaque cum eo terræ mandare ac defodere sustineret? Quis hoc non dico facere, sed vel spectare, vel etiam audire patienter possit? Atqui vel incultis, ac semibarbaris gentibus hic ab ipsa natura sensus insitus est, ut quæ religiose colunt, ea etiamsi muta sint & animæ expertia simulacra, extollant, & sublimibus erecta locis venerentur. Eum vero in mortuorum tenebras inter fœtentia cadavera abjicere, quem tu lucem, quem vitam, quem cœli Dominum & Regem esse credis, ac prædicas, usque adeo dirum atque indignum est, ut id in cujusquam unquam hominis mentem venire posse plane sit incredibile. Atqui videmus olim solenne fuisse etiam apud viros religiosissimos, Eucharistiam mortuis tradere, atque una cum eorum corporibus sepelire. Ne ergo dubitaveris illius ævi Christianos longe ab eo abfuisse, ut hoc sacramentum ipsissimum esse Dominum ac servatorem nostrum crederent, eoque nomine latria adorarent. Sed & ipsos illos Patres, qui hunc morem in Synodis reprobarunt, ab hoc Ecclesiæ Latinæ paradoxo alienos fuisse, ipsæ eorum leges loquuntur. Nam si cum his sensissent, profecto ad tantum

w L. 2. Vitæ Othm. c. 3. apud Sur. d. 16 Nov.

x Ibid. c. 4.

tantum scelus cohorruissent, ejus reis insaniam & impietatem exprobrassent; eorumque facinori dignas pœnas statuissent. Atqui istos videmus nihil commoveri; nihil perturbari; nullas pœnas, nulla supplicia minari, hoc unum edicere, sibi *non placere, ut defunctorum corporibus detur Eucharistia.* Siccine quæso tam remisse, tamque languide agerent, si Dei opt. max. majestatem, si fœdissimam & post homines natos inauditam in numen contumeliam agi putarent? Sed cur hoc quæso, illis non placet? *Quia* (inquiunt) *à Domino dictum est,* Accipite & edite, *Cadavera autem nec accipere possunt, nec edere.* Optima sane legis ratio, si Eucharistia merum sacramentum est. Sin Deus re vera est, nihil dici potuit frigidius. Summa rei indignitas, & atrox in Christum injuria, quem de cœlesti solio ut sic dicam, dejectum isti in sepulcrales mortuorum fœditates, Deum viventem, Deum æternum mittebant, hic dicendæ erant. Indignandi, flendi, & exclamandi necessarius erat locus; quorum apud istos nihil cernitur. Sed & quod Afri addunt, si Eucharistia vere Deus est, quæso quam dilutum, quam re proposita indignum est! Illi enim hoc se vereri significant, ne si mortuis Eucharistia detur, homines baptismum iisdem quoque conferri posse suspicentur; Quasi scilicet mortuum aliquem baptizari, quam Christum ipsum cum mortuis sepeliri, sit indignius. Et hos ergo Patres, qui sic agunt, & eos, quibus hanc suam legem ferunt ne dubites utrosque Eucharistiam quidem pro saluberrimo, ac sanctissimo sacramento habuisse; eam vero latria colendam, ac pro summo & immortali numine censendam esse, nequaquam censuisse.

CAPUT XXXI.

CAPVT XXXI.

Argumentum XXI. inde ductum, quod Ecclesiæ apud veteres nobilissimæ, quæcumque peracta communione remanserant, ea cremarent, quo nefandum patraretur piaculum, si eadem illa particulæ latria, veluti vera numina, colerentur.

ID vero etiam aliquanto, ut videtur, validius demonstrat cremandæ Eucharistiæ mos, quem nos supra ex Hesychio apud Hierosolymitanos fuisse olim solennem ostendimus. Is enim in ea scribens, quæ apud Mosem de sacerdotalis consecrationis oblatione leguntur, z *Hoc* (inquit) *quod reliquum est de carnibus & panibus in igne incendi præcepit. Quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæcumque remanere contigerit inconsumpta;* in Eucharistiæ sacro scilicet, de quo hic istum loqui omnes fatentur. Hesychij locum supra a vbi hunc ritum Latinæ sacramenti reservationi repugnare observavimus, satis vindicavimus à Bellarmini Glossis, omnesque omnino peractæ Eucharistiæ residuas particulas ab auctore intelligi;

y Supr. l. 6. c. 9.

z Hesych. l. 2. in Lev. c. 8.

a Supr. l. 6. c. 9.

Caput XXXI.

non autem eas tantum, quæ mucidæ essent, igni fuisse in Ecclesia Hierosolymitana traditas, atque incensas. Id unum nunc nobis demonstrandum est, non ergo fuisse eas ab iis, à quibus incendebantur, latria adoratas, & pro Deo suo habitas cultasque. Atqui hoc per se evidentissimum esse videtur, ut nemo de eo sapiens dubitare possit. Quæso enim, quis quemquam vel fuisse, vel futurum unquam esse putet, qui numen ipse suum, quod religiosissime colit & adorat, igni tradat? Id sane non posse fieri Remigius sensit, qui Clodovæo Regi ad baptismum an. D.496. ingredienti sic præcipit, [b] *Mitis* (inquit) *depone colla Sicamber. Adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Si Christiani illius ævi Eucharistiam quam incendebant, ut ex Hesychio patet, adorabant tamen; inepta hæc sunt Remigij verba, *Adora* (inquit) *quod incendisti.* Nihil inquam absurdius dici potuit, si Christum; quem à Clodovæo adorari jubebat, ipsi Christiani incendissent. Nam ne ipsi quidem Pagani Christum sic incendebant. Non aliter eum *incendisse*, quam in membris ejus dici possunt; quatenus eos, qui Christi nomen profitebantur, ferro & igne persequebantur; qualiter Paulum in suos furentem ac immaniter sævientem Christus ipse de cœlo increpabat; *Saule Saule quid me persequeris?* Christum ipsum à quo revixit & ad dexteram Patris consedit, nemo Paganus corpore in terris præsentem *incendit.* Si hoc ipsum quod Paganus neque Clodovæus, neque alius quisquam fecerat, faciebant Christiani, absurde Remigius, quem in Christianorum censum admittit Clodovæum, jubet *adorare quod incenderat.* Verius dixisset; Adora quem incensurus es; quem hactenus in membris incendisti, nunc vero in se ipso incendes. Atqui clarum est eum hæc duo velut inter se contraria ac pugnantia comparare; *adorare quem incenderis; incendere quem adoraris.* Itaque Clodovæum Christianum, ut vetat *idola adorare*, eo ipso quod jubet *incendere*; ita profecto Christum vetat *incendere*, eo ipso quod *jubet adorare.* Quin imo, ut quod idola *incendere* jubet, hoc significat ea non tantum non adoranda, sed etiam execranda, & summo odio summaque contumelia digna esse; sic quoque altera ex parte dum Christum *adorare* jubet, significat itidem eum non modo non *incendendum*, sed etiam summo ac vere divino cultu prosequendum. Vnde planum est Remigio ut *adorare* est hic summo cultu afficere; sic vicissim *incendere* nihil aliud esse quam vltima ignominia, vltimo dedecore atque supplicio mactare. Bene sane; ac plane ex rectæ rationis judicio communique hominum secundum eam usu; qui ignem ut notum est pessimorum ac perditissimorum pœnam esse voluerunt; quia ignis eos qui comburuntur non modo cruciat & necat, quod summum malorum censetur, sed etiam absumit, eorumque formam, paucis momentis ita omnem delet, ut ex totis miserorum corporibus, nihil reliqui faciat, quo eos extitisse aliquando vel suspicari possimus; qua ignominia, ut sunt res humanæ, major nulla esse videtur. Itaque quod Clodovæum Remigius idola retro adorata, nunc incendere

[b] Greg. Turon. Hist. l. 2. c. 31. p. 187. A. T. 1. Franc. Chesn.

dere jubet, eo ipso vult Regem, tanquam certissimo argumento, demonstrare se idola nequaquam habere pro Diis; se eorum cultui & adorationi optima fide renuntiare. Nullo ergo Remigius certiori argumento putabat demonstrari posse, homines aliquid minime adorare, adorandumve credere, quam hoc, si illud quodcumque sit, incendant. Atqui veteres quinti seculi Christianos ex Hesychio constat Eucharistiam incendisse. Ergo non fuisse ab iis adoratam Eucharistiam pariter quoque constare debet. Demonstrationem sanctissimus ac laudatissimus eius ævi Episcopus Remigius evidentissimam ac certissimam esse censuit. Si quæras cur illi particulas Eucharistiæ residuas incenderint, duo respondeo; prius quidem, quod est à doctissimo & optimo Theologo Georgio Calixto vere ac sapienter observatum, *c quia nolebant panem per benedictionem sive consecrationem sanctis vsibus destinatum ad vllum communem & promiscuum vsum redire*. Ne id fieret, quicquid post sanctissimum illum ad divinam communionem vsum, sacratum particularum remanserat, id alij igne cremabant, alij à pueris consumi curabant; Etiam apud Græcos posteriorum temporum vel sacerdotes istis è sacro residuis vice panis communis vescebantur, vel si plura superessent, quam sumere ipsi valerent, ea vel *subterrabant*, vel *in puteum projiciebant*; ut refert ac indignatur de Græcis suis, id est vndecimi seculi, Humbertus Cardinalis. Horum omnium una eademque illa, quæ dicta est, ratio fuit. Si vero rogare pergas, cur Hierosolymitanis igne potius, quam humano esu absumi istas sacramenti reliquias placuerit; respondeo secundo nihil mihi occurrere commodius, aut probabilius, quam quod eruditissimus Salmasius noster tradidit videri eos *ita instituisse ad exemplum Iudaïcæ legis ac carimoniæ*, ipsius inquam, illius legis, quam Hesychius hoc loco explanat. *Neque enim mirum esse si ea Ecclesia, cui Iudæi rectores præfuerunt vsque ad Hadriani tempora*, aliquid Iudaïcorum rituum æmulata est. Sed vtrumque se res habeat, illud certum est bonos istos Hierosolymitanos, quibus Eucharistiam incendere nulla fuit religio, nihil minus credidisse, quam quod hodie docent Latini, panem illum calicemque sacrum ipsissimum esse Dominum ac Servatorem nostrum Iesum Christum, summo latriæ cultu adorandum, neque cæteros ejusdem ævi Christianos aliquid Latino isti dogmati simile de hoc sacramento sensisse, qui scilicet id comburentes Hierosolymitanos nusquam leguntur hoc nomine reprehendisse, vel eorum communionem ea de causa refugisse.

CAPUT XXXI.

c Calixt. de Transsubst. §.36.

d Humbert. contr. Nicet. T.4. Bibl. PP. Part. 2. p.247. C.

e Salm. L. de Transsubst. sub simplic. Verini nomine p.483.

Caput XXXII.

CAPUT XXXII.

Argumentum XXII. ductum à veteri Græcorum undecimi seculi more, qui quas consumere non valebant Eucharistiæ particulas, eas subterrabant, vel in puteum projiciebant. Argum. XXIII. ab Ecclesia CPæ. septimo seculo more, apud quam si multæ sacro peracto remansissent particulæ, eæ à pueris è ludo litterario accersitis consumebantur. Argum. XXIV. ex superioris parili Galliarum more, apud quas reliquiæ synaxeos à pueris jejunis quarta sextave feria consumebantur, quæ omnia sacramenti latriæ valide repugnant. Diluuntur Latinorum exceptiones, cavillantium in istis ultimis duobus exemplis de mucidis tantum particulis agi.

LOnge quoque ab ea sententia quæ Eucharistiam latria colit, Græcos undecimi seculi abfuisse indicat ritus ille apud eos Humberto teste solennis, *oblationis reliquias subterrandi, aut in puteum projiciendi.* Sed istos fortasse Latini non multum pugnabunt secum de hoc Eucharistiæ cultu consensisse, quos & Humbertus ipse olim, & nuper Iesuita Cellotius in *Stercoranistarum* album ideo retulerunt, quod sancta communione jejunium solvi putaverint, ut nos alibi supra *f* docuimus.

f Supr. L.3. c.11.

Sed licet illi repugnent; res tamen vincit eandem esse & multorum de veteribus rationem, qui residuas post communionem particulas à pueris consumi curabant; quo in numero primi apparent Constantinopolitani, apud quos hanc olim fuisse septimo seculo consuetudinem tradit *g* Euagrius (à nobis in disputatione de Eucharistiæ Reservatione jam supra *h* allatus) *siquando multæ sacramenti particulæ superessent, ut pueri impuberes, qui scholas frequentabant, accerserentur, easque manducarent.* Illi vero si Eucharistiam pro summo Numine latria coluissent, nunquam eam puerulis ex ludo litterario promiscue accersitis sumendam tradituri erant, vel minori religione tractaturi, quam hodie à Latinis tractari videmus. Hi sane hostias suas, *siquando fuerint paulo diutius servatæ,* non ab aliis, quam à sacerdotibus, ut præcipit Rituale Romanum, *i* vel certe ut est apud Perronium, *k* etiam à fidelibus adultis legitime præparatis, consumi patiuntur. Veteres, non cum essent *diutius servatæ particulæ,* sed *quoties multæ sacro peracta superessent,* ut patet ex Euagrio, solebant non *sacerdotes,* aut *fideles legitime præparatos;* sed pueros de schola impuberes accersere, iisque manducandas tradere. Quin & pueros promiscue, nullo delectu, quicumque in schola occurrebant, accersitos fuisse historia hic ab Euagrio narrata docet. Refert enim aliquando sub Menna Patriarcha contigisse, ut inter istos pueros esset vitrarij cujusdam Hebræi

g Euagr. Hist L.4. c. 35. Gr.36.
h Supr. L.6. c.12.
i Rit. Rom. de Sacr. Euchar. p.74.
k Du Perr. L.3. de Euch. c.6. extr. p. 861.
l Euagr. vb. supr.

Hebræi filius, qui particulas ipse quoque una cum aliis esitasse dicitur. Quanto ergo probabilius est in eum quoq; censum receptos fuisse pueros, qui licet nondum baptizati, Christianis tamen, non Iudæis, aut Gentilibus parentibus nati essent? Multos enim olim baptismum, tametsi è Christianis natos, non statim in infantia, sed in adolescētia demum suscepisse constat, ut vel Gregorij Nazianzeni exemplo docemur, qui licet patre Episcopo, matre vero religiosissima natus esset, sacro tamen lavacro adultus demum anno ætatis decimo septimo vel circiter, ablutus est. Idem testantur Basilij & aliorum ejusdem ævi ad eos, qui baptismum differebant, exhortationes. Neque dubitandum videtur, quin multorum ea adhuc esset Iustinianeis temporibus consuetudo. Iam vero quis crediderit illius ævi sacerdotes, tam negligenter, ne dicam flagitiose, ita quibusvis pueris, nullo de schola accedentium adhibito examine, Eucharistiam promiscue fuisse tradituros, si eam, ut hodie Latini, suprema adoratione pro Deo Opt. Max. coluissent? Cæcus est, qui ex tam diverso Latinorum & veterum usu non intelligit diversam quoque fuisse utrorumque de hoc mysterio fidem, diversam adeo venerationem; Latinos; qui Eucharistiam adorant, summo, ut par est, religione cavere, nequid ei præter tantæ majestatis decorum accidat, veteres, quam non pro numine, sed pro sacro rei divinæ symbolo habebant, minus quoque in tuenda ejus dignitate diligentes morososque fuisse. Perronius videtur *m* Euagrium æque ac supra Hesychium, putare de particulis non aliis loqui, quam de iis, quæ vetustate sordidæ, mucidæve essent, quæque adeo horrorem sumenti incuterent. Sed ille non tantum temere & gratis, sed etiam falso hæc suspicatur. Cum enim Euagrius scribat particulas si multæ superessent, pueris traditas fuisse concedendas, absurdum est ariolari eas ita corruptas fuisse, ut absque horrore vel nausea sumi non possent. Si tales essent, viri potius forti stomacho, quam pueri ad earum esum delecti essent, qui in illa ætate infirmiori stomacho esse solent. Sed sanas atque integras fuisse ostendit scriptoris altum de ullo earum vitio silentium. Neque enim ille aliam hujus usus rationem adfert, quam hanc, quod peracta communione plurimæ remansissent. Nimirum communicantium numerus minor fuerat, quam ut consumendis omnibus, quæ consecratæ erant, satis esset. Eo factum erat, ut plures remanerent non autem illa temporis diuturnitate, de qua nullum vel Euagrius, uel ipse etiam Nicephorus Callisti, *n* Euagrium diu postea secutus, ullum verbum faciunt.

Consimilem fuisse Latinorum consuetudinem ostendit alterius Matisconensis Synodi canon, à nobis ipse quoque in superiori *o* de reservatione controversia descriptus, & explicatus; quo jubentur *p* *quæcumque reliquiæ sacrificiorum post peractam missam in sacrario superfederint, quarta vel sexta feria innocētibus ac Ecclesi. adductis & ieiunis, percipi vino cōspersa.* Fateor hos aliquanto diligentius, quam Græcos, in hoc negotio versari, qui pueros jejunio ad sumptionem reliquiarum præparandos decernunt.

Caput XXXII.

n Niceph. Call. Hist. L. 17. c. 25. p. 772.

o Supr. L. 6. c. 10.

p Conc Matisc. 2 c. 6. T. 1. Conc. Gall.

Caput XXXIII. Cæterum neque ipsi magis quam Græci baptizatos ad hoc eligi præcipiunt; eoque videntur quosvis fidelium liberos etiam catechumenos, imo necdum etiam catechumenos, ad hoc officium assumpsisse. Vtcumque sit, morem hunc Latinos, quem antiquarunt, minime probasse res ipsa loquitur. Nimirum postquam Eucharistiam Deum esse decretum est, consultius divinæque majestate dignius esse judicarunt, ut ea, à solis maturæ ætatis viris, maxime sacerdotibus sumeretur. Deum adorando quodam supra captum nostrum modo se nobis in mysterio manifestantem pueris credere & indecorum & periculosum esse visum est.

CAPVT XXXIII.

Argum. XXV. ab inferiorum seculorum, puta noni vel decimi, ad undecimum præceps, apud Latinos more, hostias corruptas, mucidas vel sordidas incendendi. Ne hoc quidem cum Eucharistia divinitate & latria congruere; etiam teste Paludano. Veteres putasse pœnale esse adeoque ignominiosum, vel nudi ac simplicis hominis mortui corpus cremari. Mirifica Latinorum ad incitas redactorum somnia, quod honorificum sit igni tradi purissimo elemento.

HI erant Galliæ nostræ sexto Christianismi seculo mores. Diu-ne postea manserint, in incerto habeo. Illud scio extare apud Burchardum q & Ivonem, undecimi seculi scriptores, illos quos jam supra r attigimus, canones, quique jubent omne *sacrificium sordida vetustate perditum igne comburi, & cinerem iuxta altare sepeliri*; * item caveat ne panes sacri diu *servati mucidi fiant, & ut quidam saviunt, igne concrement*, s Item edicunt, *si vermes in sacrificio inveniantur, ut in ignem accendatur*. Istorum decretorum tempora incerta esse supra eodem loco demonstravi. t De re ipsa, non repugnavi, quin nono sæculo, vel etiam paulo vel prius, vel serius mos ille fuerit, ut eæ particulæ, quæ diutius asservatæ essent, eæ mature incenderentur ne forte mucescerent, aut corrumperentur. Id vel Guitmundus & Algerus transsubstantiationis nobilissimi de 11. & 12. seculo hyperaspitæ, eo ipso nos satis docent, quod hunc ab adversariis objectum ritum, non sunt ausi plane penitusque negare. Tantum respondent u eas incendi, *non ut combustione consumantur, sed igni committi, tanquam omnium elementorum purgatissimo ac mundissimo*. Neque aliter Perronius hunc nodum secat. Illi vero nobis, dum sic disputant, strenue illudunt. Negant esse possibile, ut Christus ignibus absumatur, *cum sit omnium elementorum Deus*. Quasi vero quisquam de hoc dubitet Christianus. Non hoc jam quæritur. Quæritur, an quemquam deceat id, quod colit numé, quod adeo immortale esse credit, an vel ejus exuvias

q Burch. L. 5. c. 50. Iv. Part. 2. c. 59.
r Supr. L. 6. c. 13.
s Burch. L. 5. c. 12. Iv. Part. 2. c. 12.
t Greg. 3. in Excerpt. c. 28. T. 5. Cōc. p. 471. B.
u Guitm. L. 2. de ver. Euch. Alger. L. 2. de sacram. c. 1.

decéat ignibus tradere? An hoc fas sit? an sanctum? an summo illo honore dignum, quo Deum veneramur? Atqui ne ipsi quidem Latini eorum, quos Divos vocant, quosque multo quam Christum minori honore dignari se profitentur, reliquias incendi honorificum esse putant; & siqui in eas tale quid auderent, ij credo, non ferrent impune, sed tristi experimento brevi discerent, quam non honorificum, sed atrox & contumeliosum sit, siquid est veneratione dignum, id *omnium elementorum purgatissimo, ac mundissimo committere*. Missis ergo intempestivis, ac sane ridiculis de naturali ignis puritate, vi, atque efficacitate declamatiunculis, de re ipsa, quæ agitur, satisfaciant; honos ne sit, an pœna, cultus an contumelia, Dei vel corpus, vel certe corporis exuvias in flammas mittere? Si honorem esse aiunt; si pœnam negent; consurgent in tam prodigiosam sapientiam omnium gentium ac populorum leges, quæ vix ullum nocentissimis perditissimisque hominibus decernunt dirius ac tætrius igni, purissimo illo elemento, supplicium, majorique cum ignominia conjunctum. Ipsa sanctissimi, ut vocant, Officij tribunalia tam inauditum paradoxum refutabunt, ne hæreticos colere ac venerari videantur, quos à se acerbissime puniri hactenus sibi persuaserant, cum eos purissimo illi ac defæcatissimo elemento commendant. Reliquiæ, cruces, imagines, & quantumcumque est apud eos rerum sacrarum de se actum esse clamabunt, si id honori deputandum sit, quo omne hominum genus, nullum esse hactenus crediderat turpius, aut ignominiosius malum. Ipse transsubstantiationis ut sic dicam, primipilus Humbertus hoc istorum commento labefactari ac subrui quiritabitur sua in Græcos epicheremata; Quibus ille si bene memini, pro singulari flagitio objicit, x quod *oblationis reliquias velut communes panes, nonnunquam ad fastidium sumerent, & subterrarent, aut in puteum projicerent, si sumere non sufficerent*. Nam si bene repures, nihil istorum est eo, quod vos facitis, in speciem quidem turpius. Non enim videtur irreligiosius panem sacrum in hominis nutrimentum, quam in flammæ pabulum cedere, neque terra, cui Sanctorum corpora ad diem supremam custodienda Deo volente ac præcipiente mandantur, igne impurior est, neque Græcorum aqua ad eluendum quam ignis ad purgandum ineptior est aut inefficacior, nisi fortasse hoc indigueris, quod suas Græci reliquias non in profluentem, sed in puteum mittant. Mihi vero neutrorum ritus ad Eucharistiæ divinitatem collineare videntur. Quicquid enim vel hi vel illi dixerint, nemo ut opinor, homo est qui, si suo judicio, studij & odij juxta expers judicet, rem non censeat longe absurdissimam, ab omni ratione, ab eo honore, quo Numen omnes esse prosequendum fatentur, magnopere alienum id, quod tute pro summo Deo adoras, vel igni vel terræ vel aquæ mandare. Itaque Eucharistiam neque veteres, qui incenderunt, neque Græcos undecimi seculi qui vel terra vel puteo sepelierunt, eam pro Deo opt. Max. habuisse, summo adeo latriæ cultu coluisse puto. Sed quid ego istorum commenta excutio?

De

CAPUT XXXIII.

x Humbert. contr. Nicet. T. 4. Bibl. Patr. Part. 2. p. 247. C.

CAPVT XXXIII. De veteribus agitur. Horum vero sententiam si nosse cupis, eam facile est ex aliis eorum decretis pernoscere. Nam cum primum Evangelium orbi illuxit, Græci, Romani, aliæ plæræque gentes suorum mortuorum corpora cremabant. Non nesciebant nostri eo ex igni neque ullum ad suos doloris aut cruciatus sensum redire, neque ullam ea sævitiæ imagine vel vitæ vel gloriæ illorum fraudem fieri. Non ideo tamen morum illum inhumanum, & in sancti ac primarij animalis exuvios contumeliosum tolerandum putarunt; Rem suam Deo potius, ac terræ, ministræ ejus, fidei credendam censuerunt. Itaque priscus cremandorum corporum ritus paulatim exolevit, neque uspiam apud Christianos quidem vel servari nunc vel servatum olim fuisse constat. Hanc tu fuisse veterum mentem, hunc sensum, aliud ipse licet sentias, negare profecto non potes. Audi Tertullianum, testem omni in hac causa exceptione majorem. Is cum quorumdam philosophorum vel Medicorum dogma exposuisset, docentium animam corpore non totam simul semelque excedere, sed ejus modicum quid in corpore subsidere, ipsum quoque aliquando decessurum, cum totam corporis scenam tempus aboleverit, eoque negasse istos dixisset *ignibus funerandum*, *parcentes* scilicet *superfluo animæ*; ipse postremo verum ex Christianorum sententia ejus rei rationem ita disserit; y *Alia est autem* (inquit) *ratio pietatis istius, non reliquiis animæ adulatrix, sed crudelitatis, etiam corporis nomine adversatrix, quod & ipsum homo, non utique mereatur, pœnali exitu impendi.* Qui *pietatem* esse censet corpus mortui hominis terræ mandare, qui *crudelitati* deputat ignem ei admovere; qui quod *crematur*, etiam post mortem, *pœna* affici, & quod ait, *pœnali exitu impendi*, arbitratur; tu-ne eum credis fas piumque ac religiosum esse credidisse, Numen ipsum, vel certe quantumvis tenues, sanctas tamen *Numinis exuvias*, in ignem injicere? tunc laudaturum ustrinam in Deum, quam vel in hominem *crudelitatis* elogio damnat? vel denique pro quadam divini honoris parte censiturum, quam carnis, etiam mortuæ, ac exanimis *pœnam* esse contendit? Ille vero minus impium esse putasset illum Græcorum morem, quos ait Humbertus Eucharistiæ reliquias terræ mendasse. Nam & ipsum Domini corpus humatum legimus, incensum non legimus, & species panis terra conditas in suam ibi originem resolvi magis decet, quam *pœnali exitu* per ignem absumi. Sed (inquit) mucidæ sunt. Quid tum? An quod mucedinem contraxerunt, eo tu commeruisse illas putas ut supplicio hæreticorum puniantur? Cur iis indignum censes, quod ipse ille Deus, quem texerunt, fieri passus est? Quin tu ejus potius numini rem committis, ut sui vestimenti, quod ille decreverit, id fatum sit? Atqui Huzæ arram vel tetigisse non fuit impune. Quid futurum fuisse putas, si eam forte ne quod ignis accidere solet, vetustate putresceret, veritus incendisset? Multo quam tua melior Paludani, viri de vestra schola non ignobilis, in Deum suum fides, qui z *hostias consecratas quamvis mucidas, comburere immane* censet

y Tertull. de anim. c. 51. p. 550. B.C.

z Paludan 4 d. 9. q. 1. art. 3.

censet *sacrilegium*. Cum ergo Latinos qui ante undecimum seculum vixerunt, constet ex canonibus nuper memoratis mucidas sacramenti particulas cremasse, apparet ne illis quidem temporibus hunc apud eos publice receptum fuisse morem, ut Eucharistia pro summo Deo latriæ cultu adoraretur. Sed Perronium alibi negare *a* hoc ex illo sequi; & negationis hanc afferre rationem, quod qui Eucharistiam latria adorabant Humbertus, Guitmundus, Algerus, ij tamen ipsi mucidas ejus reliquias incendendas putarunt. Sed dum ita ratiocinatur, multipliciter peccat. Primum ac maximum hujus ratiocinationis flagitium est, quod ea ipsa, ex quibus ducitur, nutant, & falsis propiora videntur. Quod enim assumit tres illos viros Eucharistiæ mucidas particulas incendisse, de eo nihil constat. Humbertum Græcis, quod eas *subterrarent*, vel *in puteum projicerent*, exprobrantem nuper audivimus; quod eas non cremarent objecisse, vel quod hic esset Latinorum mos, tradidisse, nunquam legimus. Neque verisimile est, qui quas subterrari habet pro insigni flagitio, ipsius eas incendi decrevisse, vel honestum & laudabile censuisse. Non sunt veriora, quæ de Guitmundo & Algero Perronius affirmat. Hi enim, quod est solerter ab Albertino nostro *b* observatum, nusquam in his ab adversario allatis locis mucidas sacramenti particulas à sui ævi Ecclesia incendi solere testantur; nusquam morem illum ipsi præcipiunt, vel laudant; Guitmundus ab adversariis suis suis objici tantum dicit, *c* quod *in quibusdam ut aiunt*, inquit, *canonibus igni tanquam absumenda sacra mysteria tradi iubentur*. Neque Algerus aliud ea de re scribit, nisi quod vel objectum fuerit, vel objici certe potuerit, *quod à religiosis incendio tradi, & ibi disparere dicerentur ipsæ sacramentales species*. Cellotius Iesuita de Guitmundo; *d Mallet tamen Aversanus* (inquit) *species illas, quæ corrupta videntur, honorato quodam loco conclusas asservari, videturque non AGNOSCERE CANONES esse ullos, qui iubeant ignibus tradi*. De Algero vero; *Neque* (inquit) *idem Algerus Canones illos significat; sed hoc unum ait, etiam à religiosis species incendio tradi, & ibi disparere*. Sed ne alterum quidem illud constat, quod Perronius pariter sumit, Humbertum & Guitmundum docere suo ævo Eucharistiæ delatum latriæ cultum. Algerum fateor ipsum qui istis junior fuit, adorandam liquido *e* docere. Neque est quod quisquam dubitandum neget, quin isti Eucharistiam adorandam censuerint, quam in corpus Christi transsubstantiatam credebant. Non enim quæ aliquod dogma per se necessario consequuntur, statim ea omnia ab iis vel admitti vel fieri necesse est, qui dogma probant ac tuentur. Ritus ac mores usus que publicos tenacius hærere, retinerique diutius opiniones facilius mutari, notum est. Qui primi transsubstantiationis dogma commenti sunt Paschasius, & ejus discipuli, nihil ipsi videntur de Eucharistiæ adoratione cogitasse; Nihil certe præcipisse ex eorum libris patet. Ne Lanfrancus quidem, qui duobus & amplius post Paschasium sæculis alter transsubstantiationis parens

Gggggg fuit,

CAPUT XXXIII.

a Perr. L. 2. de Euch. ad Hesych. c. 3. p. 607.

b Albert. L. 2. de Euch. in Hesych. c. 2. p. 853. A.

c Guitm. L. 2. de ver. Euch.

d Cell. Hist. Goth. Append Not in procem p. 561. col. 1.

e Alger. L. 2. de sacr.

Caput XXXIIII. fuit, quicquam de sacramenti latria in tota contra Berengarium disputatione memorasse cernitur. Nondum ipsi fortasse satis animadvertebant, id ex suo dogmate sequi, ut latriæ cultus sacramento decerneretur; vel si id ipsi jam pervidebant, nihil tamen novare in receptis venerationis ritibus ausi sunt, quadam antiquitatis reverentia; túm quod novare, invidiosum putarent; tum quod à majoribus traditos venerationis ritus augeri atque explicari & de latria tandem accipi paulatim confirmato apud omnes dogmate facile posse sperabant; Atque ita sane contigit. Sed & hinc videre est, etiamsi vera essent quæ Perronius sumpsit omnia, ne sic quidem ex iis effici, quod ille inde conclusum voluit, nempe non pugnare cum Eucharistiæ adoratione ejusdem sive sanæ & integræ, sive etiam mucidæ & corruptæ ustrinam & incendium. Hunc enim ritum primi transsubstantiatores si tantisper retinuerunt, ideo retinuerunt quod eum à majoribus acceptum statim abolere, & difficile & periculosum existimarent ob insitam fere omnium animis rerum antiquarum reverentiam; non quod eum ipsi dogmati suo consentaneum esse existimarent. Itaque tolerare ad tempus maluerunt, quam antiquum morem cum multorum offensione subito abrogare, eoque ne *transsubstantiationi* noceret, cum qua pugnare eum satis intelligebant, colores ab ingenio quæsitos de ignis puritate in medium attulerunt; dilutos quidem illos & ineptos, sed tamen hujusmodi, qui animis dogmatis studio occupatis satisfacerent, & cum eo ritum veterem utcumque reconciliare viderentur. Sed postquam dogma altiores in omnium mentibus radices egit, ac inter præcipua fidei fundamenta censeri cœpit, tum vero vetus ille mos paulatim ei cedere, ac sensim locum suum deserere coactus est, donec tandem plane ex Latinorum usu ac praxi exolevit. Itaque si Humbertus, Guitmundus, & Algerus hostias & adorarent & incenderent non ideo sequeretur non esse hoc cum illo ἀσύςατον. Hi nimirum, uno causæ, quam tuendam, susceperant studio coacti sunt hoc negare quod est per se cuivis homini ratione utenti perspicuum. Nam cum majores suos ex eorum canonibus intelligerent Eucharistiæ reliquias incendisse, ne adversarij, quod inde concludebant obtinerent, nullam esse scilicet panis sacri in divinum Christi corpus transsubstantiationem, negarunt incendium illud ad numinis cujus corpus incenditur, contumeliam pertinere, contenderuntque ejus exuvias honorifice exuri; quod sane incredibile portentum est. Si mens libera fuisset, neque præcepto illo de transsubstantiatione errore occœcata, plane aliter judicassent, & cum Paludano facile confessi essent hostiam (si, quod illi statuebant, Deus est) etiam, cum mucida facta est, non posse absq; immani sacrilegio comburi. Patrum, qui Eucharistiam cremari primi instituerunt, longe alia ratio est. Illis enim nulla ritum antiquitas commendabat, quem adeo nunquam inventuri, nunquam de eo in usum admittendo cogitaturi erant, si Eucharistiam pro summo Deo adorassent. Sed neque eorum posteri hunc ritum per tot secula apud Græcos primo, tum

& ex aliqua parte apud Latinos ad undecimum seculum manere sivis-sent, si sacramentum ut hodie factitant Latini, latria adorassent; sed perspecta ejus absurditate, & cum illa adoratione ἀσυστάτῳ, mature abjecissent; ut à Latinis factum videmus; qui primo quidem eum recta oppugnare & abrogare non sunt ausi ob vulgo notam ac creditam ejus antiquitatem, mox tamen variis artibus attritum plane penitusque deleverunt, ut hoc ingens scandalum à suorum oculis amolirentur; idque animadvertere est in Guitmundi & Algeri disputatione. Illi enim non simpliciter & rotunde, quod viros probos & candidos decebat, sed vafre & astute respondent; neque aientes, neque negantes hæc apud sui ævi Ecclesiam factitari; ac ne illud quidem diserte docent an à veteribus factitata nec ne fuerint. Paludanus vero, qui decimo quarto seculo ineunte vivebat, quo res jam confecta erat, & abolita à Latinis cremandæ Eucharistiæ consuetudo, aperte ac sine ambagibus agit, & illud quod diximus, rotunde confitetur, *immane esse sacrilegium hostias consecratas, etiam mucidas comburere.* Denique quam veterum de hoc negotio sensus ab Algeri & Guitmundi mente discreparent, patet. Veteres enim, ut ex Tertulliani & Remigij laudatis supra vocibus, ostendimus, quod adoratur, id ab eo incendi, à quo adoratur, nefas putabant, & corpus hominis mortui ignibus funerari, pœnale, adeoque ignominiosum censebant. At isti novissimi Latinorum heroës Guitmundus & Algerus serio nobis narrant incendi ac ignibus tradi quoddam esse venerationis, profecto mirificum genus, eoque nullam argui ejus qui inceditur, indignitatem, tantumque sibi de nostro stupore blandiuntur, ut frigidis ac puerilibus de elementari ignis puritate, munditie, ac efficacitate philosophematis se nobis persuasuros sperarint rem non tantum falsam, & à communi hominum sensu & à Patrum doctrina abhorrentem, sed etiam stultam, deliram ac ridiculam. Itaque quod hi, qui isto sensu & animo erant, ut honoris causa quemquam igni comburendum tradi putarent Eucharistiam vel ipsi combussserint, vel alios comburentes ferendos imo etiam laudandos duxerint, ex eo fateor confici non posse eos Eucharistiam vel ipsos minime adorasse, vel adorandam censuisse. Patres vero, qui igni cremandum tradi *pœnam* esse & *ignominiam* juxta communem hominum sensum rectamque rationem existimant, siquid incenderint nemo sanæ mentis negaverit recte nos ratiocinaturos si eos inde argumentemur id quicquid est quod incenderunt, pro Deo summo minime adorasse. Nihil ergo Peronij cavillationes vim argumenti infringunt; quo non fuisse à Patribus adoratam Eucharistiam inde conclusimus, quod eam illi in antiquissimis aliquot Ecclesiis incendere olim & comburere soliti fuerint.

CAPVT XXXIII.

Caput XXXIV.

CAPUT XXXIV.

Argumentum XXVI. inde ductum, quod veteris Ecclesiæ disciplina pœnitentes etiam tertij gradus ab Eucharistiæ conspectu excludebat; ac ne ipsos quidem fideles admittebat, nisi essent communicaturi. Quod utrumque absurdissimum esset, si Eucharistia quidem vere Deus est latria colendus. Nam pœnitentem maxime veteranum, multo vero magis fidelem, ad Dei sui conspectum admitti adoraturum & decet & utile est; ut vel inde intelligimus, quod Latini quibus Eucharistiam Deum esse placuit, utrumque illum morem jam pridem aboleverunt.

PRæter istos veteris Ecclesiæ ritus huc quoque proprie pertinet communis ejusdem in sacramentis administrandis disciplina, quæ quarto seculo, ut videtur, instituta, hoc & aliquot sequentibus diu apud nostros mansit; ex qua notum confessumque est, ut jam supra *f* monuimus, non modo Catechumenos & Energumenos, sed etiam Pœnitentes primi, secundi, & tertij gradus ex conventu fidelium ante dimissos fuisse, quam fieret Liturgia Eucharistica, neque fas fuisse cuiquam istorum Eucharistiam videre. Extant in omnibus veterum Liturgiis ipsissimæ Diaconorum voces, quibus ab hoc mysterio excludebantur, & extra Ecclesiæ limina omnes isti sigillatim accuratissime dimittebantur; *g Exite Catechumeni in pace. Exite Energumeni. Exite qui in pœnitentia estis.* προέλθετε οἱ κατηχούμενοι ἐν εἰρήνῃ. προέλθετε οἱ ἐνεργούμενοι. Ἀπολύεσθε οἱ ἐν μετανοίᾳ. *Fideles* (id est Christianos baptizatos & quidem *stantes*, hoc est nullo crimine pœnitentiam commeritos) exire solos vetant, *Nemo horum, quibus non licet, exeat. Omnes fideles flectamus genu. Oremus Deum per Christum eius.* μή τις τῶν μὴ δυναμένων προσελθέτω. ὅσοι πιστοὶ κλίνωμεν γόνυ. δεηθῶμεν τοῦ θεοῦ διὰ τοῦ χριστοῦ αὐτοῦ. Sub ipsum Episcopi ad sacrum peragendum introitum, Diaconus iterum eadem exclamat; *h Nequis ex catechumenis, nequis ex Audientibus; nequis ex infidelibus, nequis ex hæreticis.* Dimissis his omnibus, oblationis tempore claudebantur januæ. *i* Semel clausæ nemini ne fideli quidem, donec consummatum esset sacrum aperiebantur. Hæc ex Pseud Apostolicis Constitutionibus. Eadem habent Liturgiæ; ut Iacobi, quam unam exempli causa adferre in re minime controversa satis est; *x Nullus Catechumenorum, nullus eorum, qui nondum initiati sunt, nullus eorum, qui orare nobiscum non possunt intersit.* Scriptores illorum temporum eadem passim testantur; *l Audis* (inquit Chrysostomus) *præconem stantem, & dicentem, Quicumque estis in pœnitentia, abite omnes.* ὅσοι ἐν μετανοίᾳ, ἀπέλθετε πάντες. Pseudo-Dionysius Episcopi ad conficiendam Eucharistiam apparatum descri-

f Supr. L. 4. c. 1.

g Constit. L. 8 c. 6. extr. c. 7. c. 9. extr.

h Ibid. c. 12.

i Ibid. c. 11. extr. p. 1013. D.

x Lit. Iac. T. 2. Bibl. Patr. Gr. lat. p. 6. d.

l Chryf. Hom. 3 in ad Eph. p. 887.

describens; post psalmodiam & scripturarum lectionem; *m Ea* (inquit) CAPVT
finita, sacro ambitu arcentur Catechumeni, & cum iis Energumeni, ac pœni- XXXIV.
tentes, illis qui divinorum aspectu & communione digni sunt, remanentibus. m Dionys.
μενόντων δὲ οἱ τῶν θείων ἐποψίας καὶ κοινωνίας ἄξιοι. Tum statim clausas fuis- Hier. Eccles.
se templi fores significat. Alios mitto testes, quos de re confessa plu- c. 3.
res excitare nihil necesse est. Non jam vrgeo quod Catechumeni & alieni anno Christianismo homines hoc spectaculo excluderentur, quorum singularis quædam fuit ratio. Illis enim seculis, apud nostros ex quadam, ut videtur, mysteriorum Ethnicorum imitatione mos invaluerat ut omnis baptismi, Eucharistiæ, & cæterarum sacrarum cærimoniarum celebratio quæ, qualisque foret, & ex quibus rebus illa fierent, omnes nondum initiatos summo studio celarent; ita ut coram iis nefas putaretur, non modo sacramenta conficere, vel accipere, sed etiam sermone, sive loquentes, sive scribentes, aliquid de iis efferre. Quo fit, vt Catechumenos, qui nondum scilicet erant initiati, ab harũ rerũ spectaculo summoveri non sit mirandum. Pœnitentes, qui pridem initiati fuerant, & communicati, quique totum illud sacramenti arcanum, non minus, quam ipsi fideles, cognitum habebant, cur æque ac Catechumeni & exteri ab Eucharistiæ sacro dimissi sunt? *Indigni* (inquit) *erant, qui Deum viderent.* Vos ergo sacrilegi, qui istos, tametsi id sit indignum, Deum videre similis; ejusque si forte communione, non etiam aspectu excluditis. Nam quod me supra jam dixisse memini, Latini pœnitentes adeo non arcent ab hoc spectaculo, ut eos ante suam oblatam, coram altari in quo illa quiescit, prosternant, ibique suas illas diras & immanes flagellationes peragere jubeant, quibus ad satisfaciendum Deo aliquid inde pretij accedere non sane stulte aut absurde putant, quod coram ipso illo Deo qui læsus est, exsolvuntur. Mitto, quod etiamsi peccatorem, recenti adhuc delicto, necdum vllis pœnitentiæ actibus expiato, à Dei ore & adoratione per aliquot dies exulare justum fasque fuerit; nulla certe ratio fuit, cur peccatum apud præpositos confesso, in pœnitentium censum admisso, multis pœnitentiæ actibus jam apud Ecclesiam aliquot menses vel etiam fortasse annos perfuncto, negaretur Numinis aspectus, & præsentis Majestatis adoratio. Cur non ei saltem concedebatur, ut vel *exhomologesin*, quæ tertia erat pœnitentiæ actio, & quædam ejus consummatio, apud Eucharistiam faceret? Christus olim, dum in terris versabatur, mulierem illam famosam, sed pœnitentem, à sui conspectu adeo non repulit, ut etiam pedes suos contrectare eam, lachrymisque conspergere, & osculis conterere,
etiam spectante & ringente Pharisæo passus sit. *n* Est-ne à quo in cœlum n Luc 7. 37.
ascendit, factus in nostrum genus immitior? Vos vero longe aliter, & 38. 39.
quidem ni fallor, multo sapientius judicatis, qui reos etiam à crimine recentes ante Christi oculos sistitis, exhomologesin facturos. Vbi enim hoc officio melius atq; utilius fungaris, quã ante ipsa Dei illius ora, quem læseris? Eadem ergo Patres vetustissimi instituissent, si de Eucharistia

 idem

CAPVT XXXIV.

idem vobiscum sensissent; quibus illi profecto neque obtusiores, neque immitiores fuerunt. Quid ergo est quod eos tam diverse à vobis in hoc eodem pœnitentium negotio versari videmus, ut vel illi duri & inhumani si vos sapitis, vel vos profecto sacrilegi sitis, si illi recte instituebant? Ego breviter utrosque absolvo; quos scio ex sua quosque sententia in hac causa se gerere. Vos nimirum, qui illud, quod in ara ostenditis, non Christi modo sacramentum aut Symbolum, sed ipsum Christum, ipsum Deum putatis, jure sane miseros peccatores ante ipsius os collocatis, ut prostrati ad Servatoris pedes præsentis misericordiam sua supplicatione acrius & efficacius commoveant; Sed & veteres, qui Eucharistiam, non Deum (ut vos pertenditis) sed divinæ modo pacis pignus tesseramque esse putabant, merito quoque ejus vel aspectum peccatoribus nisi jam expleta satisfactione expiatis ac reconciliatis, negabant. Vos, qui vestram illam hostiam, non ad hoc solum Ecclesiæ repræsentari censetis, ut communicetur, sed etiam ut primum & ante omnia latriæ cultu adoretur, merito hoc ab illo officium secernitis, omnibusque pœnitentibus adorare quidem eam conceditis, sumere nisi absolutos & reconciliatos vetatis; Veteres vero, qui ad hoc unum *institutam*, ad hoc unum in Ecclesia exhiberi Eucharistiam putarunt, *ut fidelibus* sumenda communicetur, merito & ipsi nemini eam nisi communicaturo videndam vel tangendam porrexerunt, vel eminus ostenderunt. Vtrisque sui facti constat ratio, ex suæ singulis fidei decretis. Illud unum quærendum restat utrius Ecclesiæ verior sit fides, vestræ-ne quæ Eucharistiam Deum, an veteris quæ panem esse credidit? *illius quæ latria adorandam ait*, an hujus quæ negat? Sed nos in præsentia de facto solo quærimus. An veteres Eucharistiam latria, quod vos hodie facitis adoraverint? Non adorasse inde certo probamus, quod nemini eam ostenderunt, vel porrexerunt, nisi sumpturo & communicaturo; itaque non catechumenis solum, sed etiam pœnitentibus ejus aspectum negaverunt; non facturi, si eam latria adorari & posse & debere censuissent. Id clare diserteque expressit *o* Areopagites ille Pseudo-Dionysius, dum non alios in suis sacris remansisse dicit, nisi *eos qui rerum divinarum aspectu & communione digni essent.* Neque enim dicit τῆς Θεοῦ ἐποψίας, *Dei aspectu* (quod plane dicere debuit, si cum Latinis sensisset) sed τῶν θείων *rerum divinarum* ἐποψίας *aspectu*, id est mysterij, sive sacramenti. Res divinæ τὰ θεῖα aliud sunt quam Deus; ut res humanæ aliud quam homines. Tum neque manere eos dicit qui simpliciter digni sint rerum divinarum aspectu; sed qui earum & *aspectu & communione digni sunt*; quo apertissime significat nullum Eucharistiæ aspectu dignum esse, qui non & communione. Vnde patet non sensisse illius ævi Christianos Eucharistiam consecrari ut adoretur. Nam si ita est, etiam iis qui eam sumere indigni sunt, ostendi & ob oculos poni debet, non quidem ut sumatur, quod nondum licet, sed tamen ut adoretur, quod quibusvis Christianis licet; ut vel ex ipsa Latinorum praxi liquet. Veteres ergo qui ad

o Dionys. ubi supr.

Eucharistiæ

Eucharistiæ aspectum neminem nisi qui & ejus communione dignus esset, admittebant, apparet eam censuisse neque adorandam, neque ad aliud consecrandam nisi ad communicandum. CAPUT XXXIV.

Id vero etiam clarius patet ex eo more, quem nos supra *p* ostendimus totius Ecclesiæ communem ad sextum seculum fuisse; ut nimirum quicumque Eucharistiæ sacro interessent fideles, ei communicarent. Cur enim quæso videndi & adorandi Dei sui copiam istis, non Pœnitentibus sed fidelibus etiam non communicaturis negarent, si Eucharistiam Deum esse revera credidissent? Quia (inquit) nolunt communicare sacramentaliter; id est quia nolunt Deum ipsum panis speciebus tectum sumere. Bona fateor ratio; si Christum adorare nemini licet nisi prius ore sumptum in ventriculum, in quo cibi coquuntur, dimiserit. Atqui hoc omnes vident, quam non modo falsum & absurdum, sed etiam delirum insanumque sit. Mitto quod apud Latinos innumerabiles quotidie fidelium myriades hostiam in Missis adorent, in quibus nullam sumpserunt. Sed Christum quis nescit dum esset in terris, ab Apostolis, & ab aliis multis religiosissime fuisse adoratum etiam antequam se ut vos vultis, in pane manifestasset? Quis etiam hodie extra Missam adorari ab omnibus piis nescit? Fidelem Deo supplicare, & latriæ cultum deferre, nulla quovis loco, ac tempore invidia unquam fuit, ac ne nunc quidem est. Imo vbi proprio aliquo & peculiari in loco adesse eum præsentem certus es; tum eum adorare non modo licet, sed quod multo majus est, non adorare non licet; idque nulli Christiani acrius contendunt verum esse, quam Latini; quos notum est suæ hostiæ adorationem, omni quo apparuerit tempore ac loco, ab omnibus & suis & alienis, non verbis modo, sed etiam pugnis ac calcibus exigere, vbicumque rerum potiuntur, & Lutheranos quos vocant, eo maxime irridere atque damnare, quod Dominum etiamsi in pane adesse credant, adorare tamen in pane renuant ac refugiant, ut ex Bellarmino *q* intelligere licet qui adversus eos disputat Christum in Eucharistia præsentem *sive in usu, sive extra usum*, latriæ adoratione esse colendum. Iam cum Paulus fidelem non *semper*, sed ea tantum lege præcipiat communicare, *si se ipsum probaverit*; inde manifestum est, cui sui probandi vel facultas vel tempus vel voluntas hactenus defuerit, eum non modo non peccare si à sacris dapibus abstineat; sed etiam graviter peccaturum si in eo animi statu imparatus & illotis quod aiunt manibus, in mensam sacram manus immittat. Ergo quem Eucharistiæ administratio in eo statu deprehendit atque opprimit, ei sacras quidem particulas sumere non licet fateor, ac ne expedit quidem; Adorare tamen Dominum Christum, si se ei præsentem sistat, etiam tum licet, quo etiam expedit, atque eum religiosa prece invocare, ut sibi adsit, mentemque ac conscientiam suam Sancti Spiritus virtute ac lumine purgare & mundare velit. Fidelem vero ita animo affectum ejicere de Ecclesiæ cœtu; impudentiæque damnare, ac ne id pati quidem velle, ut ei Dominum si

p Supr. L. 4. c. 1.

q Bell. L. 4. de Euchar. c. 29. §. His præmissis.

minus

Caput XXXIV. minus edere ac in ventriculum condere, certe colere adorare & invocare liceat; id vero iniquum atque inhumanum est. Ergo si veteres Eucharistiam latria legitime coli, & adorari posse credidissent; nunquam profecto duram & inhumanam illam legem tulissent, nequis ejus sacro intersit nisi qui communicet. Dura enim & inhumana lex est fidelem Dei sui aspectu, & religiosa præsentis invocatione fraudare. Nam si Eucharistia Deus est, qui ab ejus sacro licet alioqui non esset communicaturus arcetur, omni eo fructu fraudatur, qui ex Dei præsentis aspectu & invocatione à fideli percipitur. Atqui eam legem à veteribus latam fuisse nos supra r ex Canonibus Pseud-Apostolicis, & ex Concilio Antiocheno, Chrysostomo & aliis probavimus. Non ergo credebant illi Eucharistiam Deum ipsum esse latria colendum & adorandum; sed Domini duntaxat sacramentum nobis sui perceptione Dominicæ mortis fructus communicaturum. Idemque ex eo intelligi potest, quod est etiam à nobis supra s suo loco demonstratum, non fuisse apud veteres in usu Missas solitarias. Nam si Deus corpus suum in sano Eucharistiæ realiter præsens sisteret adorandum, cum ad cultum adorationis nihil intersit plures adesse, tamque ab uno quam à pluribus hoc officium utiliter præstari possit, clarum est non à pluribus tantum, sed etiam ab uno per Eucharistiam evocari posse ac interdum debere Numen, ut ei præsenti adoratio etiam ab uno, quoties id expedit, deferatur; quod ipsa adversariorum praxis demonstrat. Mitto quod hinc pariter eadem ratione concludi potest, neque veteres Eucharistiam pro sacrificio proprie dicto habuisse, ad cujus oblationem unius Sacerdotis præsentiam & actum satis esse ipsi adversarij non modo affirmant, sed etiam contendunt, eoque in primis Missas suas solitarias constituere conantur. Sed quod hinc adorationem Eucharistiæ refutavimus, id ipsum inde quoque confirmatur, quod apud Anastasium Nicænum legimus t quemdam Anachoretam quærenti cur *tam constanter pergeret à sancta Ecclesia separatus esse & abstinere à sancta Synaxi; respondisse, omnes Synaxes & publicas liturgias ideo fieri, ut homo expurgetur à suis peccatis, & Deum in eo habitet. Si ergo homo factus sit templum Dei animatum, animam qua Deum gestet recedere ab omni desiderio Ecclesiarum, & synaxeon, & festorum humanorum.* Nam si in Eucharistia Dominus divino suo corpore se nobis realiter extra nos præsentem sistit, ut eum latria colamus, nihil valeret illa Anachoretæ responsio ad purgandam suam à sacris synaxibus absentiam. Nam si hoc quod nunc Latini credunt, verum est, non est satis fidelem Deum in se habere habitantem, nisi adoret extra se sub panis ac vini speciebus mirabiliter existentem. Alioqui si sponte eo cultu abstineat, quantacumque de cætero fingatur ejus sanctitas, eo reus erit contemptæ Dominicæ illius manifestationis, id est (si qua sit Latinis fides) mysterij omnium pæne quæ sunt in religione Christiana divinissimi, spretique cultus, quo nullus ex eorum quidem hypothesi, sanctior ac præstantior

r Supr. L.4. c.1.

s Supr. L.4. c.5.

t Anast Nic. Quæst.2.

Christo Domino deferri potest. Ille ergo, qui ita respondit Anachoreta totam hanc mirificam Theologiam nescivit, neque Eucharistiam eo fieri putavit, ut à nobis latriæ adoratione colatur, sed sacramentum à Domino ad hunc tantum usum institutum esse credidit, ut ejus susceptione purificemur ac sanctificemur, & in Dei amorem hac communione sic accendamur, ut ejus templum facti numine fruamur in nobis habitante. CAPUT XXXIV.

Denique neque eum morem omiserim, quem olim in universa Ecclesia fuisse supra demonstratum est; ut Eucharistia diebus jejunialibus, non mane, quod alias ut plurimum fiebat, sed vespere vel hora nona celebraretur, ac sumeretur. Tametsi enim id prima fronte leve videatur, & ab ea, in qua versamur, quæstione satis alienum; si tamen usum hunc penitius excusseris, & caussam cur institutus fuerit, expenderis, comperies rem esse maximi ad id quod nunc agimus momenti. a supr. l.3.c. 11.

Docuimus x ex priscorum monumentis rationem huius discriminis, quod olim servabatur inter sacra, quæ die jejunii fiebant, & quæ cæteris anni diebus agebantur, hanc fuisse, quod veteres Eucharistiæ esu ac potu jejunium solvi putarent; eo factum, ut sacra communio in eam horam differretur, qua diei cujusque jejunium solvi solenne ac legitimum esset, sive vespere, sive hora nona. Iam vero non est difficile, qui sic de sacro pane & vino sentirent, eos intelligere longissime abfuisse à Latinorum dogmate de Eucharistiæ ἀποθεώσει, & cultu. Nam cujus cibi sumptione jejunium frangitur, eum hujusmodi esse necesse est, ex quo corpus nutriatur, quique adeo ventriculo receptus coquatur in alimentum, digeratur, partimque in membra, ex quibus consistimus, convertatur; partim etiam excernatur, ac per vias à natura ad eum usum comparatas, egeratur ac ejiciatur. Itaque Cellotius Iesuita Græcos, qui jejunium sumpta Eucharistia solvi putant, merito inde argumentatur y sentire sacra dona à cibis communibus hac inquam in parte, nihil differre, qui inquit, *nutriunt, digeruntur, & egeruntur.* Cum ergo veteres ita de Eucharistia sensisse ex veris certisque supra demonstratum sit, viros sapientissimos ac religiosissimos omni rationis, pietatis, ac judicii laude spoliat, quisquis rei de cujus natura ipsi tam humiliter sentirent, cultum latriæ, uni Deo Opt. max. debitum detulisse existimat. x Ibid. y Celloti opusc. 7. in tract. Anon. de Euch. p. 564. col. 1.

CAPUT XXXV.

Argumentum XXVII. inde ductum, quod Patres, etiam temporum infra an. D. 300. Paganis exprobraverint cultum eorum, quæ hominum arte & manu facta sunt. Arg. XXVIII. ex eo, quod iidem iisdem objectarint cultum rerum & naturæ & hominum injuriis obnoxiarum; frustra utrumque & absurde, si ipsi Eucharistiam & ipsam ab homine factam, & iisdem injuriis obnoxiam latria coluissent.

Atque hæc de veterum ritibus ab Eucharistiæ adoratione (ut sic loquar) dissentaneis dicta sunto. Iam ea quoque despiciamus, quæ illi adversus religiosos Paganorum cultu disputarunt. Ex his enim non pauca contra Latinos: argumenta deprompsimus in ea operis parte, quæ de religiosi cultus objecto fuit, quibus satis ni fallor demonstratum est Eucharistiam non fuisse ab antiquissimis ad an. D. 300. Christianis adoratam. Fateor pauciores extare in Christianorum, qui sequentibus sæculis floruerunt, adversus Paganos disputationes; quod sub Principibus Christianis paulatim primo contabuerit, postremoque plane extinctus fuerit Paganismus; nihil ut magnopere opus esset errorem per se ruentem & evanescentem longa disputatione insectari. Sed tamen ne ipsi quidem horum sæculorum Patres hac in parte plane muti sunt. Pauca ergo quæ nos in hoc genere observavimus, hic exsequemur. Primum illud erit, quod veteres quarto sæculo anteriores ostendimus *a* Paganis passim objicere Deos ab ipsis coli hominum arte & manu factos. Hoc autem istis non fuisse objecturos si Eucharistiam ipsi, hominum ut liquet, manu & opera factam, ac in Dei corpus transformatam ipsi latria coluissent. Iam eorum, quos ita cum Paganis disputantes edidimus, unus est Arnobius, qui cum ipsis quarti sæculi initiis floruerit, ostendit ne quarto quidem seculo apud nostros in usu fuisse Eucharistiæ cultum religiosum. Ac inter cætera quæ ille in Divos gentium jacit, hoc nominatim exprobrat eos *b incoctos fuisse fornacibus figulinis, & in eas formas, quæ cernebantur, conflatos ductosque exisse.* Qui factum, ut nihil timuerit, ne Pagani retaliarent, Deum quoque à Christianis coli, qui & ipse pistoriis focis incoctus, ferroque inclusus conflatus est in eam speciem quæ videtur? Cur non timuerit, una hæc ratio est, quod nostri scilicet illius ævi homines Eucharistiam, quam negare non poterant hac, & simili hominum arte ac opera fieri, minime adorarent, vel latriæ cultu dignam esse putarent. Si Arnobius hanc adorasset, si corpus ante eam suum in terram prostravisset, si in adversis rebus invocasset, quo tandem ore, qua fronte suum ipsius factum in amentiæ crimen aliis verteret? *Ita iste* (inquit) *c non error est? non ut proprie dicatur amentia*

ẽ L. 1. & 2. de obj. cult. rel.

a L. 1. de cult. relig. obj. c. 21.

b Arnob. l. 6. contr. Gent. p. 251.

c Id. ibid.

amentia? DEUM CREDERE QUEM TUTE IPSE FORMARIS? *supplicare tremebundum fabricata abs te rei? & cum scias & certius sis tui esse operis, & digitorum partum, pronum in faciem ruere, opera rogare suppliciter, adversisque in rebus, atque in temporibus asperis propitii numinis facere succurrere?* Sed & Lactantius, qui sub Constantino Arnobii discipulus, floruit, paria quoque Gentilium Divis objecit; *d Timent* (inquit) *opera digitorum suorum; quasi quicquam esse possit artifice suo majus. Quæ igitur amentia est, aut ea fingere, quæ ipsi post modum timeant, aut timere quæ finxerunt?* Multis paulo post istum Gentium errorem exagitat *e hominem* illorum *quasi parentem putandum esse, quæ per ejus manum nata sunt; per eum speciem, figuram, pulchritudinem habere cœpisse; & ideo meliorem* esse qui fecit, *quam illa quæ facta sunt. Et sic hæc adoranda sunt, artificem à quo facta sunt, ipsum quoque multo potiori jure adorandum esse.* Neque iste veritus est, ne hæc sibi Pagani impudenter ab eo objici quererentur, qui Eucharistiam adorat quidem, nec tamen sacerdotem à quo facta est ulla latria colit.

CAPUT XXXV.

d Lact. l. 2. Instit. c. 2.

Ibid. p. 71. extr.

Sed & primorum seculorum Christianis ignotam fuisse Eucharistiæ nunc apud Latinos solennem latria, inde quoque in eadem disputatione probavimus, quod eorum Theologi Paganos irriserint, ea religiose colentes, quæ erant multiplicibus injuriis obnoxia; & Naturæ, ut fulmini, igni, tempori; & animalium ut murium, avium, canum, & ipsorum denique hominum, ut furum & latronum; quibus casibus cum ipsam quoque Eucharistiam subjacere manifestum sit, non est credibile sapientissimos homines ea adversariis fuisse objecturos, quæ in se repercussa reditura erant. Iam vero constat quarti & sequentium seculorum Patres eadem quoque Paganorum Divis objecisse. Ita passim Arnobius, & Lactantius, primi quarti seculi Patres, passim de illis fictitiis numinibus ludunt; Ille *f* Iovis Capitolini & Iunonis Argivæ, & Serapidis Ægyptii, & liberi Atheniensis & Dianæ Ephesiæ, & Apollinis Delphici incendia salse deridet. Neque Lactantius Paganis parcius ista colentibus inequitat; *g Frangi enim* (inquit) *& cremari possunt, ac perire. Nam & tectis vetustate labentibus sæpe comminui solent, & consumpta incendio dilabuntur in cinerem. Tum, quæ igitur insania est timere pro quibus aut ruina, aut ignes aut furta timeantur? Quæ vanitas aliquam ab his sperare salutem, quæ tueri semetipsa non possunt? Quæ perversitas ad eorum præsidia decurrere, quæ ipsa cum violantur, inulta sunt, nisi à colentibus vindicentur?* Iam Gentium Divos, furta, quæ ab iis *timeri* Lactantius dicit, sæpe reapse passos esse latius allatis exemplis ostendit *h* Arnobius; *Antiochum* (inquit) *Cyzicenum ferunt decem cubitorum Iovem ex delubro aureum sustulisse, & ex ære bracteolis substituisse fucatum.* Mox Dionysium juniorem memorat, qui Iovem velamine aureo Æsculapium vero barba ut ille ait, *amplissima, boni ponderis,* (aurea scilicet) *& philosophicæ densitatis spoliavit,* etiam suis numinibus *jocularibus facetiis illudenis,* quæ duo exempla Lactantius quoque attulit; *i* atque illis Verris Romani faci-

f Arnob. l. 6. p. 260.

g Lact. l. 2. c. 9. p. 77.

h Arnob. l. 6. p. 257.

Caput XXXV. nus adjecit quem Marcus Tullius testatur Cererem Ennensem ex arcanis & vetustis penetralibus immissis latronibus sævis impune sustulisse. Atque hæc quidem illi, vt demonstrent non esse Deos, qui furto surripi, qui latrocinio spoliari ab hominibus possunt. Qualiter & Chrysostomus Labanis stultitiam ridet, qui quos Deos suos dicebat, eosdem à Rachele filia furto sibi subductos querebatur. In hæc enim Labanis ad Iacobum verba, *Quare furatus es Deos meos?* *O summam* (inquit) *amentiam. Tales ne ergo sunt Dii tui, vt eos etiam furari quis possit? Non te pudet hæc de Diis tuis ita dicere, Quare furatus es Deos meos? Vide quantus hic fuerit erroris excessus, ut ligna & lapides qui ratione præditi sunt colant? Igitur hi sunt Dii tui Laban, qui ne se ipsos quidem à furum injuria vindicare valuerunt?* ὢ ἀνοίας ὑπερβολή, καὶ τοιοῦτοι εἰσιν οἱ θεοί σου, ὡς καὶ κλαπῆναι; οὐκ αἰσχύνῃ λέγων, ἵνα τί ἔκλεψας τοὺς θεούς μου; ὅρα πόση ἦν ἡ ὑπερβολὴ τῆς πλάνης, ὡς τοὺς λόγῳ τετιμημένους ξύλα καὶ λίθους θεραπεύειν. καὶ οἱ μὲν θεοί σοι. ὦ Λάβαν, ὑπὸ κλέπτεσθαι μέλλοντες, ἑαυτοῖς ἀμῦναι ἴσχυσαν. Horum infirmitati, qui ne sibi quidem ipsis cavere possunt summam veri Dei potentiam deinceps opponit, qui à Iacobo, etiam nesciente omnem Labani impetum cohibuit, injuriamque propulsavit. Qui sic contra Paganos disputant, ea apertissime colenda, adoranda, pro Diis habenda negant quæcunque sunt his vel Naturæ vel hominum injuriis exposita. Ergo Eucharistiam iidem adorandam vel pro Deo habendam nunquam profecto putarunt, quam iisdem casibus obnoxiam esse neque ipsi ignorarunt, neque Latini nunc negant. Possem cum historiis ab Arnobio de Divis Gentium allatis paria de Eucharistiæ conflagratione & aliis casibus componere. Sed consulto abstineo. Furto quod Chrysostomus Labanis Diis objicit subjacere etiam Eucharistiam, tametsi satis per se notum sit vnico tamen Latini antistitis testimonio illustrabo. Is est Alexander Geraldinus ex Episcopo Vulturariensi Romanæ Ecclesiæ Legatus, sancti Dominici in Hispaniola Americani Oceani insula Episcopus, qui in Epistola ad Carolum Quintum Cæsarem Itinerario suo subjecta, m *Quoniam* (inquit) *templum sedis meæ Episcopalis è tignis, è caespitibus, materia tenui, è tabulis & luto, è ramis arborum, veluti topiaria arte intertextis erectum erat, unde nostri libri, organa, ipsa altarium ornamenta, à sacrilegis sublata sæpe sunt: ipsum DEI CORPUS à FURIBUS, à Magis, à Necromantibus, ab aruspicibus, ab ariolis, à Pythonibus, à fanaticis, à sceleratorum igne tutum non est; te precor omnium seculis nostri excellentissimum, ut octo millia pondo auri à Ferdinando olim Rege pro templo meo Episcopali condendo relicta, & Pessimutio Quæstore collecta mihi persolvantur imperes, quæ ego in testudines tholo majoris altaris peragendo exponam.* Eadem narrat Cardinali Ægidio, in epistola quam ad eum scribit; n *Quoniam* (inquit) *Episcopale templum insulæ meæ è ramis arborum, è palmis, è caespitibus, è materia periculo plena erectum est, quo sanctissimum sacramentum Dei nostri à sicariis, à sacrilegis, à sceleratis, à vicino igne minime tutum est.* Hic *Deum suum* in templo ex infima

l Lact. l. 2. Inst. c. 4. p. 79.
k Id. ibid p. 80. extr.
l Chrysost. Hom. 57. in Gen. p. 625.
m Alex. Gerald. in Epist. ad Carol. V Ægid. in Itiner.
n Ibid.

ex infirma ad fures repellendos materia constructo tutum esse negat; Pro eo furta *timet*, cui vt sit à furum & Magorum insidiis & manu tutum, emendicato à Cæsare auro opus esse confitetur. Hunc ergo istius Episcopi Deum id est Eucharistiæ sacramentum Lactantius Deum esse non credidit, qui ea pro quibus furta timentur, *timere*, id est religiose colere & pro Diis habere *insaniam* esse putavit; Ab hoc Geraldini Deo (hoc est à sacro Eucharistiæ pane) *tutelam sperandam* esse negat; qui ab illis eam sperare, quæ tueri semetipsa non possunt, *vanitatem esse* profitetur. Ad huius denique *præsidia decurrendum* negat, cui Cæsaris, qui eum colebat præsidium emendicatur, vt ab humanis injuriis vindicetur. De Chrysostomo vero quid dicam, qui Labanem non stultitiæ, sed amentiæ, ejusque non simplicis, sed insignis, & singularis, insimulat, quod Deos dixisset quos Iacobum furatum esse suspicabatur? Isne Geraldinum tulisset id *Dei sui corpus* nominantem, quod à furibus subduci, à Magis & necromanticis & hariolis rapi posset? Non hominem castigasset? Non tanquam absurdum & ineptum hunc ejus sermonem reprehendisset? ac illa sua ad Labanem dicta ad hunc vsurpasset? *Quid ais, Episcope? Talis ne Deus tuus est, ut eum etiam furari quis possit? Non te pudet hæc de Deo tuo ita dicere*, Dei mei corpus à furibus, à Magis, à Necromanticis & cæteris hominibus sceleratis tutum non est? Hæc in Latinos Chrysostomus profecto diceret, qui sua illa Labanis objurgatione non modo dicit, sed clamat insani esse hominis ea colere, ac Dei nomine censere, quæ furum injuriis obnoxia sunt. CAPVT XXXVI.

CAPVT. XXXVI.

Argum. XXIX. *ex eo, quod veteres Paganis eorum cultum objectent, quæ humano præsidio ad sui tutelam egent. Item Arg* XXX. *ex eo quod iidem Paganis quoque exprobrent, quæ illi colebant custodiri, muris, seris & repagulis muniri; quod vtrumque Latinorum hostia congruit, quam ipsi mures, minimaque animalcula violarent, nisi arcerentur.*

SEd & hoc ipsum, quod Gerardinus à Cæsare poscit Deo suo contra fures præsidium, veteres Theologi iis quæ à Paganis adorabantur passim obiectant, vt hoc velut certissimo & evidentissimo argumento probent ista nihil minus fuisse, quam Numina, cultu & adoratione digna. Arnobius inter cætera, quibus hanc caussam agit, illud etiam quærit à Paganis, cur eos (quos adorabant scilicet Deos) si vere

Caput IV. XXXVII. Deos esse crederent, *sub validissimis clavibus, ingentibus sub claustris, sub repagulis, pessulis, aliisque huiusmodi rebus custodirent, conservarent atque haberent inclusos, ac ne forte fur aliquis, aut nocturnus irreperet latro, æditui protegerent, atque excubuoribus.* Lactantius hoc ipsum quoque attigit, p quo loco ait Gentilium Deos *plerumque in prædam furibus cedere, nisi sua illis magnitudo subvenerit, aut custodia* (inquit) *Diligens sepserit*, id vt videtur, à q Cypriano mutuatus, qui in eadem adversus Demetrianum causa Deos istos dixerat *clausos ne pereant colentium tutela custodiri.* Iam vero Eucharistiam iisdem Latinos artibus à furum & maleficorum insidiis tueri notum est. Ac ei quidem contra nullius injuriam magnitudo sua subvenit; quæ scilicet perpusilla est facileque cujusvis non modo viri, sed etiam pueri, imo & infantuli manu tolli potest. Quo magis contra vim omnem alicuam ei consuli necesse fuit. Itaque templa inprimis in quibus colitur & asservatur solidissimis muris cingi & *validissimis foribus, clavibus, claustris, repagulis, pessulis* diligentissime claudi iubent, & ad hanc curam ostiarii, æditui, aliique custodes adhiberi; quam ad rem Gerardinum modo audiebamus octo sibi millia pondo auri à Cæsare repræsentari flagitantem, quo templo ex firma solidaque pro futili materia extructo, & cæteræ sacræ suppellectili, & præsertim illi *Dei corpori* quod dicit, adversum latronum vim, & furum insidias caveret. Præterea ipsum illud ut loquuntur *Dei corpus* vasculis diligenter obseratis inclusum, ac in tabernaculo quodam & ipso clauso, reconditum in altari collocant; quod eos diserta lege præcipere non piguit; nequid hic per errorem ab imprudentibus ministris peccaretur. Lex supra alibi r suo loco recitata est. Innocentius 3. maximus Latinorum sacrorum & sacramentarii cultus auctor, jam pridem decreverat *s vt in cunctis Ecclesiis Eucharistia sub fideli custodia conservetur, ne possit ad illam temeraria manus extendi.* Cum ergo Patres, ex iis quæ contra Paganorum numina disputant, clarum liquidumque sit putasse nihil eorum, quæ clavibus, foribus, & aliis hujus generis humanis præsidiis clauduntur, muniuntur, & custodiuntur, adorari fas esse, ac pro numine haberi; profecto neque illud quo contendimus, obscurum est, eos Eucharistiam, quæ ad hoc vt servetur, ciborio ac tabernaculo sub clave custoditur, nequaquam censuisse adorandam, & vni Deo debita latria colendam.

p Lact. L. 2. Instit. c. 4. p. 77.

q Cypr. ad Demetr. p. 236.

r Supr. L. 6. c. 3. in.

s Decretal. L. 3. Tit. 44. c. 1.

Sed illa à Latinis ita diligenter custoditur, vt servetur, non solum à manu furum & latronum, sed etiam ab injuriis sacrilegorum, murium, & aliorum hujusmodi animalculorum, quæ plurimum ei molesta atque infesta esse solent. Cum enim mures, qua sola præditi sunt sensuum vi externas panis species, sub quibus Latinorum numen latet, intelligant; substantiam rei, id est Dei corpus non videant; quo sensus trahit, eo facile feruntur, & quem sensus nuntiat panem, cum optima fide nihil de Deo latente suspicantes, panem esse re vera non dubitantes, arrodunt scilicet & qua est tenuitate atque minutia, aliquando totum glutiunt. Vnde est illa Latini Missalis cautela; *t Si hostia consecrata dispareat, vel*

t Missal. de Defect. Miss. c. 3. § 7.

vel casu aliquo, vt vento, aut miraculo, vel ab aliquo ANIMALI accepta, nequeat reperiri, tunc altera consecretur, ab illo loco incipiendo. Qui pridie cum pateretur, &c. Hinc etiam existit illa Scholæ Romanæ quæstio, an corpus Christi mus comedat cum sacramentum comedit, quam Thomas ita definit, u *Etiamsi mus, vel canis hostiam consecratam manducet, substantia corporis Christi non desinit esse sub speciebus, quandiu species illæ manent.* Et Alexander Ales; x *Si canis (inquit) vel porcus deglutiret hostiam consecratam integram, non video quare vel quomodo corpus Domini non simul cum specie traiiceretur in ventrem canis vel porci.* Atqui has animalium iniurias non posse in id cadere quod legitime colitur, Patres docent; qui falso & impie à Paganis Deos suos adorari inde probant, quod illi his multo leviora ab animantibus paterentur. Non soli enim Minutius, Clemens, Tertullianus de secundo tertioque sæculo, sed etiam Arnobius y hoc argumento idolorum divinitatem ac cultum religiosum evertunt. Hic certe dum stultitiam Paganorum exagitat, qui idolorum *plantas ac genua contingebant, ac contrectabant orantes*, qui apud eos erat adorationis religiosæ actus, hoc inter cætera ad probandam istius cultus vanitatem affert, quod sub istorum Deorum *canes stelliones, Sorices, mures, blattaque lucifugæ vidamenta ponerent, atque habitarent quoque in eorum ore aranea ordirentur retia, atque insidiosos casses; quod hirundines denique in eos alvi proluvies deonerarent.* Iam multo est istis omnibus gravius atque indignius quod tu cultu divino dignaris, id ipsum ab istis animalibus corrodi, imo deglutiri. Ergo quod hæc etiam pati potest, id illi Patres, coli magis essent indignati, quam quos tamen stulte & ridicule ab hominibus coli ideo credebant, quod illas leviores contumelias ab avibus & muribus sibi illatas ferrent. Nemo enim eorum narrat ab istis Græcis Romanisque idololatris cultum aliquod numen fuisse quod vel mures aliquando corrosissent, vel porci aut canes glutivissent. Pallas, si bene memini, queritur in ludicro quodam poëmate quod mures suas coronas corroderent, & lucernas propter oleum corrumperent, maxime vero quod peplum suum corroserint & perforaverint, z.

Πέπλον μου κατέτρωξαν, ὃν ἐξύφηνα καμοῦσα.
Τρώγλας τ' ἐμποίησαν.

Quod vero ex isto fabuloso Græcanicorum vel etiam Romanorum numinum censu aliquem sive marem sive fœminam vel canis glutiverit, mus corroserit, apud veteres omnes scriptores, & nostros & exoticos, est nisi vehementer fallor, inauditum. Colligamus ergo Eucharistiam, quicumque accidere posse, & Latini confitentur, & res ipsa indicat, adeo non adorasse priscos Christiani nominis Patres, ut etiam graviter indignaturi fuerint siquem suorum vidissent ei religiosum illum vni Deo debitum cultum deferre.

CAPUT XXXVI.

u Thom. p. 3. q. 80. a. 3.

x Alex. Al. p. 4. q. 45. memb. 1. art. 2.

Vid. L. 1. de vel cult. obj. c. 1. p. 163. 164.

Batrachomyomach.

Caput. XXXVII.

Caput. XXXVII.

Argumentum XXXI. *inde ductum, quod nostri olim Paganos irriderent colentes res mutas, sensusque & animæ expertes; ridicule, si ipsi quoque Eucharistiam non minus anima, motu, sensuque carentem adorarent. Occupatur & refellitur Latinorum ad hoc argumentum responsio. Argum.* XXXII. *ex eo quod veteres quererentur Paganos hominum mentem ac religionem à cælo in terram, à summis ad ima deiicere; inverecunde, si ipsi numen in terra situm adorarent.*

SEd neque satis capio, qua fronte nostri, si Eucharistiam ipsi adorabant, Paganis exprobrarint rerum mutarum & anima carentium cultum; quod ante a. D. 300. à pluribus factum esse demonstrauimus in prima Disputatione, quæ fuit de objecto cultus religiosi. *a.* At neque sequentis ævi, Christiani ista parcius Gentilibus objectarunt. Ita Arnobius eos exagitat, quod & *opem sperarent de numine, & nullius sensus ad effigiem deprecarentur.* Lactantius idola cultu indigna esse eo conficit, *b quod nec sentiunt, nec moventur,* adeoq; non esse Deos, vt ne Dei quidem simulacra sint. *Nec intelligunt* (inquit) *homines ineptissimi, quod si sentire simulacra & moveri possent, ultro adoratura homines fuissent, à quibus sunt exposita.* Aperte constituit res sensus expertes hominem colere potius decere, quam ab homine coli. Mox ut rem absurdissimam Paganis exprobrat, *c quod qui sentirent, insensibilia adorarent; qui saperent irrationabilia: qui viverent, exanimas?* Ac postea ubi disputata colligit; *d Quanto igitur* (inquit) *rectius est omissis insensibilibus & vanis oculos eo tendere, vbi sedes, vbi habitatio est Dei veri?* Sed & in calce ejusdem libri, vbi se docuisse dicit *e Deorum religiones triplici ratione vanas esse*, alteram ex his tribus rationibus, istam affert, *quod ipsa imagines sacra, quibus* (inquit) *inanissimi homines serviunt, omnes sensu carent.* Quo palam negat cuiquam esse serviendum, id est quicquam esse adorandum, & latria colendum (servire enim idem est quod λατρεύειν) quod idem sensu careat. Athanasius, magnum sui sæculi decus, adversus Gentes disputans; *f Quomodo* (inquit) *non sunt miseri, qui ita aperte res inanimatas pro veritate religiose colere convincuntur? Quænam verò illis spes, aut quæ venia superest, qui in irrationalibus & immobilibus fiduciam suam collocant?* πῶς οὐκ ἂν εἶεν κακοδαίμονες, οἱ οὕτω φανερῶς ἐλεγχόμενοι τὰ ἄψυχα θρησκεύοντες ἀντὶ τῆς ἀληθείας, ποία δὲ τούτοις ἐλπὶς, ἢ τίς ἂν αὐτοῖς γένοιτο συγγνώμη πεποιθόσιν εἰς τὰ ἄλογα, καὶ ἀκίνητα, ἃ ἀντὶ τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ σέβουσι; Qui sic urgent Paganos, siquid conficere volebant, omnino necesse est eos hoc inprimis statuisse nefas esse quicquam adorare, quod sensu, motu, & anima careat. Atque Eucharistiam sensus motusque omnis expertem esse palam

a L.1. c.18. p. 158.

b Arnob. L. 6 p. 245.

b Lact. L. 2. c. 2 p. 71.

c Ibid. p. 72.

d Ibid. c. 5. p. 81.

e Ibid. c. 17. p. 122.

f Athan. Orat contr. Gent. T. 1. p. 16. D.

palam est. Negari ergo non potest, quin veteres illi Eucharistiam censuerint nullo cultu religioso esse adorandam. Neque mihi quisquam respondet ea Christum verum numen, divina intelligentia, atque sapientia præditum contineri. Nam ut mittam, hoc quod ab annis sexcentis docent Latini, nondum liquere neque ab ullo istorum Theologo hactenus fuisse probatum, istis Patribus placuisse; ut hoc inquam, mittam, vana est & quidem duplici ratione, ista ad argumentum nostrum responsio; Vna, quod Paganos quidem certe constet nihil minus de Eucharistia nostra sensisse, quam quod Latini nunc docent. Qui enim unam sensuum & rationis lucem atque auctoritatem sequebantur, Eucharistiam profecto nihil aliud esse putarunt quam panem à nostris consecratum; quod sensus & ratio dictabant; Deum in illo pane vere latere adeo non credebant, ut siquid hanc opinionem loci apud nostros habuisse vel suspicati essent, non sit dubitandum id pro monstro habituros iisque hoc ipsum inprimis objecturos, ac contumeliose exprobraturos fuisse, quod tamen nunquam à Paganis factum esse supra demonstratum est. Quin & ipsi Latini hoc eos nescivisse præter omnem veri speciem ideo commenti sunt, ne quod inde apertissime consequitur, admittere cogerentur, illorum temporum Christianos nondum revera coluisse Eucharistiam, quam scilicet ab illis coli nescire non poterant Pagani si ab iis universis jam tum culta fuisset. Iam vero sive Eucharistiæ cultum Paganos scivisse dicas, sive nescivisse; profecto Patres hoc iis objicere non decebat si revera eam colebant. Nam si id Pagani nesciebant, candor & veracitas Patres prohibuisset adversariorum ignorantia abuti, & eos ejus rei arguere, quam ipsi erant in eos repercussuri, si scivissent quid ab eis fieret. Si vero Pagani quod est multo verisimilius, Eucharistiam a nostris coli scivissent; non erat hominum prudentium iis niti, quæ ab adversariis negatum iri, prospiciebant, (nimirum Eucharistiam rem esse animatam & rationabilem) quæque difficillimam atque inextricabilem apud homines à fide alienos controversiam paritura essent. Sed est etiam altera ratio, quæ hanc nostræ demonstrationis solutionem vanam esse ostendit; hæc nimirum, quod ipsi Pagani eodem modo suum idolorum cultum purgabant, quo nunc Latini suam Eucharistiæ latriam defendunt. Vt enim hi non panis vinique sensu & anima carentes species, sed Christum in iis latentem à se coli caussantur; ita illi se non simulacra muta & exanima, sed numina in iis habitantia adorare ostendebant. *Neque nos æra* (inquiunt apud Arnobium) g *neque auri argentique materias, neque alias, quibus signa conflant, eas esse per se Deos, & religiosa decernimus numina: sed eos in his colimus, eosque veneramur, quæ dedicatio infert sacra, & fabrilibus efficit inhabitare simulacris.* Si par fuisset cum Latinis veterum in Eucharistiam sensus & cultus, clarum est eos hunc ab idolorum ut sic dicam insensibilitate petitam objectionem plane omittere decuisse, quæ nihil aliud scilicet quam litem ex lite sereret; in hoc uno pedem figere, quod inter utrosque vere controversum manebat; nimirum Deos

CAPUT XXXVII.

g Arnob. L. 6. p. 264.

Iiiii nequaquam

Caput XXXVII. nequaquam esse), qui à Paganis in simulacris habitare credebantur, ideoque apud ea adorabantur; quod vero à se in pane colebatur, id verum ac sempiternum esse Filij Dei unigeniti numen. Atqui longe aliter agunt Patres. Nam quos Pagani vocabant Deos, nihil revera habuisse divini, sed vel hominum ut plurimum improborum animas, vel certe spiritus nequam ac desertores esse fuse quidem disputant; sed & hoc seorsum ut audivimus, urgent, quod res insensibiles & exanimes coli non debeant. Quæ disputandi ratio ostendit apertissime eos plane nescivisse ullum rei anima, sensu, & ratione carentis cultum religiosum; adeoque neque Eucharistiæ, quam per se sensus & rationis expertem esse omnes vident; idque clarissime ex iis intelligitur, quæ Arnobius ad hanc Paganorum cavillationem reponit; *In gypso ergo* inquit) *b mansitant atque in testulis Dij vestri? quinimo testularum & gypsi mentes, spiritus atque animæ Dij sunt? Atque (ut fieri angustiores vilissimæ res possint) concludi se patiuntur, & in sedis obscura coercitione latitare?* Atqui hoc in ipsum quoque recitebat, si Eucharistiam adoravit, non alio discrimine, quam hoc, quod nimirum in gypso is Deus, quem Pagani adorabant, mansitaret; Quem vero Christiani, in pane & vino. Non est autem, ut videtur, indignius id adorari quod in gypso, quam quod in pane & vino latitat, vel ut Latini volunt in panis & vini accidentibus; imo in singulis panis micis & vini guttulis; in pane qui glutitur; qui descendit in ventriculum, etiam in alvum, interdum in secessum, in cloacam, in lutum, quinetiam in murium & canum fauces ac ventres; quod neque Arnobius, neque quisquam nostrorum iis, quæ à Paganis colebantur, objecisse legitur. Hæc ergo Arnobianæ disputationis pars contra Paganorum ad suum argumentum responsionem firmat nostros nihil adorandum putasse, quod in materia terrena concluderetur, vel mansitaret; ut in gypso, in testula, neque adeo in pane & vino, quorum eadem est ratio. Non ergo Arnobius id quod in Eucharistiæ pane & vino est adoravit, vel Christiano id esse credidit.

b Ibid. p. 265.

Idque hinc etiam valide argumentari possumus, quod veteres passim Paganis objectant, quod eorum ritus cultusque hominum mentes terræ, terrenisque rebus affigeret; frustra profecto, ne stulte dicam ac impudenter, si quam ipsi potissimam ac divinissimam censebant suæ religionis partem illi rei exhiberent, quæ hic nobiscum in terris versatur, in aris & altaribus lapideis conficitur ac ostenditur, in ciborio, in tabernaculo materiali collocatur, in Sole, sed plane terrestri, habitat, ipsa quinetiam è terra nuper germinavit, & vi elementorum nostratium aquæ & ignis, ferro compressa, in eam speciem, formamque coaluit, quam etiam cum adoratur, retinet. Atque hæc ab iis Theologis qui ante quarti seculi initia, apud nos floruerunt, Paganis strenue & passim objecta fuisse, in alio opere *i* ostendimus. Sequentium seculorum Patres eadem quoque disputarunt. Noster ille sane disertissimus Lactantius hoc ipso Paganicas Deorum religiones refellit, *k* quod curvarent

i L. 1. de relig. cult. obj. c. 20 p. 166.
k Lact. L. 2. c. 1. p. 69.

hominem

hominem *cœleste animal, ad veneranda terrena. Parens enim* (inquit) CAPUT XXXVII.
noster ille, unus & solus, cum fingeret hominem, id est animal intelligens & rationis capax, eum vero ex humo sublevatum ad contemplationem sui artificis erexit. Eo ipso nos admoneri sursum aspicere & cœlum spectare; *l ut religionem ibi* (inquit) *quæramus; ut Deum cujus sedes illa est, quoniam oculis non possumus, animo contemplemur; quod profecto non facit, qui æs aut lapidem quæ sunt terrena veneratur.* Viderint Latini, ut cætera quæ colunt mittam, an non illa *oblata*, in cujus eximia adoratione præcipuam suorum religionem esse volunt, res sit terrena, quæ in terris ostentatur, è terra nata est, & in terram postremo solvitur. Lactantius capite proximo eadem agit; *m Cœlum potius intuemini, ad cujus spectaculum vos excitavit ille artifex vester Deus. Ille vobis sublimem vultum dedit; Vos in terram curvamini.* Tum paucis interjectis; *Humi* (inquit) *miseri volutamini, cum deorsum quæritis, quod in sublimi quærere debuistis.* Nonne Latinos affari videtur, Christum, qui in sublimi est, deorsum præpostere quærentes? *in ciboriis & tabernaculis* affabre, sed terreni tamen artificis manu, effictis, eum qui in gloriæ solio supra summa cœlorum convexa sedet? Denique in eodem volumine extremo quemque jubet *n* erecta mente oculos suos tendere in cœlum; *non sub pedibus quærere Deum* (id est in terra) *nec à vestigiis suis eruere quod adoret, sed quærat in sublimi, quærat in summo.* At qui Eucharistiam, id est rem è terra quæsitam, in agro & ex agro natam, colit, is negari non potest *à vestigiis suis eruisse quod adoret.* Mox. *o Deus supra non infra est, nec in ima potius, sed in summa regione quærendus est.* Quod vero in Latinorum altari ostentatur adorandum, non est sane *in summa regione.* Latinorum Missale revolve. Videbis omnem eorum etiam excellentissimum cultum non ad cœlestia *in summam illam regionem*, sed in hac *ima* ferri. Videbis totius populi oculos atque animos, non in cœlum volare, sed circa hanc terram ad Sacerdotis digitos adhærescere, ibi corde defixo, ubi thesaurum suum Christum astare putant, immemores illius præcepti quod à primo Christianismi ortu derivatum nunc surdis frustra canitur, *SURSUM CORDA.* Ipsa Sacerdotis mens in eo actu, quem sanctissimum putant, haud sane multum supra suum verticem erigitur, nedum ut supra cœlum scandat, dum in hostiam, quam *elevat, oculos intentos* habet, ex diserto Missalis præcepto; *p* totus in ejus micis, si quæ forte exciderint, accuratissime everrendis, in digitis abstergendis, & aliis hujusmodi, in quæ totam animam impendere cogitur, propter summam illam sollicitudinem, tenerrimamque religionem, qua in his versari jubetur. Ne in ipsa quidem oratione Dominica, in qua Deum, his verbis salutat, *Pater, qui es in cœlis*, oculos in cœlum, quo nos Christus cogitationem ac sensus invocantes evehere, hoc Dei cognomento monitos voluit, sed ad sacramentum quod procul à cœlo hic in terra est, intentos habet, *q* stans & orationem ad finem prosequens. Idem postquam genu flexus sacramentum adoravit, surgit, & stans

l Ibid. p. 70.
m Ibid. c. 2. p. 72.
n Ibid. c. 18. p. 123.
o Ibid.
p Miss. rit. celebr. Miss. c. 3. §. 5. 6.
q Ibid. c. 10. §. 1.

Caput XXXVIII. junctis manibus ante pectus, capite inclinato *versus SACRAMENTUM*, dicit intelligibili voce, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*; & dextra percutiens pectus, sinistra super corporale posita dicit semel atque iterum, *Miserere nobis*, idemque tertio faciens, dicit, *Dona nobis pacem*. Denique ne plura congeram manibus junctis super altare positis, oculisque *ad sacramentum* intentis, inclinatus dicit secreto orationem, *Domine Iesu Christe*. Quibus actibus *gratiam, pacem, Deum, salutem* non sursum, sed *deorsum*, in ima mundi regione, non in summa id est in terra, non in cœlo; quærere se profitetur; contra disertas veterum voces; populumque circumstantem his exemplis in terram, ubi sacramentum est, apertissime devocat, ac curvat, ut Lactantius loquitur. Vnde planum est antiquos Patres, qui negant Deum in ima regione, id est *in terra, deorsum*, quærendum, *in summa, in sublimi, sursum* aiunt quærendum, Eucharistiam neque invocasse, neque adorasse, neque pro Deo ipso habuisse.

CAPUT XXXVIII.

Argum. XXXIII. inde ductum, quod veteres Paganis quod Christiani colerent, id sibi ostendi petentibus constanter negant se id oculis carnis ostendere & intento digito monstrare posse, & dicere, Ecce quod colo, *quod illi falso negassent si Eucharistiam coluissent.*

ID ipsum inde postremo perspicitur, quod Paganis, ut antiquissimis, ita & secutis temporibus, nostros urgentibus ut sibi quod colebant, ostenderent; hi constanter negabant Deum suum videri, monstrari, & ad oculum ostendi posse. Id in alio opere r de Christianis secundi seculi ex Theophilo & Minutio demonstravimus. De quarto eadem Augustinus non uno loco luculentissime testatur. s *Insultant* (inquit) *nobis Pagani, & dicunt, Ubi est quem colunt Christiani? Ostendant nobis quem colunt. Ecce ego ostendo illis Deum meum, & ipsi ostendant mihi Deum suum. Dum tibi hoc dicit Paganus, non invenis, quod illi ostendas; quia non est, cui ostendas.* Cur negat nostros invenire quod Pagano ostendant petenti sibi ostendi, quem colerent si Eucharistiam colebant? Ea-ne invisibilis est, ut ostendi non possit? Neque est, quod causseris occulte habitam fuisse illo seculo, neque aliis quam initiatis ostensam. Fateor; sed si nostri Eucharistiam colebant, non ideo aqua illis hæsisset, ut ad hanc Pagani insultantis quæstionem obmutescerent, & quod addit Augustinus, *ad Deũ plangerent, & illi suspirarent antequã viderent.* In promptu erat respondere facile esse illi, quod petebat, *ostendere quem colerent*, si modo nostris sacris initiaretur: Neq; enim fas esse alios quod colebant quam initiatos aspicere; ex familiari apud ipsos Paganos disciplina, quæ suoru m-

r De cult. rel. obj. L 2. c.2 . p 317.
s August. in Psal.27. p 612. A. col.1.

suorum sacrorum ἐποψίαν aliis, quam plane initiatis, non concedebat. Quid, quod Augustinus apertissime significat, non ipsis tantum Paganis, qui profani erant & ἀμύητοι, sed ne nostris quidem fidelibus, quamlibet initiatis, ostendi id potuisse, quod colebant? quos dicit scilicet suspirare ad Deum suum *antequam eum videant?* His enim verbis intelligit, nos hic in terris positos *suspirare* ad Dominum, neque eum *videre* donec in cœlo simus. Quod vero ideo se invenire negat quod Pagano hæc quærenti *ostendat quia non est cui ostendat*, eo nisi fallor significat non eum esse Paganum, qui quod colimus, ostendi possit; quia scilicet fide caret; mentis oculo, quo uno scilicet & videtur & ostenditur, quod colimus. Unde patet nostros Eucharistiam minime coluisse; ad quam videndam cum Pagano non deessent carnis oculi, nostro non defuisset cui id ostenderet quod colebat, si Eucharistiam quidem quod Latini contendunt, Augustinus & cæteri illius ævi Christiani coluissent. Hunc esse Augustini in his verbis sensum vincit alter ejusdem locus hujus plane geminus; *t In hac* (inquit) *interim peregrinatione sint vobis lacrymæ vestræ panis die ac nocte: dum dicentibus vobis quotidie, Ubi est Deus vester, non potestis carnalibus demonstrare, quod oculus non audivit, nec auris audivit, aut in cor hominis ascendit donec veniatis, & appareatis ante oculos Dei vestri.* Hic ne Deum quidem posse hic in terris ostendi significat; vel certe ad quæsitum non respondet. Iam autem cum *carnalibus demonstrari* eum posse negat, eum quamdiu hic sumus carnis oculis expositum esse negat; Nam cum his *carnales* minime careant, ipsis quoque *demonstrari* posset, si carnis oculis conspici posset. Spiritualibus vero oculis patere eum hoc ipso intelligit, quod *carnis* oculis videri non posse dicit. At si in Eucharistia Deus ipse esset eum profecto etiam in hac vita tam carnis quam mentis sive spiritus oculis demonstrari nihil prohiberet. Eadem alibi, etiam clarius atque disertius eloquitur, ubi de Christo Domino verba faciens, *u Credimus in eum* (inquit) *jam sedentem ad dexteram Patris; sed tamen quamdiu sumus in corpore, peregrinamur ab eo nec eum dubitantibus vel negantibus & dicentibus. Ubi est Deus tuus, valemus ostendere.* Quid ni Augustine, quem in Eucharistia, tenuissimis panis vinique speciebus levissime velatum habes in manibus, si Latinis quidem credimus, qui se tuos esse posteros gloriantur? Ille vero, quicquid Latini dicant, fortiter negat Eucharistiam *unum esse Dominum Christumque*, vel *à se latria coli*; qui se *valere* negat *ostendere* eum *dubitantibus*; quod de Eucharistia dici non potest, quam sciunt omnes impiis ostendi & ab iis videri posse. Atque hic locus totidem verbis in alio quoque sermone legitur, qui inter Augustinianos de tempore num. 157. ante hac circumferebatur; nunc in nothorũ censum à Lovaniensibus magno suo merito trãscriptus est. Hominis enim est stupidi juxta & impudentis, qui illũ de diversis sermonem fere totum, sed nullo judicio expilavit. Huc quoq; pertinet ex eodẽ de diversis opere insignis Augustini locus; *Si litigare* (inquit) *mecum velis, mihique dicere, Quem Deum colis? Qualem*

CAPUT XXXIX.

t Id. Serm 8. de divers. c. 5. p. 458. A.B.

u Id. serm. 74. de divers. c. 4. p. 549. A.B.

x In Appẽd. T. 10. Serm. 86. p. 710. col. 2.

y Id. de div. Serm 12. c. 3. p. 4. 1 A.

z Id. ibid. c. 3 B.

Caput XXXIX. *Qualem Deum colis? Ostende mihi quod colis, respondebo, Etsi est, quod ostendam, non est cui.* Tum paulo post; *Noli* (inquit) *contendere, noli litigare, exigendo à me qualem Deum colo. Non enim idolum est, & digitum extendo, & dico tibi, Ecce Deum quem colo; aut aliquod sidus est, aut aliqua stella, aut Sol, aut Luna, & extendo digitum in cœlum, & dico, Ecce quod colo. Non est quo digitus extendatur; sed est quo mens extendatur.* Deum quidem esse affirmat, quem ostendat, negat esse, cui ostendat; quod qui eum sibi ostendi petebat, impuro & occæcato corde esset, Deoque propterea frui non valeret; ut ipse docet *a* in sequentibus, *Ego* (inquit) *ostendo, quis habitet in cor tuum, qui vis videre Deum.* (Intulerat autem illum mundare cor suum.) *Hoc enim dixeram, est quod ostenderem, sed cui non est.* Cæterum clarissime nos docet, non posse id quod colitur digito monstrari, & *dicier hic est*; instar idoli, quod intento in id digito ostenditur; vel instar sideris, quod eodem quoque modo monstratur. At si ille Eucharistiam *coluisset*, profecto falso, ne dicam impudenter, negaret id quod colit, posse intento digito monstrari, & dici, *Ecce quod colo*, qualiter Pagani simulacra, & sidera quæ colebant, ostendebant. Clarum enim est Eucharistiam ita monstrari & ostendi posse, & quidem tanto certius quam sidera, quo propius. Falso quoque diceret esse quidem quo mens extendatur, non esse tamen quo digitus extendatur. Quicquid enim in certo loco existit, oculis humanis expositum, eo monstrantem digitum intendere nihil vetat. Itaque in Eucharistia est & quo digitus, & quo mens extendatur. Non ergo Eucharistiam Augustinus, vel cæteri ejusdem memoriæ Christiani colebant; cum quod colebant, hujusmodi esset, quo mens quidem, extendi posset, digitus vero non posset.

a Ibid. c. 5. p. 462. A.

CAPUT XXXIX.

Argum. XXXV inde sumptum, quod veteres ex Eucharistiæ latria nunquam æternam & ὁμοούσιον Christi divinitatem contra Arianos probant; quam non erant in illa causa omissuri, si ea jam tum in Ecclesia solennis fuisset. Refellitur Perronii in hac causa vanitas; & ex veris certisque demonstratur Arianos Filium non eodem cultu coluisse, quo Patrem, & alia contra hanc thesin argumenta assoluuntur. Religiosi cultus Arianos constituisse duas diversas species; superiorem, unius Patris, inferiorem Filii.

EA exsecuti, quæ nobis in veterum adversus Paganos disputationibus Eucharistiæ adorationi repugnantia occurrebant; nunc ad ea veniamus siqua ejusmodi supersint in eorum contra hæreticos certaminibus. Ac ex primis quidem ad a.D.300. seculis jam alibi *b* observavimus, illam Eucharistiæ latriam, si tum obtinuisset, utilissimam atque efficacissimam futuram

b L. 2. de relig. cult. obj. c. 29. p. 318.

futuram fuisse ad confodiendum Ebionæorum & Marcionitarum errorem; neque tamen allatam unquam fuisse agnosci in utraque hæc causa ab illius memoriæ Patribus; quod magno est ut videtur argumento tum ignotum fuisse nostris hominibus illum cultum, quem si scivissent orthodoxi Theologi non erant in hujusmodi disputationibus omissuri. Superest ut sequentium seculorum hæreses & orthodoxorum cum iis certamina inspiciamus, siquid forte in iis reperiatur, quod huic nostræ causæ lucem aliquam adferre possit. CAPUT XXXIX.

Sub ipsa quarti seculi initia erupit teterrima Arij hæresis, qua plurimos passim sua lue infecit, ac diutissime Ecclesiam vexavit. Hujus dogma erat palmarium, Iesum Christum meram esse creaturam, principem quidem, & Deo proximam sed ita tamen ut essentiæ esset ab eo diversæ. Huic ut omnes vident, errori refellendo potentissimum telum suppeditabat illa in religioso cultu suprema adoratio, quam nunc Latini latriam vocant. Cum enim hic cultus unius veri ac sempiterni numinis proprius ita sit, ut nulli præter ipsum, deferri absque gravissimo scelere possit; palam est si cum Eucharistiæ ab Ecclesia Christiana universa tribui solenne erat, vel Ecclesiam idololatriæ ream futuram fuisse, vel certe Eucharistiam vere esse summum & Patris æqualem Deum. Quid clarius? Si ergo hic cultus jam tum apud omnes Christianos receptus fuisset, nemo dubitare debet quin Patres, qui adversus Arianos duo & amplius secula magno numero & summa ingenij vi pugnarunt, tam validum tamque evidens veritatis, quam tuebantur, argumentum in hac agenda causa fuerint adhibituri. Atqui ex tam multis sapientia, eruditione, ingenio, arte, solertia, atque acumine præstantissimis viris, qui hanc controversiam summa diligentia tractarunt, nullus reperitur, qui cultum Eucharistiæ Arianorum impietati objecerit. Fieri ergo non potest, ut hic latriæ cultus jam illis temporibus Eucharistiæ à Christianis deferretur. Perronius cum hoc ab adversario objectum esset, ferociter ac plane Thrasonice declamitat, c imo albis quadrigis veluti prælio fœliciter confecto, invectus triumphat, nihil adversarium hoc suo argumento aliud, quam inscitiam cum suam tum eorū prodere, à quibus illum sua accepisse per immanem calumniam falso, audacter ac temere fingit, quos totius antiquitatis rudes ac ignaros fuisse ex hoc specimine arguit. Denique adversario ita argumentanti defuisse affirmat memoriam; defuisse judicium. Sed mittamus maledicta, quæ Perronius suo & sophistarum more ubique larga manu spargit in adversarios, non alia mente, quam ut iis invidiam concilie. Quid ad rem ipsam dicit? Certe consecutionem argumenti non negat, quæ est evidentissima. Si honore & cultu veri & æterni Dei proprio adoratur Eucharistia; Ergo Eucharistia sive quod ea continetur, verum & æternum est nomen, Deo Patri. ὁμοούσιον. Sed neque id negat, quod assumpsimus, & in eos qui Christi τὸ ὁμοούσιον non agnoscunt, Patres hoc Eucharistiæ cultu, si solennis ac publicus fuisset in Ecclesia, uti debuisse, &, Patres ea objectione nunquam contra Arianos esse usos. Tantum quod non

c Perron. l. 3. de Euch. c. 10. p. 870.
d Ibid. p. 872.

Caput XXXIX.

sint usi eam fuisse dicit rationem, non quam nos inde conclusimus, quod scilicet eorum tempore nullus esset hujusmodi Eucharistiæ in Ecclesia cultus, sed quod Ariani quibus cum iis erat negotium, quantumvis τὸ ὁμοούσιον Filij cum Patre negarent, eodem tamen cultu sacramentum cum Ecclesia adorarent, quo ipse Pater adoratur. Itaq; inane & superfluum futurum fuisse id iis objicere de quo ipsi cōsentirent. Id tantum confirmandum fuisse, quod illi negabant; summum scilicet religiosi cultus apicem, qui Patri debetur, ac defertur, ita ejus esse proprium, ut creaturæ cum eo communis esse nequeat, verbi gratia Filij ex eorum blasphema hypothesi à Patre creati. Ergo omnis nunc Perronij labor in hoc uno versatur, ut refellat quod nos (ut loquuntur) supposuimus; Filium ab Arianis non fuisse adoratum eodem plane cultu quo & ab iis & à Catholicis adorabatur Pater, sed diverso atque inferiori. Ac primo quod ille probare instituit, id portentosum & incredibile videtur; fuisse nimirum aliquando homines sensus cōmunis & rationis compotes, qui quem ex nihilo creatum, quem infinitis spatiis Patre minorem esse contendebāt, quem Patris servum, cultorem & adoratorem esse affirmabant, ei tamen honorem ac cultum plane eundem cum eo esse debere putarēt, qui ejus Creatori, Domino numini necessario summus debetur & re vera in Ecclesia secundum Scripturas exsolvitur. Honorem enim ejus cui redditur, dignitati parem atque analogum esse decet; ut non hominum, sed animalium ratione carentium illud decretum fuisse necesse sit, quod Arianis hic tribuitur; quasi illi honorem Filio Dei deberi eumdem docerent cum eo, qui Creatoris, ac conditoris sui legitimus est; neque Creatorem immensis ac infinitis spatiis, creatura omni excellentiorem alio honoris ac cultus religiosi gradu adorandum esse putarent, quam quo creatura ipsa digna esse possit. Sed neque illud simpliciter & absolute verum est, quod Censor noster confidentissime & magna cum pompa hic figit ex omni antiquitate constare, Arianos scilicet in ea sententia, quam illis affingit, fuisse. Si noster ille summus Antiquitatis promus condus omnes ejus angulos accurate lustrasset, plures fortasse testes qui illud traderent reperisset. Nos certe rudes & imperiti quos ille adductis superciliis tantopere despicit, unum & alterum objiciemus. Nam si Filium (quod vult hic Aristarchus purpuratus) omnes Ariani eodem quo Patrem cultu adorabant; quid sibi vult Vigilius Afer, Tapsitanæ Ecclesię Episcopus, ante hac sub nomine Idacij Clari contra Varimadum editus, dum Arianos dicentes inducit, *e solum Patrem à fidelibus adorari?* Idem quoque de Arianis testatur *f* Fulgentius, & ipse Afer Ruspensis Episcopus; *Non est mirum* (inquit) *si illi, quos malitia sua (sicut scriptum est) excæcatos veritas ipsa, quæ lux est vera deseruit, quorumque squalentem perversi cordis oblatū vani erroris obscuritas circumsepit, inseparabilem Trinitatem, quam substantiali diversitate disparem prædicare non dubitant, consequēter HONOROFICENTIÆ quoq; IMPARI OFFICIO dissipare contendant.* Neq; aliter de iisdem scribit *g* Gregorius Nyssenus. *Christi passionem iis esse impedimento, quominus unigenitum Deum æqualiter ac Patrem, qui ipsum genuit, glorificent,* τοῖς δὲ τὸ πάθος ἐμπόδιον

e Vigil. L. 1. contr. Varim. c. 58.

f Fulg. L. 2. ad Monim. c. 2. p. 74. B.

g Greg. Nyss. L. 4. contr. Eunom. T. 2. p. 588. B.

γίνεται

γίνεται πρὸ τοῦ δοξάζειν τὸν μονογενῆ θεὸν ἐπ' ἴσης τῷ γεγεννηκότι πατρί. His consentanea habet Cyrillus Alexandrinus dum Arianos ad obiectum à Catholicis illud Christi, *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*, ita respondentes inducit, *b Si ex eo quod scriptum est inquiunt, Vt honorificent Filium, &c. existimatis Filium ÆQVALIBVS cum Patre HONORIBVS esse decorandum, nescitis à veritate longe vos abesse.* εἰ διὰ τὸ λέγεσθαι φησὶν, ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, &c. νομίζετε χρῆναι τὸν Υἱὸν ἰσομέτροις τοῦ Πατρὸς ἀποσεμνύνειν τιμαῖς, ἀγνοεῖτε τῆς ἀληθείας μακρὰν τε βεβηκότες. Qui Patrem *solum* teste Vigilio, adorare se dicebant; ii-ne quæso, Filium vno illo eodemque cultu adorabant, quo Patrem? Qui teste ac auctore Fulgentio ac Gregorio Nysseno impari honorificentiæ officio Trinitatem dissipabant, neque Filium *æqualiter ac Patrem glorificabant*: ii-ne eodem quo Patrem, cultu Filium quoque adorabant? Qui procul à vero Catholicos aberrare teste Cyrillo, putabant, existimantes *Filium æqualibus cum Patre honoribus* esse *decorandum*; ii-ne hoc ipsum quod vult Perronius, affirmabant & factitabant cum Catholicis? Iam si quod Latini volunt, vetus erat & ab initio ad Arij vsque tempora propagata traditio, Eucharistiam ipso illo cultu adorandam esse quo Patrem omnes Christiani adorant; Si hæc omnium erat Arianorum, æque ac Catholicorum, consors, consentiensque fides ac praxis; certe quicquid Perronius obstrepat, non videtur ex ea iners aut infirmum duci potuisse contra Arij blasphemiam argumentum. Esto enim quod Latini defendunt; Ariani summo religionis cultu eo ipso, quo Patrem colebant, Christum in Eucharistia vna cum Catholicis ex prima eaque totius Ecclesiæ communi traditione coluerint. Nonne hoc Eucharistiæ siue Christi in Eucharistia ab illis delato cultu altera illa eorum assertio clare liquidoque euertitur, qua *solum* (quod ait Vigilius) *Patrem adorandum* decernebant? qua Filium (quod tradit Nyssenus, & post eum Cyrillus) *non æqualiter ac Patrem glorificabant*? Si hæc idem omnes intelligunt Catholicis ad refellendas illas Arianorum blasphemias, non insulse aut ridicule (quod cauillatur Perronius) sed sapienter ac valide illam Eucharistiæ adorationem eandem ex Latinorum hypothesi cum Patris adoratione, illis fuisse objecturos: Quæ hæc est insania, vt cui Christo vnum eundemque ac Patri cultũ in Eucharistia quotidie nobiscum exhibetis, ei Patris essentiam ac naturam negetis? adorandum confiteri nolitis, quem tamen quoties è sacra mensa in pane porrigitur, ipsi nobiscum adoratis? Stupet, qui non sentit hoc argumentum plane inuictum ac decretorium in Arianos futurum fuisse, si quod Latini pugnant, id verum esset, omnem scilicet Ecclesiam & ipsos cum ea Arianos summo Patrisque proprio cultu Christum in Eucharistia latentem adorasse. Atqui tam efficax argumentum nemo veterum Theologorum in hac caussa attulit; non Athanasius, non Augustinus, non quisquam cæterorum, quorum numerus vix iniri potest: ne ipse quidem Vigilius. Hunc enim certe Arianis negantibus quod ipse ait, Christum adorandũ, utiliter ac efficaciter objecturum fuisse Eucharistiæ latriam Perronius

CAPVT XXXIX.

b Cyrill. Alex L. 2. in Ioan. cap. 8. in Ioan. 5. 21. T. 4. p. 226. E.

Caput XXXIX. non erat negaturus, qui quominus ea à Patribus in hac caussa objiceretur, hac vna ratione factum esse putat, quod Ariani scilicet Filium ipsi quoque vna cum Catholicis adorarent. Atqui ne Vigilius quidem hoc telum Varimado Ariano quem toto libro oppugnat, hoc in loco objecit, solum Patrem adorandum diserte pronuntianti. Sed hic nobis Perronius densam testium de sua antiquitate nubem excitat, Filium ab Arianis *adoratum* fuisse vna voce affirmantium; neque id solum, sed hoc insuper eos docuisse tradentium Filium ab Angelis, imo & ab ipso *Spiritu Sancto* & adorari, & re vera esse adorandum. Primo Arianum hominem in Sermone quodam suo hæc ita profitentem inducit *i* *Filius adorat & honorat Patrem; Spiritus adorat & honorat Filium.* Et paulo post; *Filius* (inquit) *ut sacerdos adorat Deum suum; & ab omnibus adoratur, vt Deus, & creator omnium. Pater vero solus nullum adorat quia majorem nec æqualem habet, quem adoret.* Item: *Sicuti nemo potest sine Filio ad Patrem transire: ita nemo potest sine Spiritu Sancto Filium in Spiritu Sancto adorare.* Tum Maximum, Episcopum Arianum, eadem docentem affert, *k* *Nos Christum colimus, ut Deum omnis creatura. Nam quia adoratur & colitur, non tantum ab hominum natura, verum etiam ab omnibus cœlestibus, audi clamantem B. Paulum, Hoc enim sentite &c. Dicendo enim, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, universa conclusit. Nihil est in cœlo quod non genu flectat Christo. Nihil remansit in terra, quod non genu flectat Christo. Nihil in inferis, quod non genu flectat Christo. Et hoc Pater ei donavit.* Tum paucis interjectis; *l* *Autoritate sanctarum Scripturarum adoramus Patrem: Æque ab ipsis divinis Scripturis instructi colimus & adoramus Deum Christum. Si alicubi adorandus sit Spiritus Sanctus; si Pater sic ei perhibuit testimonium: si Filius, si ista amplexus est, lege præterquam diximus ex divinis Scripturis.* Hæc Perronius diserta in speciem pro sua assertione ex ipsis Arianis testimonia citat. Sed ille ingenio suo abutitur, & lectoribus imperitis dum sic agit, apertissime illudit; Quod vt pateat, inprimis observandum est, quid illi probandum incumbat. Ille autem decrevit Christum ab Arianis *adorari*, non quovis religioso cultu, sed eo ipso quem nunc ipse cum Latinis Eucharistiæ sacramento in veneratione deferendum putant, id est eo cultu, quem Tridentina Synodus, *latriæ cultum, uni Deo debitum esse* difinit. *m* Ipse hoc de se diserte professus est hoc in loco, vbi ex Athanasij loco, qui postea recitabitur, notat Arianos creaturam adorasse non quovis, sed *latria* cultu. *Latriam* autem eo sensu accipit, quo apud Latinos sumitur, pro ea religiosi cultus parte, quæ vnius Dei propria est. Iam vero ab eo allata Arianorum ex Augustino testimonia Christum ab iis *adorari* simpliciter & in genere perhibent; de cultu unius Patris proprio, nullum verbum dicunt. Itaque hactenus quidem Perronius id quod intendebat, minime probavit; sed in voce *adorandi* ambigua sophistice ludens, offucias meras lectori offudit; Plane ac siquis

es

i Serm. Arian. §. 18 33. 34 apud Aug T 6. p. 272. c. 6. p. 273. A.

k Aug. L. 1. contr. Maximin. T. 6. p. 288. col. 2. D.

l Ibid. 28. B. 9

m Conc. Trid. Sess. 13. c. 5.

ex aliquo Latinorum scriptorum loco, quo Mater Virgo, vel adoranda esse, vel non ab hominibus tantum, sed etiam ab Angelis adorari diceretur, concluderet Latinos latriæ cultum Virgini deferre. Qui sic argumentaretur, cum Latini irriderent, ac dicerent adorationem religiosam non esse omnem vnius, ejusdemque ordinis; divinam vni se Deo exhibere, Aliam esse quam B Virgini deferunt. Hujus geminum est sophisma, quo nunc Petronius nos ludit. Christum eodem quo Patrem cultu adoratum fuisse ab Arianis ex eo perperam inferens, quod illi se Christum adorare aliquando, ut in locis recitatis, profiteantur. Nam & illi olim vt nunc Latini plures adorationis sive species, sive gradus distinguebant; Neque se confitebantur eandem Filio deferre quam Patri deferebant; idque inde primo intelligitur, quod Christum à se adorari interdum ajebant, ut Maximinus, & auctor Sermonis apud Augustinum; interdum negabant, ut Varimadus apud Vigilium loco nuper à nobis adducto, *n* in quo ille *adorandum solum Patrem* dicit, adeoque Filium negat; Plane ut nunc Latini in eodem æquivoco vocabulo ludentes, & à se B. Virginem, Angelos, Divos & sacra eorum simulacra adorari modo ajentes, modo negantes; quo ipso clamant se id verbum aliter atque aliter accipere. Arianorum eadem ratio esse debet. Neque enim credibile est quemquam idem de eodem & affirmare & negare eodem prorsus sensu. Secundo id ipsum quoque inde intelligitur, quod iidem ita se Christum adorare dicant, ut ei Sacrificium immolandum negent; Id enim non alij, quam Patri immolandum docebant. Vigilius Varimadum Arianum oppugnans; *o Si vero* (inquit) *dixerint* (Ariani) *in hoc Pater Filio major esse docetur quia illi soli sacrificium immolatur*, &c. Ita etiam Fulgentius de Arianis verba faciens; *p Dei* (inquit) *vnigenitum Filium, Deum scilicet verum, nec glorificare cum Patre consentiunt, nec vno eodemque sacrificio pariter honorari permittunt* : & paulo post : *Nos dicimus sacrificium non soli Patri, sed simul vnum Patri Filioque offerri : illi autem* (Ariani scilicet) *Patri SOLI existimant immolari.* Idem tertio abhinc capite; *Cum Filio SACRIFICIUM non offerunt, à fide Patriarcharum ac Prophetarum miserabili obduratione desciscunt.* Itaque Fulgentius ad hanc lineam consistit, multisque contra istorum impietatem ex Veteri Testamento argumentis solerter & accurate demonstrat *s* sacrificium Filio fuisse oblatum, & sub novo pariter fœdere ex Sophoniæ prophetia ostendit *spiritales hostias non Patri tantum, sed etiam Filio à fidelibus offerendas. t* Sed & in alio contra Fabianum, virum apud suos Arianos celebrem, opere eadem Fulgentius iisdem argumentis vrgere, ac disputare videmus, in prolixo fragmento, quod vna cum aliis non paucis Franciscus Chiffletius nobis Iesuita ex libris manuscriptis edidit. Cum enim Fabianus in rem suam mentitus esset Fulgentium *semper firmasse soli offerri omne sacrificium Patri*, quasi ille scilicet idem hac de re cum Arianis sensisset, noster

CAPVT. XXXIX.

n Vigil. L. 1. advers. Varimad. c. 58.

o Id. ibid. c. 51.

p Fulg. L. 2. ad Monim. c. 2 p. 74. D.

q Id. ibid. c. 8. p. 75 B.

Ibid c. 5. p. 78. D.

s Ibid c. 3 4. & 5.

t Ibid. c. 5 p. 78. B.

u Id fragm. 34. quo est ex L. 9. Fulg. contr. Fabian p. 232.

Caput XXXIX. hoc ejus mendacium refutat *u* negans *se aliquando id dixisse, vel nunc dicere. Sancta enim* (inquit) *Ecclesia Catholica non soli Patri, sed simul sanctæ sacrificat Trinitati.* Filio vero nominatim sacrificium rite offerri præter cætera argumenta inde probat, *x* quod ei Magi adhuc infanti *thus suppliciter obtulerunt; Thus autem* (inquit) *certum est in sacrificiis Deo semper offerri.* Multa alia hac de re prosecutus, *y Quocirca quisquis* (inquit) *sacrificium, quod offertur Patri, negat Filio & Spiritui Sancto, alienum se esse cognoscat à Christi membris.* Quorsum hæc ille tam fuse tanta diligentia explicaret, si de hac re adversarium id est Arianum, habuisset, quod fabulatur Perronius, secum consentientem? Iam vero nemo nescit, Latinos non solum concedere, sed etiam pugnare ac contendere sacrificij oblationem potissimam esse & maxime propriam partem cultus Deo debiti, quem & ipsi & Fulgentius, *z* tametsi alia atque alia mente *latriam* vocant. Quem ergo cultum Ariani se Christo concedere profitebantur, non erat is quem Perronius & ejus consecranei *latriam* vocant; à quo illi scilicet sacrificium potissimam latriæ partem, exclusam volebant. Tertio idem inde perspicitur, quod Ariani Patrem tantum non etiam Filium *invocari*, aut *invocandum esse* docebant. Fabiani eorum in Africa signiferi hanc fuisse sententiam testatur *a* Fulgentius: *Dicis* (inquit eum alloquens) *quod sive oratio Dominica, sive omnes orationes communes & preces nonnisi ad solius Dei Patris personam rite fundantur.* Quem eorum errorem fuse atque operose Fulgentius multis ex utraque veteris & novi Testamenti scriptura testimoniis refellens, demonstrat *b* Filium fuisse à fidelibus *invocatum*; *Invocationem* autem ad latriam pertinere notum est. Arianos ergo latriam Filio detulisse quod affirmat Perronius, falsum est. Quarto Gregorius Nyssenus, quod jam supra observatum est, hoc inter Catholicos & Arianos discrimen constituit, *c* quod *illi quidem Christum sic arbitrentur colendum esse & honore afficiendum, sicut Pater colitur & adoratur*, οὕτως τιμᾶν δεῖν καθὼς τιμᾶται ὁ πατήρ, sive, ut mox idem discrimen inculcans dicit, *d* quod *illi Filium æqualiter ac Patrem adorent*; προσκυνοῦσιν ἴσα πατρὶ τὸν υἱόν, Ariani vero unigenitum Deum, *haudquaquam æqualiter ac Patrem glorificarent*, μὴ δοξάζειν τὸν μονογενῆ θεὸν ἐπ' ἴσης τῷ γεγεννηκότι πατρί. Glorificare enim τὸ δοξάζειν idem esse quod *colere, honorare, adorare*, τιμᾶν προσκυνεῖν, vincit oppositionis inter orthodoxos & Arianos institutæ ratio; præter insitam ipsius verbi vim. Atque id ipsum quinto clarissime significant ea quæ hoc eodem loco de Eunomio, nobilissimo Arianismi ramo tradit *e* Nyssenus; *Perspicuum est* (inquit) *quod hujus* (passionis) *caussa Patrem supra Filium ponit MAIORIBUSQUE auget honoribus*, δῆλον ὅτι τούτου χάριν ὑπερτίθησι τοῦ υἱοῦ τὸν πατέρα καὶ ταῖς ΜΕΙΖΟΣΙΝ ἀποσεμνύνει τιμαῖς. Sexto id ipsum luculentissime confirmat Cyrillus cum in loco nuper à nobis recitato tradit *f* Arianos non modo *Filium æqualibus cum Patre honoribus decorandum esse* negasse, sed etiam eos

x Ibid. p. 233. extr.
y Ibid. p. 238.
z Fulg. ibid. 236.
a Fulg. L. 9. contr. Fabian Fragm. 31. in 219.
b Ibid. p. 220. 221. &c. 224.
c Greg. Nyss. contr. Eunom. Orat. 4. p. 580 B.
d Ibid. 580. D.
e Ibid. C.
f Cyrill. Alex. L. in Ioan. p. 216. B

eos reprehendisse veluti à veritate longe recedentes, qui aliud sentirent & ex disertissimo Ioannis 5. 23. testimonio putarent Filium æqualiter cum Patre honorandum. Hinc luce meridiana clarius liquet falsissimum esse, quod hic nobis Petronius pro re verissima obtrudere ausus est, Arianos scilicet Filium adorasse eodem quo patrem, cultu. Sed & ipse postremo Maximinus, non obscure innuit diversissimos fuisse honoris cultusque gradus, quos ipse cum suis Arianis Patri, Filio, ac Spiritui Sancto exhibebant, dum apud Augustinum de Spiritu Sancto pulsatus, suam de Trinitatis cultu sententiam ita breviter aperit; *Nos* (inquit) *Spiritum Sanctum competenter honoramus, ut Doctorem, ut ductorem, ut illuminatorem, ut sanctificatorem; Christum colimus, ut Creatorem; Patrem cum sincera devotione ADORAMUS, ut auctorem* (Christi scilicet & Spiritus Sancti) *& unum auctorem ubique omnibus pronuntiamus.* De Spiritus quidem honore iste tam exiliter tamque jejune loquitur, ut eum ne adorasse quidem eo adorationis genere videatur, quo Filium adorabat. Nam cum paulo ante hæc verba quæ sunt à Petronio allata dixisset *Auctoritate Sanctarum Scripturarum adoramus Patrem; æque ab ipsis divinis Scripturis instructi colimus & adoramus Deum Christum* ubi ad Spiritum Sanctum ventum est, hæc de eo statim subjicit, *h Si Pater sic ei perhibuit testimonium, si Filius, si ipse de se ista amplexus est, lege præter quam diximus ex Sanctis Scripturis.* Si adorasset, clare id ac rotunde esset elocutus. Nunc ut de re apud se dubia, jubet Augustinum si quid de ea re, modo ex sacris scripturis habeat, id promat ac secum communicet. Iam de Filio, quid cum opus erat seorsum à Patre edere, si uno eodemque cum eo cultu adorandum putabat? Cur non quod brevius erat & disertius dixit; Christum & Patrem, ut ὁμοτίμως adoramus? Huc accedit, quod cum à se coli profitetur, non ob divinam aliquam naturæ suæ eminentiam, sed ob beneficium; *Christum colimus* (inquit) *ut Creatorem.* Tametsi enim Christum creatum esse à Patre dicerent, adeoque in creaturarum ordine censerent, nihilosecius eum (quod profecto crassum delirumque erat) volebant cœli ac terrarum & omnium quæ iis continentur, Creatorem fuisse. De Patre vero non ita, sed plene ac magnifice; *Patrem* (inquit) *cum sincera devotione ADORAMUS.* Tardus est, qui non intelligit ex tam dispari elogiorum & elocutionis genere longe diversum fuisse honorem, quem iste Patri deferri vult ab eo, quem Filio à se tribui dicit. Sed & idem ille Maximinus, qui loco à Petronio citato Filium ab omnibus non modo hominibus, sed & virtutibus cœlestibus, imo & à Spiritu Sancto coli & adorari dicit, eundem alibi à quoquam coli negat, ubi ita scribit, *i A nobis* (inquit) *unus colitur Deus innatus, infectus, invisibilis, qui ad humana contagia, & ad humanam carnem non descendit;* quibus verbis *cultum*, quem dicit, uni Patri tribuit, & ab eodem Filium cum cæteris omnibus excludit. Nam dum Patrem, qui unus colitur, *innatum, infectum ad humana contagia*

CAPUT XXXIX.

g Maxim. apud Augu. L. 1. contr. Maxim. T. 6. p. 289. C. col. 1. §. 5.

h Ibid.

i Ibid p. 286. col. 2. B. §. 2.

Capvt XXXIX.

non descendisse dicit, eo ipso Filium coli negat, quem scilicet natum & factum, & l ad humanam naturam sine ulla peccati labe, ut ibi explicat, descendisse docet; plane ut ejusdem sectæ Varimadus *solum patrem adorandum* dixit. Vnde necessario sequitur Maximinum verbum *colere* & *adorare* alio atque alio sensu accepisse, dum Filium coli idem & ait & negat; de inferiori cultus gradu, dum ait; de summo & unius Patris proprio, dum negat; ut supra de Varimado demonstravimus.

His de Arianorum in Patrem & in Filium cultu ita explicatis, facile est aliorum de his allata à Perronio contra nos testimonia solvere. Primum est Ambrosii Arianos sic urgentis; k *Aut igitur desinant colere, quem creaturam appellant; aut desinant, quem colere se simulant, dicere creaturam.* Idem est quod Maximino objicit Augustinus, *A vobis* (inquit) *unum Deum coli dixisti, sicut te loquente advertere potui; Consequens est, ut aut non colatis Christum, aut non unum Deum colatis, sed duos.* Nimirum uterque ita argumentantur, quia repudiato illo secundario religiosi cultus gradu, quem Ariani quidem ponebant, omnis vero Ecclesia ad hoc usque tempus nesciebat, unum simplicissimum veri nominis proprie dictum cultum sive adorationis sive religionis admittunt quem Ecclesia agnoscebat. Recte quidem illi, ac vere. Ex quo ita constituto, evidenter ac necessario sequitur Arianos utrumque simul ac semel tenere non posse; Christum scilicet & esse creaturam, & esse colendum; (quod conclusit Ambrosius) & colendum esse Christum qualem fingebant creatum, & non esse duos Deos. Vnde illud quoque est, quod Ariani cum horum neutrum dimitterent, Christumque eundem & colendum & creatum esse impie contenderent, *idololatriæ* ab omnibus Catholicis dănarentur. Ex his ergo Ambrosii & Augustini testimoniis sequi concedo eum quem Ariani Christo deferebant cultum, revera & ex horum Patrum totiusque Ecclesiæ sententia, fuisse summum, Deo uni debitum cultum; religiosum scilicet, qui totus unius veri Dei proprius & est, & censebatur ab illius ævi Patribus. Eandem vero hoc loco ac numero ab Arianis fuisse habitum, non sequitur; qui per summum mentis errorem, præter unanimem & divinæ scripturæ, & totius ad Arii usque tempora Ecclesiæ doctrinam, ipsum illum cultum, quem Christo exhibendum profitebantur, & religiosum esse aiebant, & eo tamen cultu qui Patris proprius est, inferiorem, diversique ab eo gradus censebant. Atque hæc duo diligenter observanda sunt; quorum hoc posterius satis superque ex ipsis Arianis probavimus, qui dum *solum Patrem adorandum, unumque colendum* sciscunt, neque hilo secius Christum, & à Patre diversum esse, & religiose colendum esse docent; plane (nisi eos delirare & insanire dixeris) statuunt hunc quem Christo, honorem exhibent, ejusdem quidem generis esse cum eo quem Patri soli deberi affirmabant; esse enim utrumque religiosum: non esse tamen, ut loquuntur ejusdem eam eo vel gradus, vel speciei: qui qualisque si esset, ne ab iis quidem negari posset Filii cum Patre communis non solius Patris proprius.

k Ambr. l. 1. de fid. c. 7.
l Aug. l. 1. contr. Maxim. p. 287. C. ad §. 1.

prius. Alterum vero, nimirum Catholicos illorum æque ac superiorum temporum Patres nullum religiosi cultus speciem, nullum gradum alium agnovisse præter eum, qui Patris, adeoque veri Dei proprius est ac legitimus. præter multa alia, hæc eorum adversus Arianos argumentatio invicte probat. Nam si aliquam religiosi cultus partem esse putabant, quæ creaturæ recte ac legitime, nulla veri Dei fraude, deferri posset; nihil absurdius aut infantius illa eorum disputatione dici potest, qua ex cultu Christo ab Arianis delato concludunt, vel Christum non esse creaturam, vel si est, duos ab iis Deos, ambos veri nominis id est impietatis monstrum in Ecclesiam induci. Illud ergo confitendum est nullum eos religiosum cultum agnoscere nisi qui Deo debetur, idque veluti fixum immotumque Christianismi dogma contra novam Arianorum divisionem constanter retinuisse. Vnde intelligimus, non modo à superioris ad an. D.300. ævi Theologis, sed ne ab his quidem, qui postea quarto sæculo, & prima quinti parte floruerunt, Latinos hausisse religiosi cultus tripertitam divisionem, quæ nunc in eorum scholis regnat: sed eam ab Arianis primo inventam & ad suæ impietatis patrocinium excogitatam, temere ac perperam suscepisse ad ejus cultus defensionem, quem secutis temporibus sanctis cœlo receptis, & Dei divorumque sacris imaginibus attribuerunt. Nam si admitatur quod hi plane ex Arianorum mente docent, non omnem religionem Deo uni deberi; sed quandam esse ejus partem Sanctorum & Angelorum, alteram Mariæ Virginis, tertiam Dei solius legitimam, quas unius ejusdemque generis partes sive species ad singulas vel affictis, vel certe accommodatis nominibus appellant, primam. *duliam*, alteram *hyperduliam*, tertiam denique *latriam*; si hæc inquam admittantur, actum est de omni illa demonstratione, qua hi Patres religionis arcem adversus Arianorum impietatem defendunt. Ariani Ambrosio nullo negotio ex hac quidem Theologia satisfacient, urgenti, ut Chistum vel creatum esse, vel certe colendum esse negent. Nihil, inquient, necesse est. Vtrumque salvum est, si ei cultus inferiorem gradum tribuimus, qui etiam creaturæ est; summum uni Deo servemus, cujus eum proprium esse confitemur Augustino inde quoque quod unum Deum colendum dicerent consequens esse urgenti, ut vel Christum colendum negarent, vel duos Deos admitterent: ex eadem Latinorum doctrina respondebant se Christum religioso quidem cultu dignari, non tamen summo, quem unius Patris proprium esse confiteantur, sed inferiori, quem etiam Sanctis & Angelis, quanto magis Christo principi & auctori creaturarum omnium, absque Patris injuria tribui posse putent? Certe si Virgini Matri, si Angelis, si Sanctis eos honores nulla divini cultus fraudede ferre fas est, quos iis nunc à Latinis deferri videmus: falsum est & ἀναμάλυϑον; quod hi Patres negant posse Christum religioso cultu adorari, nisi ex creaturarum censu eximatur, & alius à Patre novus Deus instituatur: cum quæ B. Virgini, Sanctis & Angelis defertur utique religiosa hyperduliæ CAPUT XXXIX.

vel

vel dubiæ adoratio, his neque creaturarum subjectionem detrahat, neque novæ divinitatis nomen & elogium asserat. Itaque ex hac Ambrosii & Augustini argumentatione Perronius quidem recte concluserit quod nos libenter concedimus, & Arianos & se ipsum cum suis Latinis, falso & præter veteris illius Ecclesiæ fidem opinari cultum religiosum aliquem esse qui creaturæ idem sit legitimus: Arianos vero olim non fuisse opinatos vel non opinari nunc Latinos aliquem esse creaturæ legitimum cultum, qui sit religiosus, Perronius hinc male concludit. Nostros certe Theologos, quoties ex sua sententia & ea quidem vera argumentantur Latinis vel esse negandum Sanctos religiose colendos, vel confitendum plures esse Deos: nemo ideo dixerit hoc eos Latinis quoque tribuere, quod Dei unius proprium eum cultum esse dicant, aut putent, quem ipsi Sanctis deferunt. Hoc tantum nostros qui sic agunt recte concluseris sensisse, quem Latini Sanctis deferunt religionis cultum, eos falso opinari non esse Dei proprium. Nullam vero vim contra nos habet Nicænorum in Synodo septima testimonium, ubi dicunt *m* ab Eusebio Pamphili *Filium & Verbum Dei creaturam & ministrum Patris, simulque secundo adorandum* vocari. κτίσμα τὸν υἱὸν καὶ λόγον θεοῦ ἀποκαλεῖ καὶ δεύτερον προσκυνητόν. *Adorandum* ab eo dici aiunt: Summo & Patri uni debito cultu adorandum (quod Perronio probandum erat) non dicunt. Si dicerent, falso dicerent. Nam Eusebius, si re vera quod illi volunt, Arianus fuit, Filium colendum quidem sensit, non tamen pari cum Patre cultu, ut est à nobis demonstratum sensisse Arianos, horum Nicænorum hac in parte similes: qui imagines, id est creaturas, adorandas σχετικῶς esse cum definiant, quanto minus indignari debebant, quod Ariani, Filium, quem intelligentem esse prædicabant, tametsi Patri ὁμοούσιον esse negarent, secundario cultu ac σχετικῶς adorant? Superest illustris Athanasii locus *n* à Perronio allatus; *Quid (inquit) Arianis cum Scripturis, aut quid eas proferunt homines isti, qui creaturam asserunt Dei verbum, & ut Ethnici solent, cultum exhibent Creaturæ, omisso Creatore?* τί δὲ καὶ τοῖς Ἀρειανοῖς αἱ γραφαί: καὶ τί ὅλως ταύτας προφέρουσιν, ἄνθρωποι κτίσμα λέγοντες εἶναι τὸν θεοῦ λόγον, καὶ ὡς ἂν Ἕλληνες λατρεύοντες τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα; Exponit quid de Arianis ipse cum tota illius temporis vera & Orthodoxa Ecclesia sentiat, eos nimirum λατρεύειν τῇ κτίσει, *latriam creaturæ exhibere* (quod ego verissime ab eo dictum esse non modo concedo, sed etiam probo ac contendo) Arianos id ipsum quoque de se confiteri, & ita suis tradere summo Deique proprio cultu adorandum esse illum ipsum Dei Filium, quem creaturam esse censebant, hoc inquam neque dicit Athanasius, neque sane verum est, ut nuper demonstravimus. Atque ita frustra est inanis Perronii de verbo λατρεύοντες observatio Fateor id verbum & , quod alibi fuse probatum est, alia consimilia προσκυνεῖν, θρησκεύειν, δουλεύειν, λατρεύειν, σέβειν, *adorare, colere, servire*, &c. apud Ecclesiasticos primæ ad Athanasium memoriæ scriptores nunquam

m Syn. Nic. 2. Act. 6. Tom. 5 p. 627. edit. Rom.

n Athan. p. 286. D.

o Perr. ub. supr. p. 870. init. L. 1. de relig. cult. obj c. 6.

quam aliter quam de summa Deique unius propria adoratione acci-pi, quoties quidem ad religiosum cultum significandum usurpantur. Perronius vero, quod nonnulla ex iis verbis, ut *δουλεύειν, προσκυνεῖν*, jam pridem apud Latinos de eo religionis cultu intelligantur, qui creaturis sanctis à Christianis novo neque ab Apostolis tradito more exhibetur, *λατρεύειν* vero, id est *latria colere*, cum tantum significet, qui Dei proprius est; arrepta hinc occasione, callide quidem, sed tamen falso supponit eandem fuisse apud Athanasium & ejusdem ævi Ecclesiam horum inter se verborum distinctionem; & inde observat præclarum illum scriptorem *τῇ κτίσει λατρεύοντες* de Arianis potius, quam *προσκυνοῦντες* consulto dixisse; ut significaret eos Christum (id est ex sua hypothesi creaturam) non *dulia* aut *hyperdulia* tantum, quod tolerabilius futurum erat scilicet, sed ipsa latria, sic plane ut Patrem, coluisse. Sed vana est omnis hæc ejus subtilitas; & vanum quo ea nititur, fundamentum. Nondum enim nata, aut nota erat Athanasij tempore illorum verborum, nunc apud Latinos familiaris distinctio. Melior & sincerior fuit Latini interpretis fides, qui simpliciter reddidit *cultum exhibens creaturæ*, quod non ideo denotavi, quasi velim hic ab auctore alium cultum quam divinum significari. Et hoc enim verbum & alia quæ recensui, apud scriptores tam divinos, quam Ecclesiasticos illius ævi ubi de cultu religioso agitur, nunquam aliter quam de divino sumuntur; quia neque ullum alium religiosum norant præter eum, qui Deo uni deferri debet. Itaque Athanasius cultum illum religiosum, quem Ariani creaturæ (id est ei quem creaturam esse credebant) deferendum tradebant, eum esse cultum, qui uni Deo debetur, ex suo & Ecclesiæ illius sensu statuit; maxime vero ex Scripturis, de quibus agit, & quibus cum nihil Arianis commune esse dicit, quicquid illi obtenderent, causantes alium esse quemdam religionis cultum, qui creaturæ omnium præstantissimæ, impune tribui possit. Nunquam enim exoticorum cultuum auctoribus ad impietates & superstitiones suas fucandas hujusmodi prætextus defuerunt; quales in hac ipsa causa adhibuisse olim Arianos probavimus. Quo factum est, ut eos vir sanctus (tametsi non ignoraret cultum quem rei ex sua fide creatæ decernebant jactare solitos infra eum esse, qui Patri debetur, quemque à se *unum coli*, *solum adorari* sæpe profitebantur) verbis illis Apostolis fulminare non dubitaverit, quæ erant in Ethnicos scripta, *ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα.* Sed hæc obiter de Perronij vafra in verbum *λατρεύειν* observatione dicere placuit, ne artes ejus solennes hic quemquam laterent. Atque ex his quæ disputavimus, nunc patet Arianos, quicquid obstrepat Perronius, illo illi imaginario & in creaturam deformato Christo cultum, non eum detulisse vel deferendum docuisse, quem ipsi existimarent ac dicerent plane penitusque eundem esse cum eo, quem illi una cum Catholicis Patri exhibebant, quiq; nunc

CAPUT XXXIX.

Caput XXXIX.

à Latinis *latriæ cultus* dici solet; sed alium supremo illo inferiorem, religiosum quidem, sed ejus ordinis, quo nunc Latini eos honores cultusque censent, quos Sanctis cœlitibus, ac præsertim B. Matri Virgini magna ubique religione exsolvunt. Quo constituto, apparet si jam Eucharistiæ ea tempestate omnes Christianorum Ecclesiæ solerent ex Apostolica, & à primo Christianismi ortu propagata lege cultum latriæ, ut nunc *vocant*, quotidie ac passim exhibere, eo facillime Arianorum impietatem congrui ac revinci potuisse, qui hunc quidem Patri cultum concedebant, Christo vero negabant. Quis enim Dominum eo cultu indignum censere posset, quem nosset ab omnibus Ecclesiis Dominico corpori omnibus pæne diebus exhiberi? Ego vero non dubito, quin Athanasius, Hilarius, Basilius, Gregorius, Ambrosius, Epiphanius, Augustinus, tamque multi alij summa pietate pari cum eloquentia ac sapientia præditi hoc vel inprimis crebroque Arianis in omni hac causa objecturi fuerint, si idem jam, quod fingunt adversarij, obtinuisset apud nostros colendæ latria Eucharistiæ usus, qui nunc apud Latinos Christianæ pietatis pæne priora ac puppis habetur. Atqui non omnes, non multi, non pauci, hoc in hac pugna telo usi sunt. Nemo ut breviter *dicam* inter tam multos præstantissimos scriptores, qui in florentissima *Ecclesiæ* ætate vixerunt, & quorum monumenta ad nos pervenerunt, usquam reperitur, qui hujus rei ad hanc hæresin oppugnandam, vel levissimam mentionem injecerit. Quid hoc esse dicam? quam hujus prodigij causam? ut nemo quod omnes fideles sciebant, nemo quo nullum erat potentius aut expeditius in Arianos telum, id cum pestilentissima illa gente manus conserens usurparit? Finge quodcumque libuerit. Nullam hujus de Eucharistica illa latria silentij in loco tam opportuno rationem aliam reperies, quam hanc; Patres nimirum merito adorationem illam tacuisse quam nescirent; merito nescivisse, quæ nisi multis post seculis apud Christianos esse ac celebrari cæpit. Viderint jam Perroniani quo omnes viri illius triumphi abierint; qui vanitate elatus non ferenda tantum sibi de sua illa antiquitatis scientia arrogarit, ut qui ab ejus opinione hac in parte dissentirent, proculcandos omnes veluti omnis veteris historiæ rudes & imperitos putarit; cum tamen nunc ni fallor clarum liquidumque sit; & quod ille tuebatur; esse falsum, & quod tantopere contemnebat argumentum, id pro sententia nostra videri non profecto leve, sed gravissimum.

CAPUT

CAPUT XL.

Argumentum XXXV. ab eo quod veteres nunquam ex Eucharistiæ latria dogma Nestorij refellunt adorandam Christi carnem, id est humanam naturam, negantis.

SÆculo quinto exorta est hæresis Nestorij à Concilio universali 3. Ephesi habito damnata an. D. 430 Nestorius humanam Christi naturam à Filio, æterno Dei Verbo sic divellebat, ut duæ essent personæ; negans hominem è Maria natum esse Deum, vicissim Verbum à Patre ante secula genitum, esse vel fuisse unquam hominem. Hanc inter cæteras ejus impias & damnatas voces, unam fuisse refert ipsa Synodus, palam Ephesi pronuntiavisse; p *Nolle se bimestrem, aut lacte nutritum ADORARE; neque illum qui fugit in Ægyptum, Deum nominare.* διμηναῖον καὶ γαλακτοτραφέντα μὴ ἀναγκάζεσθαι κυρίως, καὶ τὸν εἰς Αἴγυπτον φυγόντα μὴ ὀνομάζειν θεόν. Theodorus Ancyranus Episcopus se hæc ex illo auribus suis audivisse apud Synodum affirmaret; *Ut* (inquit) *lactationem, ex Virgine* q *generationem, aliaque ejusmodi de Deo dici non posse in epistola contendit, ita hoc in loco differens Deum bimestrem aut trimestrem appellare nefas esse repetivit,* ἐν ταῦτα πολλάκις ἔφη διμηναῖον μὴ δεῖν λέγεσθαι θεόν Hæc ille, quæ quomodo ita dixerit, difficile est intelligere, si quod Latini contendunt, verum est universam quinti illius seculi Ecclesiam in sacris omnibus synaxibus Eucharistiam eodem illo Dei proprio cultu, quem ipsi *latriam* vocant, palam religiosissime coluisse. Nam si ita se res habet, negari non potest, quin Nestorius, Constantinopolitanæ, maximæ & florentissimæ Ecclesiæ Episcopus quoties sacra faceret, ipsum Domini Christi corpus cultu uni Deo debito adoraverit. Quo ergo ore, qua fronte apud Episcopos exserte negaret se illum ipsum quem quotidie adorare solebat, adorare sustinere? Cur tam impudens mendacium non arguit Marcellus? Cur saltem non rogavit, quidnam ergo illud esset, quod in synaxi publica faceret, quoties Eucharistiam vel celebrans vel sumens adorationem ei religiosissimam deferret? Hæc nullo modo cohærere possunt. Tum cur Synodus, cum hæc à Marcello accepisset, non hominem statim postulavit gravissimi criminis, pulsatæ scilicet totius Ecclesiæ, de corporis Dominici in Eucharistia adoratione fidei? Cur non jussit de eo proprie capite respondere? Cur respondere abnuentem. (si tamen ea de re interrogatum fuisse donemus) non eo proprie nomine damnarunt, quod omnem Eucharistiæ, sanctissimi, ac divinissimi sacramenti cultum solveret, quam Christi carnem omnis Ecclesia scilicet latria Dei propria in eo sacro colebat, eam se præfracto negans adorare posse, aut velle? Nihil in Nestorium apud omnem Christianorum multitudinem hoc crimine invidiosius erat futurum. Atqui Nestorium de Eucharistiæ

p Conc. Eph. Act. 3. extr. in Ep. Syn. ad Cler. CP. p. 335. D

q Ibid. Act. 1. p. 265. b. c.

Cap. XL. cultu violato neque à Marcello argui, aut corripi, neque à Synodo postulari, aut damnari videmus. Sed quid ego Marcellum, quid Synodum dico? Ne Cyrillus quidem Alexandrinus, infensissimus viri adversarius, hæreseos Nestorianæ hostis acerrimus, victor ac triumphator nobilissimus, in tam multis versuum millibus, quæ de hac causa vel in ipsa illa synodo, vel etiam ante aut post eam ab illo scripta ad nos usque perennarunt, inter tantæ subtilitatis undequaque summa diligentia, summoque labore conquisita argumenta pæne innumerabilia, hoc quod omnium erat longe evidentissimum atque potentissimum futurum, (si Eucharistiam quidem à fidelibus adorari mos jam tum fuit) ne semel quidem attigit. Cyrillus scilicet vir acutissimus, & quocumque animi vel studium vel odium ferebat, ardentissimus non videbat, quod nemo de plebe fidelium quantumvis crassus, nesciebat, non posse illam Eucharistiæ adorationem consistere cum Nestorij professione, negantis se eum qui bimestris aut trimestris, Matris lacte nutritus erat, adorare sustinere? Quænam vel fingi possunt directius inter se aut validius opposita? Nemo ut opinor, Cyrillum qui noscit, suspicabitur parcere homini voluisse. Iam si hunc odium, cur Ioannem Antiochenum si non studium, certe caritas excitavit, ut Nestorium de Eucharistiæ periculo, de oritura inde invidia admoneret? Omnes amici, inimici, Græci, Ægyptij; Marcellus, tota Synodus, Cyrillus, Ioannes, in aliis omnibus vigilantissimi in hoc uno articulo ita non modo dormiebant, sed stupebant, ut in tanto contra Nestorium tumultu ac fragore, quantum non temere reperies ullis Ecclesiæ temporibus in quemquam excitatum fuisse, ne unius quidem hominis vel levissima vox de Eucharistiæ adoratione audita fuerit. Ac ne multis quidem postea seculis quisquam id argumentum contra Nestorianum dogma usurpavit. Ergo nondum illis temporibus Eucharistiam in Ecclesiis adorari mos fuit; qui si fuisset Nestorio objectus, haud dubie esset à tot tantisque adversariis. Quod nemo rem tam, ad hanc causam utilem, tam opportunam, tam manifestam, tam in omnium oculos, siqua tum fuisset incurrentem, contra Nestorium attulit, id certo atque indubitato probat nondum eam fuisse.

CAPUT

CAPUT XLI.

Argumentum XXXVI. ex Augustino panem sacrum inter ea signa censente, quæ honorem, ut religiosa habent; stuporem tanquam mira non habent. Argumen. XXXVII. ex eodem Eucharistiam inter ea signa censente, quæ licet ad Christum significandum assumpta, negat ideo esse adoranda.

HIs expositis & in suos locos digestis, jam hic quoque in unum colligenda sunt alia quædam ejusdem veritatis testimonia huc illud apud Patres sparta. Quale illud est Augustini, ubi de rerum signis disputans, cum de iis quæ non in dictis, sed in factis, non in verbis, sed in rebus quibusdam sita sunt docuisset, & quædam postremo ex eo genere esse dixisset, quæ peracto ministerio transitura sunt, *panem*, in horum exemplum affert, *qui ad hoc factus* (inquit) *in accipiendo sacramento consumitur*, atque hic continenter illa subjicit; *Sed quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt.* *Honorem* sacro *pani*, tanquam *rei religiosæ*, id est ad religionis usum institutæ atque assumptæ, concedit; *stuporem*, id est admirationem negat. Cur? quia miram esse negat; rem notam hominibus esse ait, & per homines fieri. At quæ adorantur illa mira sunt, neque per homines fiunt; & inter ea quæ nunc adorantur, nihil est magis mirum, nihil admiratione, nihil stupore hominum & Angelorum dignius, hoc ipso *pane*, si iis quidem credimus, qui eum adorant. Ergo non fuit ex istorum adorantium numero Augustinus; qui quem illi stupent panem ipse negat stuporem habere posse; quemque negat mirum esse eo illi nihil esse admirabilius putant.

r Aug L. 3. de Trin. c. 10. pag. 107. D. T. 3.

Sed id quoque diligenter observandum est quod ille nos alibi etiam atque etiam monendos putavit, ne aliqua rerum significantium ad significatas si divinæ sint, ratione decepti, illas ideo adorandas esse putemus. *Ne putetis* (inquit) *fratres, ideo nonnullis Solem esse adorandum, quia Sol in scripturis aliquando Christum significat. Talis est enim dementia hominum, quasi adorandum quid dicatur, cum dicitur, Sol Christum significat. Adora ergo & petram, quia Christum significat. Sicut ovis ad victimam ductus est.* u *Adora & ovem; quia Christum significat.* Vicit Leo de tribu Iuda. *u Adora & Leonem, quia Christum significat. Videte, quam multa Christum significent. Omnia ista Christus in similitudine; non in proprietate. Quæris proprietatem Christi, In principio erat Verbum, & Verbū erat apud Deum. Ecce proprietas Christi per quam factus es. Vis audire & proprietatem per quam refectus es? Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Aug. in Ps. 103. Conc. 3. p. 493. extr. D. 494. A.

t 1. Cor. 10.
u Es. 53.
u Apoc. 5. 6.

Caput XLI.

Cætera similitudines sunt. Intellige. Esto scriptura capax: ut aliud objici videas oculis tuis aliud menti cordi tuo. Hæc est Augustini de signis doctrina; ne ea quæ ad Deum vel Christum significandum, vel in scripturis, vel in mysteriis assumuntur, ea ideo adoranda esse putemus, quod res per ea significatæ adorentur. In his enim aliud esse, quod oculis corporis objicitur; aliud quod per illam oculis objectam speciem menti nostræ intelligendum significatur, Hoc quidem adorandum esse; puta Christum; illud non esse adorandum; puta Solem, ovem, leonem, quibus Christum in scripturis, petram qua eundem in mysteriis significatum scimus. Iam & in alio ejusdem operis loco nobis ab isto errore cavendum docuerat: ubi cum Pauli verba recitasset sanctos luminaribus in mundo lucentibus comparantis, statim hæc subjicit, *x Sed ne quisquam* (inquit) *propterea putet colenda esse & adoranda luminaria cæli, quia inde aliqua similitudo ducta est ad significationem Sanctorum. Prius hoc explicemus in nomine Christi, quam non sit consequens, ut propterea tibi videatur adorandus Sol, aut Luna, aut stellæ, aut cælum; quia aliqua de illis similitudo ducta est, qua significarentur Sancti: quia multa sunt de quibus ducta est similitudo ad significandos sanctos, quæ non adorantur. Si enim quicquid est, unde similitudo ducitur ad Sanctos, adorandum tibi putas, adora montes & colles: quia dictum est, Montes exultaverunt, velut arietes, & colles velut agni ovium. Tu de Sanctis dicis, Ego de ipso Christo dico. Adora leonem: quia dictum est. Vicit leo de tribu Iuda. Adora petram, quia dictum est: Petra autem erat Christus. Si autem non adoras in Christo ista terrena, quamvis de illis similitudo quædam data est ad significandos Sanctos de quacumque creatura ducta fuerit similitudo, tu intellige similitudinem creaturæ, & adora artificem creaturæ. Dictus est Sol Dominus noster Iesus Christus: Numquid iste Sol, quem & minutissima animalia nobiscum vident? Sed de quo dictum est, Erat lumen verum, &c.* Hæc ille: timens ne homines levissima hac specie vel potius umbra decepti ferrentur ad adoranda non Christi modo Domini, sed etiam Sanctorum signa, qui quantumvis sancti fuerint, creaturæ tamen erant: adeoque ne ipsi quidem adorandi erant, nedum ut eorum signa adoratione digna ducamus. Sed nos in præsentia illud unum cæteris missis observamus, quod in his duobus locis Augustinus non modo diserte, sed etiam sollicite nos vetat Christi signa adorare: quod pluribus exemplis illustrat. Iam vero fatentur omnes Christiani panem & vinum Eucharisticæ mensæ, Dominici corporis & sanguinis esse signa, symbola, typos, antitypa, similitudinem, repræsentamina, quod ipsum quoque solenne in hoc argumento sacramenti vocabulum indicat, quod apud scriptores Ecclesiasticos nihil aliud est, quam sacrum signum. Iamdudum cum etiam ab ipsis Latinis, explosus est ille Synodi septimæ, sane crassus, & picturarum materialium adoratoribus plane dignus error negantis Eucharistica dona esse antitypa, idque veluti aliquid apud Patres inauditum ac prodigiosum aversantis. Cum ergo Eucharistia in signorum censu & olim

x Aug. in Ps. 93. pag. 425. col. 1. D.

olim ab Ecclesiæ primordiis, & ipso Augustini seculo, maximeque ab Augustino habita fuerit; fatendum est, qui omnia Christi in genere signa negat adoranda, eum ipsam quoque Eucharistiæ, non secus ac aliorum signorum, adorationem repudiasse ac damnasse. Ac ut diserte & quidem bis, in duobus scilicet illis locis nos monuit, ne *petram* ideo adorandam esse putemus, quod *petram* apud Apostolum legamus *Christum* Dominum *fuisse*; ita certe & de pane sacro intellexisse censendus est; panem hunc nimirum nequaquam nobis adorandum videri ideo debere, cum in Euangelio & in Apostolo esse *corpus Domini* Christi legamus. Si quod vero horum signorum quod ad signi rationem attinet, inter se esset discrimen; id Augustinus etiam ad nauseam interdum in supervacaneis diligens, observare in re tanti momenti ubi adoratio, cultus divinissimus agitur, minime profecto omisisset. Atqui cum illud prius signum, *petram* inquam, dixisset, de pane nihil dixit; nihil excepit; nihil admonuit. Quod ex omnibus Christi signis unum omnino erat adoratione dignum, unum adeo facillime & quidem necessario excipiendum, Augustinus loco tam opportuno, in quo non videtur absque flagitio id tacere potuisse, adeo non excepit diserte, ut ne uno quidem verbo, in altero horum duorum locorum, excipiendum innuerit. Hujus profecto in utroque hoc loco tam abnormis tamque ab omni ratione alieni, atque incredibilis silentij ratio nulla esse alia potest, quam quod scriptor diligentissimus ac copiosissimus quam exciperet vel hujus signi Eucharistiæ adorationem nullam habebat, nullam in omni Ecclesiæ cultu sciebat; siquam scivisset, haud dubie hic commemoraturus, & ab illa generali de signis regula excepturus. Quinimo eo certius validiusque censeri debet hoc argumentum, quod videmus hunc eundem Augustinum duo ista signa Dominici corporis, *petram* illam Iudaïcam, & *panem* hunc mysticum, veluti ejusdem generis signa, ad tertij cujusdam, sed ad alteram rem significandam usurpati signi illustrationem, alibi attulisse, cum adversus Adimantum de eo disputans, *y* quod dicit Moyses *sanguinem pecoris esse eius animam*; *Possum etiam* (inquit) *interpretari preceptum illud in signo esse positum* (id est sic, ut sanguis *anima esse* dicatur, pro *quod est anima signum*) *Non enim* (inquit) *Dominus dubitavit dicere, Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui.* Vides, ut *panem* corporis Dominici signum ad hoc interpretandum Moysi dictum afferat. Eodem mox *petram* quoque confert vetus ejusdem corporis in eremo signum; *z* *Sic est* (inquit) *sanguis anima, quomodo petra erat Christus: sicut dicit Apostolus: Bibebant enim de spiritali sequente eos petra. PETRA autem ERAT Christus. Notum est autem filios Israel petra percussa bibisse aquam in eremo, de quibus loquebatur Apostolus cum hæc diceret, nec tamen ait, Petra significabat Christum, sed ait, Petra erat Christus.* Hæc duo signa *panem* & *petram* qui ad eandem rem tertiam illustrandam affert atque

CAPUT XLI.

y Id. contr. Adim. c. 12. T.6. p.78. B. col.1.

z Ibid. col.2. D.

CAPVT XLI.

atque comparat, significat ea ambo insigni quidem ratione, ejusdem esse generis atque ordinis. Horum ergo unum, *petram* scilicet, qui ideo adorandam esse negat, quod Dominici corporis signum fuerit; ne alterum quidem id est panem adorare nobis ideo concedit, quod corporis Dominici sacramentum sit. His duobus locis, alius horum geminus adjiciendus est ex posteriori ad Ianuarium epistola; *a Non ideo tamen* (inquit) *putare debent stulti, qui nolunt in melius commutari, adoranda esse illa luminaria* (cœli scilicet) *quia ducitur ex eis aliquando similitudo ad divina mysteria figuranda. Ex omni enim creatura ducitur. Nec ideo debemus in sententiam damnationis irruere, quæ ore Apostolico de quibusdam profertur*, qui coluerunt & servierunt creaturæ potius, quam Creatori, qui est benedictus in secula. *Sicut enim non adoramus pecora, quamvis dictus sit Christus*, & Agnus, *b* & Vitulus; *b nec feram, quia dictus est* Leo de tribu Iuda; *c nec lapidem, quia* Petra erat Christus; *d nec montem Sion, quia in ipso figuratur Ecclesia: sic nec Solem, nec Lunam, quamvis ex ea cœlesti creatura, sicut ex multis terrestribus sacramentorum figura ad informationes mysticas assumantur.* Ac nequis cavillationi locus superesset, paulo post diserte nos monet *f* eorum in genere omnium hanc esse rationem, quæ ex creaturis non modo *ad sermonem*, sed etiam *ad sacramentorum celebrationem suscipimus:* quo secundo in genere *jam Christiana* (inquit) *libertate parcissime* (supple ex superioribus, *ad rem sacram significandam similitudines aptas religiosissime suscipimus*) *sicut de AQVA, de FRVMENTO, de VINO, de OLEO. In servitute autem veteris populi etiam multo celebrari imperata sunt, quæ nobis tantummodo intelligenda traduntur.* Hæc Augustinus; suam illam in superioribus verbis fixam sententiam, *nequaquam illa esse adoranda ex quibus ad divina mysteria significanda similitudo aliquando ducitur*, latissime patere, omninoque de iis intelligendam esse quæcumque vel in sermone Scripturæ, vel etiam in utriusque testamenti sacramentis veteris quidem, affatim, Novi vero parcius, ad res divinas significandas usurpata sunt. Ac hujus quidem novissimi ordinis quatuor diserte ac nominatim exempla posuit, *aquam, frumentum, vinum, oleum*, quæ quò referantur omnes vident, *aqua* scilicet ad baptismum, *frumentum ac vinum* ad Eucharistiam; *oleum* denique ad *chrisma*. Hæc ergo omnia Augustinus & in veteri olim, & nunc in novo fœdere instituta ac solennia sacramenta atque ab adorationis cultu summovet ac Solem & Lunā; Agnum, Vitulum, Leonem, lapidem paulo ante summoverat. Vnde evidenter ac necessario consequitur neque aquam baptismi, neque Eucharistiæ frumentum ac vinum, neque chrismatis oleum Augustinū colenda vel adoranda censuisse: neq; à Pauli & totius Scripturæ doctrina minus discedere, qui sacrum Eucharistiæ panem colunt, quam si vel aquam baptismi, vel chrismatis oleum adorarent. Hæc enim ille tria statuit ejusdem esse census atque ordinis,

a Augnst. ep. 119. c 6 p. 215 col. 2. A.
b Ioan. c. 29.
b Ezech. 43. 9.
c Apoc. 5. 5.
d 1. Cor. 10. 4.
e Gal. 4. 26. Hebr. 12. 22.
f Ibid. c. 7. C.

ordinis, quod quidem ad adorationem pertinet. Eucharistiæ si quam ea in re esse propriam rationem putavisset, illam haud dubie ex sacramentorum numero excepisset, quam nunc promiscue una cum iis recenset. Fecisset, quod in hac ipsa epistola infra fecisse eum vidimus, ubi de vetito imaginum cultu loquens g *Nulla* (inquit) *imago Dei coli debet, nisi illa quæ hoc est quod ipse*; Ita & hic nullum Dei Christive sacrmentum colendum esse dixisset, nisi unum illud quod ipse Deus, Christusque est. Qui nulla hujusmodi exceptione vtitur, sed quodvis rerum divinarum signum ἁπλῶς & absolute coli vetat, eo liquido significat nullum se nosse religionis signum, quod adorari debeat, quod adeo vel Deus vel Christus ipse sit.

CAPVT XLII.

g Ibid.c.11. p.216.extr. D.

CAPVT XLII.

Argumentum XXXVIII. ex Theodoreto non semel disertissime pronuntiante insaniæ esse extremæ ea ipsa adorare quæ comeduntur Argum. XXXIX. ex eodem negante numina esse, quæ nos Deo sacrificamus.

SEd quid iis hac de re clarius dici potest quæ non semel apud scriptorem præstantissimum, ac inter sui id est quinti jam adulti principes non postremum leguntur, Theodoretum Cyri Episcopum? Is enim legis à Deo post diluvium de edendis carnibus latæ rationem afferens. h *Deus* (inquit) *prævidens homines in extremam dementiam lapsos hæc omnia* (animalia) *pro Diis habituros permisit illorum esum, ut impietatem illam cohiberet. Summa enim est INSANIA ADORARE QVOD COMEDITVR Propterea vero animalia quædam immunda dixit; alia vero munda: ut illa quidem tanquam, immunda exhorrentes non deificent; hæc comeduntur, NON ADORENT.* εἰδωλατρίας γὰρ ἐσχάτης τὸ ἐσθιόμενον προσκυνεῖν. Διὰ τοῦτο, τὰ μὲν ἀκάθαρτα τῶν ζώων λέγει, τὰ δὲ καθαρά. ἵνα τὰ μὲν ὡς ἀκάθαρτα βδελυττόμενοι, μὴ θεοποιῶσι, τὰ δὲ μὴ προσκυνῶσιν ἐσθιόμενα. Eandem alibi animalium in munda & immunda divisioné tractans, idem concinne demore eloquitur; i *Qomodo enim sanæ* (inquit) *mentis quisquam Deu nuncuparit id, quod aut tanquam immundum odio aversatur, aut quod vero Deo oblatum tandem ipse comedit?* πῶς γὰρ ἄν τις σωφρονῶν, ἢ τὸ ἀκάθαρτον ὀνομάσοι θεὸν, ὃ μυσαττόμενος ἀποστρέφεται, ἢ τὸ τῷ ἀληθινῷ θεῷ προσφερόμενον καὶ παρ᾽ αὐτοῦ ἐσθιόμενον; Sic alibi cum Deum dixisset suillas carnes quæ ob Ægyptis comedebantur, lege immundas haberi, *jussisse*, addit *econtra ipsum præcepisse edi quæ* (animalia) *pro Diis colebantur* (ab Ægyptis) *ut spernenda viderentur quæ ipsi comederent, neque divinos sibi honores vindicarent*; ἀκάθαρτα νομίζειν ταῦτα νομοθετήσας, ἐσθίειν ἐκέλευσε τὰ θεοποιούμενα. ἵνα ὡς καταφρόνητα φαίνηται ὡς παρ᾽ αὐτῶν ἐσθιόμενα, καὶ μὴ τὸ θεῖον, σφετερίζηται σέβας. Idem significat, quod in precedentibus, nihil ab ejus quod adoratur,

h Theodoret in Gen. Quæst., 5. T. 1 p.44. D.

i Id. in Lev. Quæst. 11. p. 104. D.

k Id Serm. 7 de sacrif. T. 4 p.585. A.

CAPUT XLII. natura & ratione magis abhorrere quam ut id quod adoramus, comedatur. Ideo Iudæos agnis, capris, bubus, &c. vesci jussos, ut eo ipso quod ista ederent, ab iis Ægyptiorum more colendis deterrerentur. Sed & quartus est apud hunc locus, in quo neque hæc cum piguit de integro repetere ac inculcare; ubi id enarrans, quod Apostolus dicit Paganos volucrum, quadrupedum, & serpentium imagines adoravisse. *Eos* (inquit) *videre oportebat, quod istorum alia quidem ipsi comedunt, ut esculenta; alia autem abhorrent, ut immunda; alia autem fugiunt, ut noxia, & eis insidiantia. Sed per extremam stultitiam ex stuporem, etiam eorum, quæ comedebant, & quæ abhorrebant, & quæ necabant, imagines in Deos retulerunt.* ἔδει δὲ αὐτοὺς συνιδεῖν, ὡς τούτων τὰ μὲν ἐσθίουσιν, ὡς ἐδώδιμα, τὰ δὲ μυσάττονται, ὡς ἀκάθαρτα, τὰ δὲ φεύγουσιν ὡς ἐπίβουλα. ἀλλ' ὑπ' ἀβελτηρίας καὶ παραπληξίας ἐσχάτης, καὶ ὧν ἤσθιον, καὶ ὧν ἐμυσάττοντο, καὶ ὧν ἀνῄρουν, τὰς εἰκόνας ἐθεοποίησαν. Hæc hactenus Theodoretus. Obsecro hanc fidem, ubi erat illius animus, ubi mens, ubi sensus, cum ista tam crebro inculcat, si tum apud omnem Ecclesiam publicus solennisque mos Christianorum erat Eucharistiam, quam comesturi statim erant, adorare? Quid tam male de eo omnes illius ævi Christiani promeriti erant, ut id, quod eos quotidie factitare sciret, facere diceret esse *summæ insaniæ*, ἀβελτηρίας ἐσχάτης, *stuporis extremi*, παραπληξίας ἐσχάτης? Neque hoc ei satis fuit. Clara imo etiam contenta voce clamans negat sani esse hominis *id Dei nomine salutare, quod VERO DEO primum oblatum, mox ipse comestiurus est.* Potuitne disertius ac distinctius describere quod omnes hodie Latini viri, mulieresque faciunt, quoties communicant, oblatas postquam eæ oblatæ Deo vero fuerint incunctanter & adorant & comedunt? Si hæc istius sæculi homines Christiani æque ac nunc Latini faciebant; cur non omnes in Theodoretum involarunt? cur hominem & in se contumeliosum & in sui Dei nomen blasphemum non denotarunt? cur non saltem has ejus voces obeliscis confoderunt? cur auctorem nullo anathemate perculserunt? Maxime cum tam multi ex diversis Christianis orbis provinciis de ejus fide, id est capite & fortunis, quærendum censerent? Atqui de sugillata Ecclesiæ in Eucharistiam religione, nemo dicam Theodoreto scripsit unquam? Non erat ergo Ecclesiæ per illa tempora usus id fideles adorare quod ederant; non adeo Eucharistiam latria colere, quod nunc Latini faciunt; neque impune ferrent si qui aliter instituerent; nedum ut fas cuiquam apud eos sit *insaniæ & stuporis* libere & aperte damnare omnes istorum ab Innocentio III. Papas, omnes Synodos, omnes denique apud eos communicantium ordines. Eodem quoque pertinet, quod apud hunc ipsum in tertio ex iis locis, quæ adduximus, ubi Deum scribit [m] sacrificare quidem Iudæis propter eorum imbecillitatem *indulsisse, sed ita tamen, ut quæ prius colebant, ea immolare juberet?* Quid ita? *Ut Sacrificando* (inquit) *discerent, Deos non esse, quos tanquam victimas ipsi mactarent.* ἵνα τῷ θύειν μάθωσι μὴ θεοὺς νομίζειν τὰ ὡς ἱερεῖα θυόμενα. Hoc est quod vetustiores Paganis olim objectaverunt, quod ii res easdem

& immo-

l Id. in Rom. 1.23. T. 5. p. 18. D. p. 19. a.

m Id. Serm. 7. de sacrif. T 4. p. 584. D. 585. A.

& immolarent, & adorarent: ut alibi ᵐ ex Tatiano & Minutio observavimus. Id ipsum nunc ait Theodoretus Deum voluisse Iudæos discere ex ipso hostiarum genere, quibus apud eos sacra fieri instituerat. Nimirum quæ retro olim Paganico ritu animalia apud Ægyptum coluerant, ea immolari jussit, ut illa scilicet quæ immolari viderent, eo ipso intelligerent pro Diis haberi, id est coli & adorari, non modo impium, sed etiam stultum & insanum esse. Cum ergo Eucharistiam & veteres olim Deo offerrent, & Latini nunc maxime offerri propriéque dictum sacrificium esse contendunt: si eadem fuit illorum, quæ nunc est istorum sententia: nemo non videt, Eucharistiam adeo non fuisse illis Theodoreti temporibus adoratam, ut à se suisque ne adorari quidem eam esse existimarent: quam scilicet ipsi Deo sacrificarent.

CAPVT XLIII. ᵐ L.2. de relig.cult. obj. c.26.p.121.

CAPVT XLIII.

Argum. XL ex illustri testimonio Patrum 338. Concilii Constantinopolitani septimi, quod vulgo Iconomachorum vocant, Eucharistiam non figurare hominis formam ne idololatria subintroducatur.

SEd & octavo sæculo & quidem adulto nondum fuisse in usu apud Christianos, ut Eucharistia latriæ cultu adoraretur, insigne habemus septimæ Synodi an. D. 754. Constantinopoli habitæ testimonium, quod extat in Nicæna secunda, quæ septimam quoque se appellat, huius Actis insertum. Sic ergo illius Synodi 338. Patres de Eucharistia, inter cætera loquuntur, quæ plenissime de ea exponunt. *Imaginem jussu* (Christus) ᵒ In Syn. 7. Act. 6. T 3. p. 56. D. T. 5. Concil.
materiam eximiam id est panis SVBSTANTIAM offerri, non figurantem hominis formam, ne idololatria subintroducatur. τὴν εἰκόνα ὕλην ἐξαίρετον, ἤγουν ἄρτου οὐσίαν, προσέταξε προσφέρεσθαι, μὴ σχηματίζουσαν ἀνθρώπου μορφὴν, ἵνα μὴ εἰδωλολατρεία παρεισαχθῇ. Observant in ea *panis substantia* quæ offertur, quæque est vera hujus sacramenti ex Domini institutione materia, nullam ex ejus præcepto impressam videri *hominis* effigiem, vel figuram, sed simplicem & solennem panis formam. Tum cum Eucharistia in humanam formam sive effigiem minime expressa vel efficta fuerit, cum Christi qua homo est, hæc forma sit, hanc rationem reddunt: id ita institutum fuisse, *ne idololatria subintroducatur*, id est ne ex huiusmodi figuræ occasione surreperet in Ecclesiam idololatria. At hæc ratio nihil valet, si latria est legitimus & Deo probatus Eucharistiæ cultus. Nam si ita est, nihil erat verendum, ne Eucharistiæ cultus in idololatriam degeneraret. Id enim tum merito metuendum est, cum ea sunt venerationis objecta, quibus non latria, sed honos multo inferior, & creaturæ legitimus, tribuendus est: in quibus causis merito timetur, ne reverentia, ut fit, modum suum supergressa, in superstitionem, inde in idololatriam evadat. Quod olim serpenti æneo accidit, cui cum thura & suffitus adolerentur

Caput XLII.

lerentur, ita honos ille legitimus, sanctissimo divini operis monumento debitus, in idololatriam corruptus degeneravit, quæ ut coerceretur & plebs ad justam divini cultus rationem revocaretur, Ezechias Rex sanctissimus totum illud signum confregit. p Quod ergo hominum ingeniũ eo natura propendeat, vt ad formæ humanæ, quamtũvis mutæ atque inanimis conspectum facile in exoticos ejus cultus inaudescat; Vitandi hujus periculi gratia patres illi existimant cautum à Domino fuisse ne cujus hominis vultus vel forma in Eucharistia emineret, vel cerneretur. Ergo Eucharistiæ non latriæ vel unius Dei proprius cultus ad illa usque tempora deferebatur à Christianis. Alioqui apparet vanum futurum fuisse totum hunc istorum metum. Neque enim quidquam latriæ accedere potest. Quacumque forma fuerit, si Eucharistia sit, latriæ capax est, ex adoratorum ejus sententia; adeoque timendum non est, nequid ei ultra modum legitimum accedat, vt illud contra hac opinione (ut loquuntur] supposita verendum sit nequid ei detrahatur. Igitur qui non hoc, sed illud vitasse Christum volunt Patres, ne nimia sacramenti veneratio in idololatriam paulatim excresceret, ii profecto neque ipsi Eucharistiam latria colebant, neque à cæteris coli sciebant. Ac tametsi jam per se satis sit amplum hoc testimoniũ, quod non unus aut alter sed 338. Episcopi, flos totius Ecclesiæ Orientalis, in Synodum coacti perhibuerunt, clarissime testantes idololatriæ reos fore, quicumque Eucharistiam latria coluerint; tamen huc etiam accedit, quod adversaria eorum Synodus Nicææ aliquod post annos, a. nimirum D. 387. congregata, tametsi cætera eorum decreta contra imaginum cultum summo cum odio damnarit, atque abrogarit, hanc tamen de Eucharistiæ cultu particulam illæsam absque ulla reprehensione transmiserit, atque id unum maligno dente in illorum de hoc sacramento definitione sed infœliciter arroserit, quod Eucharistiam *veram, ac minime mendacem Servatoris imaginem*, item *typum & rememorationem* τύπον καὶ ἀνάμνησιν vocassent, quo loco eo usque provecti sunt, ut negarint, q sane impudenter, *typi* aut *antitypi* nomine appellatum vnquam à quoquam Patrum fuisse panem Dominicum ubi semel consecratus est; quod illorum mendacium hac apposita utrique Græci Latinique contextus margini, nota, tanquam obelo, utraque lingua coarguere ac configere coacti sunt Romani, aliique Conciliorum editores; *Græci Patres jam Sanctificata non raro vocant antitypa, ut Nazianzenus Orat. fun. in sororem, & Apol. 1. Grill. Hieros. Catech. 5. Mystag. & alij.* Qui tanto adversarios reprehendendi studio arserant, ut etiam quæ vere & ipsis Patrum verbis illi dixerant, falso appetiverint; non est credibile eos quæ de Eucharistiæ cultu hic inspersa sunt absque nota censoria dimissuros fuisse, si vel universalis illius temporis Ecclesia, vel saltem ipsi hoc sacramentum, ut nunc solent Latini, divino *latriæ* cultu adorassent. Quod ergo hæc adversariorum de idololatria intacta reliquerunt, id claro argumento est neque ipsos, neque reliquam Græciæ Ecclesiam extremo octavo sæculo ullam adhuc Eucharistiæ latriam detulisse.

p 4. (Hebr. 3.) Reg. 18. 4.

q Ibid. p. 757. A. C.

CAPUT

Caput XLIV.

Argum. XLI. ex eo quod Paschasius Radbertus, nobilis transsubstantiationis apud Latinos nono sæculo parens, ne ipse quidem hanc causam tribus diversis scriptis agens adorationem Eucharistiæ in medium affert, quæ si nota fuisset, nullum erat pro ejus dogmate neque clarius, neque validius argumentum. Idem adorationis Eucharisticæ silentium observatur in Lanfranci & Durandi libellis pro Paschasiano dogmate contra Berengarium undecimo sæculo jam adulto editis.

FAteor paucis post annis, nimirum a. D. 818. (si bene putant crediti) de hujus sacramenti negotio in Galliis nostris esse turbatum; cum hinc Paschasius Radbertus, Corbejensis apud nos Abbas, spissius de hoc mysterio philosophari cœpisset, ac transsubstantiationis rudimenta & prima lineamenta apud Latinos libello ea de re scripto edidisset, illinc vero Rabanus, & paulo post Ratramnus, Joannes Scotus, id est Hibernus, & alij memoriæ illius Theologi in alia irent. Sed utrorumque altum de sacramenti adoratione in tota hac causa silentium arguit, ne illis quidem temporibus solenné, aut usitatum apud nostros fuisse latriæ in Eucharistiam cultum. Nam Paschasius quidem Radbertus se peti ac perstringi sentiens, neque facile dissentientium censuras ferens semel atque iterum in palæstram prodiit, suaque ab adversariorum reprehensionibus defendens omnes in hac caussa ingenij nervos contendit, quo demonstraret corpus & sanguinem Christi, ipsumque adeo Christum, vere ac realiter, non vero in figura vel signo duntaxat, Eucharistiæ inesse, & à fidelibus sumi; denique ut ipsius verbis dicam, *licet in figura panis & vini hæc sint* (quæ sumuntur scilicet in mensa Dominica) *omnino nihil aliud esse credenda post consecrationem, quam carnem Christi & sanguinem: carnem* inquam *non aliam plane, quam quæ nata est de Maria, & passa in cruce, & resurrexit de sepulcro.* Plurima de Scripturis, non pauca de veteris Ecclesiæ scriptoribus tum ad constituendam tum ad purgandam ac tuendam suam illam opinionem affert. Omnes vident quantum ad hanc rem momentum collatura fuerit Eucharistiæ latria, si ea semper apud Christianos jam inde à primis initiis ad illa tempora propagata etiam tum temporis in solenni Ecclesiæ usu fuisset. Cum enim Latini Dei unius proprium esse velint cultum, quem Eucharistiæ deferendum decernunt; quis non videt qui vicerit eam divino hoc cultu dignandam esse, eadem opera facile nulloque negotio evicturum eam non panis & vini elementis, quibus latriam scilicet nefas est deferri, sed rebus adoratione dignis constare, id est ipso corpore & sanguine Domini Christi, Dei in sæcula benedicti?

Pasch. de corp. Dom. c. 1. p. 1555. E.

CAPVT. XLIV.

Vno hujus cultus præsidio poterat omnis causa, Paschasii quidem constitui ac tuto collocari: adversariorum vero eius everti ac profligari. Ergo si jam tum extitisset apud Latinos solennis hic Eucharistiæ cultus; eum Paschasius ad hanc suam caussam quam tanto studio per omnem fere vitam egit, indubie attulisset. Non attulit. Ergo nihil est quod dubitemus nondum eo, quo ille vixit sæculo, solenne apud nostros fuisse Eucharistiam adorari. Ac merito quidem nondum fuit; quam substrato primum Paschasiano errori ita demum superstrui decebat, non contra. Primum enim res ipsas existere necesse est; constitutis quos decet honores decerni. Positum à Paschasio fundamentum præcessit, Domini corporis realis per transsubstantiationem præsentia. Successit posito, hujusque & aliorum artificum manu lente dum unum & alterum sæculum decurrit exposito fundamento impositus postremus ille ut sic dicam, adorationis suggestus Tria extant Paschasij de hoc argumento scripta. Extat primo liber *de corpore & sanguine Domini* singularis, in quo multis statim à principio demonstrare conatur *s* nimine dubitandum esse. *Christi communionem* (id est Eucharistiam) *verum corpus ejus & sanguinem esse*. Item *in veritate corpus & sanguinem fieri consecratione mysterij*. Denique totus liber eo potissimum atque vnice tendit, *t* ut id ipsum pro certo ac indubitabili Christianæ fidei capite constituatur ac censeatur; tanti momenti, ut contendat id à nemine fideli ignorari debere. Cum vero toto libro, qui satis prolixus est, & capitibus constat duobus & viginti, ad suam illam confirmandam opinionem plurima afferat; nuspiam tamen divinum illum Eucharistiæ cultum adducit; qui cum & rem validissime conficiat, & omnibus omnino fidelibus notissimus esse debuerit (si quidem in vsu publico, quod volunt adversarij, jam tum fuit) vel vnus, vel certe præcipuo loco dicendus, memorandus, ac inculcandus erat. Atqui ille capite suæ disputationis decimo quarto (si hæc ejus quod Latini contendunt, vere sunt) obscuras quasdam & fabulæ propiores de Christo in Eucharistia visibili aliqua vel carnis & sanguinis, vel venusti pueruli forma à nonnullis viris viso, narrationes ad opinionem suam probandam nequaquam prætermisit. *u* Qui his vtitur dubiis, quanto magis ad rem suam allaturus erat Eucharistiæ latriam, quæ si vere jam tum extabat, nemini ignota fuit, totius scilicet Ecclesiæ communis? Atqui nullo eam loco in sui dogmatis argumentis Paschasius posuit; Ergo quam poneret, nulla adhuc tum temporis in publico Ecclesiæ usu extabat.

s Pasch. de corp. Dom. c. 1. p. 1554. & c. 4. p. 1563.
t Ibid. c. 2. p. 1558.
u [illegible]
Ibid. c 14. p. 1594. 1595.

Altera Paschasij eadem de re disputatio extat libro in Matthæum duodecimo multis, ut videtur, post superius opusculum annis conscripto: Illic enim cœnam Dominicam enarrans, eos hac data occasione incursat, qui suam illam de Eucharistia opinionem explodebant; ut ipse ibidem his verbis testatur; *x Hæc* (inquit) *idcirco prolixius dixerim & expressius, quia audivi quosdam me reprehendere, quasi ego in eo libro, quem de Sacramentis edideram Christi, aliquid his dictis* (Christi verba illa [illegible] significat

x Id. in Mat. L. 12. in c. 26. 26. p. 1094. B.

[illegible]

significat, *Hoc est corpus meum) plus tribuere voluerint, quam ipsa repromittit veritas.* Istos autem quiqui de cætero fuerint reprehensibiles suos, dicit in illis Christi verbis *hoc est corpus meum*, *extenuare hoc verbum corporis, quod non sit vera caro Christi, quæ nunc in sacramento celebratur in Ecclesia Christi, neque verus sanguis ejus; fingere, quasi virtus sit carnis & sanguinis in eo admodum sacramento*, y eos verba illa Domini sic interpretari, quasi iis significare voluerit *hoc mysterium esse*, vel *in hoc mysterio esse virtutem vel figuram corporis sui.* Item mox miratur z *quid velint nunc (inquit) quidam dicere non in re esse veritatem carnis & sanguinis, sed in sacramento virtutem carnis, & non carnem: virtutem sanguinis: figuram, & non sanguinem: figuram, & non veritatem, umbram & non corpus.* Hæc ille de sua, & suorum reprehensorum sententia. Iam & suam defendere, & illorum evertere vno verbo potuit, si id, quod illi ipsum Christi naturale corpus esse negabant, ab omni Ecclesia divina illa latriæ adoratione coli ostendisset. Nihil esse hujusmodi, ne hoc quidem loco adversantium reprehensione provocatus & accensus, reponit; sed Christi verba iterum atque iterum frustra & in cassum repetit; quæ ejus reprehensores non ideo vera esse, (quod ille impudenter calumniatur) negabant, quod ea non simplici & proprio, sed tropico & figurato sensu acciperent. CAPUT XLIV. y Ibid. p. 1095. B.C. z Ibid. D.

Tertium ejusdem auctoris de eadem quæstione scriptum quadam epistola continetur ad Frudegardum, *fratrem ac commilitonem suum*, data. a Frudegardus scripserat se à tradita ab eo in libello de *sacramentis* doctrina, iis fuisse revocatum, quæ apud Augustinum libro de Doctrina Christiana tertio legisset, *tropicam esse locutionem, ut (sacramentum scilicet) corpus Christi & sanguis esse dicatur.* Paschasius omnem lapidem movet, b ut hanc de Frudegardi animo spinam evellat, & quod pridem docuerat, tueretur; nimirum Eucharistiam ipsissimam esse illam *Christi propriam carnem quæ nata est de Maria Virgine, & pependit in cruce*, & ipsissimum illum *sanguinem qui profusus est in cruce, & tunc erat in proprio corpore.* Ad hoc ille demonstrandum vehementer laborat, c seque in omnes partes versat. & Scripturæ verba urgens, & quædam Augustini loca vexans, mirificeque interpolans; majori, si verum amamus, studio, quam successu; Quin & istis suis ipse (ut videtur) diffidens, Frudegardum jubet d libellum illum suum olim à se editum relegere; eique totum quem modo attigimus, ex suo in Matthæum commentario descriptum locum, mittit, e una cum nonnullis Patrum sed paucissimorum sententiis. Ex his patet quantum isti hæc quæstio cordi fuerit, de qua non modo ab aliis Theologis, sed & ab ipsis discipulis pulsaretur: quantoque ipse opere studuerit illorum sententiam oppugnare, horum dubitationes componere; qui tam diversis temporibus, juvenis ac senex idem illud dogma versavit, omnemque quod aiunt lapidem moverit, ut ad id quidem exteros traduceret, in eo vero discipulos confirmaret; ut denique quæcumque vel reperit, vel invenit ex Scripturis a Pasch ep. ad Frudeg. p. 1620. C. b Ibid. p. 1619. C. c Ibid p. 1625. A d Ibid. D. e Ibid. p. 1636.

Caput. XLIV. & ex auctoribus Ecclesiasticis ad hanc caussam corradat, quædam etiam interdum præter candidi disputatoris officium, improbis ac invereeundis vel glossis, vel epichirematis ad sua placita torqueat. At si jam tum vniversa (quo Latini volunt) Ecclesia latriæ cultum Eucharistiæ palam, ac ubique deferebat, nihil erat quod Paschasius in hac disputatione tantopere æstuaret; qui in promptu, ac vt sic dicam præ oculis & ad manum haberet, quo & reprehensorum censuram refelleret, & discipulorum murmura sedaret, ac vtrosque ad silentium nullo negotio cogeret, & quo profligatis vtratumque partium copiis magna sua cum gloria triumpharet. Neque enim vel hi vel illi verum propriumque Christi corpus id esse negaturi erant, quod scirent ab omnibus Christianis latria coli. Ne eos quidem vllum Paschasio negotium hac de causa facturos fuisse credibile est, si eo jam sæculo Eucharistiam latria coli in omni Christi Ecclesia solenne fuisset. Sed illos in Paschasium simulatque prodiit ejus de hoc sacramento dogma, statim insurrexisse & ipse testatur, & aliunde etiam patet. Rabanum certe adversus Paschasianum illud dogma, quo Eucharistiam affirmabat illud ipsum esse Domini corpus, quod è Virgine natum est, pauculis postquam liber ad Placidum prodierat, annis, scripsisse epistolam ad Egilonem, & ipse ad huc loquitur in fragmento ex ejus Pœnitentiali superstite; & alij docent, ut Anonymus ille à g Cellotio publica nuper luce donatus. Nondum ergo quo tempore hæc inter se adversaria scripta sunt edita, id est circa annos noni sæculi decimum octavum & primum ac vicesimum, latria publice apud nostros Eucharistia colebatur. Sed fac Paschalij adversarios vel cæco animi impetu, vel certe generoso veritatis Evangelicæ studio commotos publicum illum sui sæculi de adoranda Eucharistia errorem contemnere potuisse; Paschasium certe, vbi suum illud dogma non ab vno, aut altero, sed à pluribus peti, à suis ipsis discipulis in dubium vocari vidit; vbi etiam editis à Rabano, imo etiam à Ratraumo, & Ioanne Erigena, libellis lacessi, impugnarique sensit (visum enim ab eo Ratraumi libellum cum in Matthæum scriberet, non dubitabit, qui quæ in hoc commentario scribit, cum iis comparaverit, quæ à Ratraumo de illa quæstione illis temporibus edita etiam nunc habemus) Paschasium inquam, postquam sua à celeberrimis sui ævi Theologis ita accepta esse intellexit, plane stupidum fuisse necesse est, nisi animadvertit nihil sibi esse ad suum dogma propugnandum, & contrariam adversariorum sententiam evertendam, invidiaque apud omnes abruendam facilius atque expeditius, quam Eucharistiæ latriam. Atqui obviam illam eandemque fortissimam atque tutissimam sui dogmatis defensionem non in primo de sacramento opere non in Commentario, ubi adversarios refellit, non denique in epistola ad Frudegardum, in qua discipulo querenti satisfacit, adhibitam ac vel vno vocabulo commemoratam videmus. Nulla ergo adhuc erat solennis Eucharistiæ in Ecclesiastico officio latria. Virum enim doctum, & in Ecclesiasticis

f Raban. in Pænitent ad Herib. p.c. 33. p. 669.

g Anonym. apud Cellot. Hist. de Gothesc. in appen. c. 1. p. 541.

Ecclesiasticis muneribus à puero versantem, vel Eucharistiam latria in Ecclesia coli, si ita revera culta fuisset, nescivisse: vel quam sciret, ex ea non animadvertisse invicte & adversariorum dogma frangi, & suum constitui, nemo ut opinor dixerit: Quam vero ad suam hanc causam profligandam tantam habere vim intelligeret, eam ut non uno loco, sed in tribus locis, diversis temporibus de eodem argumento scriptis, prudens volensque constanter prætermiserit; id longe absurdius est, quam ut in animum cujus quam venire possit, qui Paschasij in hac quæstione studium norit.

CAPUT XLIV.

Eodem argumento ostendi potest, ne seculo quidem vndecimo jam adulto publice apud Ecclesias Latinas receptum fuisse adorandæ latriæ cultu Eucharistiæ morem: quantumvis per illorum temporum caliginem obstetricante crassa rerum divinarum ignorantia, & superstitione, individua fere eius comite, longe lateque propagatum esset Paschasij de hoc sacramento dogma. Cum enim eo quo dixi seculo exortus Berengarius gliscenti passimque apud nostros grassanti errori sese strenue objecisset, & illata Evangelicæ veritatis face non paucos in viam regiam revocaret; cumque Romana sedes, qua vix vlla erat illius memoriæ Ecclesia corruptior, dignum suis moribus, suoque spiritu, sequioris dogmatis patrocinium suscepisset; Lanfrancus quo nemo hanc causam acrius, diligentius, ac fusius adversus Berengarium egit, ne ipse quidem in tota de hoc argumento disputatione sua, Eucharistiæ latriam in medium protulisse cernitur. Ille Paschasij vestigia premens defendebat sub illis, quæ in Eucharistia cernuntur speciebus, non panis, sed corporis Dominici veram proprieque dictam substantiam latere. Multa satis vel levia, vel ambigua, vel falsa in eam rem adducit; ex Patribus vero multo plura, ac selectiora, quam quibus olim Paschasius usus erat. Illa de Christo sub forma visibili quorumdam oculis non uno aut altero in loco manifestato miracula, à Paschasio diu ante memorata, ipse etiam semel atque iterum in suo contra Berengarium opusculo attigit. [h] Adorationem, multo potentius in eum telum, plane penitusque prætermisit. Hanc fuisse Berengarij sententiam dicit, [i] *panem vinumque Dominicæ mensæ inter consecrandum, quantum ad substantiam, immobilia permanere, hoc est panem & vinum extitisse ante consecrationem, & panem vinumque post consecrationem.* Nihil in hanc sententiam fortius, nihil in eius auctorem invidiosius afferri poterat, quam Eucharistiæ adoratio; quæ si apud omnem illius memoriæ Ecclesiam confessa, recepta, solennisque erat, una ad hoc satis erat ut Berengarius convinceretur, vel absurdissimi erroris, si meram panis creaturam latria adorandam esse concederet, vel intolerabilis protervia, si, quam rem Ecclesia universa summo latriæ cultu adoraret, ipse nudum panem esse contenderet. Atqui Lanfrancus, multo quam Paschasius, vehementior & ardentior, & ab omni parte callidior, ac diligentior disputandi artifex, ne unum quidem μῦ de sacramenti adoratione in toto volumine dicit. In aliis tempus terit,

[h] Lanfr. de corp. Dom. c. 17. p. 242. C. & c. 19. p. 24 . E.
[i] Ibid. c. 22. p. 250. A.

Caput IV.

multo & infirmioribus & ab ea causa, quam agit, remotioribus; quale est quod hic maxime vrget de Ecclesiæ in terris perpetuitate, & in veritate perseverantia. Qui sic agit, non erat illud in adversarium multo præsentius ac potentius ex Eucharistiæ adoratione ductum argumentum omissurus, siquam jam tum apud omnes Christianos huic sacramento deferri scivisset.

k Durand. Troarn L. de corp. & sang. Dom. in append. ad Lanfr. p.71.

l Ibid P.1. c. pag. 72. 2. c. P.3. p.73. 1. E. P.4. 79. 2. E. P.6. p.96. 2. 14.

Eadem quoque ratio est Durandi Abbatis Troarnensis; qui cum iisdem cum Lanfranco temporibus adversus Berengarium pari animi studio scriberet, nuspiam hoc telum in eius de panis in Eucharistico sacro permanente substantia sententiam toto opere intorsisse reperitur; quo videtur eo impensius vti debuisse, quod subinde insectetur atque exagitet, l quod ex illo dogmate necessario consequitur, *substantiam sacræ oblationis adeo esse corruptibilem, ut in digestione communium ciborum pereat, & amplius æquo sumentes in crapulam & ebrietatis furorem queat vertere.* Quid enim validius huic opinioni objici poterat, quam Ecclesiam universam latria id ipsum colere, quod isti tam fœdis, tamque inhonestis casibus obnoxium esse affirmabant? Atqui ne hoc quidem istis vsquam Durandus objicit. Quid ni? Nimirum nondum illis temporibus adorari latria Eucharistiam solenne erat apud Latinos; manente adhuc scilicet pristina solennis in id sacramentum reverentiæ, modestia, mutato licet veteri de eius forma ac natura dogmate.

Sed cum tandem multis Paparum decretis confirmata esset transsubstantiatio, & eorum qui repugnabant cædibus, lanienis, & stragibus sancita; quod dogmati consentaneum erat, id postremo institutum est, ut deificata symbola summo latriæ cultu adorarentur; lataque sunt de hoc ritu illæ leges; quas initio hujus disputationis memoravimus. Cæterum ante seculum duodecimum, & tempora quæ inde ad nos consecuta sunt, ignotam & inusitatam in omni Christi Ecclesia fuisse hujus sacramenti nunc apud Latinos solennem latriam, satis ex iis quæ hactenus disputavimus, patet.

DE



DE RELIGIOSIS LATINORVM CVLTIBVS,

LIBER OCTAVVS QVI DE EVCHARISTIA SEXTVS EST.

Caput Primum.

Hinc in alium locum rejicitur quaestio de Linguae peregrinae in Sacris communi & promiscuo usu. Hic quaeri proprie de verbis consecrationis Eucharisticae, an ea summissa voce pronuntiata olim fuerint, ut nunc fit apud Latinos, Fraus Tridentinorum in suo hac de re decreto.



His, quæ præcipue obſervanda erant, diſputatis, nunc ad cæteros Miſſæ Latinæ ritus pergamus. Bellarminus antequam ad minutas cærimonias deſcendat, duo quædam defendere aggreditur, *a* noſtris hominibus reprehenduntur; prius de genere linguæ; alterum de modo vocis, quo ſingula in Euchariſtiæ officio efferuntur. Ac priorem quidem quæſtionem leviter non tam tractat, quam ad alia loca nos amandans indicat in quibus ait hanc à ſe diſputationem profligatam fuiſſe. Ac ille quidem merito facit. Cum enim apud Latinos, non Miſſa ſola, ſed cæteræ omnes publici cultus partes Latine apud quaſvis gentes, neque vſpiam (quod quidem ſciamus) lingua vlla vulgari, eiuſque populi, apud quem ſacra fiunt, vernacula celebrentur: apparet hanc controverſiam, non hujus partis propriam, ſed & cæterarum omnium communem eſſe, adeoque alibi quam hic, in genere agitandam ac definiendam fuiſſe. Bellarmini ergo judicium ſequentes, quæſtionem illam hoc quidem loco mittimus: nequid alienum in hanc diſputationem infalciamus: atque id unum in præſentia monere ſatis habebimus Patres

a Bellar. L. 2. de Miſſ. c. 11. & 12.

Caput I. Tridentinos suam hic quandam plane mirificam in plebem Christianam caritatem præferre, dum quæ ad eius ædificationem plurimum valere judicant ac profitentur, illa ipsa pronuntiari ea lingua vetant qua vulgo à quibusvis intelligi possent. Ita enim illi decretum instituunt, b quo Missam proprie sciscunt non aliter, quam Latine celebrandam; *Etsi Missa* (inquiunt) *magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur.* Nimirum optimi Patres *suam fideli populo eruditionem* invident, qui quæ magnam ejus eruditionem continent, ea nolunt ab ipso intelligi. Nam si volunt, cur negant expedire, ut ea lingua vulgo nota celebrentur? cur Latina, quam de plebe nemo intelligit, pronuntiari apud populum jubent? Quamquam & in istis illorum verbis fraus manifesta est. Sic enim loquuntur, quasi Missa, etiamsi non *passim, alicubi* tamen, vel *aliquando* apud suos vulgari lingua vel celebretur, vel eam ipsi celebrari jubeant, aut certe permittant; quorum alterum communis experientia: alterum ipsi statim refellunt. Nuspiam enim qua quidem Papæ imperium patet, Missam *lingua vulgari celebrari* omnes vident; etiam multi in ipsis eorum partibus dolent ac non obscure indignantur. Ipsi vero Patres Missam aliquo vel tempore vel loco lingua vlla vulgari celebrari non concedunt; sed aperte, & quidem hoc ipso in loco vetant; cum statim sequentibus verbis jubent *vbique retineri cuiusque Ecclesiæ antiquum & à Sancta Ecclesia Romana, omnium Ecclesiarum matre & magistra probatum ritum.* Iam vero ex omnibus Papæ subjectis Ecclesiis nulla, cum hæc illi Patres ita decernerent, erat, vel etiam nunc est, cui alius quam Latine Missam celebrandi ritus solennis vel tum fuerit, vel nunc sit, ab illa *Christianismi,* ut isti quidem volunt, *matre ac magistra Roma probatus.* Annis certe ante hoc istorum decretum haud multo pluribus, quam centum Bohemis enixe flagitantibus, c non ut totam Missam, sed quasdam tantum ejus partes, *puta Evangelia, epistolas & symbolum in vulgari in Ecclesiis coram populo ad excitandam devotionem in suo regno legi & decantari liceret;* Patres Basilienses eam facultatem negasse comperimus. Cum ergo Latinus hodie sermo nullius sit gentis proprius ac vernaculus, nemo non intelligit Tridentinos, qui Missæ Latine celebrandæ ritum *VBIQVE* ab unaquaque Ecclesia retineri volunt, eadem quoque opera vetare, ne Missæ unquam, vel vspiam sacrum vulgari vlla lingua celebretur; adeoque ficte ac præter verum animi sui sensum ita esse locutos, ac si nonnunquam, tametsi non vulgo neque vbivis, aliter apud suos fieret; quod omnino significabant illa eorum verba, quæ nuper recitavimus; *Non tamen expedire visum est Patribus, ut Missa vulgari PASSIM lingua celebraretur.* Si sincere & ex animo locuti essent, illud *PASSIM,* veluti menti ac legi suæ adversum, omisissent, aperteque ac rotunde negassent visum esse Patribus expedire, ut Missa vulgari unquam lingua celebraretur. Sed de linguæ peregrinæ in sacris vsu, alius est, ut diximus, disputandi locus.

b Conc. Trid. Sess. 22. cap.

c Conc. Basil. in lim. Comp narrat. de Boh. T. Conc. gener. p. 11. & 12. ad Bohem petit. 7.

CAPVT

CAP. II.

CAPUT II.

Constituitur verus quæstionis status, & à Bellarmini dolo vindicatur. Novum esse verba consecrationis secreto pronuntiari. Nullum pro eo ritu testem citari Basilio vetustiorem; sed hunc falsò ac præter rem citari, cuius locus à Bellarmino allatus explicatur, & solvitur.

HIs ergo missis ad alterum à Bellarmino propositum *d* de modo vocis in consecrando caput veniamus. Missale Romanum præcipit, *e* quod omnes Presbyteri diligenter, quoties missificant, observant, ut id ea Missæ suæ parte, quos **Canon** dicitur celebrans, postquam illa de Christo verba finierit, *benedixit, fregit, dedítque discipulis suis, dicens, Accipite & manducate ex hoc omnes, cubitis super altare positis, stans capite inclinato distincte, reverenter, & secreto proferat verba consecrationis super hostiam*, id est verba illa celeberrima, quibus panis & vinum in Deum hominem Christum convertuntur, *Hoc est enim corpus meum & Hic est enim calix sanguinis mei* &c. Quod autem volunt hæc verba *secreto proferri*, eo significant celebrantem illa apud se voce ita summissa pronuntiare, ut nemo, quantumvis prope adstans loquentem audire possit. Id Tridentini tanti fecerunt, tantaque religione servandum existimarunt, ut siquis contra tendere ausit, eum diro illo suo anathematis fulmine feriant; *f* *Si quis (inquiunt) dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars Canonis & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse* &c. *anathema sit*. Nostri hoc istorum secretum accusant absurditatis & novitatis. Absurditas eo manifesta est, quod verba, ejus quod præcessit, *Accipite & manducate*, rationem contineant; ideo scilicet accipiendum & edendum esse illum à Domino benedictum & fractum panem, quod is sit corpus Christi fractum pro nobis, cujus memoriam in Eucharistia celebramus. Vt ergo præceptum de *accipiendo & manducando*, clara, non summissa voce pronuntiari decet, ut communicaturi, ad quos dirigitur, ea verba audiant atque percipiant, quæ sui sunt officij; sic etiam rationem qua ad fungendum officium compelluntur & stimulantur, audiri ab iisdem necesse est, adeoque clare pronuntiari. Novitas vero secreti inde arguitur, quod ejus neque in divinis, neque in Eucharisticis veterum Christianorum litteris ulla usquam mentio fiat. Nos de absurditate hujus secreti nihil nunc quidem addemus; siquis de ea plura desidet. Danielem Chamerium nostrum adeat, qui totum hunc locum accuratissime purgavit *g* & abunde confutavit quicquid huc à Latinis rationum, sive verius, colorum adducitur, qui iis nunquam tali loco deprehensis desunt, ex ingenio, non ex rebus ipsis sumpti. Nam quoties hæ repugnant, illi ad allegorias in quibus facile est hominibus acutis ludere, veluti ad

d Bell. l. 2. de Miss. c. 12.

e Miss. R tit. rit. Rit. celebr. Miss. c. 8 § 5.

f Conc. Trid. Sess. 22. contr. 9.

g Cham. Panstr T. 4. L. 6. de Euch. c. 8. & 9.

Cap. II. ſacram anchoram confugiunt. Nos, quod noſtri eſt inſtituti, hoc unum quæremus antiquum-ne ſit, an novum, celebrantem (quod fit apud Latinos) conſecrationis verba in ſacra ſynaxi, ſecreto mutis autem apud ſe vix deductis labiis tacito murmure halare potius, quam eloqui aut pronuntiare? Bellarminus cum res ſibi in arcto eſſe intelligeret, quæſtionem ex his anguſtiis in amplum ac patentem (ut ſic dicam) campum eduxit, ubi ſibi liberior eſſet fugiendi, & ſophiſticen ſuam explicandi copia. Quæri enim vult, *h an conſuetudo Latinæ Eccleſiæ quædam ſubmiſſa voce pronuntiandi repugnet Chriſti inſtitutioni, ac proinde ſit mala ac neceſſario corrigenda.* Richeomus Ieſuita, quo nobis invidiam faceret, etiam longius eſt evagatus, qui (quod refert *i* Chamerius) ſtatum quæſtionis ita ponebat, *quaſi morem damnemus orandi interdum ſummiſſa voce*, quod à nobis noſtriſque omnibus procul eſt. Neque multo ſincerius egit Bellarminus. Ivellus quidem noſter non hoc, quod iſte dicit, ab Hardingo Ieſuita, ſed longe aliud quæſierat; *k* nimirum ſibi probari *intra ſexcentos à Chriſto annos licuiſſe ſacerdoti verba conſecrandi tacite & ſilentio ſibi demurmurare.* Hic Bellarminum conſiſtere æquum erat; non pro ſua libidine diſputationem ad alia transferre. Mihi vero, ſi id tantum quod ille proponit, ageret, nihil nunc quidem cum eſſet negotij, qui de ſecreta verborum in conſecrando pronuntiatione id unum jam quæro, recens-ne, ſit an vetus. Sed quia ille quædam affert, quæ videntur etiam ad hujus proprie ritus antiquitatem probandam pertinere, nos ea cum bono Deo excutiemus. Neque vero ſic ago, quaſi cætera vel Latinæ, vel etiam Græcæ Liturgię ſecreta, in quibus quædam orationes ſummiſſa voce pronuntiantur, antiqua eſſe concedam. Hanc enim omnem vocis in pronuntiandis apud plebem, etiam frequentiſſimam, quibuſdam Liturgiæ locis varietatem diu poſt Apoſtolos irrepſiſſe in Eccleſiam vetera rimanti patet; cum noſtrorum ingenia, pace hæc otia faciente, religionem, quam à majoribus ſimplicem, eas tamque, & fucorum ac pigmentorum expertem acceperant ex colere cæpiſſent, & ad mundi guſtum latius, & ſpecioſius, ac ut ſperabant, utilius, exoticis artibus exornare. In illa vero horridula, Chriſtianitate, quæ annos tercentum totos nuda ſub Domini ſui cruce fortiter ac glorioſe depugnavit, nihil iſtorum cernere eſt. Neque ſane ex ea quicquam adverſarij afferunt; apud quos nullum in hac diſputatione Baſilio vetuſtiorem ex antiquitate teſtem deprehendo. Itaque ſi cum Tertulliano non alia antiqua cenſeamus, quam quæ ab initio fuerint, Bellarminus effugere non poteſt, quin novum ſit, non modo conſecrationis verba, ſed etiam cætera ſummiſſa voce ſic in Euchariſtico ſacro pronuntiare, ut nunc Latinorum, vel etiam Græcorum mos eſt. Sed quia uſus ille in cæteris quidem & antiquior eſt, quam in verbis conſecrationis, & Græcorum cum Latinis communis, adhæc momenti multo levioris; nobis viſum eſt [illegible] doctiſſimo ac præſtantiſſimo Ivello, quæſtionem ad hæc ſola [illegible]

h Bell. ub. ſupr. §. Alia quæſtio.

i Chamb. ub. ſupr. c. 8. §. 2.

k Ivell. contr. Hard. init.

eorum consideratio ad institutum nostrum pertinere alicubi videbitur. CAP. II.
Nos ergo negamus verba illa in Eucharistiæ Liturgia, ut nunc fit apud Latinos, ita olim secreto fuisse pronuntiata; quia si hujusmodi mos jam olim fuisset, aliqua extaret ejus mentio in tam multis, quæ supersunt veterum de hujus sacramenti officio, ritibus & ordine commentariis. Nullam autem in iis exstare hujus secreti mentionem inde perspicuum est; quod nullum hactenus adversarij clarum certumque ea de re testimonium attulerunt.

Quod ut demonstrem, expendenda sunt, quæ diligentissimus ac studiosissimus disputator Bellarminus ad hanc controversiam citavit. Ille ergo inprimis Basilium objicit, l docentem *multum conferre ad dignitatem & reverentiam conservandam mysteriorum, ut non assuescant homines eadem sæpius audire, vel potius, ut non efferantur ad annos vulgi.* Hæc ille. Sed primo quisquis de cætero sit Basilij in objecto loco sensus, esse nihil eum ad propositam quæstionem pertinere manifestum est. Quæro enim an olim in Eucharistiæ sacro verba consecrationis *secreto*, an clare aperteque pronuntiata sint. Iam hujus ipsius Basilij Liturgia disertissime præcipit m illa verba clare pronuntiari. Nam ubi ad hunc locum ventum est; *Sacerdos (inquit) caput inclinat, & dexteram suam reverenter extollens benedicit sanctum panem clara voce dicens, Dedit sanctis suis discipulis, & Apostolis dicens, Accipite, comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Chorus canit Amen.* ὁ ἱερεὺς κλίνει τὴν κεφαλὴν, καὶ αἴρων τὴν δεξιὰν αὐτοῦ μετὰ εὐλαβείας, εὐλογεῖ τὸν ἅγιον ἄρτον, ἐκφώνως λέγων, ἔδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις, εἰπὼν, λάβετε φάγετε. τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Ὁ χορὸς ψάλλει, Ἀμήν. Vides ut ipsa illa consecrationis verba, de quibus nunc quærimus, Basilius, non *secreto* & summissa, ac prope nulla voce, sed *clara*, & in auribus populi sonante ἐκφώνως, à celebrante pronuntiari jubeat. Ipse Bellarminus paulo post fatetur n *verba consecrationis in Ecclesia Orientali* (id est ea Ecclesia, cujus Basilius illustrissimum membrum fuit *alta voce pronuntiari consuevisse, idque apertissime constare ex Liturgia Chrysostomi.* Cur non addidit, & *Basilij* non minus hâc in rem diserti? Fingat ergo vel cætera omnia quæ libuerit, Basilium voluisse secreto pronuntiari; illa certe consecrationis verba, de quibus quærimus, negare non potest eum & pronuntiasse ipsum, & à cæteris sacerdotibus pronuntiari voluisse ἐκφώνως *clara voce.* Itaque necesse est Bellarmini ex Basilio probationem hac quidem in parte frivolam esse ac futilem. Sed neque ad cætera, quæ hic quidem controverti possunt, quicquam valet ille Basilij locus, ut eo plane abusus sit in rem suam Bellarminus, lectoribus imperitis nimis inverecunde illudens; quod equidem mirarer à viro alioqui docto tam secure factum esse, nisi scirem quo & hunc & alios hoc nequaquam deteriores viros impotens animi studium abripere soleat. Quæ enim loco illo objecto agit Basilius, ea sunt ab hac causa plane penitusque aliena. Hic quæritur, an verba liturgiæ Ecclesiasticæ consecratoria

l Bell. L.2. de Miss. c.12. §. Et quidem Kemnitius.

m Liturg. Basil T.1. Bibl. Patr. Gr.Lat. p.51. A.

n Bell. ub. supr. § Resp. verba.

Cap. II. ria (ut loquuntur cum id sacrum peragitur, à celebrante sint clare apud fideles, qui communicaturi adsunt, & sacram mensam circumstant pronuntianda Basilius negat sacros Christianorum mysteriorum ritus quibusvis esse temere efferendos, eamq; ob causam non scripto publicatos, sed ore à Patribus traditos fuisse adfirmat. o Duo enim esse eorum, quæ in Ecclesia servantur, genera, *altera quidem* (ipse κηρύγματα vocat) *quæ è doctrina scripto tradita habemus* ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας; altera vero (δόγματα) *quæ ex Apostolorum traditione ad nos in mysterio, sive in occulto propagata excepimus*, ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα. In hoc secundo ordine censet baptismi multos, quos refert, ritus, quosque ait p *haberi ex hac minime publicata & arcana doctrina*) ἐκ τῆς ἀδημοσιεύτου ταύτης καὶ ἀπορρήτου διδασκαλίας, *quam* (inquit) *Patres nostri silentio quieto minimeque curioso servarunt* ἣν ἐν ἀπολυπραγμονήτῳ σιγῇ οἱ πατέρες ἡμῶν ἐφύλαξαν. Et laudat, quod ita instituerint. *Nam* (inquit) *quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conveniebat eorum doctrinam publicitus scripto circumferri?* ἃ γὰρ οὐδὲ ἐποπτεύειν ἔξεστι τοῖς ἀμυήτοις, τούτων πῶς ἂν ἦν εἰκὸς τὴν διδασκαλίαν θριαμβεύειν ἐν γράμμασιν; Tum nonnullis de eodem argumento interjectis, alterum, prædicationum scilicet τῶν κηρυγμάτων à *dogmatis* (δογμάτων) discrimen constituit, q *quod hæc quidem sileantur, illa vero publicentur.* τὰ μὲν γὰρ δόγματα σιωπᾶται. τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύεται. Κηρύγματα autem *prædicationes* vocat ea fidei nostræ capita, quæ Scripturis sacris tradita credimus atque amplectimur; Δόγματα vero *dogmata*, sive *decreta*, ritus quibus sacramenta in Ecclesia ministrantur. Duplex inter utrumque genus discrimen statuit; Prius, quod κηρύγματα sint ἔγγραφα in Scripturis tradita, δόγματα, arcana & ἀγράφῳ traditione ad nos propagata pervenerint; Alterum, quod illa quidem publice prædicentur, & apud quovis ex Ecclesiæ ambone explicentur; hæc vero non ita, sed in arcano procul profanorum, & omnium non initiatorũ oculis cum solis fidelibus communicarentur. In his duobus situm est illud, quod Basilius dicit *dogmatum* silentium; quod ea scilicet neq; scripto essent tradita, neq; publice pro concione explicarentur. Ita cupiendũ quod ait *dogmata sileri*; nõ absolute, quasi velit nullũ unquã de iis verbũ fieri, ne apud eos quidem quos vel initiabãt, vel ad Eucharistiã jã ante initiatos admittebãt (quod plane stultum ac ridiculũ esset) sed comparate ad τὰ κηρύγματα; quod illa non ut hæc vel in Scripturis essent tradita, vel apud quosvis publice prædicarentur; sed quod viva voce tantum; non autem litteris essent tradita, quodq; apud solos initiatos, non autẽ palam apud quosvis enuntiarẽtur. Hoc illud est silentiũ, *quo* Basilius *mysteriorũ venerationẽ conservari* dicit r hoc illud κεκρυμμένον καὶ ἀφθεγκτόν, quo *Patres* ait *suã mysteriis servasse dignitatem*. Itaq; cum negat *mysteriũ esse, quod ad populares & vulgares aures effertur* οὐδὲ γὰρ ὅλως μυστήριον τὸ εἰς τὴν δημώδη καὶ εἰκαίαν ἀκοὴν ἔκφορον; his verbis significat non omni, qui in populo censetur, etiã initiato, abscõdi mysterium, sed non cuivis de vulgo temere ac promiscue, etiam profano, ἀμυήτῳ, prodi. Eodem denique pertinent, quæ addit, *rationem*; *cum* quædam

o Basil. de Spir. S. c. 27. T. 2. p. 351. C.

p Ibid. p. 352. A. B.

q Ibid. D.

r Ibid. p. 332. C.

s Ibid. D.

quædam tradita sint absque scripto, hanc ne dogmatum, id est ritum sacrorum) *cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum.* ὅπως ὁ λόγος ὁ τῶν ἀγράφων παραδόσεως, ὡς μὴ καταμεληθεῖσαν τῶν δογμάτων τὴν γνῶσιν εὐκαταφρόνητον τοῖς πολλοῖς γενέσθαι διὰ τὴν συνήθειαν. Ne scilicet cognitio, quæ cuivis pateret, quæque nullo labore & studio, nulla cura haberi posset, hac ipsa facilitate vilesceret. Hæc omnino Basilij est in eo loco mens atque sententia; ut cuivis locum inspicienti patet. Vnde nunc apparet; quanta Bellarmini fuerit in eo obiiciendo loco fraus, vel certe securitas; qui res tam à proposita quæstione alienas ob aliquam duntaxat verborum similitudinem satis lectoribus suis futuras speravit; quasi scilicet sacros mysteriorum ritus neque scripto, neque publica prædicatione vulgare (quod loquitur Basilius) idem sit, quod verba Liturgiæ in Ecclesiastica Synaxi non clara sed summissa voce *pronuntiare* (pro quo pugnat Bellarminus) vel quasi arcanos sacramentorum ritus fidelibus initiatis clare enuntiare (quod nos defendimus) idem sit ac eosdem quibusvis hominibus, etiam non initiatis, etiam plane profanis & atheis prodere, quod Basilius absurdum ac periculosum putat.

CAPVT. III.

Solvitur loc. 2. à Bellarm. allatus pro secreto verborum consecrationis, qui est Innocentij P.R.I. Eum locum, æque ac superiorem è Basilio allatum, ad veterum disciplinas pertinere de non vulgandis apud profanos needum initiatos sacris mysteriorum officiis. Argumentum in Latinos retorquetur.

EAdem est Bellarmini ad Innocentij P.R.I. testimonium, vel fraus, vel certe hallucinatio *Ille t* (inquit) *interrogatus, quo tempore in mysterio Missæ pax danda est, indicat præcipuam partem Missæ esse secretam.* Quid ita? *Quia* (inquit) *non audeo u aperire, quæ sint illa quæ recitantur, antequam pax detur. At si totus populus illa omnia audire consuevisset, certe nihil fuisset secretum, nihil arcanum & facile potuissent litteris committi, quæ erant vulgo omnibus nota.* Atqui hæc quoque ad veterem quarti, quo vixit Basilius, & quinti, quo Innocentius, sæculi disciplinam itidem, ut superiora, pertinent. *Ea* (inquit Innocentius) *post quæ omnia pax est* (in mysteriis scilicet) *indicenda, aperire non debeo.* Quidni? Nimirum ritus mysteriorum sacros, neque chartæ ac litteris committere, neque cuiquam non initiato aperire fas putabant Cum ea ergo, quæ in Synaxi fiebant antequam pax daretur, ad ritus illos sacros pertinerent, hic se Innocentius ex sui ævi more ac legibus gerit, negans *ea se aperire debere.* Id enim erat vetitum. Verendum scilicet erat ne epistola, si hic illa aperuisset, in alicujus hominis non initiati manus incideret, qui ea inde disceret ac vulgaret. Ergo & hanc & cæteras Missæ

t Bell. L. 2. de Miss c 12. §. ex Latina.
u Innoc. ep. 1. c. 1.

Caput III. sive Eucharisticæ Liturgiæ partes tū populo atque omnes ignotas fuisse, hinc quidem colligere potes; Sed cui *populo*? Profanorum, id est nondum initiatorum; quales erāt Ethnici, & inter ipsos Christianos Catechumeni; Populo vero *fidelium*, quorum Eucharistiæ Sacrum *Missa* dicebatur, ista ignota fuisse, hinc nemo nisi stultus & moris antiqui ignarus concluserit. Falsissimum ergo est, quod Bellarminus hinc ridicule elicit illa *TOTUM* populum minime audivisse; si totum quem dicit *populum*, eum *fidelium* intelligit, quem nisi intelligit, nihil hic ad rem disputat. Parem Innocentianæ de istis reticentiam sive ἐχεμυθίαν apud illorum temporum scriptores animadvertimus, quoties aliqua hujus similis occasio occurrit. Ibi fere negare solent sibi dicere, quæ ille locus alioqui requireret, ea aperte liquidoque dicere; ne forte adsint vel exteri, vel Catechumeni, id est homines non baptizati, ἀμύητοι *non initiati*. Exempla sunt apud Chrysostomum, Theodoretum, Augustinum & aliós ejusdem ævi innumerabilia. Ergo (inquit Bellarminus) *præcipua* pars Missæ erat secreta. Imo inquam, non tantum præcipua pars, sed omnes Missæ (quæ fidelium erat) partes, & quæcunque vel ad materiam, vel ad ritus sacramentorum solennes pertinebant, plane secreta tum erant. Hæc occultata, neque nisi parce, ac velut in maligna luce ostensa fuisse confiteor; Catechumenis inquam, & nondum initiatis; quorum per illa tempora ingens erat Christianis passim permixta multitudo. Vnde patet quam inepta sit Bellarmini ratiocinatio inde concludentis, & ista, quæ hic Innocentius, & alia quæ cæteri Patres paribus locis tacent ac eloqui verentur fuisse fidelium populo sacra audienti ac spectanti (id est plebi hominum initiatorum) ignota. Imo vero, hæc omnia tam initiatis nota id est fidelibus quam ἀμυήτοις (id est exteris & Catechumenis) ignota erant. Itaque hæc Patres, quę tacent, ac ne efferantur, timent iidem ipsis illis in locis affirmant fuisse initiatis nota. Vnde illæ formulæ οἶδας ὁ μεμυημένος, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, *Nosti qui initiatus es, Sciunt initiati*, apud Græcos, & hæc apud Latinos, *Norunt fideles*, & cætera de hoc genere Patribus familiaria, quæ miror Bellarmino non venisse in mentem. Ostendunt enim clarissime istas mysteriorum partes quibus ignotæ erant, iis ideo ignotas fuisse, quod ipsi à sacra Synaxi arcerentur, non autem quod in ea occultarentur, vel secreto ita dicerentur, ut nemo præsentium audiret; qua nunc arte Latini hanc sui mysterij de qua disputamus partem, non hominibus, ut veteres, *initiationis* expertibus, sed fidelibus ipsis, imo etiam Clericis, & sanctissimis quibusque occultandam putant. Eodem pertinent, quæ Innocentius paulo post in hac ipsa epistola, cum quædam dixisset de ritu, quo Presbyteri baptizatos chrismate vngebāt, statim subjicit; *Verba vero* (inquit) *dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere*. Hinc si Bellarmini Dialecticā sequimur, argumentabimur verba illa, quę dicere refugit Innocentius, secreto fuisse in baptismi vel chrismatis officio pronuntiata; quod inauditum est non modo in veterum, sed & in ipsorum Latinorum disciplina. Atqui eadem

a Innoc. ibid c. 3.

omnino

omnino est Bellarmini ex priori loco ratiocinatio, vel ut verius dicam, deliratio, verba quæ in Eucharistico sacro antequam pax indiceretur, secreto pronuntiata fuisse inde hariolantis, quod ea se Innocentius neget aperire debere. Tam hæc quam illa, aperte ac palam, hæc in Eucharistiæ, illa in baptismi mysterio dicta fuisse, ex ipsis Patrum locis quæ sunt ejusdem generis, vere certoque colligitur. Cum enim illi hæc ipsa quæ non initiatos celant, initiatis fuisse nota testentur; nota autem non aliter esse potuerint, quam si clara voce apud eos pronuntiata fuerint; hinc profecto quivis intelligit illa verba in veteri Ecclesia clare liquidoque in omni synaxi fuisse pronuntiata, cui scilicet neminem interesse, nisi initiatum fas erat. Atque ita suum Bellarmino argumentum plane in caput recidit, & caussam, cui constituendæ allatum erat, valide subvertit.

CAPVT IV.

CAPVT IV.

III. *Bellarmini ex veteribus Liturgiis ducta objectio expenditur, & in ipsum retorquetur. Eorum quæ in aliis Liturgiarum locis secreto dicuntur, ratio.*

SEd hæc peccata Bellarminus alio cumulat etiam multo fœdiori. Huc enim tertio adfert antiquam Liturgiam tum Græcæ tum Latinæ Ecclesiæ. Ac de hac quidem nihil aliud edit, quam id ipsum Innocentij testimonium, quod jam jam dissolvimus nihilque cum presenti causa commune habere ostendimus. De Græca vero testes citat ipsas Basilij ac Chrysostomi Liturgias. Quid ergo? Illa-ne jubent sacerdotem verba consecrationis secreto sic apud se demurmurare, vt ne ejus quidem auricula linguæ suæ sonum audiat, ut nostri nunc Latini faciunt? Imo vero plane aliud, & quidem disertissime jubent. De Basiliano jam diximus; quæ ipsa illa consecrationis verba sacerdotem docet ἐκφώνως λέγειν, id est *alta* (vt interpres Latinus) vel ut ego malim *clara voce pronuntiare.* Omnia eadem occurrunt in Chrysostomæa; *Sacerdos inclinat caput, & dextram suam reverenter attollens benedicit sanctum panem, alta voce dicens, Accipite, comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum.* Ὁ ἱερεὺς κλίνει τὴν κεφαλὴν, καὶ αἴρων τὴν δεξιὰν αὐτοῦ μετὰ εὐλαβείας εὐλογεῖ τὸν ἅγιον ἄρτον ἐκφώνως λέγων, λάβετε τοῦτό ἐστι, &c. His Bellarminus testibus probat apud veterem Ecclesiam consecrationis verba summissa voce fuisse prolata. Ego vero, vt hoc ejus argumentum confirmem his duas alias Græcas Liturgias addo; Priorem Petri, quæ cum ad hunc, locum ventum est, sacerdotem quoque inducit *clara voce ista pronuntiantem, Accipite, comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*; & mox *clara* pariter voce illa altera efferentem, *Bibite ex hoc* (calice) *omnes. Hic est sanguis meus. Populus, Amen.* λέγων ἐκφώνως, λάβετε, φάγετε, &c. Item λέγων ἐκφώνως πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου. ὁ λαὸς, Ἀμήν. Altera est Marci, in qua ille Magistro suo concinit; a *Sacerdos clara* (inquit) *voce Accipite, comedite, &c. Hoc est enim corpus meum, quod pro*

y Lit. Chrys. Bibl. Patr. T. 2. Gr. Lat. p. 78. D.

z Lit. Petr. ibid. p. 120. E.

a Lit. Marc. ibid. p. 37. B.

Caput IV.

vobis frangitur & distribuitur in remissionem peccatorum. Populus, Amen. ὁ ἱερεὺς ἐκφώνως, &c. τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. Sic & de calice; *Sacerdos clara voce* pergit; *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum. Populus, Amen.* ὁ ἱερεὺς ἐκφώνως τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, &c. Non alios equidem testes, quam hos ipsos Bellarminianos requiro. Si hi audiantur, vicimus. Clare præcipiunt, quod nunc Latini vetant, in Missæ officio clara voce pronuntiari illa Christi verba quibus illi consecrationem fieri volunt. Si ergo quod Liturgiæ habent, vetus; necessario fatendum est, quod nunc Latini faciunt, id plane novum esse. Neque est, quod Bellarminus respondeat ita factum in Ecclesia Orientali, in Occidentali aliter. Petrum suum, si non fastidit Græcissantem, audiat. Ille ni sua Ecclesia (quam ni fallor Romanam fuisse Bellarminus non negaverit) idem quod in Orientali, factum esse & quidem ex sua disciplina, exserte clamat. Sed de Occidentali Bellarminus, quod ponit, id vnus ponit. Neminem de veteri Occidente suæ præsumptionis testem habet & quem dederat Innocentium, plane aliud, quam quod ipse cupit, dicere demonstravimus. Iniquum est autem, quod postulat, sibi vni in sua caussa credi, nullo veteris memoriæ testes, de antiquitate affirmanti.

Sed esto, inquis. Ex his Liturgiis Bellarminus nihil pro verbis consecrationis proprie vicerit. Illud certe, quod contendit, *b* vicit, quamquam verba consecrationis apud Græcos clara voce efferrentur, *tamen alia quædam submissa voce ac plane secreto pronuntiata apud eos fuisse*; neque adeo mirandű esse, si Latinis, & alia quædam, & hæc ipsa consecrationis verba secreto pronuntiare pro suo jure licuerit. Ad hæc ego respondeo, primo utcumque ista se se habeant, illud quod posui firmum ac inconcussum manere, illa scilicet consecrationis verba non nuper aut nudius tertius apud Græcos clara voce pronuntiari cœpisse (nam illi nunc plane ita instituunt, contrario Latinorum ritu) sed jam olim Chrysostomæis ac Basilianis temporibus sic pronuntiata fuisse. Latinos eorundem temporum aliter factitasse tum credemus, cum adversarij testibus & argumentis idoneis probaverint. Hactenus quidem cum Bellarminus nihil ad id probandum attulerit, quod non sit futile, & ab ipsa quæ agitur, caussa alienum, veri multo similius videtur Latinorum eundem priscis illis temporibus, vt in cæteris plærisque, ita in hoc quoque ritum fuisse cum Græcis, ut verba scilicet consecrationis clare pronuntiarent, imo id verum esse, nos ut spero statim idoneis argumentis demonstrabimus. Secundo, ut de generali illa Bellarmini conclusione satisfaciam, concedo sane ex illis Basilij & Chrysostomi Liturgiis valide quidem confici apud quas Ecclesiæ in vsu erant, puta apud Cæsariensem & Constantinopolitanam, non omnia fuisse clara, Sed quædam summissa voce pronuntiata; quod disertius docent ipsæ Liturgiæ, quam ut verecunde possit negari; itidemque factum fuisse Alexandriæ & Romæ, quo tempore illæ à nobis memoratæ Petri & Marci Liturgiæ apud eas urbes obtinuerunt

b Bell. ub. supr. §. Resp. verba cons.

obtinuerunt (si tamen revera unquam istic obtinuerunt). Cæterum perperam inde concludi per quoque fuisse apud omnes Orientalis Ecclesiæ urbes, vocis in celebrando Eucharistiæ sacro discrimen. Id enim ne ex his colligi possit, obstat verbi gratia Iacobi Liturgia à qua abest omnis illa quædam ἐκφώνως clare, quædam μυστικῶς secreto pronuntiandi varietas; ut hinc appareat apud Ecclesiam Hierosolymitanam, quæ illa Iacobi sui Liturgia utebatur, omnia uno eodemque vocis modo, id est clare aperteque fuisse pronuntiata (Nam ut omnia secreto demurmurata fuerint, nemo credo, sanæ mentis admiserit) Quod satis evidenti argumento & omnia primum apud vetustissimos Christianos simpliciter ac bona fide ita fuisse pronuntiata, ut ab omnibus præsentibus audiri possent: minutam illam ac morosam quæ ex arte est, vocis hic summittendæ, alibi vero extollendæ disciplinam postea accessisse: quod animis, ut jam supra *c* diximus, pace luxuriantibus, & otio abundantibus quodam pristinæ simplicitatis fastidio, religionis Christianæ cultum hoc & cætero novorum inventorum suggestu extruere atque exornare placuisset. Tertio denique respondemus Græcanici illius vocis in quibusdam vel attolendæ vel summittendæ instituti rationem plane esse ab eo, de quo quærimus, verborum consecrationis secreto alienam. Quod ut intelligamus, afferendæ sunt ex Nicolao Cabasila, doctissimo ac locupletissimo rituum suæ gentis interprete, rationes vocis ita in hoc sacro discriminandæ. Ille ergo ita rem explicat: *d Interea dum* (inquit) *petitiones prait Diaconus & sacer orat populus Sacerdos intus orat per se* (apud se) *submissa voce pro adstantibus, & pro hac sancta domo, ut eis divites infundantur misericordia & miserationes à Deo:* & adjicit caussam propter quam ipse hæc petit. Tum paulo post sic pergit. *Propterea cum perfecit orationem, hanc ætiologiam* (caussæ allationem) *quia est in extrema parte, & est glorificatio, sic legit,* * *ut eam omnes audire, possint: nimirum ut omnes hymni participes accipiat, & Deus ab omni Ecclesia laudetur. Audientes ergo sunt hymni cum illo participes. Postquam enim ille dixit, & glorificavit, fideles omnes Amen dicunt, & cum omnes acclamarunt, omnes illius voces, ut proprias sibi assumunt.* Hæc ille ad primum (ut Græci vocant) *antiphonum* quod incipit, *Domine Deus noster cujus nec potentia æstimari, &c* (est in Liturgia Chrysostomi p.66.A) Secundi, quod incipit, *Domine Deus noster serva populum* (quod est ibidem p.67.A) Similem reddit rationē: *Cum peragebantur psalmodia* (inquit) *& fideles orabāt, sacerdos postquam intus ad Deum fecit orationem* (secreto scilicet & apud se, ut prius) &c. *causam adducit inprimis opportunam & convenientem, Quia tua est potentia,* &c. *Et hanc causæ redditionem* (ætiologiā) *qua scilicet est glorificatio, omnium fidelium auribus inclamat:* id est ἐκφωνεῖ, vel ἐκφώνως λέγει Similia ad tertiū antiphonum observat quę nihil necesse est exhibere. Sunt enim pręcedēntiū plane gemina. In his vide causā sane probabilē, cur sacerdos vocē vel attollat, vel summittat. Nimiū dum populus præeunte Diacono orat vel psallit, sacerdotē par est (quē neq; feriari neq; Diacono pręeunti succinere decet) orare interea, sed apud se ἡσυχῇ, quiete, & sūmissiori

CAP. IV.

c Supr.c.1.

d Cabasil. Exposit Liturg c.15. T. 2 Bibl. Patr. Gr lat.p.21. E.

* ἐκφώνως, ἵνα πάντες ἀκούσωσι, ...

CAPVT. IV.

voce, ne populo eodem tempore oranti obstrepat. Sed neque plebem decet sacerdotalis orationis plane expertem esse. Ergo neque illud inepte sacerdos, quod desinente plebis prece ipse ultimam suæ partem, quæ ætiologiam suæ petitionis, id est Dei glorificationem continet, clara voce pronuntiat, ut ei auditæ ac perceptæ plebs *Amen* suum succinere, & hoc suo voto totius orationis particeps fieri queat. Ista vero, quæ Cabasilas observat, adeo clare elucent in ipsa Græcorum Liturgia, ut ea ipse etiam Bellarminus animadverterit. *e* Scribit enim de Græcorum liturgiis adversus Kemnitium disputans, nos in iis moneri *Sacerdotē illas preces secreto recitare, dum Diaconus alta voce canit Litaniam, vel dum cantores alia quædā concinunt; proinde non posse populum iis attendere quæ dicit sacerdos*. Ergo inquam, ipsa rei atque decori ratio sacerdoti Græco necessitatem vocis talibus locis summittendæ imponit: quo fit, vt Græcanica ista vocis summissio evidenti ratione, nitatur, quodamque modo necessaria sit. Siqua sint in Latinorum Liturgia, quæ à Sacerdote ob hanc vel aliam similem rationem summissa voce pronuntientur ea nos minus quidem morabimur: An sint: non est operæ pretium diligentius inquirere. Vtcumque enim cætera hujus generis se se habeant, illud quidem clarum atque certum est, nihil ea cum illa ratione commune habere verba consecrationis, de quibus nunc proprie quærimus; Neque vero Latini cur ea summissa voce recitent, vel populi Diacono præeunte preces (quæ nullæ sunt hoc loco) neque quicquam eorum simile caussantur, quæ Cabasilas pro Græcorum ritu attulit: sed vocis tum hic, tum in aliquot aliis Liturgiæ locis summittendæ rationes ab illa Græcorum elegantia plane alienas adducunt, à frigidis & inanibus ac pæne puerilibus allegoriis petitas, quæ post inductum ritum inventæ sunt, Gotthici sæculi, quo ista exorta sunt, sapientiam redolentes, ne omni colore careret rei in sensus incurrens absurditas. Græci multo melius, atque prudentius, qui illa ipsa verba clara voce pronuntiari præcipiunt, quæ Latini adeo summisse dicunt (si tamen dicunt) ut nullæ quantumvis attentæ aures ullum vel vocis murmur aut sonum ex ore celebrantis exire deprehendant. Sane ex erudita Cabasilæ de hoc argumento disputatione apparet verba illa clara voce efferri ἐκφωνητικῶς Græcorum more docuisse: non autem voce, quod Latini faciunt, non tam summissa, quam suppressa obteri atque obliterari. Continent enim gravissimam ac omnium fidelium summa attentione dignissimam officii in hoc Sacro nostri *ætiologiam*, id est rationem ac caussam. Docet enim Cabasilas ea maxime verba, quæ hujusmodi ætiologias continent, sacerdotes suos clariore sono pronuntiare, ac ut ipse loquitur εἰς ἐπήκοον πάντων ἀναγορεύειν καὶ βοᾶν ἐν τοῖς ἁπάντων ὠσὶ τῶν πιστῶν. Merito sane, siquid judico: quod caussas rerum ad pietatem pertinentium apud fideles quidem eloqui atque publicare & decet & necesse est, tacere vero, & quod eodem recidit, ita apud te demurmurare, ut nemo te audiat, est longe absurdissimum.

e Bell. l. 2. de Miss. C. 12. §. secundo habemus.

CAPVT V.

Prodigium de Pastoribus igne cœlesti peremptis ob pronuntiata verba consecrationis ad quod referunt legis de secreto Missali originem; ex confirmento legis novitas arguitur. Discutitur Bellarmini ad fulciendam fabellam vafrum commentum. Moschi quamquam similis, alia tamen ab hac narratio.

SEd ut in tragœdiis ad solvendos rerum humana arte inexplicabilium nodos Poetæ Deos de cœlo evocatos in machina repræsentant, ita Latini hoc loco cum suum illud secretum omni ratione carere intelligerent, cum absurdis, quibus involuitur satis explicari posse desperarent ad miraculum de more confugerunt, quod in agris accidisse narrant, cum nescio qui Pastores illa, quæ nunc secreto dicuntur verba, temere inter se cantassent, lapsum de cœlo ignem homines repente tetigisse, & in cineres solvisse; Hac de caussa latam legem ne deinceps verba clare aperteque recitarentur in sacris, Fabulam, ut in fictis incertisque usu venire solet, non uno eodemque modo omnes componunt. Ejus primus meminit auctor, libri de divinis officiis, quem Bellarminus quidem Alcuinum, cujus nomen vulgo præfert, esse putans, ante annos 800. floruisse falso affirmat. Chesnæus, & alii eruditi multo fuisse Alcuino recentiorem deprehenderunt; ex quorum rationibus, omnino post decimum sæculum floruisse comperitur. Is Pseudo Alcuinus ubi eam Canonis orationem explicat, quæ incipit, *Te igitur Clementissime Pater* &c. pauca de Deo in spiritu adorando præfatus: rudem fabellam, ac ut videtur, ab incude adhuc calentem ita tradit; *Idcirco ut ferunt, consuetudo venit in Ecclesia, ut tacite ista obsecratio atque consecratio à sacerdote cantetur ne verba tam sacra, & ad tantum mysterium pertinentia vilescerent, dum pene omnes per usum ea retinentes, per vicos & plateas, aliisque in locis, ubi non conveniret, ea decantarent. Inde fertur, quod antequam hæc consuetudo inolevisset, cum pastores ea decantarent in agro, divinitus sint percussi* Hæc ille, neque plura. Si diem & Consulem quæris, quo vel illa de *tacito cantu* mirifica lex lata est, vel quo Pastores illi divinitus percussi; Si rogas, quis legis auctor, quæ Pastorum patria, quæ habitatio, quod nomen: verecundus homo Pseudo Alcuinus quæstionum istarum crucem deprecatur: Se res afferre non visas, aut compertas: sed fama acceptas. Itaque, sibi cavens in hanc omnem & legis & miraculi fidem transfert, *Vt ferunt* (inquit) *consuetudo venit in Ecclesia* &c. & fabulam exordiens, *Inde fertur* (inquit) *cum Pastores* &c. Pessimum auctorem & legis & facti dicit vulgi rumorem communem famam: id est *malum, quo non aliud velocius ullum*: famam tam ficti falsique tenacem, quam nunciam veri. Post Pseudo-Alcuinum, Hugo de S.

f Bell. lib. supr. 9 Resp. Miraculum

g Chesn in edit. Alcuini sum. Vide etiam Blondell. de Euch.

h Alcuin. de div. Offic. Tit. de celebrat. Miss. T. 10 Bibl Patr. p. 284. D.

Victore

Caput V.

victore eandem fabellam ad hunc quoque locum recitat; *In primitiva Ecclesia* (inquit) *alta voce proferebatur* (secretum) *donec Pastores memoriter ex quotidiano usu verba retinentes in campis eadem cantabant. Sed ipsi divina vindicta ibidem percussi sunt. Unde Ecclesia consuevit propter reverentiam tantum mysterium secreto agere.* Eadem quoque nobis obtrudit sed altero miraculo auctiora, Ioannes Beleth, Theologus Parisiensis, quem Miræus an. D. 1162. claruisse tradit; k *Secreta* (inquit) *dicitur, quæ secreto pronuntiatur, cum olim tamen alta voce diceretur: unde & ab hominibus laïcis dicebatur. Contigit igitur, ut quadam die Pastores panem super lapidem quemdam ponerent; qui dum hujus secretæ verba proferrent, in carnem conversus est, & forsitan transsubstantiatus, ut sic loquar, in corpus Christi.* Tum narrat in eos divinitus factam esse acerrimam vindictam. Nam percussos esse divino judicio cœlitus misso. *Unde statutum est* (inquit) *ut de cætero sub silentio diceretur.* Hæc ille. Nimirum ut fluvii, ita & fama, & quæ ex ea fabulæ, eundo crescunt, & vires acquirunt. Pseudo-Alcuinus dixerat *pastores illam secretam in agro cantasse*, Belethus alia, sive de suo, sive de famæ penu addit *pastores panem super lapidem posuisse*, tum *illum panem in carnem conversum*, ac suam conjecturam, *forsitan in corpus Christi transsubstantiatum esse*. Pseudo Alcuinus narrabat *pastores divinitus percussos*. Belethus omnes iudicio *cœlitus misso* percussos. Denique quæ ille verecunde & ex fama retulerat, *fertur* (inquit) *quod Pastores*, hic confidenter pro veris affirmat; *Contigit* (inquit) *ut Pastores* & Partem ex Pseudo Alcuino, partim ex Beletho, paulo eo junior Honorius Augustodunensis; m *Fertur* (inquit) *dum canon primitus publice quotidie recitaretur, ut ab omnibus per usum sciretur, & cum eum Pastores in agro super panem & vinum dicerent, repente carnem & sanguinem ante se invenirent, atque inde divinitus percussi interirent. Unde Synodali decreto sub anathemate præceptum est, ut nullus canonem dicat, nisi in libro & in sacris vestibus, & nisi super altare & super sacrificium.* Hinc cæteri similia produnt; omne de carne pro pane inventa, ut hic habet, vel ut cæteri, ex pane per subitam conversionem facta magno consensu memorant. Gulielmus Durantes Mimatensis Episcopus, qui sæculo decimo quarto jam adulto floruit; *Fertur* (inquit) n *quod cum antiquitus publice & alta voce canon diceretur, omnes pane per usum illum sciebant, & in plateis & in vicis decantabant. Unde cum quidam Pastores illum in agro cantarent, & panem super lapidem posuissent, ad verborum ipsorum prolationem panis in carnem conversus est; ipsi tamen divino judicio igne cœlitus misso percussi sunt; propter quod Sancti Patres statuerunt verba ista sub silentio dici, inhibentes sub anathemate ne proferantur, nisi à sacerdotibus super altare, & in Missa & cum vestibus sacris.* Gabriel Biel, celeberrimus Scholæ Theologus, eadem de verbo ad verbum in suum de Missæ canone opus transtulit. o Atque hi duo genus pœnæ, quo miseri isti Pastores affecti sunt, nominatim definiunt, eos scilicet igne cœlesti percussos interiisse. Ad hæc Biel subtilitate scholastica de illa conversione

i Hug. Vict. in Theol. erudit. c. 7. Bibl. Patr. T. 10. p. 1358. B.

k Mir. de Script. Eccl. c. 18. ad Henr. Gand.

l Bel. divin. offic. c. 44.

m Hon. Gen. m. an. c. 103 T. 10. Bibl. Patr. p. 1209.

n Durant. Rat. div. offic. l. 4. c. 35.

o Biel in Can Miss. Lect. 15. litt. E.

panis

panis in carnem philosophatur; *factam* negans *virtute illorum verborum; quoniam nisi prolata à sacerdote rite consecrato cum debita intentione virtutem habent conversivam substantiæ panis in corpus Christi; sed aliunde factam esse divino miraculo; quomodo cruor fertur effluxisse de hostia consecrata ad punctionem infidelium Iudæorum.* Hæc ille; solerter sane & sagaciter ad salvandam illam, quam dicit Latinorum *κοινὴν δόξαν*, non ab alio scilicet, quam à legitimo sacerdote Eucharistiam posse confici. Dubito tamen, an hæc fuerit eorum, qui primi hanc fabellam finxerunt, mens atque sententia; ex qua nihil necesse fuisse videtur legem de verbis illis secreto pronuntiandis ferre; satisque futurum fuisse propositæ hac tam gravi Pastorum illorum pœna homines à temere proferendis illis verbis deterrere. Huc accedit, quod primi auctores de illa conversione plane sic loquuntur, ut Latini de sua transsubstantiatione loqui solent; Beleth; *Dum huius* (inquit) *secreta verba proferrent, panis in carnem conversus est.* Honorius; *Cum canonem* (inquit) *Pastores super panem & vinum dicerent, repente carnem & sanguinem ante se invenerunt.* Durantes, sed & ipse Biel. *Cum pastores canonem in agro cantarent, ad verborum ipsorum prolationem panis in carnem conversus est.* Omnes vident Latinos de transsubstantiatione, quam in Eucharistia fieri docent, eodem plane modo loqui, ut significent vi illorum verborum fieri, ut panis in carnem mutetur. Ergo & primos istos fabulatores idem significasse verum est; non ita tamen, ut vellent verba proprie ipsa id effecisse vi aliqua physice illis & *realiter* indita atque infusa (nam neque hoc credo, sensu Latini panem in Eucharistia vi horum verborum mutari dicunt; sed quod ex Christi Domini instituto, promissione ac pacto simulatque illa verba pronuntiantur, statim Dei opere & manu fiat illa conversio. Vnde clarum est istos vel non sensisse, vel certe cum hæc ita scriberent, non satis attendisse ad illud, quod Gabriel hic affert, Latinorum dogma, verba canonis vim illam conversivam non aliter habere, quam cum à sacerdote rite pronuntiantur: mirabili illa virtute carere, quoties eorum, qui sacerdotes non sunt, ore proferuntur. Neque mirum videri debet, quod illi veteres hæc verba crediderint etiam ab homine laïco pronuntiata eam vim habere, ut panem in carnem, & quidem in Christi carnem convertant. Certe Ioannes Moschus ipse ille, quem Bellarminus hujus sive fabulæ, sive historiæ scriptorem fuisse putat, in eodem opere, sed diverso capite, narrat *p benedictiones* (*τὰς εὐλογίας*) cum frater quidam laicus verba sancta oblationis, eas ferens dixisset, *statim fuisse sanctificatas ac perfectas.* Denique nisi hæc ita se habuerint, vanum ac vacuum est in illa Latinorum narratione totum panis in carnem mutati miraculum. Simpliciter fingendum erat Pastores in verbis prolatis statim igne cœlesti tactos concidisse. Sic enim pateret illa verba non ab aliis, quam à sacerdotibus esse proferenda. Nunc illud miraculum aliud nihil significare

p Mosch. Prat. Spirit. c.25.

care potest, tantam esse verborum illorum vim, ut etiam à rusticis prolata panem in carnem mutent; Quo & lex ipsa ex ea causa lata pertinet. Hæc enim verba illa à laïcis, non modo usurpari, sed etiam sciri prohibet, dum ea in sacro ubi necessario adhibentur, ita pronuntiari jubet, ut à nemine audiri possint.

Hanc ergo Latini commenti sunt absurdissimæ suæ secretæ satis ut videtur, probabilem causam. Sed siqua istis scriptoribus fides adhibeatur, hæc nostram de secretæ illius novitate sententiam, adeo non labefactant, ut etiam valide confirment. Ipsi enim novum esse verba illa ita pronuntiandi morem disertissime docent, dum *narrant canonem primitus publice quotidie recitatum fuisse* (quod scribit Honorius) vel *antiquitus publice & alta voce canonem dici consuevisse* (quæ Durantis & Gabrielis verba sunt) Ergo inquam, ista verba clara voce pronuntiari *antiquum* fuit; *summissa* pronuntiari novum est. Quinetiam novi illius moris & originem & exinde causam ipsa nobis fabula, si paulo acrius mentem intẽdas, non obscure prodere videtur. Nam si vera sunt, quæ isti narrant, illa non multo ante eorum, qui narrant, ævum acciderant, quia res adeo memorabiles scriptores his antiquiores non erant indictas prætermissuri, si ex jam suo tempore notæ fuissent A nullo autẽ scriptore ante istos proditum fuisse mirificam hanc ac terrificam historiam constat, non eo tantũ, quod de plurimis, qui hodie exstant istis anteriores scriptores, nemo eam memorat, sed eo etiã, quod ne ipsi quidem quemquã vel nominant, vel saltem significant auctorem se vetustiorẽ, qui ista litteris mandarit, quod tamen, cum id ad constituẽdam narrationis fidem plurimum valeret, non videntur fuisse prætermissuri, si cujus hic nomen, non dico vere usurpare, sed vel probabiliter fingere, ac mentiri licuisset. Iam istorum, quos edidimus hujus narrationis auctores, nemo est Pseudo-Alcuino vetustior; quem sane, ut in his solet fieri, rem multo simplicius tradidisse videmus. Is vero, ut ante diximus, ex eruditorum rationibus post an. D. 1000. vixit. Cæteri omnes etiam recentiores sunt; de duodecimo, decimotertio, decimoquarto, etiam de decimoquinto seculo. Ergo statuendum est rem istam paulo ante decimum seculum, vel factum, quod ipsi quidem produnt, vel quod nos verius putamus, fictam fuisse. Ex quibus intelligimus ad hoc tempus totos nongentos annos verba illa ex antiquo more clara voce in sacræ synaxeos officio pronuntiata fuisse; à septem circiter seculis novum secreto illa dicendi usum apud Latinos inductum esse. Sed & quod diximus inde quoque animadvertimus, quæ fingendæ hujus narrationis, quæ ritus, ad quem constituendum ficta est, vera causa fuerit, nimirum ipsa illa de transsubstantiatione Eucharistiæ opinio temporibus à Paschasio Radberto ad Gregorium VII. secutis (id est à noni seculi primordiis ad undecimi suprema) apud Latinos invecta, tandemque constituta; quæ alias apud eas plurimas novitates peperit, quæque ad sui miraculum hominibus persuadendum multa hujus generis vel de carne visa in pane existere, vel de cruore ex calice stillante prodi-

prodigia, anteactis apud nostros temporibus inaudita, in lucem edidit; Cap. V.
Eadem inquam illa transsubstantiatio hanc quoque legem de verbis, quibus tam stupenda conversio fieri creditur, secreto ac rei venerationem augendam pronunciandis, & fabulum ad legis sanciendam auctoritatem perutilem suggessit.

Fabulosam enim esse totam hanc narrationem, confictumque à Latinis in sui dogmatis gratiam, miraculum quod ea continetur (qualia fere innumerabilia ex eodem officina prodierunt) non pauca neque profecto levia coarguunt. Primo, quod neque temporis, quo hæc facta perhibentur, neque provinciæ, in qua ea acciderunt, neque ullius denique ad firmandam rei veritatem circumstantiæ meminerunt scriptores, planeque hæc eo modo narrant, quo fabulatores sua figmenta componere solent. Ego quidem, cum hæc apud istos lego, *Pastores quidam canonem in agro cantarunt* &c. unum mihi videor Apuleianum audire suas fabulas ita exordientem, *Erant in quadam civitate Rex & Regina.* Huc accedit, quod hæc ipsa, quæ fabulantur, ita absurde stulteque contexunt, ut sua ipsi arguant mera esse malefeᵗiatorum hominum commenta. Nam si isti Pastores, de quibus contexta est fabula, de cœlo percussi subito statim interierût profecto necesse est omnem rei, cujus præter ipsos nemo erat conscius, memoriam una enim ipsis simul semelque intercedisse. Vnde ergo hæc, quæ narrantur, didicerant qui primi ea in vulgus disseminarunt? Oportet vel revixisse aliquem de istis miseris, qui sua istis scriptoribus ad nos litteris propugnanda revelaverit, vel sane Propheta eos fuisse, qui hæc arcana ita revera gesta fuisse, divinitus intellexerint; quorum neutrum vel ipsi dicunt, vel nos sane credimus. Denique quod isti de Patrum decreto garriunt, quo caveretur etiam sub anathematis pœna, nequis ista verba sacerdos aliter, quam *secreto* ac, ut illi lepide profecto & eleganter loquuntur, *sub silentio* diceret, quis tam facilis, ut id ex nudo istorum testimonio suscipere possit? Vbi enim hoc decretum est? in qua Synodo? à quibus Patribus? quo Augusto imperante? Habemus luculentissimam Iustiniani Imperatoris legem, qua & cæteras religiosi cultu partes, & hæc ipsa consecrationis verba districte jubet clara in synaxi voce renunciari, quam nos suo mox loco recitabimus. Qui vero vel Imperator vel Episcopus, quæ Synodus, quæ Ecclesia hanc sacerdotibus legem tulit? Nullum profecto straminei illius decreti vestigium in omnibus antiquitatis monumentis cernitur. Apud solos Transsubstantiatores, pæne in ultima seculorum fæce lex ista occurrit.

Senlit Bellarminus fabulæ τὸ κακόπλαστον, seque consuetis artibus ex his laqueis explicare & extricare conatur. Ac primum quidem ita agit, ac si Kemnitius esset insulsissimæ illius narrationis auctor. Dicit q enim *hoc miraculum vere accidisse, sed aliter & antiquiore tempore, quam à Chemnitio narratur.* Atqui culpa siqua est, tota in Belethum Parisiensem, in Honorium Augustodunensem, in Durantem Episcopum, in Gabrielem Scholasticæ Doctorem extremum, omnes ante aliquot

q Bell. L. 2. de Miss. c. 12. §. Resp. in

Cap. V. secula denatos, omnes Sedi & communioni Romanæ addictissimos, conjicienda est; non in Kemnitium, quem ipse statim fatetur, quæ de his dixit, ea ex istis collegisse. Tum Bellarminus, ut quod miraculum ab istis scriptoribus memoratum id eorum ævo multo antiquius esse, & aliter quam illi narrant accidisse probet; tacite veluti rem notam & confessam, supponit id ipsum à Latinis auctoribus intellectum fuisse, quod Sophronius scriptor Græcus, descripsit in Prato spirituali capite 196. Inde docet Sophronium ante Concilij Nicæni 2. tempora floruisse; cujus scilicet loca aliqua ab illis Patribus Act. 4. & à Ioanne Damasceno Orat. 3. de cultu imaginum recitantur. Vnde concludit id miraculum contigisse ante annos plus minus nongentos, atque id visum commemorari ab Alcuino ante annos octingentos. Denique ostendit id aliter à Sophronio narrari, aliter à Latinis; quod ea eorum, quæ utrique habent, collatione planum est. Hæc ille omnia ad hunc locum, in quibus ut intelligatur, quid vere, quid secus dictum sit, breviter prius & paucis de Sophronio quærendum est ac de ævo auctoris qui Pratum spirituale composuit. Tum expendendum erit, an quod sumit Bellarminus, verum certumque sit, nimirum quod Latini narrant miraculum, id ipsum esse, quod Prati spiritualis auctor ait suo circiter tempore contigisse. Quod ad prius attinet, etsi non nesciam Græcum istum scriptorem à Nicænis Patribus, & à Ioanne Damasceno *Sophronij* nomine indigetari; vellem tamen Bellarminus eum proprio potius quam adscititio nomine appellasset. Nam quod libri præferunt, & quod Photius docet, verus libri scriptor *Ioannes* quidam fuit, cognomine Moschus, statu Monachus. r ὁ δὲ συντεταχὼς (inquit Photius) Ἰωάννης μὲν ἐστὶ τὸ ὄνομα, ἐπίκλησιν δὲ ἐλέγετο ὁ τοῦ Μόσχου. Interpres Latinus eum, etiam *Evirati* cognomento donavit. De his nulla nunc est apud eruditos dubitatio. Moschi autem ævum ipsum opus apertissime loquitur suum auctorem post Gregorij Papæ hac Mauricij Augusti tempora vixisse quorum scilicet res ac nomina interdum usurpat; id est post exactum sextum seculum. Quo vero septimi seculi anno vel opus, vel vitam absolverit, mihi quidem incertum est, nisi quod probabile est eum non diu ultra sexti seculi exitum superfuisse. Quod vero Bellarminus assumit miraculum, quod Moschus loco sui operis notato describit, id ipsum esse cum eo, quod à Latinis narratum supra edidimus, id inquam, demonstrare debuerat, non postulare. Id enim non modo non videtur verum, sed utrasq; narrationes intuenti potius falsum apparet. Latinorum voces suum describentium supra exhibuimus; Iam Moschi narrationem videamus. Is ergo Latinis nostris multo hac in parte callidior, ut res mirabili fidem conciliaret, inprimis se eam præfatur s à Gregorio Africanæ Provinciæ Præfecto, viro cum ob dignitatem, tum ob pietatem idoneo accepisse, qui etiam quemdam eorum, quibus ista mira contigerant, se vidisse aiebat. Tum locum edit, ubi illa facta erant, qui *Canagus* diceretur, quadraginta à Thorace oppido, in Apamiensi Provincia, Gregorij patria milliaribus sito. In eo agro, pueros, qui pecora pascebant, synaxin

r Phot. Bibl. Cod. 199. p. 268.

s Mosch. Prat. Spirit. c. 16.. T. 2. Bibl. Patr. Gr. L. 1150. 1152.

synaxin sacram per lusum imitantes, unum ex suo numero Presbyterum CAPVT V. esse jussisse, duosque ei alios; qui medium dextra lævaque cingentes sacra facienti ministrarent; Exinde super saxum in planitie editum panem & vas testeum cum vino apposuisse; Qui presbyterum agebat, sanctæ eum oblationis verba dixisse; quæ scilicet inter pueros ante sacrarium, ut moris erat, in synaxi assistentes, sæpius audiens didicerat. Sed cæteris ad Ecclesiasticam consuetudinem peractis, cum in eo essent, ut panem frangerent, ac communicarent, ignem repente cœlitus delapsum, quæ proposita erant, consumpsisse omnia, solumque ipsum combussisse; Pueros in terram omnes præ timore corruisse, exanimesque ac semi mortuos ita jacuisse, cum neque vocem mittere, neque de terra surgere valerent. Parentes absentia puerorum, cum domum hora solita non revertissent, turbatos in agrum venisse, tristique spectaculo mœstos & paventes suum quemque filium domum portasse; neque vel ea die, vel proxima nocte vocem ullam ab iis de miserabili hoc suo casu elicere potuisse; Postera demum luce pueros recepto spiritu ac sensu, singula quæ contigerant, suis narrasse; Episcopum denique Apamiensem de miraculo admonitum, postquam veritatem diligenti inquisitione exploratam ac conpertam habuit, in loco vbi ista acciderant, latissimum monasterium construxisse; Vbi vero ignis saxum & cætera consumpserat, ibi Ecclesiam & altare condidisse. Hæc neque plura de suo miraculo Moschus. Quædam in his eorum, quæ ex Latinis exhibuimus, similia esse confiteor, pastores, agrum, saxum, panem, vinum, verba oblationis sive consecrationis pronunciata à laïcis, pœnam illico repræsentatam, ignem cœlo lapsum in vtraque narratione occurrere; sed in cæteris latum esse discrimen. Græcus ætatem notat, *pueros* fuisse, quibus hæc contigerunt; Latini autem significant *pastores fuisse*, de ætate nihil addunt. Græcus locum, tempus, singula accurate notat; de his ne unum quidem verbum Latini. Ille pueros stupentes, attonitos, propemodum exanimatos scribit, dignum puerili lascivia mercedem. Hi atrocius, pastores suos, quicquid illud fuit criminis, morte extemporare luisse volunt; quo ipso non pueros, sed viros fuisse innuunt, quos tum gravi supplicio affectos narrant. Puerili enim simplicitati levior pœna conveniebat. Quæ argumento consentanea subjicit Græcus parentum pavorem, famam de miraculo ad Episcopum delatum, monasterium ædificatum, Ecclesiam conditum, altare positum, ea à Latinis absunt omnia, & quidem necessario; quod per summam simplicitatem, an imperitiam, quos testimonium de suo miraculo dicturos servare vivos oportuerat, Latini omnes una cum ipsis rebus igne cœlesti subito absumi faciunt; atque ita & miraculi & suæ de eo narrationis fidem ipsi omnem imprudentes evertunt. Sed aliud præterea est inter vtramque sive fabulam, sive historiam præcipuum discrimen. Latini enim panem ad verborum sacrorum prolationem in carnem mutatum diserte tradunt; de qua cæteris longe

Cap. V. mirabiliori metamorphosi Græcus in aliis omnibus liberalis & copiosus, ne unam quidem litteram scripsit. Sed neque ille quicquam habet de lege, quam Latini ex hujus miraculi occasione à Patribus, etiam sub anathematis pœna latam perhibent, ut verba sacramentalia sub silentio dicantur, neque ab aliis, quam à Sacerdotibus super altare, & in Missa, & cum vestibus sacris. Quod ergo Bellarminus hariolatur duo tam multis modis inter se diversa unum idemque miraculum fuisse; sua nobis somnia pro veris certisque rebus solens obtrudit. Similia sunt inquis, non pauca. Quid tum? An tu in unum idemque factum conflabis, quæcumque multis vel similia vel etiam eadem contigisse dicuntur? An qui posteriores scripserunt, eos res ab antiquioribus traditas corrupisse, & aliter quam contigerunt, narrasse criminaberis? Tu vero si feceris, omnem historiarum, maxime vestrarum fidem subruis. Hac arte licebit Saturninæ Martyris abscissum caput portantis manibus suis ex Balderici Chronico *t* miraculum, aliaque apud alios consimilia expungere, quod idem scilicet à Dionysio jam olim factum narraverint alij; & Gregorianam de Stephani nescio cujus anima ex inferis, ad quos Angeli errore abducta erat, ad superos Dei jussu reducta narrationem *u* pro fabula repudiare, quod eadem jampridem, sed alibi contigisse Plutarchus *x* & Lucianus *y* tradiderunt; ut sexcenta alia ejusdem farinæ prætereeam. Quod si concedis, actum est de plurimis, celeberrimis, optimis, & Latinorum Reip. longe utilissimis fabulis. Viderit ergo Bellarminus quanti periculi facinus sit, quod hic aggreditur. Ponas quidem ac traditionum Latinarum studiosus cupidasque animas hanc injuriam *vix* concocturas arbitror; neque sibi tum suavem de pane in carnem converso fabellam de manibus eripi passuras. Quid, quod idem ille Moschus, quem suis Latinis Græcum licet, præfert Bellarminus, suam hanc de cantatis ab homine Laico verbis sacris sive fabulam sive historiam alia narratione pæne contraria subvertit? In eodem enim illo opere narrat *z* fuisse quemdam in cœnobio Cuziba fratrem, qui cum sanctæ oblationis verba ritumque didicisset, Ierichunte, quo ad hoc ministerium missus erat, *eulogias*, id est panes ad Eucharistiam conficiendam paratos, in monasterium rediens afferret, verba illa sacra, quasi versus aliquos, cantavit; idque impune, tametsi ad illam verborum pronuntiationem panes valide consecrati essent: ut est postea à Sacerdote synaxes ex illis oblatis peragente mirabiliter intellectum Nemo sanæ mentis ideo dixerit, vel istum, vel certe illam alteram de pueris ob eadem usurpata verba divinitus animadversis narrationem falsam esse, vel corruptam. Utramque *boni* (ut loquuntur) *Catholici* pro vera suspiciunt. Quanto ergo æquius erat, & rei Romanæ consultius Bellarminum itidem & Latinorum suorum & Moschi narrationem utramque pari fide amplecti, candideque agnoscere illis duo diversa temporibus & locis gesta miracula contineri? neque antiquioris Legendarij fidem fraudi esse recentiorum historiis. Sed præter ipsam verorumque scriptorum orationem, aliud est

t Balder. Chron. Camer. L. 2. c. 12.
u Greg. Dial. L. 4. c. 36.
x Plutarch. de anima apud Euseb. L. 11. Præp. Evang.
y Lucian. in Philops.
z Mosch. Pr. Sp. c. 25.

præterea,

præterea, quod satis arguit Latinos alio, quam ad miraculum à Moscho traditum respexisse. Nam si id ipsum miraculum in animo habuissent; cur id recitantes Moschi nomen tacuissent? Cur ad incertam famam potius quam ad certum, & quidem probatum auctorem rem tantum referre maluissent? Liber erat in omnium manibus, ejus operis decimus, quod *Vitas Patrum* vocant. Si ad miraculum à Moscho traditum Latini respicerent, dicerent, *Unde in vitis Patrum scriptum est*, aut aliquid simile, quo ejus rei quam memorant, certus auctor, adeoque veritas & fides firmaretur. Atqui non ita loquuntur; Aiunt simpliciter; *Unde fertur*; quo significant recentius esse, quod narrant, paulo ante suam memoriam factum; hujusmodi quod fama quidem circumferatur, & præsentium hominum memoria adhuc teneatur, nondum tamen ab ullo idoneo auctore litteris traditum habeatur. Quo maxime argumento refellitur Bellarmini error qui Pseudo-Alcuinum nominatim, quod de pane in carnem mutato nihil dicat, de miraculo à Moscho tradito agere affirmat. Atqui ille non magis, quam alij Latini, vel Moschum, vel *Sophronium*, vel *Patrum vitas* citat; sed simpliciter dicit, *Inde fertur*; veluti de re non quæ litteris ab auctore certo tradita sit, sed quæ fama tantum & rumore vulgi differatur, & disseminetur, quæ adeo non esset admodum vetus. Falli enim Bellarminum jam supra non semel diximus, qui hunc scriptorem Alcuinum vere fuisse putat an. Dom. 804. mortuum. Hunc certum est diu postea scripsisse, seculo ut videtur, undecimo. Eadem quoque Innocentij P. R. III. mens fuit, cum hæc ipsa Pseudo-Alcuini verba, de obsecratione secreta agens, describit; *a Ne sacrosancta verba vilescant* (inquit) *ut omnes pæne per usum ipsa scientes in plateis & viis aliisque locis incongruis decantarent, decrevit Ecclesia, ut hæc obsecratio, quæ secreta censetur, à Sacerdote secreto dicatur. Unde fertur quod cum ante consuetudinem, quæ postmodum inolevit, quidam Pastores decantarent eam in agro, divinitus sunt percussi.* Hæc enim non Innocentij, sed Pseudo-Alcuini sunt, illa ipsa, quæ sunt à nobis supra descripta. Ergo & Innocentius, atque ac falsus ille Alcuinus, & alij Latini, quos nuper edidimus, miraculum tametsi aliqua in parte ejus, quod à Moscho traditum est, simile, aliud tamen ab eo, loco que ac tempore diversum in animo habuerunt: Ex his patet, quam falso frustraque Bellarminus ex narratione Moschi colligat miraculo à Latinis memorato neque panem in carnem esse mutatum, neque Pastores, qui sacra cantaverant, morte affectos. Fateor hæc à miraculo, quod Moschus narrat, abesse. Miraculum, quod Latini memorant, id ipsum esse, quod tradit Moschus, non demonstrat Bellarminus; imo eo ipso aliud à Moschi miraculo fuisse evidentissime conficitur, quod hæc quæ a Moschi narratione absunt, apud Latinos disertissime legimus, ut patet utrorumque descripta à nobis loca legenti. Quod vero Bellarminus Latinos scriptores, ut eorum auctoritatem elevet, *obscuros & recentiores* vocat, primo frustra eos inter se contendit, ut horum, quam Moschi minus

a Innoc. de Myst. Miss. L. 5. c. 1.

certam

Cap. V. certam esse fidem probet. Merito faceret, si de eadem vtrosque loqui constaret. Nunc cum res, quas vtrique narrant diversæ sint, inepte quæritur, vtri verius res suas narraverint. Sed neque satis intelligo, cur Moschum illum Eviratum Monachum vel Beletho Theologo Parisiensi, vel Durante Mimatensi Episcopo, nobilissimo apud suos scriptore, vel Gabriele viro in Latina schola adeo celebri, ut eum Miræus vocarit *b illustre sidus, clariorem* esse putet, vel hos illo *obscuriores*, cujus librum ne ipse quidem Bellarminus alibi extra disputationis æstum scribens ausus est omni ex parte *vtilem* dicere; dixit *c* tantum *magna ex parte vtilem*; quibus verbis satis innuit, quod verum est, *quædam*, ego vero dixerim *plurima*, in eo esse inania, atque inutilia. Quod postremo Bellarminus negat Moschum scribere *istam esse causam, cur verba illa secreto nunc dicantur*; ne id quidem vsquequaque verum est. Hoc enim Moschus etsi non scribat in hac de pueris historia, scribit tamen aliquid simile de alio quodam eius, quod à Latinis traditur hac in parte simili miraculo; ut videre est capite operis sexto supra vicesimum; vbi postquam narravit, cum verba illa sacra à quodam fratre de Cœnobio Cuziba partes ad conficiendam Eucharistiam paratos secum deferente in via pronuntiata essent, panes eo ipso *fuisse sanctificatos ac perfectos*, ἁγιασθῆναι καὶ τελειωθῆναι, quod Latini ex suo dogmate dicerent *in Christi carnem vere ac realiter mutatos*; cum hæc inquam ita narrasset; *d Ex tunc* (inquit) *Senior* (id est Abbas) cœnobij Ioannes, qui postea Cæsariensis in Palæstina Episcopus) *statuit, ut nullus deinceps addisceret sanctæ oblationis verba, nisi qui ordinatus ad hoc esset, neque ea passim quispiam diceret quocumque tempore absque loco consecrato.* καὶ ἀπὸ τότε, λέγων ἔθηκεν ὁ γέρων ὥστε μηδένα μαθεῖν τὴν ἁγίαν ἀναφορὰν μὴ ἔχοντα χειροτονίαν, μηδὲ ὡς ἔτυχεν λέγειν αὐτὴν ἐν οἱῳδήποτε καιρῷ χωρὶς τόπου ἡγιασμένου. Etiam hujus narrationis duplex est à Latinorum fabula discrimen; Prius quidem in ipsa lege, quod quam Moschus memorat eo vetat tantum verba sacra ab alio, quam à Sacerdote, & alibi quam in loco sacro dici; Latinorum vero edictum prohibet ne vel in ipsa legitima synaxi, loco adeoque sacro, clara voce pronuntientur; Alterum in legis auctore, quam Moschus ab uno Abbate in solo cœnobio Cuziba, adeoque solis illius loci Monachis latam tradit; Latini vero suam ab Ecclesia, à sanctis Patribus, Synodali decreto, & quidem anathemate sancitam scribunt. Nimirum Latini videbant suæ totius Ecclesiæ morem hunc esse communem, ut consecratio sub silentio fieret; ideo non ab uno aliquo, sed à Patribus, veluti ab omnibus, latam finxerunt, Græcus Ecclesiæ suæ, cujus nullus erat iste mos, consentanea narravit. Siquis ergo Latinos pertinacius contendat ad Græcum scriptorem respexisse (quod ego quidem non puto) concedam tamen, sed ita ut, non ad unam cum Bellarmino, sed ad duas ejus narrationes respexerint, & ex iis suam, id est ex duobus fabulis unam, confecerint; qua arte Latinos Poetas ex duabus Græcorum comœdiis unam aliquando Latinam composuisse scimus. Quicquid

b Mir. de Script. Eccl. c. 81. p. 272.

c Bellarm. de Script. Eccl. ad an. 630. in Ioan. Moscho.

d Mosc. vb. supr. c. 26.

quid enim hactenus disputavimus, id ex adversariorum doctrina, & communibus hypothesibus diximus. Nam si roges quid ego de istis sentiam, fatebor equidem tam quæ Græcus, quam quæ Latini de suis prodigiis jactant, ea mihi dubia atque incerta, falsisque multo quam veris propiora videri; ex eo rerũ genere, quas Melchior Canus ex Latinorum doctissimis non postremus, etiam à veteribus notat atque indignatur suis de Sanctorum vita & laude narrationibus inspersas. Ac Latinorum quidem in his suis fidem vehementer laborare, aliquot jam supra argumentis demonstravimus, totamque hanc eorum traditionem in moris apud suos ex transsubstantiationis studio recepti gratiam potius fictam, quam ex ipsa rerum veritate expressam esse. Moschi vero duas narrationes, ipsas quoque auctoris φιλομύθου ingenium figmenti suspectas reddit: cuius, si cujusdam alterius Monachi, liber totus huic hominum generi familiaribus visionum, prodigiorum, & miraculorum narrationibus scatet, ut bonus ille Ioannes Palæstinum, & Sinaïtidos desertæ, Ægyptum, & alias terras non alia mente peragrasse videatur, quam ut collectas unde quaque, maxime vero ex Eremitarum & Cœnobitarum fere vanissimæ ac mendacissimæ gentis putidis atque anilibus sermonibus fabulas in suum hoc volumen, veluti in quoddam commune plaustrum comportatas receptasque ante ora omnium circumvectaret. Neque quemquam moveat, quod personas, loca tempus diligenter notet. Hoc enim artis est, ut tutius ac verisimilius mentiaris. Fieri etiam potest, ut à quibus se istas merces accepisse affirmat, ii vel vulgi imperiti rumoribus, vel impostorum inventis, vel monachorum sive μελαγχολώντων somniis, sive vafrorum piis (ut loquuntur) fraudibus nimium creduli, decepti fuerint, & quæ Moscho narrabant pro veris ipsi habuerint. Gregorius certe Episcopus Romanus, vir Moscho haud paulo gravior, sed qui tamen fabellis æquo gaudet impensius, quæ de illo Stephano, viro, vt ipse perhibet, *illustri* ad superas post mortem dimisso habet, sibi ab ipso narrata fuisse affirmat: *f* non minus quam Moschus à Gregorio Africæ Præfecto ea se audivisse testatur, quæ de puerorum Synaxi & divinitus immisso in panem & saxum igne scribit. Neque tamen quisquam, credo est paulo humanior (si quasdam nimia superstitione devinctus animus exceperis) qui Gregorianam illam historiam fabulosam esse non putet. Sed non est nostri instituti de Moschi ingenio & libro disputare. Quocumque loco & ipse & Latini, & utrorumque supra commemorata de verbis oblationis narrationes censeantur: illud profecto ex iis, quæ diximus, satis superque patet, nihil iis juvari Latinorum de verborum sacrorum secreto traditionem: de qua Moschus quidem nihil dicit, Latini vero qui supra auditi sunt, *diserte negant antiquam esse illius secreti consuetudinem.*

Cap. V.

e Can. locor. l. 11. c. 6. p. 538 546.

f Greg. Rom. l. 4. Dial. c. 36.

CAPUT VI.

Novum esse sacra illa verba secreto pronuntiare. Arg. I. à Christi & Apostolorum exemplo. II. à Græcorum constante, & ad hodiernum diem perpetua praxi. III. ab eodem Mediolanensis Ecclesiæ usu. IV. ex eo quod pleb. sacerdotis verba recitantis succineret. Amen, teste Dion. Alex. Iustino, Tertull. Pseud. Ambrosio. V. ex diserta Iustiniani lege, ad quam refelluntur Bellarm. cavillationes.

CUm ergo Latini nihil ex Patribus, Pseudo-Alcuino, undecimi seculi homine, vetustius afferant, quod ad suum illum morem cum aliqua veri specie torqueri possit satis jam vel ex ipso hoc antiquitatis silentio patet, rem esse novam, neque multo ante an. D.1000. institutam. Sed sunt etiam alia nonnulla quæ id ipsum confirmant: In primis Christi Servatoris, accurate à tribus Evangelistis & à Paulo descriptum exemplum. Dominum enim verba illa, quæ Latini *consecrationis* vocant, non *secreto*, sed clara voce, eadem, qua cætera ad hoc sacrum pertinentia, pronuntiasse apparet, neque hæc inter & alia ullum hac in parte discrimen divini scriptores notant. Ne ipse quidem Bellarminus id negare ausus est. Tantum cavillatione frigida tanti exempli auctoritatem eludere conatus est: Christum enim ideo hæc clare elocutum esse causificatur, quod cum Apostolos doceret consecrandi ritum, omnino necesse fuerit eum ita pronuntiare, ut ab illis audiretur. Sed si Christus hæc loquens Apostolos modum rite consecrandi docuit, ergo vera consecrandi ratio est verba illa clare, quod ille fecit, pronuntiare. Neque valet quod adducit. suorum Episcoporum exemplum, quos ait *hoc tempore cum inter Missarum solemnia ordinant sacerdotes, sic pronuntiare verba consecrationis ut omnes illi novi sacerdotes audire possint.* Hoc vero ipsum novum quoque est apud Latinos, ut Missarum, inter quarum solennia ordinantur Presbyteri, verba quædam aliter pronuntientur, quam in cæteris solent. Hujus inter ista duo Missarum genera discriminis nullum, quod meminerim, in omni antiquitate exstat vel levissimum vestigium. Ad rem ipsam respondeo, si novi illi Sacerdotes, quos Bellarminus dicit, nullum aliud ritus, quo consecratio facienda est, documentum haberent præter illud sui ordinatoris missificantis exemplum, quisquam ne est, qui putet eos aliter, quam clara voce consecraturos esse, qualiter illum rem peregisse animadvertissent? & siquem postea secreto & sub silentio consecrantem viderent, non existimaturos eum perperam, ac vitio consecrare, ab exemplo scilicet sui ordinatoris discedentem? Res ut videtur, clara est. Quod vero nunc nihil hujusmodi accidit, inde fit, quod novi illi presbyteri, & ex quotidianis aliorum sacerdotum Missis, & ex Missalibus suis libris jam didicerunt ista verba secreto esse pronuntianda: ut

g Bell. l. 2. de Miss. c. 12 §. Quod attinet.

illa

ista Episcopi eos ordinantis cautio plane supervacanea sit, & ad aliquam pompam, sicut alia Latinorum non pauca, potius quam ad ullum usum instituta sit. Nimirum quia ordinatio præsbyteri actus est singularis, non quotidianus, placuit Missam, quæ in ea fit, aliquid ipsum singulare, neque quotidianum habere, ut ex peregrinitate ac novitate aliquid actui dignitatis accederet. Notabiliora enim sunt, quæ rariora, quæque præter consuetum ordinem fiunt. Iam vero Apostolorum ea plane erat ratio, quam dixi. Neminem illi ad istam diem viderant Eucharistiæ sacrum facientem; nullum Missalæ legerant, in quo aliquid præciperetur ab eo modo diversum, quo Dominum vel agentem, vel loquentem spectarunt. Non potuerunt ergo ejus actum & sermonem non pro absolutissimo exemplo habere, quod quam accuratissime sibi in omnibus instituti partibus sequendum esset; juxta Domini ipsius disertissimum mandatum, *Hoc facite*. Si cum ipsi sacrum illud erant celebraturi, vocem illos eo loco summittere voluisset Christus, quo ipsum nihilo, quam alibi summissius edere audierant; eos profecto pro sua sapientia docuisset grande illud Bellarminianum arcanum, longe aliud esse scilicet verba illa pronuntiare simpliciter, ut consecres: aliud, ut etiam alios ritum consecrandi doceas; Illic summisse; Hic clare pronuntianda esse. Atqui nihil hujusmodi vel Christum apud Evangelistas docuisse, vel Paulum apud Corinthios, cum institutionem Eucharistiæ traderet, monuisse legimus. Vnde omnes intelligunt Apostolos & omnem ab iis instituta Ecclesiam verba illa simpliciter, vt Christum, id est clara voce, perinde ac cæteras synaxeos partes pronuntiasse. CAPVT VI.

Sed neque de secutis post Apostolos temporibus, res obscurior est. Omnem Græcorum Ecclesiam, etiam recentem & hodiernam secreti illius Latini expertem illa verba clara voce, nullo à cæteris discrimine pronuntiare ex ipsis gentis Liturgiis demonstravimus; ipso etiam Bellarmino assentiente. Siquid à Græcorum ritu hac in parte alienum Latini essent secuti, non tacuissent veteres; qui utriusque gentis in aliis, etiam levioribus, siqua fuerunt discrimina, puta in jejuniis & cæteris, notarunt. Nemo de vocis in verbis illis pronunciandis modo quicquam dixit, vel innuit fuisse à Græcis apud Latinos diversum. Non est ergo dubitandum quin ea pariter apud utrosque clara voce pronunciarentur.

Ecclesia Mediolanensis in Italia, nobilis Latinorum portio fuit, ac pæne sub urbana. Atqui apud eam hæc verba, ut apud Græcos, clara voce dicebantur. Testis Radulphus Tungrensis, laudatissimæ in his scrutandis & observandis diligentiæ scriptor, de secretis orationibus, *h In Ambrosiano* (inquit) *dicuntur alte.* Ambrosianum autem Missæ ordinem diutissime, ad nostra pæne tempora retinuit Ecclesia Mediolanensis, vt notum est.

h Rad. Tungr. De obs. canon. T. 10. Bibl. Patr. p. 1159. A.

Kemnitium eo argumentantem apud vetustissimos Christianos verba illa clare fuisse pronuntiata, quod ad ea, ubi à sacerdote pronuntiabantur; fideles ex quadam Dionysii Alexandrini apud Eusebium

Caput VI.

i epistola responderem Amen, Bellarminus minime reprehendit; quo tacite confitetur ratiocinationem valere, ut certe valet. Qui enim fieri potest, ut quisquam, qui idem sincerus sit & verax ad ea, quo non modo non intellexit, sed ne audivit quidem, *amen* dicere, id est ea vere dici confirmet? Huc pertinet illud Apostoli, de eo homine, qui te peregrina, sibique ignota lingua loquentem non intelligit, *Quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem*? Atqui etiam ex Iustino, qui Dionysium annis centum præcessit, patet *l* Christianos, quorum Eucharistiam describit, ad Præpositi τοῦ προεστῶτος in Synaxi verba respondisse Amen; *Ubi ille*, (inquit) *preces & Eucharistiam perfecit, populus, qui adest, omnis fausta approbatione acclamat, dicens Amen.* οὗ συντελέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν, πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων Ἀμήν. Ergo Iustini ævo, id est anno post Domini in terris natalem 150. in omni Christianorum Ecclesia verba, quibus Eucharistia perficiebatur, clara voce pronunciabantur. Neque enim verisimile est jam tum cœptum fuisse Græcorum à Latinis hac in parte dissidium.

i Euseb. Hist. l. 7. c.

k 1 Cor. 14. 16.

l Iust. Apol. 2. p. 76. Ibid. 38.

Sed & de Latinis proprium habemus Tertulliani testimonium, haud pluribus quam quinquaginta post Iustinum annis. Locus est in libro de Spectaculis, *m* quo pugnat Christianum hominem nefas esse iis interesse; *Quale est enim* (inquit) *Ecclesia Dei in Diaboli Ecclesiam tendere? de cœlo, quod aiunt, in cœnum? illas manus, quas Deum extuleris, post modum laudando histrionem fatigare? ex ore quo, Amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere?* Inter hominis Christiani religiosos actus atque Ecclesiasticos censet *Amen in sanctum proferre*; *sanctum* dicit Regaltio interprete, *n mysterium, sacramentum, corpus Christi.* Et Goar * acute observat Tertullianum *non dixisse in sancto, hoc est in sacrificio ut cumque, vel in sacro loco, sed in sanctum, id est in testimonium sancto Christi corpore jam consecrato reddendum.* Hinc ergo patet etiam apud Latinos Tertulliani ævo morem fuisse Amen à populo dici ad consecrationem Eucharistiæ: adeoque verba, quibus ea conficitur, clare populo audiente fuisse pronuntiata.

m Tertull. de Spect. c. 25. p. 101. B.

n Rigalt. Not. in loc.

* Goar. in M ss. Chrys. Not. 131.

En tibi & alium de Latinis, proprium testem, & quidem si titulo quem præfert, credimus, Ambrosium. Ego dubito an is sit: Sed nemo Latinum, nemo antiquum, nemo denique idoneum negaverit. Is est auctor operis *de iis, qui mysteriis initiantur*: *Ante benedictionem* (inquit) *verborum cœlestium alia species nominatur: post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur. Post consecrationem sanguis nuncupatur: & tu dicis Amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur. Quod sermo sonat, affectus sentiat.* Ergo illius scriptoris ævo, etiam apud Latinos, clare sic efferebantur ista verba, ut à circumstante populo audiri possent: aliter absurde *Amen* ad ea quæ non audiverat responsuro. Quid ad hunc locum dicturus fuerit Bellarminus, quē prætermisit, nescio. Hoc scio duos viros

Ambros. de iis, qui init. myst. c. 9.

doctissimos

doctissimos, & in hac antiquitatis parte quæ de Ecclesiasticis ritibus est, sic versatos, ut non dubitarim eos hactenus quidem vel tribus Bellarminis anteferre, Hugonem Menardum, & Iacobum Goarem, ex hoc testimonio ambos pariter conclusisse; *Menardum* quidem, o *verba consecratoria olim in Ecclesia Ambrosiana elata voce fuisse pronuntiata, ut apud Græcos in Basilij & Chrysostomi Liturgiis:* Goarē vero, *tempore Ambrosij observatum adhuc fuisse, ut verbis consecrationis Amen à populo responderi solenne esset.* Quin & addit *Leonis P. R. I. ætate hanc quoque consuetudinem nondum desiisse, legi Serm.6. de jejunio mensis septimi.* Et hæc Leonis ex eo loco verba recitat, *Hoc ore sumitur,* q *quod fide creditur, & frustra ab illis Amen respondetur, à quibus contra id, quod accipitur, disputatur.*

CAPUT VI.

o Mon. Not. in Greg. Sact. p. 389.
p Goar. Not. 131. in Miss. Chrys. Euch. p. 138.
q Leo Serm. 6. de jejun. mens. 7.

Iustinianus Augustus, sequenti post Leonem proximo sæculo hanc legem tulit; r *Ad hæc jubemus omnes Episcopos & Presbyteros, non in secreto, sed cum ea voce, quæ à fidelissimo populo exaudiatur divinam oblationem & precationem quæ fit sancto baptismate, facere, ut inde audientium animi in majorem devotionem, & Dei laudationem & benedictionem efferantur. Sic enim & divinus Apostolus docet dicens in priore ad Chorinthios epistola,* s *Cæterum si solum benedicis Spiritu, is qui idiota locum implet quomodo tuæ gratiarum actioni Deo subjiciet sanctum illud Amen, siquidem quid dicat non novit. tu autem pulcre gratias agis, sed alius non ædificatur. Et rursus in ea quæ est ad Romanos sic dicit: Corde quidem creditur ad justitiam: ore* t *autem confessio fit ad salutem. Idcirco igitur convenit, ut ea precatio, quæ in sancta oblatione dicitur, & aliæ orationes cum voce à Sanctissimis Episcopis & Presbyteris proferantur Domino Iesu Christo Deo nostro cum Patre & Spiritu Sancto: scituris religiosissimi sacerdotibus, quod si quid horum contempserint, & horrendo Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi judicio reddituri sint, & nos ista cognoscentes non relinquemus quieta & inulta.* Πρὸς τούτοις κελεύομεν πάντας ἐπισκόπους τε καὶ πρεσβυτέρους μὴ κατὰ τὸ σιωπώμενον ἀλλὰ μετὰ φωνῆς τῷ πιστοτάτῳ λαῷ ἐξακουομένης τὴν θείαν προσκομιδὴν, καὶ τὴν ἐν τῷ ἁγίῳ βαπτίσματι προσευχὴν ποιεῖσθαι, πρὸς τὸ κἀντεῦθεν τὰς τῶν ἀκουόντων ψυχὰς εἰς πλείονα κατάνυξιν καὶ τὴν πρὸς τὸν δεσπότην θεὸν διανίστασθαι δοξολογίαν, &c. Sensum Photius in pauca contractum ita Nomocanone & breviter & perspicue expressit; u *Preces sacrosanctæ communionis, & sacrosancti baptismatis à populo exaudiri debere.* Λέγει τὴν εὐχὴν τῆς ἁγίας κοινωνίας καὶ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος ὀφείλειν ἐξακούεσθαι τῷ λαῷ. Doctissimus Goar ad hanc caussam, eandem quoque illam Iustiniani Novellam adduxit. Sed invicta Bellarmini durities, ne his quidem frangitur, sed in stimulum recalcitrat. y *Posset* (inquit) *responderi, inprimis non ad Imperatorem pertinere de ritu sacrificandi leges ferre: proinde non multum referre, quid ille sanxerit.* Ego fateor si quidem à sophista & vitilitigatore ad incitas redacto responderi impudenter & inaniter.

r Iustin. Nov. 123. al. 137.
s 1. Cor. 14.
t Rom. 10.
u Phot. Nomoc. Tit. 3. can. 1.
x Goar ut supr. Not. 131. in Chrys. Miss.
y Bell. l. 2. de Miss. c. 12. §. Ad Novel.

Cap. VI. inaniter posse; Ab homine candido, & veriora ex animo quærente sic posse apposite & verecunde responderi, nego. Quid enim ad rem pertinet quod Bellarm. hic nobis canit, *non pertinere ad Imperatorem de ritu sacrificandi leges ferre?* Quisquam ne nostrum hanc vel Iustiniano, vel cuivis alij Principi potestatem concedit? Atqui eam nos potestatem sæculi Principibus adeo non concedimus, ut etiam Episcopis, Patriarchis, Papis, Conciliis, etiam Generalibus negemus. Nullis enim Ecclesiæ Præpositis jus dominandi, adeoque multo minus leges de sacrificio ejusque ritu ferendi datum scimus. Id vnius Christi est. Episcoporum est non suas, sed Domini Christi leges promulgare, curareque ut ab Ecclesia, apud quam non imperium, sed Dei ministerium exercent, caste atque accurate observentur. Cæterum Imperatoris jus, imo officium esse non negamus suo modo, suaque auctoritate curare, ut Deus rite colatur, & Evangelium pure ac sincere prædicetur, & sacerdotes nequam, imo ipsos etiam Papas, siqui suo officio desint, coërcere, & in ordinem, tametsi invitos ac reluctantes, cogere. Sed quid hæc ad rem? An necesse est veteris Ecclesiæ hominem ut testimonium de sui ævi moribus ac ritibus dicat, potestatem habere ferendi leges de sacrificio? Nos vero *Iustinianum*, ut testem eorum, quæ suo tempore fiebant in Ecclesia adducimus, & quidem testem eo locupletiorem, quo supra cæteros omnes illius seculi fideles Imperatoria majestate celsiorem; non ut ejus legis, quam commendat, auctorem, sed ut rerum, quæ in Dei cultu & observarentur, & observari deberent gnarum. Neque is sane hanc, quam Bellarminus dicit *legum de ritu Sacrificandi ferendarum potestatem sibi sumit.* Latam à Christo & Apostolis, observatam in Ecclesia ad sua tempora legem commendat, retineri observarique vult; siqui vel Episcopi, vel Presbyteri eam violare præsumant, se, qui Dei minister, sit, gladio ad hoc ipsum ab eo accinctus, officio suo minime defuturum denuntiat. Atque eo improbior est hæc Bellarmini in Iustinianum calumnia, quod iis in hac ipsa Novella hanc, quam executionis dari legem sancit non suum, sed Christi omnium Domini esse aperte ipse eo testetur, quod hanc Pauli Apostoli auctoritate constituat. Neque hactenus, quod equidem sciam, præter hunc Bellarminum, quisquam Iustinianum pulsaverat, quasi in hac Novella vel Dei, vel etiam Papæ jus aliquod invaderet; in qua nihil eum aliud facere clarum certumque est, quam laudatissimi Principes Constantinus, Theodosius, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, & alij in suis Constitutionibus & Capitularibus sæpe fecerunt. Quod ergo negat Bellarminus *multum referre, quid Iustinianus sanxerit* primo Græca omnis Ecclesia longe aliter judicavit, in cujus Nomocanone z Novella hæc constitutio inter publicas ac communes vniversæ gentis de rebus Ecclesiasticis regulas censetur. Secundo; Fateor equidem hanc Novellam non esse ad hoc satis, ut constet, eam rem quam sancit, esse rectam & apud Deum legitimam; ut neque Episcopi vel Synodi cujusvis constitutio eo simpliciter ac per se valet, ut probet

z Phot. Nom. ubi sup.

res

res ab iis constitutas esse juri divino consentaneas; quia scilicet & Imperatores, & Episcopi, imo & totæ eæque amplissimæ ac frequentissimæ Synodi falli & errare possũt. Sed neq; nos ad hoc Iustinianeam Novellam adduxisse satis patet. Ad id vero demonstrandum, quod nos contendimus, nimirum verba oblationis eo sæculo fuisse clara voce pronuntiata, non modo aliquid, sed omnino plurimum refert scire quid Iustinianus sanxerit; quod ejus rei testis hoc qui Imperator fuit, nemo alius illustrior, fidelior ac locupletior esse potest. Quin & pro vero habendum esse ejus testimonium inde apparet, quod nemo ei, tametsi publicato ac promulgato, Episcopus restiterit; nemo ex Ordine ejus ævi Ecclesiastico contradixerit, ac ne ipse quidem Papa Romanus, cujus potestatem Latini supra Imperatores efferunt. Itaque ipse Goar hanc Novellam pro idoneo argumento habuit atque attulit, [a] quo probaret consecrationi verba fuisse illo ævo clara voce recitata. Sed neque melior est altera Bellarmini responsio, qua fatetur quidem quæ jubet Iustinianus *clara voce* pronuntari, ea ex recepta consuetudine *alta voce dici solenne apud nostros fuisse*; quo Bellarminus illud, quod prius responderat, totum hic vna litura delet. Si enim, Iustinianus non alia quam quæ erant in Ecclesiæ vsu quotidiano solennia, jussit (quod iste nunc dicit) profecto nullam *de ritu Sacrificij legem tulit* (quod iste eum facere, dicebat. Tantum eum morem Iustinianus, qui in Ecclesia legis vicem obtinebat, servari neque à quoquam impune violari decernit. Sed Bellarminus hoc, quod negaverat, nunc concedens aliter evadere conatur. Fingit enim hanc novellam Ecclesiis duntaxat Orientalibus esse latam; apud quas hunc fuisse morem veris ac necessariis argumentis confiteri coactus est; ad Latinos suos perperam extendi, non dicit quidem diserte, sed dicere eo ipso voluisse videtur, quod ista *in Ecclesiis* Orientalibus fuisse solennia scribit. Nihil enim necesse erat *Orientales* dicere, si hic mos omnium Ecclesiarum communis fuit. Sed qui hoc Bellarmino jus dedit, ut Romani Principis, quod Occidentis quoque erat, imperium solo Oriente circumscribat? Vt autem imperium; ita & ejus leges erant. Cum ergo nulli certæ diocesi, aut Provinciæ hanc Novellam Iustinianus scripserit, apparet eam omnibus, qua patebat ejus imperium, subditis Provinciis atque Civitatibus esse latam, adeoque etiam Italiæ, & iis, quecumque Romani juris in Occidente erant. Mutea illa Bellarmini exceptio omnem Iustinianei juris firmam ac rationem corrumpit; ut si illum sequimur, omnia tam Codicis, quam Novellarum Iustiniani jura solis Orientalibus data esse fatendum sit. Quod immane mendacium est, refelli ex ipsis illis Constitutionibus facile, in quibus videmus Principem testari sibi curæ esse ut leges non modo *politica*, sed etiam *divina* de salute animarum definitæ sacrique *canones* inviolabiliter apud omnes suos subditos observentur διὰ πάντων φυλάττεσθαι ὑπηκόων. Ergo necesse est vel Iustinianum nullos habuisse in Occidente subditos, vel hanc Novellam etiam Occidentalibus scriptam

fuisse

CAPVT VI.

[a] Goar vb supr.

Novell. 37. init.

fuisse & promulgatam. Illud nemo sanæ mentis dixerit. Hoc ergo verum esse necesse est Occidentales ipse excepisset, si hæc solis Orientalibus præcipere voluisset. Atqui *omnes Episcopos & Presbyteros* diserte eos nominat, quos huic suæ Constitutioni parere jubet; non ergo aliquos tantum; eorum non partem, sed vniversitatem complectitur. Cum ergo quem observari jubet morem, is vel fatente Bellarmino solennis legitimusque eorum esset ad quoscumque hæc novella data est; omnino consequens est eum, quem observari jubet morem, ne scilicet in secreto, sed clara voce pronuntientur sacra Synaxeos verba, eum Occidentalis quoque Ecclesiæ communem cum fuisse.

Caput VII.

Argum. VI. *de secreta novitate ex Paschasij Radberti, & Ratramni testimonio.* VII. *ex Missæ interpretum, qui nono sæculo floruerunt, de eo ritu silentio.* VIII. *ex cæterarum Christianismi præter Latinos gentium vsu, Græcorum, Syrorum, Æthiopum, Armeniorum.* IX. *ex doctorum nonuullorum communionis Latinæ hominum consensu, Cassandri, Lorichij.*

SEd eundem apud Latinos vsum diu etiam post Iustinianum ad nonum seculum adultum mansisse intelligimus ex quodam Paschasij Radberti loco; e *Respice* (inquit) *in Sacramentorum libro instituente B. Petro, ut credimus, quid orat sacerdos in canone, exceptis his quæ post communionem dicuntur; Vt fiat* (inquit) *corpus & sanguis dilecti Filij tui Domini nostri Iesu Christi; Qua prece expleta consona voce omnes Amen dicimus; sicque omnis Ecclesia in omni gente & lingua confitetur & orat.* Similia habet Ratramnus, sive, vt vulgo eum appellant, Bertramus; qui iisdem temporibus Carolo Calvo apud nos regnante, floruit; *In orationibus* (inquit) *quæ post mysterium corporis & sanguinis dicuntur, & à populo respondetur Amen, sic sacerdotis voce dicitur, Pignus æternæ vitæ capientes humiliter imploramus, ut quod imagine contingimus sacramenti manifesta participatione sumamus.* Hæc illi. Eas preces populus audiebat, ad quas Amen respondebat; Quas vero ille audiebat, eæ non *secreto & sub silentio*, sed clara voce dicebantur. Cum ergo his testibus ad preces, quæ in canone à sacerdote recitabantur, populus illo nono sæculo & ineunte & adulto, quo Ratramnus floruit Amen responderet, profecto eas, non summissa, ut nunc fit, sed clara voce recitatas fuisse necesse est.

e Pasch. ep. ad Frudeg. p.1633. E.

d Ratram de corp. & sang. Dom.

Id vero etiam inde agnoscere promptum est, quod qui eodem seculo de

de Officiis divinis & Ecclesiasticis scripserunt Amalarius Fortunatus, Rabanus, & Valafridus Strabo, cum Liturgiæ Missalis cætera etiam minutissima accuratissime persequantur, de hoc verborum consecrationis secreto constanter omnes tacent, *e* non prætermissuri, si jam tum id in usum receptum esset. Nulla ratio est, cur quod à posterioribus, ut ab Hugone, Honorio, Durante & aliis diligenter memoratur secretum, de eo vetustiores illi siluerint, nisi quod hi id tacuerunt quod nondum suis temporibus in usu erat, illi memorarunt, quod suo id est undecimo, & decimotertio seculo solenne, adeoque omnibus notissimum erat. CAP. VII.

e Vid. T. 10. Bibl. Patr. Annal. l. 3. c. 24 Raban. de Inst Cler. L. 1. c. 32. Valafr. de reb. Eccles. c. 22.

His argumentis satis superque demonstratum est ad an. Dom. circiter millesimum solenne Latinis fuisse verba consecrationis clara voce recitare; idque inde postremo confirmatur, quod apud cæteras Christianorum gentes idem mos constanter ad hæc tempora manserit; ut apud Græcos de quibus abunde diximus. Syrorum eandem esse consuetudinem eorum Liturgia docet, *f* in qua ubi ad hunc locum ventum est, Sacerdos externe dicitur *extollere vocem*. Sic & apud Æthiopes, in quorum Liturgia, sive ut ipsi vocant, *Canone universali*, nulla hoc loco notatur *g* vocis Sacerdotalis mutatio. Idem Armeniorum Leopoli in Russia usus est, quorum Sacerdos illa tam de pane, quam de calice verba *clara voce dicere* in gentis Liturgia jubetur. *h* Neque de ulla alia gente (quæ Christiana sit) aliud traditum meminimus. Unde perspicimus hunc fuisse ab initio communem omnium Christianorum usum, ut hæc pars synaxeos clara voce recitaretur: donec tandem Latini post receptum de Eucharistiæ μεταβολῇ & adoratione dogma circa seculum undecimum mutarunt, & novam hanc de premendis consecrationis verbis, secretoque sic, ut nullus audiat, recitandis legem in sacra sua induxerunt.

f Liturg. Syr. apud Cassandr. in Liturg. c. 9.
g Ord. Miss. Æth. ibid. c. 10. & 11.
h Armen. Liturg. Ibid. apud Cass. c. 12.

Neque nos soli sumus in ea sententia. Eandem ex ipsis adversariis Cassander proponit, variisque argumentis, quæ nos plæraque exhibuimus, late confirmat toto Liturgicorum suorum vicesimo octavo capite, cui hunc præfixit *i* titulum: *Canonicam precem, & inprimis Dominici corporis & sanguinis consecrationem ita veteres legebant, ut à populo intelligi & Amen acclamari posset.* Ac ne cui suspecta sit viri alioqui doctissimi juxta ac candidissimi fides, Bellarmini de hoc ejus opere testimonium hic recitare juvat, ac certe decet, ubi recensitis auctoribus sedecim, qui de cærimoniis & partibus Missæ scripserunt, postremo Georgij Cassandri, & Beati Rhenani meminit: & hunc caute legendum præfatus, de illo ita loquitur: *k Superior* (Cassandrum autem dicit) *etiamsi* (inquit) *hæreticus fuerit, nihil tamen de suo addidisse videtur.* Cæterum, nō unus Cassander, ita ut diximus, sensit. Ipse ex vetustioribus affert *l* Honorij Augustodunensis, Innocentij P.R. III. Ioannis Belethi sententias supra à nobis memoratas, quibus adjicienda sunt Pseudo Alcuini, Gulielmi Durantis & Gabrielis Bielis à nobis quoque recitata testimonia. Hos enim

i Cass. Lit. c. 28.
k Bell. l. 2. de Miss c. 13. §. Scribunt autem.
l Cass. Litur. c. 28. p. 64. 65.

Cap. VIII. omnes sensisse patet hoc Latini Sacerdotis in Missa secretum novum esse, & verba, quæ nunc Sacerdos sibi uni apud se mussat potius quam loquitur, olim clara voce pronuntiari solita. Ex recentioribus vero Cassander Gerardi Lorichij hæc in eandem sententiam describit; m *Non est* (inquit) *arbitrandum orationem eam dici secretam quasi non liceat Laicis eam vel nosse, vel audire: sed quia juxta atque canon, non cantetur voce altiore.* Item; *Canon etiam alio nomine dicitur secretum; non quod à plebe (quod aliqui somniant) nefas sit audiri, legi, nosci; sed quod in Missa submissa vel pressa voce, legi expediat.* Item; *Cæterum neque Canon debet nimium tacite legi, sed expressa voce ut à circumstantibus possit audiri & percipi. Quod inde fit cognobile, quod circumstantes debeant ad orationes singulas respondere Amen.* Denique prolixiorem locum sic concludit; o *Consequitur ergo Canonem clare & aperte legendum, ut ad gratiarum actionem Sacerdotis populus consentiens respondeat Amen; quod & Apostolus ita docet 1. Cor. 14. &c. Glossa ordinaria 1. Paralipomenon 16. super verbo, Benedictus Dominus Deus Israël &c. & dicat omnis populus Amen. Sacerdotibus orantibus populus respondet Amen, ut concordet in precibus sacerdotum intentio, & populi sana devotio, secundum illud, si duo ex vobis consenserint super terram, ex omni re, quam petierint, fiet illis.* Sed hæc de verborum sacramentalium secreto satis sunt; ex quibus vident omnes illius ritus novitatem: quem non ab initio, neque proximis post Apostolos seculis, sed annis, ut videtur, mille & amplius post Christi in terris natalem vsurpari apud Latinos cœpisse demonstratum est.

m Ibid. p. 65. ex Ger[ardo Lo]rich. de Miss. publi.

o Ibid. in 4. Part. Can.

CAPUT VIII.

Secunda quæstio de vestibus Missalibus. Sex apud Latinos esse Presbyterorum; octo vel novem Episcoporum proprias, omnes allegoricas, & aliò [...] suo singulas ritu consecratas. Earum nomina ut consecratio, mysteria & induendi modus. Absque his Missam defectu laborare censeri.

NUnc ad alias Missæ Latinæ cærimonias veniamus: quas Bellarminus in duos ordines distribuit: p *Quasdam in rebus consistere, & prærequiri ad sacrificium* (sic enim Eucharistiæ celebrationem ex suo dogmate vocat) *Alias in actione consistere & adhiberi inter sacrificandum partim erga Deum, partim erga populum, partim erga ipsum sacrificium. Quæ prioris sunt ordinis, earum quasdam sumi à persona, quasdam à loco, alias à tempore.* Nos quæ de singulis dicit consideremus. In priori ergo ordine primum censet vestium sacrarum in Missa vsum, quibus celebrantem vestitum esse necesse est, ut rite sacrum peraga. q Quænam autem sint vestes illæ sacræ, quas *paramenta* vulgo vocant, ex Missali Romano discimus, in quo sex enumerantur *Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus,*

p Bell l. 2. de Miss. c. 14. §. Hanc.

q De his vide Ioan. Steph. Duran. l. 2. de rit. Eccles. Cath. c. 9.

Manipulus, *Stola*, *Casula*. Omnes has vestes mysticas esse perhibent, & virtutes ac dotes, quibus præditos esse decet homines sacros, per varias allegoriarum ambages significare, de quarum mysteriis subtiliter, sed varie philosophantur. *Amictum*, quo collum induitur, vocis instrumentum, esse vocis custodiam, sed eundem, quia caput obnubit, figurare divinitatem humanitate velatum. *Albam*, quæ linea est, & ad talos definit, significare perseverantiam in bona actione, vel gloriam Dominicæ resurrectionis. *Cingulo*, moneri Sacerdotem de castitate, qua circa lumbos debet accingi, ut restringat concupiscentiam. *Manipulo*, cujus est usus ad pituitam oculorum & narium detergendam, præsentem vitam eleganter designari, in qua scilicet superfluos humores patimur. *Stolam*, quæ ad genua protenditur, sacerdotem de mansuetudine & humilitate admonere: quia scilicet genua curvantur. *Casulam*, quæ totum hominem, quasi minor casa, tegit, & omnibus vestimentis superponitur, egregiam caritatis esse imaginem, quæ cunctis virtutibus supereminet, easque omnes includit ac protegit. Alias mitto Latinorum veterum, & recentiorum de his indumentis speculationes, pæne innumerabiles; quas bellas & elegantes, & omni Metaphysica sublimiores nemo, ut opinor, qui sit eruditus & Scholarum philosophia paulo altius imbutus, negabit. Neque vero quisquam tantam vim sapientiæ istis indumentis inesse mirabitur, qui norit ea accuratissimis Pontificum precibus omnia fuisse consecrata Pontifex enim, ut est in sacris eorum libris r perscriptum, *volens ea benedicere*, *stans sine mitra*, magna gravitate ac devotione ab illis Prophetæ verbis exorsus, *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, ad Dominum conversus, & commemorata Pontificalium & Sacerdotalium vestimentorum institutione ac lege Mosaïca, omnipotentem ac sempiternum Deum rogat *adsit propitius invocationibus suis*; *& hæc* (inquit) *indumenta Sacerdotalia desuper irrigante gratia tua*, *ingenti benedictione per nostra humilitatis servitium purificare*, *benedicere*, *ac consecrare digneris*, *ut divinis cultibus*, *& sacris ministeriis apta & benedicta existant*; *His quoque sacris vestibus Pontifices & Sacerdotes seu Levitæ tui induti ab omnibus impulsionibus*, *seu tentationibus malignorum spirituum muniti & defensi esse mereantur*, *tuisque mysteriis apte & condigne servire & inhærere*, *atque in his tibi placide & devote perseverare tribue per Christum Dominum nostrum. Amen.* Post hanc vel similem aliam, conceptis quoque verbis expressam ac traditam orationem, Pontifex *indumenta ipsa aspergit* s *aqua benedicta*. Est & uniuscujusque indumenti sua proprie benedictio in qua Pontifex eadem, quæ supra præfatus, *Deus* (inquit) *omnipotens*, *bonarum virtutum dator*, *& omnium benedictionum largus infusor*, *supplices te rogamus*, *ut manibus nostris opem tuæ benedictionis infundas*, *& has caligas & scandalia*, *vel amictum*, *vel albam*, *vel cingulum*, *vel stolam*, *vel manipulum* &c. *divino cultui preparatum virtute sancti Spiritus benedicere*, *sanctificare*, *&*

r Pontif. Rom. Part. 2. de ben. in dum. Sacerd. p. 357.

s Ibid. p. 358.

Cap. VIII. *consecrare digneris, & omnibus eo* vel eo, vel eis, *utentibus gratiam sanctificationis sacri mysterij tui benignus concedas, ut in conspectu tuo sancti & immaculati, atque irreprehensibiles appareant, & auxilium misericordiæ tuæ acquirant per Dominum nostrum Iesum Christum* &c. Hæc precatus, quod consecrat indumentum aqua benedicta adspergit. Sed præter hæc sex Episcoporum & Presbyterorum communia indumenta, sunt & sua quædam Episcoporum, cum missificant, propria; quæ neque parcioribus allegoriis ab hierophantis Latinis vexantur, neque minore pompa consecrantur. *Sandalia* horum ordinem ducunt, quæ ut notum est, habent subter integram soleam, supra vero corium fenestratum seu perforatum; insigni si istis credimus, mysterio; *t quia gressus prædicatoris subter debent esse muniti ne polluantur terrenis, & sursum aperti, quatenus ad cœlestia cognoscenda revelentur, neque prædicatio occultetur:* ut ipsi quidem interpretantur. Quis enim alius esset suspicatus in Episcopalibus sandaliis tantum doctrinæ ac mysterij latere? Post sandalia Mimatensis secundo loco succinctorium & orale recenset; *u orale* definiens sindonem, quam Pontifex capiti, in modum veli imponit, & replicat super humeros & ante pectus. Sandalia sequitur apud alios *tunica*, ipsa quoque talaris, eoque scitum perseverantiæ symbolum, ad *talos*, id est ad finem *constantis*. Tunicæ Pontifex superinduit *dalmaticam*, quæ per sui latitudinem (habet enim laxas atque amplas manicas) *curam proximorum* significat; acuto atque ingenioso, quis neget? ænigmate. Sed & quod præ se fert *crucis* formam, eo monet, qui ipsa induciitur, crucifixum esse debere mundo. Quid cogitari appositius poterat? Sed neque obscurius innuit largas esse & ad benefaciendum aptas Episcopi manus. Post Dalmaticam, *chirothecas* Episcopus manibus suis induit. Quorsum? Vt nos doceat similitudinem peccati, *x* quam Christi manibus, id est operibus. Rebecca mater, id est Spiritus Sancti gratia, circumdedit. Chirothecæ enim sunt hœdorum pelliculæ; quales scilicet Iacobi manibus Rebecca circumdedit. O doctum & sapiens Innocentij Papæ jecur! Quis ista tam abdita, nisi ille præivisset, de chirothecis erueret? Non est ejus minor in bicorni Episcopi mitra subtilitas, qua illud contineri vult, *y* quod Psaltes de Christo cecinit, *Gloria & honore coronasti eum.* *Annulus* inde digito datur Episcopi inserendus; quo donum Spiritus Sancti, interprete eodem Innocentio, *z* significatur; *Digitus enim* (inquit) *articulatus atque discretus Spiritum Sanctum insinuat: donorum perfectionem, annuli aurum & rotunditas.* Tum *virgam* gestandam accipit, quæ & *pedum* & *baculus* quoque dicitur; potestatis Dominicæ symbolum, juxta illud Prophetæ, *Virga directionis virga regni tui.* Præter hæc Archiepiscopi & Primates *pallium* quoque induunt; de quo mirabilia multa certatim philosophantur Theologi & Canonistæ; quæ, ut & cætera de sacris vestibus fuse & enucleate disputata videat, qui volet, vel apud Mimatensem, *a* vel apud Ioannem Stephanum Durantum. *b*

t Io. Steph. Dur. vb. supr. §.21.

u Dur. Ration. L.3. c.8.

x Innoc. 3. L.1. de myst. Miss. c.29.

y Ibid. c.32.

z Ibid. c.34.

a Rat. l.3. c.1. 2.3. &c.

b Steph Dur. l.2. c.9. de rit. Eccl.

Hæc autem Episcoporum propria, suo quoque non minus, quam Presbyteralia indumenta, ritu ac modo consecrantur. Verbi gratia baculus Episcopalis hoc modo benedicitur. Episcopus inprimis Deum ita precatur; *c* *Sustentator* (inquit) *imbecillitatis humanæ Deus benedic baculum istum, & quod in eos exterius designatur, interius in moribus huius famuli tui* (Episcopus scilicet, cui baculus tradendus est) *tuæ propitiationis clementia operetur per Christum Dominum nostrum. Amen. Deinde aspergit illum aqua benedicta.* Sic & annulum benedicit *d* prece & aqua benedicta. *Creator* (inquit) *& conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis, tu Domine, emitte benedictionem tuam super hunc annulum, ut quicumque hoc sacrosancto fidei signo insignitus incesserit, in virtute cœlestis defensionis ad æternam sibi vitam proficiat per* Christum &c. Mitiæ eadem ratio; *e* *Domine Deus, Pater omnipotens* (inquit consecrator) *cuius præclara bonitas est, & virtus immensa, à qua omne datum optimum, & omne donum perfectum, totiusque decoris ornamentum, benedicere & sanctificare digneare hanc mitram famuli tui Antistitis capiti imponendam* &c. Tum adspergit *eam aqua benedicta.* Ac ne hanc benedictionem rem esse putes exigui pretii, mitram ita consecratam mox *galeam munitionis & salutis* vocant, *f* qua ornatus *Antistes decorata facie & armato capite cornibus utriusque testamenti terribilis appareat adversariis veritatis.* Sed & chirothecæ eodem quoque ritu consecrantur; Nam qui consecrat, *Omnipotens* (inquit) *Creator, qui homini ad imaginem tuam condito manus discretione insignitas, tanquam organum intelligentiæ ad recte operandum dedisti, quas servari mundas præcepisti, ut in eis anima digne portaretur, & tua in eis digne consecrarentur mysteria, benedicere & sanctificare digneare manuum hæc tegumenta; ut quicumque ministrorum tuorum sacrorum Pontificum his velare manus suas cum humilitate voluerit, tam cordis quam operis munditiem tua misericordia ei subministret per* Christum &c. *Et aspergit eas aqua benedicta.* Cætera dicere nihil necesse est, quæ ad parem formam ritu omnino simili fiunt.

CAP. VIII.

c Pontif. Rom. Part. 1. de consecr. Ep. p. 73.

d Ibid.

e Ibid. p. 79.

f Ibid.

Hæc ergo quæsitissima religione consecrata, tot tantisque mysteriis fœta seu vestimenta, seu *paramenta* sacra longe à communi & quotidiano usu semota, in mundo loco intra Ecclesiam reponi, mundissimaque servari à Latinis non est mirandum. Concilium Lateranense post latam de Eucharistiæ custodia legem; *g* *Prædicimus quoque* (inquit) *ut vestimenta prædicta munda & nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis.* Horum autem longe præcipuus in Eucharistia celebranda usus est. In ipso autem usu magna omnino subtilitate loca ac tēpora discriminãt. In officio Missæ, celebrãtē semper uti volunt *h* *planeta*, id est casula super albã; Episcopum vero cum celebrat, super dalmaticã & tunicellã. Cætera, quæ licet minutiora, accuratissime tamē apud eos servantur, mitto. In sacro quidē ipso, sacras vestes adeo necessarias putant, *i* ut Missam *defectu* (id est vitio aliquo) *laborare* censeant,

g Conc: Later. cap. 19. can. 1.

h Miss. Rom. Tit. Rubr. gener. c. 19.

i Ibid tit. de defect. Miss. c. 10.

Cap. IX. censeant, *si celebrans omittat aliquid ex vestibus sacerdotalibus, vel si vestes sacerdotales & mappa non sint ab Episcopo, vel ab alio hanc habentè potestatem benedicta*; ut diserte docet Missalis liber. Vt ergo hunc defectum à suis sacris amoliantur missaque omnibus suis partibus ac numeris constantes habeant, jubent sacerdotem ad id officium se præparantem, postquam manus lavit, vestes, quas diximus, mente attenta & ad rem erecta induere & breves ad singulas emittere ad Deum preces; quas ut rituum ratio clarius perspiciatur, recitare operæpretium puto. Sacerdos ergo, cum amictus capiti ejus imponitur; k *Impone* (inquit) *Domine, capiti meo galeam salutis ad expugnandos Diabolicos incursus.* Cum alba induitur; *Dealba me Domine & munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.* Ad cingulum, dum cingitur; *Præcinge me Domine, cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ & castitatis.* Ad manipulum dum imponitur brachio sinistro; *Merear Domine, portare manipulum fletus & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.* Ad stolam, dum imponitur collo, *Redde mihi Domine stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis; & quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium; merear tamen gaudium sempiternum.* Denique ad Casulam, dum assumitur; *Domine, qui dixisti Iugum meum suave est, & onus meum leve, fac ut illud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.* Atque hæc quidem sunt etiam Presbyterorum communia. Episcopi ad ea, quæ sunt eorum propria, similes ipsi quoque dicunt preces; ut ad *Scandalia*, quæ illi etiam *caligas* vocant; *Calcea Domine pedes meos in præparationem Evangelij pacis, & protege me in velamento alarum tuarum.* Cætera, quod horum gemina sint ad tunicellam, ad dalmaticam, ad chirathecas, ad mitram, ad annulum recitare supervacaneum est.

k Ibid. Præp. ad Miss.

CAPVT IX.

Latini vestes suas allegoricas ab Apostolis institutas, saltem antiquissimas esse contendunt. Id & ratione cultus Evangelici, & diserto veterum testimonio refellitur. Bellarminus quæstionis statum corrumpit I. eius ratio ab exemplo Mosaici cultus, confutatur II. Testimonia citimorum seculorum, ridicula repudiantur, & contrariis de vestiarij negotij novitate testimoniis Valafridi, Honorij Augustodun. refelluntur. Bellarminianæ de hoc argumento disputationis vitium, atque ordo præposterus in genere arguitur & expladitur.

His instructus & ornatus sacerdos ita demum Eucharistiæ sacrum aggreditur, siquid eorum desit, à sacerdote sive primi, sive secundi

ordinis prudente vel imprudente omissum, Missa imperfecta habetur, CAP. IX.
& aliqua sui parte deficere censetur. Si quæ res hujus tam multarum cærimoniarum usus originem, Tridentini Patres affirmant eas ab Apostolis esse profectas. Vbi enim de Missæ cærimoniis decernunt, quas Apostolicas esse pronuntiant, in earum numero *vestes* diserte ac nominatim censent, *l Cærimonias item in Missa adhibuit* (Ecclesia scilicet) *ut* mysticas *benedictiones, lumina, thymiamata, VESTES, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina & traditione quo & maiestas tanti sacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Hæc illi; quæ quam sint, non tantum à vero, sed ab omni etiam veri specie aliena, facile est perspicere, si Apostolicæ disciplinæ ingenium paulo attentius consideremus. Ego quidem libens concedo, quod isti præfati sunt, *eam hominum esse naturam, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli.* Nimirum quo infirmior est anima nostra eo impensius eget & gaudet istis cærimoniarum adminiculis; quo fit, ut pueri & fœminæ iis maxime capiantur propter infirmitatem animi illis ab ætate, his à sexu insitam. Itaque istæ rerum divinarum imagines eo maxime tempore apud Dei populum in religione abundarunt, quo Ecclesia adhuc rudis & ingenio puerili sub lege, tanquam sub pædagogo degebat. Nunc vero cum ea Christi sui beneficio in ætatem maturam adoleverit, longe puriorem ac liberiorem magisque ut sic dicam, spiritualem decet esse ejus disciplinam; quo factum est, ut Dominus Christus omnem illam Mosaïcarum cærimoniarum densam ac perplexam sylvam, quibus olim Israëlis infantia merito exercebatur, sustulerit, suos *Deum adorare* instituens, *m* non ut antea in carne & in umbris, id est crassis & corporeis rebus ac in sensus incurrentibus, veritatem duntaxat adumbrantibus, sed *in Spiritu & veritate*, id est eo cultu, qui actibus spiritualibus, Dei amore & in homines caritate, & operibus inde manantibus constat, quique res ipsas vere continet, quæ Mosaïcis superiorum temporum imaginibus, vel potius umbris repræsentatæ fuerant. Hoc nos Paulus clarissime ac constantissime in omnibus fere epistolis docet. Neque Christus pro Mosaïcis abrogatis alios ritus externos, præter baptismum & Eucharistiam suis instituisse vel commandavisse legitur. Indumenta autem sacra & allegorica adeo non benedixit, aut usurpavit in celebrando sui corporis & sanguinis sacramēto, ut non aliis *quam propriis vestibus usus sit*, quod & Stephanus Durantus confitetur, *n* & Scriptura diserte tradit. *o* Ioannes enim ultimam illā cœnam describens, in qua Dominus sacramentū hoc instituit, dicit eum vestimenta quotidiana quæ pedes discipulorum loturus posuerat, perfecto illo officio accepisse Vnde videre est in his ipsis vestimentis panem & vinum benedixisse, & benedicta Apostolis distribuisse. Rationi res ipsæ congruunt. Neque enim vel Paulus, vel quisquam alius Apostolorum ullum de sacris illis (ut vocant) vestibus vel consecrandis,

l Conc. Trid. Sess. 22. c. 5.

m Ioann. 4.

n Durant. L. 2. de Rit. Eccl. c. 9. §. 3.

o Ioan. 13. 4. 12.

Cap. IX. vel ad Eucharistiam celebrandam assumendis verbum fecit. Sed neque in Ecclesiasticis antiquissimi & Apostolici Christianismi monumentis ullum earum vestigium cernitur.

Bellarminus rem totam levi brachio perstrinxit verius, quam tractavit. Nam verum quæstionis statum dissimulans, id tantum probandum sumit, Christi ministros vestem olim in sacris gestasse à sua quotidiana & vulgari diversam. De vestis illius qualitate tacuit; hujusmodi scilicet esse, quæ & ab Episcopo certo ritu, prece & aquæ benedictæ aspersione ad hunc usum consecrata sit, & quæ non ad alios quam ad sacros actus adhibeatur, & quæ denique mystica sit res quasdam mysticas allegorice significans; qua de re altissimum est apud omnes vetustissimos silentium. Sed neque id Bellarminus, quod instituit, recte probat. Exemplum in primis affert *Mosaici sacerdotii, ad quod obeundum certis vestibus à Deo præscriptis utebantur.* Quid hoc ad *Apostolicam traditionem*, quam Tridentini suis vestibus obtendunt? Quod vero hic dicit Leviticas illas vestes suarum typos fuisse: id ridicule dici videtur. Nam ut illæ erant typicæ, ita & has esse volunt. Vtræque ergo mysteria quædam significant. At typum alterius typi imaginem sive typum esse absurdum est. Typi enim non ad alios typos; sed ad res ipsas, quas significant, referuntur. Mosaici ergo veteres typi quidem erant; sed rerum spiritualium, quarum veritas & corpus in Christo est; non autem vestium externarum & carnalium, quæ & ipsæ typi sunt. Itaque potius & verius ex his probatur nullas esse novi fœderis Ministrorum sacras & allegoricas vestes; cum constet cruce Christi abrogatum fuisse veterem illum omnium Mosaicarum cærimoniarum apparatum, cujus vestes sacræ & allegoricæ pars erant. Secundo loco Bellarminus affert *usum Ecclesiæ antiquissimum. Nam omnia* (inquit) *indumenta, quibus nunc utimur in Missa, enumerant & significationes eorum explicant multi antiqui scriptores.* Quinam? inquam. Cedo aliquem. Innocentius (inquit) *tertius, Libro tertio, de mysteriis Missæ. Rupertus Libro secundo, de divinis officiis. Bonaventura in L. de explicatione Missæ. Hugo de S. Victore L. 2. de Sacramentis Parte* 4. En idoneos testes *antiquissimi Ecclesiæ usus*; &, quod aiunt Tridentini *Apostolicæ traditionis!* homines, qui partim post undecimum ab Dominico natali seculum, ut Hugo & Rupertus: partim etiam post duodecimum, ut Innocentius & Bonaventura, & vixerunt. Neque his multo sunt illi vetustiores, quos idem Bellarminus subjicit: Alcuinum scilicet non veri, sed falsi nominis Alcuinum, quem eruditi post decimum seculum scripsisse probant, & Amalarium & Rabanum & Valafridum, quos constat post octavum seculum floruisse: id est iis temporibus, de quibus nulla nobis est cum Latinis de vestibus sacris controversia. Fatemur enim jam tum in Christianismum irrepsisse illam de vestibus inanem sapientiam. Neque eos vel contendimus, quod Bellarminus observat, *q* dicere *hæc quæ scribunt, suo tempore incepisse*; vel negamus *ea ipsos à majoribus accepisse.* Nam à proximis retro majoribus, imo ab uno vel altero seculo vetustioribus

p Bell. L. 2. de Miss. c. 14. §. Ac primum.

q Id. ibid. §. Præter nos.

ribus fortasse acceperant; *Ab antiquissimis* (quod ait Bellarminus) *ab Apostolis* (quod Tridentini affirmare non dubitant) *accepisse*; id demum est, quod negamus. Quid, quod ex eo ipso censu aliqui id ipsum nobiscum negant? Audi Valafridum ex illis *antiquis* Bellarmini auctoribus unum, neque sane deterrimum. Ille vero cultus Ecclesiæ reliquos Præfatus *magis magisque per incrementa temporum succrevisse*, proprie de vestibus hæc addit; r *Vestes etiam sacerdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur, aucta sunt ornatum. Nam primis temporibus COMMUNI indumento vestiti agebant Missas; sicut & hactenus quidam Orientalium facere perhibentur.* Hic certe tametsi non dicat *illa vestimenta suo tempore cœpisse*, exserte tamen ea negat à primorum temporum majoribus fuisse accepta, *primos* illos majores *Apostolos & proximos eorum successores* disertissime confitetur *communi indumento vestitos Missas egisse*; quæ plane nostra est de his sententia; à Bellarmino & Tridentinis diversissima, quorum ille *antiquissimorum*, hi *Apostolorum* eam esse *traditionem*, nimium profecto inverecunde affirmant. Quin & ipse, Honorius Augustodunensis de 13. seculo scriptor non ignobilis eadem quoque docet; s *Apostoli* (inquit) *& eorum successores in quotidianis vestibus, & ligneis calicibus Missas celebraverunt.*

r Valafr. de reb. Eccl. c. 24 p. 686. 4. T. 10. Bibl. Patr.

s Ibid. p. 1206. B. Hon. Aug. L. 1. Comm. au. c. 89.

Hinc Bellarminus ad superiora tempora transit, & ex iis auctores affert, t *qui* (inquit) *breviter aliquid attingunt de huiusmodi vestibus*; id est qui aliquam ex iis, vel memorant, vel Bellarmino certe videntur memorare. Colligit, quæ *de sacerdotali veste*, de *vestimentis sacerdotalibus*, de *sacris vestibus* in genere, vel de *tunica*, qua *unus* aliquis nominatim in *ministerio usus sit*, dicta apud veteres reperit; quasi quisquam contendat sacerdotes nudos olim vel vixisse, vel sacra peregisse. His illa addit, quæ vel de Diaconorum *alba & dalmatica*, vel unius ex Apostolis *petalo* habentur; quasi vel de Diaconorum, vel de Apostoli alicujus veste aut ornatu quæratur. Atqui longe aliud nunc agitur. Nimirum quæritur, an ut nunc est, ita olim solenne fuerit Eucharistiam rite non aliter celebrari, quam à sacerdotibus *amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, & casula* vestitis, & his quidem vestibus, quæ ab Episcopo certo ritu ita essent consecratæ, *ut eam benedictionem consequantur; qua his induti ab omnibus tentationibus malignorum spirituum muniti esse mereantur*. Item an hujusmodi indumenta ita requirantur in hoc sacro, ut & Missa in qua unum ex his aliquid defuerit, imperfecta ac mutila, & sacerdos, qui eam celebrarit, mortalis peccati reus censeri debeat. De his certe disputamus; ut illa alia novem Episcoporum propria vestimenta nunc mittam. Denique quæritur, an hic hodiernus Latinorum mos à Christi Apostolis jam ab ipsis Christianismi incunabulis traditus sit. Hæc Bellarmino erant accurate demonstranda, si suorum doctrinam, & Tridentinæ Synodi decreta nobis persuadere cupiebat. Atqui eorum, quæ ille in hac causa attulit, nihil est, quod vel omnia hæc apud veteres fuisse, non dico ad Eucharistiam celebrandam necessaria, sed vel apud eos nota & usitata, vel ab Apostolis tradita. Quod tametsi cuilibet inspicienti per se satis pateat,

t Bell. ub. supr. c. 14. §. Prætex hos.

Cap. X. age tamen ad majorem rerum lucem singula spectemus; non quidem eo ordine, quo Bellarminus illa proposuit, qui motu retrogrado à posterioribus exordiens ea primum recenset, quæ nobis propiora, ab Apostolis longissime absunt; quod ille quo consilio fecerit, Deus novit; nolo suspicari fraude ac dolo factum. Nos vero, planius ni fallor, & ipsi rerum ordini convenientius, à primis & antiquissimis incipientes, & inde sensim progredientes in novissimis desinemus.

CAPUT X.

I. Latin. arg. pro vertib. Missal. ex vera antiquitate, ex Ioannis lumina ductum solvitur Mosaïcum, πέταλον quid sit. Mitra non fuit. Quid Polycrates eo verbo de Ioanne significarit. Epiphanij error. Marci πέταλον.

NObis ergo primum erit, quod Bellarmino ultimum fuit, illud Ioannis Apostoli ex Polycratis Ephesij apud Eusebium epistola repetitum πέταλον, quod Latini suorum Episcoporum *mitram* esse volunt. Hæc sunt Polycratis verba;* *Praterea Ioannes, qui in sinu Domini recubuit, qui etiam sacerdos fuit, & laminam gestavit; Martyr denique & Doctor fuit* ἔτι δὲ καὶ Ἰωάννης ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Κυρίου ἀναπεσών. ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορεκώς, καὶ μάρτυς καὶ διδάσκαλος. Ruffinus reddiderat, *qui fuit summus sacerdos, & Pontificale* πέταλον *gessit.* πέταλον, quod in Græco est, Hesychius φύλλον *folium* interpretatur. πέταλα plurale τὰ φύλλα *folia.* & πεταλισμὸν, τὸν διὰ φύλλων ὀστρακισμὸν γινόμενον. *ostracismum, qui fit per folia.* Hinc est, quod πέταλον, pro bractea aurea sumitur. Sic & Francice vocamus *folium aureum, une fueille d'or.* Græci in Exodo y Hebræum ציץ *tsits* interpretati sunt πέταλον. καὶ ποιήσεις πέταλον χρυσοῦν καθαρόν; Latinus, *laminam, Facies & laminā de auro purissimo.* Est enim lamina, *bractea*, sed tenuis. Ea autem *ligabatur vitta hyacinthina, & erat super tiaram, imminens fronti Pontificis,* id est, summi sacerdotis, ut tradit Moyses. Hinc sumptū esse illud Ioanni à Polycrate attributū πέταλον nemo dubitat, Latini adeo non repugnant, ut etiam affirment, ac siquis sit qui neget, contendant. Iam donemus illam laminā fuisse mitram episcopali similem, ne sic quidem eadem erit Episcoporum. Nam illa, quam gestabat Ioannes (si tamen mitram fuisse donaveris) laminam habebat auream fronti Pontificis imminentem ac infima sui parte incumbentem, in qua inscriptum erat, *SANCTUM DOMINO*; quæ omnia absunt ab Episcoporum mitris. Præterea illam non alius, quam summus sacerdos unus gestabat, summæ in Israëlitico ministerio dignitatis, insigne. Atqui summa ministerij dignitas unius est Papæ apud Latinos; non autem quorumvis Episcoporum. Quanquam ne Papæ quidem esse potest illa Ioannis, quod volūt, mitra; quia scilicet Papæ non magis, quam Episcoporū mitra, ullam habet auream frōti impendentem laminam. Nihil ergo Ioannis πέταλον ad mitram, quam gestare jubentur Episcopi, quoties rem divinam faciunt. Huc accedit, quod ne illud quidem

* Polycr. apud Euseb. Hist. L. 5. c. 24.

y Exod. 28. 36. 37.

dem constat, quod isti vehementer, sed absque ratione affirmant, πέταλον id est laminam, sive bracteam auream esse mitram, sive tiaram; neque ego aliud, præter improbum causæ vestiariæ studium, video, quod eos huc impulerit, ut laminam in mitram transformarent. Quid enim laminæ aureæ cum mitra, re omni ex parte dissimillima? Neque ipsi negare possunt. Sed Hartus tamen Iesuita Rainoldo nostro ita satisfaciebat, z ut diceret *mitram per illam bracteam esse designatam per quandam figuram sermonis, qua pars pro toto usurpatur.* Quis vero Hartum docuerat illam bracteam mitræ partem fuisse? Certe fuisse dicitur *super tiaram*, id est *mitram*. Non ergo tiaræ pars fuit, id est mitræ. Adjunctam fuisse mitræ lego, *appositam* scilicet *è regione* (quod ait Rainoldus) anterioris partis mitræ Aaronis Pontificis Iudæorum, ut super ejus frontem penderet; partem eam mitræ fuisse, inauditum. Huc accedit, quod synecdoches (quam Hartus intelligit) figura sive tropus nullius solet partis nomen ad totum aliquid significandum transferre, nisi ejus, quæ totius, cui nomen suum commodat, *essentialis*, ut sic dicam, sit, atque ita necessaria, ut id totum nusquam sit absque hac sui parte. Ita *tectum* pro domo, *animam* pro homine, *puppim* pro nave dicimus. Recte. Neque enim domus sine tecto ulla, vel homo sine anima, vel navis sine puppi constare potest. Bracteæ vero sive laminæ ad mitram nulla est hujusmodi ratio. Adeo enim mitræ ad hoc ut sit mitra, bractea illa nihil necessaria est, ut nulli mitræ, hac una Hebræi Pontificis excepta, fundo unquàm auditum sit bracteam ullam adjunctam fuisse. Mitras inspice veteres Persarum, Phrygum, Ethnicorum sacerdotum Apollinis, vel Ceteris; hodiernas Latinorum Episcoporum; nullam uspiam reperies, cui bractea aurea adhæreat. Nisi ergo & sermonis figuras, & rerum naturas pro tua libidine inverteris, non potes πέταλον *bracteam* vel laminam eo transferre, ut hoc simpliciter positum nomen mitram significet. Vnde jam secundo patet nihil ad Episcoporum mitram facere illam Ioannis Apostoli memoratam à Polycrate laminam. Si me roges, quid hæc ergo Polycratis de Ioanne oratio significet; fatebor ejus sensum obscurum ac difficilem videri. Quid hoc enim quæso est, quod ille ait Ioannem fuisse sacerdotem, ἱερέα? Ne ex Levitica quidem tribu, unde omnes apud Israëlem sacerdotes, Ioannem fuisse auditum est. Piscatorem fuisse scimus. An qui sacerdotes erant, iisdem piscatoribus esse apud Iudæos licebat? artem vilissimam facere, ac simul semelque præcipuam in ea gente dignitatem gerere? Quanquam ne hoc quidem Ioanni satis ad hoc futurum erat, ut laminam illam gestaret; Nempe eam gestare, nemini sacerdoti prætérquà uni summo fas erat, totius apud Israëlem sacerdotij apici. At Ioannem, si vel obscurum esset de tribu Levi oritum non fuisse, illud certe nescire, non possumus, quod adhuc ex Iosepho & tabulis Pontificum Hebræorum cõstat, nunquam eum fuisse summum illius gentis sacerdotem. Ergo aliud Polycrates his verbis intellexit. Nam quod ait a in ipsum locum doctissimus Valerius *de Pontificatu Iudæorum hac non esse accipienda;*

CAP. X.

z Rainold. Coll. cum Hart. c. 8. Sect. 4. p. 351.

a Val. Not. ad L. 5. c. 24. Euseb.

Cap. X. da, id inquam satis patet. Itaque ille hæc Polycratis ad Ioannis dignitatem, non Iudaïcam, quam ille nullam habuit, sed Christianam merito refert, id est ad eam, quam erat à Domino Christo consecutus, quo etiam pertinent, quæ addit, Ioannem etiam *Martyrem & Doctorem fuisse*. Eo nobis præivisse Hieronymum acute & apposite observat Valesius, dum hæc Polycratis de Ioanne verba sic Latine reddit; *qui supra pectus Domini recubuit, & Pontifex EIUS fuit, auream laminam in fronte portans. Pontifex eius*, inquit; Domini scilicet supra cujus pectus recubuit, id est Christi? Quod Græce simpliciter est ἱερεὺς, Hieronymus non *sacerdotem*, sed *Pontificem*; neque simpliciter *Pontificem*, sed *Christi Pontificem* esse vult, Ioannem nimirum *Christi*, ut Martyr & Doctor fuit; sic etiam fuisse *Pontificem*. Vt ergo sacerdotis nomen, non literaliter ac proprie de Aaronico sacrifico capiendum est, sed de Christi ministro, mystice ac tropice, similis in Christianismo dignitatis, cujus sacerdotes erant apud Iudæos, ita & sequentia interpretanda videntur, qui *bracteam*, sive laminam τὸ πέταλον gestavit. Nimirum quod sacerdotem dixerat, nequis eum unum aliquem de gregariis ministris fuisse putaret, adjecit, *qui laminam gestavit*, hoc est summæ in Ecclesia dignitatis inter Christi ministros fuit. *Auream* enim *illam* Mosaïcam laminam summæ, id est Pontificalis in Iudaïco sacerdotio dignitatis insigne fuisse constat. Mitras etiam aliis sacerdotibus gerere licuit; ut est à Raynoldo nostro vere observatum; Laminam alium

b Exod. 28. 4. 40. quam Pontificem gestare nefas fuit. Itaque hac ad Mosaïcam hierarchiam allusione significarit Polycrates Ioannem summa fuisse cum cæteris Apostolis inter Christi Ministros dignitate, qua nulla cujusquam Ministri esset in Ecclesia superior. Ac ut Pontifex Hebræorum summus erat in terris Synagogæ rector; ita & hunc Ioannem unum ex illis XII. viris fuisse, quorum auctoritati nihil par est apud Christianos. Denique quæ hic à Polycrate laminæ illius Iudaïcæ imagine significatur eximia, id est Apostolica dignitas atq; auctoritas, ea alibi ab ipso Christo, etiam multo augustiori regij throni symbolo magnificentissime descripta est, quo loco futurum prædicit, ut postquam ipse in cœlum ascenderit, in *regeneratione*, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, id est in hac mundi per Christi Evange-

c Matth. 19. 23. liũ innovatione (juxta illud Pauli, *Ecce vetera transierunt; facta sunt omnia nova*) adeoque in Ecclesia Christiana, non ut olim Moyses & Prophetæ,

d 1. Cor. 5. 17. sed 12. Apostoli summa & ἀνυπευθύνῳ cum auctoritate jura omnibus, toti Israëli mystico, dicant. Hic enim omnino esse videtur Christi in illis verbis sensus; *In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos super thronos duodecim iudicantes duodecim tribus Israël.* Neque vero est, quod quisquam putet inepte & ἀπροσδιονύσως hic à Polycrate exaggeratam Ioannis sui dignitatem. Quinimo vix videtur quicquam ad eam, quam agit, suorum Asianorum contra Romanos de die celebrandi Paschatis causam dici potuisse appositius. Notum enim est Romanos Petrum auctorem sui moris obtendisse, ejusque auctoritate maxime niti solitos, Apostoli & quidem primarij. Huic ergo

illorum

illorum præsidio & suum opponit Polycrates; sui quoque sibi moris au- CAP. X.
ctorem esse Ioannem illum, *qui in sinu Domini recubuit*: sed & Sacerdos Christi fuerit, isque non gregarius, sed ipse quoque princeps; cui eandem illam auream *laminam*, æque ac Petro gestare datum fuerit, quique idem paribus & martyrij & magisterij honoribus fulgeat; Alterius ergo auctoritatem alterius auctoritati nequaquam præjudicare. Atque hæc mea est de difficili Polycratis apud Eusebium loco, sive sententia, sive conjectura; quæ si non est plane eadem cum incomparabilis viri Ioannis Rainoldi interpretatione certe non multum ab ea discedere videtur. *Similius veri est* (inquit ille) e *Polycratem cum dicit Ioannem Sacerdotem fuisse, qui gestavit bracteam, significasse per quemdam ad Mosaicam legem allusionem, illum esse ingressum quasi sanctuarium cum quadam prærogativa, ipsaque mysteria Dei sibi revelata accepisse.* Quod vero alij, & quidem viri doctissimi hæc de Ioanne dicta ad litteram sic interpretantur, ut *non Ioannes tantum, sed etiam alij primi Christianorum* (ut ipsi loquuntur) *Pontifices, exemplo Iudæorum Pontificum* hoc *honoris insigne gestarint*: id mihi non videtur posse consistere. Nam si Ioannes, adeoque & quidem multo magis ex eorum hypothesi. Petrus, *laminam auream in fronte portarunt*; qua fronte claudo eleemosynam poscenti negasset f Petrus *se aurum* aut argentum habere? Sed & hoc Apostolorum modestiæ repugnabat, ut id fronte insigni præferrent, quo nihil erat apud Israëlem carnalem gloriosius. Iam neque hoc videtur Evangelicæ doctrinę ingenio consentaneum, ut quos ipsi Mosis ritus summo studio abrogabant, eorum unum & quidem ex præcipuis ac maxime insignibus præ se ipsi ferrent? Quo loco illud observandum est eos ab hoc Iudaïca in Christianismum transferendi consilio adeo fuisse alienos, ut quorum Sacerdotum nobilissimum insigne fronte gestasse dicuntur; eorum ne nomen quidem, tametsi generale & Gentilium cum Hebræis commune vel sibi ipsis, vel aliis Christi ministris tribuisse unquam reperiantur. Neque enim vel se ipsos, vel quosvis Collegas suos in Domini secum opere laborantes usquam leguntur *Sacerdotum ἱερέων* nomine designasse, nedum ut quemquam ex eo numero *Pontificem* vel summum Sacerdotem appellarint. Se Apostolos, cæteros Christi operarios *Episcopos, Presbyteros, Evangelistas, Pastores, Doctores, Diaconos* appellant; nunquam *ἱερέας Sacerdotes*, ut quidem id nominis publicum in Ecclesia officium significat. Huc accedit, quod Iudæos, si nostros sui unius Pontificis gloriam sibi palam hoc assumpto insigni vindicantes, ejusque eximium & singulare excellentissimi in tota gente muneris symbolum gestantes vidissent, non est credibile cessaturos, vel tantam suæ legis contumeliam æquis animis laturos, ac non omnia clamoribus & querelis repleturos fuisse, cœlumque terræ mixturos, potius quã ut hanc principis in religione sui injuriã inultam abire paterentur. Atqui nihil hujusmodi apparet, vel in divinis, vel in Ecclesiasticis litteris; quæ Iudæorũ in nostros criminationes ac calumnias continent non paucas; de hoc usurpato sui Pontificatus insigni, cujus apud hanc gentem

e Rain. Colloq. cum Hart. c. 8. Sect. 4. §. 351.

f Act. 3. 2.

invidiosissimum futurum erat crimen, plane nihil loquuntur. Denique
Cap. X. nullus in illa prima antiquitate extat certus & clarus locus ex quo credibile fiat primos Christianismi prædicatores hoc Iudaïci Pontificatus insigne gestasse. Hoc enim Polycratis de Ioanne dictum, quam difficile sit ita explicare, satis ostendimus.

Fateor Epiphanium (quod objiciunt viri doctissimi) semel atque iterum scripsisse Iacobum fratrem Domini *bracteam in capite gestasse*. Sed præter multa alia, ut mollissime dicam, mirifica, parumque probabilia, quæ ibidem de Iacobo habet Epiphanius, ut quod is & Iosephi de tribu Iuda filius esset, idemque Sacerdos ex veteris ritu Sacerdotij (quod quam sit absurdum & alienum ab Hebræorum lege, omnes vident) in hac certe de Iacobi petalo narratione luce meridiana clarius est eum fuisse hallucinatum. Cum enim scripsisset quædam à se de Iacobo dicta plærosque ante se memoriæ prodidisse, Eusebium scilicet, Clementem, & alios; tum continenter addit; *g Sed & bracteam eidem in capite gestare licuisse, quos proxime nominavi, idonei scriptores commentariis suis testatum reliquerunt.* ἀλλὰ καὶ τὸ πέταλον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐξῆν αὐτῷ φέρειν, καθὼς οἱ προειρημένοι ἀξιόπιστοι ἄνδρες ἐν τοῖς ὑπ' αὐτῶν ὑπομνηματισμοῖς ἐμαρτύρησαν. Si ei credimus, Eusebius testatus est etiam Iacobum bracteam gestasse. Atqui ille de Iacobo plane nihil habet hujusmodi. De Ioanne hoc habet ex Polycrate. *De Iacobo* (inquit ad alterum locum Petavius) *haud scio an quispiam prodiderit. Nam quos hæresi 29. citat Epiphanius* (Eusebium nempe & Clementem) *de Ioanne, non Iacobo ista scripserunt.* Patet sancti viri errorem fuisse μνημονικὸν (qualia non semel peccat) qui quæ de uno Ioanne apud Eusebium legerat, ea de Iacobo dicta fuisse perperam putabat. Vt nunc id mittam, quod credidisse videtur hoc πέταλον, quod gestasse Iacobum imprudens fingit, fuisse ipsam Iudaïci Pontificis bracteam, & Iacobum gestasse eam *ex permissione Iudæorum*. Ait enim *hoc ei licuisse*, per suos scilicet, ob insignem sanctimoniam; quod si verum est, Iacobus bracteam ex Pontificum Hebræorum, non æmulatione, sed venia & concessione gestarit, & hoc ejus unius proprium fuerit, non autem ei cum aliis Christianorum primis Antistitibus commune; quod viri doctissimi volebant. Alter eodem pertinet Epiphanij locus in quo ex præcepto memoriæ errore Iacobo iterum tribuit, *i* quæ de Ioanne apud Eusebium ex Polycrate dicta legerat; *Iacobus iste* (inquit) *bracteam in capite gessit.* οὗτος ὁ Ἰάκωβος πέταλον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐφόρεσε. Itaque cum ea in re hallucinatum fuisse Epiphanium nuper demonstratum sit, nihil causæ est, cur jam actum agamus.

Sed viri doctissimi etiam aliud gestatæ à primis Ecclesiæ Christianæ rectoribus bracteæ exemplum ex MS. quodam passionis Sancti Marci libro, his verbis descriptum exhibent; *Quem quidem B. Marcum juxta ritum carnalis sacrificij Pontificalis apicis petalum in populo gestasse Iudæorum, illustrium virorum syngraphæ declarant; ex quo manifeste datur intelligi de stirpe eum Levitico, imo Pontificis Aaron sacra successionis originem habuisse.*

g Epiph. hær. 29. quæ Nazar §. 4. pag. 119. B.

h Petav. ad Epiph. Hær. 78. §. 3. Not. p. 333.

i Epiph. Hær. 78. §. 14. p. 1046. A.

habuisse. Hæc ille quisquis est manuscripti operis auctor; de cujus fide ac pretio nos judicare difficile, & fortasse etiam iniquum est, qui ejus præter unum hunc locum nihil vidimus. Sed utcumque se cætera habeant, tradit scriptor *Marcum gestasse petalum*. An apud Christianos? Minime gentium; sed *in populo Iudaïco*. Ergo ipse, quo quidem tempore id gestavit, adhuc erat religione Iudæus; nondum erat Christianus. Quod & ex sequentibus manifestum est; vbi Marcum, quod petalum in populo Iudæorum gestarit, ex eo argumentatur ortu Levitam fuisse, & quidem ex Aaronis familia. Nam si Christianorum primi illius ævi antistites *petalo*, quod volunt viri eruditissimi, vsi essent Pontificum Iudaïcorum exemplo; cum constet in eo numero multos fuisse domo & ortu Gentiles ut Clementem Romanum, Dionysium Atheniensem, alios innumerabiles; nemo non videt ex *petali* vsu nequaquam intelligi potuisse aliquem nostrorum Levitam, ac multo etiam minus ex Aaronis semine ac domo fuisse. Sed ne hæc quidem satis plene dixit scriptor. Non enim quod quis petalum gestaret, eo se tantum Levitam, & quidem ex nobilissima Aaronis familia fatebatur, sed aliud præterea longe majus indicabat, se esse scilicet summum Iudæorum Sacerdotem; quod sane videtur non fuisse à scriptore hoc loco de Marco tacendum. His ita explicatis, illa nunc omni antiquitatis præsidio atque auctoritate nudata est opinio de gestato ab Apostolis, & aliis Christianismi primis prædicatoribus petalo: quam Petavium quoque probare, sed nullis argumentis confirmare comperimus.

CAP. XI.

k Petav. vbi supr. pag. 353. extr.

Cæterum veteris de Marci petalo scriptoris, tametsi improbabilem & fabellæ ut videtur, propiorem traditionem excutere vel exagitare hoc loco nihil necesse est; quod ea ad rem nostram, qualiscumque de cætero sit, nequaquam certe pertineat.

CAPUT XI.

Arg. 2. ex Tertull. pro Episcoporum mitra, solvitur. Infula Tertulliano metonymice pro Sacerdotio dicta. Arg. 3. à Phrygio Constantinianæ Donationis refellitur. Mitram episcopalem nostris nondum notam fuisse seculo II. Arg. 4. à Dalmaticis Diaconorum solvitur ac retorquetur. Arg. 5. ex candidis Hier. & Chrysost. memoratis solvitur Arg. 6. ex Chrysost. Liturgia. & 7. ex Hieron. solvuntur. 8. ex Conc. Carthag. quarto. 9. ex Beda. 10. ex Iuliano Toletano diluuntur.

SVnt, qui episcopalem mitram à memoratis Tertulliano infulis repetant. Is enim monogamiam, tam laïcorum esse, quam Clericorum, ex Montani spiritu pugnans, secunda vota & alteras post expunctum unum conjugium nuptias ex Christianismi finibus exterminans, & Catholicos novo dogmati resistentes, & argumentantes Apostolum laïcis eo connubium iterare permittere, *quod solos qui sunt in clero monogamiæ*

Cap. XI. *jugo adstrinxerit:* refellens, ipse è diverso nostros inconstantiæ arguit, *l* & diversi pro causarum varietate sensus; *Cum extollimur* (inquit) *& inflamur adversus Clerum, tunc unum omnes sumus: tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos Deo & Patri fecit: Cum ad peræquationem disciplinæ Sacerdotalis provocamur, deponimus infulas, & impares sumus.* Hæc ille; cujus mens satis clara est; Catholicos Laïcos, vbi de dignitate certatur, paria Clericorum sibi jura sumere, & causari se quoque esse Sacerdotes: Nunc vbi disciplina agitur, eosdem ne æque cum Clericis unis nuptiis adstringantur, suo illi qu[illegible] in altera causa sibi vindicabant, Sacerdotio renuntiare, seque pares esse negare; *personam Sacerdotalem deponere, & iam dicere alios esse Laicos, alios Sacerdotes:* ut in hunc locum Regaltius scribit. *m* Ergo (inquis) erant jam tum apud nostros *infulati*, id est mitrati Sacerdotes. Nego inquam sequi. Nimirum *Sacerdotium* Tertullianus per solenne Sacerdotij tam apud Hebræos, quam apud Gentes insigne significat, metonymice posito rei adjuncto pro re ipsa; ut cum *coronam* pro regno, *fasces* pro consulatu dicimus. Neque hic aliter intelligere licet *infularum* nomen; quia de Laïcis loquitur, quorum Sacerdotium quidem est, infulæ vero nullæ sunt. Cum ergo à laicis *infulas* deponi scribit, necessario *Sacerdotium* dicit: quod laïcorum suo sensu est: *infulas* proprie pro mitra sumptus non dicit: Has enim Laici, quas deponant, nullas vel nunc habent, vel olim habuerunt. Hinc ergo recte sane collegeris fuisse jam tum apud Christianos *Sacerdotium*, & quod omnium est, *mysticum* & spirituale, & quod Clericorum tantum est, ministeriale: id est presbyterium (quod nemo negat) *Infulas* adjunctum rei, extundere hinc non potes: Et omnis Ecclesiæ historia repugnat, ne priscis illis temporibus jam eo erupisse nostrorū typhum putemus, ut mitratos haberent, non solos, ut nunc Episcopos, sed ipsos etiam gregarios presbyteros: quod ne ipsa quidem nunc Roma probaverit. Qui enim Tertulliano ex Ecclesiæ disciplina *monogami*, iidem si verba vrgeas, necessario *infulati* erant, adeoque non uni Episcopi, sed etiam presbyteri infulati. Prudenter itaque Bellarminus imbelle hoc & anceps pro sua mitra telum omisit.

l Tertull. de Monog. c. 12. p. 684. D.

m Rigalt. Not. in loc.

Pari etiam sapientia id aspernatus est, quod alij incautius ex famosa Constantinianæ donationis fabula suorum Antistitum mitris præsidium adsciscunt; in qua narrat *n* Constantinus se Sylvestri Papæ vertici manibus suis imposuisse *Phrygium candido nitore splendidum:* cum oblatam ex auro purissimo, & gemmis pretiosis coronam repudiasset; suis quidem ille successoribus hac in parte modestior, qui vel unam sibi imponi passus nō est, cum hi vltro sibi tres ipsi gestandas sumpserint. Sed hæc tota objectio & futilis & absurda est. Primo enim illa, unde ducitur, Constantini donatio, fabula est, & quidem insulsissima, eruditorum virorum obelis jampridem confixa & confossa. Deinde etiamsi vera esset, (quod non est) nihil tamen ad rem, quam agimus, faceret, & quæ ex ea habetur objectio, pluribus scatet vitiis; primo quidem, quod causam, ad quam probandam affertur, adeo non confirmat, ut tum ipsam, tum quædam, quæ à Latinis

n Decret. d. 96. c. 14. Constantinus.

pro

CAPUT. XII.

pro ejus firmamentis habentur, labefactet. Nam objectio si valet id quod Tridentini aiunt, suas illas vestes sacras à traditione esse Apostolica id inquam apertissime refellit; quæ scilicet sumit, hanc, quam memorat non à Christo, vel ab Apostolis sed à Constantino fuisse traditam. Quo & aliis, quæ de insignibus & ornamentis Clero ab eodem Augusto concessis Donatio fabulatur, commotus olim vir doctissimus Ioannes Viclefus, qui donationem esse veram pro captu sui sæculi putabat, vestes illas Latinorum Missales & sacerdotales *Cæsareas*, non infictо vocabulo appellare solebat; vt Iohannes Lukwits in opere quodam suo testatus *o* est non semel. Tum eadem narratio si admittitur, duo illa, quæ nuper excussimus, à Latinis pro vestibus sacris allata Polycratis & Tertulliani testimonia, vna simul semelque litura delet. Nam si à Constantino primum traditus est sacris hominibus *phrygii*, id est, vt ipsi interpretantur, *mitræ* vsus, is ergo nondum vel Ioannis, sed Tertulliani ævo apud nostros obtinebat. Huc accedit, quod hæc Sylvestri mitra Episcopalis mitræ caussam nihil juvat. Non enim Sylvester gregarius Episcopus fuit, sed Papa; ut si cui utilis sit hæc Constantiniana mitra, non alij quam Papæ urbico utilis esse possit. Denique ne id quidem hinc haberi potest, an illa mitra eo proprie tempore à Papa gestanda sit, quo sacrum facit Eucharisticum (de quo genere nunc disputamus) an vero aliis tantum extra Missam locis atque temporibus. Sed quam futilia, quamque falsa sint hæc & alia ejusdem farinæ, quæ pro mitrarum Episcopalium antiquitate obtruduntur, certissime (quod est à doctissimo Rainaldo nostro vere atque solerter observatum) *p* inde intelligimus: quod ne multis quidem post Sylvestrum seculis notam apud Latinos fuisse mitram ex noni sæculi & citeriorum etiam temporum scriptoribus constat. Amalarius *q* enim Rabanus, *r* & Valafridus, *s* auctores noni sæculi, cum vestiariæ disciplinæ jam posita essent rudimenta, totum illum de vestibus sacris & missalibus locum diligenter tractantes nullum de mitra verbum faciunt. Quis nobilissimum apicis Episcopalis ornamentum, si id scivissent, eo loco prætermissuros fuisse putaverit, quo etiam de hoc genere minutissima, ut sandalia, &c. diserte commemorant? Sed vel vndecimo jam ineunte sæculo notam Latinis fuisse Pontificalem illam mitram negant *t* hæc disertissima Pseudo-Alcuini verba, vbi ille de Aaronica corona, eique adnexa lamina aurea loquitur; *Huiusmodi* (inquit) *vestis non habetur in Romana Ecclesia, vel in nostris regionibus.* Ivo Carnotensis, qui sæculo vndecimo floruit, negat *u* itidem *ullos novi testamenti sacerdotes uti lamina aurea.*

o Lukav. in Confess. Taborit. c. 15.

p Rain. Colloq. cum Horat. c. 8. Sect. 4. p. 352.
q Amal. l. 2. de offic. Eccl. c. 21. T. 10. Bibl. Patr. p. 391.
r ibid. p. 572. Raban. de inst. Cler. L. 1. c. 14.
s ibid p. 686. Val. de Eccl. c. 24.
t Ibid p. 272. E Alcuin. de div. off. tit. de sing. vest.
u ibid p. 781. D Ivo Carn. Serm in Syn. de Sign. indum.

Ad Bellarminum redeo, qui huc quoque ex Damasi Pontificali refert *x* Sylvestrum Papam constituisse, *y vt Diaconi in Ecclesia dalmaticis uterentur, & palla linostina levam cooperirent.* Atqui de Missali vel Episcopi, vel Presbyteri veste quærimus, quo missificantes, Dalmatica ille quidem vtitur, hic vero nulla vtitur. Quid ad hæc Diaconorum dalmaticæ faciunt? Diaconos certo vestis

x Bell L. 2. de Miss. c. 14. § Sylvester.
y Dam. Pont. in Sylvest.

Caput XI.

genere, modo honesto, in Ecclesia uti, nemo prohibet. Quæritur, an sex Presbyterum, an quindecim certis definitisque vestibus Episcopum ita necessario indutos esse dum sacra faciunt, oporteat, ut qui ex vtroque ordine absque his volens, prudensque missificat, is graviter peccare censendus sit? Patet nihil ad hanc rem Diaconorum dalmaticas pertinere. Imo vel hinc constat novum esse, & post Sylvestri demum tempora institutum, ut Episcopus sacra faciens dalmaticam gestet.

Eadem quoque est ejus testimonij ratio, quod ex antiquo Quæstionum veteris & novi testamentj scriptore inter Augustini opera excuso eadem de re Bellarminus adducit, *y Diaconos vti solere dalmaticis. z* Hinc sane habetur dalmaticas illo tempore Diaconorum, non proprias, sed cum Episcopis communes fuisse. Episcopos nisi hac veste indutos, Eucharistiam non confecisse, hic non magis quam Damasus testatur.

y Bell. vb. supr. 9. Auctor Quæst. z Quæst. V. & N.T. c. 46. T. 4. Aug. Append.

Ad hæc, duo Hieronymi loca à Bellarmino *a* offeruntur. Prior locus tradit *b omnes Episcopos & Presbyteros & omnem Clerum in sacrificij administratione candidis vestibus vti. Quod idem* (inquit) *habet Chrysostomus hom. 83. in Matthæum.* Atqui ne hæc quidem Hieronymus simpliciter affirmat; sed Pelagio docenti *gloriam vestium & ornamentorum Deo esse contrariam*: *Quæ sunt rogo*, inquit, *inimicitia contra Deum si tunicam habuero mundiorem? si Episcopus, Presbyter, & Diaconus & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerit?* Non dicit eos ita ex lege & more Ecclesiæ, adeoque necessario facere. Negat peccaturos, si fecerint; de quo nemo, ut opinor dubitat. Sed esto. Hieronymum eo sensu locutum esse donemus, quo Bellarminus eum cepit. Quod vestiti Eucharistiam celebrarent, nemo negat. Quod albis vestibus in eo sacro vterentur, id eorum arbitrij fuit. Vestes certe alicujus coloris esse necesse est. Ex omnibus candidum maxime placuisse, nemo miratur. Est enim is colorum simplicissimus; quo & Romanos gavisos olim esse constat, quorum togas albas, non pullas fuisse scimus. Vnde *candidati*, qui togati publicum munus ambiebant; Et honestiores quique togati erant. Quid, si ex vulgari illo & profano vestitu, Christianorum sacræ vestes primum fluxerunt? Nimirum nostri initio sacra in communi honestiorum veste celebrabant; quod Christianæ simplicitati congruit, quam vulgatis & vsitatis uti potius, quam peregrina sectari verum est. Posteros morem à majoribus in sacris imbutum quadam antiquitatis reverentia retinuisse verisimile est etiam post mutatum profanæ vestis apud Romanos vsum. Cæterum qui albis vestitos Clericos sacra ævo suo celebrasse testatur Hieronymus, is nusquam quod sciam, tradit candidas illas eorum vestes concepta prece solennique carmine aquæ benedictæ aspersione à Pontifice consecratas fuisse, vel sex numero fuisse, suæ singulas formæ, mysticas omnes & allegoricas, & ad eam rem ita necessarias, ut siquis minister absque earum aliqua sacrum Domini epulum

a Bell. vb. supr. §. Hieronym. b Hier. L. 1. contr. Pelag. T. 2. fol. 98. B

epulum celebrasset, is gravis peccati reus haberetur. De istis, quæ Latinorum sunt omnia solennia, quæritur; de quibus nullum nobis Bellarminus Hieronymianæ memoriæ testem edit. CAP. XI.

Ad Chrysostomum eadem respondemus, sacerdotes monentem, *e* vt in Eucharistiæ distributione indignos à dignis discernant; illos à sacra mensa repellant; hos solos ad eam admittant. *Hæc enim* (inquit) *est vestra dignitas, hæc securitas: hæc corona præcipua: non ut tunicam indui candidam ac fulgentem per Ecclesiam circumeatis.* αὕτη ὑμῶν ἡ ἀξία, αὕτη ἡ ἀσφάλεια, τοῦτο ὁ στέφανος ἅπας· οὐχ ὅταν λευκὸν χιτωνίσκον καὶ ἀποστίλβοντα περιβαλλόμενοι περιίητε. Quanquam ne hinc quidem habetur omnes, sed quosdam tantum clericos atque etiam hujusmodi, quos non admodum laudasse videtur Chrysostomus, his lucidis tunicis amictos fuisse.

e Chrys. homil. 83. in Matth. p. 871 A.

Liturgiæ Chrysostomeæ alia ratio est; quam esse Chrysostomi verum ac genuinum opus, non liquet; quam interpolatam diu post Chrysostomum fuisse constat; ut ex ea nullum certum atque evidens argumentum duci de iis possit, quæ ipsius Chrysostomi ævo vere erant Ecclesiastici moris.

Sequitur alter Hieronymi locus; vbi narrat *d* Nepotianum in supremis agentem sibi mitti jussisse *tunicam, qua vtebatur in ministerio*. Sed quid inde colligi potest aliud, quam tunica vsum in sacro ministerio Nepotianũ presbyterum? Credo eo tempore tunica communissima erat omnium vestis. Sed & huic ministerio aliquam quotidiana si forte cultiorem ac mundiorem repositam habuisse Nepotianum nemo negaverit. Ex his quid Bellarminus pro suis sex sacris vestibus, earumque consecratione, & allegoriis & vsu ad sacra obeunda necessario concludere possit, nihil equidem video.

d Hier. ep. ad Heliod. T. 1. 9. H.

Neque ad rem Latinorum utilior est Carthaginensis Concilij Bellarmino laudatus *e* canon; *f Vt Diaconus tempore oblationis tantum vel lectionis alba vtatur.* Nos enim non de Diaconi, sed de sacerdotis veste, & quidem ad sacrum faciendum necessario adhibenda quærimus. Ejusdem census est, quod Bellarminus ex Beda & Ioanne Diacono affert missa fuisse à Gregor. P. R. I. in Britaniam ad novam illam Ecclesiam vestimenta sacerdotalia & Clericalia. Neque enim quisquam ita insanit, vt putet sacerdotes & Clericos vel nudos, vel in veste nullo à communi & vulgari discrimine distincta sacra officia sæculo sexto præcipiti peregisse. Sed hæc quæ concedimus, quam ab iis longe absunt de quibus nunc disputamus? Neque his validius est, quod Bellarminus *k* ex *Iuliano*, (non Pomerio, ut ipse appellat, sed Toletano) narrat Hildefonso Archiepiscopo *donatam ab ipsa B. Virgine vestem sacerdotalem & quidem de cœlo allatam, qua uteretur in Missa.* Atqui nemo ambigit, quin Hildefonsi temporibus (id est septimo sæculo jam adulto) propria quædam esset Episcoporum vestis. Quæritur an illa à nobis recensita vestimenta, sex quidem Presbyteris novem præter ista Episcopis consecrata certis precibus ac cærimoniis ad Eucharistiam rite celebrandam

e Bell. vb. supr.
f Conc. Cart. 4. c. 41. T. 1. Conc. p. 739.
g Bell. L. 2. de Miss. c. 14. §. Gregorius.
h Bed. Hist. L. 1. c. 29.
i Ioan. Diac. L. 2. c. 37. de vita Greg.
k Bell. vb. sup. §. Præt. hoc.
l Iulian. Tol. Vita Hildef. c. 5. apud Sur. d. 23. Ian.

Cap. XII. sic essent, ut nunc apud Latinos sunt, necessaria? Ea vero de re, quæ proprie inter nos controvertitur, nullum verbum dicit, vel Iulianus, vel Beda, vel Hieronymus, vel vllus denique ex superioribus nono sæculis à Bellarmino laudatus.

Capvt. XII.

Cætera Latinorum pro vestibus Missalibus argumenta solvuntur. 11. ex Theodoreto. 12. ex orario Satyri apud Ambrosium. 13. ex stola Spiritus apud Eusebium. 14. ex pallio Scribarum apud Epiphanium.

Atque hæc quidem Bellarminus. Alij plura etiam istis deteriora adduunt. Ac primo quidem ex Theodoreti Historia Ecclesiastica, *m* Constantinum Macario Episcopo stolam ad Ecclesiam cohonestandam donavisse; de qua stola illud præterea refert, quod Acacius Cæsariensis Episcopus Cyrillum Hierosolymitanum apud Constantium accusans, affirmarit eam vestem à Cyrillo venditam fuisse; cantorem vero quemdam scenicum, qui emerat cum eam induisset, saltantem corruisse, & casu afflictum interiisse. Sed hæc inepte huc afferuntur, à præsenti caussa aliena. Quæritur de vestimentis Missalibus. Hanc, quam Theodoretus memorat vestem, Missalem non fuisse ipse docet, Macario ad hoc donatam à Constantino diserte scribens, *ut ea amictus sacrosancti baptismatis ministerium obiret*, ἵνα ταύτην περιβαλλόμενος τὴν τοῦ θείου βαπτίσματος ἐπιτελῇ λειτουργίαν. Neque est, quod de sacræ stolæ nomine sibi blandiantur, quo Christophorsonus interpres eam donavit. Græcis enim στολὴ (quod nomen Theodoretus hic vsurpavit) quævis vestis est, non ea, quæ proprie Latinis *stola* dicitur. Stephanus ipse Durantus locum ad hanc quæstionem citans *vestem* bona fide reddidit; *n* non autem *stolam*. Quod vero addit Durantus Bedam simile miraculum narrare L. 1. Historiæ Anglicanæ c. 29. nescio quid sibi velit. Nullum enim toto illo capite de re vestiaria miraculum legitur.

m Theodor. Hist. L. 2. c. 27.

n Steph. Dur. de rit. Eccl. L. 1. c. 9. §. 5.

Ioculare est, quod cum ipse tum & alij se stolam suam in Satyri apud Ambrosium orario reperisse somniant. Narrat Ambrosius fratrem suum Satyrum cum in magno naufragij discrimine adhuc Catechumenus versaretur, timuisse ne mysteriorum plane expers moreretur, Eucharistiam à fidelibus secum navigantibus poposcisse, acceptam *ligari fecisse in orario & orarium involvisse in collo*. *Orarium* illud Latini *stolam* fuisse volunt. Sed vnde, & quorsum stola illa Missalis in navi? Aliquis-ne sacerdos missificaturus navi illa vehebatur? Initiatos adfuisse dicit Ambrosius. De sacerdote, nihil dicit. Sed fac fuisse ibi aliquem. Cur nulla ei religio fuit stola sacra, vnius sacerdotis propria hominem Catechumenum induere? Sed quid tergiversamur, quasi

res

res obscura sit? *Orarium* fuisse veteribus linteolum, quo os detergebant CAP. IX.
magis longum quam latum, passivi communisque apud omnes usus, observarunt eruditi, o & docet illud Paulini Afri, p *Iactabat etiam turba virorum ac mulierum ORARIA vel semicinctia sua.* Fateor sequioribus sæculis id nominis pro stola missarii sumptum. Sed nihil ad Ambrosium eorum usus, qui diu postea vixerunt. Et omnes loci circumstantiæ obstant ne de sacra stola intelligatur apud Ambrosium; favent ut de linteolo illo, cujus tum erat usus communis, qualis hodie apud nos est linteolorum, quæ *muccinia* vocamus.

o Voss. de Vitiis Lat. Serm. l. 3. c. 30. p. 523.
p Paulin. in vita Ambr.

Quæ postremo Hartus Rainoldo nostro ex suo Stapletono objecta bat, piget referre; adeo sunt inepta, & ab eo, quod quæritur, aliena. Affert q ex Panegyrico ad Paulinum, qui apud Eusebium exstat, hæc ad Episcopos in ipso orationis limine verba: r *Sacra* (inquit) *tunica talari induti, & cœlesti gloriæ corona decorati, divinaque unctione delibuti, & Sacerdotali Sancti Spiritus veste amicti estis.* οἱ τὸν ἅγιον ποδήρη καὶ τὸν οὐρά-νιον τῆς δόξης στέφανον τὸ χρῖσμα τὸ ἔνθεον καὶ τὴν ἱερατικὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος στολὴν περιβεβλημένοι. *Talarem* illam *tunicam* adversarii volunt esse suam *albam.* Sed nemo non videt paulo acutior (quod est vere à Rainoldo observatum) allegoricum esse totum hunc sermonem, ex veteris testamenti imaginibus ad res Evangelicas significandas translatis contextum; qualis fere est cætera omnis illius Panegyrici oratio. Vt ergo per *unctionem divinam* vocationem & ordinationem: qua in Episcopali munere divinitus constituti erant; per *vestem Spiritus Sacerdotalem*, bona ad obeundum munus cœlestia significat, ita per *tunicæ illius talaris indumentum* ipsum episcopatum intelligit. Nihil ergo hic albæ Latinorum Missali vel seritur, vel metitur.

q Hart. Col. q Rain c. 8. sect. 4. p. 350.
r Euseb. l. 10. Hist. c. 4. in p. 371. D.

Multo vero mirabilius est, quod etiam Scribarum pallium τρίβωνα ab Epiphanio memoratum s Hartus ad Missales suas vestes traxerit. Id enim pallium fuisse Iudaici illius ordinis gestamen, vel inspectus Epiphanianæ orationis titulus, totaque series adeo clare eloquitur, vt eum stupere oporteat, qui id ad Latinæ Missæ vestes pertinere somniet.

s Epiph. Hær. 15. p. 39. A.

CAPUT XIII.

Ex superioribus concluditur novam esse totam hanc circa vestes Missales Latinorum disciplinam; qua de re apud ipsam suam Synodum Patres Tridentinos, sed frustra, fuisse admonitos à F. Antonino de Valle-telina Dominicano.

ITa explicatis quæ à Latinis pro Missalibus vestibus frustra afferuntur, apparet vere à Valafrido ante annos octingentos observatum esse *t primis temporibus communi indumento vestitos Missas egisse*; successisse dehinc alium morem, ut vestes propriæ id est sacræ, ad Eucharistiæ celebrationem adhiberentur: *& addentibus aliis alia, vel ad imitationem eorum, quibus veteres utebantur sacerdotes* (Mosaïcos autem dicit) *vel ad mystica significationis expressionem, ut paulatim per illa incrementa ad eum, qui nono sæculo obtinebat, aucta fuerint ornatum.* Nec dum tamen res illis temporibus vestiaria ad eum locum perducta erat, quo nunc apud Latinos consistit. Nunc enim Episcopum propria quidem novem, cum presbyteris verò communia sex vestimenta recensent, ex quibus quindecim in universum existunt. Nono vero seculo non plura, quam octo, vel ad summum novem numerabant. Valafridus vestes ævi sui sacras cum Mosaicis comparans: *Numero suo* (inquit) *antiquis respondent; quia sicut ibi* (id est apud veteris testaméti Sacerdotes) *tunica super humeralinea, superhumeralis, rationale baltheus feminalia, tiara, & lamina: sic hic* (sub novo testamento scilicet) *dalmatica, alba, mappula, orarium, cingulum, sandalia, casula & pallium.* Vides in neutro ordine plura numerari quam octo. Amalarius auctor ejusdem seculi, sed Strabone paulo vetustior, de numero convenit; res vel aliter nominat, vel certe in iis paululum discrepat. Cum dixisset de Levitici Pontificis vestimentis: *Habet* (inquit) *summus Pontifex noster à capite usque ad pedes octo vestimenta. Primum est amictus: secundum camisia, tertium cingulum, quartum stola: quintum & sextum duæ tunicæ: septimum casula, octavum pallium.* Rabanus ejusdem cum Valafrido ævi sua quoque vestimenta cum Mosaïcis comparans, ad novem recenset. *x* Pseudo-Alcuinum, tametsi fere eadem sequentem, *y* quia tamen scripsit annis post istos centum & quod excurrit, non moror. In his illud in primis observandum de quo jam supra diximus, Mitræ quæ nunc est vel præcipuum Episcopi ornamentum, nullam plane extare mentionem. Sed hæc ni fallor, satis sunt, ut omnes intelligant vestiariam illam Latinorum disciplinam recentem esse, vt nihil dici possit magis à vero alienum, quam quod Tridentini decernunt eam esse ab Apostolica traditione, vel quod simili temeritate affirmat Bellarminus, eam esse antiquissimam.

Eo autem inexcusabilior fuit Tridentinorum in hac sua definitione

t Val. Str. de reb. Eccl. c. 24. p. 686. A. C.

u Amal. l. 2. de Offic. Eccl. c. 22. T. 10 Bibl. Patr. p. 391.

x ibid. Raban. l. 1. de inst. cleric. c. 14. & seqq.

y Ibid. p. 274. D L. de div. offic. Tit. de div. offic.

invereecundia quod in ipsa Synodi congregatione, non defuit, qui veriora eos doceret atque de apertissima sui decreti falsitate, atque absurditate commonefaceret. Cum enim de his & aliis capitibus ad Missæ sacrificium pertinentibus quæ postea decreta sunt & promulgata, deliberaretur die Iul. 28. inter eos Theologos, qui ultimi sententiam suam dixerunt, Petrus Suavis Tridentinæ historiæ scriptor eximius, narrat * quendam surrexisse Antonium de valle Telina, Dominicanum, fratrem, qui totum de ritibus decretum multis ex antiquitate, Ecclesiastica argumentis confligeret, ac suaderet, ut illis prætermissis, ea tantummodo tractarentur a Patribus, quæ ipsam Missæ essentiam continent. Quod vero ad vestimenta, vasa, & alia instrumenta vel ministrorum, vel altarium paramenta pertinet, affirmasse non modo ex veterum librorum lectione intelligi, sed vel ex ipsis veteris memoriæ picturis, ac operibus sculptis perspici ista antiquo more priscaque forma fuisse immutata, ut ea veteres, si nunc reviviscereat, nequaquam sint agnituri. Auctor addit displicuisse quidem plærisque auditoribus has istius tam liberas voces, Fuisse tamen ex ipsis Patribus nonneminem Episcopum (Quinqueecclesiensem nimirum ex Hungaria) qui Monacham defenderet; Nihil enim eum dixisse, quod falsum sit; sed neque de scandalo dato argui posse, qui non apud populum, sed apud idiotas, sed in doctorum virorum corona verba fecisset, quos quæ vera sunt, offendere non debent; ut cum necesse sit se primo ipsum damnare & à capienda veritate alienum esse fateri, quisquis Antonium vel scandali vel temeritatis damnare voluerit. Ita hæc veritas *etiam in ipsis hostium* castris, assertores ac testes suos habuit.

CAPUT XIV. * Pietr. Soav. Hist. Conc. Trid. l. 6. p. 533.

CAPUT XIV.

Vestium Missalium colores pro temporum discrimine diversi, quinque apud Latinos; amœna quidem, sed omnibus tamen antiquis Christianis ignotissima observatio.

AD rem Missæ vestiariam illa quoque pertinet longe jucundissima, sapientissimeque excogitata colorum diversitas, quam miror à Bellarmino fuisse prætermissam. Missale vero hanc elegantissimam colorum pro temporibus ac causis varietatem accuratissime exhibet. Inprimis docet z *paramenta altaris, celebrantis, & ministrorum debere esse coloris convenientis officio & Missæ diei, secundum usum Romanæ Ecclesiæ.* Ingens hic mysterium vides Christo & Apostolis, totique ni fallor, ante ultima hæc sæcula Ecclesiæ ignotum; nimirum certis Missis, certisque ac definitis diebus suum quemdam proprium colorem convenire; quo in argumento non dubito, quin magna eluceat Romanæ philosophiæ subtilitas in aperiendis occultissimis mirandæ illius colorum ad z Miss R tit Rubric. gen. c. 18.

Missas

Cap.XIII. Missas proportionis ac convenientiæ rationibus. Nobis vero non libet tam profundam rerum ac sapientiæ Latinæ abyssum ingredi. Observationes tantum ipsas, missis earum causis ac rationibus exsequemur. Missale ergo pergit, & *Romanam Ecclesiam* tradit *quinque coloribus uti consuevisse albo, rubeo, viridi, violaceo & nigro.* Ipsum colorum numerum mysticum vides; *imparem* scilicet quo *Deum* Romani tum adhuc Ethnici *gaudere* diu ante hos suos posteros senserant, ac sciverant. *Nigrum colorem in Missis adhibendum feria sexta in Parasceue, & in omnibus officiis & in Missis defunctorum.* Hic sane non est obscura eorum sapientia, qui res mortis & mortuorum in vestibus atris agendas esse judicarunt. Sed nigri quidem angustum est imperium; Albi multo latius ac diffusius, occupantis quicquid à vesperis vigiliæ Nativitatis Domini ad octavam Epiphaniæ protenditur, feriam item quintam in Cœna Domini, & sabbatum sanctum in officio Missę, & ab illo die usq; ad sabbatũ in vigilia Pentecostes ad nonam, de tempore, festa Trinitatis, corporis Christi, transfigurationis Domini, plæraque festa B. Virginis, item Angelorum, Ioannis & Baptistæ, Cathedræ & vinculorum Petri, conversionis Pauli, omnium Sanctorum; Item festa Confessorum Pontificum & non Pontificum, & Doctorum, sanctarum, Virginum non Martyrum, & nec virginum nec Martyrum. Item in consecrationibus Ecclesiæ, Altaris, Papæ, Episcopi, in Missis votivis, & pro Sponso ac Sponsa. In his omnibus, & in aliis si forte paucis, longe lateque regnat albus color Rubeo sua quoque sunt attributa spatia, certa ac definita, ut eo in festis Martyrum utantur, & in octavis siquæ sint, istorum festorum; in quo genere magna quædam occurrit subtilitas. Nimirum si festum Innocentium in Dominicam incidat, Missa fit in rubeo si in aliam feriam, fit in violaceo, sed in ejus octavo, in quamcumque feriam inciderit, rubeo utuntur. Viridis vero color regnat ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam & ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusive, in officio de tempore, excepta Dominica Trinitatis, & aliis. Violacei denique coloris usus est in Missa Litaniarum Sancti Marci, & Rogationum; in Missa de passione Domini, pro quacumque necessitate, pro peccatis, ad tollendum schisma, contra Paganos tempore belli, pro pace, pro vitanda mortalitate, pro iter agentibus, & pro infirmis, &c. Hæc vero omnium temporum ac caussarum in suos colores tam accurata, tamque lepida distributio adeo subrusticam pellitorum Patrum sapientiam superavit, ut neminem dubitaturum putem, quin ea tota sit à fœliciori ac elegantiori recentiorum ingenio. Neque ego putaverim cascos illos Apostolicæ memoriæ senes, si hanc quam apud Latinos cernimus cærimoniarum pompam, & hac variorum colorum amœnitate sacra fieri vidissent, non aliquid Paganici, vel certe Scenici artificij subesse suspicaturos. Sed de re, deque rationibus, quod non est nostri instituti, nunc mitto dicere. De usus antiquitate quæro; an illum quintuplicem pro colorum scilicet diversitate Missarum

rum ordinem notum, solennemque habuerint Apostoli? an Apostolici viri? an sanctissimi ad Constantini imperium Martyres? an Græcæ Latinæque post illum Augustum Ecclesiæ? an veri istorum ad decimum seculum nepotes? Adversarij nulla ipsi antiqua hujus vsus documenta proferunt, neque (quod equidem animadverterim) vlla re vera extant. Esto ergo & hæc colorum apud Missam disciplina una ex Latinorum novitatibus. Cap. XV.

CAPVT XV.

Altaris Missalis materia & consecratio, quæ eius forma est apud Latinos. Consecrationis ritus.

Bellarminus post vestes Sacerdotum Missales, de templis & aris dicit; *a* quam partem brevissime perstringit verius, quam tractat. Nos in alium opportuniorem locum rejecta de templis disputatione, hic de ara, sive de altari ipso prius dicemus; tum de ejus vestimentis, sive paramentis. Nam ara & hæc ejus ornamenta ad Missam celebrandam censentur apud Latinos necessaria; Templorum paulum diversa ratio est, extra quæ etiam rite missificari putant; & ipsi sane ita non raro missificant. Ac ut tota disputatio clarior, faciliorque sit intellectu, ante omnia demonstrandum est quis hodiernus Latinorum sit de altari sensus atque vsus.

a Bell. L. 2. de Missa c. 14. §. Iam vero.

Magnam igitur ac præcipuam esse altaris ad Eucharistiæ sacrum necessitatem, omnes Latini docent, merito quidem illi, qui eam scilicet externum esse censent, vere proprieque dictum, & quidem propitiatorium sacrificium. Neque enim hujus nominis ac census sacrificium alibi, aut aliter, quam in altari rite peragi posse consentiunt omnes gentes, quarum vel nunc est, vel olim fuit aliquis sacrificiorum vsus. Quale autem suum illud altare esse debeat, in quo *Missæ sacrificium celebrandum est*, Latini diserte accurateque ipsi definiunt. *b* Ac primo quidem sciscunt *lapideum esse debere*; tum *& ab Episcopo consecratum*. Sed quia hujusmodi altaria non alibi, quam in templis & ædiculis sacris, in quibus posita ac constituta sunt, vsui ad Missam esse possunt; ideo, ut aliis etiam in locis pro rerum ac temporum necessitate Missa celebrari possit, aliud altaris genus commenti sunt, gestatile, ac ut ipsi vocant, *viaticum*, quod commode in quævis loca portari queat. Sed & hanc aram, ipsam quoque *lapideam esse & ab Episcopo consecratam* jubent, & quidem *tam amplam, ut hostiam & maiorem partem calicis capiat*.

b Miss. Rom. in Rubr. gener. c. 20.

Consecratur autem altare, vel in ipsa Ecclesiæ, in qua collocatur, dedicatione, vel etiam extra eam seorsum ac separatim. Sed quia pæne eadem est vtriusque consecratio, satis est eam, quæ fit in Ecclesiæ dedi-

CAP. XV. catione, quia plenissima est, ac maxime solennis, breviter enarrare. Pontifex ergo, vbi ad id ventum est, *retenta mitra stans* ante altare, intingit pollicem dexteræ manus in aqua vltimo per eum benedicta, & cum eo,
e Pontific. Rom. Part. 2. Tit. de Eccl. consecr. p. 226. extr. 228. & aqua hujusmodi facit crucem in medio tabulæ altaris, dicens, *Sanctificetur hoc altare in honorem Domini omnipotentis & gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, & ad nomen ac memoriam Sancti N.* (ejus scilicet cui dedicatur Ecclesia) Tum facit cum eadem aqua, & eodem pollice *quatuor cruces in quatuor cornibus altaris, repetens in qualibet cruce* verba præmissa, *Sanctificetur hoc altare* &c. Mitto ordinem, modum, loca altaris, quibus fiunt illæ quatuor cruces; omnia mystica. Tum posita mitra consistens Pontifex longa prece Deum exorat, *ut lapidis illius expolitam materiam, supernis sacrificiis imbuendam ipse suæ ditari sanctificationis ubertate præcipiat, qui quondam lapideis legem scripsit in tabulis. Oratione expleta, Pontifex septies circumit tabulam altaris, aspergens eam & stipitem de aqua prædicta cum aspersorio de herba hyssopi facto,* hoc
d Ibid. p. 229. modo. *Stans ante medium altaris incipit d Antiphonam, & Schola prosequitur, Asperges Domine hyssopo &c. & mundabor.* Ac dum cantantur aliquot Psalmi quinquagesimi versiculi, *Pontifex accepta mitra circumit altare, illudque aspergit, & redit ad locum ante medium altaris, unde discesserat.* Inde idem eandem illam Antiphonam exorditur, *Asperges me,* quam Schola prosequitur. Vbi ad illa verba ventum est, *& in peccatis concepit me mater mea, Pontifex circumit secundo, aspergitque & redit ut prius. Tum eandem Antiphonam, Asperges me* &c. tertio inchoat, ac dum Schola eam prosequitur, ipse interim circumit altare tertio, asper-
f Ibid. p. 230. gitque & redit, ut prius; & finito illo Scholæ cantu, quarto inchoat f Antiphonam, Asperges me; ac dum schola eam prosequitur, quarto ipse circumit, & aspergit altare, ut prius; eademque quinto, sexto, & septimo fiunt. Subsequenter circumit ter Ecclesiam interius tantum aspergendo parietes ejus. Quæ hinc plurima sequuntur, mitto, quod ea ad ipsius Ecclesiæ dedicationem pertineant. Cæterum illis peractis Pontifex accepta mitra procedit ante altare, & ibi cum præmissa aqua
Ibid. p. 242. benedicta facit f malcham, seu cæmentum; quod mox deposita mitra stans ibidem benedicit, Deum precans, *ut illas calcis & sabuli creaturas per Christum Dominum nostrum sanctificet ac benedicat: cæmentum illud ita benedictum reservatur, residuum vero aquæ benedictæ funditur ad basim seu pedem stipitis, altaris per circuitum.* Quæ inde sequuntur ad reliquiarum in medium altaris immissionem ac sepulturam pertinent. Nullum enim absque reliquiis consecratur altare. Reliquiis in altaris sepulcrum rite
g L. 4. de cult. rel. objecto c. 9. illatis, peractisque cæteris eo pertinentibus, (de quibus nos alibi g diximus) Pontifex cum mitra altare vndique & ex omni parte diligentissime thurificat; h & exinde conversus ad preces, *Dirigatur* (inquit) *ora-*
h Pontif. vb. supr. p. 258. extr. & 259. *tio nostra, quæsumus, Domine, sicut incensum in conspectu tuo, & copiosa beneficia populus Christianus assequatur, VT quicumque sibi in hoc altari sacranda libamina devotus obtulerit, vel sacrata susceperit, & vitæ subsidia præsentis,*

præsentis, accipiat, & remissionem omnium peccatorum pariter consequatur, CAP. XV.
& gratiam sempiternæ redemptionis percipiat &c. Mitto, quod iterum atque iterum intensatur, & circumitur altare. Tum Pontifex; *i Adsit* (inquit) *Domine, misericordia tuæ ineffabilis pietas, & super hunc lapidem spem tuæ benedictionis, & virtutem tuæ unctionis infunde, ut te largiente referat præmium quisquis intulerit votum.* Postea idem quinque cruces; primo de oleo Catechumenorum, & mox totidem alias ex chrismate facit k in altari; incensans, & à Deo petens, *ut ei benedictionis & sanctificationis suæ virtutem, & consecrationem infundat; item ut in eo Sacramentorum virtus, & votorum semper obtineatur effectus,* Et, *Descendat* (inquit) *l quæsumus Domine Deus noster, Spiritus tuus Sanctus super hoc altare, qui & dona nostra, & populi tui in eo sanctificet.* Sed & post alia quædam *accepta mitra fundit m & spargit de oleo Catechumenorum, & chrismate pariter super altare, illud manu dextera confricans, liniens, & per ungens;* cantante Schola, *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni* &c. Pontifex orare jubet, *n ut Dominus lapidem istum, in quo unguentum sacræ unctionis & funditur, benedicat, consecret, & quod à se unctum est, sit unctum in nomine eius; ut plebis vota suscipiat, & altari per sacram unctionem perfecto, dum propitiationem* (inquit) *sacrorum imponimus ipsi propitiatores Dei esse mereamur.* Tum alia ad templi dedicationem exsecutus, ad altare revertitur, *o* & cum mitra, ac de integro thurificans, inchoat Antiphonam, *Ædificavit Moyses altare Domino* &c. Tum ex benedicto incenso, & quidem aqua benedicta consperso, *format p propria manu quinque cruces, quamlibet de quinque granis, super illa quinque loca altaris, in quibus cruces de aqua, & oleo ac chrismate facta prius fuerant; & super quamlibet crucem thuris, ponit unam crucem factam de subtili candela, ad mensuram crucis de granis incensi factæ; & cujuslibet crucis capita accenduntur, ut cum ipsis thus comburatur & cremetur. Omnibus crucibus accensis Pontifex Spiritus Sancti adventum poscit; q* & schola cantillat Antiphonas duas, *Ascendit fumus aromatum* &c. &, *Stetit Angelus iuxta aram templi.* &c. *Combustis candelis, & thure, cineres illius combustionis per unum ex Ministris cum spatulis ligneis abraduntur, r & collecti in aliquo vase projiciuntur in sacrario.* Hic ad Deum conversus Pontifex, *Præsta* (inquit) *s ut in hac mensa sint libamina tibi accepta: sint grata, sint pinguia, & Sancti Spiritus tui semper rore perfusa* &c. Mox infra; *t Dignare hoc altare cælesti sanctificatione perfundere & benedicere. Assistant Angeli claritatis, & Sanctus Spiritus illustratione perfulgeat. u Sit illius quoque apud te gratiæ, cuius fuit illud, quod Abraham pater fidei in nostræ figuram redemptionis Filium immolaturus exstruxit &c. Sit x ergo Ecclesiæ tuæ titulus sempiternus. Sit mensa cælesti spiritualique convivio præparata* &c. Postremo accepta mitra cum pollice dexteræ manus chrismate intincto facit *y* crucem in fronte altaris, statim Deum precans, *ut id altare sacrosancti chrismatis unctione delibutum placeat ipsi, atque altare maneat perpetuum,* & quæ sequuntur in eandem sententiam. Qua oratione expleta, eodem modo quo supra, con-

i Ibid. p. 262.
k Ibid. p. 263. 264.
l Ibid p. 265.
m Ibid. pag. 267.
n Ibid p. 268.
o Ibid. 271.
p Ibid. p. 272.
q Ibid. p. 273.
r Ibid. p. 274.
s Ibid. p. 275.
t Ibid. p. 277.
u Ibid. p. 278.
x Ibid. p 279
y Ibid. p. 280.

Cap. XV. junctiones mensæ, seu tabulæ altaris, & tituli sive stipitis, chrismate inungit, & prece superioris simili officium claudit. z Subdiaconi denique abstergunt diligenter cum mantilibus telæ grossæ mensam altaris. Hæc est altaris quæ cum Ecclesiæ dedicatione fit, apud Latinos consecratio. Vbi vero seorsum, extra Ecclesiæ dedicationem, res peragitur, eædem propemodum adhibentur cærimoniæ, benedictiones, lustrationes, preces, & psalmodiæ. In altaris quoque confessione reconduntur reliquiæ. Nam absque his nullum apud eos altare fit, ne portatile quidem; quod ipsum eadem quoque rituum multiplicitate ac pompa celebratur. Siquis rem omnem penitius nosse cupit, Pontificalis Romani librum adeat, singula diligentissime tradentem. a

z Ibid. p. 281.

a Ibid. p. 289. & seqq.

Ego vero jam non requiro sacri tam operosi, tamque sinuosi & involuti rationem: neque nunc quæro, qui cum Spiritu Evangelico tam multa elementa, aqua, balsamum, oleum, ceræ, thura congruant; Qui cum simplicitate Apostolica toties repetita eadem carmina eædemque preces; vel quæ illa vis sit Spiritus ac Sanctitatis, quæ his ritibus in lapidem infunditur. Vnum quod institui scrutor, recens-ne res sit apud Christianos, an vetus illud ita consecratum altare? Latinos Antiquarios posco instituti, à quo sua omnia pendere volunt, originem atque auctorem. Illi enim absque sacro missali Christianismum posse consistere vehementer negant; sacrum vero missale sine altari peragi ipsum autem altare legitimum quidem atque idoneum sine illa sua consecratione dedicari ac perfici non posse docent. Atqui suæ illius morosissimæ consecrationis formam nullam in veteribus vel divinis vel Ecclesiasticis libris edunt; nullam in omni antiquitate reperiunt. Ego vero ne rem longius traham non hanc modo consecrationis formam, vel aliam hujus similem apud antiquissimos Christianos fuisse nego; sed ut inde ordiar, ipsum altare novum esse, non ab initio, non à Christo, non ab Apostolis, primis fidei nostræ Magistris institutum contendo.

CAPUT

CAPUT XVI.

CAPUT. XVI.

Altare proprie dictum rem esse in Eucharistia apud Christianos novam, demonstratur I. arg. quod de eo struendo vel consecrando nihil scriptum sit. II. quod Christus Eucharistiam apud mensam non apud altare instituerit & celebrarit. III. Quod neque Apostoli neque ejusdem temporis Christiani Eucharistiam ad altare, sed ad mensam fecerint. IV. Quod Judæi nusquam priscis Christianis objecerint aliud præter suum positum ab iis altare. V. Quod in quibus locis suum Christianismum prædicant, altaria statim erigere, Latini quidem soleant; Apostoli vero numquam simile aliquid fecisse reperiantur VI. quod altaria eversa in persecutionibus Latinorum quidem passim memorentur; similibus vero Christianorum ad an. D. 300. temporibus nusquam dicantur.

NAm si Evangelicos codices consulamus, Christum Dominum Eucharistiam instituisse, confecisse, distribuisse videmus, non ad altare, sed ad mensam; & quidem eandem ad quam erat cœnatus, id est ad mensam communem; communis ad cibum sumendum non sacri ad immolandum Deo victimam usus. Omnes ea de re consentiẽtes, nisi fallor, habemus; nec dum quisquam, quod equidem sciam, repertus, qui mensam, ad quam tum Apostoli accumbebant, lapideam ex lignea, sacram ex cõmuni arcana aliqua consecratione à Christo factã fuisse suspicatus sit. Si Christus, quod istis nunc decernere placuit, voluisset mortis suæ sacramentum nefas esse apud mensam, vel alibi quam in altari confici; cur non Apostolos lapidem sibi parare, & in triclinium portare jussit, Romanis mox à se ritibus sua voce & manu in aram tanto sacrificio dignam, consecrandum ac dedicandum? Quid sapientissimum, eundemque potentissimum religionis nostræ Principem atque auctorem prohibuit rem vel tam claram atque obviam intelligere, vel tam facilem facere? Nescivit scilicet, quod Latinorum etiam pueri, nunc sciunt, vel absque hoc sacrificio pessum ire omnem, quam instituebat, religionem, vel hoc sacrificium non alibi, quam in altari peragi fas esse. Avertat ipse à nobis impias mentes, ut quicquam quod esset nobis ad salutem necessarium, vel nescivisse ipsum, vel nobis invidisse putemus. Atqui hoc tantum, tamque necessarium (si Latinis credimus) arcanum non modo neque verbo, neque facto docuit, sed ita Eucharistiam ipse suã administravit, ut id ipsum, quod isti tantopere urgent, & in quo religionis proram ac puppim sitam esse volunt, contrario exemplo refutare ac refellere voluisse videatur. Totum enim sacrum in mensa lignea confecit; totum ex eadem illa mensa suis distribuit; Altaris, in illo, ubi princeps Eucharistiam imbuit, triclinio

Cap. XVI. nullum uſpiam veſtigium cernitur. Latinos mihi vide, qui neceſſarium ad hoc ſacrum eſſe altare arbitrantur; quam illi ſollicite caveant, ne extra altare quiſquam ſuorum miſſificet; quanta religione ac pæne ſuperſtitione totam conſecrationis formam certis conceptiſque verbis, definitis ritibus, præſcriptis cātibus expreſſerint; de conſecrantis veſte, mitra, greſſu, omnibus denique actibus, ac pæne etiam nutibus leges tulerint, & in tabulas retulerint. Ac illi quidem merito in re, quam tum gravem, tamque momentoſam putant, hanc accuratiſſimam diligentiam adhibent; in qua ex eorum ſenſu ac judicio peccare circa immane periculum non licet. Nihil dubitandum eſt quin Dominus Chriſtus eadem facturus fuerit, ſi idem ejus fuiſſet de altaris apud ſuos neceſſitate ſenſus. Moſis ſane multo quam Latinorum altare minoris erat dignitatis, uſus ac pretij. Atqui ne ſuo quidem Moſes hac in parte defuit. Quæ materia, quæ forma, qui uſus, quæ dedicatio ejus eſſet, ſigillatim maxima, quod in ejus litteris apparet, cura explicavit. *a* Chriſtus de Latinorum altaris ne unum quidem verbum in totis Evangeliis fecit; de eo à quoquam Apoſtolorum vel Evangeliſtarum ne unam quidem litteram ſcribi curavit. Hoc ipſum jam, quod nihil tali tempore ac loco de altari dixit, ſatis eſt, ut ad hoc ſacrum nemo Chriſtianus altare adhibere auſit, nedum ut eo neceſſario requiri putet: quod ſi aliter eſſet & res ipſa & Moſis in Chriſtianæ veritatis umbris diligentia credere nos cogunt optimum maximum noſtræ religionis auctorem non fuiſſe prætermiſſurum. Sed quid Chriſti de altari ſilentium urgeo? Ille vero ſuo facto multo, quam ullo voce clarius, quid ſibi placeat edixit: cum hoc ipſum ſacrum, quod Latini abſque altari fieri poſſe negant, ipſe in menſa, ad quam erat cœnatus, confecit, atque diſtribuit. Ergo in ipſa, ut omnes vident, rei origine menſa quidem fuit: altare nullum fuit. Putant Latini iteratum Emmaunte Euchariſticum ſacrum intelligi, ubi *b* dicitur *recumbēs cum duobus diſcipulis accepiſſe panem, benedixiſſe ac fregiſſe, & porrexiſſe illis.* Ne hic quidem ullum cernitur altare: Menſam fuiſſe, in qua hoc, quicquid fuerit, factum eſt, vel hoc arguit, quod *recubuiſſe* cum diſcipulis hoc acturus dicitur. Ad menſam enim recumbitur: ad altare quemquam *recubuiſſe*, inauditum eſt. Iam evecto in cœlum Domino, eadem apud Apoſtolos, eorumque diſcipulos rerum facies occurrit. Narrat *c* Lucas diſcipulos *perſeveraſſe in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*: moxque addit eos *fregiſſe circa domos panem.* In menſa fregiſſe, non in altari ex eo intelligimus quod ſequitur, *ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis.* Hinc enim eos apparet Chriſti exemplo cœnæ communi ſacram continuaſſe: adeoque panem ſacrum ad eandem illam menſam ſumpſiſſe ad quam erant cœnati. Quod ipſum quoque docent ædes, in quibus ad ſacras illas epulas conveniebant, quas privatas ſingulorum fidelium fuiſſe inde diſcimus, quod *circa domos* dicuntur fregiſſe *panem,* id eſt modo in hujus modo illius ædibus, ut erant opportunum. Atqui altare, non in communi, ſed in ſacro loco poni ac conſtitui fas & ſolen-

a Exod. 27. & 28. & Num. 7. & alibi.

b Luc. 24. 30.

c Act. 2. 42.

& solenne est Neque hic mihi quisquam gestatilia & *viatica* altaria CAP.XVI.
fuisse somniet. Eorum enim usum nostris per multa post Apostolos secula, ignotum fuisse certum est, & postea suo loco demonstrabitur. Sed & urbis, in qua hæc gesta sunt, ratio nos vetat de altari apud nostros ullo suspicari. Hæc enim fiebant Hierosolymis, qua in urbe templum & Pontifex, totusque sacerdotum & Seniorum ordo adhuc consistebant, & quod pertinet ad sacra, suo jure libere utebantur. Hos vero in hac suæ religionis arce ullum, præter id, quod in templo erat, altare aliud erigi vel nominari à suæ gentis hominibus passuros fuisse incredibile est. Certe de hoc, siquid à nostris hujusmodi tentatum fuisset, velnti de infando piaculo, capitalique in legem suam contumelia, insignique in Deum impietate conquesti essent. Atqui in Iudæorum adversus nostros criminationibus, quæ in divino Actuum Apostolicorum volumine satis multæ memorantur, nulla hujus fit mentio, quæ omnium gravissima, & apud Iudæos invidiosissima futura erat, si verum esset erecta jam tum fuisse à Christianis ad sacrum Eucharisticum altaria. Id ipsum ex iis colligere est, quæ Lucas alibi narrat, *d* Paulum Troade cum fidelibus in domus privatæ *cœnaculo ad frangendum panem convenisse*; quod nemo dubitat de Eucharistiæ celebratione dictum esse. Vnde autem in illud cœnaculum illatum repente esset altare, cum Paulus iter illac faceret, cum altare in sacro, neque alibi, collocari fas esset? Denique idem, etiam multo clarius, ex iis apparet, quæ Paulus de Eucharistia in priore ad Corinthios epistola scribit. *e* Docet enim in illa Ecclesia statim post Cœnam, sive *agapen*, ad eandem adeo mensam, ad quam erant epulati, celebratum fuisse divinum illud sacramentum. Non ergo ad altare, sed ad mensam sumendis cibis, non sacrificiis peragendis, factam paratamque, Eucharistiam celebrare Apostolicis Ecclesiis solenne fuit. Itaque ipse alibi non *altare*, sed *mensam* in eodem argumento versans diserte vocaverat, *f* ad quam fideles communicabant; *Non potestis* (inquit) *mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum.* Non ergo ad *altare*, sed ad *mensam* sacra Eucharistiæ communio fiebat in Ecclesia Apostolica.

d Act. 20. 7.

e 1. Cor. 11. 20. & seq.

f 1. Cor. 10. 21.

Quem usum apud Christianos proxime secutis post Apostolos temporibus mutatum fuisse, nihil in iis, qui illius memoriæ extant, libris suadet; nonnulla, mansisse persuadent. Ac in primis id ipsum, quod in Apostolica Ecclesia observatum est; Iudæos scilicet nihil Christianis toto illo tempore de violato divinæ legis unicum altare apud suos erigi præcipientis mandato, objecisse. Supersunt quædam à nostris illius ævi Theologis editæ adversus Iudæos lucubrationes, in quibus memorantur ac refelluntur quæcumque illi in Christianam religionem probra vel crimina conjiciebant; præsertim siqua essent in hoc genere gravia, ac ut sic dicam, capitalia; quo in censu haud dubie futurum erat, siquod vere nostris fuisset, altare; præcipuum

Christiani

Cap.XVI. Christiani cultus, si Latinis credimus, fundamentum. Atqui non in his magis quam Apostolicis monumentis ullum extat hujus criminationis Iudaïcæ vestigium. Nam ut Tertulliani adversus Iudæos opus taceam, habemus Iustini luculentissimum cum Tryphone Iudæo de religione colloquium circa an. D. 150. editum; in quo videmus Tryphonem cætera quidem, quæ perfidis illis in Christianismo culpare ac damnare solenne semper fuit, diligenter objectare; nullam vero de altaribus Iustino facere invidiam. Nondum scilicet apud nostros ullum, de quo eos Trypho pulsaret, altare erat.

Præterea observo Latinos, cum in aliquas infidelium provincias suæ religionis propagandæ gratia proficiscuntur, ubi primum in iis locis pedem fixerunt, nihil habere antiquius, quam ut ædiculam exstruant, & in ea altare ponant. Ita Michael Rogerius Iesuita, cum Cantonem, Sinarum urbem venisset, g inprimis à Magistratu petit, ut sibi concedatur domus, in qua sacrificare liceat, quamdiu illic victurus est. Impetravit, statimque in ea domo ædiculam pro præsentibus copiis instruxit, aramque in ea collocavit, ac decentissime ornavit; quo spectaculo affecti Sinæ plurimi passim hominem invisebant. Idem cum aliis duobus ex eadem Societate collegit, cum Xanchinum apud eosdem Sinas venisset, h ineunte anno D. 1583. cum bona Magistratus urbani venia, ædiculam illic quoque exstruit, atque exornat; in qua altare scriptor collocatum fuisse eo satis significat, quod Socios ibidem missificasse tradit; quod absque altari fieri nefas putant. Gaspar Vilela, ex ejusdem Ignatij ludo, cum Meacum, nobilissimam Iaponum civitatem vix esset ingressus, illico peramplam domum coemit, i & templum, quod non fit sine altari, instruxit. Eundem Sacayj: Iaponum quoque civitate, fanum itidem ædificasse, etiam antequam quisquam civium nomen Christo dedisset, narrat k ejus collega Arias Sanctius. Ioannes Vreman, vir ejusdem ordinis scribit, l cum Daïfu pulcherrimas, quas sui Latini Nangazachi in Iaponia extruxerant Ecclesias cremasset, Iesuitas etiam persecutione flagrante, cœnaculum omnium quæ domi habebant pulcherrimum, selegisse, & in eo sacellum una cum altari & præclaris ornamentis instruxisse ac dedicasse; adeo res Latina sine æde & altari consistere nequit. Christophorus item Borrius, ejusdem ordinis refert m Buzomum Iesuitam, cum in aulam Cocincinensem primum venisset, Ecclesiam sibi statim construi curavisse, in qua sacra faceret; & mox mulierem nobilem a Buzomo ad Latinorum cultum conversam, multa domi sua altaria, & oratoria erexisse. Ita & Emmanuel Pinnerus Iesuita se suosque tradit n cum Lahore ab Achebaro, Mogorum Monarcha benigne essent excepti, Ecclesiam prope palatium illico molitos esse loco peropportuno, tum ad sacrificium, tum ad populum operis elegantia capiendum. Sacrificium quod dicit, altare arguit in illa Ecclesia simul collocatum fuisse. In aliis eorumdem annalibus legimus o Suarezium unum quoque ex Ignatianis sodalibus cum Cambayam apud Indos fidei suæ

g Iarr. in reb. Iesuit. Ind. c. 4. c. 22.

h Id. ibid. c. 24.

i Epist. Iap. L. 3. p. 171. a.

k Ibid. p. 178. A.

l Vrem Ann. Iapon. an. 1615. 1616.

m Borr. Relat. Cocin. c. Part. 2. c. 2. p. 104. 105.

n Relat. de Mog. Ies. c. an. 1598 p. 27. B.

o Iarr. L. 5. rer. Iesuit. apud Ind. p. 221. cap. 30.

CAPUT XVI.

suæ prædicandæ gratia venisset oratorium & altare statim ibi construxisse: & in Africa exteriori Barreiram quemdam Iesuitam in portu Burræo & apud Serram Lionam cum per loca illa transiret, Ecclesias exstrui jussisse, cum tamen nullus adhuc in iis locis esset Christianus. Eadem apud Brasilienses fuit Iesuitarum disciplina. Cum enim quatuor illius ordinis sodales an. D. 1594. ad montem Raci in illa terrarum parte positum ad baptizandos barbaros [p] pervenissent, [q] fanum ante omnia exstruxerunt, & in eo altare posuerunt. Plura recitare & tædet & supervacuum est. Hæc satis sunt, ut ex iis quivis intelligat quibus altaris religio est, eos absque hoc Latini cultus instrumento nihil aggredi debere: maxime vero in iis quæ ad convertendos ad Christum Gentiles pertinent: quę quam sint Iesuitarum de sacrificij Missalis divinitate ac necessitate dogmati consentanea omnes vident. Itaque si Apostolorum eadem fides & praxis fuisset; profecto in eorum & primorum discipulorum historiis altare alicubi extaret, est nunc in Iesuitarum Annalibus passim extare videmus. Atqui apud antiquissimos Christianismi scriptores nihil tale reperitur. Lucas in Actis, quæ Petrus, maxime vero quæ Paulus ad Gentilium conversionem gesserunt, diligenter ac copiose narravit; ut ille Cornelium Centurionem, ad quem divinitus erat missus cum universa familia baptizaverit; hic vero & Lydiæ, & Stephanæ, & commentariensis familias ad Christi fidem traduxerit: ut Ephesi totum biennium in hoc labore non sine magna fruge consumpserit; ut Asiam, ut Macedoniam, ut Corinthum & Achaiam eadem mente eodemque consilio peragrarit: & Melitam luce Evangelica collustrarit; ut Romæ biennium in proprio conducto egerit. Nonne mirabile est qui Pauli sermones, qui miracula, qui ærumnas qui perpessiones, & dura certamin tam diligenter omnia exsequitur, de altari ab eo posito in aliqua tam multarum Provinciarum, urbiũ, familiarum ne unum quidẽ uspiam verbum fecisse? Profecto vel Lucæ in tradenda divina hac historia fides damnanda est (quod nemo pius concesserit vel confitendum est rudi illo sæculo ignotum adhuc fuisse Apostolis altaris in Christianismo usum. Cur enim si in usu fuisset, ejus Lucas potius quam Iesuitæ oblitus fuerit, nulla ratio est. Extant & alia Petri Acta, ante Origenis ut constat, tempora à Pseudo-Clemente sub nomine *Recognitionum*, vel *περιόδων Circuituum* sive *Itinerarij* Petri, ficta quidem illa fateor, sed tamen ad eam doctrinæ & disciplinæ formam in plærisque fere omnibus efficta, quæ tum apud Christianos obtinebat. Atqui ne in istis quidem apocryphis magis quam in veris & canonicis Petri actis ullum uspiam occurrit Missalis altaris vestigium, tametsi in iis multæ Petri apud Ethnicos peregrinationes ad eos convertendos institutæ narrentur. Ille neque Cæsareæ neque Ptolemaide, vel Tyri, aut Sidone, aut Tripoli Syrico, aut Laodiceæ, vel deniq; Antiochiæ, in quas urbes venisse fingitur, ullũ cum in eas primũ ingrederetur factũ, fanũ vel altare (quod Iesuitici moris est) construxisse dicitur. Sed neque scriptor altaris meminit, ubi quibusdam

[p] Ibid. c. 46. p. 391.
[q] Id. ibid. l. c. 28. p. 318.

Caput XVI.

à se baptizatis Petrus sacrum panem ministrasse narratur his simpliciter verbis; Eucharistiam frangit cum eis neque cum Theophilum Antiochenum civem ingentem domus suæ basilicam Ecclesiæ nomine consecrasse fabulatur, s quo loco nemo est Iesuita, qui in simili historia non fuerit adjecturus in ea egregij operis altare, fuisse erectum. Pseudo-Clemens cathedram quidem Petro in ea ab omni populo constitutam dicit, de altari, ne unum quidem μῦ scribit.

s Id. l. 10. extr.

Sed & aliud & nobis ejusdem rei non obscurum argumentum, quod cum gravissimæ ac pæne continuæ fuerint totis illis tribus primis Christianismi sæculis in nostros persecutiones à Principibus Ethnicis, nullus in earum descriptionibus locus occurrit: qui nostrorum altaria subversa disjecta ve, vel alio modo corrupta aut læsa significet. Incredibile autem est vel altaria siqua tum apud Ecclesiam fuissent, illæsa in illis cladibus atque integra mansisse, vel scriptores si ea violata essent, non aliquam ejus injuriæ mentionem facturos fuisse, qua vix ulla major, vel religiosis hominibus gravior in sua sacra fieri potest. Notum est talibus locis & Iudæos, & Ethnicos altarium suorum casus atque contumelias vix unquam prætermittere. Ita Elias religionem ab Israëlitis fœdissime violatam apud Dominum complorans subversa statim altaria memorat, t *Dereliquerunt pactum tuum filij Israel; altaria tua destruxerunt; Prophetas tuos occiderunt.* Et Maccabæorum temporibus inter cæteras Iudæis ab hostibus illatas clades *profanatum altare* non semel memoratur, *idolum desolationis ab Antiocho ædificatum super altare Dei, altare repletum illicitis* Sed quid ego longinqua conjector: Latinos ipsos vide. Illi quidem nihil in suis adversis, siqua iis ob religionem accidunt vel indignius ferunt, vel disertius commemorant ac deplorant, quam suis altaribus illatas à Paganis injurias. Balthazar Gagus Iesuita suorum apud Iaponas Firandinorum gravissimam persecutionem narrans *templum cum ara disturbatum fuisse à barbaris idololatris* tradit. x Similia loca, quorum vix numerus iniri potest, describere piget. Si ergo horum Latinorum paria olim hac in parte fuissent antiquissimorum Christianorum sacra, dubitandum non est, quin aliqua altarium in eorum persecutionibus futura fuerit mentio. Atqui *erepta iis fuisse cæmeteria, y* in quibus sacri conventus fiebant; ereptas, quod idem est, *areas*, z *Ecclesias solo æquatas*, a *Scripturas igni absumptas*, b *conventicula immaniter diruta*, c *scripta ignibus data* d ab illius ævi scriptoribus discimus. Qui vero de Christianorum altari ab Ethnicis everso, violato, læso quicquam dicat, plane nemo est. Extant Acta Fœlicis Flaminis Cirthæ in Africa a. D. 303. confecta: Narrant e Fœlicem, Curatorem Cirthensem *venisse ad domum, in qua Christiani convenire dicebantur*: omnes domus angulos curiosissime scrutatum, siquid istic scripturarum reperiret Quid in singulis locis invenerit accuratissime annotatur: calices aureos, item argenteos aliquot, urceola, lucernas ex eadem materia, alia plurima reperisse, cum omnem illius domus supellectilem anxie excuteret. De *Altari* de

t 3. (Hebr. 1.) Reg 19.14
u 1. M. 1c. 4. 38. c. 1. 57 & l. 2 c. 6. 5.
x Epist. Iap L. 2. p. 545. B.
y Pass. Cypr. & Eus. Hist. l. 7. c. 11.
z Tertull. ad Scap. c 3o
a Euseb Hist. l. 8. c. 2.
b Ibid.
c Arnob l. 4 p. 191.
d Id. ibid.
e Act Afr. apud Bar. an. D 303. §. 35.

de *imaginibus* de *crucibus*, quæ latino hodie altari vix unquam desunt,
Fœlicem vel à nostris quæsivisse, vel quicquam horum apud eos reperis-
se, nusquam in Actis illis legimus.

CAPUT XVII.

Arg. VII. inde ductum, quod Pagani, Celsus apud Origenem, Cæcilius apud Minutium, omnes vulgo apud Arnobium, Iulianus desertor apud Cyrillum Alex. Christianis exprobrent, quod nullas aras, nulla altaria habeant. Refellitur inscita Bellarmini ad hoc argumentum responsio.

SEd Gentilium de nostris querela, nullum iis altare fuisse etiam validius probat, quam Iudæorum, quæ supra observata est, ea de re taciturnitas. Querebantur enim veteres jam à primis temporibus Pagani, quod Christiani nulla haberent in suis sacris altaria. Celsi, quem Origenes sub Hadriano Augusto, id est circa an. D. 140. vixisse auctor est, hæ jam tum erant de Christianis in sua contra eos disputatione voces; f *Non ferunt* (inquit) *templa, aras, & statuas inspicere.* ἐκ ἀνέχονται νεὼς ὁρῶντες ϗ βωμὲς ϗ ἀγάλματα. Significat eos aras, neque ullas ipsos apud se habere, neque earum, quas alii, puta Pagani, habent vel aspectum ferre. Hunc enim esse Celsi sensum vincunt verba statim continenterque sequentia; *Ac ne hoc quidem Scytha & Numida & Seres impii* (ferunt scilicet) *non aliæ gentes, quæ tam religione carent, quam moribus.* ὐδὲ γὰρ Σκύθαι ἔτι, ὐδ' ἐ Λίβυες οἱ νομάδες, ὐδὲ Σῆρες οἱ ἄθεοι, ὐδὲ ἄλλα ἔθνη τὰ δυσαγέστατα ϗ ἀνομώτατα. Qui istas gentes altaria quoque ut Christianos, refugisse dicit, hos ille apertissime significat non modo Græcorum & Romanorum Gentilium altaria exhorruisse; sed & ipsos nulla plane apud se habuisse totumque hunc colendi per altaria consecrata Numinis ritum contempsisse atque repudiasse. Populos enim illos, quos Christianis hac in parte exæquat, constat, quod ipse de Persis Celsus statim ex Herodoto nominatim tradit, *aras ipsos quidem nullas dedicasse*, & qui aliquas dedicarent, ut Græci & Romani, eos vero *pro stultis habuisse.* Πέρσας οἶδε (inquit) βωμὲς ἐκ ἱδρύεσθαι. ἀλλὰ ϗ τοῖς ἱδρυομένοις μωρίαν ἐπιφέρειν. Sed ejusdem eadem de re alter est, etiã hoc clarior, locus, in quo dicit nostros *ararum, statuarum, & templorum dedicationes fugere ut hac veluti tessera occulti fœderis fidem sanciant.* ὁ Κέλσος φησὶν (inquit Origenes) ἡμᾶς βωμὲς καὶ ἀγάλματα ϗ νεὼς ἱδρύεσθαι φεύγειν. ἐπεὶ τὸ πιστὸν ἡμῖν ἀφανῦς ϗ ἀπορρήτου κοινωνίας οἴεται εἶναι σύνθημα. Ergo si huic credimus (neque video, quid nos ei credere vetet de re manifesta publicaque, & omnium oculis exposita testimonium dicenti)

f Cels. apud Orig. l. 7. contr. Cels. p. 384.

g Ibid l. 8. p. 400.

Caput XVII.

Christiani sub Hadriano Principe, id est altero à Christi in terris natali sæculo, jam adulto, nulla adhuc altaria dedicabant; nulla in cultu Dei religioso adhibebant.

Eodem secundo sæculo, sed jam vergente ac pæne præcipiti, adest alter de eadem Ethnicorum objectione luculentissimus testis Latinus, Cæcilius homo ipse quoque Paganus. Hic enim in ea oratione quam contra Christianam religionem declamitat apud Minutium, vetustissimum illius memoriæ scriptorem Christianum, inter cætera crimina ac probra, quæ magna cum invidia, in nostros jactat, *h* *Cur* (inquit) *nullas aras habent? templa nulla? nulla nota simulacra?* Sed etiam quarto ineunte sæculo mansisse eandem Ethnicorum de nullo apud nostros altari opinionem, & hoc ipsum istos quoque pro gravi crimine, proque manifesta impietate damnasse & Christianis exprobrasse patet ex Arnobio, illius memoriæ scriptore nobilissimo: Sic enim ille de templis, simulacris, sacrificiis dicturus, Paganos ipsos compellans librum sui operis sextum pæne exorditur, *i* *In hac enim* (inquit) *consuestis parte crimen nobis maximum impietatis affigere, quod neque ædes sacras venerationis ad officia construamus, non Deorum alicujus simulacrum constituamus, aut formam; non altaria fabricemus, non aras, non cæsorum sanguinem animalium demus non thura, neque fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum effusionibus inferamus.* Hinc videmus Paganos nullum fuisse apud nostros altare non modo putasse atque sensisse, sed etiam pro immani crimine id ipsum nostris objecisse, exprobrasse atque inculcasse, ac per annos pæne ducentos ita cum Christianis egisse, ut pro re manifesta, confessaque in omni hac disputatione sumerent nulla illis altaria, nullas aras fuisse. Ac ne sæculo quidem quarto jam adulto ita nobiscum agere desierunt. Nam circa an. D. 362. hæc nostris exprobrabat *k* Iulianus Augustus desertor, *Neque enim* (inquit) *Abraham imitamini aras ei* (Deo Abrahami) *excitando, & altaria ædificando, ac ut ille solebat, eum sacrificiis colendo.* οὐδὲ γὰρ τὸν Ἀβραὰμ μιμεῖσθε, βωμούς τε ἐγείροντες αὐτῷ καὶ οἰκοδομοῦντες θυσιαστήρια, καὶ θεραπεύοντες ὥσπερ ἐκεῖνος, ταῖς ἱερουργίαις. Quæ Cyrillus paulo post referens sic expressit. *l* *Quod autem aris erectis Deo non sacrificamus, sicuti divinus Abraham, rursum nos arguit.* ὅτι δὲ βωμοὺς οὐκ ἐγείροντες ἱερουργοῦμεν τῷ θεῷ κατὰ τὸν θεσπέσιον Ἀβραάμ, αἰτιᾶται πάλιν ἡμᾶς. His tam multis hostium testimoniis, Iudæorum nostros de altaribus contra suum à Deo institutum erectis nihil incusantium Paganorum iisdem sacra absque ullo altari per tria fere sæcula exprobrantium, abunde confirmatur tribus istis, quatuorve sæculis nulla fuisse apud Christianos vera, proprieque dicta altaria, qualia, qualiaque & olim apud Iudæos, atque Paganos, & nunc apud Latinos videntur. Neque tu mihi testium, utpote hostium, fidem elevaris. Scio non esse temere cuiquam homini etiam sanctissimo, de inimico credendum, quem [illegible] etiam sapientissimorum animos pervertunt. Vt enim credibile de hostibus vel

h Minut. Fæl. in Octa v. p. 25.

i Arnob. l. 6. contr. gent. init.

k Julian. apud Cyrill. Alex. l. 10. contr. Iul. p. 354. B.

l ibid. p. 356. B.

credam

credant vel fingant, quæ vera non sunt; quæ etiam nonnunquam ab omni veri specie aliena sunt. De factis tamé publicis, ac hujusmodi, quorum veritatem quisque quotidie nullo negotio explorare potest etiam sensu, oculo, & manu; non puto hominem quantumvis inimicum, si mentis sit compos, ac non plane perditus, facile mentiturum; maxime si nulla ei proposita sit vel mentienti merces, vel vera dicenti pœna. Pagani olim calumniatores horrenda quædam de nocturnis Christianorum conventibus finxerunt, fateor; sed quorum vanitatem, quæ noctu scilicet fieri dicebantur, non facile cuivis fuit deprehendere ac coarguere. Huc accedebat, quod ista fingendi aliquam occasionem nacti erant in flagitiosissimis ac turpissimis quorundam hæreticorum moribus; quorum scelera, ut etiam in aliis accidit in vniversum Christianorum nomen vel ex errore, vel etiam ex mera improbitate translata sunt. hic omnia alia. Negant Pagani Christianis esse altaria; Atqui si erant, qualia hodie sunt Latinis, res ipsa corporea ac solida eodem loco in omnibus Christianorum synaxibus, cæmeteriis, oratoriis consistens, certæ adhæc definitæque formæ improbam negantium impudentiam facile confutasset. Ergo siqua re vera fuissent; fuisse nemo etiam impudentissimus, negaturus erat; & siquis vel imprudens, vel improbus aliquando negasset, mendacium per res ipsas confutatum cito defecisset. Ne ipsa quidem illa de Thyestæis dapibus, promiscuisque fœditatibus initio tam avide excepta fabula diu mansit; Imo ne recentem quidem paulo honestiores admiserunt. Trypho sane Iudæus licet, & quidem satis pervicax, aperte tamen negat * se credere indigna ait quæ credantur; quod longe absint à natura humana. Celsus altare nostris nullum fuisse diserte dicit, & quidem bis in vno libello. Annis post Celsum non paucis eadem Cæcilius de nostris notat. Annis post Cæcilium centum Arnobius Paganos affirmatissime tradit ista in religione nostros criminari, & annis post Arnobiú circiter sexaginta Iulianus desertor negat nostros Deo vel erigere aras, vel ædificare altaria. Si re vera toto illo tempore altaria apud nostros eadem erant, quæ nunc sunt apud Latinos, plane stupidos & amentes istos Christianismi adversarios fuisse necesse est, qui rem adeo claram, adeo in quorumvis oculos ac sensus incurrentem videre aut intelligere tanto tot annorum spatio non potuerunt, totisque pæne trecentis annis præfracte negarunt illa fuisse apud nostros altaria, quorum si Latinis credimus, nullum fuit conventiculum nullum oratorium, nulla basilica vel Ecclesiola, vbi non esset positum aliquod, saltem vnum altare; quorum sacra (scilicet ex ipsorum opinione) synaxis, solennis ac legitima nulla sine altari fuit.

CAPVT XVII.

* Iustin. Dial. cum Tryph. p. 175. lin. 27.

Bellarminus Cesi ex Origene & Paganorum ex Arnobio, & Iuliani ex Cyrillo testimonia intacta præterit omnia. Vnum Cæcilij apud Minutium memorat; m sed *facilem esse* ait *solutionem. Nam* (inquit) *Christiani illis temporibus diligentissime cavebant, ne vlli Ethnici interessent sacris nostris. Primum, quia non erant idonei ad tanta mysteria intuenda, deinde*

m Bell. L. 1. de Miss. c. 16. extr.

Caput XVII. *ob metum persecutorum, propter quam caussam etiam frequenter in cryptis & cavernis, vel certe in privatis domibus furtum rem divinam facere cogebantur.* Hæc vero responsio id refellit, quod jactabundus in procinctu affirmabat *facilem* esse illius loci Minutiani *solutionem.* At qui ita respondet nodum adeo non solvit; ut eum ne vidisse quidem, aut animadvertisse videatur. Rogat Cæcilius, *cur nostri aras nullas habeant?* eo ipso, quod sic rogat, fortiter eos negat aras ullas habere. Nam si habebant, impudenter facit Cæcilius, qui ita rogat, cur non habeant, vt constare eos debuerit nullas re vera habuisse. Qualiter siquis nostrum Latinos, quibus permixti vivimus, roget, ut olim Cæcilius veteres Christianos, *Cur nullas aras habetis? templa nulla? nulla nota simulacra?* Nemo hominem non putaret furere, vel certe peponem cordis loco habere, qui de eo, quod nemo nescit esse verissimum, ita quærit quasi id omnes norint esse falsissimum, Latinos scilicet in suis sacris aras, templa, & simulacra habere. Iam suum Cæcilium Minutius non ita profecto effinxit, vt is pro stipite aut pecude haberi debeat. Facit eum ubique loqui, ut hominem decet, non modo non stultum, sed etiam doctum ac disertum ingeniique acuti & elegantis. Atqui hæc ejus de Christianis apud Christianos oratio. *Cur nullas aras habent?* sani hominis non erit, nisi statuamus non modo verum, sed etiam certum, imo ita notum fuisse eos aris & altaribus carere, ut id ne ab illis quidem ipsis negari posset, apud quos hæc loquitur. Hic nodus est. Solve Bellarmine. *Facile est* inquit. Nam *Christiani iis temporibus diligentissimi cavebant, ne Ethnici interessent sacris nostris.* Sed quid hæc ad rem? Cæcilius enim hic nihil de sacris dicit, vel de mysticis Christianorum ritibus, quos nemo, nisi qui interfuisset, nosse potuerit. Negat eos aras, templa, simulacra habere. Iam vt sciret, an hæc illi haberent, nec ne nihil eum necesse fuit illorum sacris interfuisse. Templa enim res sunt stabiles, & per se visibiles, quæ siqua aliquo in loco sunt, per se etiam cum ibi sacra non fiunt, eorum, formam, materiam vsum inspicientibus exhibent adeoque facile innotescunt. Cum ergo Cæcilius hujusmodi ædificia nulla apud nostros extare cerneret quæ non hominum cultui & habitationi, sed solis religionis vsibus inservirent; cum nostros *in privatis domibus*, quod ait Bellarminus ad sua sacra quæcumque tandem illa essent convenire intelligeret: non dubitavit his perspectis negare eos ulla templa habere. Neque enim privatas domos quisquam prudens pro templis habet. Aræ eadem ratio est: quæ stabilis quoque est & visibilis: quæque ex sua materia, forma, partibus inspectis etiam cum sacra in ea non fiunt, se aram esse indicat ac probat: Quamquam vel eo ipso, quod templo Christiani carerent, certo eos Cæcilius intelligere potuit neq; aram habere: quæ non alibi, quam in templo consistebat: nondum reperto *altarium viaticorum* vsu. Ac Cæcilium bona fide, non de aliis, quam de compertis sibi rebus testari vel ipsa ejus oratio ostendit. Nam aras quidem & templa nostros nulla habere simpliciter dicit: *simulacris*

vero

vero non simpliciter, sed *notis* carere, adhibita cautione dicit: quod hæc scilicet in arcano haberi possent: palam & aperte, ut aras & templa, haberi nihil necesse erat. Itaque nequid non verum diceret, orationem circumscripsit, & *simulacra* eos non simpliciter, sed *nota simulacra* habere negavit, id est quæ vulgo nota essent, quæque aperte conspicienda, oculis omnium paterent. Quid, quod hæc Cæcilius, quæ de nullis nostrorum aris & templis dicit, etiamsi ipse per se non comperisset, ea tamen didicisse poterat, vel à Paganis Magistratuum ministris, qui cum nostros sacris suis operantes oppressissent, nullas in eorum conventu aras fuisse observassent? Nostros enim talibus locis atque temporibus à Principum pietati infestorum Ministris aliquando, imo sæpe deprehensos esse, & per se probabilissimum est, & ex diserto Tertulliani testimonio *n* certum atque exploratum. Id quoque Cæcilius aliunde accepisse poterat; nimirum à transfugis & desertoribus, quos in tam adversis rebus, non paucos fuisse constat; vel denique a fidelibus, etiam ab hoc ipso Minutio, cujus erat familiaris? Quicquid enim de mysteriorum arcano finxeris, nulla profecto erat invidia nostros etiam apud Paganos confiteri se aras habere, si vera haberent, vel iis carere, si re vera carerent. Caussa vero, quæ à Bellarmino duplex affertur, vtraque inanis est. Quod enim Pagani ad intuenda nostrorum sacra non essent idonei, eo, vt omnes vident, minime efficitur neque eos idoneos fuisse, ad discendum vel audiendum nostri ne aras & templa haberent, an non haberent. Hoc eos scire mysterij dignitatem nihil minuit. Sed ad persecutionem cavendam, quid necesse fuerit Paganos nostrorum templa & aras celari, capere difficile est. Potius liquet ad odia persecutorum minuenda utile futurum fuisse iis nostrorum templa atque altaria ostendi, (siquidem vere essent aliqua) vel ex ipsis Bellarmini rationibus, qui *nostros* dicit & verè profecto dicit *o ideo vulgo existimatos esse plane atheos, quod nullis Diis palàm sacrificare cernerentur.* Cum ergo illa de impietate invidia persecutionis in nostros flammam vel vna maxime accenderet, nihil ad hanc vel restinguendam, vel certe minuendam atque leniendam conducibilius erat, quam cum, vnde opinio de nostrorum impietate manabat, errorem ex hominum animis revelli, neque id porro aliter fieri poterat, quam demonstrando sua nostris, neque templa, neque altaria, neque denique simulacra defuisse. Nonne egregiam Bellarminus majoribus illis nostris sapientiam tribuit, quos fingit ne persecutores irritarent templa altaria, simulacra denique sua iis consulto studiose occultasse; quos cognita placatiores reddituta erant? Sed nihil necesse est in redarguenda futili Bellarmini solutione diutius immorari, quam ipsa nostrorum ad illam Paganorum sive quæstionem, sive criminationem responsio abunde refellit. Nostri enim ad hunc locum, quod iis Pagani aras nullas fuisse exprobrabant, idadeo non inficiabatur, ut etiam aperte confiterentur atque concederent; hoc duntaxat refellentes, quod Pagani falso sibi persuaserant, nullam esse absque templis & altaribus

CAPUT XVII.

n Tertull. Apol. c. 7. p. 8. B.

o Bell. vb. supr.

Caput XVIII. altaribus verum adversus Deum pietatem. Atque hoc ipsum quod nos dicimus, adeo clarum atque manifestum est, ut id Perronius non fuerit ausus negare. p *Origenes* (inquit) *Celso exprobranti nullos Christianis esse* βωμὸς (id est nullas aras) *id minime infitiatur, sed confitetur.* Idem quod negat Cæcilius nostras *ullas habere aras*, id vere ab eo negari, ultro concedit; q quo funditus evertitur omnis Bellarminianæ solutionis substractio, Paganos hæc Christianis falso objectasse constituentis, atque contendentis. Hæc scilicet est Latinorum artificum in propugnanda suorum altarium antiquitate concordia. Hic diruit, quod ille ædificat; neque ii quicquam pensi habent, vera-ne an falsa sint, quæ afferunt, dummodo aliquid in rem suam dicant, quo imperitis imponere queant.

p Perron. Refut. libelli sui de colloq. cum Pless. p.22.
q Id ibid. p. 229.

Caput XVIII.

Excutitur Perronij ad superiora testimonia sophistice, sive grammaticatio, fingentis aram βωμὸν, *ab* altari θυσιαστηρίῳ *multum differre. Demonstratur quam sint inania hac ejus somnia. Probatur* aram βωμὸν *latissime sumi pro quovis altari, etiam eo, quod foco & sanguine careret. Refelluntur Perronij argumenta, ab etymo & aliunde ducta. Sed & stare argumentum nostrum de novitate Latini altaris, etiam si, qua Perronius vana falsaque attulit, ea vera essent ac solida.*

IGitur dimisso Bellarmino, jam spectemus, quo modo Perronius hunc nodum dissolvat. Ille vero suarum artium memor, hic multa turbat, & missis rebus voculas aucupatur; mira mysteria in *ara* vocabulo latere fingens, idque longe aliud significare quam *altaris* nomen contendens. Aram enim esse vult *sacrum focum, sedem igni sacrificiorum destinatam ac paratam*; *eoque factum, ut nonnulli, Varrone & Isidoro testibus* aram ab ardendo dictam esse tradiderint. Eo refert vulgare apud Latinos verbum pro *aris & focis*, & Cæsaris Augusti jocum ad Hispanos nuntiantes palmam in ara ei sacra enatam. *Altare* vero aliud esse vult, quam aram; neque tamen, quid, id proprie sit, docet; etiamne aram suo ambitu comprehendat, & in genere omnem locum significet, ad excipiendam & mactandam victimam consecratum, sive cum foco, sive absque eo; an vero eum tantum locum significet, qui ad rem divinam faciendam, sed sine foco, consecratus sit. Sed & de Græcis altaris nominibus, haud sane perfunctorie philosophatur; definiens βωμὸν idem esse Græcis, quod nobis *ara* est; θυσιαστήριον apud illos *altari* nostro respondere; Græcosque ait βωμὸν excepta ejus basi, cætera cum ἑστίας & ἐσχάρας vocabulis confundere: duo autem illa Græca *focum* significant.

r Pert. vb. sup. p. 229. 229. 230.

significant. Auctorem in margine indicat Ammonium veterem Grammaticum Græcum. His ergo ita constitutis, totum hujus caussæ, quæ Paganis cum Christianis erat statum immutat, & alio transfert. Quæri enim inter eos fingit, non in genere, an aliqua Christiani cujuscumque modi, sive cum focis, sive absque focis altaria habuerint) Habuisse enim eos aliqua inter utrosque confessum fuisse hariolatur) sed in specie, an altaria cum focis haberent. Hoc sensu & exprobrasse Celsum & confessum esse Origenem / nullos Christianis fuisse βωμὺς; eodem negasse / Cæcilium nostros *aras* habuisse; neque id inficiatum esse Octavium, Christianissimi apud Minutium defensorem. Atque ita se Perronius effecisse putat, vt ex his Origenis, Minutij, Arnobij & Iuliani locis nihil aliud concludi possit, nisi hoc vnum, nulla priscis illis Christianis altaria fuisse, in quibus focus esset, & ignis ad cremanda dona numini oblata; ex quo minime consequens esse, ne alia altaria habuerint, in quibus absque igne & foco sacrificium fieret. Hæc autem Perronius magna ut solet, pompa, magno non modo rudis popelli, sed etiam semidoctorum hominum, (quæ turba in Aulis principum fere abundat) plausu, ex Grammatices & Sophistices suæ penu deprompta ostentat.

CAPUT XVIII.

/ Ibid. p. 229.

Sed hæc omnis ejus solutio multis modis laborat. Nam & res assumit falsas, & ex iis, quod concludit, id perperam & falso colligit. Donemus enim illi *aram* in hac disputatione pro ea tantum sumi, in qua id quod offertur partim incenditur, partim aliter consumitur: patet ne hoc quidem sensu vere potuisse vel Ethnicos objicere, vel nostros confiteri, quod ait Perronius, *nullas aras habuisse veteres Christianos*; si illud quidem quod ipse statuit, consistat, sacras omnes illorum fidelium mensas totidem fuisse veri nominis altaria. Si ita est, apparet Ecclesiarum Hierosolymitanarum mensas *aras* hoc ipso sensu fuisse; in quibus scilicet donorum oblatorum pars quidem aliqua comedebatur à fidelibus; pars vero post communionem peractum residua igni (quod supra * ex Hesychio demonstratum est) absumenda committebatur; non aliter quam apud Hebræos, ipsosque etiam Gentiles fiebat; quorum utrorumque plæraque vulgo sacrificia partim cremabantur; partim sacerdotibus, & iis, qui victimas obtulerant, in esum cedebant. Cum ergo absurdum sit graves viros rem liquido falsam & objectasse Ethnicos, & confessos esse nostros, necesse est eorum verba, alio quam quo vult Perronius sensu esse accipienda; ita nimirum, ut significent nullum apud Christianos veri proprieque dicti nominis fuisse ALTARE: id est apud quod sacrificium externum vere proprieque dictum Deo offerretur; sive foco, sive esu, sive alia ratione consumendum. Quo & illud secundo accedit, quod hæc Perronij tota tam longe petita glossa Latinos, etiamsi admittatur, nihil tamen juvat; quæ scilicet non tantum concedit, sed etiam statuit ac ponit veteribus Christianis nulla fuisse altaria apud quæ quicquam arderet, aut incenderetur. Nam si ita est (quod est sane ex Perronij hypothesi) patet ne hodierna

* supr. L. 6. c. 11.

Yyyyyy quidem

Caput. XVIII. quidem Latinorum altaria ex hac Minutianæ & Origenicæ disputationis flamma eripi posse. Nemo enim opinor, negaverit in hodiernis Latinorum altaribus, non aliquando, sed semper, quoties quidem res divina fit, & ardere ceras & adoleri thura, & fumare *intortitia*, id est ni fallor, funalia. Ergo ex Perronij glossario, si is quidem in prioris definitionis linea consistit, vere proprieque & etymi ab eo allati rationibus cógtus, nihil obstat, quo minus ARÆ & sint & dicantur omnia hodiernorum Latinorum altaria. Cum enim ille ex Celsi & Origenis, Cæcilijque & Octavij disputatione constare velit priscis illis Christianis nullas fuisse ARAS, & siqua fuerunt altaria (fuisse autem totidem ille vult, quot erant sacræ apud nostros Eucharistiæ mensæ) ea foci, ignis & fumi fuisse expertia; profecto negari non potest nullum illo ævo apud nostros hujusmodi fuisse altare, qualia nunc sunt Latinorum omnia; apud quæ scilicet nullum fit ut omnes vident, sine acerra & thure, igne, foco & & suaveolenti fumo sacrum. Sed quo certius atque evidentius patefiat Perronianæ solutionis vanitas, ea jam ex quibus educta atque conflata est, consideremus. Tota nititur vna *ARÆ ab ALTARI* Grammatica distinctione, quasi illo nomine non alia significentur altaria quam ea in quibus ignis usus est ad sacra consumenda. Atque hic inprimis illud est mirabile, quod hæc quæ tanto nisu tantaque arte excogitavit, non prius extruxit, quam ea ipse omnia, & quidem continenter vna litura deleat; quin adeo suos ipse triumphos disjiciat & quę fixerat, tropæa, revellat. [t] His enim quæ nuper retulimus declamitatis, & aliquot veterum scriptorum locis in suam rem recitatis; *Neque tamen* (inquit) *nescio non omnes scriptores hoc inter altare & aram discrimen servasse*; ac Tertullianum fatetur *aræ* nomen de suis altaribus, quæ sine foco sunt, vsurpasse; & Arnobium scripsisse non modo aris: sed etiam altaribus caruisse ævi sui Christianos: quibus ex Paganis scriptoribus addere poterat Iulianum, quem nuper edidimus diserte pronunciantem *nostros* neque βωμοὺ; neque θυσιαστήρια, id est ex Perroniano Glossario, *neque aras*, neque *altaria* Deo ad sacrificandum erexisse. Vnde constat hos sane locupletissimos Latini, Græcique sermonis auctores utrumque aræ & altaris vocabulum promiscue habuisse. Neque cæterorum alia fere ratio est. Vana enim sunt & futilia, neque alio quam ad ostentationem allata quæcumque ex Latio vel Græcia Perronius hic frustra convasavit.

[t] Ibid. p. 130.

Primo enim ipsa hæc Perroniana *aræ* ab altari distinctio nova est; cujus nullus vetus ex priscis linguæ Latinæ scriptoribus, ac Grammaticis meminit. Servius longe aliud inter hæc nomina discrimen statuit; *Superiorum* (inquit) id est cœlitum *& aræ sunt, & altaria*; *inferorum tantum aræ*. Idem alibi: *Novimus aras* (inquit) *& Diis esse superis & inferis consecratas*; *altaria vero esse superorum tantum Deorum*; eoque refert illa summi Poëtæ.

[u] Serv. in L. 2. Æn. altaria circum.
[x] Id in Virg. Ecl. 5. in. *En quatuor aras.*

---*En quatuor aras*

Ecce

Ecce duas tibi Daphni; duoque altaria Phœbo. CAPUT. XVIII.

Daphnis nimirum mortalis fuerat; Phœbus Paganis, cœlitum vnus. Alij eadem habent. Vnde Isidorus; *y Inter altaria & aras hoc interest: quod altaria Deo ponantur: ara etiam defunctis.* Quamquam ne hoc quidem altaris ab ara discrimen videtur servatum ab auctoribus. Nam Virgilius *altaria vocat*, z quæ Augusto adhuc viventi, necdum inter superos relato, sacrata erant: y Isidor. de diff. verb. sent 227. z Virg. Ecl. 1.

Bis senos cui nostra dies altaria fumant.

Hic enim juvenem sibi *Romæ visum*, cui altaria illa posuerat, Augustum intelligi & per se patet, & Servius monet. Sed etiam alibi, a quas Erebi & Hecates, inferorum numinum *aras* Poëta dixerat, paulo post *altaria* vocat. *Stant aræ circum, mox altaria* dicit, a Id. l. 4. Æn.

Ipsa mola, manibusque piis altaria circum.

Sed hæc vtcumque se habeant, adeo Perronium non juvant, vt ei etiam plurimum noceant. Nam præter ipsum rerum discrimen, ex his videmus *aræ* nomen latius quam altaris patere apud Latinos; cum *aræ* etiam quæ *Superorum* erant, dicerentur; *altaris* vocabulum non alia quam Superis consecrata contineret. Qui ergo apud Minutium *aras* nostris fuisse negat Cæcilius, plane quicquid vel hoc, vel illo nomine apud Ethnicos censebatur, à nostrorum usu removet, eosque adeo etiam altaribus caruisse significat, & Perronij figmentum evertit *altaria* nostris asserentis: idque apud utrosque, Paganos inquam & Christianos, confessum fuisse statuentis. Huc accedit quod Perronius, non modo præter veterum Latini sermonis auctorum sententiam, sed etiam contra legitimam distinctionum rationem duo illa *ara & altaris* nomina inscite ac perperam alterum ab altero secernit. Hæc enim probæ distinctionis lex est, vt ne ejus inter se partes coëant, ac, ut in scholis loquuntur, *coïncidant*. Atqui hoc vitio laborat Perroniana distinctio. Ait *aram sedem fuisse igni sacrificiorum destinatam*. Bene est. *Altare* vero, Perroni, quid quæso, erat? Certe & ipsum quoque erat *sedes igni sacrificiorum destinata*. Neque enim quisquam, credo, rerum Paganicarum vsque adeo est imperitus, qui nesciat tam in *altaribus*, quam in *aris* ignem ad cremanda sacrificia accensum olim plærumque fuisse. Itaque apud Virgilium Latinus *castis adolet b altaria tædis*: & alibi apud c eundem Alphesibœus quoque *verbenas & thura in altaribus adolet*: b Æn. l. 5. Nota sunt illa ejusdem Poëtæ: *e Altaria fumant*: & ista, c Id Ecl. 8.

...... *Corripuit tremulis altaria flammis.* e Id Ecl 2.

Sponte sua, dum ferre moror cinis ipse... f Ibid. 6. Ecl. 8.

Item..... *Impositis ardent altaria fibris.*

Alia aliorum scriptorum mitto innumerabilia. Atque huc quoque pertinent illa Inauspicato à Perronio g ex Arnobio adducta verba, *Altaria succensa*, ex quibus intelligimus tam *altaria*, quam aras apud Ethnicos *succendi solenne fuisse*. Quin & sacrificiorum ita communem fuisse apud Ethnicos ignem & focum, ut raro absque eo res divina g Perr. vbi supr. p. 229. 230. b Arnol. L. 6.

Caput XVIII.

fieret ex Porphyrio discimus, ubi de sacrorum origine fuse disputat. Docet *i* enim ab initio cum primum homines Diis sacrificare cœpissent, cum herbæ virentis primitiis, graminisque foliis ac radicibus, totisque illius naturæ germinibus sacra facerent, *iam tum illa colligentes flammis adolevisse* πόας δρεπόμενοι φύλλα καὶ ῥίζας καὶ τὰς ὅλας φύσεως αὐτῆς βλαστοὺς κατέκαιον. Atque ex his suffimentis θυμιατήριον *k* Græcis dictum, quod Latinis acerra est, & τὸ θύειν sacrificare, & θυσία sacrificium. Nam verbum θύειν primum apud Græcos significasse θυμιᾶν, adolere & suffire, non autem σφάξαι immolare, atque constanter ab Homero antiquissimo Græciæ scriptore in illorum quam in hoc sensu usurpatum esse, luculentissime docet *l* Eustathius in librum Odysseæ XIV. Sed & reperto frumenti usu, *huius quoque alimenti contriti primitias in ignem Diis libatas fuisse:* postea etiam odores, flores, thus, aromata, sacra facientes absque ullis animatis victimis incendisse Porphyrius auctor est: *m* ac ut antiquissimum, sic quoque Diis gratissimum eum sacrorum ritum esse contendit, *n* in quo non sanguine, sed primitiis de terræ fructibus collectis res divina fit eorum, *partem coram Diis apponendo, partem vero adolendo.* τὰ μὲν προστιθέναι, τὰ δὲ καθαγιάζειν αὐτοῖς. Id autem, in quo ista vel apponebantur, vel adolebantur, altare & fuisse & dictum esse nemo dubitat. Ergo ne antiquissimis quidem temporibus sine foco & igne fuisse altaria clarum est. Ex quibus apparet Perronium infœliciter grammaticari, & si verum licet dicere, plane nugari, dum *aram* ab *altari* eo distinguit, quod illa (ut ipse loquitur) *ad ignem esset*, id est ita comparata, ut in ea quæ numini offerebantur, igne cremarentur: quasi vero *altarium* non idem quoque usus apud Ethnicos fuerit. Si ergo & Celsus atque Cæcilius cum objectant, & Origenes atque Octavius cum confitentur *nostros nullas habuisse aras* eo utrique intelligunt nostris nullum fuisse focum sacrum, nullum locum in quo incenderetur aliquid Deo oblatum: hoc inquam, ipso negant nostros nullum *altare* habuisse, quia scilicet neque fere tum ullum erat altare, in quo non aliquid incenderetur. Atqui plane aliud vult Perronius: contendens nostros jam tum *altaria* habuisse: idque dicit confiteri Origenem: hoc est Origenem & affirmare simul & negare Christianos altaria habuisse.

Secundo ex his patefit Perronij dolus. Nam cum initio simpliciter dixisset *o aram esse ad ignem* (Francice *autel à feu*) id est aram ad ignem sacrificiorum accendendum paratam ac destinatam: mox paulum progressus longe alia loquitur, aram illam suam definiens *locum immolandis, & cremandis hostiis fusoque in sacrificiis earum sanguini excipiendo dedicatum.* Atqui ille neque *de fuso sanguine*, neque de *immolandis hostiis* quicquam primo dixerat. Unde nunc ista nobis prodeunt? Satis ei erat ignis & focus, ut ea ara esset ac diceretur in qua sacra fiunt: neque aliud flagitabat bella illa hujus nominis etymologia, quæ *aram* ab *ardendo* ducit. Nihil ne ergo incendi, nihil ustulari potest, nisi quod sanguinem habet.

i Porphyr. de abstin. L. 2. §.

k ibid. p. 54.

l p. 55.

l Eust. in lib. 20. odyss. p. 1767. lin. 14.

m Porph. ub. supr. p. 55. 56.

n ibid. § 16. p. 63.

o Perr. ub. supr. p. 228. expr.

habet, cujusque sanguis effusus est. Hoc credo ne Perronius quidem dicceret, si viveret. Ergo ille falso & sophistice ad aræ suæ definitionem præter ignem *& focum*, illam quam vafre & veteratorie hic adjecit, *sanguinis effusionem* assumpsit. Certe in antiquissimis illis Ethnicorum sacris, de quibus nos ex Porphyrio diximus, herbæ, flores, fructus, farinæ, placentæ, thus & aromata Diis oblata & sacrificata tantum fuisse patet: qualia Porphyrius Hermionei, & Clearchi Methydrij, & Docimi Delphij acceptissima Diis Sacrificia memorat. [p] In his aliquid adolebatur, & in ignem conjiciebatur: neque tamen ullius rei sanguis effundebatur, Ergo id, in quo vel super quo ista, puta thus, flores, &c. offerebantur & adolebantur, veri nominis *ara* fuit, vel ex ipsa priori definitione, & ex illa eleganti *aræ* ab *ardendo* originatione, quæ ei tantopere placuit. Porphyrius certe ea loca, in quibus inanimata illa & exsanguia Diis offerebantur atque adolebantur βωμὸς vocat, id est, etiam ex Perronij glossario, *aras*. Nam cum & primum animalia mactari cœperunt, homines dicit [q] τὰς βωμοὺς ᾑμάξαι, id est *aras cruentasse, vel sanguine respersisse*; quæ adeo & *aræ* antea fuerant, sed puræ castæque, in quibus non alia quam è terra nata, vel ex arboribus decerpta adolerentur. Tum de eo ævo loquens, quo nondum alia quam hujus generis sacra fiebant, Thoas Thraciæ gentem, excisos divinitus periisse dicit, [r] quod sacrificare nollent *super sacris beatorum aris* ἱρδεῖν μακάρων ἱεροῖς ἐπὶ βωμοῖς. Facessat ergo illa hic falso Perronij fraude assuta aræ definitioni lacinia, ut ara nulla dicatur, nisi quæ mactati animalis sanguine respersa fuerit. Ethnicis tam *ara* fuit ea, quæ pura & incruenta odores fruges, aromata, & alia animæ expertia adolebat, quam ea, quæ animalia cremabat; tam quæ aqua, lacte, vino, melle, oleo, & aliis liquidis, quam quæ sanguine imbuebatur & madebat. Quin imo his illas aras longe præferebat omnis Pythagoreorum schola, & Theophrasti atque Porphyrij cæterorumque, ut ex hujus disputatione patet, Ethnicorum sapientum cohors; eaque apud illos sententia ipsis etiam Diocletiani temporibus florebat. Siquis illo ævo Christianus thus idolo adoleret, is apud nostros *sacrificatus*, id est tam idoli Sacrificio pollutus censebatur, quam si ovem aut vitulum immolasset. *Ara* itaque & habebatur & vere erat in quam thus adolendum immittebatur.

CAP. XIX.

[p] Porph. l. 2. de abstin. §. 15 16. 17. p. 62. 63.

[q] Id. ibid §. 7. p. 56.

[r] Ibid. §. 8.

Caput. XIX.

CAPUT XIX.

Distinctio aræ ab altari Perroniana amplius confutatur. Aræ etymon varium & incertum Intuta ab etymo ducta argumentatio. Aram Latinis dici etiam eam, quæ ignis expers. Ara piorum Delia. Mensam Domini non modo altare, sed etiam aram dici à veteribus.

SEd tametsi hæc satis esse possent ad vindicanda à Perronii sophistice Minutii atque Origenis supra recitata testimonia, juvat tamen ad plenam veritatis victoriam Perronianum de vera aræ βωμῦ significatione decretum penitius excutere. Hæc igitur erat, nova sane, & hactenus quod sciam, inaudita Grammaticæ Perronianæ lex atque definitio, ne *ara* ulla dicatur, nisi quæ sit eadem, ut sic dicam, *focalis*, & *igniaria*, Francice *à feu*; id est, nisi in qua aliquid ardeat, uratur, incendatur. Quid ita, (inquam)? Quia (inquit) non defuerunt, qui, quod Varro *t* & Isidorus *u* demonstrant, *aram* ab ardendo dictam esse vellent. Ego vero & decretum ipsum novum, iniquum, falsumque esse aio, & rationem decreti vanam atque ludicram. De novitate decreti jam dixi. De ejusdem falsitate mox dicā. Nunc rationem, qua nititur, expendamus. Aram ab *ardendo* quidam olim, quod Varro & Isidorus testantur, dictam esse voluerunt. Ergo nulla ara vel est vel dicitur, quæ eadem sit foci & ignis expers. Vide quæso, quam futile sit argumentum. *Aram* ex Varrone & aliis, & ipso Perronij purpurato collega Bellarmino, *x* nonnulli dictam voluerunt, quasi *ansam*. Ergo inquam, nulla vel est vel dicitur ara, nisi quæ ansas habet, Ne Perronius quidem credo, ridiculum hoc esse argumentum negaverit. Nil ergo obstat, quin idem de ipsius bella illa ex etymo ratiocinatione censeamus. Imo hoc ejus argumentum isto ab *ansa* ducto etiam aliquanto futilius est. *Aram* enim ab *ansa* genus ducere probabilius est, quam ab *ardere*. Vt enim *ara* fiat ab *ardeo* vix ut opinor patitur, Latini sermonis analogia; ex qua ab *ardeo* fieret *arda*, vel certe *arsa*; non autem *ara*. Ab *ansa* vero veterum factam esse à posteris *aram* Latinitatis ingenio congruit; in qua Grammatici sciunt, & observarunt *y* non pauci, familiare esse litteram S. in R. transire, quo modo ex iis quæ prisci dicebant *Valesius*, *Fusius* *odos*, *colos*, *labos*, *vapos*, *clamos*, *honos*, posteri duxerunt hæc quæ nunc omnes dicimus, *Valerius*, *Furius*, *odor*, *color*, *labor*, *vapor*, *clamor*, *honor*; & pro veterum *lasibus* & *fesiis*, postea placuit *lares* & *ferias* dici. Quin & aliud est *aræ* etymon apud eosdem auctores, Servio, *z* ut videtur maxime, probatum; *Ara* (inquit) *dicitur à precibus, quas Græci ἀρὰς dicunt; Vnde contra, imprecatio κατάρα dicitur*; quę verba etiam ab Isidoro descripta sunt. Hinc recte *aram* dixeris, ad quam quæ Deo offeruntur

s Perr. ub. sup. p. 228. extr.

t Varro l. 4. de l l.

u Isid. l. 15.

x Bell. l. 1. de Miss. c. 2. §. Sextum

y Perrot. in Corn. cop. p. 14. lin. 22. G. Sc. hopp. Gram. Philo 5.

z Serv. in 2. Æneid p. 616. Isid. Orig. L. 15. & de diff. verb. sent. 227.

runtur, una cum precibus offeruntur, quæ ratio adeoque & aræ nomen altari missali ad unguem convenit. Itaque & hinc *altare Missale* nullum priscis, Christianis fuisse effeceris; qui scilicet nullas *aras* etiam fatente Perronio, habuerunt. Cum ergo tam dubia sit atque incerta nominis *aræ* origo, apparet nihil ex ea certi posse colligi. Quamquam si vel certo constaret aram ab ardendo dictam; ne sic quidem efficeretur nullam *aram* dici apud Latinos, nisi aliquid in ea ardeat. Nemo enim nescit paulo eruditior, quam longe à certis licet & indubitatis etymis vocabulorum sensum sæpe abducat usus; *quem penes arbitrium est & vis & norma loquendi*. Homerus suorum heroum galeas sæpe vocat *κυνέας*: quod nomen *corium caninum* significat. Nemo tamen tam stultus est, ut eas ex ære aut ferro fuisse neget, vel ex corio canino fuisse contendat. Aliæ sunt hujusmodi sine numero: ut ne longe abeam, apud Latinos *Missa* etiam hodie dicitur, in qua nulla cujusquam fit ea missio, unde res nomen nacta est; & *particulæ* dicuntur hostiæ, quæ totæ & integræ sunt, non autem cujusquam rei particulæ. Vocabula non raro à sua origine dissentiunt; quia varie imponuntur, interdum ob similitudinem, aliquando ob usum vel ex accidenti; ut eum in multos errores incidere necesse sit, qui nomina urgere, & ex iis ipsas rerum naturas metiri velit. Facessat ergo hinc præpostera Perronianæ Grammatices severitas. Nos aræ significationem, non ex vocabuli etymo, quod & dubium, & lubricum est, sed ex usu & re ipsa investigemus. Sed *focos* (inquit Perronius) Latini aris opponunt, ut ex eo apparet, quod sæpe usurpant, *pro aris & focis*. Quidni inquam, opponant res inter se diversissimas? unam humanam? alteram divinam? illam qua domus, hanc qua templa habentur & coluntur? Augusti jocus, à Perronio allatus, nihilo magis eum juvat. Augustus nunciantibus Tarraconensibus *palmam in ara ejus enatam, Apparet* (inquit) quam sæpe accendatis. Iocus, & in hac Augusti ara, & in aliis plærisque arguit vulgo solenne fuisse hostias cædi & cremari; quod nemo negat; nullam dictam fuisse aram, nisi in qua hoc fieret, non probat. Ostendimus id quoque in altaribus factitatum, neque tamen Perronius abnuit, quin altare sit & dicatur, in quo nullus sit focus, nulla, quæ cædatur aut exuratur victima. Eadem aræ, quæ altaris ratio. Vtrumque nomen eam sedem simpliciter significat; in qua res divina fit, in qua sacrificatur. Et res sacra & ratio sacrificandi diversa pro gentium, temporum, religionum discrimine. Sed quæcumque sit natura ac ratio, id omne, in quo Sacrificium peragitur, ara & altare promiscue dicitur, atque hinc Græce *θυσιαστήριον* vocatur appositissimo ad rei naturam nomine; quasi id, in quo vel super quo sacrificatur. *Eadem* quoque ratio est vocabuli Hebraici מזבח *mizbeach*, quo *Sacrificium* dicitur, à זבח *Sacrificare*. Latini *altare* dicunt, à forma & qualitate, quod altum sit, ut Servius, & cæteri consentiunt, item *ansam* & postea *aram*, à ritu, quod Sacerdos, dum rem divinam facit aram teneat, vel ab adjuncto, quasi *ἀρὰν*, quod preces religiosæ apud aram

Cap.XIX aram fierent: vel denique ab ardendo, quod cor Perronij jubet, ob morem incendendi quæ in ara oblata erant. Itaque *ara & altare* plane rem unam & eandem apud Latinos significant, tametsi ratio significandi diversa sit: nisi sicut positum inter ista nomina à Servio discrimen sequi libeat, quod equidem à Grammaticorum potius ingenio, vel à flaminum si forte & Pontificum superstitiosa περιεργίᾳ, quam à re ipsa, & ab auctorum usu profectum esse arbitror. Sed hoc discrimen, qualecumque de cætero sit, verum an fictum, nihil ad rem nostram pertinet. Satis est, quod ex Virgilio, optimo linguæ Latinæ auctore, rem eandem ostendimus utroque nomine citra ullum discrimen dictam esse & altare & aram Nostri, Latinitatis peritissimi, idem se his duobus vocabulis Intelligere testantur, dum iis promiscue utuntur, Vt vetustissimus Apocalypseos interpres Latinus, qui θυσιαστήριον, quod in Græco est, *aram* reddiderat * quod apparet ex Victorini Pictabionensis commentario: *a* qui ad eum locum ubi nos legimus, *Vidi sub altari animas interfectorum,* ipse habet, *Vidi sub ara animas occisorum*, idque sæpius nomen ibidem usurpat, ita ut interpreti, ex quo illa verba refert, *ara* idem fuerit, quod vulgata nostro *altare* & quod Ioanni θυσιαστήριον. Præter Victorinum, ita hunc locum à vetustiori interprete redditum fuisse indicat * auctor Homiliarum in Apocalypsin, quæ inter Augustini opera circumferuntur. Is enim Ioannis verba hæc exhibet. *Vidi sub ara Dei animas interfectorum.* Sic etiam Hieronymus, quæ prius altaria dixerat, eadem statim eodem versu *aras* dicit; *b Ingressus est omnis populus domum Baal, & destruxerunt eam, & altaria ac simulacra ejus confregerunt: Matan quoque Sacerdotem Baal interfecerunt ante aras.* Est etiam ubi ea altaria dicit, in quibus ignis accendebatur: *Surgentes destruxerunt altaria, quæ erant in Hierusalem, atque universa, in quibus adolebatur incensum.* Cum ergo doctissimus ille interpres eo sermone codicem sacrum reddiderit, qui tum in usu erat apud homines Latinos, non est dubitandum quin duo illa nomina vulgo eodem sensu usurpata fuerint, ut plane frustra sit Perronius, qui ex incerto nominis etymo fictitium illud suum *ara* ab *altari* discrimen contra communem apud veteres loquendi consuetudinem inducere conatur. Sed nequid dubij supersit, illud etiam hic observare operæ pretium est *ara* nomen ita late patuisse, ut *aras* vocaverint etiam illas, quarum eadem quæ cæterarum erat forma, si aliquis earum esset in religione usus; tametsi apud eas nihil vel animatum, vel etiam inanime adoleretur: qualis erat Delia illa ara apud quam Macrobius ex Cloatio Vero, nullam hostiam cæsam, sed tantum solenni *Deum prece* veneratos fuisse tradit: cujus etiam Porphyrius meminit eo loco qui paulo post recitabitur. De ara illa Delia Macrobius hæc Veri Cloatij verba describit: *n Deli (inquit) ARA est Apollinis γενέτορος, in qua nullum animal sacrificetur, quam Pythagoram velut inviolatam, adoravisse produnt.* Sed & ex Catone hæc de eadem ara refert:

* Apoc.6.9.
a Victor. in Apoc. T.1. Bibl. patr.p. 574. A.
b 2. Paral.23. 17.
m ibid.c.30. 14.
n Macrob. l. 1. Saturn c. 6 p.329.

refert; *Nutrix* (inquit) *hæc omnia faciebat in verbenis, ac tubis* * *sine hostiis, ut Deli ad Apollinis genitivi ARAM.* Eat nunc Perronius, & sua nobis figmenta narret, vetans aram dici, quæ fumo, igne & foco careat. Iam cum hæc sit hujus nominis ratio, ut etiam ab ipsis Ethnicis *ex ara* dicerentur, apud quas nihil neque credebatur, neque adolebatur, modo earum forma eadem esset, quæ cæterorum altarium, & usus item ad religionem aliquis; primo quidem hinc patet nihil Minutii temporibus apud nostros fuisse, non modo in quo sacrificia proprie dicta fierent, sed ne ejus quidem formæ cujus vulgo erant olim Paganorum, vel ejus cujus hodie sunt Latinorum altaria. Siquid enim hujusmodi apud nostros fuisset, Cæcilius non erat nostris exprobraturus, nullas apud eos aras haberi, quippe qui siquas Deliæ similes illi habuissent, eas nihilo secius erat pro veris aris habiturus. Secundo hinc quoque intelligimus, quam vana, sit Perronij *o* ad Tertullianum *p* & Arnobium *q* cavillatio, quos ait hanc aræ ab altari differentiam minime observasse. Qui quæro eam observassent, quæ omnibus ante Perronium seculis inaudita, non ante in lucem prodiit, quam eam ipse ex suo cerebro, pessimæ causæ studio obstetricante tam multis post illorum virorum obitum seculis emisit? Arnobium certe Latinæ linguæ peritissimum hominem, etiam eorum, quæ in hoc sermone abstrusa sunt & recondita curiosum, quique in his litteris ætatem contriverat, non latuisset id discrimen, siquod re vera fuisset. Cur autem id, si scivit, hoc loco neglexerit, nulla causa dici potest. Quod ergo aræ ab altari discrimen Perronianum nescivit, hoc ipso intelligimus id are vera nullum apud Latinos fuisse. Id ipsum de Tertulliano judicandum est, viro Patrum sui ævi Latinorum doctissimo, linguarum & disciplinarum callentissimo, adhæc Christianæ fidei zelote ferventissima. Hunc-cine viram putabimus sanctissimam ac castissimam Domini mensam *ara* vocabulo significaturum fuisse, *r* si scivisset *aram*, non aliam apud Latinos dici, quam quæ eadem bestiarum laniena, atque ustrina esset, rogus pecorum, & hostiarum bustum? Apage à magno & incomparabili scriptore infamem & impiam metaphoram. Quod ita locutus est, arguit aram etiam apud Latinos interdum rei honestæ nomen fuisse, & ab idolorum nidore & fumis alienæ; denique hujusmodi qualem Tertullianus apud ipsos Paganos aram illam Deliam ferri dicique, sacrificiorum belluinorum & bustuariorum expertem sciebat. Quid enim ille nescivit, quod extaret vel in humanis vel in divinis litteris?

CAPUT. XIX.

o Perron. ub. supr. p. 2 o.
p Tertull. de Orat. c. 14.
q Arnob. L. 6.

CAPUT XX.

Apud Christianos & usurpatum olim fuisse, & usque ad nostra tempora usurpari aræ nomen pro altari; ignotum adeo omnibus & Paganis & nostris fuisse, quod utriusque vocabuli fictum nuper à Perronio est, discrimen.

QVid, quod etiam sequentium seculorum Christiani, cum *altaris* nomine Dominicam mensam appellari, auctore hoc ipso Tertulliano placuisset, *aræ* in hoc negotio vocabulum ne ipsi quidem vel fastidierunt, vel exhorruerunt, eumque hujus nominis de Eucharistica mensa sensum ad nostra usque tempora propagarunt? Horum ergo testium agmen ducat Tertullianus; *Non ne* (inquit) *s solennior erit statio tua, si ad aram Dei steteris?* *Aram Dei* hic esse mensam Domini apud omnes in confesso est. Alij passim ita loquuti sunt. Augustinus, & ipse Afer, in Sermonibus XL. à Sirmondo editis; *t Nos* (inquit) *in isto loco, non aram fecimus Stephano, sed de reliquiis Stephani aram Deo.* An *aram* dicit Perronianam, quæ cæde, cruore, incendio, fumis, cineribus animalium quotidie polluatur? Absit. *Mensam* Christi dicit, sedem panis & vini sacri in Dominicæ mortis memoriam fidelibus positam. Ita & Gregorius Turronicus; *u Turris* (inquit) *elapsa de manibus Diaconi ferebatur, in aëra, & sic ad ipsam aram accessit.* *Ara* nomine hic quoque Domini dixit mensam. Alcuinus idem nomen eodem usurpat *x* sensu;

Hanc regat omnipotens Michael Angelus ARAM;
Iungitur huic Gabriel custos venerabilis ARÆ

Paschasius Radbertus; *Venerabilis* (inquit) *y Presbyter pavidus ab imo vultum erigens vidi super ARAM Patris filium puerum* &c. Idem utrumque nomen eadem de re simul semelque adhibet; *z Iuxta sublimis aram altaris semper assistere Scriptura teste probatur.* Nemo Latinorum negat altare Christianum significatum fuisse à fidelibus, qui Romæ in Capitolio basilicam è regione Tarpeiæ rupis in memoriam Mariæ, matris Domini, olim erectam *ARAM COELI* dixerunt; quod ei nomen etiam hodie manet, ut est omnibus notissimum. Baronius basilicam in eo ipso loco sitam esse vult, *a in quo steterat ara primogeniti Dei*, ab Augusto (ut quidem Suidas narrat *b*) olim posita. Idem quoque Baronius alibi tradit *c aram* quandam in nomine Dei Israël, & ipsius testis Stephani in Galliis dedicatam, quia inter Paganorum altaria reperta fuerat, & quidem Deo ignoto inscripta. Viderit Baronius an historiæ veræ sint. *Aræ* certe nomenclatura docet aram, quo tempore ista vel tradita sunt, vel scripto id ipsum quod altare apud Christianos significasse. Nondum omnes aras Perronius & bestiarum cruore res perserat, & carnium incendio, fumo, ac nidore contaminaverat. Posteri eadem quoque sequuti sunt. Hildebertus

s Tertull. de orat. c. 14.
t Aug. in Serm. 40. Sirm. Serm. 15. p. 821. A. T 10. Aug.
u Greg Tur. de glor. Martyr. L. c. 85.
x Alcuin. Poëmat. 102. p. 1695. D.
y Pasch. de corp. & S. D. c. 14. p. 1599. E.
z Ibid. c. 12. p. 15 0. A.
a Baron. in Apparatu Annal. §. 26.
b Suid. in *Augustus.*
c Baron. an. 34 §. 306. & an. 52 §. 6.

debertus Turonensis Episcopus, duodecimi seculi scriptor; *d* CAP. XX. *d* Hildeb de offic. M ss. Bill P. T. 3. p. 262. E.

Panis in hoc verbo; sed adhuc communis ab ARA
Sumitur

Vrbanus. P. R II. an. D. 1096. narrat *e* se apud Ægidii monasterium Basilicæ novæ *ARAM omnipotenti Deo suis manibus dicasse.* Proximo retro seculo, & hoc nostro, quibus passim renascentibus litterarum studiis, emersit in Italia primum, mox & in tota Europa latissima doctissimorum, & utriusque linguæ potissimorum virorum seges, nemo præter hunc Perronium fuit, qui istam aræ ab altari differentiam obsecerit; nemo qui altaria Latinorum hodierna, *ARAS* dicere aliqua religione deterritus refugerit. Ex immensa eorum copia, qui de Latinis altaribus ita locuti sunt, paucos exempli causa ad specimen dabo. Iacobus Sannazarius, qui Actius Sincerus dici voluit, Beatam Virginem, opus de ejus partu suum exordiens, ita alloquitur. *f* *e* Vrban. 2. Co. firm. Donat. Com. Tolos. Spic. Dach. T. 6. p. 21. *f* Sannaz. L. 1. de part. Virg.

Mansurus tibi ponimus ARAS.

Masseius, Ignatiani generis scriptor disertissimus, in Iaponicis suorum epistolis, quod opus Latine est interpretatus, narrat *g suorum templum Firandi apud Iaponas cum ARA disturbatum fuisse à barbaris idololatris;* Trigantius ex eodem sodalitio tradit *h Scianquini apud Sinas à Iesuitis domi sua erectam aram, in qua Dominicis, aliisque festivis diebus sacris operabantur.* Idem paulo post eosdem dicit *i ARAM in oratorio statuisse.* Tum *k* in *ea ara collocatum Dei parentis, & pueruli Iesu effigiem Sinas ipsos reverenter esse veneratos;* Item, *l Sinas amice oleum ad concinnandam lampadem, quæ coram ARA splendebat, obtulisse.* Nicolaus Godignus, Ignatianæ & ipse gentis scriptor non indisertus, ubi Abassinorum sacra describit; *m Sacerdotes* (inquit) *in ARA conficiunt sacramentum.* Iustus Lipsius, Romæ & veteris & novæ cultor & adorator unicus, cæterum Latinæ linguæ & eruditionis peritissimus; in libello de Virgine Hallensi suo, narrat *n* se cum Hallensem ædem ingressus sacris interfuisset, *cœpisse oculos avide circumferre ad ARAM;* & capite quarto *in ala sacelli Hallensis ingredientibus sinistra esse ARAM.* Idem Alpricollem Divam quodam carmine invocans; *g* Epist. Iapon. L. 2. p. 145. b. *h* Trigant. Exp. Sin L. 2. c. 4. p. 165. *i* Ibid. c. 5. p. 169. *k* Ibid. p. 170. *l* Ibid. *m* God. de reb. Abass. L. 1. c 35. p 227. *n* Lips. in D. Hall. c. 1 7. 2. p 807. *o* Ibid c. 4. p. 809.

Diva, pronus ARÆ advolvor tuæ. *p* Id in D. A. spric. c. 16. p 838.

Sed quid alios consector? Romanum ipsum Missale, sacratissimum apud Latinos volumen, Ipsum quoque ARÆ nomine suum altare significat; ubi decernit *q ARAM ad Missificandum saltem esse debere lapideam ab Episcopo consecratam, in eo* (*altari*) *insertam;* ubi observandum eam altaris partem, in qua sacrificium fit magis proprie *aram* ab istis dici, quam altare. Denique Bellarminus, ubi tradit quid id sit, in quo fit sacrificium, postquam id docuit ab Hebræis מזבח, à Græcis θυσιαστήριον dici; *Latini* (inquit) *à forma & ritu nomen deducere maluerunt, Dixerunt enim altare, quasi altum; & aram, quasi ansam, ut Varro interpretatur quia sacerdos aram tenere consueverat, dum sacrificium offerret.* Hic tantus disputator apertissime docuit. Latinis *aram* idem esse quod *q* Miss. Rom. Rubr. gen. c. 20. §. 1. *r* Bell. L 1 de Miss. c. 2. §. Sext. arg.

Cap. XXI. *altare*; idem quod Græcis θυσιαστήριον, & Hebræis plane eodem sensu *mizbeach* dicitur; paucisque verbis omnem sui Collegæ Grammaticam fregit. Ita satis demonstratum est *aram*, apud Latinos idem esse re ipsa quod altare; adeoque cassam & futilem esse omnem Perronij ea de re vitilitigationem.

Caput XXI.

Perronij de Græco nomine βωμὸς ridicula decreta confutantur. 1. veterum Grammaticorum auctoritate. 2. Scriptorum sacrorum & profanorum usu. 3. ipso nominis etymo βωμὸς ara etiam incruenta. βωμὸς altari potius quam aræ respondet. βωμῶ verum etymon. Ammonij locus obiter emendatus & explicatus.

s Perr. ub. supr. p. 229.

IAm experiendum est, an ejus in Græcis fœlicior, quam in Latinis Grammatica fuerit. Vult Latino quidem *aræ* nomini respondere Græcum βωμὸν; *altari* vero θυσιαστήριον; adeoque βωμὸν apud Græcos nullum esse fingit absque foco & cruore. Hæc sunt Perronij dictata; in quibus multo etiam gravius ac turpius lapsus est, quam in Latinis. In his quoddam, tametsi incertum *aræ* etymon, ejus tamen figmento nonnihil favere videbatur. In Græcis omni plane præsidio destitutus omnia adversa, infestaque habet, Grammaticorum auctoritatem, veterum scriptorum usum, ipsam etiam postremo nominis originem. Grammaticos primum audiamus. Est in hominum eruditorum manibus Onomasticon Latino-Græcum vetus, ab Henrico Stephano prius, postea à Bonaventura Vulcanio publicatum; Si ab ejus auctore quærimus, *t* quid sit βωμὸς, *Altare* (inquit) βωμὸς, Plane ait, quod Perronius negat. Vtri credemus? Huic veteri Grammatico, absque ullo partium studio vel odio judicanti; an Perronio, homini recentissimo, & in causa desperata æstuanti, & κρησφύγετον anxie quærenti? Illi utriusque linguæ, ut apparet ex ejus opere gnaro? an huic, qui ut cætera in his litteris peccata mittam, tam doctus Græce est, ut μαίνειν fumare *u* sit interpretatus, idque in duobus operibus publice editis? Si Phavorinum, Nucerinum Episcopum, hominem doctissimum, cujus Græcum Lexicon extat ex omni veterum Græciæ Grammaticorum sylva excerptum, eadem de re interrogemus; respondebit βωμὸν duo significare; prius quidem ea, super quibus sacrificabant; deinde etiam id simpliciter, quod sic constructum existit, atque exsurgit, & eminet, ut super eo aliquid reponi ac sustineri possit. βωμοὶ οὐ μόνον ἐφ' ὧν ἔθυον, ἀλλὰ καὶ κτίσμά τι [illegible] ἁπλῶς

t Onom. Lat. Gr. p. 9. in Altar.

u Perron. des passag. dest. Aug. c. 10 p 13 & Repl. à u R. d. Angl. alia 2. Inst. c. 1. p. 796.

x Var. Phavor. Lex Gr. p. 396. lin. 22.

ἁπλῶς καὶ ἀνάστημα, ἐπ' ᾧ ἔστι βαίνειν καὶ τεθλῶσαι. Huic ut vides, βωμοῦ primarius & maxime vsitatus sensus est, ut significet ea in quibus, vel super quibus sacrificatur; Atqui sacrificia super altari & fiebant olim, & fiunt etiam hodie. Ergo ex hujus sententia, *altare βωμὸς* est; quod Perronius negat. Magnum Etymologicum; βωμὸς, τέμενος ἱερὸν, ὅπου θύεται τοῖς θεοῖς. cum addit, ἱδρυμένος τοῖς θεοῖς πρὸς θυσίαν *locus sacer vel sacrarium, vbi Diis sacrificatur. Locus Diis ad sacrificium constitutus.* Ergo & ex hoc Grammatico βωμὸς est in genere quivis locus, in quo sacrificatur, quocumque modo id fiat. Nemo horum in nomine βωμὸς commentum Perronianum vidit. Sed jam Græcos scriptores adeamus. In his LXX. Seniores, qui divinos veteris fœderis libros Græce interpretati sunt, utrumque nomen θυσιαστήριον & βωμὸν promiscue se habere eo apertissimos testantur, quod Hebraïcum מזבח nullo discrimine modo hoc, modo illo nomine reddunt. In Exodo; τοὺς βωμοὺς αὐτῶν καθελεῖτε. *Aras eorum destruetis.* Id ipsum alibi sic interpretatur; τὰ θυσιαστήρια αὐτῶν καθελεῖτε. Hebræus in utroque loco unum idemque habet nomen *mizbeach.* Græci in priori reddunt βωμοὺς; in altero θυσιαστήρια. Itaque sensus inter hæc duo Græca discrimen frustra quæritur quod nullum est. Passim alibi unum illud idem nomen Hebraïcum modo βωμὸν, † modo θυσιαστήριον * interpretantur, nullo alio discrimine, nisi quod hoc, quam illud crebrius usurpant. Quædam indicasse satis est. Vnum singulare recitabo, in quo Hebraïcum altaris nomen bis in uno eodemque versiculo positum, prius βωμὸν; postea θυσιαστήριον reddunt; καὶ ὑμεῖς μὴ ἀπόστητε ἀπὸ Κυρίου διὰ τὸ οἰκοδομῆσαι ὑμᾶς βωμὸν ἔξω τοῦ θυσιαστηρίου Κυρίου τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. Latinus Hebræum secutus unum utroque in loco nomen posuit; *Tantum ut à Domino & à nostro consortio non recedatis, ædificate altari, præter altare Domini.* Græci Gentiles eadem quoque nomina promiscue habent; nisi quod βωμοὺς (quantum quidem memini) multo crebrius dicunt, quam θυσιαστήρια. Βωμὸν vero adeo non habent eorum altarium proprium, in quibus (quod vult Perronius) cæduntur & cremantur victimæ, ut etiam id nomen usurpent de aris, in quibus inanimata Diis offeruntur: imo etiam in quibus minime adolentur; quale illud Delium altare erat; de quo nuper ex Cloatio & Catone diximus. Hoc enim, ut Latini *aram*, ita & Græci βωμὸν vocant: Porphyrius, vbi castius atque sanctius absque animalium sacrificiis coli numen disputat: c *Hoc autem* (inquit) *perspicere licet ex ara circa Delum usque ad hanc diem asservata, ad quam quia nullum adducitur, neque super ea mactatur animal, PIORVM vocatur Ara. Vnde non solum ab animalibus sacrificandis abstinuerunt, sed etiam iis, qui aram posuerant & ara vtebantur, piorum nomen impertiti sunt. Quapropter Pythagorei hunc morem amplexi per totam vitã ab animalium esu abstinuerunt:* θεωρῆσαι δ' ἔστιν ἐκ τοῦ περὶ Δῆλον ἔτι νῦν σωζομένου βωμοῦ &c. ΕΥΣΕΒΩΝ κέκληται ΒΩΜΟΣ &c. Hic βωμὸς, hæc *ara* totum Perronij Sophisticen evertit. Neque enim βωμὸν simpliciter vocabant, qui sine cruore, foco & igne erat (quod Perroniana lex vetabat) sed

CAP. XXI.

y Etym. M. in voc. βωμὸς.

z Exod. 34. 13.

a Iud. 2. 2.

† Vt Num. 23. 1. 2. 4. &c. Deut. 7. 5. & 12. 3. Iosu. 22. 10. 2. Paral. 31. 1. Isai. 17. 8. & 27. 9.

* Gen. 3. 20. & 12. 7. & ita passim.

b Ios. 22. 19.

c Porph. L. 2. de Abstin. §. 28.

Caput XXI.

insuper Εὐσεβῶν βωμὸν, *Piorum aram* nominabant; quasi quæ cruore respergantur, vel igne calefiunt, vel fumos exhalant altaria, ea neque vere piorum sint, neque aræ nomine digna. Hujus quoque aræ meminit Diogenes Laërtius, & in ea posita fuisse dicit farra, hordeum & placentas, sed sola sine igne. μόνας ἄνευ πυρός. Hic diserte nos docet hoc piorum altare non solum cruoris, sed etiam ignis expers fuisse; neque ideo tamen vel *ara* vel βωμοῦ nomine caruisse. Sed & sacræ ipsæ litteræ alterum nobis exhibent βωμὸν, non modo cædis, fumi, nidoris, ignis & foci expertem, sed etiam eo tantum sacrum, quod in testimonium divini fœderis, & quidem ad altaris Mosaïci formam extructum esset. Id autem est altare, quod Rubenitæ & cæteri cum iis Galaaditæ apud Iordanis tumulos in terra Canaan ædificaverunt infinitæ magnitudinis; *e* quod Hebræus quidem codex מזבח *mizbeach* & Latinus *altare* vocat. Græci vero constanter βωμὸν dicunt, idque de eo nomen octies eodem illo capite vsurpant. Ergo & sacris & profanis scriptoribus etiam βωμοὶ *aræ* dicebantur, in quibus nihil incendebatur, in quibus adeo nullus erat focus.

d Diog. Laert. L. 8 in Pythag.

e Iosu. 22. 10. 11 16. 19. 26. 34.

His denique congruit nominis vtriusque etymon θυμιατήριον quidem est à verbo θυμιᾶν, quod in genere est sacrificare, quomodocumque id fiat. Auctor Etymologici *f* θυμιατήριον, τὸ τὴν θυσίαν τηρεῖν; quamquam ille quidem more suo nugatur, qui τήριον nudum nominis casum à τηρεῖν servare deducit; quod ineptum est; quasi πτεριον, ἐργαστήριον, δικαστήριον, & alia similia fiant à verbo τηρεῖν; quod est ridiculum. Hebraïcum nomen huic Græco plane respondet. Vt enim θυμιατήριον à θυμιᾶν; ita & מזבח à זבח; quod ipsum quoque est θυμιᾶν *sacrificare*. Sed hæc quidem ipse Perronius concedit de quovis altari dici; etiam de eo, in quo absque cæde, cruore, foco sacrificatur. De solo βωμῷ lis est, quem ille aræ Latinæ suo illo fictitio sensu sumptæ respondere, adeoque Græcis non alium βωμὸν dici pugnat, quam eum in quo victima cæditur & incenditur. Sed hoc ejus omnium, præter Grammaticorum sententiam, & scriptorum vsum, ipsum quoque nominis etymon confutat. Scio Dionysium Vossium βωμὸς ab Hebræo במות *bamoth* deducere; *g* quod τὰ ὑψηλὰ, loca alta & edita significat, ut montes ac colles, quas recte putat primas fuisse mortalium aras, naturales quidem illas ac simplicissimas, quibus postea successerunt, quæ arte humana ex lapide & alia materia fieri cœperunt. Hebræum sane *bamoth* ὑψηλὰ Græci plærumque reddunt (quæ proprie nominis vis est) Reddunt tamen & βωμὸς non semel; *h* fortasse capti vocis Hebrææ cum sua similitudine. Itaque negari non potest, quin sit ingeniosa & elegans Vossiana illa τοῦ βωμὸν ex *bamoth* Hebraïco etymologia, vel certe illius nominis ad hoc allusio. Sed & Latinum nomen *altaria* Hebraïco *bamoth*, licet sono dispar, sensu tamen congruit. Sunt enim *altaria* dicta ab altitudine, quod omnes Grammatici consentiunt; ut Hebræum *bamoth* in numero plurium plane idem sit, quod est *altaria* Latinis. Neque fortasse absurde putaveris

f Etymol. Mag. in θ.

g Dion Voss. in Mos. Maymon de Idolol. §. 2. p. 7.

h Vt Esai. 15. 2. & 16. 12. Ier. 7. 31. & 32. 3. & 48. 35. Os. 10. 8. Amos. 7. 9.

Latinos à primo & antiquissimo more loca, in quibus sacra faciebant, *altaria* dixisse, quod ea in locis altis, excelsis atque editis, quales sunt montes & colles, fierent. Cum ergo βωμοὶ Græcorum sint, etiam auctoribus septuaginta senioribus Hebræorum *bamoth*; *bamoth* vero res ipsa doceat plane esse Latinorum altaria; multo rectius erat atque concinnius hæc nomina ita inter se comparare, ut βωμὸς Græcorum *altari* Latinorum respondeat, quam quod absurde, & præter ipsum vocum etymon instituit Perronius, qui nulla ratione, sed sola ex causæ studio libidine vult βωμὸν *ara* respondere, non *altari*. Cæterum quod ad ipsum vocabulum βωμὸς pertinet, id fateor merum esse Græcum, non usu tantum, sed etiam ortu; idque vel hinc facile deprehenditur, quod per se non *aram* aut *altare* proprie, sed quidvis ita structum ut extet, & aptum sit, in quo aliud reponatur ac consistat, in genere communiter significet, ut jam supra ex Phavorino diximus, qui sua illa ex Eustathio hausisse videtur. Eustathius enim observat Homerum, omnis Græcæ litteraturæ parentem, βωμοὺς dixisse non solum loca, in quibus currus domi reponebantur, & asservabantur; sed etiam bases in quibus collocabantur illa *aurea* CAPUT XXI.

---- juvenum simulacra per ædes
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur,

quæ Lucretius *i* eleganter atque suaviter ex his Homericis *k* expressit; *i* Lucret. L. 2. *k* Homer. Odyss. H.

Χρύσειοι δ' ἄρα κοῦροι ἐϋδμήτων ἐπὶ ΒΩΜΩΝ
Ἕστασαν αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχοντες
Φαίνοντες νύκτας κατὰ δώματα δαιτυμόνεσσι.

Ad hunc locum Eustathius; *l* βωμοὶ δὲ ἁπλῶς (inquit) ἀναβαθμοὶ ἐνταῦθα, ἐφ' ὧν λυχνοφόροι κοῦροι ἵστανται χρύσεοι καὶ αὐτοί; βωμοὺς *simpliciter hic esse bases, sive sedes, in quibus juvenes stabant aurei lychnophori*, id est lychnos sive lampadas ferentes. Itaque idem alibi *m* observat non esse otiosum, quod Poeta βωμοὺς ἱεροὺς *sacros* dicat cum de altaribus ad sacrificandum paratis loquitur, *l* Eustath. in loc. p. 1570. lin. ult. *m* Id. in Odyss. γ. pag. 1467. lin. 31.

Πολλὰ δὲ μηρί' ἔκηε θεῶν ἱεροῖς ἐπὶ βωμοῖς,

Hoc enim epitheto, βωμοὺς quos hic dicit, ab iis distinguit, in quibus, vel currus, ut in Iliade, vel simulacra juvenum lychniferorum reponebantur, ut in Odyssea. ἱεροὶ δὲ βωμοὶ πρὸς διαστολὴν ἐτέθησαν μὲν τῶν ποιητῶν. ὁποῖοι ἐν Ἰλιάδι ἐφ' ὧν ἅρματα τίθενται, καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς δὲ οἱ ἐΰδμητοι παρὰ Φαίαξι βωμοί, ἐφ' ὧν ἵστανται χρύσειοι κοῦροι δαΐδας ἐν χερσὶν ἔχοντες. Βωμὸς ergo nomen est purum putum Græcum, à verbo antiquato. βάω. βῶ, ut multa alia, derivatum, per se primo in genere significans quidvis ita erectum ac exstructum, ut in eo aliud reponi atque consistere possit; ut illæ curruum ac lampadum apud Homerum sedes, de quibus diximus. Vetus enim illud verbum βῶ hoc inter cætera significasse satis indicant ortæ ex eo voces, ut *basis* noti in utraque lingua sensus, & βέβαιος, βεβαιῶς, quæ firmum ac stabile esse significant. Sed βωμὸς ab hoc communi sensu

Caput XXI.

sensu, (ut factum est in multis aliis vocabulis) ita discessit, ut postea simpliciter positum non aliter quam pro sacris & ad sacra facienda paratis βωμοῖς sumatur. Etymologici auctor; *n* βωμὸς παρὰ τὸ βῶ, τὸ βαίνω. ὁ βεβηκὼς καὶ ἱδρυμένος τοῖς θεοῖς πρὸς θυσίαν. ἐπιτίθενται γὰρ τὰ ἱερὰ περὶ αὐτῷ. Βωμὸν *firmum ac stabilem esse* dicit *Diis positum atque erectum ad sacrificia: ei enim imponi sacra*; victimas scilicet, & cætera quæ numini offeruntur. Eustathius *o* τὸ ἐσχάρας ἀπὸ βωμοῦ discrimen tradens dicit ὁ βωμὸν quidem *extare*, eminere, assurgere, *ac ut sic* (inquit) *dicam adscendere* ἐσχάραν *vero humilem esse, & in terra jacere*. ὁ μὲν (βωμὸς) ὑπερέστηκε καὶ ὡς εἰπεῖν ἀναβέβηκεν. ἡ δὲ (ἐσχάρα) προσγειός ἐστι. Ita & ab hac parte infœliciter grammaticatus est Perronius, dum βωμὸν *altari* opposuit, cui ex enarrata ab Eustathio nominis ratione potius respondet ac congruit. Iam vero quod ille, *p* ut figmentum suum constituat quemdam Ammonij *veteris* Grammatici Græci locum subindicat, in eo quoque frustra est. Locus ille, ut extat vulgo in Lexicis ita mutilus est, ut vix quicquam sani ex eo educi possit. Sed bene accidit, quod eum Eustathius, non nominato auctore, totum extremo in Odysseæ Z. commentario recitat; unde vulgati Ammonij codices sunt emendandi. ἐνταῦθα μνηστέον (inquit Eustathius) τοῦ εἰπόντος, ὅτι βωμὸς μὲν ὁ προσβάσεις ἔχων. ἐσχάρα δὲ ἡ πρὸς βραχεῖαν γινομένη χθαμαλὴ ἐπὶ γῆς. τὰ δὲ πολυτελῆ φασιν, ἑστίαι. μέγαρον δὲ περιῳκοδομημένον ἐστι. καὶ σημαίνει οἶκον. In his Ammonius docet quid sit βωμὸς, quid ἐσχάρα, quid ἑστία, quid μέγαρον; βωμὸν habere gradus, gradibus adiri, adeoque altum esse. ἐσχάραν vero (focum Latinis) ad vitæ usum humi in terra fieri. ἑστίας autem in focorum genere dici, quæ sumptuosa sunt & magnifica; quales scilicet erant foci, qui in Deorum sacris adhibebantur. μέγαρον esse, quod circumædificatum est, & id nomen domum significare. Quid hæc Perronij figmentum juvent, equidem divinare non possum. Quod enim hic ipse ait βωμὸν *excepta basi* cum ἐσχάρᾳ & ἑστίᾳ confundi, id neque Ammonius dicit, neque quod puto, quisquam ante Perronium. Certe vel quod notavit Eustathius eo differunt, quod ἐσχάρα ἐστὶ προσγειος, & Ammonius, ἐπὶ γῆς, *humilis*, *in terra* βωμὸς vero ὑπερέστηκε. Quin & ipse Perronij sermo pæne ridiculus est βωμὸς (inquit) *excepta basi cum* ἐσχάρᾳ *confunditur*. Dum enim sic loquitur eo ipso fatetur aliud esse βωμὸν, longe aliud ἐσχάραν; nisi quis rem extantem & ex basi assurgentem idem esse putet cum foculo humi jacente. Itaque huc eius oratio redire videtur, βωμὸν nisi quod aliud est ab ἐσχάρᾳ, cum ea idem futurum esse. Neque vero huc pertinet, quod Neanthem Ammonius tradit id inter βωμὸν & ἐσχάραν constituisse discriminis, ut βωμὸς Deorum esset: ἐσχάρα, herorum, quamquam & hoc ipsum & Ammonius & Eustathius pariter refutent, affirmantes Sophoclem & Euripidem etiam de Deorum focis ἐσχάραν dixisse. Sophoclis locum non recitant. Euripidis vero versiculum hunc describunt μηλοσφαγεῖτε δαιμόνων ἐπ' ἐσχάραις (sic enim versum exhibet Eustathius) Ubi observandum est Poëtam non simpliciter ἐσχάρας dixisse, sed δαιμόνων ἐσχάρας. *Deorum focos*

n Etymol. Magn. in B.

o Eustath. in Odyss. H. p. 1575. l. 39.

p Perr. ub. supr. p. 219.

ex quo altaria necessario intelliguntur; quia Deorum foci nusquam alibi, quam apud eorum altaria. Itaque quod hic ἐσχάρα *aram* sive *altare* denotat: id profecto non per se primo rectaque significat, quasi ἐσχάρα idem sit quod βωμός, sed ex re adjuncta lectori intelligendum exhibet. Quæ enim ἐσχάρα Deorum erat, non alibi quam apud βωμὸν *altare* erat. Inde vero non sequitur ἐσχάραν re vera atque ex communi vsu idem esse, quod *ara*. Quæ postremo Perronius Cypriani & Chrisostomi affert testimonia, Dominicam mensam, *altaris* θυσιαστηρίου nominibus significantium, ad ea mox *q* respondebitur, & ostendetur illorum Patrum sermonem cum Octavij & Origenis nullas nostris aras fuisse confitentium testimonio nequaquam pugnare: quia hi scilicet quas se habere negant aras, eas proprie, quo sensu id ipsum illis à Paganis exprobrabatur, intelligant (id est aras, in quibus Deo fit externum & proprie dictum sacrificium) illi vero, Cyprianus, Chrysostomus, & alij; quod Christianorum *altare* esse dicunt, id improprie & metaphorice dicunt de mensa Dominica, cujus epulum tametsi proprie sacrificium non sit, eo tamen nomine donari illis Patribus placuit, propter aliquam rerum inter se similitudinem, quæ postea loco suo *r* explicabitur. Cum autem illi nostrorum altaribus Paganorum aras opponunt, res rebus, cultum cultui opponunt; non autem nomina nominibus; quasi vel mensam Domini *aram*, vel aram Paganorum *altare* dici nefas esset (quod sane vel cogitare stultum & absurdum est) Si de domini mensa loquentes, Græci, θυσιαστηρίου Latini *altaris* nomine crebrius utuntur, quam βωμοῦ & *ara*; id propterea vt opinor, accidit, quod duo priora nomina de veri Dei apud Israëlem altari multo sæpius quam aræ & βωμοῦ vocabula in sacris libris reperirent; Atque hujus rei ratio non est vt opinor obscura. Nimitum diu apud nostros sola obtinuit Græca τῶν LXX. Seniorum interpretatio, in qua multo sæpius θυσιαστηρίου quam βωμοῦ vocabulum occurrit, non alia vt videtur de caussa, quam quod θυσιαστηρίου sensum & etymon ipsum ad amussim congruere intelligerent cum Hebraïci vocabuli מזבח mizbeach ratione. Itaque hoc nomine præ cæteris utuntur, idque locis pæne omnibus ponunt, sic putantes suam hanc interpretationem eo propius accedere ad Hebraïcam veritatem, quod verborum, quibus ea constat, non sensum modo, sed ipsam etiam formam ac rationem quodammodo contineat. Vtcumque sit, nihil est mirandum Patres ea potissimum vocabulo gaudere, quo creberrime vsos esse perspeciebant nobilissimos, præcipuæque in Ecclesia dignitatis Scripturarum interpretes.

CAPVT XXI.

q infr. c. 25.

r Ibid. c. 25.

Caput XXII.

Caput. XXII.

Verus Origenici testimonij sensus rationibus constituitur ex re ipsa petitis contra Perronij Sophisticen.

SEd hæc quidem hactenus contra Perronianam de his vocabulis viti-litigationem dicta sunto; ex quibus cum nunc satis constet *aram* Latinis idem esse, quod *altare*; *βωμὸν* Græcis idem quod θυσιαστήριον; apparet falsum esse & absurdam illam adversarij glossam Celsi *βωμοὺς* & Cæcilij *aras*, non de quibusvis, sed de iis tantum altaribus intelligentis, in quibus quæ offerrentur victimæ, eæ cæderentur & incenderentur. Sed præter ipsum verborum sensum, sunt etiam alia in Origenis, Minutij Arnobij, & Cyrilli adductis, quæ obstant, ne illa in hac disputatione ita sumi possint, ut vult Perronius. Ac primo quidem causæ ipsius ratio. Nam & Arnobius adfirmat, & confitetur Bellarminus. Paganos Christianis crimen impietatis ideo affinxisse, quod ii *nullas aras ad officia venerationis fabricarent.* At illi, siqua apud nostros altaria vidissent tametsi ἄπυρα καὶ ἄκαπνα, ad cultum tamen venerationemque numinis constituta; ratio fuisset, cur eos aliter quam suos Græcos & Romanos vulgo ac passim, numen colere putarent; nulla fuisset, cur eos *nullum* numen colere suspicarentur. Vtrique certe Græci inquam, & Romani, qui aram illam Deliam, de qua nuper diximus, posuerant, quique ad eam numen sine cæde sine cruore, sine igne, fumo, ac *nidore* colebāt, eos adeo non putarānt impios, ut etiam *PIOS* vocarent, quod observat Porphyrius, & hanc ipsam illorum aram *PIORUM ARAM* εὐσεβῶν βωμὸν dicerent. Itaque Christianos, qui à Paganis impij ideo habebantur, quod aris carerent, necesse est his etiam ἀπύροις caruisse; non autem iis tantum, in quibus sacra cum igne, foco, & cruore transigebantur. Ex quo intelligimus Paganorum apud Minutium, Origenem, Arnobium, & Cyrillum nullas fuisse nostris aras criminantium hanc omnino fuisse mentem, ut eos significarent aris & altaribus omnino caruisse, tam iis, in quibus focus & ignis est, quam iis, quæ foco carebant. Sed neque aliter accipi possunt Celsi verba, veterrimi nostrorum accusatoris? Priori enim apud Origenem loco, f [illegible] nostros, quod jam est à nobis observatum, Persis, Nomadibus, Afris, & Seribus atheis hoc in crimine æquat. Persas vero & Nomadas, Libyas & Seras nulla plane altaria, sive cruenta, sive sicca, sive accensa, sive frigida numini consecrasse constat ex veterum monumentis. Nemo est, quod sciam, qui eas gentes doceat altaribus non omnibus simpliciter, sed iis tantum caruisse, quæ focum habent. Ergo & Christianos Celsus, quos istis hac in parte exæquat, nullum utriusvis generis altare habuisse liquido certoque intelligit. Cum ergo Perronius, quod eo loco Celsus

f Orig. contr. Cels. L. 7. p. 384.

Celsus de nostris dicit, id Origenem quoque ipsum pro vero concedere confiteatur: illum necesse est hoc præterea confiteri quod nos defendimus, nostros neq; Celsi neq; Origenis temporibus ullum habuisse utriusvis generis altare. Atque hanc fuisse ipsissimam Origenis mentem ex iis, quæ adhunc priorem Celsi locum respondet clare perspicitur. Nam si Christiani a Persis, Seribus & Nomadibus eo hac in parte discrepabant, quod illi quidem omnibus omnino sive aris, sive altaribus carerent, nostri vero altaria haberent, tametsi foci & fumi expertia: Origenes, acutissimus, ac diligentissimus disputator, id imprimis inter utrosque discrimen hoc loco erat observaturus: & Celsum calumniæ postulaturus, qui nostros cum illis barbaris falso & invidiose compararet. Atqui nihil ille adfert hujusmodi. Contra vero Celso quod ille objiciebat, concedens nostros cum istis gentibus hactenus convenisse, quod altaria nulla haberent: longe aliud in medium adducit, quo nostrorum ab istis diversam esse in hac ipsa caussa rationem doceat: hoc nimirum, *t* quod illarum gentium *nemo ideo ab aris & simulacris alienus sit, quod vereatur religionem erga Deum ad huiusmodi materiam ita effictam ac efformatam deiicere ac detorquere.* οὐδεὶς ἐκείνων (inquit) διὰ τὸ ἐκκλίνειν καταστῶν καὶ κατάγειν τὴν περὶ τὸ θεῖον θρησκείαν ἐπὶ τὴν πως αὐτὴν ὕλην οὑτωσὶ ἐσχηματισμένην, οὐκ ἀνέχεται βωμῶν καὶ ἀγαλμάτων. Omnia ergo ex illa materia constituta tam altaria, quam simulacra à numinis cultu removendi, hæc nostris caussa fuit: illis vero à Celso commemoratis gentibus nulla fuit. Origenes ergo apud utrosque factum idem fuisse confitetur: utrosque scilicet altarium substractionem exhorruisse, & ex sacris repudiasse, facti apud utrosque communis caussam fuisse diversissimam: ejus enim nostris quidem rectam certamque rationem constitisse: illis vero gentibus nullam fuisse. Unde id, quod diximus, duplici argumento confirmatur: ac priori quidem, quod ipsum in repudiandis altaribus factum & nostrorum hominum, & illarum gentium, plane ut Celsus, exæquat, neque ullum hactenus quidem, inter utrosque discrimen notat. Cum ergo illas gentes constet nulla plane altaria habuisse, idem quoque de nostris censendum est. Sed idem quoque vincit allata ab Origene ratio, cur nostri altaria in religione repudiarent: ut caverent nimirum ne veri numinis cultum in materias certo modo fictas atque efformatas demitterent atque abjicerent. Hæc enim ratio, tam ἄπυρα altaria, quam aras Perronianas accensas evertit, quod illa scilicet, non minus quam hæ, materia aliqua constent certo quodam modo constructa ac deformata.

CAPUT XXII.

t Id ibid. p. 383.

Iam neque obscurior est Origenis in altero loco sensus, ubi Celso nostros iterum criminanti, *quod aras, simulacra & templa constituere ac dedicare refugiant*, nequaquam id respondet, *u* quod eum ex Perronij figmento reponere decebat, nostros aras quidem accensas ac fumantes aversari: sua tamen altaria habere, sed pura castaque, fumi, cruoris, ac nidoris expertia: Ille vero longe aliter Celso satisfacit, *Celsus* (inquit)

u Orig. L. 8. contr. Cels. p. 400.

Caput XXII.

non animadvertit nobis aras esse justi cujusque mentem, ex qua sursum vere ac spiritualiter emittuntur suaveolentes suffitus; preces è pura conscientia. Quapropter apud Ioannem in Apocalypsi dicitur, Suffitus sunt orationes Sanctorum: & in hymnis Davidis, Fiat oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, Domine. ὐχ ὁρῶν ὅτι βωμοὶ μὲν εἰσιν ἡμῖν τὸ ἑκάστου τῶν δικαίων ἡγεμονικὸν, ἀφ' οὗ ἀναπέμπεται ἀληθῶς καὶ νοητῶς εὐώδη θυμιάματα, προσευχαὶ ἀπὸ συνειδήσεως καθαρᾶς κ. τ. ε. Hæ Christianorum erant illo ævo aræ; mysticæ, ut omnes vident, & allegoricæ, spirituales & mentales. Si quas materiales, proprieque dictas scivisset Origenes, eas hoc loco dicturus erat. Neque ille hic tantum altaribus sive Gentilium, sive Hebræorum ex materia constructis, nostra spiritualia & mystica opponit, sed etiam alibi non semel. Ita ubi de altari Deo à Iosua in monte Gebal ædificato philosophatur, & explicat, quid ei in Ecclesia Christiana respondeat, altaris quidem Missalis, quod hoc loco dicendum erat, si quod jam tum apud nostros fuisset, nullus meminit; in primis vero monet, x *nos qui in Christum credimus lapides vivos* apud Petrum y dici; & paulo post rem ipsam definiens, *Unde ego* (inquit) *arbitror, quod quicumque ex vobis lapidibus vivis apti sunt in hoc & prompti, ut orationibus vacent, & ut die noctuque obsecrationes offerant Deo, & supplicationum victimas immolent, ipsi sunt ex quibus Iesus ædificat altare.* Mox de altaris illius excellentia pauca locutus; *Ego puto* (inquit) *quod forte isti tales lapides integri incontaminati sancti Apostoli esse possint, omnes simul unum altare construere, super quod Iesus sacrificium offerat Patri. Tamen & nos tentemus dare operam, ut eadem dicamus omnes unanimiter unum sentientes, &c. si forte possimus etiam nos effici lapides ad altare.* Cætera non describo quæ in hanc rem sane egregia, latius exsequitur. Sed & in eodem opere terrenæ veterum Israëlitarum hæreditati nostram cœlestem eleganter opponens z *Si veniens* (inquit) *ad Hierusalem civitatem terrenam, ô Iudæe, invenies eam subversam &c. noli flere, sicut nunc facitis, tanquam pueri sensibus; Noli lamentari; sed pro terrena require cœlestem. Sursum respice & ibi invenies Hierusalem cœlestem, quæ est omnium mater. Si ALTARE videris destitutum, nolo contristeris. Si Pontificem invenias, nolo desperes. Est in cœlis altare, & assistit ei Pontifex futurorum bonorum, secundum ordinem Melschisedech electus à Deo.* Hic certe Iudæo pro suo altari destituto ac subverso alterum hic in terris apud nos, imo pro uno plurima ubique terrarum ex lapidibus constituta monstrare debuerat, si ea jam tum erat rei Christianæ conditio, quæ nunc est apud Latinos. Ista enim Iudæus maxime, imo unice requirit. Qui nullum hic hujus generis indicat: qui Iudæum ad cœlum, ubi nobis altare est, amandat: is profecto nullum terrenum norat. Idem nobis Origenes præceptum à Paulo cultum rationabilem atque Evangelicum enarrans, a de Apostolo sic loquitur: *Qui cultus quoniam dudum in pecudum mutarum corporibus consistebat, nunc inquit* (Paulus scilicet) *in corpore rationabilis hominis offe-*

x Id. hom. 9. in Iosu. init.
y 1. Petr. 2. 5.
z Ib. ibid. hom. 17. init p. 321.
a Id. L. 9. in Paul. ad Rom. in c. 12. 1. p. 6-1.

ratur, & corpora vestra magis, quam pecudum fiant sacrificium Deo, atque in sacris ALTARIBUS collocentur. Corpora nostra nullis in altaribus proprie collocari, notum & confessum est. Ergo necesse est altaria illum intelligere spiritualia ac mystica; non adeo Missalia, quæ veri, proprieque dicti nominis altaria esse volunt. Quod vero duobus locis ex Origene contra Celsum allatis Perronius alium quemdam objicit *b* ex homilia in Iosuam decima, in quo *altaris Ecclesiastici ornatum memorari c* videmus, cui & alterum similem locum adjungere licebat in quo *altaris circulus* legitur: *d* Respondeo in primis, etiamsi constaret hæc ipsissima vere esse Origenis verba, facilem tamē futuram eorum solutionem. Nimirum eo tempore scribebat Origenes, quo mensa Dominica *altaris* nomine dici cœperat; sed improprie & metaphorice, quod mox cum bono Deo demonstrabitur. Itaque nihil hæc duo loca obstant, quo minus vere idem auctor negaverit ulla apud suos erecta fuisse altaria, proprie scilicet ac citra tropum dicta. Hæc enim intelligere & Celsum Origenem cum nulla fuisse Christianis altaria, in illa disputatione, ille quidem objicit, hic vero confitetur, clarum est & apud omnes confessum. Sed mihi duo illa ultima loca attentius considerandi vehementer suspectum est *altaris* ibi positum nomen, propiusque vero videtur id Ruffini esse interpretis, quam ipsius Origenis. Hoc enim Homiliarum opus Latine tantum habemus, & quidem Ruffini deterrimi interpretis opera ex Græco conversum. Primo Origenis ævo parum congruit, quod istic legimus *de Ecclesiæ cultu & ornatu*: cum quas ædes postea Ecclesias dixerunt, *oratoria*, & *conventicula* & *cœmeteria* appellarent; necdum usitatum fuisse videtur, ut fideles de suorum oratoriorū altarium ornatu admodum essent solliciti; *Ad Ecclesiam* (inquit, de hypocritis loquens) *veniunt, & inclinant caput sacerdotibus, &c. ad ornatum quoque altaris vel Ecclesiæ aliquid conferunt.* Scilicet is Christianis illius sæculi plærumque sub cruce gementibus labor, ea cura erat! Sed & ipsum altaris nomen dubito an in hoc sensu vere sit Origenis. Tametsi enim Tertullianus primum, & post Cyprianus eo nomine pro Domini mensa, & hic quidem sæpius abusi sint, mihi tamen Græci eorumdem temporum castiores hac in parte serius ac parcius id usurpasse videntur. Scriptores quidem illius ævi & linguæ simpliciter mensam Domini nominant, quam Cyprianus toties *altare* dicit; ut ex Dionysio Alexandrino, Cypriani συγχρόνῳ patet. Cum ergo hunc locum non ab ipso Origene, sed à Ruffino quo vix quisquam fuit audacior habeamus, in vitiandis, interpolandis, & ad sui ævi stilum ac mores inflectendis iis, quos est interpretatus, priscis scriptoribus, equidem Perronium laudare non possum, qui tametsi nihil horum ignoraverit, non dubitavit tamen Ruffinianas nobis voces pro veris ac genuinis Origenis verbis obtrudere.

CAPUT. XXII.

b Perr. Refut. du disc. p. 129.

c Orig hom. 10. in Ios. p. 309.

d Id. hom. 3. in Iud. p. 343.

CAPUT XXIII.

Locorum Minutij Arnobij & Cyrilli verus sensus rationibus ex ipsa auctorum mente, causa, & oratione sumptis contra Latinos firmatur. Unde certo liquidoque adstruitur nulla fuisse veteribus Christianis veri proprieque dicti nominis altaria.

SEd neque Octavius Cæcilio, aliter quam Origenes Celso de aris satisfacit. Cæcilius, quod Christiani templis & aris carerent, eos inde argumentatur numen suum occultare. *Putatis autem* (inquit, Cæcilium & Paganos alloquens *a*) *nos occultare, quod colimus, si delubra & aras non habemus*? Si Christiani aras & delubra habebant, ad hæc Octavius negare debuit se iis carere. Ita plane, liquidoque soluta erat quæstio. Ille-ne ergo hoc negat? Nihil minus. Alia omnia agit. Rem concedit; argumenti consecutionem negat. Quod ergo *nulla templa, nullas aras* habere dicebantur, id pro vero cum adversario eo ipso ait, atque admittit, quod tali loco non negat. Sed ex eo, quod ista Christiani non haberent, negat consequens esse, ut quod colebant, id occultare velle putarentur. Hoc vero probat, allatis aliis, iisque veris causis, cur neque templum, neque aram ei, quem colebant, Deo dedicent atque consecrent. Quas autem affert causas, eæ vincunt ista Deo dedicari, vel iis Deum coli, vel inane esse & à recta ratione alienum, vel etiam nefas. Ex adverso vero quædam ab iis aris & templis, quibus carebant, longe diversa in medium profert, quæ sibi pro templis & aris essent mystica & spiritualia plane omnia. Primo de simulacris; *Quod enim* (inquit) *simulacrum Deo fingam, cum si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum?* Tum de templo; *Templum quod ei exstruam, cum totus hic mundus, eius opere fabricatus, eum capere non possit?* & mox simul semelque de templo & ara; *Nonne melius in nostra dedicandus est mente? in nostro imo consecrandus est pectore?* Hic iste *mentem & pectus*, plane ut supra Origenes τὸ ἡγεμονικὸν, Christianis esse profitetur vice delubri & aræ. Nullum apud suos materiale vel templum, vel altare novit; unam sibi mentem, unum pectus, delubrum & altare esse: sed mysticum utrumque ut omnes vident, ac spirituale. Sed cum *templum & altare* eo Pagani exstruerent, ut Diis sacrificarent, noster etiam absque ullo sacrificio, externo scilicet & proprie dicto, constare docet verum, ac Deo acceptissimum religionis cultum: *Hostias & victimas* (inquit) *Domino offeram, quas in usum mei protulit, ut rejiciam ei suum munus?* His verbis victimas Paganicas, veluti supervacaneas & ineptas à cultu Dei removet. Num ergo in earum locum Missalem hostiam reponit? Fateor, eam si mactari apud suos

a Minut. in Octav. p. 95.

suos scivisset, hic si non aperte edere, significare certe & innuere, quod facillimum erat, necessario debuit. Atqui nihil ille de hujusmodi Sacrificio vel dixit, vel cogitavit. Longe alia Cæcilio suo sacrificia narrat, *Ingratum* esse dicit *Deo rejicere suum munus* (id est ei offerre & sacra facere animalia, fruges, & cætera de genere hoc, adeoque & panem, quæ ipse in usum nostri creavit ac protulit) *cum* inquit, *sit litabilis hostia bonus animus & pura mens, & sincera sententia. Igitur qui innocentiam colit, Domino supplicat; qui justitiam, Deo libat; qui fraudibus abstinet, Deum propitiat; qui hominem periculo subripit, opimam victimam cædit. Hæc nostra Sacrificia; Hæc Dei sacra sunt. Sic apud nos religiosior est ille, qui justior.* Hæc noster Octavius, sane aurea, quibus non minus vere, quam facunde *adorationem illam in Spiritu* est elocutus, qua Christus & Patrem gaudere & suos functuros edixerat. In his nullum sacrificium vides, nisi Spirituale: nullas alias *hostias*, quam *bonum animum*, *puram mentem*, *sinceram sententiam*, His apud Deum vere *litari*; nulla nisi de innocentiæ & justitiæ cultu *libamina*; nullam nisi de fraudium abstinentia, *propitiationem*, nullam nisi de proximi salute & ædificatione, *opimam victimam*. Denique nequid dubites hæc veteres Christiani sua esse Sacrificia ore sui patroni testantur ac profitentur, hoc ipso quod ita fatentur, externa cætera à suo cultu omnia excludentes. Quibus luculentissime id probat Octavius; quod erat concludendum, non ideo suos altaribus ac templis carere, quod Deum suum occultare vellent, sed quod ista ad veram pietatem, verumque Dei cultum esse, ut revera sunt, inutilia putarent. Atque ex his denique patet nullas non modo *aras*, sed neque illa, quæ ab *aris* falso frustraque distinguit Perronius, *altaria* à nostris in cultu divino fuisse adhibita; primo, quod hæc, quæ siqua nostris fuissent, hic memorari & aris repudiatis opponi necesse erat, neque memorat, neque vindicat Octavius; Secundo quod eæ rationes, quibus aras à Dei cultu removet, non minus adversus *altaria* illa, quam adversus aras militent. Cum enim ille Sacrificium externum ac materiale à cultu Christianorum divino omne removeat, neque aliud quam Spirituale admittat; nemo non videt illa Perronij *altaria*, quæ ad illud tantum Sacrum, non autem ad hoc necessaria sunt, æque cum aris, fuisse olim nostris in suis sacris ignota & inusitata. Libelli autem, in quo hæc Octaviana Christianismi adversus Cæcilium defensio habetur, qui auctor est Minutius, is non Origenis & Cypriani (quod Perronius ait *g*) σύγχρονος fuisse, sed diu ante utrumque scripsisse. Videtur; qui scilicet de Frontone Oratore, veluti de homine suæ memoriæ loquitur; *h* Frontonem autem ex Lampridio, *i* Gellio *k* & aliis constat

Caput. XXIII.

g Perron ub. supr p 229.
h Minut. in Octav. p. 23. collat. cum
i Lampr. in Marco.
k Gell. l 19. c. 10. & c. 13.

CAPVT. XXIII. constat sub Pio, & Marco Augustis floruisse circa an. D. 160. & 170. Sed hæc obiter.

Sequitur Arnobij de hac Ethnicorum in nostros criminatione testimonium. Ille vero omnem Perronianæ distinctionis fundum, veluti consulto, evertit ac disjecit. Non enim *aras* tantum cum Minutio, neque *βωμὸς* duntaxat cum Origene, sed etiam ipsa diserte *altaria* apud nostros nulla fuisse, & exprobrantes Paganos inducit, & ipse ultro fatetur. Illos enim *nobis crimen maximæ impietatis affigere solitos scribit*, l quod non *ALTARIA fabricemus, non aras*: Tam *altaria*, quam *aras*: imo *altaria* prius quam aras: criminantur nulla fuisse apud nos. Ipse vero Arnobius non modo non inficiatur: sed ultro, & quidem statim confitetur. Tria erant criminationis capita: Primum, quod nostri nulla templa construerent: Alterum quod non altaria, non aras fabricarent: tertium quod non sacrificarent (Nam quæ de simulacris interjicit, nunc mitto, quod ea à re quam agimus, aliena sint) Ille de *his* tribus simul, semelque satisfaciens: *Hæc quidem nos* (inquit) *cessamus non ideo exædificare, vel facere, tanquam impias geramus & sceleros as mentes, aut aliquem sumpserimus temeraria in Deos desperatiore contemptum: sed quod Deos arbitramur & credimus* (*si modo Dii certi sunt, & nominis hujus eminentia præditi*) *honorum hæc genera, aut risui habere, si rideant, aut indigne perpeti, si motibus exasperentur irarum.* Nostros, quod objiciebant Pagani, ipse rotunde fatetur, *cessare* exædificare templa, & altaria, facere Sacrificia, libamina, incensa. Illud vero, quod iidem calumniabantur, negat; hæc scilicet nostras ex impietate, vel aliquo in numen contemptu, ex sua religione abjecisse, atque repudiasse: sed certa, rectaque ratione, quod ista arbitrarentur numini ridicula ac sua majestate indigna videri. Paulo post n idem disertissime, negat se suosque vel Deo ipsi optimo maximo quem unum colendum docebant ac credebant, quicquam istorum in cultu religioso exhibere, *Numquid enim* (inquit) *delubris, aut templorum eum constructionibus honoramus? Numquid hostias cædimus? Numquid res alias damus, quas libare, profundere non est rationis expensæ, sed tracti per consuetudinem moris?* His verbis exserte negat nostros Deum vel templo, vel sacrificiis, vino, frugibus salsis, neque adeo altari, colere. Hæc enim ultima paulo ante memoraverat omnia, tanquam ad altaria & aras pertinentia. Hic se Perronius deprehensum sentiens frontem commasculat, & Arnobium affirmat p *altaria* sensu Paganico pro *aris* dixisse, eaquę voce Deorum *focos* significasse. Quid isto homine feceris, qui momento instar Vertumni, in varias formas *mutatur*, *hic aiens quod tantillo ante* negaverat, Paganos nostris exprobrasse, non quod *altaribus*, sed quod

l Arnob. l.6. init. p.237.

m Id ibid. p. 238.

n Id. ibid p. 239.

o ibid p.237.

p Perr. ub. supr. p. 230.

quod *aris* carerent, & *aram* Latinis, *βωμὸν* Græcis aliud esse quam *altare*, *θυσιαστήριον*: Frustra affert *succensa* Arnobio alibi dicta esse *altaria*; quasi quisquam neget plæraque passim apud Paganos altaria focum, æque ac aras, habuisse; imo vel hinc constare potest futile fuisse, quod iste frustra statuere conatus est inter aram & altare discrimen. Vtraque suum ignem, suumque focum vel habebant, si sacrificia ea offerebantur, quæ vel omnino, vel partim cremanda essent; vel non habebant, si *ἄπυρα* & *ἄκαπνα* sacra fierent. Nihil in eo erat inter aram & altare discriminis. Cum ergo utriusque generis sacrificia apud Ethnicos fierent, apparet focum non fuisse aræ magis, quam altaris proprium; utrumque adeo nomen tum apud Ethnicos, tum apud nostros id significasse super quo sacrificium fiebat, sive cum foco & igne, sive absque eo. Sed Perronius Arnobium quo tempore hoc suum opus conscripsit, ut testimonij ejus fidem elevet, observat q ex Hieronymo r adhuc fuisse *Catechumenum nondum mysteriis initiatum*; *nondum adeo de altaribus & sacrificiis edoctum*. Hæc ille. Ego vero causam alicujus forte futuram fuisse momenti confiteor, si de ratione, materia ac forma sacrificij ageretur; ad cujus scilicet inspectionem nemo nisi initiatus ex veteris Ecclesiæ disciplina admitteretur. At nunc id tantum quæritur, an altare, quale hodie Latinorum est, Arnobij jam ævo in solenni Ecclesiæ usu esset. Ad id autem explorandum, nihil Arnobium necesse fuit esse initiatum. Satis fuit eum & oculis esse præditum, & in locis, vbi Christianorum synaxes fiebant, aliquando versari. Cum enim altare ex ipsa, qua constat, materia & forma, satis se intuentes quid sit, doceat; profecto si qua fuissent illo tempore in Christianorum conventiculis altaria (ut fuisse necesse est, si Eucharistia nunquam nisi in altari ministrata sit) id Arnobius vir doctissimus, licet adhuc Catechumenus, nescire non potuit. Fateor, qui in eo ordine adhuc erant, iis non licuisse interesse mysteriis, quod me supra non semel dixisse memini. Sed convenire in locum, vbi celebranda erat synaxis, ibique ad Catechumenorum Liturgiæ finem consistere licebat; adeoque loci formam, & partes, & siquid in eo esset altarium, pernoscere. Non est ad rem appositius, quod addit Perronius, Arnobio ei vel initiatus fuisset, non ideo liberum futurum fuisse altaria & sacrificia Christianorum Paganis revelare. Ille vero, dum ita decernit, dupliciter peccat, primo, quod gratis ponit doctrinam de sacramentis Ecclesiæ, jam Arnobianis temporibus in arcano fuisse habitam, ut postea seculo quarto adulto, & quinto toto observatum fuisse confitemur. Secundo quod quo tempore stetit illa de mysteriis disciplina, nefas fuisse putat hominem initiatum Pagano vel significare vel verbo tantum confirmare altaria apud nostros fuisse; quasi id foret scilicet arcani Ecclesiastici fidem prodere; quod quam sit absurdum ac pæne, ridiculum, omnes ni fallor, satis intelligunt.

CAPVT XXIII.

q Ibid.
r Hier. in Chron.

Tertius superest Paganicæ de altari criminationis auctor, ac testis

Caput XXIII.

Iulianus Apostata. Vt Arnobiani Ethnici futilem Perronij de *ara* & *altaris* apud Latinos distinctione exceptionem refellebant; ita hic Iulianus frivolam ejusdem de βωμῶ & θυσιαστηρίου apud Græcos discrimine cavillationem egregie confutat. Vt enim illi Arnobiani nostros, non modo aras (quod concedit Perronius) sed etiam (quod ille negat) altaria nulla fabricasse testabantur; ita etiam Iulianus desertor, non modo βωμὺς (quod idem Perronius annuit) sed & θυσιαστήρια *nulla Deo erexisse* (quod idem ille Perronius aversatur) liquido tradit: s *Neque enim* (inquit Iulianus, Christianos alloquens) *Abrahamum imitamini aras* (βωμὺς) *Deo excitantes, & altaria* (θυσιαστήρια) *ædificantes.* Neque contra Cyrillus pugnat. Respondet t enim nos etiam *nunc melius, quam olim sub lege veteres sacrificare*; sed quæ nobis tribuit *sacrificia*, spiritualia esse, ad quæ offerenda nullis aris aut altaribus ex materia constitutis opus est, & hic innuit, cum ait *nunc patefacta veritate verum cultum* τὴν ἀληθῆ λατρείαν *obtinere debere*, & jam supra disertius atque fusius erat executus; quo loco non *ignem sensibilem, sed Spiritum Sanctum ex Patre per Filium descendere* præfatus, addit u de eodem Spiritu; *Illuminat* (inquit) *Ecclesiam, & victimas quoque à nobis accipit spiritales nimirum & intellectuales*, πνευματικὰς δηλονότι καὶ νοητάς. Et Christianorum cultum statim dicit *spiritualem & intellectualem esse. Offerimus enim* (inquit) *Deo in suavitatis odorem omne virtutis genus, fidem, spem, caritatem, justitiam, continentiam, obsequium, & obedientiam, glorificationes indesinentes, & reliquas virtutes. Deo enim simplicissimo, & ab omni penitus materia semoto hoc materia quoque expers sacrificium prorsus convenit, & honeste ac recte vivendi rationes sunt intellectualis fragrantiæ oblationes.* Hæc ille plane, ut nuper Minutianus Octavius. Hoc vero sacrificiorum genus non modo nullas aras requirit: sed ne illa quidem tam solerter à Perronio conficta altaria desiderat: ut non sit mirandum, quod qui hæc tantum apud nostros agnoscit sacrificia Cyrillus, Iuliano neganti βωμὺς & θυσιαστήρια aras & altaria Deo à nostris excitari, hac quidem in parte nequaquam contradixerit. Denique ad hæc accedat insigne Radulphi Tungrensis de altarium in Christianismo novitate testimonium: *Sixtus II. qui cœpit an. Dom. 261* (inquit) *constituit, ut Missa super altare celebraretur; QVOD ANTEA non fiebat.* Ad illud ergo tempus nullius fuit altaris apud nostros vsus.

s Apud Cyril. L. 10. contr. Iulian. p. 354. B.
t Ibid. p. 356. B.
u Ibid. p. 343. B.C.D.

CAPVT

CAPUT XXIV.

Solvuntur duo Pauli loca, quæ adversarij pro suo altari afferunt. I. ex 1 Cor. 10.18. II. ex Hebr. 13.10. Ostenditur in priori mensam Domini comparari, non cum altari Iudaico vel Paganico, sed cum mensa, ad quam in hoc vel in illo immolata comedebantur; In posteriori vero altaris nomine Christum ipsum intelligi.

SEd antequam ad alia progrediamur, hic refellenda sunt, quæ ab adversariis pro suis altaribus objiciuntur. Primo Paulum *x* adducunt in priori ad Corinthios epistola comparantem mensam Domini cum mensa Iudæorum & Gentilium: indeque argumentantur, cum illorum mensa verum ac proprie dictum fuerit altare, idem quoque de Domini mensa statuendum esse. Sed plane futilis est hæc argumentatio. Nam ut illud mittam, quod omnibus notum est, non idem necessario eorum esse proximum genus, quæ inter se comparantur, cum inter res diversorum alioqui generum aliquam tamen intercedere similitudinem nihil vetet, cujus ratione eæ inter se comparari possunt: ut ex probatissimorum, imo & divinorum auctorum usu atque exemplis patet, in eo vehementer peccant adversarij, quod id pro vero & indubitato sibi sumunt, quod liquido falsum est. Vnde enim habent, quod aiunt *y Paulum hic apertissime comparare mensam Domini, unde sumimus Eucharistiam cum altari Gentilium, ubi immolabatur idolis, & cum altari Hebræorum, ubi immolabantur carnalia sacrificia vero Deo?* Ita-ne vero? Probari debuerat id postulatum: non autem pro vero id negantibus obtrudi. Atqui hoc clare refellunt ipsa illa Apostoli verba, quibus id *apertissime* contineri volunt. Ille primo de Hebræorum: mox de Gentilium sacris verba facit. De Hebræis: *z Videte* (inquit) *Israël secundum carnem; Non ne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Hoc autem eo affert, ut quod posuerat, illustret ac confirmet, nos, qui pane apud Ecclesiam fracto vescimur, eo Dominici corporis participes esse: *Panis* (inquiebat) *a quem frangimus; non ne participatio corporis Domini est?* Verba allata cum his proximis contendenti patet hic ab Apostolo, non *mensam nostram* (quod falso sumebat adversarius) sed *Domini corpus* cum altari Hebræorum comparari. Id enim, cujus participes sunt qui Eucharistia vescuntur, comparatur cum altari, cujus erant participes Hebræi hostias suas edentes. Atqui nos, dum Eucharistia vescimur, Paulus docuit ac dixit *esse participes*, non *mensæ*, sed *corporis Dominici*. Vnde colligas licet *corpus Domini altare esse*, non repugnabo. *Mensam Domini-*

x 1. Cor. 10. 18. 21.

y Bell. L. 1. de Miss. c. 14. §. Ex his verbis.

z 1. Cor. 10. 18.

a Ibid. vers. 16.

Caput XXIV. mini, altare esse vere proprieque dictum, tu quidem hinc nunquam recte concluseris. Paulus eo loco fateor, Christianos Hebræis comparat; illos Eucharistia vescentes; his hostias suas edentibus his altari hostias suas edendo, participantibus; illos Eucharistia vescendo Dominico corpori communicantes. Hæc apud Apostolum clara sunt; ex quibus omnes vident inscitam & à Pauli mente & verbis alienam esse adversarij sophisticen sua somnia sacro scriptori audacter affingentis. Sin dicat Hebræos hostias suas apud altare comedisse; Ergo & mensam apud quam pane Eucharistico vescimur, ipsam quoque altare esse; negabo, quod iste nunc quoque temere ac falso sumit, Hebræos apud altare hostias suas odisse, ut nos apud mensam Domini pane sacro vescimur. In altari hostiam suam offerebant, atque immolabant Sacerdotes Hebræi; Hostia cæsa & ipsi & alij non apud altare, sed apud mensas seorsum ab altari vescebantur epulantes. Non enim ad vescendum & epulandum, sed ad victimam sanctificandam & immolandam positum ac comparatum erat altare; quod vel ipsa ejus forma præter disertissimum Dei institutum satis docet. Altare enim prioris quidem templi altum fuisse decem cubitos ex sacris litteris *b* discimus; secundi vero quindecim, quod Iosephus docet. Vtriusque altitudo, maxime vero posterioris, quod Pauli temporibus stabat, quantopere à vera & legitima mensæ altitudine abhorreat, quamque ad epulandum inepta fuerit omnes vident; nisi forte *Paulini seculi* homines gigantes fuisse finxeris, tantæ proceritatis, ut iis mensas ad accumbendum apponi oportuerit altas quindecim cubitos. Mitto quod ad epulandum apud sanctissimum illud altare quosvis etiam de plebe infima quotidie ac promiscue admissos fuisse, ab omni veri specie procul est. Eadem quoque est eorum ratio, quæ Paulus de Gentilium idolothytis scribit; *d* *Non potestis (* inquit *) mensæ Dominicæ participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Primum rogo te, cur tam nostram, quam Gentilium *mensam* dixerit Apostolus, si utramque verum altare fuisse sciebat? Certe *altare Domini*, *& altare dæmoniorum*, quam *mensam* dicere non erat credo difficilius; sed multo futurum erat clarius, tutius, & omni ex parte appositius. Nam *mensæ* nomen de eo, quod proprie altare est, dicere absurdum est & insuetum. Ergo vel hic Apostoli sermo Eucharistiam non fieri fatetur in altari proprie dicto; quod si verum esset scilicet, incredibile est Apostolum non fuisse altaris potius quam mensæ nomen hoc loco usurpaturum. Huc accedit, quod *mensam dæmoniorum*, id est eam, in qua apponebantur & edebantur carnes hostiarum dæmoniis immolatarum, *altare* fuisse gratis & præter omnem rationis ac veri speciem fingitur. Quis enim putet altaria, quæ non ab aliis quam à sacris hominibus tractabantur, quibusvis ad epulandum concessa fuisse, ut iis pro mensis convivalibus uterentur? Non cohærent ista

b 2. Paral. 4. 1.
c Ioseph. de bell. Iud. l. 6. c. 6. (Lat.) 14. (G.) p. 918. D.
d 1. Cor. 10. 21.

ista cum Paganorum in altaria sua religione. Quid quod illi sua idolothyta sæpe solerent domum deferre, eaque, vel aliquam certe eorum partem vanum dare, vel domi privatis epulis una cum amicis consumere? Erant-ne hæ domesticæ mensæ, in quibus ista convivis apponebantur, veri quoque nominis altaria? Nugæ. Clarum est victimas immolatas quidem fuisse in altari; ibidem ex iis apud ipsum altare epulatos esse qui obtulerant, nequaquam probabile est. Nulla ergo ratione possunt ex his à Paulo commemoratis mensis Latinorum *altaria* educi atque conformari.

CAPUT XXIV.

Alterum quoque huc Bellarminus torquet *e* ex epistola ad Hebræos locum; *f Habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Sed Bellarmini hac in parte constantiam primum desidero; qui alibi de his ipsis Apostoli verbis ita scribit; *Existimant* (inquit) *aliqui, ut Haymo & alij nonnulli graves auctores improbabiliter mensam Domini expresse vocari altare, Hebr. 13. Habemus altare &c. Tamen quia non desunt ex Catholicis, qui eo loco per altare intelligunt crucem, aut ipsum Christum; non urgeo ipsum locum.* Sed & alibi etiam validius suum hoc ipse argumentum evertit, negans *altaris nomen usurpare Apostolos*; quod falsum est, si Paulus in his ad Hebræos verbis altaris nomen eo nunc vult adversarius sensu, pro suo Missali altari posuit. An vero quis *non improbabiliter* ex iis, quæ falsa sunt, argumentari possit, judicent quibus sanum est sinciput. Sed missis adversarij ἀντιλογίαις, ad rem ipsam venio. Nihil ergo hunc Apostoli locum ad Missale Latinorum altare pertinere. ipse ejus sermo statim docet. Altare enim de quo loquitur, hujusmodi est, ut ex eo edere Christiani fideles possint, qui tabernaculo scilicet Mosaïco non deserviunt. At neque Missaticum altare, neque cætera ejusdem generis ex lapide, vel alia materia similis constructa hujusmodi sunt, ut ex iis quisquam edere possit. Ergo altare, de quo hic Apostolus, neque Missaticum, neque aliud est ejusdem cum Missatico generis. Itaque nomen à Paulo positum omnino sit ad aliud diversi generis altare referendum est; quod ejusmodi sit de quo edere pij quidem & sinceri Christiani possint; non possint, qui veteri tabernaculo deserviunt. Recte ergo & apposite illi Catholici, quos ait. Bellarminus *Christum ipsum* in hoc altari intelligere; divinum ac cœleste nostrum altare, ita comparatum, ut eo omnes pij vescantur; quod ipse fuse docet sexto Ioannis capite. Nota sunt, quæ ipsi Latini in suo Pontificali verissime tradunt; *i Altare quidem sancta* (inquiunt) *Ecclesiæ ipse est Christus teste Ioanne, qui in Apocalypsi sua altare aureum se vidisse perhibet ante thronum, in quo & per quem oblationes fidelium Deo Patri consecrantur.* Idem in breviario fatentur k *Dominum nostrum Iesum Christum altare, hostiam, & sacerdotem nostrum esse.* Origenes multis ante eos seculis scripserat Christum ipsum *esse & sacerdotem & hostiam & altare.* Etiam ante Origenem Irenæus *altare nostrum* ex eo in cœlis esse colligebat, *m* quod illuc *preces nostræ, & oblationes dirigantur*; Altare auté in cœlis præter Christum, nullum est.

e Bell L. 3 de Eccl. triūph. c. 4. § Probatur igitur.
f Hebr. 13. 10.
g Bell. L. 1. de Miss. c. 14. & Ex his verbis.
h Id. L. 1. de Miss. c. 14. §. Ex his verbis.
i Pontif. Rom. Part. 1. De Subdiac. p. 25. B.
k Brev. R. d. 9. Nov. lect. 4.
l Orig hom. 8. in Ios. p. 303.
m Item. L. 4. c. 34. extr.

Caput XXV. De eo se loqui Paulus hoc ipso significat, quod illud *nostrum esse* dicit; opposite & *ἀντιδιῃρημένως* ad Iudaïcum sive Mosaïcum altare. Sic enim ille soler rerum veteris testamenti nomina spiritualiter ac mystice, intelligenda esse significare. Verbi gratia, Pascha res erat veteris testamenti; agnus scilicet ille, qui quotannis certo ritu mactabatur & comedebatur. Sed ubi Paulus Pascha dicit *n nostrum*, id jam non de agno illo animali secundum litteram, sed de Christo per illum olim Agnum figmento, secundum spiritum accipiendum esse demonstrat, *Pascha* (inquit) *nostrum immolatus est*, *vel immolatum est pro nobis Christus. τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη ὁ χριστός.* Sic *Christi circumcisio* (id est nostra, nobis ab auctore Christo tradita) eidem est, *o* non vetus Iudaïca, carnalis & in figura; sed, ut ipse eleganter definit, *non manu facta* (*ἀχειροποίητος*) *exspoliatio* (non præputij, exiguæ carnis particulæ, sed totius) *corporis carnis*. Ita & hic, quod *nos* (Christianos) *habere*, sive quod *nostrum esse* dicit *altare*, id non Mosaïcum, vel ejusdem cum Mosaïco ingenij (id est materiale & figurativum) intelligi vult; sed mysticum, spirituale, & figuratum; quod nullum aliud esse potest, quam Christus Iesus, pro nobis *peccatum & maledictio factus*, id est immolatus, *ad iustitiam & sanctificationem nostram*, ad cibum & refectionem & vitam æternam. *Ex eo altari* merito, & profecto eleganter eos vesci negat, qui adhuc post exortum Evangelij Solem veteres umbras consectantur, & in *escis illis* Mosaïcis (de quibus superiore versu dixerat *p*) veras fastidientes ambulant.

n 1. Cor 5.7.

o Col. 2.11.

p Hebr. 13 9.

CAPUT XXV.

Solvitur Latinorum pro suis altaribus argumentum inde petitum quod Tertullianus, & alij post eum Græci Latinique Patres omnes mensam Domini ARÆ & ALTARIS nominibus significare passim solent. Id ei nomen non proprie, sed metaphorice tributum esse tribus rationibus probatur; quarum tertia inde ducta est, quod iidem passim omnes rem eandem mensam dicunt; idque multis exemplis probatur.

ITa jam constat apud sacram Scripturam nullum exstare Missalis altaris vestigium; neque ullum aliud Christianorum altare in ea memorari, quam cœleste; id est Christum ipsum in cœlis existentem; *in quo & per quem* (ut inquit Pontificalis Latinorum liber) *oblationes fidelium Deo Patri* consecrantur. Nunc ad scriptores Ecclesiasticos veniamus, qui post Apostolorum tempora vixerunt. Bellarminus ex eo censu primum objicir *q* Canones Apostolorum; in quibus dicit *apertam esse c. 3. & 4. altaris mentionem ad Eucharistiam offerendam erecti*; Tum Dionysium Areopagitam, *qui* (inquit) *capite 3. Ecclesiastica hierarchia altaris meminit.* Ego

q Bell. L. 1. de Miss. c. 16 §. Ac primum.

viro nego Canones, quos nobis iste obtrudit, esse Apostolorum: Nego Ecclesiasticam Hierarchiam à B. Dionysio Apostoli Pauli discipulo, fuisse conscriptam; sed Canones quidem sub initia quarti seculi, Hierarchiam vero vel quinto eunte, vel in eunte sexto seculo in lucem prodiisse; idque nos utrumque propria disputatione demonstravimus; r & habemus ex ipso Latinorum sinu viros eruditissimos ea de re nobiscum fere usquequaque consentientes non paucos.

CAPUT. XXV.

r L. de Pseudep. Apost. L. 4 & L. 1. de Scriptis Dion. & Ignat. sup. pos.

Tertullianum deinde citat Bellarminus; tertium de altaris antiquitate testem; quem constat sub exitum secundi seculi ad annum tertij circiter 18. floruisse. Itaque vel ex ipsa adversarij defensione intelligimus *altaris* non modo rem, sed ipsum etiam nomen nullo in usu fuisse apud primam atque antiquissimam ad ad tertij propemodum seculi initia Ecclesiam. Novum ergo fuit, quod seculo tertio apud nostros in aliqua Christiani cultus parte audiri cœpit *altaris* nomen. Non ita fuerat ab initio; & quod est à doctissimo viro Matthæo Bocharto nostro vere ac solerter observatum Tertullianus ex omni verorum Ecclesiasticorum scriptorum choro primus est apud quem illa in sermone novitas occurrit. Duo ex eo loca Bellarminus attulit. Priorem locum ex libro de Pœnitentia s ubi *inter alia* (inquit) *humilitatis pœnitentium signa numerat presbyteris advolvi, aris Dei adgeniculari.* Sed hunc ille locum omittere poterat. Quas enim istic *aras* invenit, eæ non Tertulliani, sed corruptoris manu ibi exstructæ sunt. Tertullianus quod habet vetus Agobardi codex, quodque restituit non modo Rigaltius, sed etiam ante Rigaltium Pamelius, ita scripserant, inter cæteros ex homologeseos actus, hos quoque recensens, *presbyteris advolvi, &* CARIS *Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere.* Quibus *caris Dei adgeniculari* dixerat, eos *fratres* statim dicit; & quorsum iis pœnitentes adgenicularentur docet, ut iis nimirum *legationes deprecationis suæ iniungerent,* Itaque hoc quidem in loco Bellarminus nihil habebat, unde suas *aras.* vel ut mavult Critica Perroniana, *sua altaria* instauraret. Alterius loci alia fateor, ratio est. *Nonne* (inquit t Tertullianus) *solennior erit Statio tua, si & ad aram Dei steteris?* Eum refellit, qui fidelem stationum diebus jejunantem non putabat *orationibus sacrificiorum* (id est orationibus semi jejunij, & Eucharistiæ, quæ stationem hora nona claudebat) intervenire debere; Et mox iterum Eucharistiam *sacrificium* dicit: *Accepto* (inquit) *corpore Domini, & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificij, & executio officij.* Quem ergo actum sacrificij *nomine* donat, non est mirandum, quod ei & cætera sacrificij adjuncta, ex consequenti impertiatur. Actus, *sacrificij*; id super quo ministratur actus, *altaris* nomen omnino eadem ratione sortiuntur: non quod proprie vel Eucharistiæ actio, *sacrificium*: vel *mensa*, ad quam ea fit, altare sit; sed quod illæ cum his aliquam habeant similitudinem. Rigaltius ad Cyprianum; u *Quid fecerit, quid docuerit Christus, Evangelia narrant: nec aliud Corinthiis suis tradidit Paulus. Quod in Cœna Christus instituit, Christiani dein sacrificium* appella-

s Tertull. de Pænit. c. 9. p. 146. D.

t Id. de orat. c. 14.

u Rigalt. ad Cypr. ep. 63. Notat. p. 92. init.

Caput XXV.

appellavere, & sacræ Cœnæ ministros, sacerdotes. Ita est profecto. Res est à Christo; Rei nomen à Christianis qui post Apostolorum obitum vixerunt. Quid Christus instituerit, ex Evangelistis & Paulo patet; apud quos nullum *sacrificium*; nullum *altaris*, aut sacerdotis vestigium cernitur. Hæc ergo nomenclatura tota est ab ævi Tertullianei hominibus, qui pro humani ingenij vanitate Christi se instituta exornaturos ac commendaturos putarunt; Si ea honestioribus, & apud Gentes æque ac Iudæos acceptioribus vocabulis appellarent. Quam ergo Evangelistæ & Paulus *cœnam*, hi nostri *sacrificium*; quam illi mensam, hi *altare*; quos illi ministros Presbyteros, Episcopos, hi *sacerdotes*, ἱερέας, ἀρχιερέας vocarunt. *Levitas* quidem proprie dici hujus sacramenti ministros, nemo tam stultus est, qui putet. Cur absurdius est, qui *presbyteri* sunt eos ἱερέας *sacrificos*, vel quæ mensæ sunt, eas *altaria* dici? Atqui Patribus tam familiare est Diaconos *Levitarum*, quam presbyteros *sacerdotum*, aut mensas sacras altarium nomine significare. Non ergo magis ex his sequitur vel presbyteros esse veri nominis sacerdotes, vel mensas sacras proprie dicta altaria, quam ex illis Diaconos esse veros absq; ullo tropo Levitas. Atqui hoc *Levitarum* nomine Diaconos non proprie, sed figurate ac per quemdam sermonis tropum significari omnes consentiunt. Nihil ergo vetat, quin illa altera *sacerdotum* pro presbyteris, & *altarium* pro sacris mensis posita nomine nō proprie, sed metaphorice propter aliquam rerum inter se similitudinem usurpari atque intelligi dicantur. Quod eo quoque magis est admittendum, quod & alias tam sacrificij quam *altaris* nomen improprie ac figurate & à divinis, & ab Ecclesiasticis auctoribus, non raro, sed frequentissime usurpatum reperiamus. Sacrificij quidem nomen fidelium precibus, gratiarum actionibus, eleemosynis, jejuniis, cæterisque pæne omnibus pietatis ac caritatis actibus, ab utriusque scriptoribus tribui omnes confitentur, nihil ut in eo probando immorari necesse sit. Iam vero altaris nomen, etiam aliis extra sacram synaxin rebus dari notum est; quale illud est, in cœlis mysticum apud Ioannem *x* altare aureum, quod est ante thronum Dei; de cujus igne dicitur *Angelus implevisse thuribulum* * Neque aliter credo, quisquam reperit, quod vidua, *Ecclesiæ altare* in Polycarpi, & Ignatij epistolis & in Clementis Constitutionibus *y* vocatur; vel quod ait *z* Clemens Alexandrinus *altare nostrum in terris esse eorum congregationem, qui precibus vacant, z animam iusti esse sanctum altare:* βωμὸς ἅγιος ἡ δικαία ψυχή: vel quod Origenes scribit *b altare esse cor hominis fidelis:* eodem quo ab eodem alibi sensu dictum esse supra observavimus τὸ ἡγεμονικὸν *mentem esse altare Christiani hominis*; vel denique quod etiam nunc Latini Græcorum πρόθεσιν *altare* vocant; quam veri nominis altare esse nemo putaverit qui norit in ea nullum proprie dictum sacrificium offerri vel immolari. Cum ergo hæc sacrificij & altaris nomina tam multis aliis rebus figurate tribui videamus, quæ cum proprie, & univoce dictis sacrificiis atque altaribus nihil habent commune: nemo ut opinor, negabit ex eo quod sacræ Eucharistiæ mensa sæpe apud Patres *ara* vel

x Apoc. 8. 3. 5.
* Polyc. ep. Philip. p. 17.
† Ignat. ep. ad Talis.
y Constit. L. 3. c. 6 p. 892. B.
z Clem. Alex Strom. L. 7 p. 717. A
a Ibid C.
b Orig. Tract. 25. in Matth p. 123. & l. 8. contr. Cels. p. 400.

vel *altaris* nomine significetur, minime sequi, ut mensam illam Patres senserint veri proprieque dicti nominis esse altare. Atq; hanc hujus nominis homonymiam sive ambiguitatem recte alibi observavit *c* ac distinxit Bellarminus; ubi eam sententiam refellens, quæ vult *sacrificium proprie dictum esse opus bonum, quod fit, ut sancta societate inhæreamus Deo, sive ea se sit opus virtutis, sive non*, contra eam sententiam ita argumentatur; *Altare & sacrificium relativa sunt. Non est autem altare proprie dictum necessarium propter omne opus bonum, nec propter omnes cærimonias, quibus Deum colimus. Non igitur est sacrificium proprie dictum omnis ejusmodi cærimonia, seu opus bonum* Hic istum vides cavisse, ne altare in sua propositione nude ac simpliciter diceret, quam sciret, si ita generaliter pronuntiaretur, negatum iri: Multa enim dici altaria metaphorice, in quibus quæ fiunt sive cærimoniæ, sive bona opera, non ideo tamen pro sacrificiis proprie dictis censeri debent. Itaque ut hanc exceptionem occuparet, consulto dixit *altare proprie dictum non esse necessarium propter omne opus bonum* &c. Qua distinctione hic adhibita apertissime concedit, *ad aliquod bonum opus*, vel *ad aliquam cærimoniam* necessarium esse altare non proprie, sed improprie & figurate dictum, quæ non ideo tamen proprie sacrificia censenda sint. Nunc ergo ex hac, ipsius Bellarmini praxi approbata, vocabuli *altaris* homonymia, clare detegitur ejusdem contra nos de Patrum circa hanc quæstionem sententia disputantis sophistice dum ex eo, quo Patres sese ad Eucharistiæ celebrationem altaribus uti significant, supponit ea fuisse proprie dicta altaria, atque adeo hinc concludit Eucharistiam esse sacrificium proprie dictum. Sic enim pariter concludere possem aliqua fieri in cœlo sacrificia proprie dicta & quæ viduis datur eleemosynæ eas esse sacrificia proprie dicta, & quæ à Græcis in sua Prothesi fiunt cærimoniæ eas, eodem quoque numero ac censu habendas, & sic de cæteris, quæ in iis rebus fiunt, quas Patres altarium aliquando nomine donant; quod quam stultum ac delirum sit, omnes vident. Itaque Bellarminus, ut sua Missatica altaria apud veteres fuisse ostenderet, Patrum loca adducere debuerat, in quibus Eucharistica mensa non simpliciter *altare* vel *ara* sed veri proprieque dicti nominis *altare & ara* diceretur. Atqui ne demonstrare quidem aggressus est id mensæ Dominicæ nomen univoce ac proprie tribui: sibi scilicet conscius id non posse ex Patribus demonstrari.

CAPUT XXV.

c Bell. L. 1. de Miss. 5. c. 2. §. Sext. argum.

Nos vero facile ostendemus illa *altaris & ara* nomina improprie & æquivoce ei rei tribui, super qua conficitur, & ex qua distribuitur Eucharistia. Inprimis id ex superiori disputatione manifestum est: in qua Octavium, duosque alios testes Tertulliano juniores audivimus, & his longe recentiorem Cyrillum nullas Christianos aras, nullaque altaria habuisse, vel diserte confitentes, vel certe id objectantibus Paganis minime inficiantes. Nisi ergo istos cum Tertulliano, Cypriano, & aliis innumerabilibus posteriorum seculorum scriptoribus irreconciliabiliter pugnare statuamus (quod est incredibile) fatendũ eos de re una eademque, non eodem, sed alio atq; alio sensu loquutos esse: Illos nimirũ negasse

Caput XXV. Christianis ulla esse altaria, proprie & univoce dicta; hos vero *altaria* Christianis, sed improprie & æquivoce dicta attribuisse. Secundo cum horum trium *sacrificij, altaris, & eius qui altari deservit* mutua quædam inter se relatio sit, nexusque inviolabilis; si *altaris* nomen proprie in hac causa de mensa Eucharistiæ dixerunt Patres: necesse est ab iisdem altaris ministros proprie dictos fuisse sacerdotes & Levitas. Ergo cum hos *Levitas* improprie dictos fuisse constet propter aliquam duntaxat eorum cum Mosaïcis in gradu ministerij similitudinem: fatendum est cætera quoque vocabula improprie fuisse usurpata: *sacerdotis* quidem ad Presbyterum significandum, quod apud nos eodem loco ac gradu sit presbyter, quo apud Israëlem erat sacerdos: *Sacrificij* vero ad significandum Eucharistiam, quod hæc fieret ex oblationibus populi, Deoque benedicenda offerretur, & quidem in Dominici sacrificij apud crucem peracti memoriam: ut olim sacrificia Mosaïca ex rebus ab Israële oblatis fiebant, Deoque offerebantur, & quidem ad Christi sacrificium obscure ac veluti in typo repræsentandum: *Altaris* denique ad mensam nostrā designandam, quod in ea Presbyter sacrum panem reponat, frangat, ac benedicat: ut victimas Aaronicus sacerdos in altari. Neque hic mihi quisquam responset satius esse, ut Patres qui *altaria* sibi esse aiunt, proprie: qui vero negant, improprie locutos esse censeamus, quam contra. Tu vero negantes, si hoc sensu negasse dixeris, eos apertissime mentitos fuisse finxeris: & quidem eo impudentius, quod Octavius & Origenes in hoc ipso suæ disputationis articulo affirmant ac profitentur nostros habuisse hoc altarium improprie ac metaphorice dictorum genus: mentem scilicet, animum, τὸ ἡγεμονικὸν, ut supra ostendimus. Cum ergo hoc quod confitentur nulla sibi fuisse altaria, nullas aras non possit nisi de altaribus proprie & univoce acceptis vere dici: omnino consequens est illud quod nos diximus, ut alios qui *altarium* apud nostros meminerunt, eos de altaribus non proprie, sed æquivoce ac figurate sic dictis hæc locutos esse, necessario statuamus. Tertio id ipsum inde aperte intelligitur, quod *mensæ* nomen (etiam postquam de ea *ara & altaris* elogium in usum Ecclesiæ irrepsit) apud nostros mansit. Origenes, qui post usurpatum in hac re à Tertulliano *ara* nomen vixit, *spiritualem mensam, cibum spiritualem, & Dominicam cœnam* de hoc sacramento dicit: *d* his *Iudam à Christo dignificatum fuisse* observans ad exaggerandum ejus scelus; Tum de eodem, *e Magistrum* (inquit) *cum cibo divinæ MENSÆ & calicis & hoc in die Paschæ tradidit*: Et, *Tales sunt omnes*, inquit, *in Ecclesia, qui insidiantur fratribus suis, cum quibus ad eandem mensam corporis Christi, & ad eundem potum sanguinis eius frequenter simul fuerunt*. Dionysius Alexandrinus Origenis, tametsi paulo junior, σύγχρονος, de fideli communicaturo loquens, cum dicit, *f* non ad *aram* vel *altare*, sed ad *MENSAM adstare, & ad manus ad suscipiendum sacrum cibum porrigere*. τραπέζῃ παρεστάναι καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείνειν. Idem in epistola canonica de mulieribus quo tempore in mēstrua purgatione versantur: *g Neque ipsas* (inquit) *arbitror, si fideles sint ac piæ*

d Orig. tract. 33. in Matth. p. 175. extr.

e Ibid. p. 176. init.

f Dion. Alex. apud Eus. Hist. L. 7. c. 9. B.

g Id. ep. ad Basil. id. T. 1. Bibl. Patr. Gr. L. p. 908. C.

sic affectas, ausuras vel ad sanctam MENSAM accedere; vel corpus & sanguinem Domini attingere. οὐδὲ γὰρ αὐταὶ οἶμαι πεσὲ ἔτως ἦ δὲ ἀσεβεῖς ... οὕτω διακειμένας, ἢ τῇ τραπέζῃ τῇ ἁγίᾳ προσελθεῖν, ἢ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ προσάψασθαι. Eusebius Cæsariensis; *h huius* (inquit) *sacrificij* (à Christo in cruce oblati) *memoriam per symbola corporis eius, & sanguinis salutaris in mensa celebrare accepimus.* τούτου δῆτα τοῦ θύματος τὴν μνήμην ἐπὶ τραπέζης ἐκτελεῖν διὰ συμβόλων τοῦ τε σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ σωτηρίου αἵματος παρειληφότες. Et paulo post sacramentum vocat *i augusta* vel *veneranda MENSÆ Christi mysteria*, τὰ σεμνὰ τῆς χριστοῦ τραπέζης μυστήρια. Athanasius directionem Ecclesiæ Alexandrinæ describens; *k Subsellia* (inquit) *thronum, MENSAM, quippe quæ lignea erat, vel Ecclesiæ, & cætera quæ poterant, foras elata combusserunt.* ἁρπάσαντες τὰ συμψέλλια & τὸν θρόνον καὶ τὴν τράπεζαν. ξυλίνη γὰρ ἦν, καὶ τὰ βῆλα τῆς ἐκκλησίας, τά τε ἄλλα ὅσα ἠδυνήθησαν ἀνενέγκαντες ἔκαυσαν. De iisdem alibi, *l In sacrosanctam mensam* (inquit) *quanta impietas! quantaque facinora commissa!* ἐπὶ δὲ ἁγίας τραπέζης ἡλίκη ἀσέβεια καὶ παρανομία γέγονε; Gregorius Nazianzenus de suis civibus, qui ipsum acciverant ut presbyter fieret; *m Vos me* (inquit) *convocastis, atque huic sacrosanctæ mensæ adstrinxistis.* ὑμεῖς με καλέσαντες ἦκετε, καὶ τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ προσδήσαντες. Sic impiorum in Christianos dira facinora perstringens, inprimis censet *n* in hoc numero *flagitia circa sacras ædes commissa, & sacrarum MENSARUM contumelias, & mysticè pocula furiosè contaminata.* τὰς εἰς τὰς ἱερὰς τραπέζας ὕβρεις. Idem quo Præfectum quemdam molliret, & ad lenitatem in cives inflecteret, ei inter alias mysterij partes *sacram hanc MENSAM* (in Ecclesia enim dicens eam digito monstrabat) in medium adducebat, *o ad quam* (inquit) *communiter accedimus.* τὴν τράπεζαν ταύτην ἧ κοινῇ προσίομεν. Chrysostomus, *Nemo: qui inimicũ habet, accedat ad sacrã MENSAM & corpus Christi accipiat* μηδεὶς τὸν ἔχοντα ἐχθρὸν προσίτω τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ, καὶ δεχέσθω τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου *q Operam demus ac omnia faciamus, ut sine inimicis ad sacram mensam adstemus.* σπουδάσωμεν καὶ πάντα ποιῶμεν, ὥστε χωρὶς ἐχθρῶν παρεστῆναι τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ. Alibi *r* auditores cohortans, ut se ad sumptionem Eucharistiæ summo studio præparent: *Nam hæc* (inquit) *mensa vicem explet præsepis* (in quo scilicet Christus recens natus) ἡ γὰρ τράπεζα αὕτη τάξιν τῆς φάτνης πληροῖ. Et statim iterum; *s Si cum his muneribus accesseris, multa cum fiducia frueris sacra hac MENSA.* ἂν μετὰ τούτων προσέλθῃς τῶν δώρων, μετὰ παῤῥησίας ἀπολαύσῃ πολλῆς τῆς ἱερᾶς ταύτης τραπέζης. Idem alibi *t* eadem de re verba faciens: *Adest MENSA regia; adsunt Angeli ministrantes mensæ, adest Rex ipse: & tu stas oscitans?* τράπεζα πάρεστι βασιλική. ἄγγελοι διακονούμενοι τῇ τραπέζῃ. αὐτὸς πάρεστιν ὁ βασιλεὺς καὶ σὺ ἕστηκας χασμώμενος; Ibidem paulo post: *u Quomodo mansisti, & mensæ non es Particeps?* πῶς ἔμεινας καὶ οὐ μετέχεις τῆς τραπέζης; Sic & eadem homilia extrema *x* ad Psalmi CXXVII. novellas olivarum alludens, iisque fideles comparans; *Fortes sunt* (inquit) *& validæ, ut sint omnes in circuitu mensæ.* ὥστε πάντας ... γενέσθαι.

CAPUT. XXV.

h Euseb. L. 1. Demonstr. c. 10. p. 39. A.
i Ibid. B.
k Athan. ep. ad uir. Sol. ag T. 1. p. 848. D.
l Id. ep. ad Orth. ibid. p. 945. D.
m Greg. Naz. Or. 2. p. 47. B.
n Id. Or. 4. p. 110. B.
o Id. Or. 17. p. 275. C.
p Chrys. Hom. 22. quæ de sedit. & ira. T. 1. p. 255. C.
q Ibid. p. 260. E.
r Ibid. p. 357. c. Hom. 31. de s. Philog.
s Ibid. p. 357. D.
t Id. Hom. 3. in Eph. p. 887. D.
u Ibid. p. 888. C.
x Ibid. p. 889. D.
y Id. Hom. 27 in 1. Cor. p. 297. D.

Caput XXV.

γνίαζ κύκλῳ τῆς τραπέζης. Idem alibi indigne communicâtem objurgans: Talis (inquit) *mensa fuisti particeps* τραπέζης μετέχεις ταύτης. Item quibus communicare non licebat, eos ait *y sacrosanctæ mensæ esse non posse participes* τοὺς οὐ δυναμένους τῆς ἱερᾶς μεταχεῖν τραπέζης. Et paulo post; *z* βάπτισμα ἕν ἐστι καὶ τράπεζα μία. *Baptisma unum est; & mensa una.* Denique & in alio opere, *a Non ego quidem maiori copia, vos vero minori participes sumus sacra mensa, sed utrique eum similiter tangimus.* μετέχομεν τῆς ἱερᾶς τραπέζης. Theodoretus: *b Una omnibus mystica mensa proponitur, & quilibet credentium equali parte fruitur.* μία πᾶσι μυστικὴ προτίθεται τράπεζα. Iobius Monachus libro VI. de Verbo incarnato, capite 25. ut habetur *c* apud Photiū, *Corpus Dominicum in sacra MENSA proponitur*, τὸ Κυριακὸν σῶμα ἐπὶ τῆς ἱερᾶς τραπέζης προτίθεται. Ita Græci. Idem stilus in Latina Ecclesia mansit. In ipsa Africa, ubi Tertullianus primum, & exinde Cyprianus *ara & altaris* nomina usurpare cœperunt, iis tamen viventibus & diu post eos, *mensa* nomen ejus rei proprium vulgo apud nostros fuisse, in qua panis Domini benedicebatur, & ex qua sumebatur, ostendit *MENSÆ CYPRIANI* titulus apud Carthaginem ei mensæ à plebe fidelium primo inditus, & ad Augustini usq; tempora superstes, quæ in eodem loco posita erat, ubi sanctissimus Martyr olim passus erat; quod Augustinus non semel memorat, *d Mensa* (inquit) *Deo constructa tamen mensa dicitur Cypriani non quia ibi est unquam Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus, & quia hac immolatione sua paravit hanc mensam, nō in qua pascat, sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur.* Si, quo tempore illa mensa primum exstructa est, jam tum *altaris* nomen ita usitatum apud nostros fuisset, ut postea fuit & nunc est; illa profecto non mensa, sed *ara* vel *altare Cypriani* dicta esset, ut nunc & multo superioribus jampridem seculis in similibus causis factum fuisse videmus. Sed quia *altaris & ara* nomina, ei quæ proprie mensæ & erat & à principio dicta fuerat non aliter quam per allusionem ad res Iudaïcas, non tam ob ipsius rei ingenium, quam ob aliquam similitudinem, non ab Apostolis, aut ab Ecclesia iis proxima, sed à singularibus scriptoribus, puta à Tertulliano, & Cypriano, qui ejus scriptis imperite gaudebat, in usum invecta erant; inde acciderat, ut primum ac proprium *mensa* nomen, etiam tum apud nostrorum plebem hæreret; *altaris* elogium vulgo esset Ignotius. Itaque Latini æque pæne ac Græci, id nominis in hac re crebro adhibuerunt. Ambrosius, *e Ubique mysterij ordo servatur; ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur: postea alimonia mensa cœlestis exuberet.* Item alibi; *f Mystica quoque mensa ieiunio comparatur: illa mensa de qua dicit David: Parasti in conspectu meo mensam.* Mox; *g Ad mensam illam venerabilem ieiunia sancta nos perducant.* Augustinus: *h Peccatione (inquit) facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici.* Eos alibi à *mensa Dominica separari* dicit *i*, qui ob mores perditos subjiciuntur pœnitentiæ. Item alibi scribit *k* prolatum à

Melchi-

y Id. Hom. 18. in 2. ad Cor. p. 674. B.
z Ibid. p. 675 A.
a Id. Hom. 4. in 2. ad Thess. p. 391. A.
b Theodoret. Dial. 1. p. 25. E. T. 3.
c Phot. Bibl. cod. 222. p. 31 . lin 10.
d Aug. Serm. 113. de divers. c. 2. 11.
e Ambr. L. 6. In Luc in Luc. c 9. p. 1708.
f Id. de Hel. & ieiun. c. 10 in p. 1127. B.
g Ibid. c.
h Aug. ep. 59. ad Paulin. ad Quæst. 5. T. 2. p 114. D.
i Id de 8. Quæst. ad Dulcit. T. 4. p. 283. A.
k Id. ep. 95. p. 263. A.

Melchisedeco *mensa Dominica* sacramentum. Idem: *l Sacramentum* (inquit) *unitatis corporis & sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica MENSA preparatur, & de MENSA Dominica sumitur.* Item de Martyribus: *m Ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt.* Idem apud Bedam *n* Sermone de fidelium &c. feria Paschæ secunda: *Iam in nomine Christi tanquam ad calicem Domini venistis, & ibi vos estis in MENSA, & ibi vos estis in calice.* Item in alio sermone; *o Qui uxores nondum habetis, & tamen ad mensam Dominicam jam acceditis &c. servate vos uxoribus vestris.* Sed & Eucharistiam idem vocat *sacramentum mensæ Dominicæ*: & infra in eodem libro pro Eucharistiæ communione dicit *q participationem Dominicæ mensæ.* Item quoque de parvulis verba faciens, *r Infantes sunt* [inquit] *sed mensæ ejus, (Christi) participes fiunt.* Idem de superbis loquens: ** Adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine ejus.* Extat inter Augustini opera liber contra Fulgentium Donatistam, cujus scriptor, quisquis de cætero fuerit, eodem quoque modo loquitur; *s Dixisti tuum esse baptisma, tuum oleum sanctum, tuam mensam Dominicam.* Neque sequens Latinorum Ecclesia ita loqui desiit. Patres Toletani an. Dom. 693. *t Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quod quidam Sacerdotum &c. non panes mundos & studio preparatos supra MENSAM Domini in sacrificio offerant. Mensam* vocant, quam paulo post *altare* dicunt. Non aliter *panis in altari Domini proponitur, nisi integer & nitidus.* Humbertus Cardinalis, qui circa an. Dom. 1054. floruit; de azymis lapide paratis, aut argillæ superpositis, *u Hæc* [inquit] *ad magnam Christi mensam non accedunt*: id est ad altare, ut ex iis fiat Eucharistia. Ivo Carnotensis: *x Illa singularis hostia, &c. per novi sacerdotij ministros in Domini mensa quotidie consecratur.* Hildebertus, *y* de sacerdote celebrante; *Nec prius in mensam demittit* [hostiam elevatam scilicet] *quam tua Christe, Verba repræsentans explicet ista super.* Sed nullus erit finis, si omnia persequi voluero. Est enim mensæ vocabulum omnibus Græcæ Latinæque Ecclesiæ scriptoribus in hoc sensu familiarissimum. Itaque hoc specimen abunde est; maxime cum viri apud Latinos celeberrimi hoc quod nos probare instituimus verissimum esse fateantur: ut Iacobus Sirmondus, scriptor ex Iesuitico sodalitio longe eruditissimus, qui ad titulum cujusdam Sermonis Augustiniani præferentem eum dictum fuisse *ad mensam Cypriani, id est* [inquit] *z ad altare S. Cypriani. Mensam enim altare dicebant; ut Græci* τράπεζαν. Ipsi sane Latinorum sacri Rituales libri eo etiam nomine suum altare interdum significant; ut in altaris consecratione; *a Præsta* [oratio est ad Deum] *ut in hac mensa sint libamina tibi accepta.* Iterum in eadem prece de suo altari verba faciens Episcopus; *b Sit Ecclesia tua titulus sempiternus: sit mensa cœlesti spiri-*

CAPUT XXV.

l Id. Tract. 26. in Ioan. p. 94. B.
m Id. ibid. Tract. 84. p. 185. B.
n apud Bed. in 1. Cor. 10. 17 p. 305.
o Aug. Serm. 46. de verb. Dom. c. 2. D.
p Id. l. 1. de pecc. mer. & remiss. C. 20. p. 282. B. col. 2.
q Ibid. c. 24. p. 184.
r Id. Serm. 8. de verb. Apost. c. 6. p. 110. B.
* Id. ep. 120. c. 27.
s Aug. contr. Fulg. Donat. c 15.
t Conc. Tolet 16. c 6. T. 5. Conc. gen. p 4 0.
u Humbert. contr. Nicet. in Append. T. 11. Bar. p. 967. C.
x Ivo Carn. ep 142 p. 60.
y Hildeb. de offic. Miss. T. 3. Bibl. Patr. p. 102. extr.
z Sirm. ad 26. Sermonum 40. quos edidit. T 10. Aug. p. 852.

a Pont. Rom. Part. 2. De ded. Eccl. p. 275. A. *b* Ibid. p. 278.

Caput XXV.

tualique convivio præparata. Idem alibi; c *Adesto Domine de lectiori huius mensæ tuæ.* Equidem non nego sacram hanc mensam à Tertulliano & scriptoribus citeriorum ab eo temporum, non modo *altare* (quod falso & infœliciter, ut multa alia, hariolatur futilis Perronij critica) sed etiam aram promiscue fuisse vocatam. Atque eo pertinent indicata à Bellarmino d testimonia, primo ipsius Tertulliani, Cypriani, qui Tertullianum, sicuti magistrum discipulus, hic & in aliis non paucis, imitatus hac nomenclatura vehementer gaudet ac plurimum vtitur, Pseud Apostolicorum Canonum collectoris, Eusebij, Optati, Gregorij vtriusque, Nazianzeni & Nysseni, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Pseud-Areopagitæ Dionysij; de quibus nihil necesse est sigillatim dicere, quod istos & alios longe plures vltro confiteamur illis vocabulis mensam Dominicam, quod volunt Latini, sæpe significare. Tantum contendimus illos auctores non proprie, sed figurate & metaphorice ob rationes supra explicatas ita esse locutos. Idque, quod jam diximus, inde patet, quod iidem auctores rem eandem haudquaquam parcius *mensam* appellarint, quod ex iis, quæ attulimus, clarius est, quam ut possit negari. Nam quicquid philosophetur vel Bellarminianum, vel Perronianum acumen, nunquam profecto efficiet, ut non sint *ara & mensa* res sua natura, forma, fine, & usu diversissimæ. In ara Deo sacrificatur; in mensa cibus convivis apponitur, & benedicitur, & ex ea ad vescendum sumitur. Iam vero non possunt duarum rerum inter se natura & forma diversarum nomina uni eidemque subjecto proprie ac univoce attribui. Cum ergo res his duobus *ara* sive *altaris*, & *mensa* nominibus significatæ plurimum inter se natura & forma, quod notum est, differant; omnino fatendum est non posse ea de uno eodemque subjecto ambo proprie ac univoce pariter dici. Vnde sequitur horum nominum alterum non proprie & univoce, sed improprie, ac ut scholæ loquuntur, æquivoce & metaphorice ei rei tribui, de qua in Eucharistiæ negotio dicitur, Atqui manifestum est & per se notum, eam rem in qua Eucharistia conficitur, & ex qua à communicantibus sumitur, vere, proprie, ac univoce *mensam* & esse, & dici, ad quam scilicet accumbitur, in qua panis & vinum ad vescendum apponuntur, & ex qua à convivis sumuntur. Quod confirmatur primo ex prima rei origine, atque institutione. In qua enim mensa Christus hoc sacramentum instituit, eam veri proprieque dicti nominis *mensam* fuisse, certum atque indubitatum est; apud quam & Paschalis cœna prius à Christo & Apostolis discumbentibus erat celebrata, & mox panis & calix Eucharisticus appositi, benedicti, & Apostolis convivis, etiam discumbentibus, distributi atque sumpti sunt: hoc uno à nostris usitatis ac convivalibus discrimine: quod mensa illa quidem sacra, hæ communes: illa religiosa, hæ humanæ ac profanæ sunt. Id ipsum secundo ex sacris Hebræorum, atque Gentilium ritibus illustratur. Nam apud utrosque patet ex eorum monumentis aras, in quibus victimæ & hostiæ immolabantur,

c Ibid. de alt. consf. p. 299. col. 1.

d Bell. L. 1. de Miss. c. 16. §. Ac primum.

ab

ab iis mensis distinctas diversasque fuisse, in quibus epulæ sacræ ex immolatitiis fiebant, ut nuper contra Bellarminum & Tridentinos demonstravimus Hebræorum & Gentilium aras in sacras quidem, sed tamen convivales mensas perperam, ac præter ipsam rerum naturam, veterumque librorum fidem dolo an errore crasso transformantes. Denique cum horum duorum *ara & mensa* nominum, quæ uni eidemque subjecto à Patribus tributa fuisse perspicimus, alterum de eo proprie, alterum improprie dictum esse necesse sit; quando id subjectum proprie mensam dici & per se pateat, & vero demonstratum sit; profecto relinquitur, ut alterum, nempe *altare* de eo improprie à Patribus dictum fuisse confiteamur. Scio Latinos suis *altaribus*, quæ proprie sic dici volunt, *mensæ* vocabulum ipsos quoque interdum tribuere. Sed hoc illi faciunt absurde, ac præter omnem rationem, quod eorum pace dictum sit, ex solo iniquissimæ causæ studio, ne videantur ab antiquitatis stilo & sermone, cujus se religiosissimos esse discipulos gloriantur, discedere putentur. Si esset iis liberum ex veris, non ex præceptis opinionibus, rem quæ quæritur, expendere; viderent profecto, quicquid eorum scholæ de his philosophantes garriant, *mensæ* & altaris veram atque essentialem formalemque (ut loquuntur) rationem nequaquam posse in unum idemque subjectum convenire.

CAPUT XXVI.

CAPUT XXVI.

Mensas Dominicas, etiam postquam aræ & altaria *dici cœperunt, ligneas tamen & quidem ejus forma, cujus hodie mensæ sunt, diu fuisse demonstratur ex Athanasio, ipso Latinorum Breviario, Optato, Socrate, Ruffino, Augustino.*

SEd præter veram atque intimam rei, de qua quæritur, rationem, ipsa quoque ejus materia, ac forma, quæ qualisque apud veteres fuit, liquido vincit eam veri nominis mensam fuisse; non fuisse proprie dictum altare, quale suum Latini instituunt. Ipsi quidem suum lapideum aut marmoreum esse jubent. Hæc enim una est ex capitalibus Missalis disciplinæ regulis; *e Altare, in quo sacrosanctum Missæ sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, & ab Episcopo consecratum; vel saltem ara lapidea, similiter ab Episcopo consecrata, in eo inserta, quæ tam ampla sit, ut hostiam & majorem partem calicis capiat.* Duo in Eucharistico illo altari requirunt: Prius ad materiam pertinet; posterius ad formam rei interiorem: Illud, ut sit lapideum; hoc, ut sit ab Episcopo certis ritibus consecratum. Neque enim quivis lapis altare est; Is demum altare & est & apud eos dicitur, qui est ab Episcopo rite consecratus. Itaque inter defectus in ipso ministerio occurrentes hunc secundum differre censent, *f si Missa celebretur in altari non consecrato.*

e Miss. Rom. Rubr. gen. Miss. c. 20. §. 1.

f Ibid. de defect. Miss. c. 10. §. 1.

Iam

Caput XXVI. Jam quod ad prius pertinet, constat ex quo tempore Patres cœperunt mensæ Dominicæ *altaris* nomen, in hoc antea sensu apud nostros inauditum, tribuere (id est à secundo Christianismi extremo seculo) illa ipsa, ut vocantur *altaria*, non lapidea, quod Missale Romanum præcipit, sed lignea, fuisse, qualia scilicet jam ab initio antea fuerant. Athanasium de suis temporibus, testem habemus omni exceptione majorem, cujus nuper g disertas voces recitavimus affirmantis h *ligneam fuisse Alexandrinæ Ecclesiæ mensam*, eamque ab Arianis crematam fuisse narrantis, *Lignea enim erat* (inquit) ξύλινη γὰρ ἦν. *Mensam* quod omnes fatentur) eam intelligit, in qua Eucharistia conficiebatur, id est eam, quam alias *aræ* vel *altaris* nominibus significari jam tum receptum erat. Data enim est illa epistola, in qua hæc Athanasius scribit, diu post Constantini mortem, imperante & Catholicos diris modis vexante Constantio, post an. D.352. Sed nullis apud Latinos ea de re testibus opus est, quam ipsi disertissime tradunt in suo Breviario; i *Cum* (inquiunt) *a S. Petro usque ad Silvestrum, propter persecutiones, Pontifices certo loco consistere non possent, quocumque eos necessitas compulisset, sive in crypta, sive in cœmeteria, sive in ædes piorum, super illo altari ligneo, ad arcæ similitudinem concavo, sacra faciebant.* Inde narrant illud ipsum altare ligneum, in quo Ecclesiæ Romanæ Episcopi ad illa usque tempora (id est ad an. Dom. circiter 315.) quin etiam ipse si eis credimus, Petrus, sacra omnes retro fecerant, à Silvestro ad rei memoriam servatum, & in Lateranensi basilica collocatum, sed ea lege, *ne quisquam in eo præter Romanum Pontificem Missam deinceps celebraret.* Cæterum simul semelque decrevisse Silvestrum, *ut deinceps nisi ex lapide, altaria non ædificarentur.* Hæc Breviarium; cujus apud Latinos fides publica ac sacra est. Nos ligneam quidem apud Romanos & cæteros Christianos ad illud tempus fuisse Dominicam mensam admittimus. Quod aiunt, ut ea fuerit olim altaris materia, factum esse propter persecutiones, id ipsi de suo commenti sunt; à nullo probato & indubitato antiquitatis scriptore traditum. Et hoc suum ipsi figmentum paulo ante refellebant, ubi affirmabant k *jam ab Apostolorum tempore loca apud nostros fuisse Deo dicata, quæ à quibusdam Oratoria, ab aliis Ecclesiæ dicebantur, ubi collectæ fiebant per unam sabbati, & Christianus populus orare, Dei verbum audire, & Eucharistiam sumere solitus erat.* Nam si persecutiones, tametsi gravissimæ, minime ita non prohibuerant, quo minus certis locis *oratoria & Ecclesiæ* Deo ad cultus sacros ibi peragendos, quod illi aiunt, dedicarentur; nullam eædem persecutiones necessitatem afferebant altaria lignea potius, quam lapidea fabricandi. Imo altarium, quam Oratoriorum eo facilior erat exstructio atque dedicatio, quo illorum quam horum moles multo minor est; ita ut Ecclesias & oratoria certis locis extruere ac dedicare multo sit operosius, ac locis temporibusque hujusmodi periculosius, quam aram in iisdem

g Supr. c.25.
h Athan. ep ad solit. vit. ag. p. 848. d.
i Brev. Rom. d.9. Nov. Lect.6.
k Ibid. Lect. 4.

iisdem erigere ac consecrare. Iesuitas quidem, quamtumvis dira ac immanis Iaponum persecutio minime deterruit ab altaribus apud eos sacrandis, quamdiu istic fuerunt. Veterum autem Christianorum minorem fuisse, quam hodie Iesuitarum est, vel in res divinas zelum, vel in cavenda hostium invidia solertiam ac industriam mihi fateor non sit verisimile. *Portatilia* istorum altaria mitto, quibus caruisse veteres vel ex hac Breviarii traditione clarum est. Sed quæro, cur hæc nulla habuerunt veteres, si eorum in altaria religio eadem jam olim erat, quæ nunc Latinorum est? Neque enim credo, de veterum ingenio tam male sentiunt Latini, ut iis desperent rem inventu tam facilem in mentem venire potuisse. Quid ergo est? inquis; cur tu majores nostros lignea potius, quam lapidea maluisse putes altaria? Breviter dicam, ac vere; quia quas *aras* vocari placuit, eæ re vera mensæ erant, quas ut notum est, mos & usus hominum & fuit olim, & nunc est, ligneas vulgo fieri, non lapideas. Tum & illud in Breviario displicet, quod sic rem narrent, quasi post Silvestrum mensæ Dominicæ, (præter Lateranensem illam, non tam ad usum præsentem, quam ad præteritorum memoriam, reservatam) omnes lapideæ fuerint; quod est liquido falsum. Nam Alexandriæ, nobilissima post Romanam Ecclesia, etiam circa a.D.350. annis post Silvestri illud, quod dicitur decretum, multis, haud certe paucioribus, quam triginta, ligneam adhuc fuisse *mensam* constat ex Athanasio. Ac ne putes Alexandriæ, proprium si forte ac singularem illum lignearum mensarum usum fuisse, docet esse post a.D.360. Optatus Mileviranus Episcopus, Athanasio junior, eundem adhuc tum fuisse nostrorum in sua Africa morem. Is enim Donatistarum in Catholicorum altaria furores describens ea dicit *l* schismaticos illos *aut rasisse, aut fregisse, aut removisse*. Ac dum hujus in altaria tam diversæ sævitiæ causas quærit, obiter quos fuerit eorum materia aperit; *Vt æstimo* (inquit) *alio loco copia lignorum frangi jussit; Alio, ut altaria raderent, lignorum inopia imperavit; Vt removerentur, ex parte verecundia jussit.* Sic enim interpungendus locus. Sensus est, quibus locis magna erat lignorum copia, in iis altaria Donatistas fregisse; nihil pensi habentes materias servare, quarum vilis apud se erat annona. Quibus vero locis ligna vel nulla, vel certe rara essent, ibi rasa tantum altaria, servatum ad usum materiam ob pretium. Denique alibi non fracta, ac rasa quidem, sed remota tantum ex Donatistarum ædibus, quadam verecundia, ne si in altaribus sacrificarent, quibus usu etiam Catholici, hoc ipso communicare iis viderentur, à quibus secesserant. Iam quid istic facit lignorum in locis, ubi in altaria Donatistæ sæviebant, vel *copia* vel *inopia*, si altaria lapidea erant? An lapides sunt ibi viliores, ubi magna est lignorum copia? An illic cari, ubi magna horum inopia? Nugæ. Stupet, qui hinc non intelligit Afrorũ altaria fuisse illis temporibus lignea; quæ frangerẽtur quidem, ubi materia illa abundabat; ubi vero deerat, servarentur, rasa

CAPVT. XXVII.

Optat. l. p. 94. init. l.

Caput XXVI.

tantum ad ignominiam superficie. Mox etiam auctor idem apertius demonstrat, cum ignem, quo aqua calfieret, qua vinum temperaretur à perditis hominibus bibendum, quorum operas Donatistæ ad altaria evertenda conduxerant, ex particulis altarium accensum fuisse significat; m *Calida* (inquit) *de fragmentis altarium facta est, ut* (quod ante dixerat) *perditorum conducta multitudo vinum in mercedem sceleris datum immundo ore, Sacrilegis haustibus biberet.* Ergo lignea fuerant illa altararia, de quorum accensis fragmentis *aqua fiebat calida.* Ex lapideis enim fragmentis nihil huiusmodi fieri potest. Denique hanc Optatus de fractis altaribus contra Donatistas causam perorans, n *Quis* (inquit) *nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri? Inter ipsa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum. Aut si tactu potuit penetrari velamen, ergo penetrantur & ligna. Si penetrari possunt ligna, penetratur & terra. Si à vobis lignum raditur, & terra, quæ subter est, fodiatur. Altam facile scrobem, dum pro vestro arbitrio quæritis puritatem. Sed observate ne veniatis ad inferos, & illic inveniatis Core, Datan & Abirã schismaticos, magistros scilicet vestros.* His verbis Donatistarũ scelus ostendit cũ apertissima insania conjunctum fuisse, qui *raderent lignum* (id est summam altaris superficiem) ne ejus quod à Catholicis tractatum erat, contactu manuum suarum puritatem scilicet violarent; cum tamen manifestum sit in peragendis mysteriis, non ipsa ligna ex quibus constructum erat altare, sed velamen, quo ligna cooperiebantur, tangi solere. Sin tactu velaminis, ipsum lignum maculari, ideoque radi debere putarent; eadem ratione terram, in qua steterat altare, ipsam quoque lignorum macula infici, & pari de causa fodiendum esse, ut purgetur. Ex his patet etiam quarto sæculo jam provecto, imo pœne præcipiti, diu post Silvestri mortem, Romani de lapideis altaribus si istis credimus, Legislatoris, lignea fuisse non modo Alexandriæ, & in Ægypto, sed etiam in Africa, Christianorum altaria. Hugo Menardus ex his Optati locis eadem quæ nos, ipse quoque argumentis iisdem colligit: * *fuisse scilicet ea tempestate lignea Afrorum Christianorum altaria.* Vnde intelligimus, siqua vere Silvestri fuit de altaribus lapideis lex, eam Romanæ Ecclesiæ propriam, adeoque particularem fuisse; non fuisse totius Ecclesiæ communem, sive universalem. Novum ergo est, non ab initio, in ipsa Roma, ne à tertio quidem sæculo, in cæteris vero Ecclesiis ne à quarto quidem sæculo, institutum id, quod Latini nunc sequuntur, ut lapidea sint altaria, in quibus Eucharistia consecratur, utque eam nefas sit in ligneis consecrari. Quod vero addit Romanum Breviarium, vetus illud ligneum altare, in quo Romæ sacra ante Silvestrum fiebant, *ad arcæ similitudinem concavum fuisse*; id, inquam, *non congruit cum iis, quæ in historia Ecclesiastica leguntur.* *Narrat enim* Socrates Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum de concertatione cum Ario futura vehementer sollicitum, orationibus & jejuniis vacantem, se *solum in Ecclesiam occlusisse, & progressum in Sacrarium* (id enim hic, ut alibi sæpe significat, quod in Græco habetur,

m Ibid.

n Ibid. p. 95.

* H. Menard. Not. in Greg. l. Sacr. p. 197.

o Socr. Hist. l. 1 c. 37 (Gr. ed. fol. 190.)

habetur συναςήρισε *se ipsum sub sacram mensam pronum in os profudisse, sive extendisse, ac lacrymantem oravisse.* Ita enim Græca habent ὑπὸ τὴν ἱερὰν τράπεζαν ἑαυτὸν ἐπὶ στόμα ἐκτείνας; non autem quod Christophorsonus exhibet, *p CORAM sacra mensa humi se in faciem prostravit.* Atqui ὑπὸ τὴν ἱερὰν τράπεζαν, *SVB sacram mensam*, aliud est opinor, quam *coram sacra mensa.* Ita quoque Ruffinus eandem de Alexandro historiam aliquot ante Socratem annis narrans; *q Tum ille* (inquit) *nocte qua ad constitutam intererat d em, SVB altari jacens, atque in oratione & lacrymis totam pervigilem ducens Ecclesiæ causam Domino commendabat. Altare* dicit, quam Socrates *Sacram mensam* postea nominavit. Cæterum diserte ipse quoque *SVB altari*; non, quod Christophorsonus pro hodierna suorum altarium forma vafre substituit *coram altari.* Vnde promptum est intelligere illud quod dicitur *altare* quarto sæculo, quo Alexander, & quinto, quo Ruffinus & Socrates vixerunt, non fuisse *concavum*, id est ex omni parte à summo ad imum ita conclusum, vt tamen interiora, quæ sub tabula erant, non solida, sed vacua & inania essent, qualis est arcarum quadratarum forma, sed plane ad instar mensarum convivalium, tabulam fuisse ligneam qnadratam quatuor fulcris ad angulos superstratam, ita ut sub ea inter illos angulos spatium pateret ex omni latere apertum, quod hominem humi prostratum facile caperet. Itaque hactenus quidem illorum temporum, quod jam tum dicebatur, *altare* nihil aliud re vera fuit, quam mensa proprie dicta, sed sacra, eadem materia, & eadem forma exteriori constans, qua etiam hodie sunt nostræ vulgares mensæ. Extat & apud Augustinum in nobili contra Cresconium opere ad eandem rem insigne documentum; ubi ille narrat *r* Donatistarum immanem in Maximianum Bagajensis civitatis Episcopum Catholicum, crudelitatem ac furorem; *In ipsa* (inquit) *Ecclesia SVB altari quo confugerat, eodem supra se fracto, ejusque lignis, aliisque fustibus, ferro etiam crudeliter cæsus, totum illum locum sanguine opplevit.* Hic inprimis luculentissime confirmatum videmus, quod nuper ex Optato, qui & ipse Afer erat, demonstravimus, in illis scilicet Ecclesiis lignea fuisse altaria. Quare & alibi eadem narrans dicit illum Episcopum *s lignis altaris effractis cæsum fuisse.* Sed & hinc apparet eorum veritas, quæ de exteriori altarium apud veteres forma ex Socrate & Ruffino observavimus. Neque enim aliter fieri poterat, ut Maximianus sub illo, quo confugerat, altari sic esset, ut illo *SVPRA se fracto caderetur.* Denique Sozomenus huc quoque pertinet, quo loco narrat *t* Eutropium Eunuchum cum ex palatio profugus ad Ecclesiam supplex accurrisset sub mensa sacra ὑπὸ τὴν ἱερὰν τράπεζαν jacuisse. Ex his ergo constitutum esto novam esse & à veteri longe diversam eam, quos hodie apud Latinos obtinet, altarium materiam ac formam: & quantum ex superioribus intelligere licet, *mensam sacram* veri nominis mensam reapse fuisse, tametsi ea à Patribus altaris nomine sæpissime significetur.

CAPUT XXVI.

p Christoph. in sua Socr. edit. Lata c. 25.

q Ruff. Hist. 10 c.12. extr.

r Aug. l.3. contr. Cresc. c.43.

s Id ep. 50. ad Bonifi. p. 84. A. 2.

t Sozom. l.8. c.7.

Caput XXVII.

Caput XXVII.

Mensas Dominicas consecrari certo ritu novum esse, demonstratur ex ipso Latinorum Breviario. Solvuntur quæ Bellarminus contra attulit ex Eusebio, Athanasio, Gaudentio, Augustino, Basil. Gelasio, Fœlice 4. Greg. Nyss. Futilia Duranti ex apocryphis denotantur. Altaria consecrari sexto sæculo cœpisse, sed simplicissime. Hodiernam consecrationis pompam post decimum sæculum cœpisse.

NVnc ad ipsam altaris interiorem formam veniamus, qua altare apud Latinos censetur. Ea in consecratione sita est; absque qua nullum illi lapidem, nullum æs, vel marmor pro altari habent. Itaque in eorum legibus supra recitatis cavetur, *u* ut altare ad Missificandum non modo lapideum sit, sed etiam, *ut sit ab Episcopo consecratum*, & si cui deest *consecratio*, id adeo non putant esse verum altare, ut si qua in eo fiant sacra, ea illi pro sacris non rite, sed vitio factis habeant, vel ut ipsi loqui malunt, pro *sacris deficientibus*.

u Miss. Rom. Rubr. gen. c. 20. §. 1. & ibid. Defect. Miss. c. 10. §.

Sed hunc suorum altarium consecrandorum ritum ne ipsi quidem novum esse inficiantur. Hæc enim sunt eorum de suis ante Silvestri ævum templis verba; *Illa non adeo solenni ritu consecrabantur, nec in eis adhuc in titulum erectum erat altare, quod Chrismate delibutum Domini nostri Iesu Christi, qui altare, hostia, & sacerdos noster est, figuram exprimeret.* Hunc ergo Silvestrum tradunt *y eos ritus, quos in consecrandis Ecclesiis & altaribus romana servat Ecclesia, primum instituisse.* Quos Silvester instituit primus, ii profecto ante suum ipsum auctorem, nulli erant. Nulla ergo tunc erat altarium, quæ qualisque nunc est, consecratio. Nova ergo est, non ab initio, imo ne à tertio quidem Christianismi sæculo, ac ne à quarti quidem initio apud nostros ipsis Latinis confitentibus, instituta est altarium consecratio: eoque certum atque exploratum est ante an. Dom. 314. quo Silvester est ordinatus, non fuisse, ut nunc est, nefas Eucharistiam in mensa, tametsi à nullo Episcopo consecrata celebrare: neque ullum in hujusmodi Sacro vitium vel defectum notatum fuisse. Pugnat *z* tamen Bellarminus veteres esse suas altarium consecrationes: sed nihil profert ex ullis auctoribus Silvestro vetustioribus. *Vide* (inquit) *antiquissima hujusmodi consecrationis testimonia in Concilio S. Carthaginensi c. 6 & in Agathensi c. 14. & in scriptis Patrum, Eusebij l. 4. de vita Constantini, Athanasii in Apologia ad Constantium*, &c. Hæc sunt ut ipse dicit, eorum quæ in hac causa adfert, antiquissima. Atqui nihil istorum est Silvestro non recentius. Stat ergo immotum, quod nos ex Breviario Romano posuimus; nullam ante Silvestrum fuisse apud Christianos *mensæ Dominicæ*, vel (ut ipsi improprie & æquivoce appellabant) *altaris* Latinam consecrationem; ut si ab initio, quod æquum & justum est, tempora putemus,

x Brev. Rom. ad d 9. Nov. lect. 4.

y Ibid. inuit.

z Bell. L. 2. Miss. c. 14. §. Iam vero de Templis.

putemus, non possit negari, quin hic ritus, absque quo Eucharistia rite celebrari non potest, non modo non antiquus, sed etiam multis aliis cærimoniis & traditionibus humanis recentior sit, qui scilicet per annos trecentos nostris majoribus ignotus fuerit. CAPUT. XXVII.

Videamus tamen quid illi à Bellarmino citati testes perhibeant. Concilium Carthaginense, quod vulgo numeratur quintum, habitum est circa à D. 400. Sed *a* ejus canon sextus de Ecclesiarum quidem consecratione aliquid decernit (quod erit suo loco, vbi de Ecclesiis agetur, expendendum) de altaribus vero plane nihil habet. Agathensis verò Synodus de iis ita decernit; *Altaria placuit non solum vnctione Chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.* Ego vero primum quæro, cum hæc Synodus anno demum sexti sæculi sexto habita fuerit, quo jure hic ejus canon pro antiquissimo nobis obtrudi possit? Secundo in hoc canone ad altaris consecrationem nihil aliud adhiberi videmus, quam chrisma & preces sacerdotis. Preces autem cum etiam ad sanctificationem cibi communis adhibeantur non est mirandum si eæ ad dedicationem mensæ Dominicæ usurpentur. Chrismatis alia ratio est quod cum neque à Christo, vel ab Apostolis traditum fuerit, neque vero à rei auctoribus ad vngenda altaria ante sextum hoc sæculum adhibitum fuisse reperiamus, neque denique facile intelligatur, quid ad sanctificandum altare valere possit; fatemur hunc ejus abusum ad Latini ritus rudimenta pertinere. Itaque hoc quoque inter ea censeri debet, quæ præter antiquum, non modo primi & secundi pæne totius sæculi, sed etiam sequentium ad a. D. 500. temporum disciplinam novata sunt. Tertio denique etiamsi hoc ad veram puramque mensæ Dominicæ rationem & ex hoc loco, & ex aliis scriptorum ejusdem ævi, ut Pseudareopagitæ, libris jam tum accessisse appareat, nondum tamen quicquam eorum obtinuisse cernimus, quibus nunc constat altarium Missalium consecratio; quæ qualisque à nobis ex authenticis Latinorum libris in ipso hujus disputationis limine *c* repræsentata est. Nulla istic adhuc occurrit *aquæ sacræ* sive *benedictæ* mentio; nullum quinque ex ea crucium diversis altaris locis Pontificali manu ductarum mysterium, nullæ ejusdem aquæ septemplices ex hyssopo aspersiones, tota schola illud è Psalmis interim cantillante, *Asperges Domine hyssopo*, &c. Nihil denique præter chrisma, cæterorum, quæ supra commemorata, adeo sunt multa, repetere piget, tam mea, quam lectoris caussa.

a Conc. Carth. 5. c. 6.

b Agath. Conc. c. 14.

c Supr. c. 15.

Post Concilia Bellarminus nos jubet adire scripta Patrum, ex quibus Eusebium primo citat. Ille vero quarto de Vita Constantini, qui indicatur, libro non nullam Ecclesiarum Hierosolymis à Constantino magnifice exstructarum dedicationem memorat; *d* de altaris consecratione, nullum verbum facit. Ejus autem hac de re silentium, tum in hujus libri locis, tum etiam in alio opere *e* ubi templi à Paulino in vrbe Tyro magna cura, magnoque sumptu ædificati encænia fusissime atque ambitiosissime describit, hoc inquam, ejus in his locis de mensæ

d Euseb. L. 4. de vita Const. c. 40. 41. 47.

e id Hist, L. 10. c. 4.

Caput XXVII.

Dominicæ consecratione silentium, magno mihi certoque argumento est nullas adhuc tum nostris vsitatas fuisse altarium consecrationes, quas Eusebius siquæ re vera jam fuissent, non erat locis adeo opportunis, prætermissurus. Eadem quoque est eorum ratio, quæ ex Athanasij ad Constantium Apologia, ex Ambrosij ad Fœlicem epistola, Gaudentij sermone de dedicatione, Augustini vltimis de tempore Sermonibus, afferuntur. Athanasius negat *f* se Ecclesiæ cujusdam, Aquileiensis vt videtur; ipse eam Κυριακὸν *Dominicum* vocat) encænia celebrasse; quæ agnoscit ante Constantij decretum celebrari non licuisse, neque vero fas fuisse; Synaxin duntaxat se in ea fecisse confitetur. De altaris consecratione, nullum verbum. Ita & Ambrosius basilicæ à Bassiano recens exstructæ dedicationem proxime celebrandam memorat; *g* De altari, nihil habet. Sic & Gaudentius, de altari quidem, de quo quæritur, tacet; *h* de XL. Martyrum basilica; ejusque Eucæniis, sive dedicatione loquitur. Denique ex citatis Augustini nomine sermonibus, vnus est ejus genuinus certusque fœtus; is nimirum qui de tempore est 256. Sed in eo Ecclesiæ, non altaris dedicatio sive initiatio memoratur. In sermonibus ejusdem operis 252. & 255. de festivitate vel consecratione altaris verba fiunt. Sed cum ipsi Lovanienses in incerto reliquerint, an hi sint vere Augustini, & multa alterius auctoris esse suadeant; tametsi nihil alioqui contineant, quod Latinam altarium consecrationem magnopere juvet; non libet tamen in incertis tempus frustra terere.

f Athan. Apo. ad Const. T. 1. p. 682. A. 683. A.

g Ambr. L. 1. ep. 5.

h Gaudent. Serm. 17. T. 2 Bibl. p 59.

i Aug. de Temp. Serm. 252. 255. 256

Præter hos, qui nihil ad institutam hoc loco de altari disputationem pertinent, Bellarminus Basilij præterea homiliam in *Psalmum* 114. *k* & Gelasij P.R. epistolam *l* citat; quæ in nostro quidem Conciliorum codice ad Euphemianum est C.P. Episcopum. Sed neque in hac Latina epistola, neque in illa Græca homilia quicquam reperio quod ad consecrationem altaris pertineat. Hæccine Bellarmini, an typographi, qui ejus quo vtor, librum excudit, culpa citata vel annotata fuerint hæc duo loca, nescio; hoc scio neutrum quicquam habere, quod ad rem, quam agimus, faciat. Denique expungenda est ex Bellarminianorum testium censu illa, quæ postremo loco citata est, apocrypha Fœlicis P. R. IV. decretalis, jamdudum à doctissimo Blondello nostro *m* decretoriis obeliscis confixa. Si Fœlix P. R. IV. quod hic de eo gloriabundus jactat Bellarminus Gregorij I. qui Romanam diu postea sedem magna cum fama tenuit, vere atavus fuit fieri non potest, ut ipse sit hujus epistolæ auctor. Hunc enim iste quisquis de cætero fuerit, post Gregorium vixisse furtum suum prodit; quod inter alienas plumas, quibus se furax cornicula impudenter ornavit, vna emineat tota de Gregorianis epistulis, *n* sublecta, ab his verbis, *Ego vero quamvis, à vobis*, vsque ad illa, *Solliciti servate vnitatem spiritus in vinculo pacis.*

k Bas. in Ps. 114. T. 1. p. 263.

l Gel. 1. ep. 1. T. 3. Conc. p. 619.

m Blondell. Censur. epist. &c p. 578. Fœl. 4 ep. T. 3. Conc. p. 826.

F

n ex Greg. ep. .4 ep 26

Ita ex omnibus à Bellarmino laudatis scriptoribus vnus superest Gregorius Nyssenus, cujus hæc sunt verba; *o* *Altare hoc sanctum* (inquit) *cui nos assistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab aliis*

o Greg. Nyss. orat in Chr. bapt. T. 3. p. 69. D.

crustis

crustis lapideis, ex quibus parietes nostris exstruuntur, & pavimenta exornantur. Sed postquam Dei cultui consecratum est, ac benedictionem suscepit, mensa sancta, altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed à solis sacerdotibus, iisque venerantibus attrectatur. τὸ θυσιαστήριον τοῦτο ἅγιον, ᾧ παρεστήκαμεν, λίθος ἐστὶ κατὰ τὴν φύσιν κοινός, οὐδὲν διαφέρων τῶν ἄλλων πλακῶν αἷς τοὺς τοίχους ἡμῶν οἰκοδομοῦσι, καὶ καλλωπίζουσι τὰ ἐδάφη. ἐπειδὴ δὲ καθιερώθη τῇ τοῦ Θεοῦ θεραπείᾳ, καὶ τὴν εὐλογίαν ἐδέξατο, ἐστὶ τράπεζα ἁγία, θυσιαστήριον ἄχραντον οὐκέτι παρὰ πάντων ψηλαφώμενον ἀλλὰ μόνον τῶν ἱερέων καὶ τούτων εὐλαβουμένων. Sed hæc consecrationem altarium Latinam nihil juvant. Dicit enim lapidem *cultui Dei consecrari*, voluntate scilicet & voto Episcopi, & ipso Ecclesiæ vsu; Non dicit aqua benedicta aspersa in crucis figuram, Chrismate & aliis multis cærimoniis affici, ac vim nescioquam divinam realiter accipere. *Benedictionem* tum lapis *suscipit*, cum ex voto & destinatione Episcopi Eucharistia super eo conficitur, & ex eo fidelibus dispensatur. Hic ei nimirum omnis honos inde surgit, quod sacramentum Dominicum in eo fiat; non quod per se & extra hunc vsum, aliquam habeat vi cærimoniarum & precum inditam & insertam virtutem & dignitatem. *Hoc altare* (inquit p Chrysostomus) *natura quidem lapis est; sanctum autem efficitur postquam* (id est quoniam) corpus Christi excipit. λίθος μὲν ἐστι τὴν φύσιν ἅγιον δὲ γίνεται, ἐπειδὴ σῶμα δέχεται χριστοῦ. Nihil ad ejus sanctificationem necessaria sunt tua illa tam multa, aqua, chrisma, thura, ceræ, &c. quibus lapidem abluis, aspergis, vngis. Ad hoc judice Chrysostomo satis est, quod *Christi corpus* (i. e. sacramentum) excipit. *Eximium enim* (inquit q *ille*) *atque admirandum est ob eam victimam quæ illi imponitur.* τοῦτο μὲν γὰρ θαυμαστὸν διὰ τὴν ἐπιτιθεμένην ἐν αὐτῷ θυσίαν Vnde omnes jam vident, nihil illa Nysseni verba ad Latinam altaris consecrationem conferre quæ aqua, chrismate, thure, & aliis elementis atque ritibus fit; cum illa vetus à solo vsu atque ministerio penderet, cui destinabatur atque adeo re ipsa mancipabatur altare.

Alia vero præterea huc congerit Stephanus Durantus; sed cassa & futilia, plæraque ex apocryphorum & suppositítiorum librorum lacunis hausta. Bonus enim ille vir absque vllo delectu omnes scriptores ex titulo censet, neque alterius quam antiquissimi auctoris esse credit quodcumque opus videt prisci alicujus viri nomen in fronte gerere. Ita hic nobis aniles nænias pro certis & indubitatis rebus obtrudit; r quas sub nomine Martialis venditari cernebat, quod eum Apostolici ævi hominem fuisse affirmantibus Monachis crederet. Ejusdem sunt furfuris Euaristi Papæ, quæ affert, decreta; quia hoc nomine apud Burchardum veniunt, ita pro veris. Cypriani sententiis cupide recitat, quæ in libro de Cardinalibus Christi operibus inter illius Martyris monumenta vulgo leguntur: cum tamen ratus hodie sit in eruditorum hominum choro, qui non confiteatur bellum illud, *& cardinalitio galero* dignum de cardinalibus Christi operibus volumen musteum esse duodecimo

CAPUT. XXVII.

p Chrys. Hom. 20 in 2. Cor. p. 689. E.

q Id. ibid. D.

r Steph. Dur. de Rit. Eccl. L. 1. c. 25. §. 1.

Caput XXV.

duodecimo demum sæculo natum Arnoldi Bonæ-vallensis Abbatis fœtum.

Cū ergo nulla anterioribus tēporibus occurrant certa & authētica de chrismate, vel alio aliquo ritu eorū simili, quæ nunc sunt apud Latinos solemnia, ad dedicandam Domini mensam adhibito; confitendum videtur chrismatis ad eam rem vsum sexto demum sæculo ineunte, vel paulo ante, cœpisse. Anno enim illius sæculi sexto in Agathensi illo Canone, quem nos supra exhibuimus, prima, ni fallor, occurrit chrismatis in eo negotio mentio; cui paulo post succedit alter Synodi Epaonensis a. D. 517. habitæ canon; *s* *Altaria* (inquit) *nisi lapidea, chrismatis vnctione non sacrentur.* Quo loco observandum est, hunc Canonem & apud Ivonem *t* & in vulgatis Decreti Gratianei codicibus, citatum fuisse ex Hipponensi Concilio, cui Stephanus Durantus hæc verba citans, monet *u* *Augustinum interfuisse*; ut altaris ex chrismate consecrationi pondus, credo, adderet Augustini nomen. Sed ne ipse quidem dissimulat Burchardum *x* & Gratiano & Ivone antiquiorem hæc ipsa verba ex Epaonensis Concilij canone 26. laudasse & Gratianei decreti correctores annotant *y* ita etiam scriptum esse in vetustis Gratiani codicibus; eamque ipsi lectionem in editione Decreti à se emendata restituerunt, expuncta altera, quæ ex *Hipponensi* pro ex *Epaunensi* Concilio mendose præferebat. Rem appertissime confirmat ipsa illa Epaonensis Synodus, in qua (extat enim etiam hodie) canon à me descriptus totidem verbis legitur. Ita paulatim invaluit, ne altaria alia quam lapidea fierent. In Græcanicis quidem Ecclesiis, quibusdam morem sub extremum quartum sæculum jam fuisse, ut altaria ex lapide fierent, patet ex iis Gregorij Nysseni & Chrysostomi locis, quæ nupertime recitaverimus. In Africa lignea fuisse in vsu, etiam diu post Silvestrum ex Optato & Augustino docuimus. Arguit hic Epaonensis canon eundem vsum diu apud Gallos nostros mansisse. Cur enim districte fieri prohiberent, quod à nemine fieret? Sed tandem nouitati cessit vetustas; maxime cum Græcorum Ecclesiæ & Romana ipsa Occidentis caput novitatem jam prætulissent. In Capitulis excerptis, quæ ad a. D. 802. exhibet Sirmondus, *z* inter alios canones non paucos, hic quoque renovatus legitur; *De altaribus non consecrandis nisi lapideis.* In Britanniam quoque penetraverat. Legitur enim in Exceptionibus Egberti Eboracensis *a* Archiepiscopi, quos qui edidit, Spelmannus refert ad a. D. 750. *Altaria nisi lapidea, chrismatis unguine non consecrentur.* Ad Chrisma labentibus temporibus accessit quoque aliud aquæ scilicet elementum, cujus diserta apud Rabanum noui sæculi scriptorem mentio; *Quod vero altare* (inquit) *post aspersionem aquæ chrismate perungitur ad imitationem Patriarchæ Iacob factum est, qui post visionem illam terribilem vnxit lapidem in titulum fundens oleum desuper.* Sed & Mosaïcam vtriusque altaris, thymiamatum scilicet, & holocausti ex libro Exodi vnctionem

s Conc. Epaon. c. 26.
t Ivo Part. 3. c. 30.
u St. Dur. l. 1. de rit. Eccl. c. 25. p. 3.
x Burch. L. 3. c. 25.
y Decr. Not. ad De cōsecr d. 1. c. 31. Altaria.
z Sirm. T. 2. Conc. Gall. p. 251 § 16.
a Exc. Egl. in Conc. Brit. Spel. p. 263.
b Raban L. 2. de inst. Cler. c. 45.

unctionem huc adfert; unde probat decere res sacrificandas sacro chrismatis liniri unguento. Eo enim jam ventum erat, ut cujuscumque cerimoniæ, non dico exemplum, sed vel umbra aut vestigium apud Mosem reperiri potest, cum aliqua mystica significatione, ea statim in divinum Ecclesiæ Christianæ cultum admittenda putaretur; veluti Christus ritus morte sua Mosaïcos, non aboleverit, sed constituerit; & eam, quæ in umbris & carne erat, adorationem ea quæ in *veritate & Spiritu* est, adeo non permutarit, ut etiam additis de novo aliis æque umbraticis & carnalibus cærimoniis conduplicaverit, Qui error cum jampridem obtinuerit, tametsi crassus, & ab omni Christianismi genio vehementer abhorrens, non est mirandum, quod tam multa exotica & & peregrina in Sanctissimam Domini Christi religionem tam facile invecta, & pronis auribus atque animis pæne ab omnibus suscepta fuerint. Pergit ibidem Rabanus & post chrisma, thus quoque ad consecrationem altaris adhibitum fuisse narrat *c* *Quod vero tunc* (inquit) *incensum à Pontifice super altare ponitur, significat sacerdotis puram super illud orationem esse debere.* Denique & *reliquiarum meminit subtus tabulam altaris positarum*; quem morem diu ante Rabanum apud Christianos receptum fuisse confitemur, ex iis miraculis exortum, quæ à reliquis, si non vere facta, certe fieri credita sunt; qua de re, deque reliquiariæ disciplinæ origine & incrementis satis in alio opere *d* diximus. Meminit & Valafridus Strabo, Rabani σύγχρονος, hujus consecrationis, quam & ex iisdem Patriarcharum, & Moysi atque Aaronis exemplis, & præterea ex similibus veterum Paganorum institutis confirmat. *e* Neque ipse tamen (quod observandum arbitror) altaris unctionem & benedictionem altius, quam à Synodo illa Agathensi repetit; *Invenitur etiam* (inquit) *Concilio Agathensi statutum, ut altare ungatur & benedicatur.* His gradibus provecta altaris consecratio brevi postea adscendit ad eum locum, in quo hodie consistit. Totum illum, quem initio exhibuimus, rei ordinem ac modum, tertio demum supra decimum sæculo breviter perstringit *f* Honorius Augustodunensis; fusius mox ac plenius Gu lielmus Durantes Mimatensis Episcopus, Honorio junior, enarrat; quæ nihil necesse est hoc loco recitare.

Ita apparet multiplicem illam, atque laciniosam altaris nunc apud *g* Latinos solennem consecrationem sero, neque nisi post decimum, fortasse etiam undecimum sæculum cum perfecto illo, quo nunc peragitur, cærimoniarum apparatu ac suggestu, fuisse compositam ac ordinatam, & in communem Ecclesiæ usum receptum; idque vel inde constat quod ejus nulla apud veteres formula occurrat. In Constitutionibus Pseud Apostolicis, quæ circa quarti sæculi initia conditæ videntur, auctor quisquis est olei quidem mystici, & aquas ad baptismum comparandæ, & chrismatis sive unguenti mystici benedictionem, sive consecrationem ejusque formulam tradit: *h* & has species alio etiam loco benedici, &

CAPUT XXVII.

c Id ibid.

d L. 4. de cult. Relig. obi.

e Valafr. de reb. Eccl. c. 9. p. 670. A.

f Honor. Gemm. an. c. 160.

g Durant. Rat. Offic. L. 1. c. 7.

Const. L. 7. c. 43. [Gr.] 42. [Lat] & c. 44. 45 [Gr] 43. 44.

Caput XXVII. prece id faciendum sit, diserte præcipit; *i* De altaris vero consecratione, tametsi in talibus supra modum diligens ac curiosus, nihil in toto opere scribit; ne tum quidem, cum de æde sacra, ejusque partibus, forma, & ordine, quo tam clerici, quam Laïci consistere illic debeant, deque singulorum officiis & actibus accurate disserit. *k* Atqui ne hic quidem qui proprie locus erat & ædis & altaris consecrationem describendi, de hac vel illa verbum ullum fecit. Quid ita quæso, nisi quod illo ævo nondum reperta erant à nostris utriusque consecrationis mysteria? Sed, quod etiam mirabilius est, ne ipse quidem Pseudareopagita, qui sub initia sexti sæculi scripsisse videtur, ullam hujus consecrationis solennem formam edit. Significat quidem ille altare chrismate inungi (quod eo ipso tempore factitatum fuisse ex Agathensi & Epaonensi Synodis nuper demonstravimus) cum dithyrambico illo suo stilo observare nos jubet *l sacratissimorum legem mysteriorum purissimis sacratissimi unguenti affusionibus divini quoque altaris sacram consecrationem* perficere ὅτι καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον τὴν ἱερὰν τελείωσιν ἐν τῷ ἁγιωτάτῳ τελετῶν θεσμῷ· ἐστὶ ταῖς τοῦ ἁγιωτάτου μύρου τελεταρχικαῖς ἐπιχύσεσι. Quis crediderit, tam doctum, tamque impigrum Hierophantam rem tantam, quanta est ista consecratio tam ad Eucharistiæ confectionem necessaria, indictam fuisse prætermissurum, siquidem tum in usu apud nostros ubique fuisset? Idem de cæteris Græcis Latinisque, veteris horum temporum scriptoribus dictum volo: quorum nullum esse video, qui sinuosam hanc, ac tot tantisque mysteriis fœtam altaris consecrandi formam, rationem, atque disciplinam ante illa, quæ ante decimum sæculum signavi tempora, memoraverit.

i Ibid. L. 8 c. 29. [Gr.] 35. [Lat.]
k Ibid. L. 2. c. 57. [Gr.] 61. [Lat.]
l Dionys. Hier. Eccl. c. 4. Theor. § 12. p. p. 291. B.

Caput. XXVIII.

Novum esse, quod nunc Latini licere negant Eucharistiam absque altari celebrare. Veteribus absque altari Eucharistiam celebrare nullam fuisse religionem. Luciani Martyr. & Theodoreti exemplum. Inde intelligi viaticorum sive portatilium altarium ignotum olim fuisse usum.

QVid, quod veteres etiam ad quintum seculum jam adultum, apparet ab illo Latinorum de altaris ad Eucharistiam rite conficiendam necessitate decreto procul abfuisse. Primo id inde intelligimus, quod nulla priscis religio fuerit sacram Synaxin super Martyrum tumulis natali eorum die quotannis celebrare: quantumvis tumulorum neque forma exterior ea esset quæ mensæ Dominicæ est: neque adhibita ulla iis esset ad hanc rem legitimæ consecrationis formulæ: id est quantumvis illi tumuli nequaquam essent veri nominis mensæ sacræ

vt infra * demonstrabitur. Secundo id ipsum ex duabus historiis manifestum est, quas jam supra *m* in alia hujus disputationis parte attigimus. Prior erat de Luciano Martyre, *n* qui in carcere, vnde ad martyrium paulo post eductus est, constitutus Eucharistiam recubans absque altari super suo ipse pectore fecit & amicis circum adstantibus distribuit. Altera erat de Theodoreto, qui in Maris Eremitæ cella idem sacrum in manibus Diaconorum absque altari peregit, vt ipse narrat *o* in Historia Religiosa: *Ego vero* (inquit) *Mari* (id enixe scilicet flagitanti) *libens obtemperavi & sacra vasa afferri jussi (nec enim procul aberat locus) Diaconorumque manibus vtens pro altari, mysticum ac diuinum & salutare sacrificium obtuli.* Mitto, quod ex his duobus exemplis intelligimus non putasse veteres, quod nunc imprimis Latini contendunt, Eucharistiam esse sacrificium proprie dictum Cum enim Bellarminus inter κυρίας suorum θέσεις censeat *p* nullum esse sacrificium proprie dictum, nisi quod in proprie dicto altari offertur: clarum est neque Lucianum Martyrem, neque doctissimum Theodoretum sensisse verum esse ac proprie dictum sacrificium, quod ipsi absque ullo proprie dicto altari obtulerunt: nisi forte quis existimet, vel viri recubantis pectus, vel ministrantium Diaconorum manus esse veri proprieque dicti nominis altaria: quod omnem absurditatem superat. Quin & hinc constat idem cum illis ea de re sensisse omnem vtriusque illius memoriæ Ecclesiam, quæ neque illud Luciani, neque hoc Theodoreti factum damnasse, vel reprehendisse reperitur: quod nunc omnes Latini, veluti letale peccatum exhorrescerent. Sed hæc nunc inquam, mitto. Illud quod instituti mei est, duntaxat urgeo: nimirum hinc apertissime colligi non existimasse veteres altare certo ritu à Pontifice consecratum ad Eucharistiam rite conficiendam esse necessarium: qui si ita sensissent, nunquam, quod fecisse eos constat, Eucharistiam non modo absque altari consecrato, sed absque vllo altari celebraturi erant; ut non sit mirandum eos omni consecrandi altaris formula caruisse, qui hanc lapidis consecrationem ad sacrum hoc rite peragendum necessario requiri adeo non putarunt, ut id si caussa, locus, ac tempus posceret, etiam absque vllo altari rite cõfici posse censerent. Vnde quivis videt, quantopere veteres Christiani Lucianei, vel etiam Theodoretei ævi, ab illo decreto abfuerint, quod Latini inter authenticas Canonici sui juris regulas retulerunt, *q* *Satius est Missam non cantare, aut nõ audire, quam in his locis, vbi fieri non oportet,* (id est nisi in templo & altari rite consecratis) Quæ enim istic excipitur *summæ necessitatis* caussa, ea nullum in Luciani, ac multo etiam minus in Theodoreti facto locum habuit. Poterat enim & ad Lucianum à fratribus & collegis, & ad Marim à Theodoreto mitti particula rite in altari consecrato confecta; ex ipso Latinorum more.

Sed neque hoc postremo omiserim, quod inter tantas in altaris negotio apud cæteros Christianos factas mutationes, Thomæi in Indiis

* infr. c. 31.
m Supr. L. 4. c. 8. & 9.
n Philost. L. 2. c. 14. Niceph. Cæl. L. 8. c. 31.
o Theodoret. Hist. rel. c. 20.
p Bellarm. L. 1. de Miss. c. 2. §. Sextum.
q De cons. d. 1. c. 11. Sicut non aiij Ivo Decr. Part. 2. c. 70.

Caput. XXVIII. eis Gangem Christiani priscam videntur simplicitatem ad nostram usque memoriam servasse. Iarricus enim; ubi invectum à suis qua vi, qua arte & dolo in eam gentem latinismum magna pompa describit, eos tradit r antea ad illam diem sacro oleo, quo Ecclesias & altaria consecrari solenne est, in tota illa dœcesi caruisse. Mox capite sequenti dicit s in Thomæorum Ecclesiis vel nulla vel non consecrata fuisse altaria; quam ipse quidem magnam in eorum Christianismo labem fuisse putat, atque iis prolixe gratulatur, quod Archiepiscopus Latinus *Cacanaribus* (sic illi suos sacerdotes vocant) inspectantibus, & cærimoniarum latinarum majestatem admirantibus, multa apud eos altaria ritu Romano consecraverit. Quasi vero lugendi sint vetustissimi ante Sivestrum & Constantinum fideles, quos Romanum ipsum Breviarium negat ulla habuisse in titulum consecrata altaria; vel quasi mensæ non eo ipso sacræ censendæ sint, quod in iis conficitur Sanctissimum Eucharistiæ mysterium.

r Iarr. Hist. Iesui. in Ind. l. 6. c. 10. p. 604.

s Id. Ibid. c. 11. p. 621.

Iam ex utraque illa de Luciano, deque Theodoreto narratione, valide quoque arguitur altarium *portatilium*, sive *viaticorum* novitas; quorum celebre nunc est apud Latinos nomen. Siquis enim eorum in Ecclesia illorum virorum temporibus usus fuisset, facile uterque sibi consulere potuisset, & solemni more Eucharistiam celebrare. Nam viaticum aliquod altare & amicis ad Lucianum, & Diaconis ad Theodoretum tam licuisset deferre, quam panem ipsum & vinum. Etiam Theodoreto inter suos vertanti, in loco quem ipse à sua Ecclesia procul abfuisse negat, res erat multo, quam Luciano expeditior. Diaconos enim ad locum propinquum excurrentes non erat credo, difficilius id genus altare gestatile, quam cætera vasa sacra inde, quod jussi sunt, apportare. Hoc ipsum, quod Diaconi jussi *vasa sacra* ad Eucharistiam celebrandam afferre, nullum altare attulerunt, satis ni fallor, demonstrat nondum apud illius ævi, id est quinti sæculi jam adulti Christianos, inter sacra illa vasa ullum fuisse Diaconis cognitum altare *viaticum & portatile*. Stephanus certe Durantus Ivone Carnotensi, qui annum duodecimi sæculi sextum decimum vivendo attigit, nullum antiquiorem auctorem edidit, t qui suorum altarium portatilium meminerit. Ille fateor, meminit; & ita quidem, ut de iis traditionem doceat non vulgarem. *Parvum* enim *illum lapidem*, quo constat hujus generis altare, *aliter se consecrare* negat, *nisi vel in tabula lignea, vel in aliquo competenti substratorio compactus, & firmiter sit affixus*. Hoc autem ita instituendum subtiliter ex veteri quodam Canone probat, qui jubet, *Si altare motum fuerit, Ecclesiam*, in qua id exstructum est, *denuo consecrari*. Vnde sic Philosophatur magnus ille Decretorum Magister; *Quod si Ecclesia propter motionem solius altaris denuo est consecranda; quanto magis ipsum altare, quod motum est*? Nemo, ut puto, negaverit, quin acutissime ac validissime res conclusa sit. Ergo, ne altare portatile, quoties transfertur, toties, quod magnæ molis est de integro consecrari necesse

t Steph. Dur. l. 1. de rit. Eccl. c. 25. §. 7.

u Ivo ep. 72. & 80.

necesse esset, vel sapientissimo Ivoni, vel ejus certe majoribus placuit d altare ea ratione fieri, quam exposuimus; vt scilicet una cum altari, quoties id transfertur, ipse quoque eius locus, in quo fixus est transferretur. *Vnde* (inquit) *licet hujusmodi altaria de loco ad locum portentur, non tamen de loco, in quo consecrata sunt, mouentur; à quo si avulsa fuerint sicut cætera altaria, denuo sunt consecranda.* Fuisse tamen dicit, qui negarent *portatilia altaria denuo consecrari, licet de loco ad locum moveantur,* quorum ratio mihi pace Ivonis, probabilior fuisse videtur; quod canon ille de Ecclesia, si motum fuerit altare, denuo consecranda, ex Burchardo repetitus, iis temporibus conditus fuerit, quibus nulla erant, nisi in Ecclesiis & sacrariis extructa altaria, commodum esset inuentum illud mirabile gestatilium altarium genus; cui durum & inhumanum videtur de latis alteri generi legibus præjudicari. Vt illud jam taceam, quod difficile est hominibus, latinæ quidem metaphysices expertibus, animo capere, qui immotum censeri debeat id altare, quod ea Europa ad Iaponas & Seres vel Sinas usque translatum est: quod omnes ni fallor ipso naturæ sensu, una cum corpore, quod movetur, cætera quoque moveri, quæ in eo sunt, judicent, eique judicio nouissima hujus ævi philosophia assentitur, qua deprehendit motum corporis transferentis cum eo quoque, quod transfertur, communicari; quanquam ne vetus quidem Lycæum, cui placuit locum cujusque corporis ejus esse aëris quo ambitur, superficiem, Ivoni facile concessurum fuisse putem immotum id esse altare, quod alius atque alius aër toties mutatus ambivit. Sed ille, ut erat ingeniosus, adversarium nescio quot de suo allegoriarum penu promptis argumentis obruit, & in suas concedere partes vel invitum & reluctantem, cogit. Vtrumque sit, illud quidem satis constat, viatici hujus altaris inuentum, si subtile est & latinis sacerdotibus commodum, non esse certe valde antiquum; cujus nemo de primis undecim totis Christianismi sæculis meminerit. Stephanum tamen Durantem nonnihil solatur Viti Amerbachii fides, testantis *se vidisse in monasterio Sancti Emerami altare, quo Carolus magnus in castris utebatur.* Equidem non dubito, quin hoc, quod dicit Amerbachius, Monachi apud eum affirmarint, Caroli scilicet fuisse quod ei apud se altare monstrabant, qualiter id genus multa de priscorum monumentis jactare solet. Sed an id, quod bonus Amerbachius Monachis affirmantibus credidit, verum fuerit, ego quidem non puto nefas esse dubitare. Tum ut donem id verum esse, quod ego dubium & incertum duco, nullus nobis Amerbachius illud, quod apud S. Emeramum vidit altare affirmat fuisse de pusillo hoc nostrorum viaticorum censu. Probabilius, imo ut opinor, verius est magnum & regium fuisse altare, eorum geminum, quæ in Ecclesiis ædificata cernuntur, quod una cum capella Regia in castra Caroli portaretur, ne jam illud denique, quod verissimum est dicam, ne ea quidem quæ Caroli Augusti paulo post noni sæculi initia mortui ævo jam fuerunt, in Christianis antiquitatibus merito censeri vel posse vel debere.

Caput XXVIII.

x Burch. l. 3. c. 1n

CAPUT XXIX.

Novum esse, quod nunc fit apud Latinos, altare tribus mappis, neque aliis quam quæ ab Episcopo consecratæ fuerint insterni. Diluuntur quæ ex Optato & Theodoreto aff. runtur pro hujus ritus antiquitate.

SEd nunc ad aliam in Missali altari novitatem pergamus. Latinis enim satis non fuit Domini mensam tot tamque longe petitis ritibus præter auctoris institutum, ut ipsi quidem loquuntur, consecrare; ut vero nos putamus, corrumpere, & procul à sua origine divulsam in rem plane aliam transformare. Insuper decernunt, ut suum illud altare, tametsi tam varia, tamque multiplici cærimoniarum pompa dedicatum, antequam sacrum in eo fiat, *operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata; Pallio quoque ornetur, coloris, quo ad fieri potest, diei festo vel officio convenientis*; id est vel albi vel rubei, viridis vel violacei, aut nigri; quibus quinque coloribus varie pro sua sapientia uti consuevisse Romanam Ecclesiam alibi supra ex z Missali monuimus. His autem vestiri altare ita putant ad sacrum faciendum esse necessarium, ut inter Missæ defectus diserte censeant, *a si id celebretur in altari tribus mappis non cooperto.* Itaque hæc paramenta antequam ad Missam usurpentur, accuratis precibus ac benedictionibus, crucis signis, aqua lustrali à Pontifice consecrari jubent, *b Exaudi* (inquit) *Domine preces nostras, & hæc linteamina sacri altaris usui præparata benedicere & sanctificare digneris*, &c. *Domine Deus omnipotens, qui ornamenta & linteamina facere Moysen famulum tuum per 40. dies docuisti, quæ etiam Maria texuit, & fecit in usum ministerii tabernaculi fœderis, benedicere, sanctificare & consecrare digneris hæc linteamina ad tegendum, involvendumque altare gloriosissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi, &c. Deinde adspergit ea aqua benedicta.* His autem ornamentis quinta quotannis Paschalis hebdomadis feria altaria nudantur usque in sabbatum quibus tertia postmodum die cooperiuntur, & cæteris totius anni diebus gaudent. Neque hic Latinis sua desunt mysteria. *Altare* (inquit c Honorius) *vestitur, quia animæ in resurrectione corporibus vestiuntur. Nudum erat altare dum animæ sine corporibus in cœlis fuerunt collocatæ. Altare vestitur dum anima immortali & incorruptibili corpore induetur.* Durantes aliter *d Altare Christum* (inquit) *seu corpus ejus significat, &c. Altaris vero vestimenta Apostolos seu Sanctos Dei significant, &c. Altare igitur vestimentis denudatur, quia fugientibus Apostolis Christus solus remansit, tertio die cooperitur, quia post ejus resurrectionem discipuli ad Dominum redierunt.*

y Miss. Rom. Rubr. gen. c. 20.

z Supr. c. 14.

a Ibid. Defect. in Miss. c. 10. §. 1.

b Pontif. Rom. Part. 2. p. 357.

c Honor. gemm. Anim. L. 1. c. 167. T. 10 Bibl. P.

d Durant. Ration divin. offic. L. 6. c 76.

Sed

Sed & alia mysteria his significata adiicit; *Denudatio* (inquit) *altaris* designat, *quod Christus fuit denudatus in cruce.* Item *altaris denudatio significat Christum divinitatis gloria nudatum.* Vnde à contrario altare vestitum pronum est intelligere Christi resurgentis & glorificati Symbolum esse. Quam densa hic sapientiæ latet Sylva! Quis crederet lapidis consecrati mappis tantam inesse vim mysteriorum? Ego vero frigidam istorum subtilitatem non exagito quidlibet ex quolibet pro sua sagacitate eruentium. Mirentur ista, & timentur, quibus humani allegoriarum lusus placent. Hoc vnum ego posco, ut isti sepositis suorum commentorum fucis mihi simpliciter & bona fide hoc tam acuratum altarium suorum velamen triplex apud antiquissimam Christi Ecclesiam ostendant. Si fecerint, nunc quidem de altaris Missalis ornatu quiescam. *Linea* olim quod nuper ex Optato *e* recitabam in *peragendis mysteriis linteamine cooperiri* solita fuisse scio, neque sane miror. Cum enim illud, quod Optatus dicit, *altare ligneum* veri nominis mensa, eaque sacra ac Dominica fuerit ad sacras celebrandas epulas parata; dubitandum non est quin quo mensæ, etiam communes, apud omnes gentes aliqua humanitate excultas linteamine insterni solent, eo illa quoque Domini mensa ad celebrandum divinum ejus convivium cooperiretur. Neque nos tametsi nullum Missale altare habeamus, aliter instituere norunt quicumque nostris synaxibus interfuerunt. Hoc ad publicam honestatem, & ad sacræ actionis decorum pertinet. Illud vero linteamen, quod sacræ quidem sed ligneæ tamen mensæ velandæ imponebant quis illius ævi scriptor triplex fuisse tradidit? Quis tria illa ab Episcopo prius consecrari, quam mensæ ad epulum Dominicum insterni docuit? quis ita comparatas ut superius quidem & extimum longius esset & ad terram pertingeret? altera duo curta, & illo primo breviora? Quis magna illa triplicis velaminis mysteria enarravit? quis denique antiquorum Christianismi sapientum in suis tam multis, etiam hodie superstitibus, monumentis de Latinorum pallio, deque diversis ac mysticis illius pro varia temporum ac sacrorum ratione coloribus philosophatus est? Atqui hæc, de quibus proprie quærimus, non de mensali, sed de mystico & ad arcana quædam pertinente linteamine nemo veterum quicquam dixit; non Pseudo Clemens, non Pseudo Dionysius, curiosissimi licet rerum divinarum atque Ecclesiasticarum interpretes; non Pseud Ambrosius, non Isidorus, non Amalarius, non Rabanus, aut Valafrius, qui & ipsi in his non absimili diligentia versari sunt. Quod vero quidam huc adducunt memorata à Theodoreto in templi Hierosolymitani encæniis pompa & magnificentia Regia celebratis *aulaea f plane regalia & monumenta lapidibus pretiosis collustrata, quibus altare adornatum fulgebat,* illi profecto perperam ac perverse disputant. Nos enim de altaris solenni, ac quotidiano in omnibus veterum Ecclesiis ornatu quærimus. Illi nobis recitant, quid Princeps maximus, festa lætaque præter consuetum rerum ordinem die, in frequentissimo plurimorum

CAPVT. XXIX.

e Opt. L. 6. p. 95.

f Theodoret. Hist. Eccl. L. 1. c. 31. init.

Caput XXX. morum Episcoporum coetu, immensoque populorum concursu solennem ac quotidianum Ecclesiarum morem fecerit. Quamquam neque dum singula lustro paulo diligentius, triplex illud inæquale Latinorum & linteamen, vspiam apud Theodoretum reperio; Sed ne, *pallium* quidem eorum hic video. Nam neque *aulaum*, quod exhibet Christophorsonus, neque *παραπέτασμα*, quod scripsit Theodoretus pallium est. Lexicon Græcolatinum vetus *παραπέτασμα* velū. Sic autē habent Græca Theodoreti; *διακοσμεῖν δὲ καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον βασιλικοῖς παραπετάσμασι, καὶ κειμηλίοις λιθοκολλήτοις χρυσοῖς*. Deo cōmemorat altaris ornamenta; *vela* magni pretij, qualia in Augustorum regia esse solent. Vela autem dicit, quibus oppansis altare & ipsum in quo erat sanctuarium, à reliqua templi parte dividebantur, ac discludebantur; quæ nihil ad pallium Latinorum pertinent. Alterum ornamentum erant *κειμήλια*, quæ idem illud Græcolatinum Lexicon retenta Græca voce *cimelia* reddit; Hesychius definit *τὰ ἀπόθετα χρήματα*. Erant nimirum pretiosissimæ species vna in altari in donarium repositæ, puta aurum & gemmæ, quod addita à Theodoreto epitheta significant *λιθοκολλήτοις* & *χρυσοῖς* *gemmatis*, *aureis*. Hæc autem regali munificentiæ congrua nihil cum ipso sacro commune habent. Illud ergo Latini altaris & triplex linteamen mysticum, & pallium recentiorum Romanorum propria sunt; neque vllum habent in omni Christianismi antiquitate exemplum.

Caput XXX.

Novum esse, quod nunc vulgo fit apud Latinos, vt plura sint in vna æde altaria. Vnum in vna æde fuisse olim in tota Orientali Ecclesia, esseque etiam hodie; quod pluribus testimoniis & argumentis demonstratur; confutatis Mutmanni Iesuitæ ineptis cavillationibus. Æthiopum & aliorum à Latinis segregum Christianorum eundem nunc quoque esse cum Græcis morem.

SEd ne illud quidem postremo in hoc Eucharistiæ negotio novum omiserim, quod nunc Latini in vna eademque Ecclesia multa habent altaria; eo fere plura, quo basilica amplior est atque splendidior; qualiter in templo, quod Philippus 2. Hispaniæ Rex Divo Laurentio patentum nostrorum memoria magnificentissimum consecravit altaria vti aiunt ad XLIII. Hospinianus vero noster ex Caspare Bruschio refert g in augusto quodam templo B. Virginis Mariæ apud Vlmam à civibus dicato vnam & quinquaginta aras elegantissime positas fuisse, & in basilica cœnobij Selemitani 28. fuisse insignia altaria. Non est in re nota & vbique obvia pluribus exemplis opus. Iam neque obscurum est hac à Latinis prêter majorū jura ac mores fieri, quos ex antiquitatis monumētis perspicimus vnam tantum in vna Ecclesia aram habuisse, non plures.

Pseudo-Ignatius, in editione vulgari; *h Vnus etenim panis, pro omnibus*

g Hospinian. de Templ. L. 1. c. 6. p. 102.

h vulg. Ignat. ep. ad Philad p. 96. apud Vsser.

omnibus confractus est: & unus calix omnibus distributus: unum ALTARE CAPUT
toti Ecclesiæ, & unus Episcopus &c. εἷς καὶ ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη. ἓν ποτήριον XXX.
τοῖς ὅλοις διενεμήθη. ἓν θυσιαστήριον πάσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ εἷς ἐπίσκοπος. Antiqua vero editio Latina ex libris MSS. ab Vsserio publicata, multo quam vulgata, ut vetustior, sic & melior; *i Vna enim caro Domini nostri* i Ibid. p.215.
*Iesu Christi, & unus calix in unionem sanguinis ipsius: unum ALTARE & * unus Episcopus.* Huic Græca ex codice Medicæo à Vossio, & mox * Gr habet.
ab Vsserio quoque vulgata respondent: k μία γὰρ σὰρξ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ k Ibid. Ign.
Χριστοῦ, καὶ ἓν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ. ἓν θυσιαστήριον, ὡς εἷς ἐπίσκοπος. vetus Græc.
Altare cum Episcopo; illius unitatem cum hujus unitate confert. Er- Lat. p.29.
go in singulis Ecclesiis, ut unum Episcopum, non plures; & ita & altare unum, non plura, & fuisse significat, & esse decernit. Auctorem tametsi Ignatium esse non puto; veterem tamen esse fateor; Eusebio certe, cui notæ fuerunt plæræque ejus epistolæ vetustiorem: & hanc meam sententiam præter cætera fusè à nobis explicata in alio opere, *l* firmat hoc loco usurpatum *altaris* pro *mensa Eucharistica* vocabu- l L.2. de supposit. Dionys. & Ignat.
lum duobus primis Christianismi seculis apud Græcos in hoc sensu ignotum, atque inusitatum: apud Latinos, quod est supra *m* observatum, secundo demum seculo extremo in eo sensu semel à Tertulliano usurpatum. Ignatium non dubito hic cum Paulo, & aliis antiquissimis Christianismi scriptoribus Græcis, non altare θυσιαστήριον, sed mensam Domini τράπεζαν Κυρίου dicturum fuisse, si verus esset hujus epistolæ auctor. Hunc scriptorem, qui sic loquitur, probabile est tertio demum seculo adulto vixisse: quo θυσιαστηρίου nomen in hoc negotio à Græcis usurpari cœpisse vel Eusebius illis temporibus natus demonstrat, qui eo pro *mensa Eucharistica* & alias aliquoties, & in illustri quodam Historiæ suæ loco præcipui ad rem ipsam quæ agitur, momenti.

Is extat Historiæ Ecclesiasticæ libro decimo, in oratione Panegyrica, *m* quæ Tyri in complurium Episcoporum conventu dicta est ad m Euseb.
encænia templi, quod Paulinus urbis Episcopus magno sumptu & Hist. l.10. c.
eximio opere ibidem ædificaverat. Ædis amplitudo & magnificen- 4.p.386.D.
tia poscebat ex hodierna Latinorum disciplina, ut in ea si non plures, certe non pauciores, quam in Vlmensi, aut in San Laurentiana Ecclesia aræ consecrarentur. Atqui Panegyrista, omnia quæ ad ædis ornatum ac gloriam pertinent studiose consectans, & ambitiose enarrans de pluribus aris nihil dicit. Vnam in *templi meditullio* constitutam describit: eamque allegorice Paulini animæ comparat: quo ipso satis indicat ut anima Episcopi una erat, ita & aram ædis unam fuisse. In hoc enim potissimum sita est totius allegoriæ ratio. Sed unam eam fuisse significare satis non habuit: disertissime rem dixit: *augustum* (inquit) *magnum*, *& VNICVM altare*, σεμνὸν καὶ μέγα καὶ μονογενὲς θυσιαστήριον. Neque hic audiendus nescioquis Mulmannus ex Lutherano Iesuita, excipiens

Caput XXX. *n particulare esse hoc exemplum.* Est fateor; Fuit enim illud altare non alius Ecclesiæ, quam Tyriæ. Sed quis Paulinum crediderit, quam magnificentissimam exstruebat ædem, hoc eam plurium altarium ornamento fraudaturum fuisse, si id tulissent, qui tum erant Ecclesiæ Christianæ mores. Cum ergo hujusmodi fuerit hoc tametsi *particulare exemplum*, apparet ex eo non modo *posse* (quod Mulmanni jecur negat) sed etiam *debere* concludi non fuisse tunc temporis, id est initio quarti seculi, apud nostros solenne in æde sacra quantumvis ampla ac magnifica, multoque adeo minus in modica ac vulgari, plura altaria ponere. Neque hoc quisquam æquus, ac studio vacuus arbiter negaverit; nisi siquis *Paulino* fuisse doceat propriam aliquam ac singularem rationem, quæ eum prohibuerit plura altaria in illa sua æde ponere. Debuerat ergo Mulmannus, ut sua disputatio procederet, hujusmodi rationem, siquam norat, in medium proferre. Nullam protulit: neque alius opinor, quisquam, quicquam ad eam rem probabile reperturus est. Ergo ex illo ædis Paulinianæ, tametsi particulari exemplo, bene ac prudenter conclusum est, in Christianorum ædibus sacris, etiam amplissimis atque magnificentissimis, unum duntaxat illo ævo fuisse altare. Atque hoc ipsum inde conclusit Heribertus Rosueidus, & ipse quoque Iesuita, sed Mulmanno longe doctior ac nobilior: *Primoribus* (inquit) *Ecclesiæ temporibus unicum plerumque altare in templis erat; uti constat ex templo à Paulino ejusdem urbis Episcopo ædificato: de quo Eusebius l.10. c.4.* Et locum Eusebij totum describit; ex quo *id constare* ait, quod Mulmannus *falso*, inscite, atque inverecunde negavit. Quod vero *Rosueidus non simpliciter & absolute*, sed *plerumque* ita fuisse dicit, hoc artis Iesuiticæ fuit, ne Bellarminum, & alios si forte sodales aliud sentientes recta pulsare videretur. Ipsum sensisse nullum revera illo seculo fuisse templum, in quo plures consecrarentur aræ, arguit, quod statim quoddam sui Paulini dictum dissolvit, ex quo videbatur colligi aliqua fuisse cum altaribus pluribus templa. Cur enim homo prudens de eo solvendo laboraret, quod suæ sententiæ nihil noceret? Quam autem affert solutionem, ea vera est; & paulo post à nobis in altera hujus disputationis parte describetur. Simplicius egit Iacobus Goar, etiam ipse Latinus, Dominicanus Theologus, &, si hoc parum est, Papalis in Orientem Missus, sed Rosueido quidem candidior, Mulmanno vero ab eruditione & judicio multo melior. Is enim unum olim apud nostros in singulis templis fuisse altare, rotunde agnoscit, & in eam rem hunc ipsum Eusebij locum eadem, qua nos, mente ac ratione usurpat; *p Unum est* (inquit) *& ut Eusebius loquitur, μονογενὲς θυσιαστήριον etiamnum hodie apud Græcos.* Cum ait *etiamnum hodie esse apud Græcos*, eo clare significat, *unum* & olim apud eosdem fuisse. Idem infra scribit *q veteres canones, dum unico sacrificio attenderunt, unicum in Ecclesia altare dedicandum μονογενὲς θυσιαστήριον (ut loquitur Eusebius) & non iterandum in eo sacrificium, præparasse.*

n Mulman. Disput. de Miss. priv. contr. Calixt. thes. 34.

o Rosueid. Additam ad Not. in epist. 12. Paulini. p. 894.

p Goar. Not. in Euch. p. 16.

q Id. ibid. p. 28. init.

Veram esse hanc ex loco Eusebiano consecutionem, hodierna firmat

Orientalis Ecclesiæ praxis, quæ traditiones majorum multo quam Latina religiosius integras ac incorruptas servat ac retinet. Constat enim apud Græcos, quod Goar testis in hanc rem locupletissimus, docet, unum esse in singulis Ecclesiis altare, non plura. Metrophanes Critopulus, qui nostra memoria Patriarcha Alexandrinus fuit; r *In uno* (inquit) *eodemque templo haud sæpius de die sacra celebramus, neque multas in uno templo mensas sacras habemus, sed unam duntaxat in unoquoque marmoream: eo quod Christus etiam unus sit, verus ille & angularis lapis.* οὐ πολλάκις δὲ τῆς ἡμέρας ἱερουργοῦμεν ἐν τῷ αὐτῷ ναῷ. οὔτε πολλὰς ἁγίας τραπέζας ἔχομεν ἐν ἑνὶ ναῷ. ἀλλὰ μίαν μόνην ἐν ἑκάστῳ ἐκ λίθου μαρμάρου. ὅτι καὶ ὁ Χριστὸς εἷς ἐστιν ὁ ἀληθὴς καὶ ἀκρογωνιαῖος λίθος. Tum rationem traditionis edisserit; *Et quoniam ille crucifixus est in mundo non sæpe, sed semel per omne ævum ab initio usque ad finem; quorum veluti imaginem, ævi quidem unaquæque dies, mundi vero unumquodque templum, exprimit; ita etiam nos haud sæpius de die, sed semel quolibet die in unoquoque templo cœnam Dominicam celebramus.* ὅτι δὲ οὐ πολλάκις ἐσταυρώθη ἐν τῷ κόσμῳ ἀλλ' ἅπαξ καθ' ὅλον τὸν ἀπ' ἀρχῆς ἕως τέλους αἰῶνα, ὧν εἰκόνες ὥσπερ, τοῦ μὲν αἰῶνος ἑκάστη ἡμέρα, τοῦ δὲ κόσμου ἕκαστος ναός. οὕτω καὶ ἡμεῖς οὐ πολλάκις τῆς ἡμέρας, ἀλλ' ἅπαξ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐν ἑκάστῳ ναῷ ἱερουργοῦμεν τὸ κυριακὸν δεῖπνον. Ratio, ut vides, concinna est, & Græca solertia atque elegantia digna; ad quam etiam respexisse veterum canones ex Goare nuper audiebamus.

CAPUT XXX.

r Metroph. Critop. Confess. Eccl. Orient. c.9. p.102.

Id ipsum confirmat parilis quoque Æthiopicæ Ecclesiæ usus, quæ non minus quam Græca, antiquarum traditionum servantissima est. Nam etiam apud eam in singulis Ecclesiis & unum esse altare, & rem divinam semel, non sæpius uno die fieri dicit, s Franciscus Alvares, testis αὐτόπτης, ubi quoddam monasterium Æthiopicum, ejusque Ecclesiam describens, *Unum tantum* (inquit) *in ea est altare; Non vi è più d'uno altare;* & alibi t de Ecclesia Sanctæ crucis, *Unum in ea est altare, sicut in cæteris. Hà un solo altare, come hanno le altre.* Idem de sacro Eucharistico; u *In omni Ecclesia unam de die tantummodo Missam dicere solent.*

s Alvas. Viagg. d'Ethiop. c.11. T.1 del Ramusio fol. 212. B.
t Id ibid. c. 55. fol. 233. D.
u Id. ibid. c. 22. extr. fol. 217.

Moscovitas, Græcæ Ecclesiæ portionem, eadem sequi non est mirandum. Sigismundus, Liber Baro: x *In singulis templis unicum est altare: & in dies singulos unicum quoque sacrum faciendum putant.*

x Sigismun. Bar. de reb. Moscov. Tit. de Relig. p. 21. l. 32.

Sed præter hunc ad nostram memoriam servatum ab Orientalibus & Australibus Christianis morem: ipsa quoque veteris Ecclesiæ monumenta loquuntur eandem jam olim fuisse ejus praxin ac sententiam. Nam ut Eusebius Tyriæ; ita & Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ unum fuisse altare satis aperte testatur, dum duobus jam supra allatis locis Arianorum in ejus direptione scelera atque immanitatem describens; in utroque sacram mensam in singulari numero dicit: In priori y nefarios prædones, cum *alia,* quæ in Ecclesia erant, *subsellia, thronum, vela, tum mensam sacram rapuisse, extulisse, ac combussisse:* In altero, z eorumdem in

y Athan. ad solitar. vit. ag. T.1. pag. 848.D.
z Id. ep. ad Orthod. ibid. p.945. d.

Caput XXX.

sanctam mensam magnam fuisse impietatem, magna facinora. Ut *subsellia* ac *vela* in numero plurium dicit; sic & *mensas sacras*, vel, quod idem est, *sancta altaria* dixisset; si ut *subsellia ac vela*: ita & altaria in illa Ecclesia plura fuissent. Neque enim credibile est, si plures in illa æde *mensa fuissent*, vel Arianos in unam sævituros, vel Athanasium, si plures ab illis essent violatæ, unius tantum injuriam memoraturum fuisse. Nunc ergo cum ut *thronum*, ita & altare in singulari numero dixerit: eo clare significavit, ut *sedem* Episcopi (eam enim *throni* nomine intelligit) ita & Dominicam mensam in Ecclesia Alexandrina utramque unam fuisse, non plures. Id ipsum inde intelligitur, quod Petrus Athanasij successor de Theoria Alexandriæ Ecclesia à Paganis prophanata apud Theodoretum narrans loco Athanasiani loci simillimo complorat, *a* quæ in diebus Patrum neque facta neque audita fuerant, *ea tum impios in altari ipso perpetravisse* ταῦτα ἐπ' αὐτοῦ τοῦ θυσιαστηρίου ἐπιτελεῖν οἱ δυσσεβεῖς. Tum nefandum eorum factum exsequens Puerum infamem *muliebri* (inquit) *habitu super ipsum sanctum altare saltare compulerunt.* ἐπ' αὐτοῦ τοῦ ἁγίου θυσιαστηρίου ὀρχεῖσθαι παρεσκεύασαν. Ergo & in Theona Alexandriæ altare unum erat, non plura.

a Petr. Alex. apud Theodoret. Hist. Eccl L. 4., c. 19. Tom. 3. Theodor. p. 688.

Sed & Hierosolymitanæ ædis à Constantino conditæ unum altare, non plura fuisse ex Theodoreto quoque intelligimus; qui cum Episcopos Imperatoris jussu ad consecrandam ædem illam frequentes illuc convenisse narrasset, *b* ita pergit: *b Divinum porro altare velis regalibus, cimeliisque auro & gemmis collucentibus ornabatur.* διακοσμεῖν δὲ καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον βασιλικοῖς παραπετάσμασι καὶ κειμηλίοις λιθοκολλήτοις χρυσοῖς. Plura altaria, si fuissent, haud dubie & Constantinus exornaturus, & Theodoretus exornata dicturus erat; quod scilicet ad Principis laudem pertinebat. Neque hic hili est vitiligatoris Mulmanni vaticinatio, plura in Hierosolymitano hoc templo altaria fuisse ex quodam Eusebij loco ita hariolantis; *c Quando* (inquit) *in vita Constantini refert Eusebius Episcopos invitatos ad dedicationem templi Hierosolymitani magno numero illuc confluxisse, & sacrificiis incruentis Deo oblatis diem festum celebrasse: quomodo id fieri potuisset si nonnisi unicum illud altare in illo templo exstitisset?* Pessimus haruspex Mulmannus; qui in extis, ex quibus vaticinatur, ea se vidisse putat, quæ in ipsis nusquam extant, & ex his, quæ se vidisse mentitur, perperam & præter artis leges conjectat. Ille enim fingit duo quædam apud Eusebium exstare, quæ nusquam apud eum comparent; Prius, omnes ad templi encænia convocatos Episcopos nihil aliud in illa panegyri, quam missificasse: Alterum, unum tantum fuisse solennitatis illius diem. Eusebius omnia alia narrat; *d* ex omni illo Sacerdotum, qui convenerant numero alios quidem Imperatoris pietatem laudibus celebrasse, & ædis magnificentiam dixisse; alios sacra Theologiæ dogmata ad præsentem celebritatem accommodantes spiritale quoddam epulum auditoribus præbuisse; Quosdam scripturas

b Ibid. L. 1. c. 29. p. 581. D.

c Mulman. ub. supr.

d Euseb. l. 4. de V. Const. c. 45. p. 549.

Sacras

ſacras eſſe interpretatos. *Qui vero ad hæc adſpirare non poterant, eos incruentis ſacrificiis, & myſticis immolationibus Deum placuiſſe, pro pace communi, pro Eccleſia Dei, pro Imperatore tot bonorum auctore, eiuſque piiſſimis liberis preces Deo ſuppliciter offerentes*; Se quoque ipſum variis ſermonibus publice habitis ſolennitatem decoraſſe. Iam non eſt credibile vel hanc tantam officiorum varietatem uno die totam explicari potuiſſe, vel adeo lætam ac magnificam panegyrin tam paucis horis peragi. Quæ ſiquis omnia attenderit, is ſi vel Mulmannus fuerit, nullo opinor negotio perſpiciet facile fieri potuiſſe, ut Euchariſtiæ celebrandæ partes, qui eas ſortiti erant, ad unicum licet altare obierint, hic uno die, alter ſequenti, & ſic deinceps, ſi plures dies, quod veriſimilli mum eſt, continuata eſt illa ſolennitas; Alij ſimiliter ſuam ſinguli ſuo tempore ac loco dicendi provinciam in illo conventu exornarint. Sed etiam ſi illa, quæ Mulmannus pro ſua una libidine finxit, vera eſſent omnia, ne ſic quidem procederet ejus de pluribus altaribus divinatio. Nihil enim ex majorum quidem more, vetabat plures apud unum altare Epiſcopos una ſimul ſemelque ad unam eandemque Synaxin diverſis modis operari, ut vel ex ipſo Romano Ordine apparet,* in quo apud ſynaxin Papalem non Diaconos, modo & presbyteros, ſed etiam Epiſcopos complures concurrere videmus. Sed nos recoctum ac induratum vitilitigatorem Mulmannum mittamus; cujus nugas & pingues elenchos ſatis ſuperque confutavit vir doctiſſimus Henricus Iulius Blumen luculentiſſima illa defenſione, quam in eum edidit.

* Ord. Rom. de Proceſſ. ad Miſſ. T. 10. Bibl. Patr. p. 6. &c.

Manſiſſe ſequentibus ſeculis apud Eccleſiam Orientalem illam altaris in una æde unitatem teſtatur *e* Chryſoſtomus, ubi de totius Eccleſiæ concordia, atque unione verba faciens; *Etenim* (inquit) *tanquam domum unam*, Sic *Eccleſiam habitare decet & omnes ut unum corpus, affectos eſſe convenit; quemadmodum videlicet & baptiſma unum eſt, & MENSA una, & fons unus, & creatio una, & pater unus, καὶ γὰρ ὡς μίαν οἰκίαν δεῖ τὴν ἐκκλησίαν οἰκεῖν, ὡς σῶμα ἕν, οὕτω διακεῖσθαι πάντας. οὕτω καὶ βάπτισμα ἕν ἐστι, καὶ τράπεζα μία καὶ πηγὴ μία καὶ κτίσις μία, καὶ πατὴρ εἷς.* Id ipſum patet ex ſcriptoribus, qui nuſquã plura in eadem æde altaria memorare reperiuntur; & *altaris* quoties de eo ſermo eſt, Græcum nomen in numero ſingulari conſtanter efferunt; qualiter Athanaſium τράπεζαν, *menſam*, Petrum Alexandrinum, & Theodoretum, θυσιαστήριον *altare* dicentes nuper audivimus. Ita etiam Socrates loquitur, ubi Antiochenum altare, non ad Orientem, ut in aliis Eccleſiis fieri ſolebat, ſed ad occaſum ſpectaſſe obſervat. ἐν Ἀντιοχείᾳ δὲ &c. τὸ θυσιαστήριον πρὸς δύσιν τὴν θέσιν ἔχει. *Altare* dicit; non *altaria*. Si plura fuiſſent in illa Eccleſia, haud dubie in plurium numero dixiſſet. Neque enim ſi plura fuiſſent, diverſo ac contrario inter ſe ſitu in eadem Eccleſia poſita dixiſſet. Non ergo *altare*, quod ſcripſit, ſed altaria dixiſſet Antiochiæ Syriæ contrarium

e Chryſ. Hom. 18. in 1. ad Cor. p. 674. E.

f Socr. Hiſt. L. 5. c. 21. (Lat.) 22. (Gr.)

Ffffff 3 ab

ab aliis Ecclesiis situm habuisse. Cæterorum Græciæ scriptorum eadem ratio est, quoties quidem de una Ecclesia loquuntur.

Sed & sexto seculo templum S. Sophiæ Constantinopoli à Justiniano conditum, quo nullum Sol apud nostros vidit magnificentius, unum altare, non plura habuisse non obscure docet *g* Evagrius, cum in ejus descriptione loci ad faciendam Eucharistiam comparati, unius tantum meminit, quem *sacram concham* vocat, *in qua* (inquit) *incruentum immolatur sacrificium.* τὴν ἱερὰν κόγχην, ἔνθα τὰ τῆς ἀναιμάκτου καλλιερεῖται θυσίας. Græca hæc ita constituta sunt, ut significent nullum in ea æde, nisi hoc uno loco factum esse sacrificium. Quam autem dicit κόγχην eo plane sensu videtur dicere, quo Paulinus ipsum illud nomen, Latine aliquoties usurpat *h concham* dicens, quam Rosueidus *absidem* esse ait, *i* & cum hoc Euagrij loco illum Paulini comparat. Ea ergo *concha* basilicæ *absis* erat; apud quam altare ad rem divinam faciendam ponebatur; unum adeo in una concha. Ita in nobilissimis, longeque celeberrimis ac facile primariis totius Ecclesiæ Orientalis basilicis quatuor Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, & Constantinopolitana, unum in singulis altare, non plura fuisse vidimus. Rem in cæteris templis ejusdem Ecclesiæ eodem se modo habuisse ipsa eorum constitutio ostendit à quo illa tempore libere à nostris ædificari cœperunt, plena pace paulo post quarti seculi initia Christianis à Constantino Augusto reddita; quod à doctissimo illo Blumeno nostro, cujus paulo ante memini, acute ac solerter observatum est. Satis enim constat (quod ille etiam nonnullorum & quidem eruditissimorum ex Latinis scriptorum testimonio confirmat) sacrarum ædium partes olim fuisse tres; Primam sanctissimam, quam *sacrarium*, etiam *adytum* appellabant, quod solos in eam sacros homines ingredi fas esset; Alteram, quæ ναὸς *templum* totius nomine ad unam partem restricto, vocabatur, quæque fidelium Laïcorum erat sedes; Tertiam, quam eruditi νάρθηκα à Græcis dictam esse docent, in qua Pœnitentes & Catechumeni consistebant. Hæc Bellarminus non modo confitetur; sed etiam indicatis plurium Græcæ Latinæque Ecclesiæ scriptorum locis firmat. Altare in uno sanctuario, non alibi, collocabatur; quod cum tangi quidem à Laïcis, à Catechumenis vero etiam videri nefas esset, stultum est & à veteris Ecclesiæ disciplina alienum putare id vel in Catechumenorum, vel etiam in Laïcorum locis fuisse positum. Iam neque credibile est, in uno sanctuario plura fuisse constituta altaria; Nullum certe in omni prima antiquitate tam absoni usus cernitur vestigium. *Altare* autem hic intelligo sacram Domini mensam, apud quam conficitur, & ex qua communicaturis dispensandis tollitur panis Eucharisticus. Fateor enim *Prothes eos* mensam illic quoque & fuisse jampridem, & nunc esse apud Græcos, quam Latini sæpe, & ipsi si forte Græci *altaris* nomine donant; sed latissime sumpto vocabulo; quod Ecclesiæ veteris usus ad mensam Dominicam significandam transtulerat. Atqui panis sacer in Prothesi præparatur tantum ad sacram synaxin; cæterum neque

g Euagr. L. 4 c. 30 Lat. 31. (Gr.)

h Paulin. ep. 12. p. 151. 152.

i Rosueid. ad Paulini ep. p. 785. & 795.

k H. Iul. Clum. defens. contr. Mulm. §. 75. p. 70.

l Bell. L. 3 de cult. Sanct. c. 3. init.

neque apud eam conficitur, neque ex ea distribuitur. Neque vero putandum est solis Græcis vel vetustissimis olim fuisse, vel recentissimis nunc esse hunc morem. Patet ex eorum monumentis, qui mediis inter utrosque temporibus scripserunt, eandem quoque illorum ævo fuisse consuetudinem. Primo enim si præter unum illud in sanctuario positum, aliquod aliud apud suos fuisset, alia ab eo, cum de illis rebus sermo incidit, distinxissent, & hoc quidem *maius* dixissent, quomodo nunc Latinos instituere ac loqui talibus locis videmus; hoc nomine eam aram, quę in singulis Ecclesiis princeps est ac primaria, à cæteris inferioris dignitatis in eadem æde altaribus hoc elogio separantes. At in omni Græcorum cujusvis ævi scriptorum copia nihil uspiam hujusmodi occurrit. *Altare*, vel quod idem est, *mensam* simpliciter atque constanter in singulari numero dicūt: quia scilicet nullum aliud in eorū Ecclesiis altare erat, præter id quod in sanctuario extabat; cujus adeo nomini nullum singulare elogium addi necesse erat, quo ut fit apud Latinos, ab aliis ejusdem templi aris secerneretur. Græcos ita loqui solere docent allata Athanasij, Petri Alexandrini, Chrysostomi, Theodoreti, Socratis loca. Sic etiam posteri; ut Theophanes apud Anastasium, ubi Mariam Leonis Augusti uxorem dicit *processisse ad magnam Ecclesiam, & orationem ante ingressum altaris effudisse*. Ac ut hic altare, ita alibi *mensam sanctam* eodem sensu ac numero dicit. Huc & illud accedit, quod inter mediæ ætatis Græcos scriptores nonnulli reperiantur, qui res omnes Ecclesiasticas enarrant, quoque eæ referantur & quid significent diligentissime exponunt; ut de seculo septimo Maximus: de octavo Germanus, de decimoquarto Cabasilas, & alij. Hi qui etiam minutissima consectantur, neque quicquam, quod sit alicujus momenti indictum transmittunt, ne unam quidem de secundariis illis altaribus syllabam uspiam scribunt. Prothesin quidem illi diserte memorant, tametsi ea ut diximus, non sit altare: In altarium vero ordine nullum aliud censent, quam illud unum quod in adyto est. Germanus altaris, & quidem honorificentissime meminit: sed unius: de quo quædam tradit, quæ ad ejus in unaquaque Ecclesia unitatem apertissime referuntur. *in Sancta mensa* (inquit) *est vice loci sepultura, in quo positus est Christus* &c. *Est quoque ipsa Dei sedes* &c. Item: *Sancta mensa est vice mensæ Christi cum discipulis*. Et paulo post: *Altare* (inquit) *est & dicitur præsepe & sepulcrum Domini*. Atqui his ipsis rebus unū in singulis Ecclesiis altare constituit, Nimirum ut Dei sedes, & Christi mensa, una fuit: Ut unum Christi & præsepe & sepulcrum. Nihil ergo dubitandum est, quin hic unius altaris in una Ecclesia usus perpetuus apud Græcos à primis temporibus ad hodiernum diem fuerit.

in Germ. Theoriret. Eccles. T. 2. Bibl. Patr. Gr L p. 133. B. C E.

CAPUT

CAPUT XXXI.

Eundem morem unius aræ in una æde ponendæ apud Latinos quoque usque ad Hadriani I. tempora, id est ad octavum seculum præceps mansisse, demonstratur pluribus testimoniis & argumentis. Solvuntur duo à Bellarmino ex Ambrosio & Gregorio objecta. Altaria in plurali pro altari in singulari numero dici apud Patres, etiam à Rosueido observatum. Tumulis Martyrum aræ, & altaris, mensæ nomen catachrestice attributum. Tumuli Martyrum olim ad Gregor. Turon. non erant plani, sed turriti: & gibbosi.

LAtinos eadem primis seculis secutos esse persuadet; primo utriusque Ecclesiæ per illa tempora in plærisque ritibus consensio, atque conformitas. Siquid hac in parte inter utramque discriminis fuisset, id illius memoriæ scriptores æque observassent ac alia etiam minutiora observarunt, siqua essent in quibus Latini n Græcis discreparent. Atqui nemo quicquam apud illos ab his ea in re diversum fuisse tradidit. Secundo cum eandem apud utrosque per illa tempora fuisse constet templorum formam, atque positionem, eandemque disciplinam sacra Catechumenis quidem occultandi, fideles vero ab ingressu sanctuarij prohibendi, illud, quod hinc, ut diximus, consequitur, pariter quoque constare videtur, ut ne apud Latinos quidem ullum esset in una Ecclesia altare, præter unum illud, quod in sanctuario habebatur. Tertio; Latini certe ipsi in suo Breviario tradunt n Petrum, & sequentes ab illo ad sylvestrum usque (id est ad quarti seculi initia) Pontifices uno tantum altari, eoque ligneo usos: *Cum* (inquiunt) *à S. Petro usque ad Sylvestrum propter persecutiones, Pontifices certo loco consistere non possent, quocumque eos necessitas compulisset, sive in cryptas, sive in cœmeteria, sive in ædes piorum super illo altari ligneo ad arcæ similitudinem concavo sacra faciebant.* Mox eadem repetunt; *Petrum & reliquos Pontifices usque ad id tempus* (Scilicet) *ad mysteria conficienda eo altari usos fuisse.* Ergo toto illo tempore unum fuit ejus Ecclesiæ altare, in quo ipse Romæ Episcopus sacra faciebat. Neque quicquam hac in parte à Silvestro mutatum dicunt. Tantum tradunt eum edixisse ne deinceps altaria fierent, nisi lapidea. Quarto: Si semel tantum, non sæpius de die in eadem æde sacra celebrare Latinorum cum Græcis commune per illa tempora fuit: non videtur dubitandum, quin unum etiam apud illos altare in singulis Ecclesiis fuerit, non plura. Quorsum enim plura altaria in eo loco, ubi una tantum sacra apud altare fiebant? Iam vero doctissimus Goar negat o *Ecclesiam Latinam se ab huiusmodi laudando* (sacra eadem die semel faciendi) *ritu præbuisse alienam*; & sententiam hanc suam aliquot argumentis firmat, Petrique

* Anast. Hist. Eccl. in Leon. Isaur. an. 3. p. 132.
† ibid p. 156.
n Brev. Rom. d. 9 Nov. Lect. 6
o Goar. Not. in Euch. Græc. p. 18.

Vrbe-

CAPVT XXXI.

Vrbevetani suffragio ita scribentis; *p olim ad instar Græcorum non cantabatur* (inquit) *in Ecclesia nisi forsan una Missica, quod magis ædificabat secundum antiquos.* Addit Goar, & Francisci, celeberrimi Monachorum mendicantium parentis, ad sui ordinis sacerdotes præceptum; *Moneo* (inquit ille *& exhortor vos in Domino ut in locis, in quibus morantur fratres, una tantum celebretur Missa in die secundum formam S. R. Ecclesiæ. Si vero in loco plures fuerint sacerdotes sic per amorem caritatis sit alter contentus audire celebrationem Sacerdotis alterius. Ex quibus* (inquit Goar) *evidenter deducitur Sancti illius ætate* (id est seculo 13.) *nondum Ecclesiam Romanam plures Missas eadem die celebrandi consuetudinem ubiq; acceptam habuisse.* Neque vero est, quod quisquam Leonis ad Dioscorum decretum objiciendum putet; *Cum* (inquit) *solennior festivitas conventum populi numerosioris indixerit & ad eam tanta fidelium multitudo convenerit, quam recipere basilica simul una non possit sacrificij oblatio indubitanter iteranda.* Hæc vero id, quod nos contendimus, constituunt potius quam evertunt, juxta vulgare verbum, *exceptio firmat regulam.* Nam decretum Leonis docet extra singularem illam, quam adfert, *solennioris festivitatis* caussam, non esse iterandam in eadem Ecclesia, synaxin sacram. Si aliter fuisset, ut est hodie apud Latinos, supervacanea ne dicam ridicula, futura erat Leonis constitutio. Conclusum ergo esto ipsis Leonis temporibus, id est quinto seculo adulto etiam Romæ solenne fuisse, in una Ecclesia & unam tantum fieri synaxin, & unũ adeo poni altare. Quinto; Hieronymus, quæ Pseudo-Ignatius & Chrysostomus Græci supra dixerunt, eadem ipse Latinus scribit, cum ad illa Prophetæ Amos verba, *super altaria Bethel,* hæc commentatur; *r Non unum* (inquit) *altare, quod habet Ecclesia,* Quo respexit *s* quatuor post Hieronymum seculis, Lugdunensis Præsul Agobardus: *Audiat* (inquit) *etiam hoc Amalarius, quia sicut unũ altare Ecclesiæ, ita unus panis corporis Christi, & unus calix sanguinis eius.* Atq; inde orta est illa vetustissima Ecclesiæ de schismaticis seorsum ab ea sacra sua facientibus, vulgaris locutio, *altare contra altare erigere* sexto. Id ipsum inde confirmatur, quod illa à nobis jam memorata majoris & principis in Ecclesia aræ à cæteris distinctio apud vetustiores Latinos nõ magis, quã apud Græcos uspiã occurrit. Vt hi, sic & illi quoties de altari alicujus Ecclesiæ sermo incidit, *altare* simpliciter nominant: nullo addito ad nomẽ epitheto, quo id ab aliis diversi ordinis altaribus secernatur: Cur distinctio talibus locis, ad sermonis perspicuitatẽ necessaria, à recentioribus quidẽ diligenter adhibetur? à vetustioribus constanter omittitur? Nimirum apud illos sunt plura in codẽ templo altaria, quæ inter se ita distingui decet, ut quod primariũ est, *majus* dicatur; Apud hos vero non erant plura, sed unum tãtum in singulis Ecclesiis, à quo distingui quæ nulla erant, alia supervacaneum erat. Ita vero ut diximus, locutos esse etiã veteres Latinos, exemplis demonstrandũ est Marcellinus & Faustinus de suæ in quadã Bæticæ provinciæ civitate basilicæ eversione ac direptione loquentes; *t Postremo* (inquiunt) *quod horroris est dicere, ad cumulũ perpetrati sacrilegij ipsum altare Dei de Dominico sublatum, in templo sub pedibus idoli posuerunt.* Iidem infra

p Petr. Vrbev. schol. in Pontif. in Deus, dedit.

q Leo I. ep. 81. c 2. p. 456. C.

r Hier. L. I. in Am. c. 3. 14. T. 6. fol. 38. D.

s Agob. contr. Amalar c. 13. p. 115.

t Marcell. & Faust. Prec. ad Imper. p. 64.

Caput XXX.

de suorum Ecclesia, quæ in Oxyrinchi civitate erat, à Theodoro Episcopo subversa; *u Eam ille evertit* (inquiunt) *ita ut ipsum altare Dei securibus dissiparent.* Ruffinus de Alexandro Constantinopoleos Episcopo apud ædem sacram in precibus & lacrymis pernoctante, *Tum ille nocte: qua ad constitutum intererat diem: sub ALTARI iacuit:* & cætera ut in loco supra descripto habentur. Augustinus in loco jam ibidem recitato z de Maximiniano Episcopo; *In qua* (inquit) *Ecclesia sub ALTARI quo confugerat, eodem supra se fracto casus.* &c. Dixisset, ut nunc fit, *sub altari maior,* si duo istic aut tria altaria fuissent; non unum tantum Concilium Arelatense tertium, circa an. D. 455. de Monasteri Liriuensis Ecclesia; *a Vt Clerici atque altaris ministri à nullo, nisi ab ipso* (Theodoro Foroliviensi Episcopo) *vel cui ipse iniunxerit ordinentur.* Cur non dixit, ut nunc loquuntur, *ALTARIUM*? Quia unum scilicet in illa Ecclesia erat altare. Victor Vitensis, Vandalicam Ecclesiæ Africanæ persecutionem describens, narrat de Proculo quodam, Gieserici Regis Vandalorum ministro, cum is à Sacerdotibus Ecclesiæ Zeugitanæ *ministeria sacra, vel libros divinos* extorquere nequivisset; *b Ipse* (inquit) *rapaci manu cuncta depopulabatur, atque de pallis ALTARIS proh nefas! camisias sibi & femoralia faciebat.* Narrat idem *c* paulo post in quodam loco (Africa) qui *Regia* dicitur plurimos festo Paschalis in Ecclesia sagittis & jaculis à persecutoribus *in medio crepidinis ALTARIS fuisse occisos.* Idem postquam Fœlicis cæci Carthagine in solenni Epiphaniæ baptismo apud Fausti basilicam illuminati miraculum descripsit, *d Procedit* (inquit) *ad ALTARE cum Eugenio* (loci Episcopo) *sicut moris est, qui fuerat cæcus, suæ salutis oblationem Domino redditurus.* Unum nempe erat in basilica hoc altare; quod scriptor à cæteris, si qua alia fuissent, aliquo hic elogio distincturus erat. Gregorius Turonicus de Brivatensi Ecclesia; *e Unus per effractam seu fur, in ALTARI sancto fenestrā vitream ingreditur.* Si plura in illa æde fuissent *altaria,* dixisset *in maiori altari,* vel certe, *in uno altarium.* Idem de Clerico Aredij in basilicam S. Iuliani ad festivitatem ingrediente, *f Cum venisset ad ostium reperit remotos undique populos usque sanctum ALTARE.* Idem de basilica S. Martini Turonica loquens narrat *g se Iuliani reliquias super ALTARE posuisse.* Item; *h Sacerdos nihil aliud pro reliquiis in Sanctum ALTARE sanctum ALTARE condere voluit, nisi vasculum* &c. Idem de corpore S. Visini, primi Biturigum Episcopi, in alio opere; *i Gaudente populo iuxta ALTARE sepelitur.* Parco plura describere. Sunt enim hujus generis omnia vetustiorum loca similia. Sed hic nō est prætermittēdum, quod eo quoq; pertinet, quodque Blunichus noster solerter observavit, *k* Anastasium in Vitis Pontificum Romanorum *ALTARIS MAIORIS* in Hadriani primum vita meminisse, & deinceps in sequentium Paparum vitis eodem modo loqui; In Episcoporum, Hadriano anteriorū, similibus factis *altare* simpliciter dicere. Egregia est observatio, & vera. Nam vitarum quæ in illo volumine à Silvestro usq; ad Hadrianū habentur, auctor quisquis est, sane vetus (neq; enim earum omnium maxime priorū, Anastasius, sed alius aliquis eo vetustior, scriptor fuisse videtur) ille, inquam

quoties

u Ibid. p. 79.
x Ruffin. Histor. L. 10. c. 12.
y Supr. c.
z Aug. L. 3. contr. Cresc. c. 43.
a Conc. Arel. 3. T. 1. Conc. Gal. p. 121.
b Vict. Vitens. L. 1 de persec. Afric. p. 13.
c Ibid.
d Ibid. L. 2. p. 31.
e Greg. Tur. de glor. Mart. L. 2. c. 34.
f Ibib. c. 28.
g Ibid. c. 26.
h Ibid. c. 40.
i Id. de glor. Confess. c. 8. extr.
k Henr. Iul. Blun. ubi

quoties de una Ecclesia sermo est, nunc quam *altaria* in numero plurali, sed *ALTARE* constanter in Singulari dicit. De Sixto, *l* qui a. D. 432. Romæ sedere cœpit; Ille in basilica S. Mariæ obtulit (inquit) coronam pharam ante *ALTARE* argenteam. Iterum de eodem; *m Ornavit transennam & ALTARE in æde Sancti Laurentii.* De Hilaro; *n* In Basilica Constantiniana *fecit pharacanthara argentea, quæ pendent ante ALTARE.* De Symmacho; *o* In basilica S. Silvestri, & Martini à se constructa *fecit tugurium argenteum super ALTARE.* Atque hi quidem quinto sæculo sederunt. De sexto sæculo eadem occurrunt De Hormisda, *p* qui a. D. 514. ordinatus est, *Fecit in basilica Constantiniana arcum argenteum ante ALTARE.* De Vigilio Constantinopoli versante; *q Fugiens in Ecclesiam S. Euphemiæ tenuit columnam ALTARIS.* Neque aliter de Papis septimi sæculi. De Benedicto II. qui sedit a. D. 687. *r Fecit coopertorium super ALTARE.* De Sergio; *s* In æde S. Petri, cantharos & coronas, quæ *ante Sacrum ALTARE ex antiquo pendebant, fecit.* Sic etiam de iis loquitur, qui octavo sæculo vixerunt. De Ioanne sexto; *t Hic super altare Ecclesiæ S. Marci coopertorium fecit.* Item de eodem *u In Basilica B. Pauli inter columnas ALTARIS dextra lævaque vela alba fecit.* *x* De Gregorio secundo; *Hic in basilica B. Pauli Apostoli, cujus pars magna ceciderat ALTARE à novo;* fecit. De eodem; *y* In Patriarchio Oratoriam in nomine S. Petri Apostoli *refecit, & circumquaque ALTARIS parietes deargentavit.* De Gregorio III. *z In Ecclesia S. Chrysogoni obtulit vestes ALTARIS.* Item, *a in basilica S. Calixti contulit vestem ALTARIS* Item, *b* In Ecclesia B. Genesis *ALTARE erexit, & crucem auream pendentem super ALTARE.* Denique de eodem, *c In Ecclesia B. Pauli Apostoli trabes ab arca ALTARIS usque ad regias resarcivit.* De Zacharia; *d Hic fecit vestem super ALTARE B. Petri.* Eadem de eodem verba habet infra, *e* ubi de altari S. Andreæ Apostoli sermo est Denique de Stephano IV. qui a. D. 768. sedit non pluribus, quam quatuor ante Hadrianum annis, *f In Ecclesia Salvatoris fecit tres regulares argenteos super ragas per quas ingrediuntur ad ALTARE.* Atque hæc quidem ex libro Pontificali Damasi hactenus. Si his à quarto sæculo ad octavum adultum temporibus usus & mos latinorum fuisset plura in vna æde altaria ponere, ea profecto in illis vrbis Romæ basilicis, & quidem plurisque amplissimis ac splendidissimis plura posita fuissent, Neque si posita essent, taciturus erat scriptor singula singulorum Paparum opera curiose ac pæne ambitiose enarrans. Atqui nihil illa huiusmodi de quoquam eorum, quorum nomina edidi, Pontificum dicit. Quoties eorum aliquod opus in *altari*, vel *circa*, vel *ante*, vel *super* altare Ecclesiæ alicujus memorat, nunquam ille aliter quam altare in singulari numero dicit. Ergo inde intelligendum unum duntaxat in singulis Romæ Ecclesiis altare fuisse, non plura adeoque hactenus Latinorum cum Græcis communem hunc morem atque ritum fuisse. Neque ab alio prius quam ab Hadriano vel saneSub eo mutatum fuisse verisimile est. Nam ex iis qua obseruata

CAPUT XXX.

l Pontific. Damasi. in Sixto.
m Ibid. p. 26.
n Ibi. in Hil.
o Ibid in Symmach.
p Ibid. Hormisd.
q Ibid. in Vigil.
r Id. Bened. 2.
s Id. in Serg.
t Id. in Io. 6.
u Ibid.
x Id. in Gr. 2.
y ibid.
z Id. in Greg. 3. p. 73.
a Ibid.
b Ibid.
c Ibid. p. 74.
d Ibid. in Zachar p 78.
e ibid. p. 80.
f Ibid. in Steph. IV.

Caput XXXI.

sunt, licet animadvertere priorem unius in una æde altaris sacrádi unum etiam sub Stephano, proximo Hadriani decessore obtinuisse.

* In Hadr. p. 309.

In Hadriani demum vita illa unius altaris à cæteris ejusdem Ecclesiæ distinctio primum ita occurrit:* *In Ecclesia sanctæ Dei genitricis ad præsepe fecit vestes duas super ALTARE MAIORE*; quæ locutio in sequentium Paparum vitis sæpicule usurpatur.

g Bell. L. 2. de Miss. c. 9. §. Quinto id probo.
h Ambros. ep. 33.
i Greg. L. 5. ep. 50.
k Supr. c. 30.
l Rosueid Addend. ad Not. in Paulini ep. 12. p. 894.
m Paulin. ep. 12 p 150.
n Ibid. p. 145.
o Ibid. p 146.
p Ambros. L. 1. ep. 2. p. 509. D.
q Id Orat. de obitu Theod. pag. 492. A.

Bellarminus duo quædam huic nostræ sententiæ objicit; g Prius est, quod Ambrosius ubi de una basilica verba facit, scribit h tamen *milites in altaria irruentes osculis significasse pacis insigne.* Alterũ quod Gregorius diserte affirmat *i in una quadam Ecclesia fuisse tredecim altaria.* Ad prius, doctissimus Iesuita Rosueidus eam nobis, quã supra k innuimus, suppeditat solutionem, ad hujus similem Paulini locum ita scribens: *l Nec movere debet, quod hic habeas altaria in numero multitudinis. Nam ita & mox habes in carmine, Sancta Deo geminum velant altaria honorem, cum tamen præcedat, Hic titulus indicat deposita sub altari sancta sanctorum.* Hæc ille; recte sane atq; apposite. Nã & paulo ante Paulinus eodẽ quoq; modo ac sensu *altaria* in plurali numero dixerat *m* pro *altari* in singulari, in epitaphio Clari Presbyteri sub altari conditi, *Sãcta sub æternis altaribus ossa quiescunt*; & mox de eodẽ, *n Digna pio domus est altaria, sub quibus artus Conditur exanimes.* Deniq; sequenti in eundẽ carmine: *o Casta tuum digne velant altaria corpus.* Ita & ipse alibi Ambrosius de uno altari, quod Exodi 24. apud Moysen legitur, *Sanguinis* (inquit) *partẽ infundens altaribus sacris*: i. e. sacro altari. Iterũ in alia re Honoriũ Theodosij filiũ *adstitisse* dicit *q sacris altaribus*: i. e. ut quivis videt *sacro altari.* Nihil ergo mirandũ est, quod Ambrosius *altaria* in loco objecto pro uno *altari* dixerit; cũ & ipse & Paulinus ejusdem ævi scriptor & alij plurale hujus nominis pro singulari nõ semel usurpasse noscantur. Sed, inquit, Gregorius, qui septimi seculi initia vivendo attigit diserte testatur in Ecclesia à Paliadio Sanctonico Episcopo constructa, fuisse altaria tredecim. Nihil opus est hic excipere Gregoriũ Ambrosio totis ducentis annis esse juniorem. Promptum est respondere tredecim illa, quæ Gregorius dicit *altaria* non fuisse totidem mensas Dominicas, in quarum singulis sacra quovis solenni die fierent: quales sunt multæ illæ veri nominis, quæ hodie in Latinorum Ecclesiis visuntur *aræ.* Ex ipsa Gregorij epistola quatuor nominatim fuisse manifestum est, quæ recipiendis, condendisque Petri, Pauli, Laurentij atque Pancratij reliquiis comparatæ essent. Vnde pronum est argumentari novem reliqua altaria ejusdem fuisse cum quatuor illis census: nisi forte unum excipiendum esset, quod esset legitimum, solenne ac stricte dictum Ecclesiæ illius altare. Illa nimirum altaria ideo dicuntur, quod totidem Martyrum, vel Confessorum corpora tegerent. *Altaria* ergo Gregorius illos sanctorum tumulos impropriè per catachresin ex communi sermonis vulgaris usu dixit. Nam eam locutionem jampridem apud nostros obtinuisse, ut Martyrum scilicet tumuli *aræ & altaria* dicerentur ob eorum aliquam cum Dominicis mensis similitudinẽ docet nos Optatus Gregorio multo antiquior. Is enim aras vocat, tumulos, *r* quos Donatistæ Circuicellionibus suis

r Optat. L. 5. p. 68. med.

suis ab armato Taurini milite occisis posuerant: *Quorum* (inquit) *corpora usq; in hodiernum per dealbatas aras, aut mensas poterunt numerari.* Per *aras* &c. (inquit Albaspineus) *s per dealbatos tumulos in aræ formã constructos.* Optatus *aras* vel *mensas* ex vulgi usu non dubitat eos tumulos dicere, qui non Martyrum, sed Latronum Circumcellionum corpora tegebant, quod eos scilicet Donaristæ eos loco ac nomine censebant. Quanto facilius altaria Gregorius dixerit tumulos quibus Catholicorum ac vere sanctorum virorum exuviæ condebantur? Ad similitudinem tumuli cum altari, quod utriusque externa forma pæne esset eadem, illud quoque accedebat, *quod apud ista Martyrum sepulcra quotannis die* singulorum natali sacra recepto tam more fierent. Porro ex hoc Optati loco apparet *mensæ & aræ* nomina vulgo fuisse hoc in sensu promiscua, postquam scilicet, quæ vere proprieque ex Domini instituto & exemplo, *mensæ* erant eas *altaria* quoque jam in tertij seculi primordiis vocari nostris placuit. Vnde confirmatur, quod nos supra *t* contra futilem Petronij Grammaticã de *aræ & altaris* indistincta in hoc negotio notione constituimus. Optatus enim hic *aras* dicit, quas ipse *mensas* interpretatur, quasque Gregorius *altaria* nominat. Itaque etiam illo ævo loca, in quibus fiebat Eucharistia, & *mensas, & altaria, & aras* promiscue nulloque discrimine vocitata fuisse ex his liquet. Quanquã quod addit Albaspineus *tumulos Martyrum in aræ formã constructos* fuisse; nescio equidem an usquequaque verũ sit. Fateor hoc *tumuli* cum *ara* fuisse commune, quod tumulus æque ac ara extaret, & supra terram in altitudinem pæne consimilem assurgeret. Fastigij eandem in tumulo ac in ara formam jam à primis temporibus fuisse non puto. Aræ enim summa pars & semper fuit, & hodie etiam est plana, quod de nostrorum aris *mensæ* quoque nomen indicat. Nimirum rei finis & usus flagitabat, ut plana esset, quæ ideo construebatur, ut super ea collocarentur & componerentur sacra dona. Tumulorum sub quibus condebantur hominum mortuorum, etiã sanctorum corpora, aliam fuisse rationem credere nos cogit insignis Gregorij nostri Turonici locus de Dionysij Episcopi & Martyris Parisiensis in æde vrbana sepulcro. Quemdam, ut videtur, Sigeberti Regis militem narrat, cum illam basilicam mente sacrilega furandi causa esset ingressus, dignam scelere mercedem tulisse. *u Alius* (inquit) *super sepulcrum Sancti* (*Dionysij scilicet*) *calcare non metuens dum columbam auream lancea quærit elidere, elapsisque pedibus ab utraque parte, quia turritum erat tumulum, compressis testiculis lancea in latere defixa exanimis est inventus.* Ipsa rei narratio negat summam tumuli superficiem planam fuisse. Si enim fuisset, facile quis in ea certo firmoque vestigio consistere potuisset. Nunc cur militis pedes ab utraque parte laberentur, hanc fuisse causam dicit Gregorius, quod *tumulus esset turritus.* Eo ergo significat, non planam, sed inæqualem fuisse tumuli summitatem; nimirum vel acuminatam, vel quod verius videtur, hemisphæricam, arcuatam, & in modum fornicis, semirotundam; ut tumuli moles, lateribus utrimque paulatim decrescentibus

CAPUT XXXI.

s Albasp. Not. ad L. 3. Opt. p. 146.

t Supr. c. 18. & seqq.

u Greg. Tur. de glor. Mart. c. 12. p. 93.

Caput XXXI.

bus in fastigium convexum desineret; in quo, nemo non videt difficile fuisse militem pede utroque juncto insistere nitentem, ut columbam auream, ad quam inhiabat, lancea decuteret. Eo factum est, ut pedes fallente vestigio, utrimque laberentur; ita ut femoribus hinc & inde divaricatis, corpore in tumuli fastigium corruente testes eo casu co nprimerentur. Hujusmodi olim fuisse sanctorum sepulcra docet Orentij Episcopi basilica apud Augustum Ausciorum in Novempopulania; in qua se vir amplissimus Iacobus Augustus Thuanus veteres sanctorū hac forma tumulos spectasse & observasse narrat. x *In templo S. Orentij* (inquit) *juvit spectare altaria hinc inde in templo posita; quæ sunt sepulcra Martyrum, ad quæ Christiani cœtus olim celebrari solebant, non mensæ, ut sunt nostra specie plana jacentia, sed dorsi gibbo assurgentia, cum nota Labari inscriptione, quæ duabus litteris Græcis Christi nomen refert: quod purioris antiquitatis seculum procul dubio arguit.* Hæc Thuanus. Ille quem dicit, Orentius is ipse est, quem alij *Orientium* vocant, y quemque Sammarthani fratres quinto inter Ausciences Episcopos loco numerant. z Quo is præcise tempore vixerit definire difficile est. Claudius Robertus eum ad an. Dom. 592. retulit. Sed quo auctore, non dicit. Dextri Chronicon etiam antiquiorem facit, *b* natum significans ante annum Domini 246. Sed Hispani impostoris, qui nostra memoria eum libellum Dextro subdidit, merito nulla est apud eruditos fides. Hoc certum est Orientium illum ante an. Dom. 506. vixisse; quo constat Nicetium, eius in Episcopatu Ausciensi satis magno intervallo successorem, Synodo Agathensi subscripsisse. *c* Antonius Bosius in admirando illo opere, quod *Romam subterraneam* inscripsit, exhibet nobis non pauca hujus formæ, arcuata & ad instar hemisphærij fornicata monumenta; quale illud est, quod *in decimo cubiculo Cœmeterij Sanctorum Marcellini & Petri via Lavicana inter duas lauros ad S. Helenam* extare tradit, * & cujus ipse iconem accuratissime effictam lectorum oculis spectandam subjicit. *In publicis ejusdem Cœmeterij viis innumerabilia ferme* dicit *n hujus generis arcuata monumenta*: cætera quidem picturæ omnis expertia: tria vero tantum ex eo numero reperta esse picturis exornata: & horum ipse imagines ex inciso ære expressas edidit. Occurrunt & alia in eodem opere non pauca ejusdem formæ monumenta; ut id verbi gratia, quod in Cyriacæ Cœmeterio via Tiburtina repertum describit, *o* in quo vel ipsam olim Sanctam Cyriacam, vel certe aliam aliquam non dispari pietate matronam conditam fuisse non absurde ex figuris insculptis conjicit. Denique ne hic diutius immorer, ex uno Priscillæ via Salaria cœmeterio decem similia arcuati operis monumenta capite LXI. exhibet; *m* quæ inspicere ne pigeat siquis librum illum in promptu habeat. Iam cum magna sit ac veneranda istorum Cœmeteriorum antiquitas, non est dubitandum, quin Martyrum monumenta apud vetustissimos Christianos ea forma fuerit, quam & Dionysianus apud Gregorium tumulus, & sepulcra Sanctorum indicant tum apud Thuanum in S. Orientij æde non-

x Thuan. l. 2. de Vita sua p. 29

y Vsuard. & Ado in Martyrol.

z Samm. in Gall. Christ. T. 1. Auscir.

a Cl. Rob. in Gall. Christ. p. 29.

b Deut. Chron. ad an. D. 246. p. 33.

c T. 2. Conc. Gall. p. 174.

* Bos. in Rom. subterr. ed. Rom. à Gul. Facc. an. D. 1632. l. 3. c. 37. p. 365.

n Ibid. p. 391. 393.

o Ibid. c. 40. p. 405.

m Ibid. c. 61. p. 501. 515. 521. 523. 527. 529. 531. 535.

nulla, tum apud Bosium in Marcellini & Petri Cœmeterio & alibi in cryptis Romanis innumerabilia. Inde porro satis intelligimus Martyrum tumulis *aræ* vel *altaris* nomen late & valde improprie fuisse attributum, quorum scilicet ipsa forma exterior alia erat, quam *mensarum* aut *altarium*: nequid de propria rei ratione dicam: quæ non video quomodo utriusque rei eadem esse possit, cum nemo nesciat Domini *mensam sive altare* ad Eucharistiam celebrandam fieri; tumulos ad mortuos condendos comparari. Neque sane apud veteres scriptores ulla extat formula tumuli ad Eucharistiam conficiendam consecrandi. Quod ergo etiam vetustiores hoc sacrum super Martyrum tumulos fecerint; id per accidens fecerunt, ad eorum memoriam honorificentius celebrandam, & suam cum iis communionem testandam: iis temporibus, quibus nondum putabant altare ad sacram synaxin esse necessarium; quod supra *d* demonstratum est. Fateor postquam reliquiariæ religionis labes Ecclesiam pervasit, itum esse in pejus: & iis demum temporibus id si forte factum esse, quod Albaspineus dixit, *ut supra Martyrum monumentis sacra commode possent fieri, ea in altaris formam* (id est plana) *facta fuisse*. Sed id ne Gregorij quidem Romani ævo in Gallia nostra passim obtinuisse Gregorius noster ejus æqualis eo nos docet, quod Dionysij *tumulum turritum* Lutetiæ adhuc fuisse testatur: neque quo tempore id obtinuit, eo plura altaria in una Ecclesia statim erigi cœpisse concedo, in quibus quovis die sacra facere liceret: quales nunc apud Latinos aras videmus. Veri multo similius est super eos tumulos eo tantum quotannis die sacra facta esse, quo Martyr qui sub iis erat conditus, pro Domino passus erat: ita ut interea maneret uni mensæ Dominicæ, in sacrario positæ suum nomen, suaque dignitas: id est, ut una censeretur illius, in qua erat, Ecclesiæ solenne ac legitimum altare, solenni synaxi, quæ in ea fiebat, consecratum: in quo sacra stato singulis hebdomadibus die fierent, & ad quod Clerus ac populus communicaturi consuetis temporibus accederent. Ergo quæ Gregorius memorat Ecclesiæ apud Santones à Palladio ædificatæ *altaria*, dicimus sepulcra Martyrum proprie fuisse, *altarium* nomine non ex accurata loquendi norma, sed ex vulgari usu, late & catachrestice donata tum ob eam, quam observavi similitudinem, tum quod apud ea uno si forte anni die res divina fieret, non per se, sed per accidens, ad honorificam ejus Sancti commemorationem, cujus reliquiæ in singulis essent conditæ.

Reliqua duo, quæ à Bellarmino afferuntur *e* testimonia: unum ex vita Bernardi, alterum ex Petro Damiani, nihil moramur. Neque enim ij sumus, qui vel duodecimo seculo, quo vixit Bernardus, vel undecimo quo Petrus Damiani negemus plura altaria collocari in una Ecclesia cœpisse. Adeo ab hoc absumus, ut supra observaverimus ex Pontificali, quod dicitur Damasi, eum usum, vel potius abusum jam Hadriani P. R. I. temporibus obtinuisse; Quin eo usque ventum est, ut Carolus Magnus Hadriani æqualis, edixerit *f de altaribus, ut non superabundent in Ecclesiis*:

CAPUT XXXI.

d Supr. c. 28.

e Bell. ub. supr.

f Capit. Dominic. *Car. M.* c. 6. T. 2. Concil. Gall. p. 254.

Caput XXXII. *Ecclesiis*; vel, ut habet Appendix ad librum quartum Capitularis, *g ut non superflua sint*. Sed quod hic abusus octavo, vel etiam septimo si forte seculo alicubi irrepserit, eo haudquaquam fit, ne novus in Christianismo censeri debeat, qui anterioribus Ecclesiæ ætatibus nusquam, ac ne apud ipsos quidem Latinos, occurrit, apud cæteras vero Christiani nominis gentes Græcos, Moscovitas, Æthiopas, &c. neque tunc, neque consecutis temporibus, ac ne nunc quidem receptus sit; quod utrumque satis est, ut opinor, in superioribus *h* demonstratum.

g Capitul. Car. M &c. Append. 1. ad L. 4. c. 7. p. 71.

h Supr. c. 30.

CAPUT XXXII.

Rejectis in alia loca, quæ hic Bellarminus quædam disputat, demonstratur novum esse synaxin, etiam claro die, accensis cereis & funalibus celebrare; quod Latini etiam necessario faciendum esse decernunt. Id totis primis quatuor seculis ignotum nostris fuisse. Refelluntur quæ contra, sed perperam objiciuntur ex Athanasio, Gregorio Nazianzeno, Concilio Carthag. IV. Chrysostomo. Ne quinto quidem seculo eum ritum obtinuisse videri: tametsi jam tum quædam ritus rudimenta cœperint. Expenduntur Hieronymi & Augustini loca. Erasmi ad Hieronymum annotatio à Biblomastigibus Hispanis erasa. Septimo demum seculo cerei in Missa adhibiti apparent apud Isidor. Hispal.

Bellarminus ab aris transit *i* ad vasa sacra; id est calicem & patenam, & cætera. Nos calicis ad vinum, patenas ad panem sacrum conficiendum & ministrandum fatemur usum ab initio fuisse; neque negamus eo usu sacra & fuisse & dicta esse à veteribus. De materia calicis & patenæ jam supra *k* diximus; quæ Bellarminus aurea, vel argentea, quod nemo negat, jam olim fuisse multis frustra probat: Id quæritur, de quo ille nihil dicit, extiterit-ne apud Apostolicam & sequentem ad quartum seculum imo & ad sextum septimumve Ecclesiam ille Latinorum de his Canon; *l Calix & patena sint aurei vel argentei: non ærei, aut aurichalcei, vitrei vel lignei.* Nos nullum fuisse; imo apud ipsam Romam calicibus & patenis vitreis, etiam sub finem secundi seculi usos esse supra *m* ostendimus, eumque morem diu postea apud quasdam Ecclesias nulla censura notatum mansisse. Nova ergo est illa Latinorum lex, novus ex lege mos, aureis & argenteis vasis in hujus sacramenti administratione sic utens, ut vitreis, fictilibus, & ex quacumque alia materia uti sit nefas.

i Bell. l. 1. de Miss. c. 14. § De Sacr. vas.

k Supr. L. 3. c. 8.

l Pontif. R. Part. 3. Ord. ad Syn. & Miss. R. Rit. celebr. c. 1. § 1.

m Supr. l. 3 c. 8.

Proxime de cereis, quos Latinis ad suas Missas adhibent, agit *n* Bellarminus, Ac cereos quidem, vel ex alia materia luminaria sacris, si qua noctu fiant, adhiberi ipsa rerum ratio suadet ac cogit. Ita apud Lucam legimus

n Bell. ub. supr. §. De cereis autem.

legimus *o* Troade in cœnaculo, quo Paulus & discipuli ad frangendum panem convenerant, cum ea res in mediam noctem protracta esset, lampadas fuisse copiosas. Neque aliter postea in synaxibus Ecclesiæ primitivæ vel vespertinis, vel antelucanis sacra peracta fuisse quisquam mentis compos negaverit. Illud quæritur, an quod hodie apud Latinos fit, luminaria etiam ad eas synaxes adhiberentur, quæ de die, orto jam sole celebrabantur. Latini certe ei Missæ, *in qua non adsint luminaria, & quidem cerea,* aliquid putant *p* deesse, luminariumque hujusmodi absentiam diserte ac nominatim inter eos defectus censent, qui in ipso ministerio occurrunt. At ubi legitimæ, perfectæque ac solennis Missæ formam describunt, ibi *q* inprimis videmus sacerdote cum Diacono & subdiacono ad aram procedente Acolythos præire *deferentes candelabra cum candelis accensis, quæ deinde collocantur super credentia:* Illa autem candelabra in alia sacrorum parte *r* post lectum Evangelium *Acolythi de credentia sumunt.* Sed & ubi *s* hostiam sacerdos est elevaturus, *accenditur prius intortitium, quod nonnisi, peracto sacro exstinguitur.* Quin & ibidem do..ét in Missa solenni ad finem præfationis accendi duo saltem intortitia quæ exstinguuntur post elevationem; calicis; nisi aliqui sint communicandi; tunc extinguuntur post communionem. Quin & suas hostias cereis adeo gaudere putant, *t* ut ante eas, etiam extra Synaxin, in ciborio quiescentes, multas lampadas, vel si non sit ea copia, saltem unam diu noctuque jugiter ardere præcipiant. Illa autem sua lumina Tridentini una cum thymiamatis, vestibus, & aliis *ex Apostolica disciplina & traditione* Missis suis *adhibita fuisse* definiunt. *u* Sed hæc istorum definitio: quam non modo à veritate, sed etiam à pudore & verecundia aliena sit, alibi demonstravimus, & repetitis ex prima antiquitate testimoniis perspicue docuimus non modo ab Apostolorum, sed & à totius, quæ ad an. D. 300. fuit, Ecclesiæ traditione & usu abhorruisse, ut claro die lumina vel in Eucharistica Synaxi, vel in ullis omnino sacris apud nostros adhiberentur. Nam & Tertullianum istic edidimus pares Paganorum lucernas inter diurna eorum sacra accensas salse deridentem, *y* & arguentem pluribus nominibus hunc morem; ut *profanorum numinum honori dicatum*, ut *iis solis dignum, qui vera Christi luce carent, quibusque hac competunt testimonia tenebrarum*; denique ut *naturæ & rationi contumeliosum*; *Accendant* (inquit) *quotidie lucernas, quibus lux nulla est; Illis competunt testimonia tenebrarum.* Item; *Cur die lecto lucernis diem non infringimus?* Et: *Quis philosophum sacrificare, aut deierare, aut lucernas meridie vanas prostituere compellit?* Ibidem & Arnobium descripsimus circa quarti seculi initia Nationum Deos sugillantem *z* *cum lucernis & facibus amissa sub sole clarissimo quærentes*: & Eliberitanam Synodum planissime vetantem *a* fideles *lucernas publice* (id est de die) *accendere.* Qui sic vel de se vel in Paganos agunt, eos Tridentini vel imprudenter, vel certe stulte ac imperite fingunt in quotidianis sacris cereos, etiam rutilante

CAPUT XXXII.

o Act. 20. 7. 8.

p Miss Rom. Defect. circ. Miss. c. 10. §. 1.

q Ibid. Rit. celebr. c 2. §. 5.

r Ib. d. c. 6. §. 5.

s Ibid. c. 8. §. 6. & 8.

t Ritual. R. de Euch. p. 73.

u Conc. Trid. Sess. 22. cap. 5.

x L. 1. de cult. relig. obj. c. 15 pag. 263. 264.

y Tertull de Idol. c. 5 pag. 114. D.

y Id. Apolog. c. 46. p 40. A. & ibid c. 35. p. 32. B.

z Arn. L. 5. p. 220.

a Conc. Eliber. c. 37.

Caput. XXXII.

Sole, & accendisse ipsos, ac ut accenderent, ex traditione Apostolica habuisse. Bellarminus plane verecundior, qui rei originem à quarto demum seculo repetit: quanquam ne ipse quidem vere. Nam ne tum quidem morem apud nostros fuisse lucernas claro die accendendi, satis nos docet Lactantius, scriptor illius memoriæ disertissimus, dum id ipsum Paganis exprobrat, b *accendunt* (inquit) *lumina Deo velut in tenebris agenti.* *De cereis autem* (Bellarmini verba sunt) *quibus in Missa vtimur, ac præsertim dum legimus Evangelium, non desunt antiqua testimonia.* Tum Athanasium citat. Viderit ille, an sibi in Christianismo *antiquum* sit, quod post annum ejus trecentesimum editum est. Mihi nihil nisi, quod ab initio, à Christo & ab Apostolis est, *antiquum* videtur. Sed & illud quam astute dicit *sibi de cereis præsertim dum Evangelium legitur, non deesse testimonia*! Atqui nos de cereis nunc quærimus, *præsertim*, vbi Eucharistia elevatur ac sumitur; non vbi Evangelium legitur; Quærimus enim de Missalis sacrificij cereis; Sacrificium autem isti fieri, & factum sumi volunt, non vbi Evangelium legitur, sed dum sacerdos panem vel consecrat & elevat, vel sumit, vel aliis distribuit quo omni tempore non vnus apud eos claro die lucet cereus. Sed nunc aduersarij testes audiamus. *Athanasius* (inquit) *inter sacrilegia Arianorum vnum fuisse scribit, quod cereos Ecclesiæ idolis adolerent.* Hæc fateor, scribit d Athanasius. *Arianos candelabra ad parietem deposuisse, cereosque Ecclesiæ adolevisse idolis.* τὰς λυχνίας παρ' αὐτὰ ἐν τῷ τοίχῳ ἀπετίθεσαν. τοὺς κηρίωνας τῆς ἐκκλησίας τοῖς εἰδώλοις ἀνῆπτον. Hæc ille quidem dicit; de quibus nihil controversiæ est. *Cereos* illos accensos *fuisse, dum Eucharistia interdiu* vel conficeretur, vel ministraretur, de quo quæritur, vel saltem *dum Evangelium* (quod quæri callide, sed falso, supponit adversarius) *legeretur*, non *dicit*. Sed (inquit) quorsum ergo cereos habebat Ecclesia? Quasi vero cerei eam carere necesse fuerit, nisi quibus claro die uteretur. Habebat inquam, ad vsum nocturni luminis; qui scilicet omnium hominum communis est; & merito quidem. Noctu enim adscititium illud lumen tam necessarium est, quam interdiu inane ac supervacaneum. Illius autem ævi Ecclesiis nocturnum lumen, vt cæteros communes vsus taceam, certe ad sacras vigilias, quæ tum, diuque postea, & noctu, (non vt nunc interdiu) fiebant, & satis crebræ erant, non modo vtile, sed etiam necessarium fuit. Nihil ergo ad rem Bellarmini facit hoc Athanasij testimonium. Huc quoque pertinet illa Nazianzeno memorata facium ac luminarium gestatio λαμπαδηφορία καὶ φωταγωγία, quam pridie Paschatis actitatam fuisse in Ecclesia dicit, sed noctu, quod ipse satis significat, cum ait e *fideles largo illo suo igne noctem collustrasse*, δαψιλεῖ τῷ πυρὶ τὴν νύκτα καταφωτίζοντες. Illam enim noctem, quæ Pascha præcedit, *à Sabbati vespera pervigilem traducebant vsque ad horam* (noctis scilicet) *septimam, cantantes, ac lampades accendentes, atque imminentem servatoris nostri resurrectionem exspectantes*; ut in hunc ipsum

b Lact. Inst. L.6.c.2.
c Bell. vb. supr.
d Athan. ep. ad omn. Orthod. p.946. C.
e Greg. Naz. 3. Orat. 42 quæ est in Pasch. p.674.D.

illius

CAPUT XXXII.

Gregorij locum Nicetas, ejus Scholiastes, observavit. *Magnum* vero illud *lumen, cujus exsurgentis hesternum prænuntium* fuisse, ac veluti pro-fectum quodam de eo gaudium; cave putes alium, quam Christum ipso Paschatis die resurgentem significari. *Heri quidem* (inquit, à sabbati scilicet vespera ad horam noctis septimam) *lumen erat magni illius luminis exsurgentis prænuntium, ac velut quadam antepaschalis lætitia ac festivitas. Hodie vero ipsam resurrectionem celebramus, non jam in spe positam, sed iam ortam.* χθὲς μὲν πρόδρομον ἦν τοῦ μεγάλου φωτὸς ἀνισταμένου τὸ φῶς, καὶ οἷον εὐφροσύνη τις προεόρτιος· σήμερον δὲ τὴν ἀνάστασιν αὐτὴν ἑορτάζομεν, οὐκ ἔτι ἐλπιζομένην ἀλλ' ἤδη γεγενημένην. Ad has ergo illustrandas Paschatis, Natalis, & aliorum festorum prævias vigilias pertinebant illi ab Athanasio memorati Alexandrinæ Ecclesiæ qui inter Augustinianos circumfertur: *g sunt* (inquit) *multi, qui vovent, alius pallium, alius oleum, alius ceram ad luminaria NOCTIS.* Erant ergo tum in Ecclesia cerei, ad nocturnos usus. Unde quivis intelligit nudam cereorum apud veteres mentionem nihil ad hoc valere, ut constet eos cereis, etiam interdiu in Eucharistia celebranda usos. Itaque ex Concilio Carthaginensi IV. hic etiam à Bellarmino inter suos testes laudato, colligi quidem potest a. D. 399. quo Concilium habitum est aliquem fuisse cereorum in Ecclesia usum; nequaquam vero probari, quod contendit adversarius, jam tum accensa fuisse interdiu claro lucente. Sole in publica Synaxi luminaria, ne tum quidem cum legeretur Evangelium. Sic enim habet indicatus illius Synodi canon: *b Acolythus, cum ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat & urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Ecclesiasticam sanguinis Christi.* Hic quidem videmus officium fuisse Acolythi *Ecclesiæ luminaria accendere*, nimirum quoties erat eorum usus. Quando autem esset eorum usus noctu-ne an interdiu, non dicit Canon, neque docet ad eam Evangelij lectionem; quos claro die fiebat in Synaxi adhibita fuisse illa (quod Bellarminus vult) lumina. Noctu vero iis usam esse illius temporis Ecclesiam, patet ex Vigiliis, quæ tum noctu crebro celebrabantur: quo factum est, ut in eo Sermone, quem modo ex Augustinianis laudavimus, non simpliciter *luminaria*, sed [illegible] *noctis luminaria* dicerentur: quod frustra inepteque esset additum, si *die* æque, imo crebrius quam *noctu* fuissent in Ecclesia accensa. Huc etiam illa Ecclesiæ *lucerna* λυχνία pertinet à Chrysostomo memorata, qua scilicet in pervigiliis nocturnis, non autem in diurnis sacris uterentur. Mitto quæ Bellarminus ex ordine Romano & ex Chrysostomi liturgia laudat; quod illum quidem, quem hodie habemus Ordinem, post annum Domini millesimum scriptum esse constet; Hanc vero non paucis post Chrysostomum temporibus à

f Ibid. p. 675. A

g Aug. Serm. m. 7. de tempore. p. 214. A.

b Conc. Carth. 4. c. 6. T. 1. Concil. p. 728 B.

i Chrys. homil. 32. (Lat. 33) in Matth. p. 386. E.

Caput. posteris auctam, & ad vsum currentis ævi à posteris accommodatam
XXXII. atque interpolatam fuisse manifestum sit.

Sed nunc expendenda sunt, quæ Bellarminus ex Hieronymo secundo suo teste objicit. Vigilantius, in quem a.D.406. librum Hieronymus, judice Baronio, hunc scripsit, dixerat, k in honorem reliquiarum *prope ritum Gentilium sub prætextu religionis introductum fuisse in Ecclesiis; Sole adhuc fulgente moles cereorum accendi.* Mitto quam de reliquis & earum veneratione tractat controversiam, de qua nos proprie alio loco egimus, ac fuse demonstravimus l illum morem tum recens in Ecclesiam invectum esse præter prisci Christianismi vsum ac fidem; m sibique Hieronymum ac suo ingenio in ea caussa nimium indulsisse. Nunc nobis de luminaribus, non de aliis hoc loco consistendum est. Ac ea quidem lumina, quæ reprehendit Vigilantius, nihil ad præsentem caussam pertinent, quod ea, non ad Eucharistiæ celebrationem, sed ad reliquiarum cultum. *Sole adhuc fulgente accenderentur*; Illud tantum in hac Vigilantij criminatione observandum est, quod ille hæc ita fieri *Gentilium ritu* denotat; quos sane ita instituisse, ut lucernæ ad cultus religiosos accenderentur & ex ipsorum monumentis, & ex iis Tertulliani atque Arnobij locis patet, quæ nos paulo ante attigimus. Iam vero si non modo Ecclesiastica, sed etiam (quod definiunt Tridentini) Apostolica traditio, consuetudoque hæc fuisset, vt cerei ad Eucharistiæ celebrationem quotidie apud nostros *Sole adhuc fulgente accenderentur*; in credibile est tantam futuram fuisse Vigilantij stultitiam atque proterviam, ut morem à sanctissimis Apostolis traditum, & in Ecclesia vniversali solennem ritum Gentilium dicere auderet. Potius illud esset indignatus, quod honos qui Augustissimi Eucharistiæ sacramenti proprius erat is absque ulla vel veteris, vel præsentis Ecclesiæ lege cum mortuorum reliquiis communicaretur. Atqui hac ille de re verbum nullum facit. Illud quod dixi, libere atque aperte objectat esse hunc scilicet Gentilium ritum, quo ipso negat esse Christianorum. Hinc ergo jam habemus ne quinto quidem. ineunte sæculo solenne fuisse nostris cereos claro die in celebranda ac ministranda Eucharistia accendere. Quod ipsum etiam multo luculentius confirmat Hieronymi ad illa Vigilantiana responsum. Quid enim ille ad hæc tam vehemens, tamque acerbus disputator & adversarius? Confitetur-ne eum, qui objiciebatur ritum solennem apud suos fuisse? Atqui hoc ille tantum abest vt concedat; vt etiam disertissime negat; vt qui objiciebat, cum calumniæ reum peragat. Sic enim ille, vbi ad hoc Vigilantianæ criminationis caput ventum est, se suosque purgnat; n *cereos autem*, inquit, *NON clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormia-*

mus

k Hier. in Vigil T. 2. fol. 44. G.

l L. 4. de obl-cult. relig. toto Ibid. in. L. 1. c. 17. p. 149. 150.

n Hier. vb. supr. M.

mus in tenebris. Hæc ille. Quod præfracte, simpliciter, & absolute negat se suosque (id est Catholicos *cereos clara luce accendere*, quod aliud de iis affirmantes *calumniatores* dicit; eo disertissime pronuntiat nullos in Catholicorum Ecclesiis cereos in diurnis synaxibus fuisse accensos; adeoque & Tridentinos & Bellarminum & alios, qui morem accendendi eo tempore & loco cereos, vel ex Apostolica traditione, vel ex universali antiquæ Catholicæ Ecclesiæ institutione, lege, atque usu solennem circa quinti seculi initia fuisse affirmant ac contendunt, *CALVMNIÆ* reos esse apertissime testatur ac decernit. Quod vero ait se suosque *cereos accendere, ut noctis tenebras hoc solatio temperent & vigilent ad* lumen, eo validissime confirmat quod paulo ante diximus, illius scilicet temporis Christianos cereis, quos in Ecclesia ad diurna sacra nullos adhibebant, noctu usos esse in vigiliis. Id enim clarissime his verbis significat: *Cereos accendimus, ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & VIGILEMVS ad lumen.* Atque hæc quidem Hieronymus de legitimo ac solenni Ecclesiarum ævi sui more in genere dicta de Latinis tamen maxime, præcipue ac proprie intelligit: in quorum scilicet communione & ipse & is quem oppugnat, Vigilantius vivebant. Nam quod ex iis, quæ porro disputat, mox intelligemus, apud Orientis Ecclesias ille accendendorum etiam clara luce cereorum usus, vel potius abusus jam tum irrepserat. Videamus nunc quæ istis à nobis descriptis subjicit. Sentiens enim Vigilantium excepturum se illa, non de ipsa Ecclesia, sed de iis tantum dixisse, qui hoc ritu Paganico reliquias venerabantur, sic pergit: o *Quod si aliqui propter imperitiam & simplicitatem secularium hominum, vel certe religiosarum fœminarum (de quibus vere possumus dicere: Confiteor, Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam) hoc pro honore Martyrum faciunt: quid inde perdis?* Et aliis quibusdam ad purgandam istorum imperitiam & simplicitatem interjectis; *Nam & absque Martyrum reliquiis* (inquit) *per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam Sole rutilante: non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Ad hæc Hieronymi verba inprimis observandum est, quod illum ipsum cereos accendendi morem, non in sacra synaxi, sed ante reliquias, non Episcopis aut Theologis, sed *hominibus secularibus, & religiosis fœminis* tribuit. Secundo, quod eum *ex imperitia & simplicitate & zelo Dei, sed non secundum scientiam* ortum esse confitetur: quo Tridentinorum decretum refellit ad Apostolicam traditionem istos ritus referentium. Mitto ea, quæ ut istorum culpam clevet, in medium adducit, levia profecto (quod tanti Patris pace dictum sit) & futilia: sic enim ille agit, quasi Paganicos ritus in Christianismum ab hominibus imperitis & simplicibus ex cæco

CAPUT. XXXII.

o Ibid.

Caput XXX.

de suorum Ecclesia, quæ in Oxyrinchi civitate erat, à Theodoro Episcopo subversa; *u Eam ille evertit* (inquiunt) *ita ut ipsum altare Dei securibus dissiparent.* Ruffinus de Alexandro Constantinopoleos Episcopo apud ædem sacram in precibus & lacrymis pernoctante, *Tum ille noctem: quæ ad constitutum intererat diem: sub ALTARI iacuit:* & cætera ut in loco supra descripto habentur. Augustinus in loco jam ibidem recitato z de Maximiniano Episcopo; *In qua* (inquit) *Ecclesia sub ALTARI quo confugerat, eodem supra se fracto cæsus.* &c. Dixisset, ut nunc fit, *sub altari maior,* si duo istic aut tria altaria fuissent; non unum tantum Concilium Arelatense tertium, circa an. D. 455. de Monasteri Liriensis Ecclesia; *a Vt Clerici atque altaris ministri à nullo, nisi ab ipso* (Theodoro Foroliviensi Episcopo) *vel cui ipse iniunxerit ordinentur.* Cur non dixit, ut nunc loquuntur, *ALTARIUM*? Quia unum scilicet in illa Ecclesia erat altare. Victor Vitensis, Vandalicam Ecclesiæ Africanæ persecutionem describens, narrat de Proculo quodam, Gieserici Regis Vandalorum ministro, cum is à Sacerdotibus Ecclesiæ Zeugitanæ *ministeria sacra, vel libros divinos* extorquere nequivisset; *b Ipse* (inquit) *rapaci manu cuncta depopulabatur, atque de pallis ALTARIS proh nefas! camisias sibi & femoralia faciebat.* Narrat idem c paulo post in quodam loco (Africa) qui *Regia* dicitur plurimos festo Paschalis in Ecclesia sagittis & jaculis à persecutoribus *in medio crepidinis ALTARIS fuisse occisos.* Idem postquam Fœlicis cæci Carthagine in solenni Epiphaniæ baptismo apud Fausti basilicam illuminati miraculum descripsit, *d Procedit* (inquit) *ad ALTARE cum Eugenio* (loci Episcopo) *sicut moris est, qui fuerat cæcus, suæ salutis oblationem Domino redditurus.* Vnum nempe erat in basilica hoc altare; quod scriptor à cæteris, si qua alia fuissent, aliquo hic elogio distincturus erat. Gregorius Turonicus de Brivatensi Ecclesia; *e Unus per effractam seu fur, in ALTARI sancto fenestram vitream ingreditur.* Si plura in illa æde fuissent *altaria*, dixisset *in maiori altari*, vel certe, *in uno altarium.* Idem de Clerico Aredij in basilicam S. Iuliani ad festivitatem ingrediente, *f Cum venisset ad ostium reperit remotos undique populos usque sanctum ALTARE.* Idem de basilica S. Martini Turonica loquens narrat *g se Iuliani reliquias super ALTARE posuisse.* Item; *h Sacerdos nihil aliud pro reliquiis in Sanctum ALTARE sanctum ALTARE condere voluit, nisi vasculum* &c. Idem de corpore S. Vrsini, primi Bituri igum Episcopi, in alio opere; *i Gaudente populo iuxta ALTARE sepelitur.* Parco plura describere. Sunt enim hujus generis omnia vetustiorum loca similia. Sed hic nō est prætermittēdum, quod eo quoq; pertinet, quodque Blumenus noster solerter observavit, *k* Anastasium in Vitis Pontificum Romanorum *ALTARIS MAIORIS* in Hadriani primum vita meminisse, & deinceps in sequentium Paparum vitis eodem modo loqui; In Episcoporum, Hadriano anteriorū, similibus factis *altare* simpliciter dicere. Egregia est observatio, & vera. Nam vitarum quæ in illo volumine à Silvestro usq; ad Hadrianū habentur, auctor quisquis est, sane vetus (neq; enim earum omnium maxime priorū, Anastasius, sed alius aliquis eo vetustior, scriptor fuisse videtur) ille, inquam

u Ibid. p 79.
x Ruffin. Histor L. 10. c. 12.
y Supr c.
z Aug L. 3. contr. Cresc. c. 43.
a Conc. Aret. 3. T. 1. Conc. Gal. p. 121.
b Vict. Vitens. L. 1 de persec. Afric. p. 13.
c Ibid.
d Ibid. L. 2. p. 31.
e Greg. Tur. de glor. Mart. L. 1. c. 34.
f Ibid. c. 28.
g Ibid. c. 28.
h Ibid. c. 40.
i Id. de glor. Confess. c. 8. extr.
k Henr. Iul. Blum. ubi

quoties de una Ecclesia sermo est, nunc quam *altaria* in numero plurali, sed *ALTARE* constanter in Singulari dicit. De Sixto, *l* qui a. D. 432. Romæ sedere cœpit; Ille in basilica S. Mariæ obtulit (inquit) coronam pharam ante *ALTARE* argenteam. Iterum de eodem; *m Ornavit transennam & ALTARE in æde Sancti Laurentii.* De Hilaro; *n* In Basilica Constantiniana *fecit pharacanthara argentea, quæ pendent ante ALTARE.* De Symmacho; *o* In basilica S. Silvestri, & Martini à se constructa *fecit tugurium argenteum super ALTARE.* Atque hi quidem quinto sæculo sederunt. De sexto sæculo eadem occurrunt. De Hormisda, *p* qui a. D. 514. ordinatus est, *Fecit in basilica Constantiniana arcum argenteum ante ALTARE.* De Vigilio Constantinopoli versante; *q Fugiens in Ecclesiam S. Euphemiæ tenuit columnam ALTARIS.* Neque aliter de Papis septimi sæculi. De Benedicto II. qui sedit a. D. 687. *r Fecit coopertorium super ALTARE.* De Sergio; *s* In æde S. Petri, cantharos & coronas, quæ *ante Sacrum ALTARE ex antiquo pendebant, fecit.* Sic etiam de iis loquitur, qui octauo sæculo vixerunt. De Ioanne sexto; *t Hic super altare Ecclesiæ S. Marci coopertorium fecit.* Item de eodem *u In Basilica B. Pauli inter columnas ALTARIS dextra lævaque vela alba fecit.* *x* De Gregorio secundo; *Hic in basilica B. Pauli Apostoli, cujus pars magna ceciderat ALTARE à novo*; fecit. De eodem; *y* In Patriarchio Oratoriam in nomine S. Petri Apostoli *refecit, & circumquaque ALTARIS parietes deargentavit.* De Gregorio III. *z In Ecclesia S. Chrysogoni obtulit vestes ALTARIS.* Item, *a in basilica S. Calixti contulit vestem ALTARIS.* Item, *b* In Ecclesia B. Genesis *ALTARE erexit, & crucem auream pendentem super ALTARE.* Denique de eodem, *c In Ecclesia B. Pauli Apostoli trabes ab arca ALTARIS usque ad regias resarcivit.* De Zacharia; *d Hic fecit vestem super ALTARE B. Petri.* Eadem de eodem verba habet infra, *e* ubi de altari S. Andreæ Apostoli sermo est. Denique de Stephano IV. qui a. D. 768. sedit non pluribus, quam quatuor ante Hadrianum annis, *f In Ecclesia Salvatoris fecit tres regulares argenteos super ragas per quas ingrediuntur ad ALTARE.* Atque hæc quidem ex libro Pontificali Damasi hactenus. Si his à quarto sæculo ad octavum adulturo temporibus usus & mos latinorum fuisset plura in vna æde altaria ponere, ea profecto in illis vrbis Romæ basilicis, & quidem plurisque amplissimis ac splendididissimis plura posita fuissent, Neque si posita essent, taciturus erat scriptor singula singulorum Paparum opera curiose ac pæne ambitiose enarrans. Atqui nihil illa huiusmodi de quoquam eorum, quorum nomina edidi, Pontificum dicit. Quoties eorum aliquod opus in *altari*, vel *circa*, vel *ante*, vel *super* altare Ecclesiæ alicujus memorat, nunquam ille aliter quam altare in singulari numero dicit. Ergo inde intelligendum unum duntaxat in singulis Romæ Ecclesiis altare fuisse, non plura adeoque hactenus Latinorum cum Græcis communem hunc morem atque ritum fuisse. Neque ab alio prius quam ab Hadriano vel saneſub eo mutatum fuisse verisimile est. Nam ex in qua obseruata

CAPUT XXX.

l Pontific. Damasi. in Sixto.
m Ibid. p. 26.
n Ibi. in Hil.
o Ibid in Symmach.
p Ibid. Hormisd.
q Ibid. in Vigil.
r Id. Bened. 2.
s Id. in Serg.
t Id. in Io. 6.
u Ibid.
x Id. in Gr. 2.
y ibid.
z Id. in Greg. 3. p. 73.
a Ibid.
b Ibid.
c Ibid. p. 74.
d Ibid. in Zachar. p 78.
e ibid. p. 80.
f Ibid. in Steph. IV.

Caput XXXI.

sunt, licet animadvertere priorem unius in una æde altaris sacrádi unum etiam sub Stephano, proximo Hadriani decessore obtinuisse.

In Hadriani demum vita illa unius altaris à cæteris ejusdem Ecclesiæ distinctio primum ita occurrit:* *In Ecclesia sancta Dei genitricis ad præsepe fecit vestes duas super ALTARE MAIORE*; quæ locutio in sequentium Paparum vitis sæpicule usurpatur.

Bellarminus duo quædam huic nostræ sententiæ objicit; g Prius est, quod Ambrosius ubi de una basilica verba facit, scribit h tamen *milites in altaria irruentes osculis significasse pacis insigne.* Alterū quod Gregorius diserte affirmat i *in una quadam Ecclesia fuisse tredecim altaria.* Ad prius, doctissimus Iesuita Rosueidus eam nobis, quā supra k innuimus, suppeditat solutionem, ad hujus similem Paulini locum ita scribens: l *Nec movere debet, quod hic habeas altaria in numero multitudinis. Nam ita & mox habes in carmine, Sancta Deo geminum velant altaria honorem, cum tamen præcedat, Hic titulus indicat deposita sub altari sancta sanctorum.* Hæc ille; recte sane atq; apposite. Nā & paulo ante Paulinus eodē quoq; modo ac sensu *altaria* in plurali numero dixerat m pro *altari* in singulari, in epitaphio Clari Presbyteri sub altari conditi, *Sācta sub æternis altaribus ossa quiescunt;* & mox de eodē, n *Digna pio domus est altaria, sub quibus artus Conditur exanimes.* Deniq; sequenti in eundē carmine: o *Casta tuum digne velant altaria corpus.* Ita & ipse alibi Ambrosius de uno altari, quod Exodi 24. apud Moysen legitur, *Sanguinis* (inquit) *partē infundens altaribus sacris:* i.e. sacro altari. Iterū in alia re Honoriū Theodosij filiū *adstitisse* dicit q *sacris altaribus:* i.e. ut quivis videt *sacro altari.* Nihil ergo mirandū est, quod Ambrosius *altaria* in loco objecto pro uno *altari* dixerit; cū & ipse & Paulinus ejusdem ævi scriptor & alij plurale hujus nominis pro singulari nō semel usurpasse noscantur. Sed, inquit, Gregorius, qui septimi seculi initia vivendo attigit diserte testatur in Ecclesia à Paliadio Sanctonico Episcopo constructa, fuisse altaria tredecim. Nihil opus est hic excipere Gregoriū Ambrosio totis ducentis annis esse juniorem. Promptum est respondere tredecim illa, quæ Gregorius dicit *altaria*, non fuisse totidem mensas Dominicas, in quarum singulis sacra quovis solenni die fierent: quales sunt multæ illæ veri nominis, quæ hodie in Latinorum Ecclesiis visuntur *aræ.* Ex ipsa Gregorij epistola quatuor nominatim fuisse manifestum est, quæ recipiendis, condendisque Petri, Pauli, Laurentij atque Pancratij reliquiis comparatæ essent. Vnde pronum est argumentari novem reliqua altaria ejusdem fuisse cum quatuor illis census: nisi forte unum excipiendum esset, quod esset legitimum, solenne ac stricte dictum Ecclesiæ illius altare. Illa nimirum altaria ideo dicuntur, quod totidem Martyrum, vel Confessorum corpora tegerent. *Altaria* ergo Gregorius illos sanctorum tumulos improprie per catachresin ex communi sermonis vulgaris usu dixit. Nam eam locutionem jampridem apud nostros obtinuisse, ut Martyrum scilicet tumuli *aræ & altaria* dicerentur ob eorum aliquam cum Dominicis mensis similitudinē docet nos Optatus Gregorio multo antiquior. Is enim aras vocat, tumulos, r quos Donatistæ Circūcellionibus suis

* In Hadr. p. 109.
g Bell. L. 2. de Miss. c. 9. §. Quinto id probo.
h Ambros. ep. 33.
i Greg. L. 5. ep. 50.
k Supr. c. 30.
l Rosueid Addend. ad Not. in Paulini ep. 12. p. 894.
m Paulin. ep. 12 p 150.
n Ibid. p. 145.
o Ibid. p 146.
p Ambros. L. 1. ep. 2. p. 509. D.
q Id Orat. de obitu Theod. pag. 492. A.
r Optat. L 3. p. 68. med.

suis ab armato Taurini milite occisis posuerant: *Quorum (inquit) corpora usq. in hodiernum per dealbatas aras, aut mensas poterunt numerari. Per aras* &c. (inquit Albaspineus) *s per dealbatos tumulos in aræ formã constructos.* Optatus *aras* vel *mensas* ex vulgi usu non dubitat eos tumulos dicere, qui non Martyrum, sed Latronum Circumcellionum corpora tegebant, quod eos scilicet Donatistæ eos loco ac nomine censebant. Quanto facilius altaria Gregorius dixerit tumulos quibus Catholicorum ac vere sanctorum virorum exuviæ condebantur? Ad similitudinem tumuli cum altari, quod utriusque externa forma pæne esset eadem, illud quoque accedebat, *quod apud ista Martyrum sepulcra quotannis die* singulorum natali sacra recepto tum more licerent. Porro ex hoc Optati loco apparet *mensæ & aræ* nomina vulgo fuisse hoc in sensu promiscua, postquam scilicet, quæ vere proprieque ex Domini instituto & exemplo, *mensæ* erant eas *altaria* quoque jam in tertij seculi primordiis vocari nostris placuit. Vnde confirmatur, quod nos supra *t* contra futilem Perronij Grammaticã de *ara & altaris* indistincta in hoc negotio notione constituimus. Optatus enim hic *aras* dicit, quas ipse *mensas* interpretatur, quasque Gregorius *altaria* nominat. Itaque etiam illo ævo loca, in quibus fiebat Eucharistia, & *mensas, & altaria, & aras* promiscue nulloque discrimine vocitata fuisse ex his liquet. Quanquã quod addit Albaspineus *tumulos Martyrum in aræ formã constructos* fuisse; nescio equidem an usquequaque verũ sit. Fateor hoc *tumuli* cum *ara* fuisse commune, quod tumulus æque ac ara extaret, & supra terram in altitudinem pæne consimilem assurgeret. Fastigij eandem in tumulo ac in ara formam jam à primis temporibus fuisse non puto. Aræ enim summa pars & semper fuit, & hodie etiam est plana, quod de nostrorum aris *mensæ* quoque nomen indicat. Nimirum rei finis & usus flagitabat, ut plana esset, quæ ideo construebatur, ut super ea collocarentur & componerentur sacra dona. Tumulorum sub quibus condebantur hominum mortuorum, etiã sanctorum corpora, aliam fuisse rationem credere nos cogit insignis Gregorij nostri Turonici locus de Dionysij Episcopi & Martyris Parisiensis in æde vrbana sepulcro. Quemdam, ut videtur, Sigeberti Regis militem narrat, cum illam basilicam mente sacrilega furandi causa esset ingressus, dignam scelere mercedem tulisse. *u Alius* (inquit) *super sepulcrum Sancti (Dionysij scilicet) calcare non metuens dum columbam auream lancea quærit elidere, elapsisque pedibus ab utraque parte, quia turritum erat tumulum, compressis testiculis lancea in latere defixa exanimis est inventus.* Ipsa rei narratio negat summam tumuli superficiem planam fuisse. Si enim fuisset, facile quis in ea certo, firmoque vestigio consistere potuisset. Nunc cur militis pedes ab utraque parte laberentur, hanc fuisse causam dicit Gregorius, quod *tumulus esset turritus.* Eo ergo significat, non planam, sed inæqualem fuisse tumuli summitatem; nimirum vel acuminatam, vel quod verius videtur, hemisphæricam, arcuatam, & in modum fornicis, semirotundam; ut tumuli moles, lateribus utrimque paulatim decrescenti-

CAPVT XXXI.

s Albasp. Not. ad L. 3. Opt. p. 146.

t Supr. c. 18. & seqq.

u Greg. Tur. de glor. Matt. c. 12. p. 93.

CAPUT XXXI.

bus in fastigium convexum desineret; in quo, nemo non videt difficile fuisse militem pede utroque juncto insistere nitentem, ut columbam auream, ad quam inhiabat, lancea decuteret. Eo factum est, ut pedes fallente vestigio, utrimque laberentur; ita ut femoribus hinc & inde divaricatis, corpore in tumuli fastigium corruente testes eo casu co pprimerentur. Hujusmodi olim fuisse sanctorum sepulcra docet Orentij Episcopi basilica apud Augustum Ausciorum in Novempopulania; in qua se vir amplissimus Iacobus Augustus Thuanus veteres sanctorũ hac forma tumulos spectasse & observasse narrat. x *In templo S. Orentij* (inquit) *juvit spectare altaria hinc inde in templo posita; quæ sunt sepulcra Martyrum, ad quæ Christiani cœtus olim celebrari solebant, non mensæ, ut sunt nostra specie plana jacentia, sed dorsi gibbo assurgentia, cum nota Labari inscriptione, quæ duabus litteris Græcis Christi nomen refert: quod purioris antiquitatis seculum proculdubio arguit.* Hæc Thuanus. Ille quem dicit, Orentius is ipse est, quem alij *Orientium* vocant, y quemque Sammarthani fratres quinto inter Auscienses Episcopos loco numerant. z Quo is præcise tempore vixerit definire difficile est. Claudius Robertus cum ad an. Dom. 592. retulit. Sed quo auctore, non dicit. Dextri Chronicon etiam antiquiorem facit, b natum significans ante annum Domini 246. Sed Hispani impostoris, qui nostra memoria eum libellum Dextro subdidit, merito nulla est apud eruditos fides. Hoc certum est Orientium illum ante an. Dom. 506. vixisse; quo constat Nicetium, eius in Episcopatu Ausciensi satis magno intervallo successorem, Synodo Agathensi subscripsisse. c Antonius Bosius in admirando illo opere, quod *Romam subterraneam* inscripsit, exhibet nobis non pauca hujus formæ, arcuata & ad instar hemisphærij fornicata monumenta; quale illud est, quod *in decimo cubiculo Cœmeterij Sanctorum Marcellini & Petri via Lavicana inter duas lauros ad S. Helenam* extare tradit, * & cujus ipse iconem accuratissime effictam lectorum oculis spectandam subjicit. *In publicis ejusdem Cœmeterij viis innumerabilia cerni* dicit *n hujus generis arcuata monumenta*: cætera quidem picturæ omnis expertia: tria vero tantum ex eo numero reperta esse picturis exornata: & horum ipse imagines ex inciso ære expressas edidit. Occurrunt & alia in eodem opere non pauca ejusdem formæ monumenta; ut id verbi gratia, quod in Cyriacæ Cœmeterio via Tiburtina repertum describit, o in quo vel ipsam olim Sanctam Cyriacam, vel certe aliam aliquam non dispari pietate matronam conditam fuisse non absurde ex figuris insculptis conjicit. Denique ne hic diutius immorer, ex uno Priscillæ via Salaria cœmeterio decem similia arcuati operis monumenta capite LXI. exhibet, ω quæ inspicere ne pigeat siquis librum illum in promptu habeat. Iam cum magna sit ac veneranda istorum Cœmeteriorum antiquitas, non est dubitandum, quin Martyrum monumenta apud vetustissimos Christianos ea forma fuerit, quam & Dionysianus apud Gregorium tumulus, & sepulcra Sanctorum indicant tum apud Thuanum in S. Orientij æde nonnulla,

x Thuan. l. 2. de Vita sua p. 29

y Vsuard. & Ado in Martyrol.

z Samm. in Gall. Christ. T. 1. Auscit.

a Cl Rob. in Gall. Christ. p. 29.

b Dext. Chron. ad an. D. 246. p. 33.

c T. 2. Conc Gall p. 174.

* Bos. in Rom. subterr. ed. Rom. à Gul. Facc. an. D 1632. l. 3. c. 37. p. 365.

n Ibid. p. 391. 393.

o Ibid. c. 40. p. 405.

ω Ibid. c. 61. p. 501. 515 521 523. 527 529 531. 535.

nulla, tum apud Bosium in Marcellini & Petri Cœmeterio & alibi in cryptis Romanis innumerabilia. Inde porro satis intelligimus Martyrum tumulis *aræ* vel *altaris* nomen late & valde improprie fuisse attributum, quorum scilicet ipsa forma exterior alia erat, quam *mensarum* aut *altarium*: nequid de propria rei ratione dicam: quæ non video quomodo utriusque rei eadem esse possit, cum nemo nesciat Domini *mensam* sive *altare* ad Eucharistiam celebrandam fieri; tumulos ad mortuos condendos comparari. Neque sane apud veteres scriptores ulla extat formula tumuli ad Eucharistiam conficiendam consecrandi. Quod ergo etiam vetustiores hoc sacrum super Martyrum tumulos fecerint; id per accidens fecerunt, ad eorum memoriam honorificentius celebrandam, & suam cum iis communionem testandam: iis temporibus, quibus nondum putabant altare ad sacram synaxin esse necessarium; quod supra *d* demonstratum est. Fateor postquam reliquiariæ religionis labes Ecclesiam pervasit, itum esse in pejus: & iis demum temporibus id si forte factum esse, quod Albaspineus dicit, *ut supra Martyrum monumentis sacra commode possent fieri, ea in altaris formam* (id est planam) *facta fuisse*. Sed id ne Gregorij quidem Romani ævo in Gallia nostra passim obtinuisse Gregorius noster ejus æqualis eo nos docet, quod Dionysij *tumulum turritum* Lutetiæ adhuc fuisse testatur: neque quo tempore id obtinuit, eo plura altaria in una Ecclesia statim erigi cœpisse concedo, in quibus quovis die sacra facere liceret: quales nunc apud Latinos aras videmus. Veri multo similius est super eos tumulos eo tantum quotannis die sacra facta esse, quo Martyr qui sub iis erat conditus, pro Domino passus erat; ita ut interea maneret uni mensæ Dominicæ, in sacrario positæ suum nomen, suaque dignitas: id est, ut una censeretur illius, in qua erat, Ecclesiæ solenne ac legitimum altare, solenni synaxi, quæ in ea fiebat, consecratum: in quo sacra stato singulis hebdomadibus die fierent, & ad quod Clerus ac populus communicaturi consuetis temporibus accederent. Ergo quæ Gregorius memorat Ecclesiæ apud Santones à Palladio ædificatæ *altaria*, dicimus sepulcra Martyrum proprie fuisse, *altarium* nomine non ex accurata loquendi norma, sed ex vulgari usu, late & catachrestice donata tum ob eam, quam observavi similitudinem, tum quod apud ea uno si forte anni die res divina fieret, non per se, sed per accidens, ad honorificam ejus Sancti commemorationem, cujus reliquiæ in singulis essent conditæ.

Reliqua duo, quæ à Bellarmino afferuntur *e* testimonia: unum ex vita Bernardi, alterum ex Petro Damiani, nihil moramur. Neque enim ij sumus, qui vel duodecimo seculo, quo vixit Bernardus, vel undecimo quo Petrus Damiani negemus plura altaria collocari in una Ecclesia cœpisse. Adeo ab hoc absumus, ut supra observaverimus ex Pontificali, quod dicitur Damasi, eum usum, vel potius abusum jam Hadriani P. R. I. temporibus obtinuisse; Quin eo usque ventum est, ut Carolus Magnus Hadriani æqualis, edixerit *f de altaribus, ut non superabundent in Ecclesiis*:

CAPUT XXXI.

d Supr. c. 28.

e Bell. ubi supr.

f Capit. Dominic. Car. M. c. 6. T. 2. Concil. Gall. p. 254.

Caput XXXII.

Ecclesiis; vel, ut habet Appendix ad librum quartum Capitularis, *g ut non superflua sint*. Sed quod hic abusus octavo, vel etiam septimo si forte seculo alicubi irrepserit, eo haudquaquam fit, ne novus in Christianismo censeri debeat, qui anterioribus Ecclesiæ ætatibus nusquam, ac ne apud ipsos quidem Latinos, occurrit, apud cæteras vero Christiani nominis gentes Græcos, Moscovitas, Æthiopas, &c. neque tunc, neque consecutis temporibus, ac ne nunc quidem receptus sit; quod utrumque satis est, ut opinor, in superioribus *h* demonstratum.

g Capitul. Car. M &c. Append. 1. ad L. 4. c. 7. p. 71.

h Supr. c. 30.

CAPUT XXXII.

Rejectis in alia loca, quæ hic Bellarminus quædam disputat, demonstratur novum esse synaxin, etiam claro die, accensis cereis & funalibus celebrare; quod Latini etiam necessario faciendum esse decernunt. Id totis primis quatuor seculis ignotum nostris fuisse. Refelluntur quæ contra, sed perperam objiciuntur ex Athanasio, Gregorio Nazianzeno, Concilio Carthag. IV. Chrysostomo. Ne quinto quidem seculo eum ritum obtinuisse videri: tametsi jam tum quædam ritus rudimenta cœperint. Expenduntur Hieronymi & Augustini loca. Erasmi ad Hieronymum annotatio à Bibliomastigibus Hispanis erasa. Septimo demum seculo cerei in Missa adhibiti apparent apud Isidor. Hispal.

BEllarminus ab aris transit *i* ad vasa sacra; id est calicem & patenam, & cætera. Nos calicis ad vinum, patenas ad panem sacrum conficiendum & ministrandum fatemur usum ab initio fuisse; neque negamus eo usu sacra & fuisse & dicta esse à veteribus. De materia calicis & patenæ jam supra *k* diximus; quæ Bellarminus aurea, vel argentea, quod nemo negat, jam olim fuisse multis frustra probat: Id quæritur, de quo iste nihil dicit, extiterit-ne apud Apostolicam & sequentem ad quartum seculum imo & ad sextum septimumve Ecclesiam ille Latinorum de his Canon; *l Calix & patena sint aurei vel argentei: non ærei, aut aurichalcei, vitrei vel lignei.* Nos nullum fuisse; imo apud ipsam Romam calicibus & patenis vitreis, etiam sub finem secundi seculi usos esse supra *m* ostendimus, eumque morem diu postea apud quasdam Ecclesias nulla censura notatum mansisse. Nova ergo est illa Latinorum lex, novus ex lege mos, aureis & argenteis vasis in hujus sacramenti administratione sic utens, ut vitreis, fictilibus, & ex quacumque alia materia uti sit nefas.

Proxime de cereis, quos Latinis ad suas Missas adhibent, agit *n* Bellarminus, Ac cereos quidem, vel ex alia materia luminaria sacris, si qua noctu fiant, adhiberi ipsa rerum ratio suadet ac cogit. Ita apud Lucam legimus

i Bell. l. 2. de Miss. c. 14. §. De Sacr. vas.

k Supr. L. 3. c. 8.

l Pontif. R. Part. 3. Ord. ad Syn. & Miss. R. Rit. celebr. c. 1. §. 1.

m Supr. l. 3 c. 8.

n Bell. ub. supr. §. De cereis autem.

legimus *o* Troade in cœnaculo, quo Paulus & discipuli ad frangendum panem convenerant, cum ea res in mediam noctem protracta esset, lampadas fuisse copiosas. Neque aliter postea in synaxibus Ecclesiæ primitivæ vel vespertinis, vel antelucanis sacra peracta fuisse quisquam mentis compos negaverit. Illud quæritur, an quod hodie apud Latinos fit, luminaria etiam ad eas synaxes adhiberentur, quæ de die, orto jam sole celebrabantur. Latini certe ei Missæ, *in qua non adsint luminaria, & quidem cerea,* aliquid putant *p* deesse, luminariumque hujusmodi absentiam diserte ac nominatim inter eos defectus censent, qui in ipso ministerio occurrunt. At ubi legitimæ, perfectæque ac solennis Missæ formam describunt, ibi *q* inprimis videmus sacerdote cum Diacono & subdiacono ad aram procedente Acolythos præire *deferentes candelabra cum candelis accensis, quæ deinde collocantur super credentia:* Illa autem candelabra in alia sacrorum parte *r* post lectum Evangelium *Acolythi de credentia sumunt.* Sed & ubi *s* hostiam sacerdos est elevaturus, *accenditur prius intortitium, quod nonnisi peracto sacro exstinguitur.* Quin & ibidem docet in Missa solenni ad finem præfationis accendi duo saltem intortitia quæ exstinguuntur post elevationem; calicis; nisi aliqui sint communicandi; tunc exstinguuntur post communionem. Quin & suas hostias cereis adeo gaudere putant, *t* ut ante eas, etiam extra Synaxin, in ciborio quiescentes, multas lampadas, vel si non sit ea copia, saltem unam diu noctuque jugiter ardere præcipiant. Illa autem sua lumina Tridentini una cum thymiamatis, vestibus, & aliis *ex Apostolica disciplina & traditione* Missis suis *adhibita fuisse* definiunt. *u* Sed hæc istorum definitio: quam non modo à veritate, sed etiam à pudore & verecundia aliena sit, alibi demonstravimus, & repetitis ex prima antiquitate testimoniis perspicue docuimus non modo ab Apostolorum, sed & à totius, quæ ad an. D. 300. fuit, Ecclesiæ traditione & usu abhorruisse, ut claro die lumina vel in Eucharistica Synaxi, vel in ullis omnino sacris apud nostros adhiberentur. Nam & Tertullianum istic edidimus pares Paganorum lucernas inter diurna eorum sacra accensas salse deridentem, *y* & arguentem pluribus nominibus hunc morem; ut *profanorum numinum honori dicatum*, ut *iis solis dignum, qui vera Christi luce carent, quibusque hae competunt testimonia tenebrarum*; denique ut *naturæ & rationi contumeliosum*; *Accendant* (inquit) *quotidie lucernas, quibus lux nulla est; Illis competunt testimonia tenebrarum.* Item; *Cur die læto lucernis diem non infringimus?* Et: *Quis philosophum sacrificare, aut deierare, aut lucernas meridie vanas prostituere compellit?* Ibidem & Arnobium descripsimus circa quarti seculi initia Nationum Deos sugillantem *z* *cum lucernis & facibus amissa sub sole clarissimo quærentes*: & Eliberitanam Synodum planissime vetantem *a* fideles *lucernas publice* (id est de die) *accendere.* Qui sic vel dese vel in Paganos agunt, eos Tridentini vel imprudenter, vel certe stulte ac imperite fingunt in quotidianis sacris cereos, etiam rutilante

CAPUT XXXII.

o Act. 20. 7. 8.

p Miss. Rom. Defect. circ. Miss. c. 10. §. 1.

q Ibid. Rit. celebr. c. 2. §. 5.

r Ib. d. c. 6. §. 5.

s Ibid. c. 8. §. 6. & 8.

t Ritual. R. de Euch. p. 73.

u Conc. Trid. Sess. 22. cap. 5.

x L. 1. de cult. relig. obj. c. 15 pag. 263. 264.

y Tertull. de Idol. c. 5 pag. 114. D.

y Id. Apolog. c. 46. p. 40. A. & ibid. c. 35. p. 32. B.

z Arn. L. 5. p. 220.

a Conc. Eliber. c. 37.

Caput. XXXII.

Sole, & accendisse ipsos, ac ut accenderent, ex traditione Apostolica habuisse. Bellarminus plane verecundior, qui rei originem à quarto demum seculo repetit: quanquam ne ipse quidem vere. Nam ne tum quidem morem apud nostros fuisse lucernas claro die accendendi, satis nos docet Lactantius, scriptor illius memoriæ disertissimus, dum id ipsum Paganis exprobrat, *b accendunt* (inquit) *lumina Deo velut in tenebris agenti.* *De cereis autem* (Bellarmini verba sunt) *quibus in Missa vtimur, ac præsertim dum legimus Evangelium, non desunt antiqua testimonia.* Tum Athanasium citat. Viderit ille, an sibi in Christianismo *antiquum* sit, quod post annum ejus trecentesimum editum est. Mihi nihil nisi, quod ab initio, à Christo & ab Apostolis est, *antiquum* videtur. Sed & illud quam astute dicit *sibi de cereis præsertim dum Evangelium legitur, non deesse testimonia!* Atqui nos de cereis nunc quærimus, *præsertim*, vbi Eucharistia elevatur ac sumitur; non vbi Evangelium legitur; Quærimus enim de Missalis sacrificij cereis; Sacrificium autem isti fieri, & factum sumi volunt, non vbi Evangelium legitur, sed dum sacerdos panem vel consecrat & elevat, vel sumit, vel aliis distribuit quo omni tempore non vnus apud eos claro die lucet cereus. Sed nunc aduersarij testes audiamus. *Athanasius* (inquit) *inter sacrilegia Arianorum vnum fuisse scribit, quod cereos Ecclesiæ idolis adolerent.* Hæc fateor, scribit *d* Athanasius. *Arianos candelabra ad parietem deposuisse, cereosque Ecclesiæ adolevisse idolis.* τὰς λυχνίας παρ' αὐτὰ ἐν τῷ τοίχῳ ἀπετίθεσαν. τοὺς κηροὺς τῆς ἐκκλησίας τοῖς εἰδώλοις ἀνῆπτον. Hæc ille quidem dicit; de quibus nihil controversiæ est. *Cereos* illos accensos fuisse, dum Eucharistia interdiu vel conficeretur, vel ministraretur, de quo quæritur, vel saltem *dum Evangelium* (quod quæri callide, sed falso, supponit adversarius) *legeretur*, non *dicit*. Sed (inquit) quorsum ergo cereos habebat Ecclesia? Quasi vero cerei eam carere necesse fuerit, nisi quibus claro die uteretur. Habebat inquam, ad vsum nocturni luminis; qui scilicet omnium hominum communis est; & merito quidem. Noctu enim adscititium illud lumen tam necessarium est, quam interdiu inane ac supervacaneum. Illius autem ævi Ecclesiis nocturnum lumen, vt cætera communes vsus taceam, certe ad sacras vigilias, quæ tum, diuque postea, & noctu, (non vt nunc interdiu) fiebant, & satis crebræ erant, non modo vtile, sed etiam necessarium fuit. Nihil ergo ad rem Bellarmini facit hoc Athanasij testimonium. Huc quoque pertinet illa Nazianzeno memorata faciunt ac luminarium gestatio λαμπαδοφορία καὶ φωταγωγία, quam pridie Paschatis actitatam fuisse in Ecclesia dicit, sed noctu, quod ipse satis significat, cum ait *e fideles lardo illo suo igne noctem collustrasse*, διὰ τῆς τοῦ πυρὸς τὴν νύκτα κατεφώτιζον. Illam enim noctem, quæ Pascha præcedit, *à Sabbati vespera pervigilem traducebant usque ad horam* (noctis scilicet) *septimam, cantantes, ac lampades accendentes, atque imminentem servatoris nostri resurrectionem expectantes*; ut in hunc ipsum illius

b Lact. Inst. L. 6. c. 2.
c Bell. vb supr.
d Athan. ep. ad omn. Orthod. p. 946. C.
e Greg. Naz. Orat. 42 quæ est in Pasch. p. 674. D.

Gregorij locum Nicetas, ejus Scholiastes, observavit. *Magnum* vero illud *lumen, cujus exsurgentis hesternum prænuntium* fuisse, ac veluti profectum quodam de eo gaudium; cave putes alium, quam Christum ipso Paschatis die resurgentem significari. *Heri quidem* (inquit, à sabbati scilicet vespera ad horam noctis septimam) *lumen erat magni illius luminis exsurgentis prænuntium, ac velut quadam antepaschalis lætitia ac festivitas. Hodie vero ipsam resurrectionem celebramus, non jam in spe positam, sed jam ortam.* χθὲς μὲν πρόδρομον ἦν τοῦ μεγάλου φωτὸς ἀνισταμένου τὸ φῶς, καὶ οἷον εὐφροσύνη τις προεόρτιος· σήμερον δὲ τὴν ἀνάστασιν αὐτὴν ἑορτάζομεν, οὐκ ἔτι ἐλπιζομένην, ἀλλ᾽ ἤδη γεγενημένην. Ad has ergo illustrandas Paschatis, Natalis, & aliorum festorum prævias vigilias pertinebant illi ab Athanasio memorati Alexandrinæ Ecclesiæ qui inter Augustinianos circumfertur: *g sunt* (inquit) *multi, qui vovent, alius palleam, alius oleum, alius ceram ad luminaria NOCTIS.* Erant ergo tum in Ecclesia cerei, ad nocturnos usus. Vnde quivis intelligit nudam cereorum apud veteres mentionem nihil ad hoc valere, ut constet eos cereis, etiam interdiu in Eucharistia celebranda usos. Itaque ex Concilio Carthaginensi IV. hic etiam à Bellarmino inter suos testes laudato, colligi quidem potest a. D. 399. quo Concilium habitum est aliquem fuisse cereorum in Ecclesia usum; nequaquam vero probari, quod contendit adversarius, jam tum accensa fuisse interdiu claro lucente Sole in publica Synaxi luminaria, ne tum quidem cum legeretur Evangelium. Sic enim habet indicatus illius Synodi canon: *h Acolythus, cum ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat & urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Ecclesiasticam sanguinis Christi.* Hic quidem videmus officium fuisse Acolythi *Ecclesiæ luminaria accendere*, nimirum quoties erat eorum usus. Quando autem esset eorum usus noctu-ne an interdiu, non dicit Canon, neque docet ad eam Evangelij lectionem; quos claro die fiebat in Synaxi adhibita fuisse illa (quod Bellarminus vult) lumina. Noctu vero iis usam esse illius temporis Ecclesiam, patet ex Vigiliis, quæ tum noctu crebro celebrabantur: quo factum est, ut in eo Sermone, quem modo ex Augustinianis laudavimus, non simpliciter *luminaria*, sed definite *noctis luminaria* dicerentur: quod frustra ineptéque esset additum, si die æque, imo crebrius quam *noctu* fuissent in Ecclesia accensa. Huc etiam illa Ecclesiæ *lucerna* λυχνία pertinet à Chrysostomo memorata, qua scilicet in pervigiliis nocturnis, non autem in diurnis sacris uterentur. Mitto quæ Bellarminus ex ordine Romano & ex Chrysostomi liturgia laudat; quod illum quidem, quem hodie habemus Ordinem, post annum Domini millesimum scriptum esse constet; Hanc vero non paucis post Chrysostomum temporibus à

CAPUT XXXII.

f Ibid. p. 675. A

g Aug. Serm. m. 7. de tempore. p. 214. A.

h Conc. Carth. 4. c. 6. T. 1. Concil. p. 728. B.

i Chrys. homil. 32. (Lat. 33 in Matth. p. 386. E.

Caput XXXII. posteris auctam, & ad vsum currentis ævi à posteris accommodatam atque interpolatam fuisse manifestum sit.

Sed nunc expendenda sunt, quæ Bellarminus ex Hieronymo secundo suo teste objicit. Vigilantius, in quem a. D. 406. librum Hieronymus, judice Baronio, hunc scripsit, dixerat, k in honorem reliquiarum *prope ritum Gentilium sub prætextu religionis introductum fuisse in Ecclesiis; Sole adhuc fulgente moles cereorum accendi.* Mitto quam de reliquis & earum veneratione tractat controversiam, de qua nos proprie alio loco egimus, ac fuse demonstravimus l illum morem tum recens in Ecclesiam invectum esse præter prisci Christianismi vsum ac fidem; m sibique Hieronymum ac suo ingenio in ea caussa nimium indulsisse. Nunc nobis de luminaribus, non de aliis hoc loco consistendum est. Ac ea quidem lumina, quæ reprehendit Vigilantius, nihil ad præsentem caussam pertinent, quod ea, non ad Eucharistiæ celebrationem, sed ad reliquiarum cultum. *Sole adhuc fulgente accenderentur*; Illud tantum in hac Vigilantij criminatione observandum est, quod ille hæc ita fieri *Gentilium ritu* denotat; quos sane ita instituisse, ut lucernæ ad cultus religiosos accenderentur & ex ipsorum monumentis, & ex iis Tertulliani atque Arnobij locis patet, quæ nos paulo ante attigimus. Iam vero si non modo Ecclesiastica, sed etiam (quod definiunt Tridentini) Apostolica traditio, consuetudoque hæc fuisset, vt cerei ad Eucharistiæ celebrationem quotidie apud nostros *Sole adhuc fulgente accenderentur*; incredibile est tantam futuram fuisse Vigilantij stultitiam atque proterviam, ut morem à sanctissimis Apostolis traditum, & in Ecclesia vniversali solennem ritum Gentilium dicere auderet. Potius illud esset indignatus, quod honos qui Augustissimi Eucharistiæ sacramenti proprius erat is absque ulla vel veteris, vel præsentis Ecclesiæ lege cum mortuorum reliquiis communicaretur. Atqui hac ille de re verbum nullum facit. Illud quod dixi, libere atque aperte objectat esse hunc scilicet Gentilium ritum, quo ipso negat esse Christianorum. Hinc ergo jam habemus ne quinto quidem ineunte sæculo solenne fuisse nostris cereos claro die in celebranda ac ministranda Eucharistia accendere. Quod ipsum etiam multo luculentius confirmat Hieronymi ad illa Vigilantiana responsum. Quid enim ille ad hæc tam vehemens, tamque acerbus disputator & adversarius? Confitetur-ne eum, qui objiciebatur ritum solennem apud suos fuisse? Atqui hoc ille tantum abest vt concedat; vt etiam disertissime negat; vt qui objiciebat, eum calumniæ reum peragat. Sic enim ille, vbi ad hoc Vigilantianæ criminationis caput ventum est, se suosque purgnat; n *cereos autem*, inquit, *NON clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris; sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus*

k Hier. in Vigil T. 2. fol. 44. G.

l L. 4. de obl. cult. relig. toto Ibid. In. m L. 1. c. 17. p. 149. 150.

n Hier. vb. supr. M.

mus in tenebris. Hæc ille. Quod præfracte, simpliciter, & absolute CAPUT. XXXII.
negat se suosque (id est Catholicos *cereos clara luce accendere*, quod aliud de iis affirmantes *calumniatores* dicit; eo disertissime pronuntiat nullos in Catholicorum Ecclesiis cereos in diurnis synaxibus fuisse accensos; adeoque & Tridentinos & Bellarminum & alios, qui morem accendendi eo tempore & loco cereos, vel ex Apostolica traditione, vel ex universali antiquæ Catholicæ Ecclesiæ institutione, lege, atque usu solennem circa quinti seculi initia fuisse affirmaut ac contendunt, *CALUMNIÆ* reos esse apertissime testatur ac decernit. Quod vero ait se suosque *cereos accendere, ut noctis tenebras hoc solatio temperent & vigilent ad* lumen, eo validissime confirmat quod paulo ante diximus, illius scilicet temporis Christianos cereis, quos in Ecclesia ad diurna sacra nullos adhibebant, noctu usos esse in vigiliis. Id enim clarissime his verbis significat: *Cereos accendimus, ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & VIGILEMUS ad lumen.* Atque hæc quidem Hieronymus de legitimo ac solenni Ecclesiarum ævi sui more in genere dicta de Latinis tamen maxime, præcipue ac proprie intelligit: in quorum scilicet communione & ipse & is quem oppugnat, Vigilantius vivebant. Nam quod ex iis, quæ porro disputat, mox intelligemus, apud Orientis Ecclesias ille accendendorum etiam clara luce cereorum usus, vel potius abusus jam tum irrepserat. Videamus nunc quæ istis à nobis descriptis subjicit. Sentiens enim Vigilantium excepturum se illa, non de ipsa Ecclesia, sed de iis tantum dixisse, qui hoc ritu Paganico reliquias venerabantur, sic pergit: o *Quod si aliqui propter imperitiam & simplicitatem secularium hominum, vel certe religiosarum fœminarum (de quibus vere possumus dicere: Confiteor, Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam) hoc pro honore Martyrum faciunt: quid inde perdis?* Et aliis quibusdam ad purgandam istorum imperitiam & simplicitatem interjectis; *Nam & absque Martyrum reliquiis* (inquit) *per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam Sole rutilante: non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Ad hæc Hieronymi verba inprimis observandum est, quod illum ipsum cereos accendendi morem, non in sacra synaxi, sed ante reliquias, non Episcopis aut Theologis, sed *hominibus secularibus, & religiosis fœminis* tribuit. Secundo, quod cum *ex imperitia & simplicitate & zelo Dei, sed non secundum scientiam* ortum esse confitetur: quo Tridentinorum decretum refellit ad Apostolicam traditionem istos ritus referentium. Mitto ea, quæ ut istorum culpam clevet, in medium adducit, levia profecto (quod tanti Patris pace dictum sit) & futilia: sic enim ille agit, quasi Paganicos ritus in Christianismum ab hominibus imperitis & simplicibus ex cæco

o Ibid.

Caput. XXXII.

zelo induci, nullius fraus, vel jactura sit; vel quasi mulieris Christum in Evangelio vngentis factum æquiparari (quod fit ab Hieronymo) mulierculārum cereos ante Martyrum reliquias accendentium facto vel possit vel debeat; vel quasi hæ istud ex fide fecerint, quod nullo Dei verbo, ex quo fides est, nititur; de quo adeo multo appositius dixerimus, quod decernit p Apostolus, *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Hæc (inquam) mitto, quæ non sunt hujus loci. Ad id venio, quod vnum Bellarminus vrget, & quod præ oculis habuit, cum scribens sibi non deesse *antiqua testimonia de cereis*, quibus Latini in Missis utuntur, illa quæ jam notavimus, adjecit, *præsertim dum Evangelium legimus*; quia scilicet hic tradit Hieronymus accensa fuisse etiam claro die in Ecclesiis Orientis luminaria, quando legendum erat Evangelium. Sed ille primo, quod jam diximus, nullum hic habet de accensis in Eucharistiæ administratione cereis testimonium; quod proprie ac potissimum quæritur. Secundo neque hic quicquam de Latinis, quorum hæc tota caussa est, legitur. Imo vero quod hic legitur, eo Hieronymus apertissime negat hunc fuisse vel Latinæ vniversalis Ecclesiæ morem. Si aliter erat, cur quæso, homo Latinus adversus hominem Latinum disputans, suos Latinos prætermitteret, præsertim, si, quod eorum posteri nunc nobis persuadere volunt, jam cum Latinis solenne erat, non ad solam Evangelij lectionem, sed ad totam synaxin luminaria plura, etiam clarissimo die, accensa adhibere? Quas autem dicat *Orientis Ecclesias*, an omnes, quæ Latinorum respectu ad Orientem sitæ erant, an eas tantum, quæ sub Antiocheno Episcopo in proprie dicta Orientis diœcesi erant, in certum; quanquam hoc equidem, quam illud Hieronymi eruditione, & communi illius sæculi loquendi vsu dignius putem. Vtcumque sit ex his constat, primo hunc non vniversalem omnium Christianorum, sed topicum & quarundam in Oriente Ecclesiarum proprium ac singularem morem fuisse; Secundo ne hunc quidem particularem Orientis morem eundem fuisse cum hodierno Latinorum ritu. Apud hos enim cerei & ante & post Evangelium perpetuo ardent, tamersi clarissimo die. Apud illos, nulli accendebantur, nisi cum legendum erat Evangelium. Apud hos non extinguuntur cerei, nisi tota communione peracta; apud illos finita Evangelij lectione extinguebantur; quem vsum & apud ipsos etiam Latinos aliquandiu fuisse in ordinis Romani libro q & apud Durantem Mimatensem r legimus. Tertio hic & illud observandum est, vel apud ipsas illas Orientis Ecclesias ne ante eam quidem Evangelij lectionem, quæ fit in Eucharistiæ sacro, accensa fuisse luminaria, vel earum certe altaria reliquiis caruisse sine quibus hodie Latinorum ara nulla consecratur. De iis enim diserta sunt Hieronymi verba; *Nam & absque Martyrum reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam Sole rutilante.* Postremo neque

p Rom. 10. 23.

q Ord. Rom. Tit. de Offic. Miss.

r Dur. Rat. div. Offic. L. 4. c. 24.

neque ea omiserim, quæ ad hunc Hieronymi locum annotavit *f* Erasmus, *Præterea* (inquit) *Videtur* (Hieronymus) *in hac esse opinione, ut putet superstitiosum accendere cereos in honorem Sanctorum luci, nec accendendos, nisi in solatium noctis, cum hodie præcipuus cultus sanctorum sit in cereis. Verum apparet hanc consuetudinem eo sæculo magis toleratam fuisse, quam comprobatam, & multa commutat ætas.* Sed Cardinalis Sandoval, Biblomastigum Hispanorum caput, hæc Erasmi verba vna omnia litura deleri jubet *t*.

CAPVT XXXII.

f Erasm. ad loc Hieron. vb supr. fo. 1. 46. H.

t Sand Ind. ex purg. it ad Erasm Sch. cl. in Hier.

Ex his initiis, cum mulierecularum & hominum sæcularium superstitio cereos in reliquiarum cultu adhibere cœpisset, vsum etiam iis, qui non probabant, excusantibus, vt vel ex hoc Hieronymi exemplo patet, mos paulatim latius grassatus est. Cereos apud Orientem in nonnullis primo, fortasse inde in omnibus, cum esset legendum Evangelium, accendi placuit. Hinc postremo solenne factum est, vt nulla synaxis sine cereo fieret. Latinis quidem quinto sæculo ineunte, ignotum adhuc fuisse illum morem ex Hieronymi de iis in hoc loco silentio, intelligimus. Sed quod vere dicit Erasmus, *Multa commutat ætas.* Quo præcise anno mutatio contigerit, incertum. Nullum ea de re vel Bellarminus attulit, vel ego observavi testem, Isidoro Hispalensi vetustiorem, qui septimi sæculi annum XXXVI. vivendo attigit. Ejus autem hæc sunt verba, *u Acolythi* (inquit) *Græce, Latine* (*ceroferarij*) *dicuntur à deportandis cereis, quando Evangelium legendum, aut sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria ab eis & deportantur, non ad fugandas tenebras, dum Sol eodem tempore rutilat, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, vt sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur, de qua in Evangelio, Erat lux vera, &c.* Ita qui priscis secundi sæculi Christianis *tenebrarum* testimonium erat, lucernarum claro in sole vsus posteris post annos quadringentos factus est Christi veræ lucis symbolum. Quantum hic ab illo mutatus sensus? Isidorum, sed longo intervallo sequitur apud Bellarminum Micrologus, cujus auctor post Gregorij Papæ VII. mortem sub finem sæculi XI. vixit. *Iuxta Romanum* (inquit *x* ille) *ordinem nunquam Missam absque lumine celebramus; non vtique ad depellendas tenebras, cum sit clara dies, sed potius in typum illius luminis, cujus sacramentum ibi conficimus, sine quo & in meridie palpabimus, vt in nocte.* Tibi vero ô bone, tuisque Latinis Tertullianus, & ejusdem ævi majores vel hinc inde colligerent *nullam esse illam lucem*, qui scilicet *lucernas claro die accendere* non alios vel patiebantur, vel putabant, quam quibus *nulla lux est.* Sed ne hic quidem Micrologus illum cereorum in Missa vsum omnibus Latinis tribuit, sed iis tantum, qui Romanum Ordinem observabant; quod ita definire non videtur fuisse dicturus, si juxta cæteros etiam à Latinis vel isto etiam ævo observatos ordines, puta Gallicanum veterum & Ambrosianum idem quoque ritus necessarius in omni Missa fuisset.

u Isidor. Orig L. 7. c. 12. p. 100.

x Microl. c. 11. extr. T. 10 Bibl. p. 738. c.

His

Caput XXXIII. His demum temporibus, id est septimo & insecutis sæculis occurrunt illi in Missa cerei, non modo dum *legendum est Evangelium*, sed etiam *cum est Sacrificium offerendum*, vt diserte & explicite scribit Isidorus. Vnde intelligimus falsum esse & quod Tridentini affirmant hunc ritum esse ex traditione Apostolica, & quod Bellarminus negat eius de esse *antiqua testimonia*, plane verum esse, quod nos constituimus morem attendendorum in Eucharistia etiam diurno, Sole rutilante, officio cereorum apud Christianos novum esse, id est diu post Apostolicam ætatem, receptum.

Illius vero alterius moris, qui nunc diligentissimæ apud Latinos servatur, ut ante tabernaculum, in quo sacræ particulæ reconditæ custodiuntur, in magno altari multæ jugiter lampades noctu dignè ardeant, vel saltem vna, si ceræ penuria sit, illius inquam, moris multo etiam, quam superioris obscuriora sunt apud veteres vestigia, quod nos jam supra *y* monuimus.

y Supr. l. 5. c. 15. & L. 7. c. 20.

Caput XXXIII.

Dimißis, quos alibi tractata, Bellarminus hic tangit, demonstratur 1. *novum esse celebrantem cruci vel imagini crucifixi caput inclinare, quod fit apud latinos; non esse Chrysostomi quod in ejus Liturgia eam in rem legitur* 2. *Osculum dilectionis sive pacis in veterum synaxibus solenne à Latinis abrogatum esse: Quod eius loco substituerunt tabulæ Christi imaginem cum reliquis continentis osculum, id recentißimum & nuperum esse Latinorum fraus, antiqua rebus novis nomina imponentium.*

z Bell. L. 2. de Miss. c. 14. §. porro. quod attinet.

Bellarminus inde die maxime Dominica, celebrandam esse probat *z* Eucharistiam; Neque quisquam credo, repugnat, quod ea scilicet maxime die Christianos ad sacra sua convenire solemne sit, ducto ab ipsis ut videtur, Apostolis more.

a Val. Str. de reb. Eccles. c. 23. init. T. 10. Bib. P. p. 683.

b Bell. vb. supr. §.

De hora diei

Iam de hora celebrandi Valafridus ita docet, *Tempus* (inquit) *Missæ faciendæ secundum rationem solennitatum diversum est. Interdum enim ante meridiem; interdum circa nonam; aliquando ad vesperam, interdum noctu celebratur.* Ita olim, etiam sæculo nono, quo scriptor hic vixit. Sed ipse Bellarminus satis fatetur *b* novum esse id, de quo apud suos, ut ille vocat, *Catholicos convenire* dicit, vt hoc Sacramentum antemeridiano tempore celebretur. Narrat enim hoc eodem in loco veteres etiam hora nona (id est tertia pomeridiana) etiam sub Vesperam, etiam media nocte Sacram synaxin celebrasse. Verissime profecto ille. Ac in horam quidem nonam differri solitam synaxin non paucis anni diebus, sed

omnibus esurialibus, & quæ ejus moræ caussa fuerit, quamque diu etiam apud ipsos Latinos, mos iste obtinuerit, nos alibi supra *e* diximus. Nunc vero, quod ipse Bellarminus totidem verbis profitetur, *Excepta Missa, qua adhuc media nocte canitur in Natali Domini, ordinarie ab hora prima, sive ab aurora, usque ad sextam, id est ad meridiem, sacra celebrantur.* Non potuit apertius confiteri se suosque omnes Latinos plane esse *Novatores*; qui priscum sacra etiam post meridiem faciendi morem per tam multa secula à suis majoribus servatum, quique ab Æthiopibus, ac ni fallor, etiam à Græcis nunc servatur, antiquarunt; nefasque putant alias quam in Natali Domini, post meridiem missificare. Sed ille aboliti antiquissimi ritus caussam callide dissimulat, quam nos supra *d* edidimus, hanc scilicet quod postquam recepto apud eos transsubstantiationis dogmate credi cœptum est jejunium sumpta Eucharistia nequaquam solvi, synaxin ad nonam, vel etiam ad vesperam differri visum est supervacaneum; quam veteres eo usque omni die jejuniali ea de causa differebant, quod jejunium sumpto cibo illo solvi putarent, sacro quidem illo, sed tamen, quod ad materiam ejus pertinet, ejusdem cum pane census.

CAPUT XXXIII.

e Supr. L.3. c.11.

d Supr. L.3. c.11.

Quæ his Bellarminus subjicit *e* de naturalis jejunij, antequam Eucharistia sumatur necessitate, ea nos quatenus id requirebat instituti nostri ratio, supra *f* jam expendimus, & ostendimus plane novam esse hanc Latinorum legem, quæque contra afferuntur, discussimus.

e Bellar. ub. supr.

f Supr. L.3. c.10. & seqq.

Quæ vero idem habet *g* capite sequenti de Missæ cærimoniis, quæ ad Deum referuntur, ea plæraque vel controversia carent, vel certe antiqua non sunt. Nam & manus orantem elevare, & oculos in cœlum tollere, & caput inclinare, ac genua incurvare (quæ tria in primis recenset) nemo negat antiqua & recta esse, modo ea Deo exhibeantur. Cruci autem aut imagini crucifixi, & ipsi etiam altari caput inclinare, quod sæpius facit Sacerdos Missificans, id *antiquissimum* esse (quod profecto temere & falso affirmat *h* Bellarminus) negamus. Neque assertionem ejus probat adductus ex Chrysostomi Liturgia locus, vbi Sacerdos dicitur *egredi ex parvo ostio, & conversus ad Christi imaginem inflexo capite cum exclamatione dicere orationem*: Inprimis etiamsi hæc verba sic à Chrysostomo scripta fuisse constaret, ut recitantur; non ideo tamen sequeretur *antiquissimam* fuisse illam consuetudinem Chrysostomus enim Liturgiam, siquam re vera edidit, non edidit nisi aliquandiu post an. Dom. 398. quo factus est Episcopus CP. Atqui constat nullum ad id tempus vel alicui crucis, aut Christi crucifixi figuræ, aut altari denique à ministro synaxeos factam fuisse capitis inclinationem; ut ex eo intelligi potest, quod neque Constitutiones Pseud-Apostolicæ, neque Cyrillus ipse Hierosolymitanus, qui paulo ante an. illum D. 398. vixit, ullum vspiam hujus ritus mentionem fecerint; tametsi accuratissime totum Græcanicæ Liturgiæ ordinem exsequantur. Neque in aliis veris certisque quatuor primorum Christianismi seculorum monumentis vllum

g Bell. L.2. de Miss. c.15.

h Id. ibid. § Tertia quæ est.

Caput XXXIII. exstat hujusmodi moris vestigium. Huc accedit, quod toto illo tempore nullas in Christianorum Ecclesiis crucis, nullas Christi imagines apud mensam Dominicam prostitisse, nos alibi *i* claris certisque documentis fuse demonstravimus. *Antiquissima* vero ea dici in Christianismo ridiculum est, quæ post 400. à Christi in terris natali, annos exorta sunt. Secundo respondeo nihili esse petitum è Liturgia argumentum, quam vel Chrysostomo affictam, vel certe à posteris diu post Chrysostomum interpolatam esse clarum est ex quibusdam rebus, quas continet Chrysostomi vel ævo recentiores, vel veris ejus sententiis repugnantes; ut est à nostris *k* observatum; quod vel hic ipse locus indicat. Imaginem enim Domini in altari à sacerdote sacram synaxin celebrante salutari, ne diu quidem post Chrysostomi obitum apud nostros solenne fuisse vel Pseudo-Dionysij Hierarchia Ecclesiastica ostendit. Is enim, qui sub exitum quinti seculi vixisse videtur, quo loco Eucharistiæ totum ordinem accuratissime describit, hujus ritus non meminit: quem non erat prætermissurus, si is jam tum apud Græcos obtinuisset: adeo ut omnino credibile sit verba à Bellarmino ex Liturgia Chrysostomi citata post Græcorum de imaginibus certamina in illam Liturgiam fuisse insulta; idque vel inde deprehenditur, quod nemo ex imaginum patronis hunc locum Iconoclastis objecisse reperitur; ac ne ipse quidem in septima Synodo Epiphanius Diaconus; ubi adversariis quædam Chrysostomi verba contra imaginum cultum speciosissima afferentibus, hæc quidem è Liturgia, quæ validissima & omnibus notissima futura erant, si jam tum in publica Chrysostomi Liturgia fuissent, plane tacet; alia vero quædam reponit *l* multo, quam hæc ad illam causam infirmiora, & obscuriora ex Homilia, *quod Vnus sit veteris & novi Testamenti Legislator*; quam ipse quidem Ioannis Damasceni eundem locum ad idem imaginum patrocinium afferentis *m* exemplum secutus, pro genuino Chrysostomi opere, venditat; sed falso, ved ipso Frontone Ducæo judice, doctissimo Iesuita, qui hanc orationē inter notha Chrysostomi opera primā collocavit.

i L. 2. de Imag. & L. 5. de obj. cult. relig.

k Coc. Cen. 5. Libr. in Chrys.

l Syn. 7. Act. 6. T. 5. p. 776. 777. B.

m Ioan. Damasc. Orat. 3. de Imag. p 782

n Chrysost. edit. Duc. Tom.

Sequitur secundus Missalium cærimoniarum ordo, earum scilicet quæ in Eucharistiam fiunt; in quo genere Bellarminus primam recenset elevationem hostiæ coram Deo; *o* secundam ejusdem ostensionem ad populum * tertiam fractionem & commixtionem; *a* quartam vini & aquæ mixtionem *φ* de quibus abunde in superioribus libris diximus.

o Vide supr. L. 3. c. 13.

* Ibid.

† Ibid. c 17.

a Ibid. c. 19.

φ Ibid. c. 7.

Succedunt Sacerdotis in se ipsum duæ cærimoniæ; prior tunsio pectoris: altera lotio manuum; de quarum antiquitate an novitate acrius disputare equidem supervacaneum duco; idemque dictum volo de cærimoniis erga populum, ejus scilicet salutatione, & post peractum sacrum dimissione. De hac vltima obiter monemus veri simillimum videri, quod Polydorus Virgilius scribit * Latinos suam plebis dimittendæ formulam *ex moribus institutisque priscorum* (Gentilium scilicet) *esse mutuatos*. Hos enim constat ex Apuleio † in sacris suis, peractis novissimis precibus *sermone rituque Græciensi*, *ita renuntiasse* Λαοῖς ἄφεσις, *populis missis*

* Pol. Virg. L. 5. de rer. priv c. 12.

† Apul. Metam. L. 11 p. 389.

missa id est missio est. Quantulum hæc à Latinis distant, *Ite missa est?*

CAPUT XXXIII.

Quartum cærimoniarum ordinem *cantus & organa* constituunt: quintum cærimoniæ communes: nimirum aspersio aquæ benedictæ, thurificatio, osculum, & signum crucis. Ac cæteræ quidem horum duorum ordinum cærimoniæ, cum ad cultus communes pertineant, alibi dicendæ sunt. De osculo, quod unius Missæ proprium esse puto breviter & paucis disputandum est.

Fatemur antiquissimum, & ab Apostolicis temporibus ductum fuisse apud Christianos morem inter se osculandi: quod osculum Paulus *p* ἅγιον *Sanctum*, Petrus *q* ἀγάπης φίλημα *caritatis* sive *dilectionis* osculum vocant. Osculum vero Latini Sacerdotis missificantis, quo ille, ut tradit *r* Bellarminus, *osculatur altare* frequenter, deinde *librum Evangelij, & ministrum suum, & per eum in universum Clerum & populum pacem diffundit:* vellem ne Bellarminus nos ita fungos putasset, ut hoc inquam osculum isto Latinorum ritu porrectum persuaderi nobis passuri simus idem esse cum antiquissimo illo Ecclesiæ Apostolicæ osculo. *At* (inquit) *hac cærimonia habetur in Liturgiis omnibus: tum Græcis, tum Latinis: & eiusdem meminit Iustinus in fine secundæ Apologiæ, Tertullianus, de Oratione cap. vltimo, Cyrillus homilia quinta Mystagogica,* & Chrysostomus homilia 77. in Ioannem. De homiliis, quarum ætas atque sinceritas non est usquequaque certa, mox videro. Patres de quorum scriptis, & ævo constat, audiamus. *Iustinus eiusdem* (inquit) *cærimoniæ meminit.* Itane vero? Hæc sunt Iustini verba; *s A precibus finitis, mutuis nos osculis salutamus.* ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα, παυσάμενοι τῶν εὐχῶν. Tertullianus id ipsum suo tempore solenne fuisse testatur, *t* dum eorum consuetudinem reprehendit, *qui jejunantes habita oratione subtrahebant osculum pacis, quod est* (inquit) *signaculum orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cum oratio commendabilior adscendit, ut ipsi de nostra operatione* (id est jejunio) *participes jam audeant de sua pace fratri transigere? Quæ oratio cum divortio sancti osculi integra? Quem Domino officium facientem impedit pax? Quale sacrificium est, à quo sine pace receditur?* Cyrillus eundem ritum memorat; *u Clamat* (inquit) *Diaconus, Alij alios mutuo suscipite; & mutuo nos osculo salutemus.* Eodem spectat *x* Chrysostomus: *Ideo* (inquit) *in mysteriis invicem salutamus, ut multi unum efficiamur.* διὰ τοῦτο καὶ ἐν τοῖς μυστηρίοις ἀσπαζόμεθα ἀλλήλους, ἵνα οἱ πολλοὶ ἓν γενώμεθα. Nonne suavis homo Bellarminus, qui in his suam illam osculi cærimoniam videre nos jubet? Primo istic non video frigida saxo toties à Sacerdote figi oscula, quæ Latinis suæ cærimoniæ pars prima est: Tum apud hos unum unius Sacerdotis quod ille suo ministro dat, osculum est. Apud illos vero Patres, adstantium fidelium mutua sunt inter se oscula. Denique qui apud Latinos *per ministrum in universum Clerum & populum pacem diffundere dicitur Sacerdos*, vel ænigma est, vel certe nullus est apud veteres. Vt ergo intelligamus, quid hoc sit, quod iste dicit *pacem in omnes diffundere*: sciendum est præclaris istis verbis signifi-

p Rom. 16. 15. &c.
q 1. Petr. 5. 14.
r Bellar. ub. supr §. Tertia cærimonia.
s Iust Apol. 2.
t Tertull. de Orat. c. 14.
u Cyrill. Hier. Orat. Myst. 5. inst.
x Chrysost. Homil. 7. (Lat.) 78. [Gr.]

Caput XXXIII.

cari, quod Latini in Missis facere solent: Nimirum missificans apud eos Sacerdos ministrum id est Diaconum, *osculatur* (quamquam ille quidem non Diaconum semper, sed eius loco sæpius imaginem, vel tabulam sibi per ministrum porrectam osculatur: ut à Biele y didicimus) Tum Minister, *tabulam illam, quam dixi, Christi imaginem, aut Sanctorum reliquias continentem offert singulis osculandam.* Hoc si Bellarmino credimus, est *pacem in universum Clerum & populum diffundere.* Nam tabula ista, quæ offertur osculanda, pax apud istos dicitur. Hoc vero apud quem vel Iustinum, vel Cyrillum, vel Chrysostomum invenerit? Tabulæ istius, quam Latini *pacem* vocant, allegorica illa falsi nominis *oscula*, apud Patres nulla reperio: fidelium vera sanctaque oscula reperio. Osculari enim (quod ipsa vox significat) est os ori fratris admovere & jungere. Neque Tertullianus hoc credo in suis jejunantibus reprehendit, quod *tabulæ*, sed quod *fratribus* osculum subtraherent. Ne illud quidem apud priscos Christianos olim *pacis* osculum occurrit, quod Steph. Durantus mirabiliter loquitur *Christianos olim sibi à Sacerdote porrectum invicem præbuisse.* Verborum ista portenta sunt ad hoc efficta, ut sub eorum nube aliqua Latini ritus umbella latuisse videri possit. Nos, qui simpliciores sumus, intelligimus Sacerdotem non plebi, sed ministro, osculum præbuisse; ita & fideles inter se mutuo osculatos, ut mutuam, non cum Sacerdote, sed inter se se pacem & concordiam sancirent. Scio quid Stephanus hic nobis narret, justa de causa nequid ex iis osculis scandali oriretur, eum morem jampridem desiisse. Sed quid hæc ad constituendum Latinæ cærimoniæ antiquitatem? Non enim si is ritus, in cujus locum illa à Latinis cærimonia suffecta est, antiquus fuit, eo ipsa quoque antiqua censenda est. Quin imo si recte putes, hoc ipsum novitatem ejus arguit, quod id cui successit, per quatuor & amplius à Christo in terris nato secula mansit. Neque si vetus licet consuetudo, merito ob hominū vitiū abrogata est, ideo laudaveris Latinorū inventū, crassum profecto ac pæne mimicū, *saxi & tabulæ oscula* Christianis hominibus pro sanctis illis majorū osculis, frigide ac jejune propinantium. Sed quantumlibet illi allegoriis rem in speciem absurdam fucare conentur, illud certe nunquam efficient, ut nova (quod unum contendo) nō sit ista ipsorum cærimonia.

y Gabr Biel in Can. Miss. Lect. 81. fol. 175. col. 1. init.

Iam neque Liturgias verecundius citavit Bellarminus (quanquam harum testimonium parum in omni hac causa valeat, ob temporis quo eæ vel fictæ, vel interpolatæ sunt incertum.) Nisi enim ille recentissimas suorum à sex septemve retro seculis Liturgias intelligat, ego nullas Græcas, nullas Latinas, antiquas quidem certe, reperio, quæ fideles lignum *pacis* nomine velatum, pro fratre osculari jubeant. Debuit adversarius locum *liturgiæ* edere atque indicare, in quo hoc legerit. Constitutiones certe Pseud-Apostolicæ hæc in Eucharistiæ Liturgia tradunt z in apparatu ad consecrationem donorum, postquam Episcopus pacem toti Ecclesiæ est imprecatus, *Et Diaconus dicat, salutate vos invicem in osculo sancto; & salutent Clerici Episcopum, & viri laici laicos, & mulieres salutent*

z Constit. Apost. L. 8. c. 15. [Lat.] 11. [Gr.]

CAPUT XXXIII.

Salutent mulieres. Καὶ ὁ διάκονος εἰπάτω πᾶσιν, Ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ κ. τ. λ. Sed & alibi eadem habent; *a* Salutent inter se viri *& inter se mulieres osculo in Domino; sed caveant ne quis dolose id faciat, quemadmodum Iudas in osculo Dominum tradidit.* ἀσπαζέσθωσαν ἀλλήλους οἱ ἄνδρες. καὶ ἀλλήλας αἱ γυναῖκες τὸ ἐν Κυρίῳ φίλημα. καὶ τὰ. ἑξῆς. Eadem eodem Synaxeos loco exhibet Iacobi Liturgia; *b Diaconus Osculemur inter nos sancto osculo.* Διάκονος, Ἀγαπήσωμεν ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ. Liturgia Marci; *c Salutate vos invicem.* Ἀσπάσασθε ἀλλήλους. Basilij; *Diaconus; Diligamus* (id est osculemur, salutemus) *invicem, ut in concordia confiteamur.* Ἀγαπήσωμεν ἀλλήλους, ἵνα ἐν ὁμονοίᾳ ὁμολογήσωμεν. Eadem verba infra quoque repetuntur. Verbo autem ἀγαπᾶν hoc loco osculi salutationem significari, patet ex Chrysostomi Liturgia, in qua eadem, quæ hic, occurrunt verba hunc ipsum actum significare confessum est. *e* Ὁ διάκονος. Ἀγαπήσωμεν ἀλλήλους &c. ut supra. Atque ita hæc late interpretatur Goar, *f* quo loco Græcorum à Latinis discrimen observat in hujus osculi tempore. Græcos enim pariterque Armenios hanc per osculum pacis salutationem longe ante consecrationem præmisisse ex Dionysio, Pseudo-Clemente, Concilio Laodiceno, Cyrillo Hierosolymitano &c. probat, Latinos vero quondam id officij ad horam communionis instantem remisisse ex Augustini Sermone 83 de diversis &c. demonstrat, tametsi quosdam, nominatim Hispanos consecrationi osculum illud præmisisse moneat. Eadem quoque Menardus ante Goarem annotaverat. *g* Ita quidem Græcorum Liturgiæ. Nunc de Latinis videamus. Augustinus; *h Ubi ut* (inquit) *peracta sanctificatio*) donorum scilicet) *dicimus orationem Dominicam, quam accepistis & reddidistis. Post ipsam dicitur; Pax vobiscum & osculantur se Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis, si quod ostendunt labia fiat in conscientia, id est quomodo labia tua ad LABIA fratris tui recedunt; sic cor tuum à corde eius non recedat.* Isidorus eundem osculi ritum exhibet, *i* licet non eodem Liturgiæ loco (ante consecrationem scilicet donorum, quem post eam edit Augustinus) *Quarta,* inquit, (oratio scilicet) *post hæc infertur pro osculo pacis, ut caritate omnes reconciliati invicem digni sacramento corporis & sanguinis Christi consocientur.* Amalarius Fortunatus, Isidoro ducentis pæne annis junior, ubi ad hunc salutationis locum venit; recitatis Innocentij I. de ea verbis; *Interrogatus sum* (inquit) *m ab aliquibus, quare non invicem porrigant sibi oscula viri & fæminæ in officio Missæ? Quibus, quamvis tunc non responderem, respondendum nunc fore arbitror. Carnales amplexus, quibus junguntur sæpissime viri & fæminæ, vitandi sunt in Ecclesiæ conventu. Ac ideo sequestrantur viri & fæminæ in Ecclesia, non solum ab osculo carnali, sed etiam situ locali. Ab his personis dantur oscula multa in Ecclesia, quæ nullam titillationem libidinosæ suggestionis cogunt suscitare.* Pseudo Alcuinus, Amalario multo recentior; *n Imprecata* (inquit) *pace incipiens dat sibi mutuo omnis Ecclesia osculum pacis.* Neque aliud ad hunc locum habet vel ipse Mimatensis Durantes,

b Lit Iac T. 1 Bibl. P. Gr. Lat p. 8. A.
c Marc. L. Ibid p. 31. B.
d Basil. L. ibid. p. 48. B.
e Chrys. L. ibid p. 77. A.
f Goar. in Euchol. Gr. p. 134. Not. 117. in Miss. Chrys.
g Hug Men. in Greg. L. Sacr. p. 376. 377.
h Aug. Serm. 83. de dig. T. 10. p. 556. B.
i Isid. de offic. Eccl. L. 1. c. 15.
m Amal. L. 3. de Eccl. Offic. c. 32. p. 433. D. T. 10. Bib. P.
n Alc. de offic. divin. De celebr. Miss. Ibid. p. 294. D.

Caput XXXIII.

scriptor seculi decimitertij jam præcipitis. Is enim id ipsum quoque, quod Amalarius, observat; *o Viri (inquit) & mulieres non sibi invicem osculum in Ecclesia porrigunt, ne forte aliquid lascivia surrepat.* Gabriel Biel ævo suo, id est seculo decimoquinto extremo, aliud (quamquam ne tum quidem ubique) observatum narrat; *p Licet olim* (inquit) *& hodie in plerisque locis fideles sibi mutuo pacis osculum à sacerdote per ministrum sibi porrectum imprimant, ne tamen sub specie boni aliquid carnalitatis diabolico afflatu subintret, honestiore cautela tabula Christi imaginem aut sanctorum reliquias continẽs offertur singulis osculanda.* Atque hæc satis sunt, ut quivis perspiciat suis Bellarminum lectoribus nimium secure illusisse, cum scripsit hodiernam illum *sacerdotalis sive pacis*, sive *osculi* apud Latinos *carimoniam haberi in Liturgiis omnibus, tum Græcis, tum Latinis.* Ex his enim constat eam in nullis omnino libris ad Bielem usque, id est ad an. D. 1490. inveniri; ac ne tunc quidem receptam fuisse apud omnes omnino Ecclesias. Fateor vocabulum, quo Latinis eam indigetare placuit, istic reperiri; *osculi* scilicet & *pacis* nomen; rem ipsam uspiam inveniri nego. Nam pro mortuo fidelium inesse se osculo, quod veteres omnes constanter memorant, Latini nunc nobis obtrudunt osculum tabulæ pictæ à fidelibus singulis exhibitum; quod à veteri tantum distat, quantum tabula ab homine fideli. Itaque si vera dicere licet, Latini non ipsum in veterum Liturgiis & libris expressum pacis & sancti osculi ritum habent; Habent tantum ineptam quandam ac pæne jocularem, Christum quidem gravitate indignam mimesin. Quo loco plærisque fere omnibus quantumvis novis ac musteis Ecclesiæ suæ institutis, antiquitatis auctoritatem vindicant; ex nomine scilicet quod techna plane veteratoria, novis vetus imposuerunt, atque continuarunt, veluti res ipsæ veteres immutatæ adhuc maneant.

o Dur Rat. offic. L. 4. c. 53. extr.

p G. Biel. L. 81. in can. Miss. fol. 175. col. 2.



DE RELIGIOSIS LATINORVM CVLTIBVS,

LIBER NONVS,

QVI DE EVCHARISTIA SEPTIMVS EST.

CAPVT PRIMVM.

Simplicissimum initio fuisse Eucharistiæ ritum, & à Christo institutum & ab Apostolis usurpatum. Bessarionis disertum ea de re testimonium. Eandem simplicitatem ad quarti seculi initia perseverasse, docetur testimonio Iustini Tertulliani, Cypriani. Vnde obiter colligitur Liturgias Iacobi, Marci &c. esse illis auctoribus posterorum fraude & ingenio suppositas.



SED tametsi tam multa apud Latinos in rebus ac ritibus ad Eucharistiæ celebrationem pertinentibus nova esse constet, imo nonnulla etiam recentissima; pugnat tamen pertinacissime Bellarminus ipsam eorum Missam, quæ totum sacri hujus ordinem continet, esse antiquissimam; maxime autem præcipuam, ac, ut sic dicam, *cardinalem* ejus partem, quæ vulgo *Canon* dici solet. In hac autem disputatione ita se gerit, ut de singulis Missæ partibus dicat, & demonstret quid earum unaquæque contineat, ac id pro sua virili ab errore & vitio prius, tum & à novitate purget; non ausus de universa Missa simul semelque consistere, ac confligere. Nos, quibus veritatem unam quærentibus, nihil est hujusmodi artibus ac dolis opus, rem totam, quæ qualisqu e hodie habetur apud Latinos, quatuor illis partibus constans, quæ à Bellarmino his nominibus recensentur, *Missa Catechumenorum, Canon minor, Canon maior, & communio*; totum inquam illud orationum, cõsecrationum, & aliarum plurimarum cærimoniarum, Lectionum & cultuum corpus, quod *Missa* dicitur,

q Bell. L. 2. de Miss. c. 16. & seqq.

Cap. I. dicitur, negamus ab initio Christianismi traditum fuisse; negamus toto Apostolicæ Ecclesiæ ad an. D.300. decursu extitisse. postremis demum seculis emersisse contendimus, & ex simplicissima ac brevissima forma paulatim in eam molem excrevisse, quam nunc apud Latinos videmus.

Id vero facile intelligemus, si Missam Latinorum cum divina Christi ipsius, ut sic dicam, Liturgia comparemus. Hæc enim, ut est à tribus Evangelistis perspicue ac diligenter enarrata, *r* nihil aliud continet, quam symbolorum, id est panis & vini benedictionem, mysterij quo utrumque constat, brevissimam ac lucidissimam exegesin; tum panis fractionem, & utriusque speciei distributionem; quæ quantopere distent à tota Missæ Liturgia, etiam cæci vident. Hanc ab optimo maximo Magistro acceptam sanctissimi mysterij formam integram, incorruptam, ac illabatam Apostolos, quod fidelissimos ac religiosissimos discipulos decebat, constanter tenuisse, & suis optima fide tradidisse, Paulus luculentissime testatur, ac confirmat, *s* quo loco verba de hoc sacramento facit apud Corinthios, suos in Domino alumnos. Testatur enim inprimis in ipso limine dissertationis de hoc argumento suæ, *se iis tradidisse, quod à Domino acceperat.* Quid autem accepisset, continuo exponens, eadem illa quæ apud Evangelistas leguntur, edit, neque quicquam de suo primæ auctoris formæ adjicit. Quo exemplo & Dominicam institutionem omnibus suis partibus ac numeris absolutissimam esse definit, & cæteris Christianismi Magistris præscribit, ut divino illo summi Doctoris exemplari contenti manum à violanda ejus integritate abstineant, id est nequid ei vel addant, vel detrahant. Non sinit autem nos dubitare summa divinorum virorum in curanda Dei opere concordia, quin cæteri Apostoli iis, quas instituebant, Ecclesiis eadem illa traderent, quæ Paulus hic suis Corinthiis à se tradita esse contestatur. Anno ergo à Dominico in terris natali 51. quo datam esse hanc Pauli ad Corinthios priorem epistolam viri eruditi consentiunt, adhuc sincera apud Ecclesias manebat illa divinæ simplicitatis ac brevitatis forma, quam in hoc celebrando mysterio Dominus Christus suis præiverat. Unde patet nondum iis temporibus notum fuisse Missæ Latinæ ab hoc diversissimum ordinem.

Atque id ipsum ex his Pauli verbis jampridem conclusit *t* vir ortu quidem Græcus, sed religione & communione Latinus, Bessario, clarissimus Ecclesiæ Romanæ Cardinalis. *Paulus (* inquit *) tradidit nobis, quæ acceperat. Cum autem ea sola tradiderit, quæ in epistola ad Corinthios scribit certe illa SOLA accepit, & illa sola Apostolos facere vidit. Nam si plura facere vidisset, ea quoque tradidisset. Nihil autem in illa epistola dicit amplius, nisi Christum accepisse panem in suas manus, benedixisse, dedisse discipulis, atque dixisse, Accipite, & comedite. Hoc est corpus meum. Idem igitur omni ex parte Apostoli, quibus tradentibus Paulus id accepit, faciebant. Hoc tantum ab illis accepit Paulus, hoc tradidit nobis.* Atque hæc quidem, quæ Bessario affirmat, certa Pauli, ex cujus ille verbis ea conclu-

r Matth. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 17.

s 1. Cor. 11. 23.

t Bessar. de Sacram. Euchar. T. 6. Bibl. Patr. p. 476. B.

conclusit, auctoritate nituntur. Quod vero idem statim subjicit, *postea sive Clementem, sive Iacobum, sive alium quemcumque alias orationes & hymnos & cantica, non ad necessitatem, sed ad ornatum addidisse*; id, inquam, si ista Pauli & cæterorum Apostolorum temporibus addita esse intelligit (vt certe intelligit) plane est incertum, vt vel ipse significat, dum nullum hujus additionis certum auctorem edit, rem in ambiguo relinquens cum ait, *sive Clemens, sive Iacobus, sive alius QVICVMQVE illa addiderit.* Videbat nimirum vir doctissimus rem esse plane incertam, quā nullius ex Apostolis, vel Apostolicis viris auctoritate factam esse ex veris vel Apostolici, vel proximi post Apostolos ævi scriptoribus constaret. Quo non obscure fatetur se & Iacobi Liturgiam, & constitutiones Apostolicas, quæ Clementis dicuntur, & Dionysij opera, & alia ejusdem generis, quæ Apostolis, vel certe Apostolicis viris inscripta vulgo circumferuntur, pro libris nothis & subdititiis habere ac censere. Nam si hæc pro veris germanisque eorum auctorum operibus habuisset, quorum nomina præferunt, rem quam illa scripta apertissime atque disertissime affirmant, non erat in medio, velut incertum relicturus. Nos sane quod ille dicit alias *orationes & hymnos, & cantica* ad formam Liturgiæ Corinthiis à Paulo, aliis Ecclesiis à cæteris Apostolis traditam accessisse, id quidem fatemur; illa vero ab Apostolis, vel ab eorum discipulis, cum adhuc essent in vivis Apostoli, addita esse (quod Bessario statuere videtur) admittere non possumus. Hoc enim absque vlla idonei testis auctoritate à posteris tantum affirmatur, quos verisimillimum est id finxisse ad conciliandam iis ritibus, quos ævo suo in Ecclesiæ vsum receptos videbant, antiquitatis speciem, ne eos sua novitas in contemptum adduceret. Huc accedit, quod incerta illa, & vel judice Bessarione, ambigua fama de additis Apostolicæ Liturgiæ sive à Iacobo, sive à Clemente, vel ab alio ejusdem ævi viro, iis orationibus & canticis, quæ postea apud Græcos & Latinos in vsu esse cæperunt, non modo caret vero & indubitato de prima antiquitate auctore, sed insuper cum iis, quæ ex illis temporibus supersunt non obscure pugnat. Iustinus, quem annis post Apostolorum dormitionem quinquaginta scripsisse constat, quo modo ac ritu apud ævi sui Ecclesiam Eucharistia celebraretur, diligenter, ac perspicue tradit in Apologia, quæ secunda dicitur. Atqui in hac ejus Ecclesiasticæ Synaxeos descriptione nihil eorum cernitur, quæ tam multa in posterorum Liturgiis videmus. Narrat *u* die Solis (id est prima hebdomadis feria, quæ nunc *Dominica* dicitur) *fideles in* vnum locum ad sacra convenisse; In eo conventu lecta in primis fuisse Apostolorum commentaria, aut scripta Prophetarum. Inde lectione absoluta, *x* *Præpositum orationem habuisse, qua populum instruebat, & ad hæc præclara* (quæ scilicet lecta erant) *imitanda provocabat.* ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν ϗ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται. Hæc omnino illa est fraternitatis cohortatio, quam Græci *homiliam*, Latini *Tractatum & Sermonem* dicebant. Eam homiliam

CAP. L.

u Iustin. Apol. 2. p 77. lin. 22.

x ibid. lin. 27.

Caput I. excipiebant sacræ preces, quæ omnibus vna consurgentibus atque consistentibus dicebantur. His peractis tum demũ Eucharistiam hoc ordine celebrabant y *Panis* (inquit) *& vinum & aqua offertur, & Præpositus preces similiter & gratiarum actiones fundit, quantum pro sua virili potest, & populus fauste acclamat. Amen. Tum ex iis, quæ benedicta, sive gratiarum actione consecrata sunt vnicuique distributio fit & participatio; absentibus autem per Diaconos mittitur.* ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ, λέγων τὸ Ἀμήν· καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. In his nihil præter ea videmus, quæ & Christus fecisse in Evangelio, & Paulus in epistola ad Corinthios tradidisse legitur; si id vnum exceperis, quod ex sacris donis aliquid in distributione ad absentes missum dicitur. Cætera vtrobique eadem. *Benedictionem* panis & vini, & ab Evangelistis & à Paulo memoratam apertissime continent Præpositi *preces & gratiarum actiones.* εὐχαριστεῖν enim *gratias agere*, quod jam non semel monuimus, z divinis, indeque Ecclesiasticis scriptoribus idem est, quod εὐλογεῖν *benedicere* : τὰ εὐχαριστηθέντα *ea super quibus gratiæ actæ sunt*, idem quod τὰ εὐλογηθέντα *ea quæ benedicta sunt*, id est prece & gratiarum actione consecrata. Post obsignatas totius populi *Amen* acclamantis voce Præpositi preces, sequitur apud Iustinum id ipsum quod apud Evangelistas & Paulum; nimirum sacrorum donorum distributio & participatio. Ergo, ne tum quidem (id est a. D. præpropter 150.) quicquam erat in Apostolica Liturgia mutatum, cum tamen Iacobus, Marcus, Clemens, & alij jampridem obdormivissent, siqui feruntur Apostolicæ memoriæ aliquid Dominico instituto præter ista adjecisse.

z Supr. L. 3. c. 12.

Neque secutis ad tertium sæculum temporibus quicquam Apostolicæ illi formæ adjectum videtur. Siquid fuisset, Tertullianus, qui non paucos post secundi sæculi finem annos vixit, id cupide arripuisset, quo loco ea recenset, a quæ præter traditam in Scriptura formam Christianis disciplinis, ut baptismo, & huic nominatim Eucharistiæ postea accesserant. Atqui nihil ille de adjectis ad ejus formam in Scriptura traditam dicit. De hora mysterij celebrandi illud tantum observat, quod *id sacramentum & in tempore victus & omnibus mandatum à Domino* ipsi tunc *etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum, quam præsidentium manu sumerent.* Quanto erat validius, & appositius dicturus, siquid esset in ipsa rei celebrandæ forma mutatum? Sed ego ne Cypriani quidem temporibus quicquam adhuc in Eucharistiæ ordine innovatum fuisse crediderim, quod alicujus esset momenti. Aliter non video, qui possit consistere quod tantopere vrget b in quadam de hoc sacramento disputatione ad *radicem atque originem traditionis Dominicæ revertendum: sic, vt aliud non fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit; Non observari à nobis quod mandatum est, nisi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus; Ab Evangelicis præceptis omnino recedendum*

a Tertull. de Cor. c. 3. p. 121. D.

b Cypr. 63. ad Cæcil p 115. & 118.

recedendum non esse, & eadem, quæ Magister docuit & fecit, discipulos quoque observare & facere debere. Ex Paulo *nefas esse vel ipsum Apostolum, vel Angelum de cœlo annuntiare, aliter aut docere præterquam quod semel docuit, & Apostoli ejus annuntiaverunt.* Neque cum his pugnat, quod idem alibi testatur suo jam tempore solenne fuisse, *ut sacerdos ante orationem præfatione præmissa pararet fratrum mentes, dicendo*, Sursum corda, *& responderet plebs*, Habemus ad Dominum, *eoque admoneretur nihil aliud se, quam Dominum cogitare debere.* De his frustra sibi blanditur Bellarminus. Ipse enim Martyr testatur hæc non ad ipsam pertinuisse Liturgiam, sed præfationem fuisse, qua fidelium mentes excitarentur ad caste atque religiose audiendum orationem, qua mysterium ipsum conficiebatur, & ad digne sumenda sanctissima illa mortis Dominicæ Symbola; Qua cohortatione nihil novatur; animus tantum excitatur, ut rebus à Christo jam ante ab initio institutis sancte ac Christiane ad salutem suam utatur.

CAPVT II. e Id in Orat. Domin. p. 228.

CAPVT II.

Id ipsum de simplicitate primi Christianismi in hoc peragendo sacro, docuisse etiam posterorum sæculorum scriptores; Gregorium, Valafridum, Remigium, Stephanum Eduensem. Bernonem, Rupertum Tuitiensem, Hugonem Victorinum, Honorium Augustodunensem, Durant. Mimatensem, Radulphum Tungrensem, imo etiam multo recentiores, Cirvelum Doracensem, Beatum Renanum, Cassandrum.

Ex his apparet pæne ad finem tertij sæculi simplicissimam ac facillimam fuisse Eucharisticæ Liturgiæ formam & quæ prope ad Apostolicam accederet; adeoque plurimum ab hodierna Latina Missa discreparet; qua nihil involutius, prolixius, cujusque partes minus inter se cohæreant. Neque nos soli in ea sumus sententia. Id ipsum sequentium sæculorum veri scriptores non pauci observarunt; etiam qui iis temporibus vixerunt, quibus jam magna facta erat in hac religionis parte rerum, verborum, & ordinis mutatio.

Non tacuit *d* Gregorius, qui Romæ sedit Pontifex ad a. D. 604. *Mos* (inquit) *Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem* (Dominicam dicit) *oblationis hostiam consecrarent.* Nescio unde habuerit hac oratione usos Apostolos ad sacramenti confectionem. Sed si quam aliam adhibuerunt, præter eam benedictionem, qua Domini exemplo super oblatis gratias egerunt, verisimillimum est Dominica usos. Iam si ad hanc *solummodo* (quod ille ait) consecrarunt: negari non potest, quin ab Apostolica forma multum diversa sit tota Latinorum Missa. Ac tametsi nono sæculo iam maxima facta esset in hac Christiani cultus parte mutatio, verum tamen vidit ac observavit, qui iis temporibus vixit d Greg. L. 7. ep. 63. ad Ioan. Syrac. p. 423. e.

Cap. II. Valafridus Strabo, optimus scriptor, & quo Bellarminus in hac tota disputatione plurimum vtitur. Is enim sui temporis Missam cum Apostolica Synaxi comparans; e *Quod nunc* (inquit) *agimus multiplici orationum cantilenarum, & consecrationum officio; totum hoc Apostoli, & post ipsos proximus* (proximi) *vt creditur, orationibus & commemoratione passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter. Vnde circa domos, secundum superius commemorata testimonia frangebant panem; Quod etiam alia sententia Lucas declarat;* Vna autem sabbati cum convenissemus ad frangendum panem; *& reliqua. Et relatio majorum est in primis temporibus Missas fieri solitas, sicut modo in Parasceve Paschæ (in quo die apud Romanos Missæ non aguntur) communicationem facere solemus, id est præmissa oratione Dominica, & sicut ipse Dominus noster præcepit, commemoratione passionis ejus adhibita corpori Dominico communicasse & sanguini, quos ratio permittebat. Proficiente dehinc religione, amplius aucta sunt à Christi cultoribus officia Missarum; quod vel pax præstita latius terminos propagavit Ecclesiæ, vel sanctorum copia vsu facta est convalescente frequentior. Quod & in sacrarum ædium constructione, vel ornatibus ita provenisse jam diximus; non quod aliqui sequentium Apostolis fuerint scientia vel religiositate majores: sed quia illi maxime curabant ab infidelitate ad fidem, à tenebris homines ad lucem vocare, & in veritate stabiles reddere, ipsa facilitate religionis melius quod volebant, rudibus persuadere voluerunt.* Hæc ille; Gregorio consentiens Apostolorum, & proximorum Synaxin totam sola oratione Dominica, commemoratione passionis Dominicæ, & communicatione sacramenti peractam fuisse statuit. Ergo quicquid præter hæc in Missa Romana habetur, novum est, & post Apostolos, & proximos eorum successores inventum & additum; qua vna Gregorij & Valafridi sententia, nova censenda est pæne tota, paucissimis exceptis, Latinorum Missa; idemque de Græcorum Liturgiis, quæ circumferuntur, judicandum est.

e Val. Str. de reb. Eccl. c. 22. T. 10. Bibl. P. p. 620. B.

Gregorij & Valafridi judicium Latini plærique vno ad vltima fere tempora consensu, secuti sunt. Nono sæculo Remigius Altissiodorensis, f *Hanc Missam* (inquit) *B. Petrus Apostolus primus omnium Antiochiæ dicitur celebrasse, in qua tres tantummodo orationes in initio fidei proferebantur, incipientes ab eo loco, vbi dicitur, Hanc igitur oblationem.* Decimo seculo Stephanus Eduensis; g *Nota* (inquit) *quod sicut Magister docuerat Apostolis se & alios communicando consecrationem corporis & sanguinis Domini facere cœperunt, & fieri per vniversas Ecclesias prædicando instituerunt. Primo sine aliquo ordinatu fiebat Canonis mysterium: postea cum Canone legebantur Epistola & Evangelium. Deinde à Romanis Pontificibus quibusdam additis ad ornatum & decoratum Ecclesiæ celebranda susceperunt.* Berno Augiensis; h *In exordio* (inquit) *nascentis Ecclesiæ, non eo, quo nunc, modo vel ordine sacra celebrabantur Missarum solennia, teste etiam beatissimo Gregorio Papa* (cujus locum nuper à nobis indicatum totum hic recitat)

f Remig. Altiss. de celebr. Miss. L. 1. init. T. 6 Bibl. Patr. p. 441. A.

g Steph. Ed de Sacram. alt. c. 20.

h Bern. Aug de offic. Miss. c. 1 in T. 10. Bibl. Patr. p. 698.

CAPUT II.

citat) Tum : *Sed crescente* (inquit) *statu religionis simul accrevit decus Ecclesiastici honoris. Attamen ipsum Canonem non unus solus totum composuit: sed per tempora alius aliud interposuit vel adiecit.* Duodecimo sæculo Rupertus, Abbas Tuitiensis: *Olim non tanto exterioris apparatu decoris. Missarũ solennia celebrabantur, nec ab uno quolibet hac omnis religiosi obsequij gloria consummata & perpolita est. Pontifices quippe sacri, splendida Romana urbis luminaria. sicut diversis temporibus affulserunt: ita paulatim studij sui claritate venustatem huju: salutaris officij perfecerunt.* Et mox k *Traditum à Domino mirabilem novi sacrificij ritum per primos Apostolos sancta Romana Ecclesia suscipiens religiosa fide amplexata est, fideli cura conservavit, diligenti apparatu exornavit.* Hæc ille appertissime, docens, Romanos ab Apostolis ea tantum accepisse, quæ his erant à Domino tradita; Cætera, quæ præter hæc, in Missa Latina nunc habentur, Ecclesiam Romanam de suo contulisse, iisque ad traditum à Christo ordinem adjectis, rem totam exornasse. Quod ipsum statim affirmat *l* etiam disertius: *Non quidem* (inquit) *sanctius est, quam erat prius, quando ad sola verba Domini, solamque Dominicam orationem consecrabatur.* Hugo de S. Victore eodem sæculo : *m Dominus & salvator noster Iesus Missam celebrari instituit, quando panem & vinum in corpus & sanguinem suum commutans suis præcepit hoc in sui facere commemorationem. Apostoli Missam auxerunt, dum super panem & vinum verba, quæ Dominus dixerat, & orationem Dominicam dixerunt. Deinde successores eorum Epistolas & Evangelia legi statuerunt.* Sæculo decimotertio Honorius Augustodunensis eadem sequitur, & his ipsis Hugonis verbis mentem suam expressit *n in* libro, qui *Gemma anima* dicitur. Gulielmus Durantes in Rationali: *Missam instituit Domini Iesus, sacerdos secundum Melchisedec, quando panem & vinum in corpus & sanguinem suum transmutavit, dicens, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus : subjungens : Hoc facite in meam commemorationem. Apostoli autem hanc missam ad auxerunt, dicentes in Missa non solum verba præmissa : verum & Dominicam orationem superaddentes. Inde B. Petrus sic Missam primus dicitur celebrasse in partibus Orientalibus, &c. In primordio ergo nascentis Ecclesiæ Missa aliter dicebatur, quam modo &c. Sequenti vero tempore Epistola tantum & Evangelio recitatis Missa celebrabatur. Subsequenter Calestinus Papa instituit Introitum ad Missam cantari* : & quæ sequuntur. Idem alibi *o* in eodem opere ait *antiquam Apostolorum Missam, celebrandi consuetudinem fuisse, ut prius lectione præmissa dicerentur solummodo verba illa, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus, sed eos postmodum orationem Dominicam addidisse.* Circa finem sæculi decimi quarti Radulphus Tungrensis Decanus ; *p Ab initio cum adhuc esset novella Ecclesia, Apostoli cum sanctificatione crucis & oratione Dominica prout in quibusdam Scripturis veteribus reperitur, & in quotidianis vestibus, & ligneis calicibus celebrabant.* Denique sæculo decimoquinto Antonius Archiepiscopus Florentinus Gulielmi Durantis sententiam κατὰ πόδας sequitur, & ejus paulo ante

i Rupert. Tuit. L. 2. de div. Off. c. 21. vb. supr. p. 879. B.
k ibid. p. 880 c.
l Ibid.
m Hug. Victor. Theolo. de div. Offic. L. 2 c 11. Ibid. p. 1393. A.
n Hon Aug. Gemm. an. L. 1. c 86. Ibid. p. 1206.
n Dur. Ration. L. 4. c. 1.
o Id. ibid. L. 6. c. 77. fol. 226 col. 3.
p Rad. Tungr. de Can. observat. T. 10. Bibl. Patr. p. 1152. B.
q Antonin. summ mai. Tit. 13 c. 1. fol. 163. col. 4

Caput II.

recitata verba describit; q *Sciendum* (inquit) *prout dicitur in Rationali divinorum officiorum, quod Missam instituit Dominus Iesus*, &c. (vt supra) *Subsequenti vero tempore epistola tantum & Evangelio recitatis Missa celebrabatur.* Eodem quoque sæculo floruit Bessario Cardinalis, cuius luculentissimum hac de re locum jam supra ad illustrandum Pauli in priore ad Corinthios epistola testimonium attulimus.

r Cassand. Liturgic. c. 28.p. 38.

Sed ne citimis quidem temporibus defuerunt, qui eadem veris victi senserunt. Cassander in Liturgicis Petrum quemdam Cirvelum Doracensem memorat, r quem reperio Ioannis Pici Mirandulani fuisse æqualem, adeoque vixisse sæculo decimoquinto jam inclinato; Expositionis libri Missalis in Academia Complutensi auctorem; ex quo opere nonnulla recitat in eam sententiam satis diserta, quæ hic Cassandri fide describere non pigebit (fateor enim librum ipsum nondum mihi visum esse) Hæc ergo ille habet in operis sui proœmio; *Apostoli* (inquit) *super verba consecrationis panis & vini à Christo accepta solam orationem Dominicam, id est Pater noster, opposuerunt, & statim communicabant, id est Eucharistiam assumebant, & aliis ministrabant.* Tum; *Deinde* (inquit) *Romani Pontifices, Petri successores, paulatim successu temporis addentes etiam devotas orationes totius Missæ canonem secretum in trecentis fere primis annis Ecclesiæ perfecerunt.* Ex hac sua hypothesi idem hæc supra scripserat; *Vrgentibus Ecclesiæ persecutionibus infidelium, Eucharistiæ sacrificium, quod in Missa conficitur, actum fuisse à fidelibus valde simpliciter, & sine pompa alicujus solennitatis, quia offerebatur à sacerdotibus Christi occulte in domibus privatis, ideoque tunc Missæ officium fuisse satis breve.* Itaque idem in epistola nuncupatoria non dubitavit adfirmare *etiam Damasi Papæ tempore* (is autem a. D. 384. vivere in terris desiit) *præter secretum Missæ Canonem solum Evangelium lectum fuisse in templo Dei fideli populo quasi sermonem quemdam præparatorium ante Eucharistiæ consecrationem & sumptionem, quædam addita secutis temporibus; atque ita paulatim ventum esse ad Gregorij Pontificatum circa, a. D. 600. qui alia plurima superaddidit.*

s B. Renan. ad c.3 Tertull. de cor. edit Par 1635 p.859 col 2.

Beati Renani multa in eandem sententiam à Cassandro ibidem memorantur, quæ exstant in doctissimi illius viri Notis ad Tertullianum de Corona, è quibus hæc paucula describere satis erit; Præfatus s se studiosis aperire velle *quid* (inquit) *de Missa compertum habeant, qui vetustos sacrarum literarum interpretes, videlicet Origenem & similes cum judicio diligenter excusserunt. Arbitrantur* (inquit) *illi Missam incepisse dicente sacerdote, Dominus vobiscum, & mox, Sursum corda. Deinde Gratias agamus Domino Deo nostro; & iterum, Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere Domine, sancte Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum.* Post quæ verba putant illa statim subdidisse, *Qui pridie quam pateretur*, &c. *Nam Canonem, Te igitur à quodam conscriptum aiunt, cui Scholastico nomen fuerit*; & cætera, quæ apud Renanum videat, qui volet. Prostat enim locus Latinorum Bibliomastigum obelis & spongiis intactus.

Cas-

CAPUT. II.

Cassandrum ipsum eadem cum Cirvelo, & istis à Renano laudatis viris sensisse, inde discimus, quod huic Liturgicorum suorum capiti, in quo & ista & alia complura testimonia colligit, hunc titulum præfigat, t *Missæ quomodo initio apud Romanos celebrari solerent, & quomodo paulatim accessio facta sit.* Sed & in Consultatione, quantumvis Romano Papæ, ejusque doctrinæ & ritibus impense ac pro virili sua blandiatur, fateri, u tamen cogitur Canonem ipsum (id est potissimam sacri Latini partem, & quæ Missæ vice cordis est) *à Gelasio demum & Gregorio in eum, quem nunc cernimus ordinem fuisse redactum*; quorum ille a. D. 494. hic a. 600. floruit.

t C. ∫l. lib. supr.

u Cass. Consult. ad art. 24. Confess. Aug. p. 1002.

Sed quæ Polydorus Virgilius, homo Italus, jamdiu ante Cassandrum hac de re scripserat, eo memorari digniora sunt, quod illa Hispani Bibliomastiges ex auctoris opere iniquissimis lituris delenda decreverunt; * quæ tu adeo frustra, ni fallor, requiras in editione Romana, vel priori a. 1576. vel posteriori a. 1585. Vtraque enim non dubito, quin horum censorum spongiis ac pumicibus luculentissime detersa ac lævigata prodierit. Ita ergo Polydorus de Missæ origine & augmentis tradit; † *Nuda* (inquit) *ab initio omnia, simpliciter mysteria à* Christo *tradita apud Apostolos erant; Nuda omnis cærimoniarum ratio, plus pietatis habens, quam apparatus. Nam satis constat Petrum, qui vel primus omnium, ut Apostolorum Princeps, vel una cum aliis Apostolis rem divinam eo ritu, quem à Christo accepisset, identidem fecerat, post consecrationem continuo inferre solitam Dominicam precem. Auxit inde hac mysteria Iacobus, Hierosolymitanus Antistes: auxit Basilius, aliique alia subinde instituere. Cælestinus Missæ introitum, cujus initium est,* Iudica me Deus; *Damasus confessionem, quæ fit à Sacerdote, prinsquam altare conscendat: quidam tamen Pontiano assignant. Gregorius antiphonam, quæ introitum sequitur, & ob id vulgo eodem nomine nuncupatur: Item ut novies* Kyrie *diceretur & antiphona post epistolam. Evangelium, & communionem. At antiphonam post epistolam* Graduale *appellant: quod Diaconus adscendat in editiorem gradum ad pronuntiandum Evangelium: Telesphorus hymnum,* Gloria in excelsis Deo: *Gelasius primas orationes, id est precum clausulas, quas vocant: Epistolam & Evangeliũ Hieronymus: & cum id legeretur, ut cuncti, qui sacris interessent, curvi ac venerantes starent, uti expeditiores ad Evangelium defendendum.* &c. *Anastasius primum constituit:* Alleluia *ex Hierosolymis translatitium est. Symboli decantatio fuit Marci Pontificis primi decretũ.* &c. *Antiphonam quam* Tractum *vulgo appellant, & hymnos Gelasius fecit, ac Præfationes quæ Canonem præcedunt, cantu quidem & sermone eleganti composuit, ut testatur Pelagius, novem numero sunt: Decimam ad honorem Deiparæ Virginis Urbanus addidit.* Hactenus Polydorus; cujus totum hunc locum isti librorum immanissimi exsectores quam præter verum ac justum conciderint, partim ex iis quæ diximus, jam patet: partim ex iis quæ postea de singulis Missæ partibus disputabimus, etiam multo luculentius patebit.

* Ind. Exp. Sand in Polyd.

† Pol. Virg. l. 5. de rer. inuent. c. 11. p. 333.

CAPUT

CAPVT III.

Refellitur Goaris conatus Gregorianam de Missa Latina novitate sententiam configere ex Act. 2. frustra satagentis & ex Liturgia Iacobi. Constitutionibus Clementis, &c. quos libros obiter demonstratur novos & supposititios esse: denique ex quodam Chrysostomi loco, qui explicatur, & à Goaris glossis vindicatur.

ATque hæc satis esse possent ad id quod posuimus demonstrandum, simplicissimam ac brevissimam fuisse, adeoque à Latina Missâ diversissimam Eucharistiæ Apostolicis ac proxime consecutis temporibus administrationem. Neque enim hic audiendus est Goar, qui recitata Gregorij & Bessarionis ea de re sententia, concedit x quidem *ex Apostolis vnum aut alterum, vel temporis angustia, vel inopia loci, vel persequentium metu pressum à prolixioribus inter sacrificandum orationibus, cum earum nondum esset vna forma per Ecclesiam vniversam recepta, quandoque abstinuisse*; contendit tamen *sæpius in horas productis orationibus permansisse dum sacra mysteria sumerent, & aliis in Missa sumenda porrigerent.* Neque Gregorius neque cæteri quos audivimus testes, aliqua simili exceptione utuntur. Illi Apostolos, quidam etiam primos eorum successores simpliciter, non *vnum aut alterum ex iis*, illa brevi & simplici forma usos dicunt; neque ad aliquod tempus, sed perpetuo, neque ob singulares aliquas caussas, sed de more, ut eam vnam fuisse synaxeos eorum formam in celebranda Eucharistia liquido significent. Quo & illud accedit, quod brevem illam & simplicem Liturgiam cum eo, qui suo tempore erat more comparant; eique diserte opponunt; non autem eam, qua Apostoli & eorum discipuli quibusdam interdum caussis & necessitatibus coacti utebantur, illi, quæ ipsis extra eas caussas solennis esset. Hæc enim rerum inter se sic instituta comparatione liquido demonstrant aliud in Apostolica, aliud in sua moris fuisse. Denique Paulus, cujus auctoritate nititur Bessario, docere se profitetur y quid Christus quidem tradidisset, ipse vero discipulis suis traderet. Atqui stultum est imaginari vel Christum, vel Apostolum suis non plenam, solennem, & legitimam Eucharistiæ administrandæ formam tradidisse, sed curtam, & mutilam, neque alias, quam in quibusdam caussis vtendam, cum vel temporis vel loci iniquitas sacrum officij Eucharistici pensum explicare, & totum exsolvere non sineret. Neque vero aliud vincit, qui à Goare ex Actorum cap. 2. objicitur locus, z vbi de primis Christianis, *Erant autem* (inquit) *perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis & orationibus*; vel ut habet Græcus codex, *in communione & fractione panis*. His verbis Lucas complexus

x Goar in Euchol. in Miss. Chrys. Not. 136. p. 139.

y 1. Cor. 11.

z Act. 2. 42.

plexus est pietatis Christianæ actus præcipuos fidem in doctrina, caritatem in communione, sacramentorum usum in *panis fractione*, ac denique orationem & preces ad Deum. Sed nihil necesse est orationes ita capere quasi eæ ad Eucharistiam unam omnes pertinuerint, ejusque vel priores vel posteriores partes fuerint. Quis nescit sæpe preces fieri, etiam in iis piorum cœtibus, in quibus neque fit, neque sumitur panis sacer? & in collectis, in quibus is fit & sumitur, nihil vetare, quin & preces pro rerum & temporum necessitate ad Deum fundantur, quarum nullus est solennis in Eucharistiæ sacro usus? Iustinus supra testabatur apud sui temporis Ecclesiam morem hunc fuisse, ut diebus Dominicis primo Scripturæ legerentur, tum Pastor orationem sive homiliam ad fratres haberet; quam precibus ad Deum clauderet, quibus plebs suo *Amen* succinebat; His demum peractis apparatum, confectum, ac distributum fuisse Eucharistiæ sacramentum. Diu idem servatum fuisse, ut concio sacra primum à Pastore haberetur; tum communio celebraretur, satis nos *docet vel* unus, Chrysostomus, dum queritur* auditores sibi quidem concionanti frequentissimos adesse; ubi vero sermone expleto ad communionem veniebatur, plærosque omnes repente ex æde sacra discedere, ac diffugere; Ut ipsarum Liturgiarum primam partem *missam* quæ *Missa Catechumenorum* dicebatur; quam nihil ad Eucharistiæ officium pertinuisse vel hoc ipsum clamat, quod ei Catechumeni intererant, quibus nemo nescit, ex quarti seculi & sequentium disciplina non licuisse vel Eucharistiæ, vel baptismi, vel cæterorum sacrorum rituum quicquam vel eminus spectare. Nihil ergo valet Goaris argumentum ad id refellendum, quod Gregorius, & multi Patres tradunt solam benedictionem & orationem Dominicam adhibuisse Apostolos ad cõsecrandum, sumendũ & distribuendum panẽ Eucharisticum.

CAP. III.

* Chrys. Hom. 3. de Incom. pr. T. 1 p. 524. B.C.

Quam addit Apostolorum apud Clementem Liturgiam id tacite adfirmare, *si vera est*, merito addit *si vera est*. Id enim probe sit, non solum à nobis, sed etiam à viris suæ communionis eruditis, iisque non paucis negari. De Liturgia Iacobi, idem quoque dicere debuit, quam cum ipse Bellarminus *à posterioribus ita locupletatam esse* fateatur, *a ut non sit facile dijudicare, quæ pars eius Liturgiæ sanctum Iacobum habeat auctorẽ*; nemo non intelligit, quod has vel illas orationes contineat, eo nequaquam posse confici eas ab ipsis olim Apostolis fuisse in Eucharistia celebrãda usurpatas. Falso autem & Constitutiones Clementi, & Iacobo Liturgiam attribui, Goar pro sua solertia, proque sua eruditione ex eo ipso Gregorij, quod hic paulo ante memoravit, testimonio facile intelligere potuit. Affirmat enim ibi Gregorius, ipso referente Goare (quod & nos supra recitavimus) Apostolos *sola Dominica oratione præmissa consecrasse & sacramenta distribuisse*. Iam vero plane est incredibile tantæ eruditionis, tantæque pietatis, ac in Apostolos, & in suos antecessores, Sedemque Romanam reverentiæ atque observantiæ Pontificem, vel ista affirmaturum fuisse, si Iacobum, unum ex duodecim, si

a Bell. de script. Eccl. in Iacobo.

Cap. III. Clementem, primum Romæ Episcopum aliud liquido tradidisse scivisset. Unde intelligimus eum & illam Liturgiam, quæ Iacobi,& illas,quæ Clementis Constitutiones nunc dicuntur, aut nescivisse, aut certe respuisse ac contempsisse. Quo telo pariter quoque confodiuntur,quæ sub Petri & Marci nominibus nunc vulgo circumferuntur Liturgiæ, ex quibus Gregorius, si eas scivisset & pro veris agnovisset,certo erat intellecturus, falsissimum illud esse, quod ipse tamen pro certo affirmare non dubitavit, Apostolos scilicet *sola Dominica oratione promissa consecrasse.* Non est ergo dubitandum istas quoque omnes Liturgias Gregorium vel nescivisse,vel certe pro spuriis ac supposititiis scriptis habuisse; quod utrumque pariter incredibile est, si verum esse concedamus, quod hodie nonnulli Latinorum volunt, illas Liturgias vere eorum esse auctorum, quorum nomine venditantur. Me vero perspecta Goaris eruditio plane singularis vix sinit dubitare,quin has ille & alias ejusdem farinæ merces eo, quo dignæ sunt,loco ac numero censuerit; quod ipsum quoque mihi persuadet illa cautio, qua hic usus est, cum ex Clementis auctoritate contra suam Gregorium pugnans. *Id* (inquit) *affirmat Apostolorum Liturgia, SI VERA EST, apud Clementem* &c. Atqui ex incertis & dubiis nihil affirmari potest. Ergo qui hoc ipsum, ex quo thesin suam affirmat, dubium esse profitetur Goar, vel ludit & operam suam inventos, sciens volens frustra spargit, vel (quod ego potius reor) hac lege, *SI VERA EST*, enuntiationi suæ apposita, lectorem monitum voluit, aliorum, puta Turriani, & Bovij, & cæterorum ejusdem census hominum esse hoc argumentum, qui Constitutiones pro vero ac genuino Clementis fœtu habent; suum non esse, cui nondum de illius libri veritate liqueat.

b Goar. ub. supr
c Chrysost. Homil 27. in 1. ad Cor. p. 298. B C.

Sed neque mihi quicquam adversus Gregorianam de Apostolis traditionem valere videntur, quæ Goar affert ex Chrysostomo; *Cogita* (inquit) *quid fecerint Apostoli, quando sacrarum illarum mensarum fuerunt participes. An non ad preces & hymnos conversi sunt? nonne, ad sanctas vigilias? Nonne, ad longam illam doctrinam, & multa philosophiæ plenam?* ἐννόησον, ὅτε μετέλαβον οἱ ἀπόστολοι τῶν ἱερῶν δείπνων ἐκείνων τί ἐποίησαν. οὐχὶ εἰς εὐχὰς ἐτράπησαν καὶ ὑμνῳδίας. οὐχὶ εἰς παννυχίδας ἱεράς, εἰς διδασκαλίαν τὴν μακρὰν ἐκείνην, καὶ πολλῆς γέμουσαν φιλοσοφίας, Hæc Goar describit, quibus, ut plane aperiatur mens auctoris & verborum sensus, continuanda sunt, quæ sequuntur. *Tunc enim illis* (inquit) *res magnas & admirabiles narrabat & præcipiebat, cum abiisset Iudas advocandos eos, qui ipsum acturi erant in crucem.* τὰ γὰρ μεγάλα καὶ παράδοξα τότε αὐτοῖς διελέγετο καὶ παρήγγελλεν ἀπελθόντος τοῦ Ἰούδα καλέσοντος τοὺς μέλλοντας αὐτὸν σταυροῦν. Ex his jam planum est qua de re hic agat Chrysostomus; de iis nimirum quæ egerunt Apostoli, & ad quæ eos Dominus vocavit, postquam nocte illa, qua ab Iuda traditus est, sacram cum eo Cœnam sumpsissent. Quæ enim dicit ἱερὰ δεῖπνα ἐκεῖνα, id est *sacras illas Cœnas*, sive *sacra illa convivia*, ea hanc postremum Apostolorum cum Domino Cœnam significant, tametsi plurium numero expressa

expressa sint; quod vidit Interpres, qui *sacras mensas* reddidit, quæ auctor ἱερὰ δεῖπνα *sacras Cœnas* dixerat. Nimirum vel ob rei magnitudinem, vel ob duplices epulas, quæ in illo uno convivio distingui possunt. Vnas, Agni Paschalis; alteras, Eucharistiæ; illas veteris, has novi Testamenti; quod δεῖπνον *Cœnam*, & Paulus *d* & nos cum Paulo in singulari numero dicimus, Chrysostomus δεῖπνα *Cœnas* in plurali dicere maluerit. *Cum ergo* (inquit) *Apostoli sacram illam cœnam sumpsissent, tum conversi sunt ad preces & hymnodias* &c. Omnia ex Evangelica historia clarissima. Nam Matthæus & Marcus diserte tradunt *e* Christum & discipulos Cœna illa peracta *hymnum dixisse*, eoque dicto in montem Oliveti exiisse. *Vigilias* vero & *preces* eas dicit, quas Christus Apostolis eadem illa nocte commendabat, *f Sustinete hic* (inquit) *& vigilate mecum*; atq; iterum cum eos in somnum gravatis oculis lapsos invenisset, *Vigilate* (inquit) *& orate, ne intretis in tentationem. Longam* autem, *& multa philosophia plenam doctrinam*, dicit divinissimos sermones, quos nocte illa (postquam Iudas *accepta buccella continuo exivisset*) Dominus Iesus apud cæteros Apostolos habuit, quosque Ioannes posteriori capitis decimitertij parte, & quatuor inde sequentibus totis capitulis ad c. 18. initium, complexus litteris ad nostram memoriam diligentissime mandavit. *g* Iam hæc omnes credo satis intelligunt, quam ab Apostolico Eucharistiæ officio & Canone aliena sint, quæ ad omnes, etiam Laïcos, suo quodam modo pertinent, quicumque Dominicæ mensæ participes facti sunt; quibus scilicet hoc incumbit, ut apud Domini mensam epulati reliquum illius diei tempus non in commessationibus, aliisque ludicris & vanis consumant, sed in hymnis & precibus, & doctrinæ ac sapientiæ Christianæ auditione, lectione & meditatione caste sobrieque exigant; qualiter illam noctem traduxisse. Apostolos post sumptam cum Domino Cœnam apud Evangelistas legimus. Hoc enim agit toto illo loco Chrysostomus. Non istic Presbyteros instituit, quo ritu, quibusve orationibus peragi debeat sacra synaxis. Omnia plane alia agit. Auditores objurgat, *h* quod post sumptam Eucharistiam Ecclesia egressi ebrietati & commessationibus indulgerent, *semper quidem* (inquit) *sed maxime in festis, quando maxime oporteret non fieri. Tunc enim post communionem statim excipit ebrietas, & pauperum despicientia.* Et post quædam alia in eandem fere sententiam dicta, *Cum autem in convivio Spiritus sis pastus* (cum Spiritum epulatus fueris) *Satanicas inducis delicias*, πνεῦμα δὲ ἑστιαθεὶς, σατανικὴν ἐπεισάγεις τρυφήν. Quibus continenter ea, quæ recitavimus, subnectit, *Cogita quid fecerint Apostoli, quando fuerunt participes sacrarum mensarum facti*, &c. Hæc usque adeo clara sunt, ut non possim satis mirari doctissimo Goarii venisse in mentem, ut in istis verbis se nactum putaret, quibus actibus, quibusve orationibus constaret Apostolicum Eucharistiæ officium.

CAP. III.

d 1. Cor. 11. 20.

e Matth. 26. 30. Marc. 14. 26.

f Matth. 26. 38. 41.

g Ioann. 13. 30. 31. & c. 14. 15. 16. 17.

h Chrysost. ub. supr. In

CAPUT IV.

De singularum Missæ partium novitate disseritur. Ac primo Introitum non fuisse ante an. D. 423. apud Latinos usitatum docetur ex Valafrido, Amalario Rabano, Stephano Eduensi, Bernone, Pseud-Alcuino, Sigeberto, Micrologo, Hugone Victorino, Radulpho. Tum refelluntur, quæ contra afferuntur à Radulpho ex Caßiano, cujus locus explicatur, & ab inscita Radulphi interpretamento vindicatur. Sed & excutiuntur, quæ Stephanus Durantus ex Pseudareopagita, ex Græcorum Liturgiis, ex Gregorio Nazianzeno, Pseud-Ambrosio & Micrologo huc ineptißime detorsit.

Sed iidem illi Scriptores, quos protulimus, & alij ejusdem ævi, aliud insuper testimonium de novitate Missalis Liturgiæ non minus clarum perhibent, dum ejus partes pæne omnes Eucharistico Officio à diversis post Apostolica tempora auctoribus adjectus esse tradunt. Ipsum primo Missæ initium, quam à Psalmo 42. *Indica me Deus* &c. peccata generaliter confitêtes ordiuntur, novum esse apparet ex ipso Bellarmini silentio, qui antiquum esse Confessionis usum ante Introitum Missæ nullis aliis testibus probat, *i* quam Micrologo, qui liber undecimo seculo jam præcipiti scriptus est, & Liturgia Iacobi, quã ipse, ut nuper diximus, à posterioribus interpretatam fatetur. Psalmum quidem 42. hic usurpatum non fuisse, inde patet, quod ante Cælestinum, qui an. D. 423. Romæ sedere cœpit, *ante sacrificium lectio una Apostolitantum, & Evangelium legeretur*; quod est à Valafrido observatum; *k* cui cæteri consentiunt. Amalarius de introitu ad Missam; *Hoc* (inquit) *officium addidit Missæ Celestinus. Ille, ut in gestis Pontificalibus continetur, constituit, ut Psalmi Davidis 150. ante sacrificium psallerentur Antiphonatim ex omnibus, quod ante non fiebat, nisi tantum epistola B. Pauli Apostoli recitabatur, & sanctum Evangelium, & sic Missa celebrabatur. Quod nos ita intelligimus, ut ex omnibus Psalmis excerperet Antiphonas, quæ canerentur in officio Missæ. Nam ante inchoabatur Missa à lectione.* Rabanus; *m In initio mos iste cantandi non erat, qui nunc in Ecclesia ante sacrificium celebratur. Sed tamen* (leg. tantum) *epistola Pauli recitabantur, & sanctum Evangelium. Celestinus autem 45. Episcopus post Petrum Ecclesiæ Romanæ, traditur primus statuisse, ut Psalmi 150. ante sacrificium psallerentur Antiphonatim ex omnibus.* Stephanus Eduensis; *n Celestinus Papa 150. Psalmos cum Antiphonis cantari instituit.* Berno Augiẽsis, cum eadem de Psalmis Officio à Cælestino adjectis dixisset, *o quod* (inquit) *antea non fiebat, nisi tantum epistola B. Pauli recitabatur, & sanctum Evangelium.* Pseudo Alcuinus eadem, quæ Amalarius, & quidem totidem verbis expressa habet. *p* Sigebertus; *q Celestinus 41. Papa Introitus, Gradalia, offertoria, & communiones ex Psalmis modulari Antiphonatim instituit.* Idem alibi

i Bell. L. 2. de Miss. c. 16. §. Vsum autem.
k Valafr. de reb. Eccl. c. 22. T. 10. Bibl. Patr. p. 680 B.
l Amal. L. 3. de Offic. Eccl. c. 5. Ibid. p 400. B.
m Raban L. 1. c. 32. de Instit Cleric. p. 584. C.
n Steph. Ed. de sacram. Altar c. 20. T. 5. Bibl. Patr. p. 394 B.
o Bern. de pertin. ad Miss. T. 10. Bibl. Patr. p. 698 A.
p Alcuin. Ibid. p. 276. B.
q Sigeb. ad an. D 426.
r Id. al. ad nn. 688.

CAP. IV.

alibi fusius de Cælestino; *r Hic constituit, ut Psalmi David 150. ante sacrificium Antiphonatim canerentur ex omnibus, quod ante non fiebat, nisi tantum epistola B. Pauli, & sanctum Evangelium recitabatur. Ex hoc instituto excerpti de Psalmis Introitus, Gradalia, Offerteria ante sacrificium communionis inter communicandum cum modulatione cantari cœperunt.* Micrologi auctor de Antiphona ad Introitum; *s Hanc* (inquit) *ad Introitum dici Celestinus Papa in ordine 45. instituit: cum usque ad eius tempora ante sacrificium epistola tantum Pauli, & Evangelium legeretur.* Rupertus Tuitiensis: *t Calestinus constituit, ut Psalmi Davidici 150. ante sacrificium canerentur Antiphonatim ex omnibus, quod ante non fiebat: sed tantum Epistola & Evangelium recitabantur.* Hugo de S. Victore, *u Calestinus Papa Psalmos ad Introitum Missæ cantari instituit: de quibus Gregorius postea Antiphonas ad Introitum modulandas composuit.* Hæc ille, ex quibus illud obiter notandum est, quæ nunc apud Latinos ad introitum habentur, etiam Cœlestino recentiora esse; cujus inventum scilicet a Gregorio annis post eum propemodum ducentis interpolatum est. Hugonis de Cælestino verba nullo mutato apice summa fide describit & sequitur *x* Honorius Augustodunensis. Gulielmus Durantes ipse exposita primæ Ecclesiæ in hoc sacro peragendo simplicitate; *subsequenter* (inquit) *y Calestinus Papa instituit introitum ad Missam cantari.* Idem alibi Amalarij hac de re verba nuper recitata suppresso auctoris nomine describit. Frustra hanc vetustiorum de Cælestiniano instituto concordiam pulsat *z* Radulphus Tungrensis temere affirmans *Psalmos jam inde ab initio diu ante Calestinum servatos*, id est *particulatim ante sacrificium dictos*: idque probat auctoritate Cassiani Psalmos & lectiones in diei Dominicæ Missa memorantis. Sed ille dum hoc agit, non semel peccat: ac inprimis quidem, quod ut suum illum cantum probet Cælestino antiquiorem esse, imo ab initio fuisse, Cassianum testem citat, Cælestino adeo non vetustiorem, ut ejus æqualis fuerit. Nam ut observavit *a* doctissimus Visserius, Cassianum Collationem XVIII. scripsisse sub Episcopatu Honorati Arelatensis, hoc est an. D. 426. Collationis Præfatio docet; ipse autem se *dudum absolutis Exercitationibus*, opus de Incarnatione ad Leonẽ scribere aggressum esse dicit; unde intelligimus eum usque ad an. D. 431. quo habita est Synodus Ephesina, vel etiã paulo vlterius vixisse. Cælestinũ vero constat anno non toto post eã Synodum vivere desiisse. Ridiculus ergo est Radulphus, qui ex Cassiani testimonio colligit diu ante Cælestinum, imo ab initio Christianismi, usitatũ fuisse Introitus Missalis cantum. Sed ille eo insuper peccavit, quod quæ laudat verba Cassiani pessime accepit. Cassianus in illo opere, nõ cõmunes ac publicos Ecclesiæ universæ, sed Monachaliũ Cœnobiorũ proprios ac privatos mores ac ritus describit. Ergo, ubi de Dominicæ diei apud Monachos observatione dicit: *b Verũ ne hoc quidẽ ignorandũ die Dominico unã tantummodo Missam ante prandiũ celebrari, in qua Psalmorũ atque Orationũ seu lectionũ pro ipsius Collecta, vel cõmunionis Dominica Reverentia solennius aliquid ac propensius impendentes, in ipsa tertiã, sextamque pariter consummatam reputant*; in his verbis Radulphus putavit

r Id. al. ad an. 688.

s Microl. c. 1. extr. Ibid.

t Rupert. l. 2. de div. Off. c. 21. Ibid.

u Hug. Vict. l. 1. de Offic. Eccles. c. 11. Ibid. p. 1394. A.

x Honor. Aug. Gemm. anim l. 1. c. 87 Ibid. pag. 1205.

y Durant. Rational. l. 4. c. 1. & c. 5. fol. 50. col. 1.

z Radulph. Tungr. de Can. obser. T. 10. Bibl. Patr. p. 1153.

a Visser. Antiq Brit. c. 11. pag. 313. extr. 314.

b Cass. l. 3. de instit. Cœnob. c. 11.

Cap. IV. *Missam* idem esse Cassiano, quod nunc Latinis est, officium scilicet, sive ordinem sacri Eucharistici; ideoque *Psalmos atque orationes, seu lectiones*, ejusdem officij partes solennes jam tum in publico universæ Ecclesiæ cultu fuisse. Sed illa erravit. Si enim is esset Cassiani sensus, cum dicat *die Dominico unam tantummodo Missam celebrari*, & quidem ante *prandium*; sequeretur in Cœnobiis aliis quidem hebdomadis feriis plures celebratas fuisse sacras Eucharistiæ Synaxes, die vero Dominica unam tantum; quod longe absurdissimum est. Quid ergo est? Nimirum Cassiano (quod Alardus Gazæus vere ad hunc locum monuit) *e* *Missa* hic, ut & alibi non semel, quivis est Monachorum conventus ad quodvis divinum Officium peragendum; verbi gratia ad Officium Tertiæ, vel Sextæ, vel Nonæ horæ; quibus temporibus Monachi conveniunt ad sui peculiaris privatique Monastici instituti officium, tametsi nulla in eo fiat Eucharistia: quomodo supra capite hujus libri quinto *Missam Canonicam* dixit pro officio matutino, sive nocturno toto ex *canone*, id est legitime & regulariter peracto. Cassianus ergo in loco objecto significat Cœnobitas semel tantum die Dominico ante prandium in Ecclesiam convenisse, & *officium divinum*, scilicet sui monachalis instituti proprium, quod aliis diebus solebant horis statutis puta tertia & aliis per intervalla exsolvere, ob diei & Eucharistiæ reverentiam vel plane omittere, vel aliquam ejus partem, puta aliquot illius officij psalmos lectiones & orationes ad eandem illam horam qua communionem sacram peracturi sunt, transferre, iisque dictis Eucharistiam continenter inchoare. Vnde recte quidem collegeris Psalmos in istis Cœnobitarum propriis tertiæ & sextæ officiis dictos fuisse; eosdem in sacro Eucharistico totius Ecclesiæ communi cantatos fuisse, male concluseris. Nihil ergo erat, quod Radulphus communem auctorum se vetustiorum de celebrato à Romanis sine psalmodia ante Cælestinum Eucharistiæ sacro assertionem pulsaret; vel quod ad eorum dicta cum Cassiano concilianda stramineum illud nobis commentum suum excogitaret; quasi scilicet, qui à *Celestino constitutum* scribunt, *ut Psalmi ante sacrificium dicerentur*, id eum significent, non quidem instituisse, sed jam *constitutum & observatum à prioribus vel innovasse & auctorizavisse* (sic enim ille noster Tungrensis Tullius loquitur) *vel emendavisse, publicavisse, declaravisse, aut quid simile fecisse.* Sed hanc, sane impudentem glossam, præterquam quod nulla cujusquam de veteri memoria scriptoris auctoritate nititur, valide insuper refutant ipsæ Patrum, quibus eam iste invitis ac reluctantibus aptare frustra conatur, disertissimæ voces. Illi enim quod à Cælestino institutum aiunt, id ante eum factum fuisse præfracte negant; ut ex Valafrido, Amalario, Ruperto Tuitiensi, Bernone Augiensi, Pseudo-Alcuino &c. intelleximus; partim etiam morem à Cælestino institutum in Ecclesia ante eum non fuisse dicunt, quod ex Hugone Victorino recitavimus.

e Alard Gaz. in loc. Cass. Vid. eund. in Not. c. 5. L. 3. & in c. 7. L. 2.

Ioannes Stephanus Durantus hujus Radulphi temeritatem ita probavit,

bavit, ut eam ipse multis etiam passibus sit prætergressus. Is enim Cassiano à Radulpho perperam ut ostendimus, intellecto, alios longe celebriores testes adjungit quibus fretus evicturum se sperat Antiphonas è Psalmis, excerptas longe ante Cassianum in Missa cantatas fuisse. Inprimis Dionysium Pseud-Areopagitam nobis obtrudit, *d* scriptorem ante an. Dom. 532. apud Christianos ignotum & innominatum, ut est à nobis alibi *e* demonstratum. Præterea iste, quisquis de cætero sit, certe Græcorum suorum, non autem Romanorum, de quibus nunc à nobis quæritur, jura, mores, & ritus describit. Tum Basilij, & Chrysostomi Liturgias citat, quæ cum liquido sint à posterioribus interpolatæ, ac præterea Græcanicæ, minime autem Latinæ Ecclesiæ synaxin exhibeant, plane penitusque sunt ab hac disputatione removendæ. Idem de Gregorij Nazianzeni ex Oratione XXVIII. testimonio censendum est, quod hunc quoque Durantus inauspicato mox intrudit, quasi auctor Latinus fuerit, vel de horum ritibus scripserit; Ne jam illud dicam, quod tamen est verissimum, nihil hunc Gregorij locum ad Eucharisticum sacrum pertinere. Davidem ille sibi videri dicit *f* de altari, quod ipse istic memorat, esse philosophatum, cum ait, *g Et introibo ad altare Dei, qui spiritualem juventutem meam lætificat.* Altare autem, quod ibi dicit *f* Gregorius, in cœlis est, spirituale & mysticum, *cujus figuræ sunt, quæ nunc oculis cernimus*; *ad* quod *quæ immolatur, oblatio tanto iis, quæ nunc offeruntur, excellentior est, quanto veritas umbra antecellit*; Altare denique illud hujusmodi est, à quo Gregorium nemo abstrahere, quantumvis volens, poterat. Iam si de cœlesti illo & æterno altari Gregorius capienda putat illa Davidis verba; equidem non intelligo, qua arte Durantus hinc efficere possit Græcos ipsa illa Psalmographi verba ad initium suæ Liturgiæ, quod nunc faciunt Latini, ad altare terrestre, cantavisse. Viderit Durantus apud quos Dialecticos tam male cohærentes syllogismos nectere didicerit. Non est in Ambrosio fœlicior, (si is tamen vere est Ambrosius) qui de plebe ad communionem post perceptum baptismum accedente, ita loquitur; *h His abluta plebs dives insignibus, ad Christi contendit altaria, dicens, Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Pulchre quidem hæc neophytorum plebi accommodat, in Christo juvenum, imo infantium. Atque hæc scriptorem equidem puto velle plebem illam in spiritu, mente, non voce canere ad sacram mensam pergentem. Nam hæc ore cecinisse Laïcos ad communionem venientes tam inauditum est, quam à Duranti scopo alienum, qui psalmum istum non à plebe, sed à Sacerdote cantatum olim fuisse probare hic volebat. Neque alia mens est scriptoris de Sacramentis, ubi pariter Neophytum se ad communionem accingentem ita alloquitur; *i Dicet anima tua, Introibo ad altare Dei &c. Deposuisti peccatorum senectutem; sumpsisti gratiæ juventutem*; ne jam dicam hoc opus non Ambrosij, sed auctoris esse multo recentioris. Sed in Micrologo se Durantus plane mirabilem præbet. Quem enim ipse paulo ante inter eos auctores

vere

CAP. IV.

d Steph. Dur. L. 2. de rit. Eccl. c. 11. §. 3.

e L. de supposit. Dion. libris.

f Greg. Nazianz Orat. 28. extr. pag. 484. B.

g Psalm. 42. 4.

h Ambros. de iis, qui init. myst. c. 8. p. 1234. C.

i Id L. 4. de Sacram. c. 2. p. 1247. B.

Cap. V. vere ediderat, qui Psalmos ante Cælestinum ad Missæ introitum cantatos fuisse negant, eundem nunc, ut hanc ipsam (id est suam) sententiam refellat, inducit narrantem, k quid suo tempore (id est annis pæne septingentis post Cælestinum) in Ecclesia Latina fiat; *Presbyter* (inquit) *cum se parat ad Missam, inprimis cantat Psalmos &c. Paratus autem venit ad altare dicens, Introïbo ad altare Dei* Ps. 42. Et his recitatis exclamat, *En quam vetus, & usitatum est initio Missæ*, Introibo &c. Eiusdem est sapientiæ, quod postremo Introïtum Hieronymo in Ecclesia antiquiorem esse inde hariolatur, quod versiculi quidam, quibus nunc Latini utuntur in Introïtu, discrepent ab editione Latina, quæ *Vulgata* nunc dicitur, quæque Hieronymo tribuitur. Bonus vir nescivit, quod etiam pueri hodie sciunt, neque Hieronymi esse, quod in vulgata habetur Psalterium, neque eas ipsas Vulgatæ editionis partes, quæ vere sunt Hieronymi, sero, & fere ducentis post ejus mortem annis in communem Ecclesiæ Latinæ usum, receptas esse. Ita ergo confutatis & Radulphi, & Stephani Duranti crassis & inscitis epichirematis, conclusum jam esto Missæ Latinæ *Introïtum* esse, non quod isti volunt, antiquissimum, & jam ab ipso initio, sed post annum à Dominico Natali 423. primo à Cælestino inchoatum, à diversis postea auctoribus expolitum, tandem ad eam, quam hodie videmus formam, effictum esse.

k Microl. c. 23.

CAPUT V.

II. Novitas. Versiculum Gloria Patri & Filio &c. novum esse in Missa Latina introitu cantari; quarto primum seculo, & quidem præcipiti à Damaso Romæ inventum; in Galliis, an. Dom. 529. receptum. Refelluntur quæ à Latinis contra hæc objiciuntur.

Inde Bellarminus pugnat l versiculum, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* &c. qui additur ad Introïtum, esse antiquissimi in Ecclesia usus. Ego id facile concedo. Sed hoc nunc non simpliciter quæritur; Quæritur, an quo loco hic versiculus in Eucharistica Ecclesiæ Romanæ Liturgia hodie canitur, eodem olim jam ab Apostolorum temporibus cantatus fuerit. Quam vero Bellarminus ex Theodoreto m & Sozomeno n nobis narrat historiam de diversis Catholicorum & Arianorum divinæ glorificationis formulis, cum Antiochiæ in Vigiliis, & aliis congregationibus illi quidem dicerent, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*; hi vero, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*: illa, inquam, historia perperam huc affertur: Quod enim in ea traditur, de eo nemo dubitat; De quo vero dubitatur, id nusquam in ea apparet; nimirum an in Eucharistiæ Introitu Latini jam tum canerent illum versiculum. Eadem est Basilij ratio, qui formulas, quibus Catholici in Deo glorificando utebantur rectas esse ac legitimas contra Arianos defendit o quidem; nusquam

l Bell. L. 2. de Miss. c. 16. §. Versiculus, Gloria.

m Theodor. Hist. Eccles. l. 2. c. 24.

n Sozom. l. 3. c 19.

o Basil. de Spir. S. c. 28.

nusquam vero affirmat jam tum à Latinis ad Synaxeos Introïtum cantatum fuisse illum versiculum, qui nunc ibi cantatur. Mitto, quod hi auctores Græcanicæ Ecclesiæ ritus narrantes perperam nobis obtruduntur de Missæ Latinæ antiquitate disputantibus, sed Bellarminus Valafridum ait scribere, *compositum eum versiculum fuisse à Nicano Concilio*; *idque ipsum verius putare.* Ego vero & in auctore hoc citando, ejus sinceritatem nonnihil desidero: *Affirmant* (inquit Strabo) *multi hymnum istum p Nicani Concilij sacratissima sanctione prolatum, ut omnibus officiis, & orationibus intermixtus, & fidem coæternæ Trinitatis inculcet, & in singulis petitionibus ipsa confessio melius favorem divinæ exauditionis obtineat.* Quod istorum opinionem non dicit se probare, eo ipso innuit eam sibi parum firmam videri. Sed & quam ibi tangit atque explicat observationis diversitatem, ea arguit non fuisse hoc quod isti affirmabant *Synodi Nicanæ sanctione prolatum.* Neque enim credibile est ullum in formula futurum fuisse observationis discrimen, si ab universali tantæ auctoritatis Concilio sancita esset. Neque video siquid hujusmodi esset ab illis Patribus decretum, cur nemo ex tum multis illius ævi scriptoribus decreti meminisset; Theodoretus verbi gratia eo ipso in loco, quem modo nobis à Bellarmino objectum dicebamus. Sed hujus assertionis vanitatem etiã multo clarius refellit is ipse Synodi Vasensis II. canon, quem paulo post subjicit Bellarminus. Sic enim illi Patres: *Quia* (inquiunt) *q non solum in Sede Apostolica, sed etiã per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam, propter hæreticorum astutiam, qui Dei Filium, non semper cum Patre fuisse, sed à tempore cœpisse blasphemant, in omnibus clausulis, post Gloria. Sicut erat in principio dicitur, etiã & nos in universis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus.* Clare significant, quo tempore convenerunt, nondum apud nostras Gallias receptum fuisse, ut iste versiculus ita totus recitaretur Synaxeos initio. Annus autem, quo habita est Synodus, Christi erat 529 aliquanto plus quã ducentesimus ab acta Nicæna Synodo. Quis credat Gallos nostros tamdiu neglecturos fuisse eum usum, quẽ à Nicæno Concilio sancitũ fuisse scirent? Huc accedit, quod qui Romæ, & Orientis, & Africæ, atque Italiæ morẽ suo decreto obtendunt, ij profecto Synodi Nicænę legem nequaquã prætermissuri erant, siquam ea de re illi Patres tulissent. Vana ergo fuit illa multorũ à Valafrido commemorata quidem, nõ vero & adoptata de Synodi Nicænæ sanctione sententia. Ritus hujus formulæ totius ad Synaxeos Introïtum adjiciendæ ex Arianismi occasione, primum in nonnullis Ecclesiis, puta in Antiochena, & aliis Orientalibus, quas plurimũ illa hæresis turbabat exortus est: inde paulatim ad alias manavit, ut cætera de hoc genere solent. Itaq; nullo jure Bellarminus repudiavit, quod Pseudo Alcuinus ea de re attulit, r nimirũ *Hieronymum Damaso petenti primũ* composuisse illũ versiculũ *Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto*; & cum nequaquã hoc sufficeret, eodẽ postea *Episcopo iterum suggerente, addidisse, adhuc: sicut erat in principio.* Pseudo Alcuinum Hugo Victorinus est secutus: s *Gloria Patri* (inquit) *Nicana Synodus composuit, sed Damasus Papa ad Missam cantari instituit.* Eadẽ habet t Honorius in *Gemma Animæ.*

CAP. V.

p Valafr. Strab de reb. Eccles. c 25. T. 10. Bibl. Patr. p 688. D.

q Concil. Vasense 2, c 5.

r Alcuin. de div. Off tit. de celebration. Miss. T. 10 Bibl. Patr. p. 278. B.

s Hug de S. Vict. ibid p. 1394. B. L. 2. de off. Eccl. c. 11

t ibid. Gem. An. L. 1. c. 87.

CAPUT VI.

3. Litaniam Kyrie eleison &c. novam esse, & ad 4. seculum ignotam; imo non multo ante an. Dom. 529. receptam videri ex Conc. Vasensi 2. Bellarmini de illa Synodo parachronismus. Repetitionem Litaniæ, ut novies diceretur, à Gregorio I. inventam videri post an. Dom. 590. Augustini auctoritatem pro linguæ peregrinæ in sacris usu frustra hic à Latinis objici.

SEquitur Litania, id est ter terna Græcæ invocationis *Kyrie eleison* repetitio, quæ apud Græcos quoque in Iacobi, Basilij, & Chrysostomi homiliis, sed lingua illorum vernacula, & terna tantum occurrit. Apud Romanos vero novam esse, vel ipsa sermonis peregrinitas arguit. Nam mere Græcam esse novit, quisquis Græce scit. Κύριε, ἐλέησον. Cur vero Romani Deum hoc loco Græce potius, quam Latine *Domine miserere* invocarent? Ea profecto mera est, & quidem inepta ac puerilis cacozelia, ab Apostolis diserte vetita, præcipientibus *u* nequid peregrinum, neque audientibus intellectum in sacris Ecclesiæ collectis sonet. Sed hic usus etiam ab Ecclesiæ, quæ Apostolis successit, gravitate abhorret; cujus hæ leguntur apud Origenem voces; *Persuasum sit omnibus, quod germani Christiani Deum Græci Græcis, Romani Romanis, singulique propria lingua pro viribus precantur & laudant.* πεπείσμεθα ὅτι οἱ λοιποὶ τῶν Χριστιανῶν, Ἕλληνες μὲν ἑλληνικοῖς, ῥωμαῖοι δὲ ῥωμαϊκοῖς, καὶ πᾶς ἕκαστος κατὰ τὴν ἑαυτοῦ διάλεκτον εὔχεται τῷ Θεῷ, καὶ ὑμνεῖ αὐτὸν, ὡς δύναται. Qua fiducia Celsum Origenes aliud nostris objectantem calumniæ arguit, & *aliena cum Christianorum rebus confundere* dicit, ita eum provocans, *Ostendat* (inquit) *quem nos invocemus nomine barbaro?* δεικνύτω τίνα ἡμεῖς βαρβάρως ὀνομάζομεν, ὡς καλοῦντες αὐτὸν εἰς τὴν βοήθειαν: Quæ ut omnes vident, stulte ac ridicule noster jactaret, si jam tum Latinæ omni Ecclesiæ solenne erat Christum Dominum *lingua peregrina* (id enim est Origeni βαρβάρως) quotidie Κύριον & quidem novies repetita prece invocare? Quasi *Domini* nomen Græce pronuntiatum efficacius sit ac potentius, quam Latine: quæ sane fuisse videtur Durantis Mimatensis sententia, scribentis * magnam horum verborum *Kyrie Eleïson* esse efficaciam & apocrypha nescioquæ de Sancto Basilio, & Geminiano ad hoc comprobandum afferentis. Abfuit ergo ab omni haud dubie antiquissimæ Ecclesiæ Romanæ ante quartum seculum cultu hæc peregrino, adeoque sibi barbaro sermone concepta Litania. Neque sane quicquam de ea ante Concilium Valente secundum, apud Latinos legitur, cujus hic est tertius à Bellarmino *y* recitatus canon: *z Quia tam in Sede Apostolica, quam etiam per totas Orientales atque Italiæ Provincias dulcis & nimium salutaris consuetudo est intromissa, ut Kyrie eleison frequentius cum grandi affectu & compunctione dicatur; Placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo*

u 1. Cor. 14. ad vers. 34.

x Orig. L. 8. contr. Cels. p. 414.

* Durant. Ration. L. 4. c. 12.

y Bell. L. 2 de Miss. c. 16. §. sequitur.

z Conc. Vasens. 2. c. 3.

suetudo & ad Matutinas, & ad Missas, & ad Vesperam Deo propitio intromittatur. Ex his patet ante illam Synodum (id est ante annum Domini 529.) nondum in Gallia solenne fuisse, ut *Kyrie eleison*, vel semel in Missæ introitu dicerent, quod nunc novies in eo loco ingeminatur. Abnormis enim est Bellarmini calculus, qui hanc Synodum in anteriora pro sua libidine retroagens, eam scribit *annis centum & quinquaginta ante Gregorij ætatem celebratam esse.* Gregorius enim Papa renuntiatus est an D.590. Synodum vero Decio juniore Consule (id est an. D.529.) actum esse & constat ex Actis, & à doctissimo viro Iacobo Sirmondo firmatum est, & ad id tempus congruunt Cæsarij Arelatensis, & aliorum subscriptiones. Vnde liquido conficitur ab ea Synodo ad Gregorij Episcopatum annos non plures intercessisse, quam unum & sexaginta ipse vero Gregorius aliquid etiam in hac Litania novasse videtur. Certe ævi sui hominibus visus erat eam à Græcis sumsisse; ut ex eo apparet, quod hac de re ita se apud Ioannem Syracusanum Episcopum purgat: *a Kyrie eleison nos neque diximus, neque dicimus, sicut à Græcis dicitur: quia in Græcis simul omnes dicunt: apud nos autem a Clericis dicitur: à populo respondetur: & totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur: quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Missis alia quæ dici solent, tacemus: tantummodo Kyrie eleison, & Christe eleison dicimus, ut in his deprecationis vocibus paulo diutius occupemur.* Vbi obiter observandum est, quam male suis institutis consulant Bellarminus, & alij Latini, qui eorum antiquitatem ex Græcorum Liturgiis & libris defendunt: quorum consortium adeo hic refugit maximus ipsorum Pontifex, ut pro crimine habuisse videatur aliquid Græcis in Missa simile dicere: quamquam ille rumpatur licet, inficiari tamen non potest, quin ipsas illas voces, quibus ista Litania constat *Kyrie eleison*, à Græcis Latini sui habuerint. Scio Bellarminum, & alios, ut major sui ritus sit antiquitas Augustinum hic laudare dicentem *b ab omnibus Christianis Græcis, Latinis, barbaris supplicari Deo, ut misereatur, lingua Græca.* Ego vero ista apud Augustinum ita scripta reperire non potui; Hæc quæ recitabo, me apud eum reperisse fateor: *sicut Græca lingua, quod est homousion, una dicitur vel creditur à fidelibus Trinitatis omnino substantia: sic una rogatur, ut misereatur, à cunctis Latinis & barbaris unius Dei natura, ut à laudibus Dei unius nec ipsa lingua barbara penitus sit aliena. Latine enim dicitur Domine miserere.* Quorum verborum simplicissimus hic esse videtur sensus, liberum esse, quod omnium gentium Christiani de Deo & credunt, & sua singuli lingua eloquuntur, id Græco quoque sermone enuntiare. Concinunt, quæ sequuntur: *si enim licet dicere, non solum barbaris lingua sua, sed etiam Romanis Sihora armen (quod interpretatur Domine miserere) cur non licet in Conciliis Patrum, in ipsa terra Græcorum, unde ubique destinata est fides, lingua propria homousion confiteri, quod est Patris & Filij & Spiritus Sancti una substantia?* Vult Patribus Nicææ, urbe Græca, congregatis, licuisse *homousion* dicere Græce, quo unam esse Patris & Filij & Spiritus Sancti

CAP. VI.

a Greg. L.7. ep.63.

b Aug. ep. 178. extr. p. 304.D.col.1.

Cap. VII. substantiam declararent, qualiter homines, etiam Romanos, nihil vetat *Sibora armen*, in Gothia vel apud Gothos versantes dicere (si illæ quidem voces Gothicæ sunt, ut creditur) ut significent *Domine miserere*. Vtcumque sit, *Litania* (quod ait c Valafridus, & post eum Berno Augiensis) d id est *Kyrie eleison, & Christe eleison à Græcorum usu sumta creduntur; quia & Græca sunt verba, & ea ipsi Græci sæpius in suis iterant Missis*. Græcos autem non apparet his in Eucharistica Liturgia usos esse ante Constantij tempora. Ac illi quidem Græca Græci jure & apposite usurparunt; Latini cur peregrina, quam sua, maluerint, dicere difficile est Sigebertus videtur e hunc in eorum Missis usum Gregorio tribuere; fortasse, quod quoties repetendæ sint hæ voces, & quod apud Græcos inusitatam *Christi* à *Domino* distinctionem primus ordinaverit. Nam verba quidem ipsa *Kyrie eleison* jam ante Gregorium usurpata fuisse à Latinis constat ex Vasensi Canone, quem paulo ante recitavimus. Idem cum Sigeberto sensit f Hugo quoque Victorinus: *Kyrie eleison* (inquit) *Sylvester Papa de Græco sumsit: quod Gregorius Papa statuit ad Missam cantari.*

c Valafr. c. 22. E.
d Berno c. 1. p. 698. B.
e Sigeber. ad an. D. 688.
f Hug. de divin. Offic. l. 2. c. 31.

CAPUT VII.

4. *Hymnum Angelicum* Gloria in excelsis &c. *Latini mediæ antiquitatis à Telesphoro Papa in Missam immissum fuisse volunt, vel Pontificalis Damasini, vel certe epistolæ Telesphori auctoritate freti. Vtriusque scriptoris dubiam esse, etiam penes Latinos, fidem. Pontificale hoc ipso loco quatuor quædam præter omnem veri speciem tradere. Jejunium 7. hebdomadum; de quo locus in Chronico Eusebij sub titilus. Quæ in hymno sequuntur,* Laudamus te, *esse etiam multo recentiora.*

Litaniæ in Latinorum Missa succedit hymnus Angelicus, *Gloria in excelsis Deo*, &c. quem omnes noni seculi, & exinde veteres scriptores volunt Liturgiæ suæ à Papa Telesphoro, id est paulo post an. Dom. 142. insertum esse, Amalarius, g Rabanus, h Valafridus, i Berno, k Sigebertus, l Pseudo Alcuinus, m Rupertus Tuitiensis, n Hugo à S. Victore, o Honorius, p alij, quos recensere longum & supervacaneum est. Bellarminus & cæteri Latini assentiuntur, antiquitatis specie illecti. Telesphorus enim vetustissimus est; qui scilicet an. D. 142. Episcopus Romæ ordinatus est. Nos de hac eius institutione dubitamus. Est enim observandum omnes illas, quos nominavimus scriptores hanc suam de Telesphoro traditionem non aliunde, quam ex duobus corruptissimis fontibus hausisse nimirum vel ex epistola Telesphoro à nequissimo impostare circa initia noni seculi subdita, una cum aliis multis, quas idem artifex ex eodem luto antiquissimis Romæ Episcopis immani

g Amal. l. 3. c. 8.
h Raban. l. 1. de Inst. Cler. c. 32.
i Valafr. c. 22. T 10. Bibl. Patr. pag. 681 A.
k Bern. c. 2. ibid.
l Sigeb. an. D. 68.
m Alc. de div. off. T. 10. Bibl. Patr. p. 276. A.
n Rupert ibid l. 2. c 21.
o Hug Vict. de offic. l. 2. c. 11.
p Honor. Gemm. an. L. c. 87.

audacia affinxit; vel certe ex Vitis Pontificum, quarum liber ipse, quoque in plurimis vitiatus & interpolatus, vulgo Damasi Pontificale dicitur. Vtriusque autem scripti testimonium pro uno, eodemque habendum est. Ipsa enim verba arguunt alterum ab altero hæc, quæ de Telesphoro scribunt, furatum esse. Cæterum difficile dictu est hæccine ex Pontificali in suam Telesphori epistolam traduxerit impostor; an econtra ex impostoris figmento, Pontificale hoc loco auctum fuerit & interpolatum. Res ex Bellarmini quidem de Pontificali sententia facilis esset explicatu. Cum enim ille statuat *q* Anastasium Bibliothecarium illius libri auctorem esse, quem sub Ioanne P.R. VIII circa an. D. 879 floruisse ex illius Papæ vita constet; omnino ex Bellarmini opinione sequitur hæc de Telesphoro in Pontificale ex straminea illius Papæ epistola ab Anastasio tradućta fuisse, non contra; quia scilicet certum est illam epistolam, & ejusdem furfuris cæteras non paucis annis antequam floreret Anastasius, editas ac publicatas fuisse. Sed de Pontificalis auctore errasse Bellarminum invicte dudum demonstravit *r* doctissimus Blondellus noster, indicatis aliquot scriptorum Anastasio antiquiorum locis, in quibus Pontificalis libri testimonia citantur. Hoc præterea Blondellus fatetur, neque qui verum amat, quisquam negaverit, Pontificale & ab ipso fortasse Anastasio, & ab aliis etiam ante Anastasium haud perfunctorie vitiatum & interpolatum fuisse passim adjectis ad scriptoris simplicissimi verba non paucis alienis, quæ cum postea in ejus textum irrepsissent, tandem habita sunt pro genuinis auctoris sententiis; cui calamitati cum omnis generis libri, tum maxime ij sunt obnoxij, qui ut hic, vitas & actus veterum nude ac simpliciter ex temporum ordine recensent. His enim à posteris fere addi solent siqua à primo auctore omissa, ad eos, quorum acta describuntur, pertinere ipsi seu vere, seu falso putant. Pontificalis autem librum id vitij passum esse, ostendit, si vel cætera deessent, illa certe immanis variarum lectionum sylva, quam in novissima, eaque clarissima editione ante viginti annos viri doctissimi Lutetiæ ad calcem opusculi exhibuerunt. Sic ergo habet liber de Telesphoro verba faciens; *s* *Hic constituit, ut septem hebdomadas ante Pascha jejunium celebraretur, & Natali Domini noctu Missa celebrarentur, cum omni tempore ante hora tertia cursum nullus præsumeret Missam celebrare, qua hora Dominus noster ascendit crucem, & ante sacrificium hymnus diceretur Angelicus, hoc est, Gloria in excelsis Deo.* Notant ex Regio & Mazzarinæo codice aliter lectum esse; nimirum *ut per septem hebdomadas ante Pascha jejunia celebrarentur, & ut in Natale Domini noctu Missa celebrarentur, & ut omni tempore ante hora tertia cursum nullus præsumeret Missam celebrare; quia scilicet hora Dominus noster ascendit crucem; & ut ante sacrificium* &c. ut supra. Hæc ultima sensum efficiunt à vulgati codicis

q Bell. de Script. Eccl. in Damaso.

r Blond. Apolog. Hieron. de Episc. Præfat. p. 26. 27.

s Pontif. Dam. in Telesph.

t Var. lect. ad calc. Anast. de 8. Pontif. p. 253. edit. Par. Reg. an. 1649.

Cap. IX. sensu diversum. Hæc enim illud de Missa ante tertiæ horæ cursum non dicenda à Telesphoro institutum significant; Vulgata, jam ante Telesphorum obtinuisse eo innuunt, quod hunc morem Telesphori de Missa in Natali Dominico noctu dicenda decreto veluti diversum opponunt. Verum hujus libri exigua est auctoritas, propter ea, quæ plurima & primæ ejus editioni à posteris adjecta & admixta esse noscuntur; quo factum est, ut Baronius librum pronuntiaverit *u à diversis auctoribus collectum*, multaque in eo reperiri *inter se pugnantia*. Iesuitæ Moguntini Præfatione in illius operis editionem suam fatentur *x* id nonnullis in locis depravatum esse adulterina *aliorum adiectione, vel detractione ob summam superiorum sæculorum inscitiam*. Petrus Aurelius, scriptor de Iansenianorum schola assentitur *y huius Pontificalis exiguam esse auctoritatem*; Id alibi *ast eruditorum iudicio multoties explosum esse*. Cum ergo hoc uno libro nitatur omnis illa tam multorum de nono seculo, deque secutis inde temporibus scriptorum traditio de instituto à Telesphoro Papa cantandi in Missa hymni Angelici ritu, ea profecto pro certa ac indubitata haberi non debet. Nam ipsam Telesphori quæ dicitur, epistolam, & repudiarunt jampridem multi, etiam de Latinis, gravissimi atque eruditissimi viri, & de nostris Blondellus ὁ μακαρίτης luculentissime confixit *a* in accuratissima earum Epistolarum censura, quæ primis Sedis Romanæ Episcopis ab Isidoro Mercatore affictæ sunt. Videtur autem illius epistolæ auctor, quæ Telesphoro tribuit decreta, ea ex Pontificali jam ante sua tempora interpolato sumpsisse, tametsi ea, ne furtum pateret, nonnihil immutaverit, atque incrustaverit. Nam cum Pontificale simpliciter affirmet Telesphorum constituisse, *ut per septem hebdomadas ante Pascha ieiunia celebrarentur*, suaviludius ille noster epistolæ scriptor Telesphorum suum facit *b* illud jejunium *Clericis* tantum, non autem omnibus cujusvis ordinis fidelibus imperare, ac ne jejunium quidem iis simpliciter imperare, sed tantum *ieiunium à carne*, *Cognoscite* (inquit) *à nobis & à cunctis Episcopis in hac sancta & Apostolica sede congregatis statutum esse, ut septem hebdomadas ante sanctum Pascha omnes Clerici in sortem Domini vocati à carne ieiunent*. Sic etiam, quod Pontificale habet Telesphorum edixisse simpliciter, ut ante sacrificium hymnus diceretur Angelicus, ille arte impostoris personatus Telesphorus jubet primo *hymnum illum in Missis Natalis Dominici nocturnis solenniter decantent*; mox eandem *ab Episcopis pro tempore ac loco Missarum solenniis celebrari*, ita ut videatur hymnum à Presbyterorum Missis excludere. Cum ergo tota illa de hymno traditio multos alios, quam hos duos ex ulteriori ante nonum seculum memoria testes habeat, ambos ignotos, multisque de causis merito suspectos; eam nobis frustra obtrudunt sequentium temporum auctores. Ac mihi quidem, ut libere dicam quod sentio, inprimis videtur Pontificalis liber jam antequam cuderentur illæ Papis affictæ epistolæ, interpolari ac vitiari cœpisse. Sed neque dubito, quin tota illa è Telesphori vita paulo ante recitata particula ab aliena manu in hunc locum

u Bar. ad an. D 69 D. §. 35.
x Præf. in edit. Mog. Anast.
y Petr. Aurel. virid. adv. Spong. T. 2. p. 41.
z Id. ibid. Part. 1. Orthod. c. 6.
a Blondell. in epist. Telesph.
b Telesph. ep. ad Episc.

locum insulta fuerit. Primo, quod res ipsæ, quas illa continet, Telesphori temporibus (id est vix adhuc adulto secundo à Christi natalibus seculo minime congruant. Quale est, quod iste nobis primum narrat præceptum fuisse ab illius ævi Episcopo Romano septem ante Pascha hebdomadum jejunium. Id enim apud veros certosque illius memoriæ scriptores inauditum est. Si verum esset, quod iste ait, Telesphorum hanc suis Catholicis de jejunio legem tulisse; qua fronte omnis post eum circiter quadraginta Apollonius Montano pro magno crimine objecisset, *c* quod is *ieiuniorum leges tulisset?* οὗτος ἐστιν ὁ νηστείας νομοθετήσας. Ut taceam constare ex Tertulliano, ne ineunte quidem tertio seculo ulla fuisse apud nostros stata, & certis diebus quotannis recurrentia jejunia (si unum Parasceves Paschalis diem exceperis, *quo* (inquit *d* idem ille Tertullianus) *e communis, & QUASI publica ieiunij religio erat*. Sed hoc ipsum, quod Telesphorus edixisse fingitur, cum nullis Ecclesiæ Romanæ ullius seculi moribus congruit; quam ne Gregorij quidem ævo per plures, quam sex ante Pascha hebdomadas jejunasse certum est, ac ne nunc quidem per totas septem jejunare. Si de aliquo Græcæ Ecclesiæ Episcopo diceret, apud quam per septem ante Pascha hebdomadas jampridem jejunari scimus? minus miraremur; De Romano Episcopo, id plane est incredibile. Quod absurdum, ut leniret alter, epistolicus nimirum, impostor, Telesphorum fingit non toti Ecclesiæ, sed soli Clero suum illud abnorme jejunium præcipere. Itaque Bellarminus eorum opinionem memorans, qui Quadragesimæ institutionem ad Telesphorum referunt, ait *f* eam inde forte natam esse, *quod Telesphorus legatur Clericis mandasse, ut septem integras hebdomadas à carnibus abstinerent*; astute dissimulans in libro longe antiquiori, id est in Pontificali, legi, Papam illum *constituisse*, non quod hic dicit, *Clericis*, sed simpliciter & absolute, *constituisse*; non, *ut à carnibus abstineretur* (quod idem dolo malo ex Pseudo-Telesphori epistola supponit) sed *ut ieiunia celebrarentur per septem hebdomadas ante Pascha*. Baronius vero aliter quidem, non tamen fœlicius rem gerit. Vult *g* enim hoc Telesphori decreto quadragesimale jejunium, non tum primum, quasi rem in Ecclesia novam, *constitutum* fuisse, sed quod fideles ab Apostolis jam inde à principio traditum omnes servabant, tunc scilicet decreto edito *à suo illo Pontifice fuisse stabilitum*. Sed iste solens nobis chimaras pingit. Quod enim dicit *quadragesimale suorum ieiunium*, hoc apud Pontificales auctorem nullum est. Nam, per *septem hebdomadas ieiunare* quod constituisse dicitur Telesphorus, id non est, ut opinor, *per sex hebdomadas ieiunare*, quæ vere fuit Romanorum, saltem ad Gregorium usque quadragesima. Sed & quod Baronius fingit, quæ à Telesphoro *constituta* dicuntur jejunia, ea intelligi jam antea quidem fuisse apud Ecclesiam constituta, & à fidelibus servata, sed tamen tunc decreto edito *stabilia*; ea inquam glossa mirifica est, quæ non ab aliis credo admittetur, quam ab iis, qui in verba ingentis illius Annalistæ jurati,

CAP. IX.

c Apoll. apud Euseb. L. 5. c. 18. p. 184. C.

d Tert. de jej. c. 2. p. 702. A.

e Id. de Orat. c. 14. p. 155. A.

f Bell. de bon. op. in part. L. 2. c. 14. §. Tertia sententia.

g Bar. an. D. 136. D.

Cap. VII. jurati, rationem & sensum præter ejus dictata, audire verentur, ne perjurij rei fiant. Quod denique & Bellarminus, & Baronius affirmant, eadem illa quæ de hac Telesphori constitutione ex Pontificali recitavimus, apud Eusebium lege, eo inquam, egregie vel falluntur, vel fallunt. Fateor, in quibusdam Eusebiani Chronici codicibus ita lectum antehac fuisse; h *Quadragesimale ieiunium à Telesphoro per hoc tempus institutum ac praeceptum quidam scribunt.* Sed omnis hæc Latini vel interpretis, vel interpolatoris fraus fuit. Nihil istorum scripserat Eusebius; Nihil scripsisse probant, etiam Latinæ interpretationis optimi quique & antiquissimi libri manuscripti, in quibus ista reperiri negat Iosephus Scaliger in Animadversionibus ad hanc Eusebiani Chronici locum suis. Itaque & verba ista de Telesphoro omnia, veluti spuria, etiam ab ipso Latino Eusebio abesse voluit, cujus facti sui hanc reddit i rationem; *Nostrorum consilium est scriptorum codicum fidem sequi, quorum nullus illa habet.* Pontacus, Vasatensis Episcopus, in Eusebiani Chronici editione sua, verba quidem illa de Telesphoro retinuit, sed diverso à cæteris charactere notata ac discriminata. Tum observat MS. libros, quos consuluit, septemdecim illis verbis caruisse, & addita fuisse aliena manu non dubitat. Perronius Cardinalis se jam ante editum à Scaligero Eusebianum Chronicon conjectasse narrat, l illa de Telesphoro verba ab aliquo, qui ea meminisset ea alibi legisse, ad rei memoriam fuisse ad hunc Eusebij locum annotata suamque hanc (ita enim ipse vocat) *prophetiam* tandem fuisse Scaligerana editione affirmatam. Non est ergo dubitandum, quin ista de quadragesima, ut Eusebio, ita & Pontificali a posteris agitata fuerint eodem consilio, quo tam multa alia Clementi, & cæteris Romæ de prima memoria Episcopis, & Dionysio Atheniensi, & Ignatio Antiocheno, & aliis illustrissimis nominibus subdita sunt, ut tituli antiquitas rebus novis, diu post prima secula inventis auctoritatem conciliaret. Imo sero hæc Telesphoro afficta prodit expressus septem hebdomadum numerus; cum scilicet sex hebdomadibus, quibus ad Gregorium & ultra, antepaschalia jejunia apud Latinos omnia peragebantur, præfixa jam esset quatuor ante Quadragesimæ Dominicam, dierum observatio. Ideo enim impostor, non sex, sed *septem ante Pascha hebdomadibus* jejunia celebranda scripsit.

h Euf Chrō. Lat. edit. Basil. an. D. 1559.

i Scal. in Chron. Euf. an. 2148 p. 19ᵛ.

k Pontac. Not. in Chron. Euf. p. 612.

l Perr Repl. L. 2. obs. 2. c. 8. p. 661.

Etiam crassiora sunt duo alia, quæ sequuntur, decreta. Prius, ut *Missa Natalis noctu fiat*; alterum *ne de cætero Missa ante horæ tertiæ cursum celebretur.* Quis rei & antiquitatis Ecclesiasticæ ita est imperitus, ut ista non videat à Telesphori ævo plane abhorrere? iis, quæ diu post eum successerunt, temporibus, convenire, cum pace Ecclesiæ reddita, & constituta solenne esse cœpit, non alias quam interdiu, synaxes fieri? Secundo enim seculo, quo medio passus est sanctissimus Christi Martyr Telesphorus, familiare ac pœne quotidianum fuit apud nostros, non modo ante horam diei tertiam, sed & ante ipsum dilucu-

diluculum Eucharistica sacra peragi. Notum est ex Plinio *m* Christianos initio illius seculi *solitos stato die ante lucem convenire*, & suæ religionis sacra agere. Notum ex Tertulliano, *n* ad ejusdem seculi exitum, & ad tertij sequentis initia mansisse eundem morem; *Eucharistia* (inquit) *sacramentum in tempore victus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus sumimus.* Istum ergo, quisquis fuit, non modo nequam & improbum, sed etiam stultum & bardum fuisse necesse est, qui Legislatorem nobis in medium illud seculum induxit ea fieri vetantem, quæ apud suos quotidie fiebant & ante ipsum ab Apostolorum successoribus facta, erant, quæque ob continuæ persecutionis metum & injurias ne aliter quidem fieri poterant. Vidit Baronius insulsæ legis absurditatem, & confessus multis exemplis constare *in sacris vigiliis noctu sacrificium offerri consuevisse*, ait *o* hæc Telesphori *accipienda esse de his, quæ frequentiori usu in Ecclesia servarentur.* Patronum impostor se plane dignum nactus est. Quas enim ille nobis narrat *sacras vigilias*? Imo vero ex Plinio, ex Tertulliano & aliis, quos nunc mitto; constat non modo *frequentiorem*, sed *frequentissimum*, ac pæne quotidianum fuisse Christianorum per illa tempora usum hunc ipsum, quem Impostor, veluti dirum, neque sine intolerabili audacia usurpandum damnat, ac vetat, *Vt omni* (inquit) *tempore ante horæ tertiæ cursum nullus PRÆSUMAT Missas celebrare.* Quasi vero *præsumptio* sit id facere, quod ab omnibus passim fiebat; quod necessarias cur ita fieret, causas habuit; quod denique vix aliter à quoquam fieri per summam temporum ac locorum iniquitatem, poterat. Mitto rationis, qua legem suam confirmat, manifestissimam absurditatem; inde petitæ scilicet, quod *Christus crucem hora tertia ascenderit.* De hora, qua præcise Christus crucem ascendit, nihil dico; quod quæstio sit obscura ac difficilis (quanquam vix ullum reperiri putem, qui hora tertia proprie ac præcise sumpta, qualiter hunc accepisse necesse est, id factum fuisse sentiat) sed esto tamen, quod vult noster in Pontificali Telesphorus; Christus crucem hora tertia adscenderit. An ideo putarunt veteres nefas esse Eucharistiam ante hanc horam facere? Atqui eam ipsi etiam diluculo, etiam hora nona, etiam vespere, quoties jejunabant, facere solebant. Istum ergo impostorem, qui has Telesphorum leges ferentem inducit, necesse est omnis Ecclesiasticæ antiquitatis imperitissimum fuisse. Neque vero sapientius fictum est alterum de Natali decretum. Quo enim tempore passivus ac quotidianus mos erat Synaxes in antelucanis cœtibus haberi, supervacaneæ fuit diligentiæ legem de Missis in Natali Domini noctu celebrandis promulgare; Vt illud nunc mittam gratis, & absurde fingi Telesphorum Prophetico Spiritu legem hic de Natalitia festo ferentem, quod nullum adhuc ejus

CAP. VII.

m Plin. L. 10. ep. 97.

n Tertull. de Cor. c. 3. p. 121. D.

o Baron. an. D. 154. §. 2.

Nnnnnnn ævo

Cap. VII. ævo apud Ecclesiam erat, neque nisi multis post eum annis fuit; ut vetustissima Christianismi monumenta diligenter inspicientibus patet.

Superest ultimum Telesphori decretum, *Vt ante sacrificium hymnus dicatur Angelicus.* Atqui ne hoc quidem decretum illius ævi esse potest. Constat enim ex hoc ipso Pontificali libro, & ex aliis multis scriptoribus, quos supra edidimus, ante Cælestini tempora (id est ante an. D. 423.) non fuisse usitatum, ut hymni in Eucharistiæ sacro canerentur; *Tantum* (inquit) *p recitabantur Epistola Pauli Apostoli, & sanctum Evangelium, & sic Missæ fiebant*; adeoque Cælestinum primum fuisse, qui (quod ita Pontificali quoque scriptum est) *constituit, ut 150. Psalmi David ante sacrificium psallerentur Antiphonatim, quod ante* (inquit) *non fiebat.* Annotant q in codicibus Regio, & Mazzatinæo MS. post hæc ultima verba, *sed tantum epistola Beati Pauli recitabatur*, contineriter legi, *& sic Missa fiebant* (omnia Evangelij lectione) *& constituit graduale post officium ad Missam cantari.* Sed utrumvis legas, illud quod dixi, constat, ex hujus libri fide Missas ante Cælestinum ita celebratas fuisse, ut recitaretur tantum vel Epistola Pauli sola; vel etiam cum ea Evangelium. Vnde liquet falsum esse, quod idem alibi liber præferebat jam annis ante Cælestinum pæne trecentis solenne fuisse, ut ante oblationem *hymnus Angelicus* diceretur. Antilogiam jam olim viderat optimus auctor Valafridus; *Si idem hymnus* (inquit) *huius Papæ* (Telesphori) *temporibus ante sacrificium cœpit dici; cur longo tempore post sub Cælestino legitur tantum ante sacrificium lectionem Apostoli & Evangelium præcessisse, ut ille necessario de Psalmis David Antiphonas, quæ ante ipsas lectiones cantarentur, præposuisse videatur?* Hæc quidem ille acute & vere; in quibus dissolvendis multum se diuque macerat ac torquet, sed frustra. Simplicissima enim ac verissima solutio est; illa, quæ in Cælestino habentur, auctoris scilicet Damaso recentioris, & fortasse non diu post Cælestinum scribentis, adeoque certioris, vera esse; Illa vero, quæ de Telesphoro in ejus vita leguntur, falsa & ab homine octavi ut videtur, seculi temere & inscite huic veteris Pontificalis loco, ut aliis alia multa, immissa ac inserta fuisse. Cum ergo ex his pateat, quæcumque in illa supra recitata Pontificalis particula habentur; ea vel ab illius ævi usu, ac moribus abhorrere, vel certe cum alia certa & indubitata traditione pugnare; omnino statuendum est, totam illam particulam non esse à primo harum ad Damasum vitarum auctore scriptam, sed ejus operi aliena fraude & manu diu postea; seculo ut opinor octavo insertam & immixtam. Cur autem vetustissimo de primorum Paparum vitis libello eo maxime tempore id vitij oblatum fuisse putem, eo adducor, quod ante seculi septimi finem nullam videam apud illius ævi scriptores eorum

p Pontif. Dam. in Cælest. p. 25.

q Ibid. p. 261. in Var. lect.

r Valafr. de reb. Eccl. c. 22. T. o. Bibl. Patr p. 581. A.

eorum fieri mentionem, quæ vel in hac de Telesphoro; particula, vel alibi de aliis Romæ Episcopis valde memorabilia habentur; nono vero & sequentibus, ita repente, ab omnibus, quoties occasio occurrit, memorari; pæne à nullo prætermitti. Ac supra quidem vidimus, quo studio, quo consensu ultimorum quæ dixi, temporum, homines illa de Telesphoro certatim omnes repetant. Cur nihil tale apud Isidorum Hispalensem in toto de Ecclesiasticis officiis opere occurrit, ubi vel de Missa ejusque partibus, vel de Quadragesima, ejusque institutione & causis agit? Cætera mitto; quæ de hoc argumento multa plura dici possent. Quæ dixi satis sunt, ut quivis intelligat dubium atque incertum esse, an quod omnes isti postremorum seculorum scriptores ex falsa illa & suppositiria libri Pontificalis particula affirmant, à Telesphoro jam olim Apostolicis pæne temporibus institutum fuisse, ut hymnus Angelicus ante Eucharistiæ consecrationem in sacra synaxi cantaretur, multo vero propius esse, id in usum publicum Cælestini demum tempore una cum multis aliis ejusdem generis ritibus induci cœpisse.

Sed quæ post hymnum Angelicum apud Latinos sequuntur, *Laudamus te, Benedicimus te, adoramus te* &c. *Domine Deus rex cœlestis, Deus Pater omnipotens, Domine Fili unigenite, Iesu Christe, Agnus Dei* &c. *Tu solus altissimus Mariam coronans* &c. Hæc quis adjecerit Angelicæ doxologiæ, Bellarminus usque adeo certum esse negat Merito. Ipsa enim orationis forma ab antiqua gravitate, antiquisque moribus aliena, hæc nova esse satis per se clamat. Hilario quidam tribuunt; alij Symmacho Pontifici Romano. Sed unde hæc habent? Sunt enim de his ita opinantes omnes vel noni seculi scriptores, vel etiam recentiores. Quis non videt parum esse idoneos, qui de rebus tam multis ante sua tempora seculis gestis testimonium in alterutram partem dicant? Hilarij etiam nunc multa opera supersunt, ex quibus facile est conjicere ista hymni additamenta nihil minus esse, quam Hilariana. Vix enim quicquam finxeris ab illius viri stilo & charactere magis alienum. Denique ipsa auctorum, quibus ista tribuuntur, varietas clamat nihil certi aut firmi esse in istorum hac de re traditionibus. Itaque Stephanus Durantus tantæ credo, diversitatis pertæsus, spretis cæterorum opinionibus, *At* (inquit) *s verius est istum hymnum ab* s St.Dur.de *Apostolis conflatum esse ac compositum.* Vnde scis? inquam *Integer enim* rit.Eccl.L.2. inquit, *fere extat apud Clementem. L. 7. Constitutionum Apostolicarum* c.14.§. *cap.* 48. Quicquid enim Stephanus Durantus in illis Constitutionibus legit, id non minus Apostolicum putat, quam quod apud Petrum vel Paulum in novi fœderis libris præscriptum extat. Nos scimus æra lupinis distare; neque id continuo pro Apostolico habendum, quod Apostolorum nomen præfert. Si viceris ista apud Clementem illum pseudonymam Διαταγὴν reperiri, fatebor non esse nuperum. Negabo

Cap. VIII. ideo esse Apostolica. Contendam ne vere quidem antiqua esse, quæ non ab initio fuerunt. Sed inspiciamus tamen, quid ille Constitutionum parens in hoc de quo quæritur, synaxeos loco decernat. t Fateor apud eum in Liturgia dici, *Gloria in excelsis* (quanquam longe alio, quam apud Latinos loco; nimirum post consecrationem, paulo ante communionem) Quæ vero post Angelorum verba sequuntur apud Latinos, *Laudamus te* &c. eo modo apud Clementem sequi. Hæc enim sequuntur, quæ sunt ab illis diversa; *Osanna Filio David. Benedictus, qui venit in nomine Domini* &c. Quod vero Durantus citat ex L. 7. cap. 48. Constitutionum editionis Latinæ, id plane est ab hac disputatione alienum. Non enim istic Pseudo-Clemens synaxin de qua nunc quærimus, ordinat; sed preces, mane, vespere, & in prandio a quovis homine Christiano dicendas proponit; ex quarum secunda, Latinæ Missæ auctores illa verba, *Laudamus te*, & pauca alia furatos esse verisimile est; cætera diversa esse, quisquis utraque legerit, perspiciet.

t Const. Ap L. 8. c. 20. (Lat.) 13. (Gr.)

Caput VIII.

6. Novum esse, ut aliter Sacerdos, aliter Episcopus plebem salutet. Novum item, ut quis plurali numero salutet, cum vel solus, vel cum uno celebrat. 7. Collectarum hodiernarum usum non esse antiquum, sed à Gelasio P. R. I. cœpisse; à Gregorio I. circa an. D. 600. perfectum esse. 8. Novum quoque esse ut certæ quadam ex Apostolicis, etiam recentius, ut ex Propheticis Scripturis lectiones in hoc sacro fiant. 9. Ne versiculorum quidem admixtionem antiquæ esse, vel certæ originis. 10. Lectionem Evangelij in hoc sacro incertæ quoque esse originis. 11. Novum esse cantari in Eucharistia symbolum, neque in Occidente ante an. D. 815. usurpatum.

Post hunc cantum Sacerdos utitur hac salutationis forma; *Dominus vobiscum* vel si sit Episcopus, *Pax vobis*. Salutari his vocibus fideles circum adstantes vetus esse, facile concedimus. Salutandi formulam Episcopalem à Presbyterali distingui novum esse, vel ipsi nos docent, cum ex Concilio Bracarensi, quod an. D. 563. habitum est, hunc canonem citant; x *Item placuit, ut non aliter Episcopi, & aliter Presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes, Dominus sit vobiscum.* Sed neque illud antiquum esse putamus, quod in Missis solitariis, quæ plurimæ apud Latinos & quotidie & passim ubique fiunt, sacerdos, cui vel unus, vel fortasse nullus adest, ipsa illa verba, *Dominus vobiscum*, non minus usurpet, quam si confertissimam populi præsentis multitudinem alloqueretur. Quod quia non sani esse hominis vel ipse non sanus Orestes juret, id

x Conc. Bracar. c. 21

Bellar-

Bellarminus, ut purget, recteque ac sapienter fieri demonstret, nos ad Petrum Damiani dimittit *y* singulari libro probantem ista tametsi ad plures directa, debere tamen dici etiam ab iis, qui soli recitant horas Canonicas. Nos vero supra *z* in disputatione de Missa solitaria, Petri istius non tam rationes, quam somnia satis confutavimus, & hoc unum ab eo effici ostendimus, ne plane penitusque Eremitæ & solitarij Missificantes sine ratione insanire viderentur. Utcumque sit, id novum neque diu ante Petri tempora (id est ante undecimum seculum) exortum esse illum plures salutandi, etiam ubi vel unus, vel nemo adest, morem, vel ipse Petri de hac quæstione apud Latinos primus, ni fallor, liber docet. Neque enim fieri potuisset, ut res tam insigniter absurda non aliquos ante illa tempora moveret, si jam olim apud veteres in usu fuisset.

CAP. VIII.
y Bell. L. 2. de Miss. c. 16. §. scribit de hac
z Supr. L. 4. c. 13.

Hinc de Collectis disserit *a* Bellarminus; eo nomine per intellectionis figuram quasdam preces *collectas* vocari, quod in *collecta*, id est in Missa, sive Synaxi dicerentur; quæ neque nos repudiamus. *Collectam* enim, plane ut *Missam*, dictam esse olim ipsam *Synaxin* non dubitamus; quo tempore apud Latinos illius formæ nomina, id est participij passivi fœmininum genus, usurpari cœperunt pro substantivis verbalibus, *missa* pro *missio*, *collecta* pro *collectio*, *remissa* pro *remissio*, *ascensa* (quod est apud Gregorium *b*) pro *ascensio*. Vetus esse, imo ab initio, ne religiosi apud Christianos conventus ulli absque precibus fierent, confitemur. Has ipsas, quas nunc Latini habent, *collectas* habuisse vetustissimos Christianos easque eodem, quo dicunt ipsi loco & ordine, illos quoque dixisse; non probat allatum è Valafrido testimonium; imo plane, aliud probat. Dicit enim Valafridus *Collectas diversos auctores, ut cumque* (leg. *cuique*) *videbatur congruum confecisse*; ac tandem *Gelasium Papam* (circa an. D. 494.) *tam à se, quam ab aliis compositas preces & ordinasse dici; & Galliarum Ecclesias suis orationibus usas esse, quæ* (inquit) *& adhuc à multis habentur. Et quia* (inquit) *tam incertis auctoribus multa videbantur incerta, & sensus integritatem non habentia, curavit B. Gregorius rationabilia quæque coadunare, & seclusis his, quæ vel nimia, vel inconcinna videbantur, composuit librum, qui dicitur Sacramentorum, sicut ex titulo eius manifestissime declaratur; in quo si aliqua inveniuntur ad hunc sensum claudicantia, non ab illo inserta, sed ab aliis minus diligentibus postea credenda sunt superaddita.* Hæc illa est scilicet à Valafrido asserta Latinarum Collectarum antiquitas; cujus origo à Gregorio est circa septimi seculi initia. Sed ne Valafridi quidem ætate purus erat & sincerus Gregorianus Sacramentorum liber; in quo scilicet quædam *claudicantia* reperiri posse confitetur, quæ vult certo credi ab aliis superaddita; Ego vero etiam ab ipso Gregorio quædam hujusmodi in illo libro primum scripta fuisse, non puto incredibile, cum Gregorius, æque ac Gelasius, homo ipse quoque fuerit. Unde, ut hoc

a Id. ibid §. Post salutatione.
b Greg L. Sacram. in fest. Acc.
c Valafr. de reb. Eccl. c. 2. p. 68. T. 10. Bibl. Patr.

Cap. VIII.

obiter dicam, patet, quam caute credendum sit atque confidendum ipsi illi Gregoriano Sacramentorum libro, quem hodie, ut præcipuum jactant suarum Missarum, si non auctorem, certe ordinatorem. Qui enim Valafrido jam ante annos 800. de mendosis nonnullis & *claudicantibus superadditis* suspectus erat; quis eum post tam longa annorum & seculorum curricula sincerum atque integrum præstabit?

Collectam *lectio ex Propheta vel Apostolo excipit.* Nemo dubitat Propheticas & Apostolicas Lectiones semper in Christianorum Ecclesiis sonuisse; quod docent Iustinus, Tertullianus, & Dionysius hic *d* à Bellarmino citati. An vero, quæ Propheticarum & Apostolicarum literarum particulæ nunc in Latinorum Missis leguntur, apud antiquissimos eodem quoque loco, ordine, modo ac ritu legerentur; id vero nemo istorum definit. Valafridus quidem *certum esse* negat, *e quis Lectiones Apostolicas vel Evangelicas ante celebrationem sacrificij primum constituerit*; seque docet solis conjecturis ac ratiocinationibus niti in hujus moris investiganda origine. Illud certe constat, quod ille ibidem ex libro Pontificali, & ex Damasi ad Hieronymum epistola adstruit, non alias primum Lectiones hic adhibitas, quam ex Apostolo & Evangelio; *Postea autem* (inquit) *omnibus latius augmentatis, alia lectiones, non tantum de novo, verum etiam de veteri (pro ut festorum ratio poscebat) intermixta sunt testamento.* Quin & *sua memoria & Lectiones, & Collectas, & diversas laudum species, jam pene abundantibus omnibus fuisse superadditas.* Neque vero putandum est secutis post Valafridum temporibus desiisse illam humani ingenij, nova semper appetentis, pruriginem. Facile erit ultima cum prioribus comparanti multa deprehendere post nonum ipsum seculum in hac religiosi cultus parte apud Latinos novata fuisse.

d Bellar. ubi supr. §. Post Collectam.

e Valafr. ub. supr. p. 682. A.

Lectione finita (inquit *f* Bellarminus) *leguntur aliquot versiculi, qui ut plurimum ex scripturis sumuntur. Sunt autem eorum quatuor genera. Alij dicuntur* Responsorium *seu* Graduale; *Alij* Alleluia; *alij* Tractus; *Alij* sequentia, seu Prosa; quorum nominum, qui vim & rationem nosse cupit; hunc ipsum Bellarminum, & Officij Romani expositores adeat. Mihi ad præsens institutum satis est observare, quod ipse hic adversarius diserte confitetur, istorum versiculorum inter utramque lectionem inferendorum universalem consuetudinem non esse apud Latinos valde antiquam, adeoque esse novam. Agnoscit Bellarminus, quod erat à Valafrido *g* & Bernone *h* jampridem observatum, Responsoria & Alleluia, *qua ante Evangelium cantantur, prohibita fuisse canonibus Hispanorum.* Canonem autem significant Synodi Toletanæ quartæ undecimum; *i In quibusdam quoque* (inquit) *Hispanorum Ecclesiis laudes post Apostolum decantantur priusquam Evangelium prædicetur, dum Canones præcipiant post Apostolum, non laudes, sed Evangelium annuntiari. Præsumtio est enim, ut anteponantur ea, qua sequi debeant. Nam laudes Evangelium sequuntur propter gloriam Christi, quæ per idem Evangelium prædicatur.*

f Bellar. ub. supr. c. 16. §. Lectione fin.

g Valafr. c. 22. p. 682 C.

h Bern. c. 1. ibid. p. 698. C

i Conc. Tol. 4. c. 11. T 4. Concil. pag. 386.

catur. Circa omnes igitur Sacerdotes hic ordo deinceps retineatur, excommunicationis pœnam suscepturis, qui hunc ordinem perturbaverint. Ex quo (inquit Valafridus) *intelligitur id aliquos tentasse tunc temporis, sed propter novitatem rei, studium eorum nondum fuisse à quibusdam receptum.* Bene. Atque hinc porro discimus rem hanc in Ecclesia Occidentali adhuc novam fuisse an. Dom.633. quo illa apud Hispanos Synodus habita est. Sed hinc quoque perspicimus hallucinari Honorium, qui *Graduale & Alleluia* tradit k *Ambrosium* quidem *composuisse: Gregorium* vero *ad Missam cantari instituisse.* Neque enim probabile est rem à tantis auctoribus profectam & institutam tam duriter excepturos fuisse Patres Hispanos, proque præsumptione habituros, & qui eam secuti essent excommunicationi subjecturos. CAP.VIII. k Honor. Gemm L.1. c.88. T.10. Bibl. Patr.

His peractis lectio fit Evangelica. Quæ autem nunc Evangelij particulæ hoc loco apud Latinos leguntur, an plane eædem olim lectæ fuerint, & quo tempore legi cœperint, ego incertum esse puto; neque id à Bellarmino allata veterum scriptorum loca definiunt; tantum indicant aliquid apud Majores in Synaxi ex Evangelio lectum fuisse; quid, quando, & quo Synaxeos loco lectum fuerit, non expediunt.

Post Lectionem, cantatur Symbolum Synodi Constantinopolitanæ, Vniversalis secundæ, quæ an. Dom.381. habita est. Symbolum primo baptismi proprium fuit; quod à baptizando, si adultus est, fidei Confessio necessario requiratur. Idem in Eucharistia adhiberi novum est, & à Græcis primo, ut quidem Valafridus narrat, inventum, à quibus ad Romanos eodem teste prius transivit; serius ad Gallos, & Germanos, post dejectionem Fœlicis Vrgelisani hæretici an. Dom. 794. sub Carolo Magno damnati; quo tempore *idem symbolum* (inquit l Valafridus) *latius & crebrius in Missarum cœpit Officiis celebrari.* Neque hic tacenda videtur Latinorum in hoc symbolo novitas, potissima ingentis illius schismatis causa, quod Christianos Orientales ab Occidentalibus in hunc vsque diem dividit, nimirum adjecta Spiritus Sancti in illo symbolo Theologiæ, particula *Filioque.* Id autem post Leonis demum P.R. IV. mortem factum est, id est post an. Dom.855. l Valafr. ub. supr. c.22. p 682.E.

CAPVT

CAPUT IX.

De Offertorio. Id totum esse novum. Quinque orationes, quæ in eo habentur, nondum dictas fuisse ineunte seculo decimo tertio. Apostolo repugnare, quod hic plebs respondet Amen iis, quæ ne audivit quidem; nedum ut intellexerit. Antiquum quidem esse, sed à præsenti Latinorum fide alienum, quod hic monentur sursum habere cor. Novum esse, neque ante an. Dom. 577. receptum, quod hic dicitur, Gratias agamus Domino Deo nostro. *Canticum* Sanctus, Sanctus, Sanctus *&c. Ejus apud veteres nullam ante an. Dom. 529. mentionem occurrere videri.*

SUccedit Offertorium, ita dictum, *quod inter offerendum canitur*, inquit m Valafridus. Morem enim jam ab antiquissimis temporibus fuisse, ut fideles panis & vini munera ad sacram synaxin viritim pro sua voluntate ac facultate offerrent; eumque morem diu pæne ad ultima secula mansisse & satis constat, & nos supra n demonstravimus. Cæterum Valafridus; *Vere* (inquit) o *credimus priscis temporibus Patres sanctos silentio obtulisse vel communicavisse; quod etiam hactenus in sabbato sancto Paschæ observamus.* Unde intelligimus totam hanc Missæ Latinæ partem, quæ *Offertorium* dicitur, adeo non Apostolicam vel antiquam esse, ut plane nova sit, & præter *priscum Patrum Sanctorum* morem à posterioribus casto simplicique majorum officio plura de suo subinde affluentibus adjectam; *Quis* autem *specialiter* eam Ecclesiasticis *officiis addiderit, aperte* (inquit idem scriptor) p *non legimus* &c. *Sed sicut supra diximus, diversis modis & partibus per tempora decus processit Ecclesiæ, & usque in finem augeri non desinet. Traditur denique B. Gregorium, sicut ordinationem Missarum & consecrationum, ita etiam cantilenæ disciplinam maxima ex parte in eam, quæ hactenus quasi decentissima observatur, dispositionem produxisse.* Hæc ille vere quidem observavit: id tamen minus caute judicavit, quod per ista novella posterorum inventa, atque additamenta *Ecclesiæ decus procedere* putavit; quod verius istis deteri, imminui, ac fuscari dixisset. Sed in eo profecto nequaquam vanus fuit, quod negat illud Ecclesiastici cultus, ut ipse existimabat, *decus* eo loco ac gradu, in quo jam tum consistebat, mansurum; prædicens *usque in finem augeri non desiturum.* Ita sane accidit, ex insatiabili humani ingenij superstitione, ac vanitate; cui ubi semel fibula laxata est, nullus inde fit figmentorum, adinventionum, devotionũ, & cærimoniarũ, vel finis, vel modus. Nam diu post Valafridi tempora in hanc Missæ partem inductæ sunt quinque illæ, quæ nunc in ea dicuntur, orationes. I. *Suscipe Sancte Pater* &c. II. *Offerimus tibi Domine.* III. *Veni sanctificator* &c. IV. *In*

m Valafr. ub. supr. pag. 683. A.

n Supr. l. 3. c. 2.

o Valafr. ubi supr.

p Id. ibid. p. 683. B.

IV. *In Spiritu humilitatis*, &c. V. *Suscipe Sancta Trinitas*, &c. quas ipse Bellarminus, tantus licet Latinæ antiquitatis assertor, scribit neque admodum antiquas esse, neque in Romana Ecclesia ante annos 500. lectas fuisse idque hoc Micrologi testimonio, quod capite vndecimo habetur, probat; (*composita oblatione in altari, dicit sacerdos hanc orationem juxta Gallicanum ordinem*; Veni sanctificator, &c. *Deinde ante altare inclinatus, dicat hanc orationem non ex aliquo ordine, sed ex Ecclesiastica consuetudine*. Suscipe Sancta Trinitas. *Romanus tamen Ordo nullam orationem instituit post offerendam ante Secretam.* Hæc Micrologi liber, vndecimo sæculo præcipiti post Gregorij VII. obitum scriptus. Sed insuper observat Bellarminus ne ipsum quidem Innocentiũ P.R. III. (qui circa sæculi decimi tertij primordia scripsit) meminisse illarum orationum, sed transire ab Offertorio ad Secretas. Denique quod post illas orationes sive collectas, quibus oblatio Deo commendatur, secreto à sacerdote recitatas, vltima earum verba, hæc scilicet, *per omnia sæcula sæculorum*, clara voce pronunciatur, & populus respondet r *Amen*, confirmans superiores orationes, quæ istis verbis concluduntur, id inquam totum cum deserta Apostoli disciplina pugnat; ad eoque novum est. Hic enim negat s *Amen* ad tuam benedictionem ab eo dici posse, *qui quid dixeris, nescit. Si benedixeris Spiritu* (inquit) *qui supplet locum idiota, quomodo dicet Amen, super tuam benedictionem, quoniam quid dicas nescit.* At Latinorum plebs, quid sacerdos in secretis dixerit, *nescit*. Quomodo enim sciret, quod neque audiuit, neque si audivisset, erat intellectura quia Latine scilicet, lingua sibi ignota, pronunciatum est? Ergo non modo cum recta ratione, & cómuni hominum sensu, sed etiam cum Apostolica sententia pugnat, quod isti nunc, & hic & alibi sæpe instituunt, vt populus ad ea *Amen* dicat, quæ adeo non intellexit, ut ne audiverit quidem. Micrologi, cujus caput septimum Bellarminus in hanc sententiam citat, testimonium ad hoc valet, vt illam novitatem ejus tempore (id est 11. sæculo præcipiti) in vsum apud Latinos jam fuisse receptum demonstret; non valet ad hoc vt putemᵘˢ, novũ apud Christianos nõ esse, quod instituto Apostolico repugnat.

q Bell. L. 2. de Miss. c. 17. §. Offertor.

r Id. ibid. §. Offertatio finito.

s 1. Cor. 14. 16.

Iam quæ in Præfatione sequuntur, *Sursum corda*; ℟ *Habemus ad Dominum*, Bellarmino t assentimur esse vetustissima, quæ scilicet Cypriani temporibus jam solennia apud nostros erant. Hæc enim sunt sanctissimi Martyris ea de re verba; *Quando stamus ad orationem* (inquit) *vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & sæcularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo & sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo, Sursum corda; vt dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere.* Fatemur ea ad synaxin præfatione usos illius memoriæ fideles; Præclara sane & ad rei quidem quæ agitur, veritatem ac dignitatem appositissima; Latinorum vero de sacramento dogmati parum consentaneo; in quo si veteres Christi ipsius carnem ac substantiam vere &

t Bell. vb. supr. §. Dein de incipit.

u Cypr. de Orat. Dom. p. 228.

Caput IX.

realiter super altari consistere cum Latinis credidissent, non videntur piæ plebis mentem *sursum* (id est in cœlum) sed in altare humi situm fuisse evocaturi, qui scirent vbi thesaurus noster Christus est, ibi & cor esse debere. Itaque Latinis gratulamur, quod inter tam multa in majorum synaxi mutata, novata, addita interpolata, hanc saltem particulam, tametsi cum novis eorum placitis haud leviter pugnantem, venerandam ejus canitiem & communem omnium Christianorum vsum reveriti retinuerint. Vtinam reliqua Cyprianeæ synaxeos exstarent! Neque enim dubito, quin clarissimum Latinæ in hoc sacro novitatis elenchorum si illa exstaret, habituri essemus.

De cæteris, *Gratias agamus Deo nostro*, vsque ad, *Sanctus, Sanctus, &c.* quæ Latini egregiæ isti præfationi assuerunt, nullum Bellarminus Pelagio, P.R.II. auctorem adducit x vetustiorem; hunc autem constat a. D. 577. sedere Romæ cæpisse, quanquam ne ille quidem satis nos doceat ea, quæ Latini hoc loco pronuntiant, eadem suo quoque tempore fuisse pronuntiata. Non aliud dicit, quam se invenisse nouem, quas mox nominat, *præfationes in sacro catalogo tantummodo recipiendas esse.* Sed & istius decreto insuper habito, decimam de Sancta Maria, Vrbanus P. R. secundus circa a. D. 1080. illis novem adjecit, vt nos hic Bellarminus ex Gratiano monet; adeo istos novitia delectant, vt eos neque Scripturarum cœlestium plenitudo, neque majorum suorum reverentia deterreat, ab inventis suis antiquæ, vel fidei vel disciplinæ adjiciendis.

x Bell. l. 2. de istis. c. 17. 6. § Reliqua vero.

Canticum denique *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, &c.* partim ex hymno Seraphico apud Isaiam, partim ex festa Hebræorum Christo Hierosolyma ingredienti applaudentium acclamatione contextum est. Bellarminus ex Synodo Valensi hunc de eo Canonem indicat; y *Quod in omnibus Missis, z seu in matutinis, seu in quadragesimalibus seu in illis quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, semper Sanctus, Sanctus, Sanctus eo ordine, quo modo ad Missas publicas dicitur, dici debeat.* Habita autem est Synodus a. D. 529. vt est supra observatum. Neque majorem huic Cantico antiquitatem adstruit, quod id habeatur in Liturgiis Iacobi, Basilij, & Chrysostomi nomina præferentibus: quod eæ apertissime ita sint interpolatæ, vt quid in iis cujus sit auctoris certo liquidoque intelligi non possit.

y Bell. vb. supr. §. Finita præfatione.

z Conc. Vas. 3. 3.

CAPVT

CAPVT. X.

De Canone. Petrum non fuisse ejus auctorem demonstratur contra Bellarminum & Isidorum Hispalensem. Notatur illius vafrities in exponenda sua sententia, & æquivocatio explicatur. I. Petrus canonem non mandauit litteris, quem si condidisset, mandaturus erat; quod vtrumque probatur; atque inde obiter demonstratur supposititias esse eas Liturgias, quæ nunc Petri, Iacobi & Marci nomine circumferuntur.

HActenus quædam veluti prolusio de Missa Latina fuit. Sequitur Canon, rei fundus, in quo fit ipsum sacrum. Nos de nomine solliciti non sumus, quod hic Bellarminus à Gregorij I. epistola 63. (alias 64.) L. VII. repetit; *a* vultque eodem sensu *regulam Ecclesiasticam* à Pseud Ambrosio in 1. Pauli ad Timotheum c. 2. ab Optato L. 2. *legitimum in Sacramentorum mysterio*: *Ordinem precum* ab Isidoro Hispalensi dici L. 1. de officiis diuinis c. 15. *Actionem* à Valafrido c. 22. quod vltimum nomen à posterioribus, æque ac *Canonis* vocabulum passim nullo pæne discrimine in hoc argumento usurpatum esse annotat. Hæc quæ si non plane omnia, plæraque certe vera sunt, nos indiscussa mittimus: ac ne illa quidem & attingimus, quæ idem in Lutheranos, *impios* vocans, & aliis maledictis, acerbisque convitiis quæcumque splendida bilis suggessit insectans pro sui Canonis veritate magno animi ardore, ac pæne furore declamitat. Quod instituti nostri est, id vnum quæremus, an sit antiquus ille Latinus Canon, id est an ab Apostolis, vel ab Apostolicis viris, qui primo & secundo sæculo vixerunt, traditus & apud Ecclesiam usitatus fuerit. Ita enim putanda est rerum Christianorum *antiquitas*, ut ea merito *antiqua* & sint & censeantur, quæ ab initio fuerunt ab Apostolis tradita & à proximis & eorum discipulis observata: non autem quæ aliquot etiam *multis ante nos sæculis instituti sunt* (quod de suo Canone jactant *b* Tridentini) vel quæ ante sexti sæculi finem in usu esse cœperunt: quod velle videtur Bellarminus: Chemnitium nostrum deridens, ac veluti levitatis & ἀντιλογίας compertissimæ reum traducem, quod qui Missæ Canonem antiquam esse negaverat, idem eundem, & quidem in eodem disputationis articulo circa a. D. 590. à Gregorio I. perfectum fuisse confiteatur. Atqui si res ex vero æstimetur ipse risu multo quam Chemnitius, dignior est, qui id in Christianismo antiquũ esse fingit, quod ante a. D. 590. nondum apud Christianos constitutum atque usitatũ fuit.

a Bell. L. 2. de Miss. c. 1[illegible]

b Conc. Trid Sess. 22. c. 4.

c Bell. vb. sup. c. 20. §. Superest.

Sed misso risu & ludo, rem ipsam spectemus. Ergo Bellarminus in primis de auctore: deinde de antiquitate sui Canonis disputat. De priori capite ita censet ad decernit: *d Primum quidem qui formam aliquam Sacrificij celebrandi, adjunctis nimirum ad verba Domini certis precibus ac*

d Id. ibid. §. Primus.

Cap. X. *ritibus, Romana Ecclesia dedit, S. Petrum fuisse.* Sed hæc ambigua sunt & facta veri specie lectorem ludunt. Illud mitto, quod pro certo ac indubitato assumit, quod tamen satis obscurum atque incertum esse videtur, Petrum scilicet Ecclesiam Romanam condidisse. Nam etiamsi apud omnes constaret (de quo non pauci, neque omnino absre dubitant) Petrum aliquando Romæ fuisse Apostolatum exercuisse; eo tamen minime efficeretur, ipsum primum vel Ecclesiam ibi fundasse, vel celebrandæ Cænæ Dominicæ certum ordinem tradidisse. Profecto ex Pauli Apostoli epistolis maxime vero ex ea, quæ ad Romanos circa a. D 53. data est, multo probabilius videtur Ecclesiam Romę ab aliis ministris, jam antequam eo venisset Petrus, ædificatam ac constitutam fuisse. Quod si, ut esse videtur, verius re ipsa est, omnino fatendum erit, non Petrum, sed illum alium quisquis fuerit, Christi Ministrum, qui Ecclesiam Romæ condidit, primum eidem tradidisset rectum illum ac legitimum peragendæ Eucharistiæ ordinem. Absurdum enim est & incredibile, qui Christianam Ecclesiam alicubi constituit, ei cætera quidem ad religionem pertinentia tradere, solennis vero, & si Latinorum quidem dogma admittitur, maxime omnium necessarij sacrificij celebrandi nullum certum ordinem tradere. Sed hæc, quod dixi, mitto. Bellarmino nunc, quod nullo sibi jure sumit, tantisper donemus, Petrum Romæ primum omnium Christi ministrorū fundamenta fidei jecisse Ecclesiamq; credētiū eam ibi constituisse, ad quā Paulus suam illam luculentissimam ac longe præclarissimum *epistolam* scripsit: his ita donatis fatebor equidem Petrum Romę id *ipsum* fecisse,

a 1. Cor. 11. quod se Paulus Corinthi præstitisse scribit; a tradidisse *scilicet* suis discipulis, quæ à Domino Christo acceperat; *Ullas alias* præterea diversas à Dominicis ritus, quales in Canone Gregoriano plurimi reperiuntur, Petrum Romanis tradidisse, negabo. Stultum enim est, etiam si quid judico, contumeliosum suspicari Petrum aliud suis discipulis, quā vel Paulum, vel Iacobum, vel quemvis alium Apostolum, tradidisse. Abunde est, quod illi suis omnes ea bona fide traderent, quæ se Paulus, adeoq; & cæteros à Christo Domino accepisse profitetur; in quibus nemo, ut opinor, pius, ac Christi vere religiosus, quicquā desideraverit. Ipsa autem illa, quæ Apostoli de Dominicæ Cœnę celebrandæ ordine ac ritu, & à Domino acceperant, & cōstitutis à se Ecclesiis tradebant, habemus a Paulo fidelissimo ac religiosissimo rerū divinarum interprete, literis luculentissime cōsignata. Si ergo Bellarm. quā dicit, *sacrificij celebrandi formam*, si *certas* quas adjungit, *preces ac ritus*, illa ipsa intelligit, quæ de Cœnæ Dominicæ actione sunt à Paulo apud Corinthios commemorata (tametsi *sacrificij* nusquam apud Apostolum nomen extet, de vocabulo non erimus molesti) facile cōcedemus si hoc loquitur Bellarminus sanctissimum Apostolum Petrum formam synaxeos, quam ipse sacrificium vocat, & *preces* (quas Paulus *benedictionem* dicit) ac denique *ritum* Romanis primum tradidisse.

Neque

Neq hoc credo Bellarminus negaret, quod cum de Paulo ex Scriptura constet, de Petro quoque constare censendum est. Sin aliud his verbis suis Bellarminus intellexit; Si *forma*, non eam simpliciter loquitur, quæ à Paulo tradita est, sed Latinam, vel Latinæ similem, Paulina multo auctiorem; si *preces* eas vel omnes, vel plærasque dicit, quæ in suo hodie Canone habentur; si eorum denique rituũ aliquid significat, qui apud Paulum quidem nuspiam cernuntur, in Græcorum vero & Latinorum sacris jam pridem abundant ac luxuriant; si hæc inquam, adversarij meus, si hic animus ac sensus est, ut esse videtur; negabo hæc hoc sensu dicta veri mihi videri similia; rationes & argumenta clara certaque requiram, quibus res tanta demonstretur. Ille vero nullum assertionis suæ aliud argumentum edit, quam nudum Isidori Hispalensis testimonium: qui loco à Bellarmino indicato hæc habet: f *Ordo* (inquit) *Missæ vel orationũ, quibus oblato Deo sacrificia consecrantur, primum à Sancto Petro est institutus, cujus celebrationem vno eodemque modo universus peragit orbis.* Ego vero testem ipsum nego idoneum esse, cui de Petri rebus aienti fides habeatur: qui scilicet annis plus quam quingentis post Apostoli martyrium vixit. Hic enim circa a. D. 64. passus est: Ille a. D. 600. Episcopus ordinatus, anno demum 636. denatus est. Ergo de Petri rebus quod affirmaret nihil ille per se habere potuit. Necesse est hæc eum, quæ dicit, vt valeant, ab alio aliquo vel Apostoli temporis, vel post Apostolos proximi, intellexisse. At qui autem, à quo hęc didicerit, neque ipse, neque qui eo nititur, Bellarminus quamquã edit. Nullum autem re vera fuisse de primo, vel secundo, vel etiam de proxime consecutis duobus sæculis, qui hæc de Petro prodiderit, ut alia nunc mittam, illud certissimo argumento est, quod Gregorius P. R. I. qui Isidoro aliquot annis vetustior eodẽ sæculo vixit, plane aliud de Canonis Missalis origine, deque Apostolicæ Eucharistiæ ratione, ut mox audiemus, tradidit. Nam siquis de prima illa Christianismi memoria locuplés auctor ea de instituto à Petro Eucharistiæ affirmasset, quæ scilicet Isidorus, non est credibile vel eum Gregorio ignotum futurum fuisse quem Isidorus vidisset, vel Gregorium siquem hujus census vidisset, aliud secuturum fuisse, quam quod ipsa ab eo didicisset. Atqui Gregorius plane aliud ea de re dicit. Neminem ergo extitisse illis temporibus auctorem idoneum apparet, è quo Isidorus ista, quæ plane à Gregorij sententia aliena dicit, haurire potuerit. Totum itaque hoc quod de Missæ ordine à Petro primum instituto dicit Isidorus, id mera ejus præsumptio fuit, ex suo sibi cerebro fingentis Romanæ quem suo tempore apud se vel servare, vel etiam ad alios propagasse putabat Missæ celebrandæ ordinem, eum à Petro accepisse; quos scilicet ab illo Apostolo, ut fidem, ita & hunc ritum habuisse ex vulgata de Petro illius Ecclesiæ conditore fama, probabiliter sibi argumentari videretur. Siquid ille Bellarmini simile dixisset, posset ejus oratio commode accipi, & eodem, quo Bellarminiana oratio, modo distingui.

CAP. X.

f Isidor. L. 1. de offic. Eccl. c. 15.

Caput X.

Nunc sensum omnem, verum inquam & rectum, respuere videtur Non enim, ut Bellarminus, in genere tantum dicit *Petrum Ecclesiæ Romanæ formam celebrandi sacrificij aliquam primum dedisse*; sed insuper certo ac proprie definit, quis sit illarum orationum numerus, quæ ratio, quis ordo, quibus Petrum Missam illam suam constituisse nimium profecto temere affirmavit. Cum enim dixisset *ordinem Missæ, vel orationem quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum fuisse à S. Petro institutum*, statim sic pergit; *Prima EARUNDEM oratio admonitionis est ergo populum, ut excitentur ad exorandum Deum. Secunda invocationis ad Deum est, ut clementer suscipiat preces fidelium oblationemque earum.* Cæteras ad septem continenter exsequitur. Omnes ergo istas orationes, numero septem, eo singulas, quo censet, argumento atque ordine à Petro fuisse traditas ac collocatas sciscit. Has enim septem *easdem*, id est eas ipsas esse diserte dicti, quarum ordinem à S. Petro primum institutum fuisse præfatus erat. Id vero recta pugnat cum Gregorij P.R.I. testimonio, exerte tradentis Apostolos Eucharistiam ad solam orationem Dominicam consecrasse, & cum aliorum non paucorum eadem tradentium sententia, quorum voces nos supra recitavimus. Atque hinc quivis ni fallor, intelligit illam Isidori opinionem dubium & incertam esse, & omni antiquiorum autoritate destitutam.

Quæ vero subjicit Bellarminus *diversos Pontifices preces diversas postea addidisse*, suo illi imaginario Canoni, quem à Petro institutum fingit, id sponte sua nunc ruit, quod nullum scilicet habet in veterum traditione fundamentum Multa & à Latinis & à Græcis Ordini sacræ synaxeos à Christo instituto, & à Paulo Corinthiis tradito postea adjecta esse fateor; à Petro aliquid præter ea, quæ in Scripturis habeatur, de Cœnæ celebratione, institutum esse nego Nam si Petrus *aliquam* quod fingit Bellarminus. *sacrificij celebrandi formam certis precibus & ritibus adjunctis ad verba Domini instituisset*, necesse habuissent eam litteris mandare. Aliter *certæ illæ preces certique ritus* brevi intercidissent: imo vix unquam ea ex præscripta Apostoli lege plane ea qua definiverat, forma, modo, atque ordine recitari, atque observari potuissent; ut in iis omnibus usuvenire videmus, quæ uni hominum memoriæ absque ullis litteris committuntur. Itaque latini diligenter præcipiunt, ut celebranti semper adsit Missalis liber, ex quo scilicet omnia recitet, quæ ad sacram illud pertineat, Gemma Animæ; * *Synodali decreto sub anathemate est præceptum, ut nullus Canonem dicat, nisi in libro, & in sacris vestibus, & nisi super altare.* Itaque inter Missæ suæ *defectus* id est vitia, censent, g si non adsit Missale, etiamsi Missam, qui celebrat, memoriter sciat, quam intendit dicere Petrus ergo si quam celebrandæ certo ritu, certisque ritibus Eucharistiæ formam tradidisset, eam haud dubie scripto erat consignaturus; Nihil autem à Petro hujusmodi scriptum fuisse, ac ne primis quidem sæculis tale quicquam fictum esse, inde clare certoque intelligimus, quod vetustissimi Patres, diligentissimi scriptorum Apostolicorum indagatores,

* Honor. Gemm. An. c.103
g Miss Tit. Defect. c.10. p 1.

ubi de litterariis Petri monumentis agitur, quæcumq; eo nomine habebantur, sive vera certaque, sive dubia vel etiam apocrypha, accuratissime enumerant, & à se invicem discriminant, vera in Scripturarum canonem referentes, aliena abdicantes & sugillantes nullam plane faciunt formæ illius Missalis à Bellarmino ex Isidoro somniatæ mentionem; quam siqua vere extitisset, non prætermissuri, sed in canonem relaturi erant. Neque enim minoris sed ut liquet, majoris etiam meriti atque usus futura illa forma, quam duæ postremæ Ioannis epistolæ, quas in divinarum Scripturarum ordine ab illis censitas constat Eusebius, qui in conquirendis & commemorandis Patrum se vetustiorum de Apostolicis Scripturis judiciis, eam se diligentiam adhibiturum pollicetur, quam & præstitisse ex ejus Historia videmus, quæ Petri nomen præferrent scripta memorans, duas in primis epistolas recenset quæ in sacro novi testamenti codice habentur, tum Actus Evangelium, Prædicationem & Revelationem nominat; simulque hæc postrema tanquam ficta ac suppolititia expungit. Missalis Ordinis, sive Liturgiæ nullus vel in verorum, vel in fictorum Petri librorum censu meminit. Ergo nihil adhuc hujus tituli & argumenti Eusebij temporibus apud Christianos fuit; Nihil adeo Petrus hac de re præter ea, quæ in Evangeliis & in Paulina ad Corinthios epistola habentur, Ecclesiæ tradidit; quod si tradidisset scilicet scripto, ut ostendi, non ore tantum fuerat traditurus.

CAPUT X.

b Eus. Hist. L 3. c. . . id. etiam ibid. c. 25.

Idem quoque de illis Liturgiis judicandum est, quæ Iacobi & Marci nominibus circumferuntur, quæ si vllæ vnquam vere à sacris illis auctoribus essent traditæ, inter eorum scripta à vetustissimis scriptoribus haud dubie agnitæ ac memoratæ essent. Non fuisse autem ab iis cognitas ex Eusebio clarum est, qui Iacobi quidem epistolam, quam habemus, Catholicum à vetustioribus memoratam, & Marci Evangelium ab iisdem luculentissime commendatum scribit; de hujus vero, vel illius Liturgia nullum verbum facit. Sed & tres illas, Petri scilicet, & Iacobi, ac Marci Liturgias fictas à posteris, neque à divinis illis viris vel scripto vel mera voce traditas fuisse, illud non obscure arguit, quod Tertullianus ea recensens, quæ suo sæculo in sacramenti vtriusque administratione præter Scripturam tradita observabantur, in baptismo quidem *amplius aliquid responderi* memorat, *k quam Dominus in Evangelio determinavit*; de Eucharistia vero quicquam in ejus celebratione vel fieri, vel dici præter ea, quæ vel Evangelium, vel Pauli epistola docuit, nullus memorat: quod vel imprimis eo loco dicendum erat, si vel Petri, vel Iacobi, vel Marci traditio aliquam præter ista ritibus ac precibus constantem formam adjecisset. Ille vero hoc, quod erat ad rem quam ibi tractat palmarium tacet: quod multo levius erat, id quod supra jam diximus * duntaxat observat, *Eucharistiam* scilicet & *tempore victus*, & *omnibus mandatam à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium*, ab illius ævi fidelibus *sumi*. Qui Tertullianum norit, non dubitabit illa, quæ tacet ignota ei fuisse: quæ siqua jam tum vere extitissent,

i Id. ibid. L. 2. c. 23. & ibid c. 15.

k Tertull. de Cor c. 3. p. 121. D.

* Supr. c. 3.

Cap. VII. ævo apud Ecclesiam erat, neque nisi multis post eum annis fuit; ut vetustissima Christianismi monumenta diligenter inspicientibus patet.

Superest ultimum Telesphori decretum, *Vt ante sacrificium hymnus dicatur Angelicus.* Atqui ne hoc quidem decretum illius ævi esse potest. Constat enim ex hoc ipso Pontificali libro, & ex aliis multis scriptoribus, quos supra edidimus, ante Cælestini tempora (id est ante an. D. 423.) non fuisse usitatum, ut hymni in Eucharistiæ sacro canerentur; *Tantum* (inquit) p *recitabantur Epistola Pauli Apostoli, & sanctum Evangelium, & sic Missæ fiebant*; adeoque Cælestinum primum fuisse, qui (quod ita Pontificali quoque scriptum est) *constituit, ut 150. Psalmi David ante sacrificium psallerentur Antiphonatim, quod ante* (inquit) *non fiebat.* Annotant q in codicibus Regio, & Mazzarinæo MS. post hæc ultima verba, *sed tantum epistola Beati Pauli recitabatur,* continenter legi, *& sic Missa fiebant* (omnia Evangelij lectione) *& constituit graduale post officium ad Missam cantari.* Sed utrumvis legas, illud quod dixi, constat, ex hujus libri fide Missas ante Cælestinum ita celebratas fuisse, ut recitaretur tantum vel Epistola Pauli sola, vel etiam cum ea Evangelium. Unde liquet falsum esse, quod idem alibi liber præferebat jam annis ante Cælestinum pæne trecentis solenne fuisse, ut ante oblationem *hymnus Angelicus* diceretur. Antilogiam jam olim viderat optimus auctor Valafridus; *Si idem hymnus* (inquit r) *huius Papæ* (Telesphori) *temporibus ante sacrificium cœpit dici; cur longo tempore post sub Cælestino legitur tantum ante sacrificium lectionem Apostoli & Evangelium præcessisse, ut ille necessario de Psalmis David Antiphonas, quæ ante ipsas lectiones cantarentur, præposuisse videatur?* Hæc quidem ille acute & vere; in quibus dissolvendis multum se diuque macerat ac torquet, sed frustra. Simplicissima enim ac verissima solutio est; illa, quæ in Cælestino habentur, auctoris scilicet Damaso recentioris, & fortasse non diu post Cælestinum scribentis, adeoque certioris, vera esse; Illa vero, quæ de Telesphoro in ejus vita leguntur, falsa & ab homine octavi ut videtur, seculi temere & inscite huic veteris Pontificalis loco, ut aliis alia multa, immissa ac inserta fuisse. Cum ergo ex his pateat, quæcumque in illa supra recitata Pontificalis particula habentur; ea vel ab illius ævi usu, ac moribus abhorrere, vel certe cum alia certa & indubitata traditione pugnare; omnino statuendum est, totam illam particulam non esse à primo harum ad Damasum vitarum auctore scriptam, sed ejus operi aliena fraude & manu diu postea; seculo ut opinor octavo insertam & immixtam. Cur autem vetustissimo de primorum Paparum vitis libello eo maxime tempore id virij oblatum fuisse putem, eo adducor, quod ante seculi septimi finem nullam videam apud illius ævi scriptores

p Pontif. Dam. in Cælest. p. 25.

q Ibid. p. 261. in Var. lect.

r Valafr. de reb. Eccl. c. 22. T. 9. Bibl. Patr p. 581. A.

eorum

eorum fieri mentionem, quæ vel in hac de Telesphoro; particula, vel alibi de aliis Romæ Episcopis valde memorabilia habentur; nono vero & sequentibus, ita repente, ab omnibus, quoties occasio occurrit, memorari; pæne à nullo prætermitti. Ac supra quidem vidimus, quo studio, quo consensu ultimorum quæ dixi, temporum, homines illa de Telesphoro certatim omnes repetant. Cur nihil tale apud Isidorum Hispalensem in toto de Ecclesiasticis officiis opere occurrit, ubi vel de Missa ejusque partibus, vel de Quadragesima, ejusque institutione & caussis agit? Cætera mitto; quæ de hoc argumento multa plura dici possent. Quæ dixi satis sunt, ut quivis intelligat dubium atque incertum esse, an quod omnes isti postremorum seculorum scriptores ex falsa illa & suppositiria libri Pontificalis particula affirmant, à Telesphoro jam olim Apostolicis pæne temporibus institutum fuisse, ut hymnus Angelicus ante Eucharistiæ consecrationem in sacra synaxi cantaretur, multo vero propius esse, id in usum publicum Cælestini demum tempore una cum multis aliis ejusdem generis ritibus induci cœpisse.

Sed quæ post hymnum Angelicum apud Latinos sequuntur, *Laudamus te, Benedicimus te, adoramus te* &c. *Domine Deus rex cœlestis, Deus Pater omnipotens, Domine Fili unigenite, Iesu Christe, Agnus Dei* &c. *Tu solus altissimus Mariam coronans* &c. Hæc quis adjecerit Angelicæ doxologiæ, Bellarminus usque adeo certum esse negat Merito. Ipsa enim orationis forma ab antiqua gravitate, antiquisque moribus aliena, hæc nova esse satis per se clamat. Hilario quidam tribuunt; alij Symmacho Pontifici Romano. Sed unde hæc habent? Sunt enim de his ita opinantes omnes vel noni seculi scriptores, vel etiam recentiores. Quis non videt parum esse idoneos, qui de rebus tam multis ante sua tempora seculis gestis testimonium in alterutram partem dicant? Hilarij etiam nunc multa opera supersunt, ex quibus facile est conjicere ista hymni additamenta nihil minus esse, quam Hilariana. Vix enim quicquam finxeris ab illius viri stilo & charactere magis alienum. Denique ipsa auctorum, quibus ista tribuuntur, varietas clamat nihil certi aut firmi esse in istorum hac de re traditionibus. Itaque Stephanus Durantus tantæ credo, diversitatis pertæsus, spretis cæterorum opinionibus, *At* (inquit) *s verius est istum hymnum ab Apostolis conflatum esse ac compositum.* Vnde scis? inquam *Integer enim* inquit, *fere extat apud Clementem. L. 7. Constitutionum Apostolicarum cap.* 48. Quicquid enim Stephanus Durantus in illis Constitutionibus legit, id non minus Apostolicum putat, quam quod apud Petrum vel Paulum in novi fœderis libris præscriptum extat. Nos scimus æra lupinis distare; neque id continuo pro Apostolico habendum, quod Apostolorum nomen præfert. Si viceris ista apud Clementem istum pseudonymam διαταγὴν reperiri, fatebor non esse nuperа. Negabo

s St. Dur. de rit. Eccl. L. 2. c. 14. §.

Cap. VIII. ideo esse Apostolica. Contendam ne vere quidem antiqua esse, quæ non ab initio fuerunt. Sed inspiciamus tamen, quid ille Constitutionum patens in hoc de quo quæritur, synaxeos loco decernat. t Fateor apud eum in Liturgia dici, *Gloria in excelsis* (quanquam longe alio, quam apud Latinos loco; nimirum post consecrationem, paulo ante communionem) Quæ vero post Angelorum verba sequuntur apud Latinos, *Laudamus te* &c. eo modo apud Clementem sequi. Hæc enim sequuntur, quæ sunt ab illis diversa; *Osanna Filio David. Benedictus, qui venit in nomine Domini* &c. Quod vero Durantus citat ex L. 7. cap. 48. Constitutionum editionis Latinæ, id plane est ab hac disputatione alienum. Non enim istic Pseudo-Clemens synaxin de qua nunc quærimus, ordinat; sed preces, mane, vespere, & in prandio a quovis homine Christiano dicendas proponit; ex quarum secunda, Latinæ Missæ auctores illa verba, *Laudamus te*, & pauca alia futuros esse verisimile est; cætera diversa esse, quisquis utraque legerit, perspiciet.

t Const. Ap L. 8. c. 20. (Lat.) 13. (Gr.)

Capvt VIII.

6. Novum esse, ut aliter Sacerdos, aliter Episcopus plebem salutet. Novum item, ut quis plurali numero salutet, cum vel solus, vel cum uno celebrat. 7. Collectarum hodiernarum usum non esse antiquum, sed à Gelasio P. R. I. cœpisse; à Gregorio I. circa an. D. 600. perfectum esse. 8. Novum quoque esse ut certæ quædam ex Apostolicis, etiam recentius, ut ex Propheticis Scripturis lectiones in hoc sacro fiant. 9. Ne versiculorum quidem admixtionem antiquæ esse, vel certæ originis. 10. Lectionem Evangelij in hoc sacro incertæ quoque esse originis. 11. Novum esse cantari in Eucharistia symbolum, neque in Occidente ante an. D. 855. usurpatum.

POst hunc cantum Sacerdos utitur hac salutationis forma; *Dominus vobiscum* vel si sit Episcopus, *Pax vobis*. Salutari his vocibus fideles circum adstantes vetus esse, facile concedimus. Salutandi formulam Episcopalem à Presbyterali distingui novum esse, vel ipsi nos docent, cum ex Concilio Bracarensi, quod an. D. 563. habitum est, hunc canonem citant; x *Item placuit, ut non aliter Episcopi, & aliter Presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes, Dominus sit vobiscum.* Sed neque illud antiquum esse putamus, quod in Missis solitariis, quæ plurimæ apud Latinos & quotidie & passim ubique fiunt, sacerdos, cui vel unus, vel fortasse nullus adest, *ipsa illa verba, Dominus vobiscum*, non minus usurpet, quam si confertissimam populi præsentis multitudinem alloqueretur. Quod quia non sani esse hominis vel ipse non sanus Orestes juret, id

x Conc. Bracar. c. 21

Bellar-

Bellarminus, ut purget, recteque ac sapienter fieri demonstret, nos ad Petrum Damiani dimittit *y* singulari libro probantem ista tametsi ad plures directa, debere tamen dici etiam ab iis, qui soli recitant horas Canonicas. Nos vero supra *z* in disputatione de Missa solitaria, Petri istius non tam rationes, quam somnia satis confutavimus, & hoc unum ab eo effici ostendimus, ne plane penitusque Eremitæ & solitarij Missificantes sine ratione insanire viderentur. Vtcumque sit, id novum neque diu ante Petri tempora (id est ante undecimum seculum) exortum esse illum plures salutandi, etiam ubi vel unus, vel nemo adest, morem, vel ipse Petri de hac quæstione apud Latinos primus, ni fallor, liber docet. Neque enim fieri potuisset, ut res tam insigniter absurda non aliquos ante illa tempora moveret, si jam olim apud veteres in usu fuisset.

CAP. VIII.

y Bell. L. 2. de Miss. c. 16. §. scribit de hac

z Supr. L. 4. c. 13.

Hinc de Collectis disserit *a* Bellarminus; eo nomine per intellectionis figuram quasdam preces *collectas* vocari, quod in *collecta*, id est in Missa, sive Synaxi dicerentur; quæ neque nos repudiamus. *Collectam* enim, plane ut *Missam*, dictam esse olim ipsam *Synaxin* non dubitamus; quo tempore apud Latinos illius formæ nomina, id est participij passivi fœmininum genus, usurpari cœperunt pro substantivis verbalibus, *missa* pro *missio*, *collecta* pro *collectio*, *remissa* pro *remissio*, *ascensa* (quod est apud Gregorium *b*) pro *ascensio*. Vetus esse, imo ab initio, ne religiosi apud Christianos conventus ulli absque precibus fierent, confitemur. Has ipsas, quas nunc Latini habent, *collectas* habuisse vetustissimos Christianos easque eodem, quo dicunt ipsi loco & ordine, illos quoque dixisse; non probat allatum è Valafrido testimonium; imo plane, aliud probat. Dicit enim Valafridus *Collectas diversos auctores, ut cumque* (leg. *cuique*) *videbatur congruum confecisse*; ac tandem *Gelasium Papam* (circa an. D. 494.) *tam à se, quam ab aliis compositas preces & ordinasse dici; & Galliarum Ecclesias suis orationibus usas esse, quæ* (inquit.) *& adhuc à multis habentur. Et quia* (inquit) *tam incertis auctoribus multa videbantur incerta, & sensus integritatem non habentia, curavit B. Gregorius rationabilia quæque coadunare, & seclusis his, quæ vel nimia, vel inconcinna videbantur, composuit librum, qui dicitur Sacramentorum, sicut ex titulo eius manifestissime declaratur; in quo si aliqua inveniuntur ad hunc sensum claudicantia, non ab illo inserta, sed ab aliis minus diligentibus postea credenda sunt superaddita.* Hæc illa est scilicet à Valafrido asserta Latinarum Collectarum antiquitas; cujus origo à Gregorio est circa septimi seculi initia. Sed ne Valafridi quidem ætate purus erat & sincerus Gregorianus Sacramentorum liber; in quo scilicet quædam *claudicantia* reperiri posse confitetur, quæ vult certo credi ab aliis superaddita; Ego vero etiam ab ipso Gregorio quædam hujusmodi in illo libro primum scripta fuisse, non puto incredibile, cum Gregorius, æque ac Gelasius, homo ipse quoque fuerit. Vnde, ut hoc

a Id. ibid §. Post salutatione.

b Greg L. Sacram. in fest. Asc.

c Valafr. de reb. Eccl. c. 2. p. 68. T. 10. Bibl. Patr.

Cap. VIII. obiter dicam, patet, quam caute credendum ſit atque confidendum ipſi illi Gregoriano Sacramentorum libro, quem hodie, ut præcipuum jactant ſuarum Miſſarum, ſi non auctorem, certe ordinatorem. Qui enim Valafrido jam ante annos 800. de mendoſis nonnullis & *claudicantibus ſuperadditis* ſuſpectus erat; quis eum poſt tam longa annorum & ſeculorum curricula ſincerum atque integrum præſtabit?

Collectam *lectio ex Propheta vel Apoſtolo excipit.* Nemo dubitat Propheticas & Apoſtolicas Lectiones ſemper in Chriſtianorum Eccleſiis ſonuiſſe; quod docent Iuſtinus, Tertullianus, & Dionyſius hic *d* à Bellarmino citati. An vero, quæ Propheticarum & Apoſtolicarum litterarum particulæ nunc in Latinorum Miſſis leguntur, apud antiquiſſimos eodem quoque loco, ordine, modo ac ritu legerentur; id vero nemo iſtorum definit. Valafridus quidem *certum eſſe* negat, *e quis Lectiones Apoſtolicas vel Evangelicas ante celebrationem ſacrificij primum conſtituerit*; ſeque docet ſolis conjecturis ac ratiocinationibus niti in hujus moris inveſtiganda origine. Illud certe conſtat, quod ille ibidem ex libro Pontificali, & ex Damaſi ad Hieronymum epiſtola adſtruit, non alias primum Lectiones hic adhibitas, quam ex Apoſtolo, & Evangelio; *Poſtea autem* (inquit) *omnibus latius augmentatis, aliæ lectiones, non tantum de novo, verum etiam de veteri (pro ut feſtorum ratio poſcebat) intermixtæ ſunt teſtamento.* Quin & *ſua memoria & Lectiones, & Collectas, & diverſas laudum ſpecies, jam pæne abundantibus omnibus fuiſſe ſuperadditas.* Neque vero putandum eſt ſecutis poſt Valafridum temporibus deſiiſſe illam humani ingenij, nova ſemper appetentis, pruriginem. Facile erit vltima cum prioribus comparanti multa deprehendere poſt nonum ipſum ſeculum in hac religioſi cultus parte apud Latinos novata fuiſſe.

d Bellar. ubi ſupr. §. Poſt Collectam.

e Valafr. ub. ſupt. p. 682. A.

Lectione finita (inquit *f* Bellarminus) *leguntur aliquot verſiculi, qui ut plurimum ex ſcripturis ſumuntur. Sunt autem eorum quatuor genera. Alij dicuntur* Reſponſorium *ſeu* Graduale; *Alij* Alleluia; *alij* Tractus; *Alij* ſequentia, ſeu Proſa; quorum nominum, qui vim & rationem noſſe cupit, hunc ipſum Bellarminum, & Officij Romani expoſitores adeat. Mihi ad præſens inſtitutum ſatis eſt obſervare, quod ipſe hic adverſarius diſerte confitetur, iſtorum verſiculorum inter utramque lectionem inferendorum univerſalem conſuetudinem non eſſe apud Latinos valde antiquam, adeoque eſſe novam. Agnoſcit Bellarminus, quod erat à Valafrido *g* & Bernone *h* jampridem obſervatum, Reſponſoria & Alleluia, *quæ ante Evangelium cantantur, prohibita fuiſſe canonibus Hiſpanorum.* Canonem autem ſignificant Synodi Toletanæ quartæ undecimum; *i In quibuſdam quoque* (inquit) *Hiſpanorum Eccleſiis laudes poſt Apoſtolum decantantur priuſquam Evangelium prædicetur, dum Canones præcipiant poſt Apoſtolum, non laudes, ſed Evangelium annuntiari. Præſumtio eſt enim, ut anteponantur ea, quæ ſequi debeant. Nam laudes Evangelium ſequuntur propter gloriam Chriſti, quæ per idem Evangelium prædicatur.*

f Bellar. ub. ſupr. c. 16. §. Lectione fin.

g Valafr. c. 22. p. 682. C.

h Bern. c. 1. ibid. p. 698. C

i Conc. Tol. 4. c. 11. T. 4. Concil. pag. 386.

catur. Circa omnes igitur Sacerdotes hic ordo deinceps retineatur, excommunicationis pœnam suscepturis, qui hunc ordinem perturbaverint. *Ex quo* (inquit Valafridus) *intelligitur id aliquos tentasse tunc temporis, sed propter novitatem rei, studium eorum nondum fuisse à quibusdam receptum.* Bene. Atque hinc porro discimus rem hanc in Ecclesia Occidentali adhuc novam fuisse an. Dom. 633. quo illa apud Hispanos Synodus habita est. Sed hinc quoque perspicimus hallucinari Honorium, qui *Graduale &* Alleluia tradit k *Ambrosium* quidem *composuisse: Gregorium* vero *ad Missam cantari instituisse.* Neque enim probabile est rem à tantis auctoribus profectam & institutam tam duriter excepturos fuisse Patres Hispanos, proque præsumptione habituros, & qui eam secuti essent excommunicationi subjecturos.

CAP. VIII.

k Honor. Gemm. L.1. c. 88. T. 10. Bibl. Patr.

His peractis lectio fit Evangelica. Quæ autem nunc Evangelij particulæ hoc loco apud Latinos leguntur, an plane eædem olim lectæ fuerint, & quo tempore legi cœperint, ego incertum esse puto; neque id à Bellarmino allata veterum scriptorum loca definiunt; tantum indicant aliquid apud Majores in Synaxi ex Evangelio lectum fuisse; quid, quando, & quo Synaxeos loco lectum fuerit, non expediunt.

Post Lectionem, cantatur Symbolum Synodi Constantinopolitanæ, Universalis secundæ, quæ an. Dom. 381. habita est. Symbolum primo baptismi proprium fuit; quod à baptizando, si adultus est, fidei Confessio necessario requiratur. Idem in Eucharistia adhiberi novum est, & à Græcis primo, ut quidem Valafridus narrat, inventum, à quibus ad Romanos eodem teste prius transivit; serius ad Gallos, & Germanos, post dejectionem Fœlicis Vrgelisani hæretici an. Dom. 794. sub Carolo Magno damnati; quo tempore *idem symbolum* (inquit l Valafridus) *latius & crebrius in Missarum cœpit Officiis celebrari.* Neque hic tacenda videtur Latinorum in hoc symbolo novitas, potissima ingentis illius schismatis causa, quod Christianos Orientales ab Occidentalibus in hunc usque diem dividit, nimirum adjecta Spiritus Sancti in illo symbolo Theologiæ, particula *Filioque*. Id autem post Leonis demum P. R. IV. mortem factum est, id est post an. Dom. 855.

l Valafr. ubi supr. c. 22. p. 682. E.

CAPUT

CAPUT IX.

De Offertorio. Id totum esse novum. Quinque orationes, quæ in eo habentur, nondum dictas fuisse ineunte seculo decimo tertio. Apostolo repugnare, quod hic plebs respondet Amen iis, quæ ne audivit quidem; nedum ut intellexerit. Antiquum quidem esse, sed à præsenti Latinorum fide alienum, quod hic monentur sursum habere cor. Novum esse, neque ante an. Dom. 577. receptum, quod hic dicitur, Gratias agamus Domino Deo nostro. *Canticum* Sanctus, Sanctus, Sanctus *&c. Ejus apud veteres nullam ante an. Dom. 529. mentionem occurrere videri.*

SUccedit Offertorium, ita dictum, *quod inter offerendum canitur*, inquit m Valafridus. Morem enim jam ab antiquissimis temporibus fuisse, ut fideles panis & vini munera ad sacram synaxin viritim pro sua voluntate ac facultate offerrent; eumque morem diu pæne ad ultima secula mansisse & satis constat, & nos supra n demonstravimus. Cæterum Valafridus; *Vere* (inquit) o *credimus priscis temporibus Patres sanctos silentio obtulisse vel communicavisse; quod etiam hactenus in sabbato sancto Paschæ observamus.* Unde intelligimus totam hanc Missæ Latinæ partem, quæ *Offertorium* dicitur, adeo non Apostolicam vel antiquam esse, ut plane nova sit, & præter *priscum Patrum Sanctorum* morem à posterioribus casto simplicique majorum officio plura de suo subinde affluentibus adjectam; *Quis* autem *specialiter eam Ecclesiasticis officiis addiderit, aperte* (inquit idem scriptor) *non legimus* &c. *Sed sicut supra diximus, diversis modis & partibus per tempora decus processit Ecclesiæ, & usque in finem augeri non desinet. Traditur denique B. Gregorium, sicut ordinationem Missarum & consecrationum, ita etiam cantilenæ disciplinam maxima ex parte in eam, quæ hactenus quasi decentissima observatur, dispositionem produxisse.* Hæc ille vere quidem observavit: id tamen minus caute judicavit, quod per ista novella posterorum inventa, atque additamenta *Ecclesiæ decus procedere* putavit; quod verius istis deteri, imminui, ac fuscari dixisset. Sed in eo profecto nequaquam vanus fuit, quod negat illud Ecclesiastici cultus, ut ipse existimabat, *decus* eo loco ac gradu, in quo jam tum consistebat, mansurum; prædicens *usque in finem augeri non desiturum.* Ita sane accidit, ex insatiabili humani ingenij superstitione, ac vanitate; cui ubi semel fibula laxata est, nullus inde fit figmentorum, adinventionum, devotionũ, & cærimoniarũ, vel finis, vel modus. Nam diu post Valafridi tempora in hanc Missæ partem inductæ sunt quinque illæ, quæ nunc in ea dicuntur, orationes. I *Suscipe Sancte Pater* &c. II. *Offerimus tibi Domine.* III. *Veni sanctificator* &c. IV. In

m Valafr. ub. supr. pag. 683. A.

n Supr. l. 3. c. 2.

o Valafr. ubi supr.

p Id. ibid. p. 683. B.

IV. *In Spiritu humilitatis*, &c. V. *Suscipe Sancta Trinitas*, &c. quas ipse Bellarminus, tantus licet Latinæ antiquitatis assertor, scribit neque admodum antiquas esse, neque in Romana Ecclesia ante annos 500. lectas fuisse idque hoc Micrologi testimonio, quod capite vndecimo habetur, probat; (*composita oblatione in altari, dicit sacerdos hanc orationem juxta Gallicanum ordinem*; Veni sanctificator, &c. *Deinde ante altare inclinatus, dicat hanc orationem non ex aliquo ordine, sed ex Ecclesiastica consuetudine*. Suscipe Sancta Trinitas. *Romanus tamen Ordo nullam orationem instituit post offerendam ante Secretam.* Hæc Micrologi liber, vndecimo sæculo præcipiti post Gregorij VII. obitum scriptus. Sed insuper observat Bellarminus ne ipsum quidem Innocentiū P.R. III. (qui circa sæculi decimi tertij primordia scripsit) meminisse illarum orationum, sed transire ab Offertorio ad Secretas. Denique quod post illas orationes sive collectas, quibus oblatio Deo commendatur, secreto à sacerdote recitatas, vltima earum verba, hæc scilicet, *per omnia secula seculorum*, clara voce pronunciatur, & populus respondet r *Amen*, confirmans superiores orationes, quæ istis verbis concluduntur, id inquam totum cum deserta Apostoli disciplina pugnat: ad eoque novum est. Hic enim negat s *Amen* ad tuam benedictionem ab eo dici posse, *qui quid dixeris, nescit. Si benedixeris Spiritu* (inquit) *qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen, super tuam benedictionem, quoniam quid dicas nescit.* At Latinorum plebs, quid sacerdos in secretis dixerit, *nescit*. Quomodo enim sciret, quod neque audiuit, neque si audivisset, erat intellectura quia Latine scilicet, lingua sibi ignota, pronunciatum est? Ergo non modo cum recta ratione, & cōmuni hominum sensu, sed etiam cum Apostolica sententia pugnat, quod isti nunc, & hic & alibi sæpe instituunt, vt populus ad ea *Amen* dicat, quæ adeo non intellexit, ut ne audiverit quidem. Micrologi, cujus caput septimum Bellarminus in hanc sententiam citat, testimonium ad hoc valet vt illam novitatem ejus tempore (id est 11. sæculo præcipiti) in vsum apud Latinos jam fuisse receptum demonstret, non valet ad hoc vt putemus, novū apud Christianos nō esse, quod instituto Apostolico repugnat.

q Bell. L. 2. de Miss. c. 17. §. Offertor.

r Id. ibid. §. Offertario finito.

s 1. Cor. 14. 16.

Iam quæ in Præfatione sequuntur, *Sursum corda*; ℟. *Habemus ad Dominum*, Bellarmino t assentimur esse vetustissima, quæ scilicet Cypriani temporibus jam solennia apud nostros erant. Hæc enim sunt sanctissimi Martyris ea de re verba; *Quando stamus ad orationem* (inquit) u *vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo & sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo, Sursum corda; vt dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere.* Fatemur ea ad synaxin præfatione usos illius memoriæ fideles; Præclara sane & ad rei quidem quæ agitur, veritate ac dignitatem appositissima; Latinorum vero de sacramento dogmati parum consentaneo; in quo si veteres Christi ipsius carnem ac substantiam vere &

t Bell. vb. supr. §. Deinde incipit.

u Cyp. de Orat. Dom. p. 228.

Caput IX. realiter super altari consistere cum Latinis credidissent, non videntur piæ plebis mentem *sursum* (id est in cœlum) sed in altare humi situm fuisse evocaturi, qui scirent vbi thesaurus noster Christus est, ibi & cor esse debere. Itaque Latinis gratulamur, quod inter tam multa in majorum synaxi mutata, novata, addita interpolata, hanc saltem particulam, tametsi cum novis eorum placitis haud leviter pugnantem, venerandam ejus canitiem & communem omnium Christianorum vsum reveriti retinuerint. Vtinam reliqua Cyprianeæ synaxeos exstarent! Neque enim dubito, quin clarissimum Latinæ in hoc sacro novitatis elenchorum si illa exstaret, habituri essemus.

De cæteris, *Gratias agamus Deo nostro*, vsque ad, *Sanctus, Sanctus, &c.* quæ Latini egregiæ isti præfationi assuerunt, nullum Bellarminus Pelagio, P.R.II. auctorem adducit x vetustiorem; hunc autem constat a. D. 577. sedere Romæ cæpisse, quanquam ne ille quidem satis nos doceat ea, quæ Latini hoc loco pronuntiant, eadem suo quoque tempore fuisse pronuntiata. Non aliud dicit, quam se invenisse nouem, quas mox nominat, *præfationes in sacro catalogo tantummodo recipiendas* esse. Sed & istius decreto insuper habito, decimam de Sancta Maria, Vrbanus P. R. secundus circa a. D. 1080. illis novem adjecit, vt nos hic Bellarminus ex Gratiano monet; adeo illos novitia delectant, vt eos neque Scripturarum cœlestium plenitudo, neque majorum suorum reverentia deterreat, ab inventis suis antiquæ, vel fidei vel disciplinæ adjiciendis.

x Bell. l. 2. de Missis. c. 17. 6. § Reliqua vero.

Canticum denique *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, &c.* partim ex hymno Seraphico apud Isaiam, partim ex festa Hebræorum Christo Hierosolyma ingredienti applaudentium acclamatione contextum est. Bellarminus ex Synodo Vasensi hunc de eo Canonem indicat; y *Quod in omnibus Missis, z seu in matutinis, seu in quadragesimalibus seu in illis quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, semper Sanctus, Sanctus, Sanctus eo ordine, quo modo ad Missas publicas dicitur, dici debeat.* Habita autem est Synodus a. D. 529. vt est supra observatum. Neque majorem huic Cantico antiquitatem adstruit, quod id habeatur in Liturgiis Iacobi, Basilij, & Chrysostomi nomina præferentibus: quod eæ apertissime ita sint interpolatæ, vt quid in iis cujus sit auctoris certo liquidoque intelligi non possit.

y Bell. vb. supr. §. Finita præfatione.
z Conc. Vas. 2. 3.

CAPVT

CAPVT X.

CAPVT. X.

De Canone. Petrum non fuisse ejus auctorem demonstratur contra Bellarminum & Isidorum Hispalensem. Notatur illius vafrities in exponenda sua sententia, & æquivocatio explicatur. I. Petrus canonem non mandauit litteris, quem si condidisset, mandaturus erat; quod vtrumque probatur; atque inde obiter demonstratur supposititias esse eas Liturgias, quæ nunc Petri, Iacobi & Marci nomine circumferuntur.

HActenus quædam veluti prolusio de Missa Latina fuit. Sequitur Canon, rei fundus, in quo fit ipsum sacrum. Nos de nomine solliciti non sumus, quod hic Bellarminus à Gregorij I. epistola 63. (alias 64.) L. VII. reperit; *a* vultque eodem sensu *regulam Ecclesiasticam* à Pseud Ambrosio in 1. Pauli ad Timotheum c. 2. ab Optato L. 2. *legitimum in Sacramentorum mysterio*: *Ordinem precum* ab Isidoro Hispalensi dici L. 1. de officiis diuinis c. 15. *Actionem* à Valafrido c. 22. quod vltimum nomen à posterioribus, æque ac *Canonis* vocabulum passim nullo pæne discrimine in hoc argumento usurpatum esse annotat. Hæc quæ si non plane omnia, plæraque certe vera sunt, nos indiscussa mittimus: ac ne illa quidem & attingimus, quæ idem in Lutheranos, *impios* vocans, & aliis maledictis, acerbisque conviciis quæcumque splendida bilis suggessit insectans pro sui Canonis veritate magno animi ardore, ac pæne furore declamitat. Quod instituti nostri est, id vnum quæremus, an sit antiquus ille Latinus Canon, id est an ab Apostolis, vel ab Apostolicis viris, qui primo & secundo sæculo vixerunt, traditus & apud Ecclesiam usitatus fuerit. Ita enim putanda est rerum Christianorum *antiquitas*, ut ea merito *antiqua* & sint & censeantur, quæ ab initio fuerunt ab Apostolis tradita & à proximis & eorum discipulis observata: non autem quæ aliquot etiam *multis ante nos sæculis instituti sunt* (quod de suo Canone jactant *b* Tridentini) vel quæ ante sexti sæculi finem in usu esse cœperunt: quod velle videtur Bellarminus: Chemnitium nostrum deridens, ac veluti levitatis & ἀντιλογίας compertissimæ reum traducem, quod qui Missæ Canonem antiquam esse negaverat, idem eundem, & quidem in eodem disputationis articulo circa a. D. 590. à Gregorio I. perfectum fuisse confiteatur. Atqui si res ex vero æstimetur ipse risu multo quam Chemnitius, dignior est, qui id in Christianismo antiquũ esse fingit, quod ante a. D. 590. nondum apud Christianos constitutum atque usitatũ fuit.

Sed misso risu & ludo, rem ipsam spectemus. Ergo Bellarminus in primis de auctore: deinde de antiquitate sui Canonis disputat. De priori capite ita censet ad decernit: *d Primum quidem qui formam aliquam Sacrificij celebrandi, adjunctis nimirum ad verba Domini certis precibus ac* ritibus,

a Bell. L. 2. de Miss. c. 18

b Conc. Trid Sess. 22. c. 4.

c Bell. vb. supr. c 20. §: Superest.

d Id. ibid. §. Primus.

Cap. X. *ritibus, Romanæ Eccleſiæ dedit, S. Petrum fuiſſe.* Sed hæc ambigua ſunt & facta veri ſpecie lectorem ludunt. Illud mitto, quod pro certo ac indubitato aſſumit, quod tamen ſatis obſcurum atque incertum eſſe videtur, Petrum ſcilicet Eccleſiam Romanam condidiſſe. Nam etiamſi apud omnes conſtaret (de quo non pauci, neque omnino abs re dubitant) Petrum aliquando Romæ fuiſſe Apoſtolatum exercuiſſe; eo tamen minime efficeretur, ipſum primum vel Eccleſiam ibi fundaſſe, vel celebrandæ Cœnæ Dominicæ certum ordinem tradidiſſe. Profecto ex Pauli Apoſtoli epiſtolis maxime vero ex ea, quæ ad Romanos circa a. D 53. data eſt, multo probabilius videtur Eccleſiam Romę ab aliis miniſtris, *jam antequam* eo veniſſet Petrus, ædificatam ac conſtitutam fuiſſe. Quod ſi, ut eſſe videtur, verius re ipſa eſt, omnino fatendum erit, non Petrum, ſed illum alium quiſquis fuerit, Chriſti Miniſtrum, qui Eccleſiam Romæ condidit, primum eidem tradidiſſet rectum illum ac legitimum peragendæ Euchariſtiæ ordinem. Abſurdum enim eſt & incredibile, qui Chriſtianam Eccleſiam alicubi conſtituit, ei cætera quidem ad religionem pertinentia tradere, ſolennis vero, & ſi Latinorum quidem dogma admittitur, maxime omnium neceſſarij ſacrificij celebrandi nullum certum ordinem tradere. Sed hæc, quod dixi, mitto. Bellarmino nunc, quod nullo ſibi jure ſumit, tantiſper donemus, Petrum Romæ primum omnium Chriſti miniſtrorũ fundamenta fidei jeciſſe Eccleſiamq; credẽtiũ eam ibi conſtituiſſe, ad quã Paulus ſuam illam luculentiſſimam ac longe præclariſſimum *epiſtolam* ſcripſit: his ita donatis fatebor equidem Petrum Romę id *ipſum* feciſſe,

a 1. Cor. 11. quod ſe Paulus Corinthi præſtitiſſe ſcribit; *a tradidiſſe ſcilicet* ſuis diſcipulis, quæ à Domino Chriſto acceperat; Vllas alias præterea diverſas à Dominicis ritus, quales in Canone Gregoriano plurimi reperiuntur, Petrum Romanis tradidiſſe, negabo. Stultum enim eſt, etiam ſi quid judico, contumelioſum ſuſpicari Petrum aliud ſuis diſcipulis, quã vel Paulum, vel Iacobum, vel quemvis alium Apoſtolum, tradidiſſe. Abunde eſt, quod illi ſuis omnes ea bona fide traderent, quæ ſe Paulus, adeoq; & cæteros à Chriſto Domino accepiſſe profitetur; in quibus nemo, vt opinor, pius, ac Chriſti vere religioſus, quicquã deſideraverit. Ipſa autem illa, quæ Apoſtoli de Dominicæ Cœnę celebrandæ ordine ac ritu, & à Domino acceperant, & cõſtitutis à ſe Eccleſiis tradebant, habemus a Paulo fideliſſimo ac religioſiſſimo rerũ divinarum interprete, literis luculentiſſime cõſignata. Si ergo Bellarm. quã dicit, *ſacrificij celebrandi formam*, ſi *certas* quas adjungit, *preces ac ritus*, illa ipſa intelligit, quæ de Cœnæ Dominicæ actione ſunt à Paulo apud Corinthios commemorata (tam etſi *ſacrificij* nuſquam apud Apoſtolum nomen extet, de vocabulo non erimus moleſti) facile cõcedemus ſi hoc loquitur Bellarminus ſanctiſſimum Apoſtolum Petrum formam ſynaxeos, quam ipſe ſacrificium vocat, & *preces* (quas Paulus *benedictionem* dicit) ac denique *ritum* Romanis primum tradidiſſe.

Neque

Cap. X.

Neq hoc credo, Bellarminus negasset, quod cum de Paulo ex Scriptura constet, de Petro quoque constare censendum est. Sin aliud his verbis suis Bellarminus intellexit: Si *forma*, non eam simpliciter loquitur, quæ à Paulo tradita est, sed Latinam, vel Latinæ similem, Paulina multo auctiorem; si *preces* eas vel omnes, vel plærasque dicit, quæ in suo hodie Canone habentur; si eorum denique rituũ aliquid significat, qui apud Paulum quidem nuspiam cernuntur, in Græcorum vero & Latinorum sacris jam pridem abundant ac luxuriant; si hæc inquam, adversarij mei, si hic animus ac sensus est, ut esse videtur; negabo hæc hoc sensu dicta veri mihi videri similia; rationes & argumenta clara certaque requiram, quibus res tanta demonstretur. Ille vero nullum assertionis suæ aliud argumentum edit, quam nudum Isidori Hispalensis testimonium: qui loco à Bellarmino indicato hæc habet: *f Ordo* (inquit) *Missæ vel orationũ, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum à Sancto Petro est institutus, cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit orbis.* Ego vero testem ipsum nego idoneum esse, cui de Petri rebus aienti fides habeatur: qui scilicet annis plus quam quingentis post Apostoli martyrium vixit. Hic enim circa a. D. 64. passus est: Ille a. D. 600. Episcopus ordinatus, anno demum 636. denatus est. Ergo de Petri rebus quod affirmaret nihil ille per se habere potuit. Necesse est hæc eum, quæ dicit, ut valeant, ab alio aliquo vel Apostoli temporis, vel post Apostolos proximi, intellexisse. At qui autem, à quo hæc didicerit, neque ipse, neque qui eo nititur, Bellarminus quamquã edit. Nullum autem re vera fuisse de primo, vel secundo, vel etiam de proxime consecutis duobus sæculis, qui hæc de Petro prodiderit, ut alia nunc mittram, illud certissimo argumento est, quod Gregorius P. R. I. qui Isidoro aliquot annis vetustior eodẽ sæculo vixit, plane aliud de Canonis Missalis origine, deque Apostolicæ Eucharistiæ ratione, ut mox audiemus, tradidit. Nam si quis de prima illa Christianismi memoria locuples auctor ea de instituto à Petro Eucharistiæ affirmasset, quæ scilicet Isidorus, non est credibile vel eum Gregorio ignotum futurum fuisse quem Isidorus vidisset, vel Gregorium si quem hujus census vidisset, aliud secuturum fuisse, quam quod ipsa ab eo didicisset. Atqui Gregorius plane aliud ea de re dicit. Neminem ergo extitisse illis temporibus auctorem idoneum apparet, è quo Isidorus ista, quæ plane à Gregorij sententia aliena dicit, haurire potuerit. Totum itaque hoc quod de Missæ ordine à Petro primum instituto dicit Isidorus, id mera ejus præsumptio fuit, ex suo sibi cerebro fingentis Romanæ quem suo tempore apud se vel servari, vel etiam ad alios propagasse putabat Missæ celebrandæ ordinem, eum à Petro accepisse; quos scilicet ab illo Apostolo, ut fidem, ita & hunc ritum habuisse ex vulgata de Petro illius Ecclesiæ conditore fama, probabiliter sibi argumentari videretur. Siquid ille Bellarmini simile dixisset, posset ejus oratio commode accipi, & eodem, quo Bellarminiana oratio, modo distingui.

f Isidor. L. 1. de offic. Eccl. c. 15.

Caput X.

Nunc sensum omnem, verum inquam & rectum, respuere videtur Non enim, vt Bellarminus, in genere tantum dicit *Petrum Ecclesiæ Romanæ formam celebrandi sacrificij aliquam primum dedisse*; sed insuper certo ac proprie definit, quis sit illarum orationum numerus, quæ ratio, quis ordo, quibus Petrum Missam illam suam constituisse nimium profecto temere affirmavit. Cum enim dixisset *ordinem Missæ, vel orationem quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum fuisse à S. Petro institutum*, statim sic pergit; *Prima EARVNDEM oratio admonitionis est erga populum, vt excitentur ad exorandum Deum. Secunda invocationis ad Deum est, vt clementer suscipiat preces fidelium oblationemque earum.* Cæteras ad septem continenter exsequitur. Omnes ergo istas orationes, numero septem, eo singulas, quo censet, argumento atque ordine à Petro fuisse traditas ac collocatas sciscit. Has enim septem *easdem*, id est eas ipsas esse diserte dicti, quarum ordinem à S. Petro primum institutum fuisse præfatus erat. Id vero recta pugnat cum Gregorij P.R.I. testimonio, exerte tradentis Apostolos Eucharistiam ad solam orationem Dominicam consecrasse, & cum aliorum non paucorum eadem tradentium sententia, quorum voces nos supra recitavimus. Atque hinc quivis ni fallor, intelligit illam Isidori opinionem dubiam & incertam esse, & omni antiquiorum autoritate destitutam.

Quæ vero subjicit Bellarminus *diversos Pontifices preces diversas postea addidisse*, suo illi imaginario Canoni, quem à Petro institutum fingit, id sponte sua nunc ruit, quod nullum scilicet habet in veterum traditione fundamentum. Multa & à Latinis & à Græcis Ordini sacræ synaxeos à Christo instituto, & à Paulo Corinthiis tradito postea adjecta esse fateor; à Petro aliquid præter ea, quæ in Scripturis habeatur, de Cœnæ celebratione, institutum esse nego Nam si Petrus *aliquam* quod fingit Bellarminus *sacrificij celebrandi formam certis precibus & ritibus adjunctis ad verba Domini instituisset*, necesse habuissent eam litteris mandare. Aliter *certæ illæ preces certique ritus* brevi intercidissent: imo vix vnquam ea ex præscripta Apostoli lege plane ea qua definiverat, forma, modo, atque ordine recitari, atque observari potuissent; vt in iis omnibus vsuvenire videmus, quæ vni hominum memoriæ absque ullis litteris committuntur. Itaque latini diligenter præcipiunt, ut celebranti semper adsit Missalis liber, ex quo scilicet omnia recitet, quæ ad sacram illud pertinent, Gemma Animæ; * *Synodali decreto sub anathemate est præceptum, ut nullus Canonem dicat, nisi in libro, & in sueris vestibus, & nisi super altare.* Itaque inter Missæ suæ *defectus* id est vitia, censent, g si non adsit Missale, etiamsi Missam, qui celebrat, memoriter sciat, quam intendit dicere Petrus ergo si quam celebrandæ certo ritu, certisque ritibus Eucharistiæ formam tradidisset, eam haud dubie scripto erat consignaturus; Nihil autem à Petro hujusmodi scriptum fuisse, ac ne primis quidem sæculis tale quicquam fictum esse, inde clare certoque intelligimus, quod vetustissimi Patres, diligentissimi scriptorum Apostolicorum indagatores, ubi

* Honor. Gemm. An. c.103
g Miss Tit. Defect. c.10. p 1.

ubi de litterariis Petri monumentis agitur, quæcumq; eo nomine habebantur, sive vera certaque, sive dubia vel etiam apocrypha, accuratissime enumerant, & à se invicem discriminant, vera in Scripturarum canonem referentes, aliena abdicantes & sugillantes nullam plane faciunt formæ illius Missalis à Bellarmino ex Isidoro somniatæ mentionem; quam siqua vere extitisset, non prætermissuri, sed in canonem relaturi erant. Neque enim minoris sed ut liquet, majoris etiam meriti atque usus futura illa forma, quam duæ postremæ Ioannis epistolæ, quas in divinarum Scripturarum ordine ab illis censitas constat Eusebius, qui in conquirendis & commemorandis Patrum se vetustiorum de Apostolicis Scripturis judiciis, eam se diligentiam adhibiturum pollicetur, quam & præstitisse ex ejus Historia videmus, quæ Petri nomen præferrent scripta memorans, duas in primis epistolas recenset quæ in sacro novi testamenti codice habentur. tum Actus Evangelium, Prædicationem & Revelationem nominat; simulque hæc postrema tanquam ficta ac suppolititia expungit. Missalis Ordinis, sive Liturgiæ nullus vel in verorum, vel in fictorum Petri librorum censu meminit. Ergo nihil adhuc hujus tituli & argumenti Eusebij temporibus apud Christianos fuit; Nihil adeo Petrus hac de re præter ea, quæ in Evangeliis & in Paulina ad Corinthios epistola habentur, Ecclesiæ tradidit; quod si tradidisset scilicet scripto, ut ostendi, non ore tantum fuerat traditurus.

CAPUT X.

h Eus. Hist. L 3. c. 1. *i* id. etiam ibid. c. 25.

Idem quoque de illis Liturgiis judicandum est, quæ Iacobi & Marci nominibus circumferuntur, quæ si vllæ vnquam vere à sacris illis auctoribus essent traditæ, inter eorum scripta à vetustissimis scriptoribus haud dubie agnitæ ac memoratæ essent. Non fuisse autem ab iis cognitas ex Eusebio clarum est, qui Iacobi quidem epistolam, quam habemus, Catholicum à vetustioribus memoratam, & Marci Evangelium ab iisdem luculentissime commendatum scribit; de hujus vero, vel illius Liturgia nullum verbum facit. Sed & tres illas, Petri scilicet & Iacobi, ac Marci Liturgias fictas à posteris, neque à divinis illis viris vel scripto vel mera voce traditas fuisse, illud non obscure arguit, quod Tertullianus ea recensens, quæ suo sæculo in sacramenti vtriusque administratione præter scripturam tradita observabantur. in baptismo quidem *amplius aliquid respondere* memorat, *k quam Dominus in Evangelio determinavit*; de Eucharistia vero quicquam in ejus celebratione vel fieri, vel dici præter ea, quæ vel Evangelium, vel Pauli epistola docuit, nullus memorat: quod vel imprimis eo loco dicendum erat, si vel Petri, vel Iacobi, vel Marci traditio aliquam præter ista ritibus ac precibus constantem formam adjecisset. Ille vero hoc, quod erat ad rem quam ibi tractat palmarium tacet: quod multo levius erat, id quod supra jam diximus * duntaxat observat, *Eucharistiam* scilicet & *tempore victus*, *& omnibus mandatam à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium*, ab illius ævi fidelibus *sumi*. Qui Tertullianum norit, non dubitabit illa, quæ tacet ignota ei fuisse: quæ siqua jam tum vere extitissent,

i Ibid. L. 2. c. 23. & ibid c. 15.

k Tertull. de Cor c. 3. p. 121. D.

* Supr. c. 1.

Cap. X. tissent, neque nesciturus, neque si scivisset, indicta tam opportuno loco prætermissurus fuit. Denique huc accedit, quod certæ istius Synaxeos formæ sive à Petro, sive à Iacobo, aut Marco constitutæ nulla in anterioribus quarto sæculis, ac ne quarto quidem jam adulto mentio vspiam fiat: cum tamen multa apud illius memoriæ scriptores occurrant loca, in quibus non pauca ex iis, si tum extitissent vtilia & oportuna afferri poterant. Verbi gratia, vbi Epiphanius Aërium preces pro mortuis ex Ecclesiæ vsu ejicientem oppugnat; *l* quid afferre poterat ad eas constituendas validius, quam Petri & Iacobi, clarissimorum Apostolorum auctoritatem? Attulisset ergo, si eam in promptu habuisset; & paratam sane habuisset, si vel Missalem illũ ordinem à Petro, vt ex Isidoro *m* vult Bellarminus institutum vidisset, in quo quæ tertia numeratur oratio, ea pro *defunctis fidelibus* fuisse dicitur; vel Iacobi Liturgiam legisset, in qua disertissimæ ac luculentissimæ reperiuntur pro mortuis preces. Orat *n* enim istic sacerdos, *vt sua oblatio sit in requiem animarum quæ antea obdormierant*, εἰς ἀνάπαυσιν τῶν προκεκοιμημένων ψυχῶν. Item; *Memento* (inquit) *Domine Deus spirituum & universæ carnis, quorum memoriam egimus, & quorum non egimus, Orthodoxorum ac recte de fide sentientium ab Abel justo vsque ad hodiernum diem. Fac eos requiescere in regione viventium, &c.* μνήσθητι Κύριε ὁ Θεὸς τῶν πνευμάτων καὶ πάσης σαρκὸς, ὧν ἐμνήσθημεν καὶ ὧν οὐκ ἐμνήσθημεν, ὀρθοδόξων ἀπὸ Ἄβελ τοῦ δικαίου μέχρι τῆς σήμερον ἡμέρας· αὐτὸς ἐκεῖ αὐτοὺς ἀνάπαυσον ἐν χώρᾳ ζώντων κ. τ. ε. Hæc quibus nihil dici potest ad constituendas Ecclesiæ pro mortuis preces clarius, Aërio in hac caussa non objecisset Epiphanius, si ea Petri & Iacobi τῶν κορυφαίων Apostolici chori vel manu scripta, vel ore tradita, & summa auctoritate instituta scivisset, legisset, habuisset: Nemo, vt opinor, tam incredibilem de Epiphanio dixerit. At ille tamen hic, ut alibi solet, magno animi ardore de hoc argumento disputans, neque Petri, neque Iacobi, neque institutæ ab iis Liturgiæ meminit. Aërio acceptam *à Patribus traditionem* objecta παράδοσιν παρὰ πατέρων; *maternam* (id est Ecclesiasticam) *sanctionem*, & *patris legem* à Salomone in Proverbiis commendatam affert, & sine scripto traditam à Christo & Spiritu doctrinam; quæ dictu quidem facilia, probatu vero difficillima erant. Quanto promptius & ad rem profligandum validius erat voces è Liturgiis afferre, siquæ extarent, quas communis totius Ecclesiæ consensus pro vere Apostolicis haberet: Nullas Epiphanius attulit. Ergo pro certo statuendum est nullas tum adhuc fuisse vel Petri vel Iacobi Liturgias quas vel ipse vel vniversa Ecclesia, vel ab hoc vel ab illo auctore scriptas, institutasque censeret.

l Epiph. Hær. 76. 6. 7. 8. p. 911.

m Isidor. de Eccl. Offic. L. 1. c. 15.

n Lit. Iac. T. 2. Bibl. Patr. Gr. Lat. p. 11. D.

o ibid. p. 17. A.

CAPVT

CAPVT XI.

Non fuisse Canonem Missalem à Petro institutum, probatur II. duobus Gregorij Rom. testimoniis; vno, quo ait Apostolos ad Eucharistiæ consecrationem non aliam orationem, quam Dominicam adhibuisse; Altero, quo precem tradit, quæ super oblationem suo ævo dicebatur, non à Petro, sed à Scholastico compositam fuisse. Refellitur Bellarmini ad prius argumentum cavillatio. Ejusdem precem pro mortuis Eucharisticæ Liturgiæ ab Apostolis adjectam esse ex Chrysostomi testimonio concludentis, paralogismus coarguitur. Patres ea nonnunquam Apostolis perperam tribuere, quæ vel iis ab auctoribus suppositis tribui legebant, vel vbique passim observari videbant, vel ipsi ex Scriptura colligi posse, tametsi falso putabant, vel denique à majoribus in singulis Provinciis tradita cernebant; idque probatur adductis Epiphanij, Augustini, Leonis, & Hieronymi exemplis.

HIs consentanea est Gregorij P. R. I. de Missæ canone traditio, qui septem illas ab Isidoro memoratas Canonis orationes à Petro institutas eo apertissime negat; quod, vt diximus, scribit *morem Apostolorum fuisse, vt ad ipsam solummodo trado orationē Dominicam oblationis hostiam consecrarent.* Huc accedit, quod eodem loco nos docet precem, quæ super oblationem dicitur (quamque à Petro potissimum ac præ cæteris omnibus institutam esse decuit, si qua vere ab eo instituta erat) non à Petro, sed à *Scholastico* quodam compositam fuisse. Sic enim illic Gregorius, post verba quæ recitavimus, pergit: *Et valde mihi inconveniens visum est, vt precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super ejus corpus & sanguinem non diceremus.* Hinc evidenter & necessario sequitur, falsum esse, quod nobis Bellarminus obtrudebat, Petrum ad traditum à Christo & à Paulo commemoratum Eucharistiæ celebrandæ ordinem *adjunxisse certas preces certosque ritus*; falsum item esse, quod Isidorus temere prodidit, illum quem dicit septem orationum in Missa ordinem à Petro fuisse institutum. Gregorius hæc vtriusque somnia refellit, qui non Petro seorsum, sed *Apostolis* conjunctim primum hunc celebrandæ Dominicæ Cœnæ morem tribuit, eosque non *septem*, vt Isidorus, non *certis*, vt Bellarminus, *orationibus* in eo sacro vsos esse dicit, sed *ad Dominicam solummodo orationem hostiam oblationis consecrasse*; ac denique eam orationem, quæ super oblationem suo tempore in Ecclesia Romana dicebatur, non à Petro, quod isti vt opinor, maximè ac præcipuè cupiebant, sed à *Scho-*

Greg. L. 7. ep. 63. Gal. 64.)

Cap. XI. *lastico* compositam fuisse tradit. Bellarminus hac objectione turbatus, vehementer æstuat, multaque fundit parum inter se consentanea, & vix quicquam invenit, in quo pedem figat. Ad priorem partem primo dicit, *q non deesse, qui negent Apostolos vnquam ad solam Dominicam orationem Eucharistiæ mysterium celebrasse*; quasi diceret, non deesse, qui respondeant, mentitum esse Gregorium; certè rem falsam scripsisse; qui scilicet quod isti negant, id ipse liquido diserteque affirmet. Quod vero ex istorum, vt opinor, sententia addit *r* Bellarminus *videri Gregorium hac accepisse ex Hieronymo in libro contra Pelagianos*, quo loco *Apostolos* quidem scribit *Dominico præcepto ad celebrationem Eucharistiæ adhibuisse orationem Dominicam*, illud vero, quod ait Gregorius, non dicit *solum eos orationem Dominicam adhibuisse*; id inquam, totum merum est somnium, & quidem stultum atque absurdum. Ista enim non cohærent, vt hæc Gregorius, quæ dicit, ex Hieronymo acceperit, & tamen aliud scribat, quam quod apud Hieronymum legitur, omninoque necesse est, ac Gregorium, qui ita respondent, vel valde tardum crassumque fuisse fingant, qui ea se apud Hieronymum legere putaverit, quæ apud eum nulla sunt, vel certè Sophistam & versipellem, qui lectoribus suis falsa pro veris; dubia pro certis propinet. Denique omnis istorum, quiqui sint, hariolatio vna ipsorum libidine, vno Missalis antiquitatis studio nititur. Nihil enim Gregorius de Hieronymo, quem si eorum, quæ dicit, auctorem habuisset, nominasset profecto, vt paulo ante de re alia in hac eadem epistola nominaverat. Sed Bellarminus protrahendi tantum temporis gratia, hanc istorum, quos non nominat, solutionem adduxisse videtur; quam ipse scilicet improbabilem judicasse eo arguitur, quod mox ait, *s non facile repudiandum esse, quod S. Gregorius scripsit; neque eum verisimile tantum virum non animadvertisse, quid Hieronymus ante scripsisset.* Rectè quidem ille, ac vt ea veneratione dignum erat, quam Gregorio Latini summam deferunt. Sed si hæc recta sunt (vt sunt sane) cur Bellarminus tempus terit in iis adversus Gregorianum testimonium adducendis, quæ prava ipse & sophistica esse judicat? Cur ea quæ ipse refellit, rotunde non repudiat? Cur tametsi confutata confessaque, in ambiguo dimittit, velut incertus, an non fortasse vera sint? Ita enim ille loquitur; vt dubium apud Lectorem maneat, stare ne illa, an cadere, admitti an rejici debeant, quæ ipse ex innominatis illis auctoribus retulit; cum aliam nihilo verecundiorem solutionem adducturus sic præfatur; *Sed quicquid de hoc sit, respondeo, quod non semel supra docuimus, Apostolos initio solam orationem Dominicam ad verba consecrationis in mysterio Eucharistiæ addere solitos; tamen postea eosdem Apostolos multa alia adjunxisse.* Nos vero hoc loco, non quid Bellarminus doceat, quærimus (de quo nemo ambigit) sed quid scripserit Gregorius. Apud hunc autem lego, *Mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem* (Dominicam) *oblationis hostiam consecrarent*; Illud, quod docet Bellarminus, *hunc Apostolorum*

q Bell L. 1. de Miss. c. 19. §. Secundo objicit.

r Ibid. §. Hoc argument.

s Ib. ibid. § Sed quicquid.

lorum initio tantum morem fuisse; multo vero etiam minus, quod idem CAP. XI.
ille vult, *Postea Apostolos multa alia adjunxisse*; hæc inquam, Bellarminiana, nusquam apud Gregorium vel hic vel alibi lego. Itaque debuit adversarius, siquid nobis præter ea, quæ in objecto Gregorij loco habentur, persuadere vellet, id ex ipso Gregorio probatum ac demonstratum dare. Quod enim orationem pro defunctis ab Apostolis in sacræ Synaxeos celebratione *adjunctam fuisse*, sumens inde argumentatur Gregorium non putasse Apostolos semper retinuisse primum illum suum morem orationis Dominicæ solummodo in Eucharistiæ administratione adhibendæ; eo inquam, vehementer peccat, quod sic ratiocinando rem obscuram per aliam obscuriorem, & apud nos improbabiliorem probare instituat; quod est in disputando longe vitiosissimum. Vnde enim habet Gregorium sensisse Apostolos sacræ Synaxeos ordini preces pro mortuis adjecisse; Tam, Cur rem Apostoli, si Latinis credimus, tam in Ecclesia necessariam, non ab ipso statim initio discipulis suis tradiderunt? An legitimam, vtilem, necessariam nondum sciebant? Nemo dixerit post acceptum Pentecostes die mirabile illud Spiritus S. donum, quicquam eo latuisse, quod nos doceri vel vtile, vel etiam necesse esset. An hoc mortuis solatium ac subsidium inviderunt? Impium est hoc de viris divinis vel suspicari. Quod ergo fatetur Bellarminus istas pro mortuis preces non fuisse ab Apostolis in Eucharistiæ celebratione initio vsurpatas; id ipsum (inquam) arguit ne postea quidem vel alias ab iis hoc loco vsurpatas fuisse; quæ scilicet in hoc sacro siquando adhibendæ erant, jam ab ipso statim initio adhibendæ erant; quibus Ecclesia, si istos audis, ne puncto quidem temporis carere possit. Sed illi videntur de sanctissimis Apostolis nihil, quam de suis Papis majus aut divinius sentire. Qui enim hos vident titubare interdum, neque omnia statim prospicere, sed primo fere rudia plæraque edere; mox die docente adjectis quæ deesse sentiunt, paulatim perficere; Apostolos eadem quoque ratione in tradendo Christianismo versatos esse putant, multa inordinata; quædam mutila, non pauca vel imperfecta, vel impolita tam in fide, quam in moribus ac disciplina initio tradidisse; postea ipsis rerum experimentis edoctos instituta sua expolivisse, & quibus morte præpediti vltimam manum imponere non potuerunt, ea Papis Romanis, Petri sui Monarchæ, successoribus ac vicariis in æterna vrbe æternis, in alta illa pace, qua eos olim diutissime fruituros prævidebant, absolvenda, & omnibus suis partibus ac numeris perficienda reliquisse. Sed illi dum sic instituunt, longe à vero aberrant. Alia enim est Apostolorum, alia cæterorum, qui iis in docendo suffecti sunt, ratio. Illi Spiritus Sancti luce ac magisterio præeunte omnia gerebant, quæ ad Christianismum constituendum pertinebant; Hi ratione humana, quæ vtilia sint, indagant; vt hos tempore & experimentis ad sua perficienda agere nihil mirum sit, illis nihil istis subsidiis opus fuisse certum sit; quibus scilicet ea, quæ constituenda erant, non mens humana, sed

CAP. XI. Dei spiritus, omnis sapientiæ fons revelabat. Itaque Paulus quæ docebat ea affirmare non dubitat, *t* eo valere, *vt exhibeat omnem hominem perfectum in Christo Iesu.* Hanc autem perfectionem ipsis statim, & ab ipso initio, quo Spiritu Sancto adveniente consummati sunt, donatam fuisse cœlitus, omnes pij confitentur, vt absurdum sit eos putare in ordine synaxeos primum constituendo, aliquid quod esset vel necessarium, vel salutare prætermisisse. Neque quicquam contra hæc valet, quod affert Bellarminus, Chrysostomum scilicet scribere *u Apostolos non frustra edixisse, vt in venerandis ac tremendis mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt.* Primo enim de Gregorio quæritur; non de Chrysostomo. Gregorium adversarius demonstrare debuerat vel hic vel alibi docentem preces ab Apostolis in Sacra Synaxi pro mortuis factas; vt quæ ejus verba objecimus, Apostolos ad solam precem Dominicam sacra dona consecrasse, cum hac exceptione esse intelligenda probaret, initio quidem ita instituisse, postea vero etiam alias etiam orationes, ac illam nominatim, quæ fit pro defunctis, adjunxisse. Gregorius vero absolute affirmat *morem Apostolorum fuisse, vt ad ipsam solummodo orationem* (Dominicam) *oblationis hostiam consecrarent.* Non dicit *initio* vel *primo* ita consecrasse; Simpliciter dicit hunc fuisse *Apostolorum morem.* Ac ille quidem merito sic sensit. Neque verum est, quod quis putet Apostolos hoc edixisse, vt preces pro mortuis illi suo Eucharistiæ celebrandæ ordini adjungerentur. Vnde enim hoc probari potest? Nullum in omnibus novi fœderis libris, certissimo Apostolicarum institutionem instrumento, hujus additionis vestigium apparet, nullum in Ecclesiasticis secundi, tertiive etiam sæculi monumentis, Apostolicæ hujus legis, quæ fingitur, documentum. Quid ergo, inquis. Est-ne mentitus Chrysostomus, qui id, quod tu negas, affirmat? Ego quidem mentitum, absit ut dicam virum optimum ac candidissimum, quod non aliorum est, quam improborum; Deceptum aliqua veri specie errasse, & imprudentem aliquid à vero alienum scripsisse, quod etiam bonis, etiam Sanctis sæpe accidit, haud equidem verear dicere, Epiphanio idem, sed in alia re, peccatum excidit; *x Quæ* (inquit) *synaxes peraguntur quarta sextaque feria ac Dominica ab Apostolis institutæ sunt: quarta item & sexta feria jejunium ad horam usque nonam* De Dominica quod dicit, verum est: Quod de feriarum quartæ & sextæ Synaxi ac jejunio, id ne suo quidem interpreti Iesuitæ Petavio persuasit: *y Quod Epiphanius* (inquit) *admonet triplicem illam synaxin dierum totidum ab Apostolis esse traditam, haud scio, an satis certo constare queat. Nam primis Ecclesiæ temporibus, vnus duntaxat Dominicus dies ad eam rem obseruatus videtur.* Atque id postquam ex 1. Cor. 16. & ex Iustini Apologia probavit: *Quare magis id* (inquit) *ex privato Ecclesiæ cuiusque ritu, quam ex communi Apostolorum Præscripto derivatum existimo, vt quarta, sextave feria, aut etiam sabbato Synaxes, conventusque fierent* [illegible]

Hæc

t Col. 1. 28.

u Chrys. Hom. 3. in Phil. 2. p. 32. E.

x Epiph. Expos. fid. §. 22. p. 1104.

y Pet. ad loc. Epiph. Not. p. 355.

Hæc ille. Epiphanio Pseudo-Clemens Constitutionum auctor imposuisse videtur, apud quem Apostoli finguntur z præcipere quartæ sextæque feriæ jejunium, & sabbati atque Dominicæ solennem observationem. Fieri potest, ut Chrysostomo idem quoque liber fraudi fuerit, & Apostolos orationem pro defunctis in Synaxeos celebratione fieri jussisse persuaserit, qui scilicet in eo opere, *a* ubi Eucharistiæ sacrum faciunt, preces pro defunctis non semel fundunt. Quanquam & aliæ esse potuerint causæ, cur in eum errorem de Apostolica precum pro mortuis institutione inciderit. Fatendum enim est Patres Apostolis sua & majorum suorum instituta mira facilitate imputasse. Siquid enim in communi Ecclesiæ totius usu esset, quod à nullo tamen Concilio fuisset institutum, id Augustinus *rectissime credi* decernit, *b non alia quam Apostolica auctoritate traditum* fuisse. Si hanc regulam in dijudicanda rituum Ecclesiasticorum antiquitate sequutus est Chrysostomus; non est mirandum, quod preces pro mortuis institutas ab Apostolis esse putaverit; quarum usum apud omnes passim Christianos & suis temporibus & superioribus jam inde à Tertulliani ævo invaluisse videbat. Quam sit autem fallax Augustiniana illa regula, ne cætera commemorem, duo certe ritus, de quibus à nobis supra disputatum est, apertissime ostendunt. Demonstravimus *c* enim apud omnes Græcas Latinasque Ecclesias hunc morem obtinuisse jam à tertio seculo, ut parvulis statim à baptismo Eucharistia administraretur, ac ut sacræ particulæ volentibus adultis fidelibus secum offerendæ, domi quamdiu liberet, vel asservandæ vel sumendæ traderentur. Itaque cum neuter ritus ab vllo Concilio institutus reperiretur, qui Chrysostomi & Augustini ævo Christiani vivebant, iis ex illa regula rectissime credere licebat utrumque usum non alia, quam Apostolica auctoritate fuisse institutum; quod tamen ne ipsi quidem Latini falsum esse negaverint, qui utrumque usum jamdudum ab aliquot seculis abrogarunt. Sed & sibi hac in parte veteres eo usque indulsisse cernimus, ut siquid quod apud suos solenne esset, ipsi Apostolicis Scripturis congruere, quantumvis levibus, fallacibusque non tam argumentis, quam argumentorum vmbris adducti judicarent, id statim confidentissime pro instituto Apostolico haberent. Qualiter Leonem P. R. I. supra *d* vidimus morem Romæ & alibi passim receptum, ut baptismus citra singulares causarum occurrentium necessitates, non aliis quam Paschæ & Pentecostes diebus celebraretur pro *Apostolica institutione* censere, *e* & aliis præter hos diebus baptizantes Siculos graviter objurgare, veluti *ab Apostolicæ consuetudinis auctoritate discrepantes*, *& irrationabilem novitatem vsurpantes.* Quo argumento rem ab Apostolici Christianismi ingenio abhorrentem, quem Apostoli à certorum dierum, definitorumque temporum observatione liberum esse jusserunt, vir magnus Apostolis auctoribus adscribere ausus est? Audi. *Hoc autem nos (inquit) f non ex nostra persuasione, sed ex Apostolica auctoritate defendere satis idoneo probamus exemplo, se-*

CAP. XI.

z Const. Apost l. 7. c. 22. [Lat. 24.]

a Ibid. l. 8. c. 13 [Lat. 19.]

b Aug l. 4. de bapt. c. 24.

c Supr. l. 5. c. 3. & seqq. & l. 6. c. 17.

d Supr. l. 1. c. 2. 3.

e Leo ep. 4. c. 1. init. c. 4. init. c. 6. extr.

f Ibid. c. 4. init. p. 291. B.

Cap.XII. *quentes B. Apostolum Petrum, qui in eo die, quo omnem credentium numerum promissus Spiritus Sancti replevit adventus, trium millium populum sua prædicatione conversum lavacro baptismatis consecravit.* Hæc ille, qui quod Petrus istos die Pentecostes baptizavit, *idoneum exemplum* censuit, quo credamus ab Apostolis institutum fuisse, ne aliis quam Paschatis, & Pentecostes diebus baptismus in Ecclesia celebraretur: Quasi vero Petrum istos illo die ideo baptizasse obscurum sit, quod illo die credidissent, non autem quod illo die Pentecoste ageretur: vel quasi non pateat ex Actuum historia Apostolos & cæteros Christi ministros baptismum hominibus pro sua fide, nullo dierum discrimine, quo singuli tempore credebant, eo absque mora concessisse. Denique ne in re satis perspicua longior sim, tanta erat Patrum in hac parte facilitas, ut quibusvis concedat Hieronymus pro Apostolicis institutis habere quæcumque non modo in universa Ecclesia, sed vel in una Provincia ex tradito à majoribus more observari animadverterent; *Unaquæque* (inquit) *provincia abundet in suo sensu, & præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.* Cum ergo hæc Patrum fuerit in rebus suo ævo receptis ad Apostolicam originem revocandis facilitas; apparet, quam leve sit Bellarminianæ objectionis momentum preces pro mortuis Eucharisticæ Liturgiæ ab Apostolis insertas fuisse ex uno Chrysostomi testimonio præter Scripturæ & rerum ipsarum rationem, & apertissimam *Gregorij Papæ Romani sententiam constituentis.*

g Hier. ep. 28. ad Luc. in. T.1.fol. 69.L.

CAPUT XII.

Alterum Gregorij de Canonis novitate testimonium vindicatur à duplici Bellarmini sophistica solutione. Scholasticus *quid sit Gregorio, & aliis scriptoribus sacris & profanis. Gregorianam de Canonis novitate sententiam sequutos esse Valafridum, & Bernonem. Refellitur miserum Bellarmini sophisma ex Ordinis Romani libellis, quos nunc habemus, argumentantis suum Missæ canonem ante an. Dom.* 800. *extitisse; cum ipsi illi libelli seculo demum undecimo prodierint; id est quinque tantum aut circiter seculis antequam Bellarminus sua hæc scriberet.*

NUnc ad alteram Gregoriani testimonij partem veniamus, quæ affirmat *à Scholastico compositam esse precem, quæ super oblationem dicebatur.* Hic vero vehementer æstuat ac sudat *h* Bellarminus. Negat primo constare *Scholasticum* hic esse nomen viri alicujus proprium: neque ego repugno. Probabilius esse judicat *Scholasticum* hic significare *virum insignem eruditione & eloquentia.* Fieri posse, ut qui *Scholasticus* dicitur, idem sit vir *insignis*, ut sit *eloquentissimus*, ut sit etiam *vir clarissimus*

h Bell.l.2.de Miss. c.19.§. Quod autem.

mus, ut ille Matthæus, quem hic ex Gregorio profert Bellarminus: equidem non negaverim. Ista vero omnia vel horum aliqua ipsam nominis *Scholastici* vim proprie ac per se continere ac significare, neque puto, neque exemplis ab adversario allatis probari video. *Scholasticus* est à *Schola*. Inde primum, auctore Tacito, *i* sic dicti, qui in scholis ad comparandam eloquentiam se exercentes fictas lites declamitabant: quales fere sunt eæ, quarum fragmenta in Senecæ patris Suasoriis ac Controversiis habentur. Itaque *advocati* dicti sunt *Scholastici* in Codice Theodosiano: k *Non latet Scholasticos ultra modum acceptis honorariis in defensione causarum annonas & sumptus accipere consuesse.* Quod vero hi homines id fere studebant, ut purius ac castigatius loquerentur, quam vulgus solet, eo factum videtur, ut *Scholastici* nomen latius ad eum significandum usurparetur, quicumque non plebeio ac vulgari, sed puro & ad grammaticæ artis regulas composito sermone loqueretur. Cum enim lingua Latina pro rerum humanarum ingenio, multis modis contaminata atque corrupta esset, qui purius & ad priscæ Latinitatis leges vel loqui, vel scribere cupiebant, eos necesse erat Grammaticis operam in scholis dare, & ex veterum linguæ auctorum libris discere, quod domi ut olim, ex nutricum & vernarum colloquio haurire, jampridem vitiato sermone publico, non licebat. Hinc qui linguam apud Grammaticos arte, præceptis, lectione & usu excoluerunt, *Scholastici* dicebantur; plebeiis oppositi, nihil nisi maternum ac vernaculum, sonantibus. Hoc *l* sensu Prosperum Gennadius *sermone Scholasticum* dicit, sermonis arte compositi cultum ac munditiem significans, non quod ait Bellarminus, *eloquentia præstantiam.* Neque fortasse aliud voluit *m* Hieronymus, cum Serapionem scribit *ob elegantiam ingenii cognomen Scholastici meruisse*; quanquam Casaubonus *n* putet, non eam eruditionem, quam mores politos ea voce designari; ut etiam apud Iulium *o* Capitolinum, ubi ille Maximini Imperatoris filium, *Scholasticum ad Græcas munditias eruditum fuisse* tradit. Cæterum verum est, quod & Casaubonus observat, id nomen sæpius ad doctrinæ laudem pertinere; quo spectant, quæ ex Iuliano *p*, Salviano, Sulpitio Severo, & Augustino adducit. Hujus, quia vocabulum interpretatur & explanat, verba describam: *Cum scholastici* (inquit) *proprie & primitus dicantur ii, qui adhuc in Schola sunt, omnes tamen, qui in literis vivunt, nomen hoc usurpant.* Ipse Augustinus, certe *q* quisquis est Sermonis de Tempore apud Augustinum LXXVIII. auctor, *Si* (inquit) *r expositionem sanctarum scripturarum eo ordine & illo eloquio, quo à sanctis Patribus sunt exposita, caritatis vestræ auribus voluerimus insinuare, nonnisi ad paucos scholasticos cibus doctrinæ poterit pervenire reliqua vero populi multitudo jejuna remanebit. Scholasticos*, ut quivis videt, simpliciter dicit homines eruditos, arte in scholis excultos, non quod Bellarminus volebat, *viros eruditione & eloquentia insignes.* Itaque eorum aures statim ipse *eruditas* vocat. Mox; *Imperiti* (inquit) *& simplices ad scholasticorum altitudinem non possunt adscendere; Eruditi se agnentur ad illorum*

i Tacit. Dial. de causs. corr. eloq.

k C. Theod. l. 8. Tit. 10. leg. 2.

l Genn. Catal. 1. in Prosp.

m Hier. Catal. in Serap.

n Cas. in Capitol. p. 188.

o Capit. in Maxim. pag. 149.

p Iul. ep. ad Max. Salvia. Procem. in l. 1. de provid. Sev. Dial. 1.

q Aug. in Dial.

r Aug. serm. 8. de Temp. T. 10. p. 269. C.

Cap. XII. *illorum ignorantiam inclinare; quia quod simplicibus dictum fuerit, scholastici intelligere possunt; quod autem eruditis fuerit prædicatum; simplices omnino capere non valebunt. Eruditos & scholasticos* omnino habet pro iisdem, pro iis, quos nunc *litteratos dicimus.* Hoc sensu Gregorius precis, quæ super oblationem dicebatur, auctorem *scholasticum* fuisse dicit; id est virum eruditum & litteratum; non de plebe aliquem litterarum expertem. Nihil ad rem faciunt, quæ Bellarminus hic de Alexandrinæ Ecclesiæ eximiis illis Catechetis miscet Pantæno, Clemente, Origene; qui nunquam quod sciam, à veteribus *Scholastici* vocantur. Fateor inter officia Ecclesiastica censitos quosdam fuisse, qui à munere *Scholastici* dicebantur. Sed nescio an Gregorij temporibus aliqui jam fuerint hujus ordinis Magistri; Serius institutos suspicor. Et, si jam tum fuerunt aliqui, nihil tamen Bellarminum juvant, qui Gregorianum *Scholasticum* longe aliter interpretatur. Vult enim eo nomine intelligi posse ipsum S. Petrum, & ceteros sanctos Pontifices, à quibus concedit totum Missæ Canonem fuisse compositum. Ego vero miror tam absurdum, sensum in mensem Bellarmino venire potuisse; quem & verba & res apertissime respuunt. Verba, inquam. Quis enim unquam fando audivit *Scholasticum* à quoquam dictum, ut Petrus significetur? Quis ejus in urbe successores Episcopos hoc nomine designari? Præter usum Ecclesiasticorum scriptorum perpetuum, repugnat ipsa nomenclaturæ ratio. Non enim significat *virum eruditione & eloquentia præstantem* (quanquam ne sic quidem ad tales viros significandos deceret *Scholastici* nomen simpliciter, quod hic facit Gregorius, nullo alio adjecto elogio ponere) sed eruditum, & qui emendate, sine solœcismis barbarismis, & aliis sermonis vitiis possit & scribere & loqui. Quid enim Apostolo & Clementi & aliis primis Romæ Episcopis cum hujusmodi eruditionis laude, negotij fuit, quam, ut ex eorum veris scriptis patet, neque concupiverunt unquam, neque ambiverunt, sed plane penitusque ita contempserunt, ut

s 2.Cor.11 6. & 1.Cor.2.4. de iis vere dici possit, quod de se scripsit s Paulus, *imperiti erant sermone, sed non scientia; eorumque sermo & prædicatio, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis fuit.* Absit, ut tam frigido tamque inepto elogio Christi Apostolum inscite dehonestarit Gregorius. Sed & res ipsa quam tractat, huic sensui repugnat. Apparet enim auctorem istius precis *Scholasticum* hic contemptim, non autem honoris causa dici. Inde enim abesse orationem à Christo compositam, ubi dicitur oratio ab homine scholastico elucubrata indignissimum est, & quod ait Gregorius, *valde inconveniens.* Precem autem ab Apostolo, & quidem (quod vult Bellarminus) Apostolici Collegij Principe ac Rege compositam, etiam in eo sacro dici, in quo non dicitur oratio Dominica, nequaquam indignum est, neque ad ullam Christi injuriam pertinet, qui tam arcte cum Apostolis conjunctus est, ut ipse ibi esse censendus sit, ubicumque illi sunt, Fallitur enim Bellarminus dum causæ studio abreptus orationes, siquas Petrus & Apostoli Ecclesiæ ad solennem

nem Dei cultum recitandas tradidissent, eas humanas humanique operis futuras fuisse dictitat, quæ profecto θεόπνευσοι, Dei & Christi adeo opus futuræ erant; non aliter, quam editæ à divinis illis viris epistolæ, non ab homine compositæ, sed à Domino ipso dictatæ & sunt & ab omnibus Christianis censentur. Vnde liquet, si oratio de qua quæritur, vere Petri fuisset, perperam ac pæne ridicule institutum esse à Gregorio eam, quam ipsi Bellarminus tribuit, comparationem; *ac si* (inquit) *diceret, si oratio ab homine composita super oblationem recitatur; quanto magis recitari debet oratio composita ab ipso Deo?* Tu vero inquam, falleris ô bone. Nam si, quod tu vis, oratio illa ab Apostolo re vera est, illa tam Dei ipsius opus erit, quam Dominica: utraque ab eodem manarit Spiritu, ut illam, quam hanc dici nequaquam sit indignius. Atqui Gregorio non simpliciter *inconveniens*, sed *valde inconveniens* visum est illam dici, hanc non dici. Ergo illam, non ab Apostolo, quod tu frustra contendis, sed ab homine (ut sic dicam) Gregorio fuisse compositam significat, erudito quidem illo & ad scribendum idoneo; cæterum nullo singulari & extraordinario Spiritus Sancti munere prædito.

Sed Bellarminus aliam quoque solutionem affert; qua Gregorium primo statuit *hic loqui, non de canone Missæ, aut certe non de toto Canone, sed de alia aliqua prece extraordinaria, quales sunt tres illæ, quæ dicuntur ante* communionem *post Agnus Dei*. Ego vero respondeo mentem Gregorij plane aliam esse. Ille enim omnino videtur per precem illam quæ super oblationem dicebatur, ipsum canonem intelligere. Primo enim, ut initio dixerat, se orationem Dominicam *mox post canonem dici statuisse*; ita hic eandem rem significans ait *se Dominicam orationem mox post precem dicere*. Ergo per *precem illam*, cum ipsum Canonem, de quo antea locutus erat, intelligit, adeoque rem eandem & *canonem* & precem dicit. Atqui canon non potest de iis orationibus intelligi, quæ post *Agnus Dei* ante communionem dicuntur. Ergo neque harum orationem vllam intelligit, sed eam, qua Canon ipse constabat. Secundo id ipsum quoque aliunde perspicitur. Nam cum dixisset Apostolos ad orationem solummodo Dominicam oblationis hostiam consecrare solitos, continenter addit, *Et valde mihi inconveniens visum est, ut precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super eius corpus & sanguinem non diceremus.* Hic rerum & verborum nexus clare significat primo morem hunc fuisse in Ecclesia ex ipsorum Apostolorum praxi servatum, ut ad orationem Dominicam dona consecrarentur; deinde vero aliter à posteris institutum fuisse, ut pro oratione Dominica ab Apostolis eo loco vsurpata, ad illam à Scholastico compositam precem consecratio fieret. Gegorio autem inconveniens visum esse, ut oratio Domini, ad quam olim, & quidem solam consecratio facta erat ab Apostolis, nunc ne diceretur quidem super Sacramentum in tota Eucharistiæ

Cap. XII. celebratione. Ex his apparet illam Scholastici precem Gregorianis temporibus eum in Liturgia locum habuisse quem antea sub Apostolis Dominica oratio habuerat; ac ut olim Apostoli ad hanc dona consecraverant; ita ad illam Gregorij temporibus consecrasse Romanos. Vnde patet eam in ipsa Canone recitatam fuisse, non post *Agnus Dei*, quod absurdissime ac præter omnem Gregoriani loci rationem finxit Bellarminus. Ac ut oratio Dominica in Apostolica synaxi præcipua canonis pars, imo pæne totus canon erat: ita & precem Scholastici apparet in Missa Romana fuisse potissimam Canonis partem: ad quam, ut olim ad Dominicam, oblationis hostia consecraretur. Iam vero his ita constitutis, clare elucescit, quid ipse Gregorius instituerit, ut ei incommodo mederetur, quo se motum fuisse testatur. Ille nimirum ipsam quidem à Scholastico compositam precem loco, quem occupabat in Canone præcipuum, movere non est ausus: tum quod ea ad rem, quæ ibi agitur opportuna & apposita videretur: tum ne illa tanta invocatio si fieret, scandalum plebi objiceret. Itaque eam eodem loco immotam & immutatam consistere passus est. Orationem vero Dominicam in Synaxin revocatam, tametsi non eo, quo erat ab Apostolis posita loco, proximo tamen, id est statim post Canonem, vel ut ipse quoque dicit, mox post precem collocavit. Sed hæc tametsi neque injusta, neque gravis innovatio, quorumdam tamen reprehensionem effugere non potuit, qui præter alia quædam satis minuta, hoc quoque non obscuro murmure in Gregorio denotabant, quod *orationem Dominicā mox post canonem dici statuisset*; ut ipse narrat in hac epistola, & huic cæteris istorum querelis breviter satisfaciens. Hæc vera est ni fallor, ac perspicua hujus Gregoriani loci analysis: ex qua patet futilem esse & à Gregorij mente alienum quem ei Bellarminus affingit sensum. Quæ vero vel contra nostram interpretationem, vel pro sua *παρερμηνείᾳ* attulit, vana sunt omnia. Nobis quidem inprimis objicit *orationes, quæ sunt in Canone inveniri magna ex parte, apud Ambrosium, & proinde non posse fieri, ut compositæ fuerint tempore Gregorij, qui ducentis annis Ambrosio posterior fuit.* Sed ille dum sic agit, gratis adeoque temere rem ignotam & incertam pro vera nobis obtrudit: nimirum Scholasticum illum Gregorij qui ejus meminit, temporibus vixisse. Quæso enim unde habet Bellarminus illam Scholastici orationem Gregorij ævo, fuisse editam? Gregorius, qui ejus auctorem Scholasticum fuisse nos unus docuit, de Scholastici illius ævo nihil dixit. Itaque ex Gregorio quidem constat eam precem, quæcumque tandem illa sit, Scholastici hominis opus fuisse: De tempore, quo Scholasticus eam vel scripserit, vel ediderit, Gregorio proculdubio constabat: Nobis quos ille ea de re nihil docuit, non constat. Sed altero & quidem graviori etiam vitio, laborat Bellarmini objectio. Ex iis quippe rebus ducitur, quæ dubiæ sunt atque incertæ. Sumit enim hanc orationem quæ Scholastici dicitur, Ambrosiano tempore, imo etiam diu antea fuisse in canone. Atqui de hoc non constat. Id quidem se Bellarminus paulo post demonstraturum

tum pollicetur: Sed ubi ad rem ventum est, fulcrum dat nobis pro luce. CAP. XII.
Capite enim sequenti, quo loco *orationes, quæ sunt in Canone, inveniri magna ex parte apud Ambrosium* demonstrare aggreditur, nullum ad eam rem argumentum aliud affert, *t* præter quædam testimonia, ex opere *de Sacramentis petita*; quod inter Ambrosiana opera circumfertur. At illud opus Ambrosij esse non liquet: imo Ambrosij non esse, liquet, & auctoris esse Ambrosio longe posterioris pæne liquet: ut quæ de Ambrosij ævo ac rebus inde ducuntur argumenta, incerta esse ac futilia necesse sit, ut paulo post ad eam Bellarmini disputationem Deo dante ostendimus. Itaque tota hæc Bellarmini argumentatio, cum Parmenidis & Melissi demonstrationibus censenda est, quas philosophus urbanissime dicit *u* & falsum sumere, neque id tamen quod quæritur, concludere. Altera Bellarmini objectio inde ducta est, *quod Gregorius accusatus, quod orationem Dominicam post canonem recitari iussisset, respondeat id se fecisse, quia indignum existimabat orationem à Scholastico compositam super oblationem dici, & ipsam Christi orationem super corpus eius non dici.* Fateor omnia; quæro; quid inde conficiatur? Bellarminus ait *Gregorium his verbis indicare se non agere de Canone; sed de orationibus quæ dicebantur post canonem.* Ego vero confiteor Gregorium, non modo his verbis *indicare*, sed etiam disertissime testari se statuisse atque etiamnum statuere, ut oratio Dominica post Canonem dicatur (quod nemo negat) Iisdem eum verbis *indicare* illam de qua loquitur Scholastici orationem non in canone, sed post canonem dictam fuisse antea, aut posthæc dicendam esse, nego. Neque sane quod sit hujus rei in illis verbis indicium, intelligo. Debuit Bellarminus id ostendere, ac digito demonstrare, si nobis rem persuadere voluit. Sed alia sunt quædam his postremis, quæ Bellarminus recitat, præfixa, quæ taceri non decebat, nimirum ista; *Orationem autem Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent.* Iam ex his verbis primo apparet orationem Dominicam olim ab Apostolis in canone fuisse recitatam; quippe ad quam solam oblationis hostia consecraretur. Ergo postea inde ejecta erat, & in ejus locum alia aliqua oratio substituta, quæ rei ipsi, quæ geritur, magis videbatur consentanea. Nam si nulla esset substituta, nihil Gregorium vetabat eam in locum, quem olim habuerat, si is tum erat vacuus, reponere. Non fecit; Sed alio post canonem amandavit. Ergo inquam, primum ac proprium illum Canonis locum, quem sola oratio Dominica impleverat, Gregorianis temporibus alia oratio occupabat, postquam inde oratio ipsa Dominica ejecta erat Gregorius ita fuisse diserte nos docet, cum in novissimo loco Dominicam orationem ait à se *mox post precem dici*, id est, ut rem eandem ante dixerat, *post canonem.* Omnino ergo aliqua fuit in canone oratio à Dominica prece diversa. Gregorius non hanc, sed Dominicam post Canonem dici jubet. Quæro igitur quænam illa tandem

t Bell. L. 2. de Miss. c. 20. §. Ac primum apud Ambr.

u Arist. Phys. Acr. L. 1. c. 3.

Cap. XII. oratio fuerit, quæ in canone esset, quaque peracta mox recitaretur oratio Dominica? Profecto nullus æquus arbiter, qui rem, qui verba Gregorij attentius consideraverit, negabit eam ipsam esse, quam Gregorius statim dicit ab homine Scholastico compositam fuisse. Id autem valide eo confirmatur, quod precem illam Gregorius ait *super oblationem dici*, quod nihil aliud est, quam quod de oratione Dominica dixerat, ad eam Apostolos oblationis hostiam consecrasse. At orationem Dominicam, quo loco eam ipse recitabat, id est post canonem, ait dici non jam *super oblationem*, sed *super Christi corpus & sanguinem*, id est super sacramentum canonica prece jam confectum. Ergo oblata, quo loco ac momento oratio Dominica recitabatur, jam confecta erat; cum oratio Scholastici dicebatur, nondum erat confecta, sed consecrabatur. Ideo hanc *super oblationem*; illam *super corpus & sanguinem Domini* dictam fuisse scribit Gregorius. Ex his patet vana esse, quæ gratis fingit Bellarminus, Gregorium quidem instituisse, *ut oratio Dominica diceretur mox post canonem; oratio autem Scholastici sequeretur.* Prius verum est & diserte ab auctore affirmatum; posterius nusquam apud Gregorium legitur, vel indicatur; ut scilicet Scholastici oratio, non ante sed post dictam Dominicam precem recitaretur. Imo ille plane aliud scribit; *Orationem* (inquit) *Dominicam mox post precem dicimus.* Post quam precem? Post illam ipsam scilicet, quam à Scholastico compositam super oblationem ad eam consecrandam in Canone dicebant. Frustra ergo Bellarminus hanc precem, sive orationem in quarta parte Missæ post Canonem, ante communionem, & post decantatum *Agnus Dei*, quærit. Ea in ipso Canone fuit. Nulla istic est, ubi eam adversarius se inventurum, sed falso speravit. Nam quæ post *Agnus Dei* dicantur, eæ (quod ipse ex Micrologo x observat) *non ex ordine, sed ex religiosorum traditione recitantur.* Hanc vero *ex ordine* recitatam fuisse eo satis significat Gregorius, quod eam non in communione, sed *super oblationem* dici à Sacerdotibus scribit. Inauditum vero est tres illas orationes, quæ nunc post *Agnus Dei* recitantur, super oblationem dici, quæ tota jam peracta est; clarum confectumque apud omnes est eas super communionem, non autem super oblationem dici; & ipsæ orationes id ipsum loquuntur, præfracteque negant se ad oblationem vllo modo pertinere, ut facile intelliget, qui eas vel semel legerit. Cum ergo Gregoriana Scholastici oratio *super oblationē* dicta fuerit, hujus ordinis, quē vult Bellarminus, nulla esse potuit. Huc denique accedit, quod illa à Micrologo memorata oratio, cujus hoc est initium, *Domine Iesu Christe, qui voluntate Patris* &c. & duæ aliæ quas ad idem genus Bellarminus prudenter revocavit, nimirū illa, *Domine, Iesu-Christe, qui dixisti Apostolis* &c. & tertia, *Perceptio corporis tui Domine Iesu Christe, quod ego indignus sumere præsumo, nō mihi proveniat* &c. tres inquā, illæ orationes jacent, neque quicquā habent supra plebeium ingenium, & sermonem: Preces vero, quæ in Canone continentur, plane supra vulgum surgunt, & nescio quid spirant *Scholastico*, id est, ut diximus, erudito spiritu.

x Microl. c.18. T.10. Bibl. Patr. p.742. B.

Spiritu dignum; quod facile agnoscet, quisquis orationes Canonis paulo attentius legerit, vel si unam illorum expenderit, quæ prima istic occurrit, gravis sane auctoris haud dubie non rudis, sed litteris exculti, cujus hoc principium est; *Te igitur clementissime Pater, per Iesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum supplices rogamus, ac petimus, uti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia.* &c. His adducor, ut minime dubitem, quin Gregorius *à Scholastico compositam precem* dicens, vel omnes orationes, intelligat, quæ in Canone etiam hodie habentur, quæque eum pæne totum conficiunt; vel certe ex illis aliquas, exceptis modo iis, quas scriptores suis proprie seorsum auctoribus, veluti proprias, tribuunt. Ex quibus illud postremo, concludendum est, quod nos contendimus, Canonis, id est sanctissimæ & (si Latinis quidem credimus) divinissimæ Missalis ut vocant sacrificij partis verum auctorem fuisse, non Apostolum, non Apostolicum virum, non Romæ Episcopum, sed quemdam de *Scholasticorum*, id est litteratorum grege, eruditum hominem; ut nos apertissime docet Gregorius, siquis candidum, & à Bellarminianis præstigiis liberum animum ad ejus lectionem attulerit. CAP. XII.

Neque aliter de Canonis auctore judicasse Valafridum Strabonem patet; *Ipsam* (inquit) *actionem qua conficitur sacramentum Domini corporis & sanguinis mysteriũ, quam Romani canonem quoque, ut in Pontificalibus sæpius invenitur, appellant) quis primus ordinaverit, nobis ignotum est. Auctam tamen fuisse, non semel, sed sæpius ex partibus additis intelligimus.* Cautius ille, ac prudentius, quam non modo Bellarminus, sed ipse etiam Isidorus, Petrum Canonis auctorem nescit. Gregorium quidem credo, ut erat doctissimus, non nesciebat tradere à Scholastico compositam fuisse illam precem, Sed quia neque Gregorius, neq; quisquam alius docuit, quis cujasve fuerit ille Scholasticus, vel quo tempore vixerit, merito negat vir prudens sibi notum esse, quis Canonis auctor fuerit. Eadem quoq; Berno Augiensis; z qui præfatus in exordio *nascentis Ecclesiæ non eo, quo suis temporibus, modo & ordine celebrata fuisse sacra Missarum solemnia*; recitatoque ad hujus rei fidem ipso illo Gregorij, quod descripsimus, & à Bellarmini interpretamento vindicavimus, testimonio, sic pergit; *Sed crescente statu religionis simul accrevit decus Ecclesiastici honoris.* Neminẽ Scholastico illo homine, à quo precem super oblationẽ solennem compositã fuisse tradit Gregorius, priorẽ aut vetustiorẽ Canonis auctorẽ agnoscit. Sed ei ab isto primũ auctore inchoato multa deinceps diversis tẽporibus, modo ab his, modo ab illis Episcopis addita esse, nos monet. Horũ ego virorũ auctoritatẽ Bellarmini temeritati oppono, qui præter omnẽ rationem adfirmare ausus est Petrum Apostolũ Missalis Latinorũ Canonis auctorẽ fuisse.

y Valafr. de reb. Eccl. c. 22. p. 683. D.

z Bern. de Miss. reb. c 1.

Sed cum ille videret, quã infirmũ sit suũ hoc figmentũ, quod non alio nititur, quã unius Isidori testimonio, hominis septimo ineũte seculo vivẽtis, rẽ alia via aggreditur, & alterã quandã *quæstionẽ de Canonis antiquitate instituit. Dum autẽ sic agit, facile* fatetur priorẽ *de auctore* quæstionẽ adhuc

Cap.XII. pendere, neque à se decidi ac constitui protuisse; atque ita disputationem de ea suam totam simul semelque debet. Nam si quod ille definiebat, Petrum esse Canonis primum auctorem satis constitutum esset atque confirmatum; omnes vident supervacaneam atque inutilem futuram fuisse totam hanc de Canonis antiquitate disputationem. Quis enim negaverit ejus rei in Christianismo antiquitatem, quæ à Petro Apostolo instituta sit?

Mira autem astutia hanc Bellarminus causam agit. Non enim ausus rem, quod decebat, ab origine repetere, ab infimis seculis incipit, & ab iis ad anteriora retrogradiens, cancrorum more paulatim enititur; hac fraude moliens ex novissimis quibusque præjudicia de vetustioribus struere, ut his artibus tandem evincat quod hodie fit in Missa id semper eodem fere modo factum esse. Itaque primum illud constare dicit a *Canonem Latinorum integrum, ut eum nunc in Missalibus habent, fuisse in usu Ecclesiæ suæ ante annum Domini octingentesimum.* Id autem inde probat, *quod is canon* (integer scilicet ut hodie habetur) *extet in Ordine Romano*: Ordinem vero Romanum ante an. D. 800. scriptum atq; editum fuisse probat, quod citetur ab Alcuino & Amalario, *qui* (inquit) *tempore Caroli Magni vixerunt.* Idem inde quoque conficit, quod *Alcuinus L. de Ecclesiasticis Officiis totum Canonem verbatim exponat, quodque deinceps ab omnibus aliis posterioribus idem omnino Canon exponatur, ut ab Amalario, Hugone, Ruperto, Innocentio & cæteris.* Hoc gradu facto Bellarminus in anteriora hoc modo progreditur; Porro (inquit) *Ordo Romanus non instituit Canonem, sed refert ut rem usitatam, & celebrem in Ecclesia.* Quare necesse est Canonem esse adhuc antiquiorem Ordine Romano. Sed hæ meræ scopæ sunt, quæ solo Bellarmini vel dolo vel errore compactæ ac conglutinatæ, si quod facile fiet, dissolutæ fuerint, tota simul ejus argumentatio diffluet ac corruet. Ille enim primo & hic & alias sæpe, Ordinis Romani quos qualesque nunc habemus libellos pro certo statuit jam ante an. D. 800. extitisse. Ille vero immaniter fallitur. Hi enim (quod sæpe repetere cogimur) non septimo vel octavo (quod Bellarminus sumit) seculo, sed undecimo & quidem præcipiti compositi sunt à Bertholdo, sive Bernoldo Constantiensi, ut auctor est b Honorius Augustodunensis. Sic & in libri de divinis Officiis auctore hallucinetur, quem quod vulgatus titulus præfert, vere Alcuinum fuisse putat. Sed Duchesnius & alij necessariis argumentis jampridẽ demonstrarũt id opus seculo undecimo, diu post Alcuini mortem scriptum fuisse. Ita in auras abeunt rationes, quas Bellarminus ex falso credita horum librorum antiquitate ducit. Neque nunc necesse est penitius discutere, an (quod itidem ponit Bellarminus) verum sit, Canonem scilicet Latinum integrum, ut nunc in Missalibus habetur, in libris istis reperiri. Satis est, quod etiamsi hoc adversario donavero, ne sic quidem efficiet Canonem illum suum esse nono seculo antiquiorem, quo tempore vixisse Amalarium scimus, scriptorum, qui hic à Bellarmino citantur, vetustissimum.

a Bell. L. 2. de Miss. c. 20. §. Sed his omissis.

b Honor. de Script. Eccl.

CAPUT

CAPUT XIII.

Excutitur altera Bellarmini de singularum Canonis partium antiquitate disputatio. I. ejus argumentum refellitur; ductum ex iis quæ extant, apud scriptorem de Sacramentis, qui falso creditur Ambrosius. II. Bell. objectio, inde sumpta, quod antiquissimum sit invocari Sanctos, ut nunc fit, in sacro Eucharistico. Commemorationem Martyrum non fuisse eorum invocationem. Invocare *quid sit. Ne indirecte quidem invocatos fuisse sanctos ante quartum seculum. Oratum olim Deum fuisse etiam pro Martyribus & Sanctis. Quibus gradibus Sanctorum invocatio in Liturgiam immissa fuerit. Ne memoratos quidem fuisse Sanctos videri in Liturgia trium primorum seculorum.*

IAm ad alteram Bellarminianæ disputationis partem veniamus, in qua non totum Missæ canonem, sed aliquas tantum ejus partes antiquissimas esse contendit. Quo loco hoc inprimis denoto, quod hac via non probatur integri Canonis antiquitas. Neque enim si nonnulla, quæ apud majores erant in usu; à posteris novatoribus in suo Canone retenta sunt, eo fit, ut ipse canon antiquus sit. Hoc enim sæpe usu venit, ut novatores vel suis operibus vetera multa admisceant, vel veteribus sua nova assuant; qua arte se effecturos sperant, ut sua pro antiquis accipiantur, atque ita majorem vulgo auctoritatem habeant. Infirma sunt ergo, & ad probandam Latinorum de sui Canonis antiquitate opinionem inutilia, quæ hac in parte disputat Bellarminus. Videamus tamen, quæ huc in medium attulit. *Primum* (inquit) *c* apud Ambrosium L.5. de Sacram. c.5. & 6. habetur verbis parum mutatis illa pars Canonis; *Quam oblationem tu Deus, in omnibus quæsumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris* &c. *Et illa, Qui pridie, quam pateretur, accepit panem. Et illa, Unde & memores &c. Et illa, supra quæ propitio &c. quæ sunt partes quatuor potissimæ totius* Canonis *Duæ enim proxime præcedunt, duæ proxime sequuntur consecrationem.* Hæc ille; in quibus non uno modo peccat. Primo perperam ex hoc libro demonstrare studet ista, quæ recitat, Ambrosij ævo jam fuisse apud Latinos solennia. Non enim constat hoc de Sacramentis opus esse Ambrosij; imo certum est auctoris esse multo recentioris, ut est à Coco nostro pluribus demonstratum. *d* Antonius certe Arnaldus celeberrimus Sorbona Doctor, quædam ex his libris citans, non audet *e* affirmare eos esse Ambrosij, sed dubitans & neganti propior, *si tamen* (inquit) hi vere sunt *Ambrosij*. Sed & is scriptor, qui *Officium sacramenti* contra nostrorum de Eucharistia doctrinam potissimum edidit, non obscure hoc opus Ambrosio abjudicat; scriptoris hujus stilum, sensus, & ritus notans non parum ab Ambrosiani differre. Cum ergo alius hic sit ab Ambrosio scriptor, frustra hinc Bellarminus preces

c Bell. L. 2. de Miss. c. 20. §. Ac primum.

d Rob. Coc. Cens. R. 139.

e Arn. de la freq. comm. Part. 1. c. 13.

f Off. du Sacrem. Tabl. Chron. des Aut. du .. siecl. p .

Cap.XIII. de Latinorum canone indicatas Ambrosiano seculo jam solennes fuisse argumentatur; frustra Ambrosio antiquiores esse concludit, quod eas primus non instituerit, sed veluti usitatas apud Ecclesiam memoret, frustra denique eas ante annos 1200. apud majores receptas fuisse. Hac subducta, qua nituntur, vana falsaq; de librorum antiquitate præsumptione, omnia simul semelq; ruunt 2. Præterea observandum est etiamsi quatuor illa quæ indicat Bellarminus, iis quæ in Missali Canone nunc dicūtur, satis similia sint, non esse tamē plane eadem. Nam ut cætera leviora in aliis particulis discrimina mittā, illud sane insigne est, quod in prima prece occurrit, quæ apud scriptorem hæc legitur; g *Fac nobis hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem; QVOD EST FIGVRA CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Qui pridie quam pateretur* &c. Latinæ vero orationis formula ita habet; *Quam oblationem tu Deus, in omnibus quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemq; facere digneris, ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filii tui, Domini nostri, Qui pridie quam pateretur* &c. In Ambrosiana prece veteres dicebant *oblationem esse figuram corporis & sanguinis Domini*; quod nunc in sua Latini non dicūt. Hi in sua nunc orant, *ut oblatio sibi corpus & sanguis fiat.* Domini; quod in Ambrosiana veteres non orabant. Ergo in hac ipsa prece, cujus Bellarminus, quamquā falso, putavit se demōstrasse magnam esse antiquitatē, Latini dupliciter novatores deprehēdūtur, qui ei & quod habebat, detraxisse, & quod non habebat, de suo adjecisse convincuntur. Eadem quoq; est eorum ratio, quæ Bellarminus ex eodem de Sacramentis opere subjicit: *Ambrosius*) inquit) *ibidem c. 4 aperte meminit primæ orationis Canonis, ubi oratur pro Ecclesia & pro Rege licet ipsa verba non ponat.* Nam neque Ambrosius est, sed recentior scriptor is, quem testem adducit, ut diximus, neque eadem est oratio, quæ apud ipsum est, cum ea quæ nunc in Latinorum Canone prima dicitur. Hæc ita habet, *Hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata inprimis tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica &c. una cum famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N. & Rege nostro, & omnibus orthodoxis.* De sui vero ævi oratione hæc tradit Pseudambrosius: *Oratione petitur (* inquit *) pro populo pro Regibus, pro cæteris.* Mitto quod levius est, hunc *petere*, illos *munera offerre*, pro iis, quos Deo commendatos volunt. Illud vero inter utrumq. officium discrimen insigne est, quod cum utrique *pro populo*, sive Ecclesia primum orent; veteres quidē deinceps pro Regibus, postremo pro cæteris orabant, Latini vero pro Papa Romano; sed & pro loci Episcopo prius; tum demum pro Rege suo orēt, & postremo pro omnibus Orthodoxis. Itaq; & hic dupliciter novatores deprehendūtur: primo quod pro Papa Romano, ubique locorum etiam in iis civitatibus, quarum proprie neq; Episcopus est, neq; Metropolita, nominatim orant, cujusmodi nihil apud Pseudambrosium occurrit. Secundo quod Latini non modo post Papam, sed etiā post propriū cujusq; civitatis Episcopū, in publica prece Regē nominānt, ac si esset dignitatis Papali & Episcopali inferioris: Veteres vero hic statim Regem post

g Ambr. L. 4. de Sacr. c. 5. T. 4. Ambr. p. 1248. D.

post vniversum populum Deo commendant ante cæteros omnes qui deinceps nominabantur. Optatus quem hic Bellarminus Ambrosio suo adjungit, ait h quidem *adeo legitimum in sacramentorum mysterio fuisse offerri Deo pro Ecclesia, quæ vna est, vt illud ipsi etiam in suis sacris Donatista, quantumvis ab ea segreges, vsurparent.* Quæ vero qualisque fuerit ea quæ cum oblatione fundebatur oratio, non dicit; vt inde nemo intelligere possit ea-ne ipsa fuerit, qua hodie Latini in suo canone utuntur, an ab ea diversa.

Sed & ex Augustino & aliis Patribus probat Bellarminus jam olim in Ecclesiastica synaxi fuisse duas alias orationes, quæ nunc sunt in Latinorum canone. Prior est ea, *in qua* (inquit) *nominantur & invocantur Sancti; Posterior illa, vbi oratur pro defunctis.* Illa apud Latinos ita se habet; Post nominatos è Sanctis non paucos; *Quorum* (inquiunt) *meritis precibusque rogamus, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.* Augustinus autem loco, quem Bellarminus indicat, ita scribit de beatis Martyribus; *Ideo* (inquit) *ad ipsam mensam* (Domini) *non sic eos commemoramus, quem admodum alios, in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus.* Ex his primo respondeo non haberi apud Augustinum hoc loco ipsam illam orationem in sacra Synaxi ejus ævo solennem, adeoque non posse hinc dijudicari, an hæc Latini canonis particula jam illo tempore extiterit in Ecclesia. Vnde consequitur perperam allatum esse ad Canonis antiquitatem probandam hoc Augustini testimonium. Sed (inquies) hinc illud saltem habetur in aliqua Augustinianæ Liturgiæ parte factum esse, quod in sua illa oratione fieri dicit Bellarminus. Ait autem in ea suorum oratione, de qua loquitur, cujusque nos verba recitavimus, *nominari & invocari Sanctos.* Sed tametsi ne hoc quidem satis sit, ut hæc Canonis particula jam Augustini tempore usurpata demonstretur; secundo tamen respondeo ne hoc quidem inde haberi, quod vult Bellarminus. Fateor apud Augustinum hic legi *commemoratos fuisse apud mensam Domicicam Martyras* (quod & hinc & ex aliis locis, ita patet, ut à nemine negetur) *Invocatos* esse non legitur. Imo Sanctos in sacra Cœna invocatos esse adeo neque hic neque alibi dicit Augustinus, vt id etiam diserte neget, in nobilissimo opere de Civitate Dei: vbi cum nostros dixisset *suis Martyribus, non templo sicut Diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiriritus, fabricare, neque iis ibidem, sed vni Deo & Martyrum & nostros sacrificium immolare*; ita deinceps pergit: k *ad quod* (inquit) *Sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur; non tamen à sacerdote, qui sacrificat, INVOCANTVR.* Hic Martyras, vt in objecto loco *memoratos*, ita *nominatos* dicit eodem sensu: *invocatos* non magis hic, quam ibi dicit, sed disertissime negat, ut purgari non possit Bellarminus à crassa & inverecunda in Augustinum calumnia, quem ait

i Aug. hom. 84. in Ioann. p. 185. col. 1. B.

k Id. L. 22. de civ. Dei. c. 10.

Caput XIII. *meminisse orationis, in qua apud mensam Domini Sancti nominentur & invocētur*; cum ex his luce meridiana clarius sit in ea oratione, cujus meminit Augustinus *nominatos* quidē fuisse Martyras *inuocatos* vero minime fuisse. Itaq; si in ea Latini canonis parte, de qua loquitur Bellarm. Sancti (quod idem affirmat) *nomintãur & invocãtur*, nemo non videt Missalis illius orationis non antiquitatē, sed nouitatem ex his Augustini testimoniis clarissime demonstrari. Sed quod merito mireris, Bellarminus hoc loco, de hac nō modo Augustinæ, Sed etiam Latinæ suæ Ecclesiæ oratione falso dicit in ea Sanctos *nominari & invocari*. Nam non modo in Augustiniana (vt est à nobis ex ipso Augustino demonstratū) minime invocabãtur Sancti; sed ne in ea quidem Latini canonis prece invocantur, quā & Bellarminus intelligit, & nos paulo ante exhibuimus. Res clara est. Ea enim oratio tota ad eum dirigitur, cujus sunt omnes istic cōmemorati Sancti; ut Apostoli verbi gratia, & Martyres quos ejus, quem invocant, esse Apostolos & Martyras diserte profitentur, cum præfati se B. Virginis memoriam venerari, ita pergunt, *Sed & beatorum Apostolorum ac Martyrum TVORVM Petri, Pauli Andreæ*, & cæterorum, quos satis multos commemorant, ac denique *Cosmæ & Damiani, & omnium* (inquiunt) *Sanctorum TVORVM*. Atqui illi omnes nullius hominis, quantumvis eminentis, sed Dei & Domini Christi, *Apostoli Martyres, & Sancti* sunt. Ergo is, quem precantur, Deus ipse est: non vero quisquam de Sanctorum, aut Sanctarum cœlitum numero. Ergo eadem quoque sequentium verborum ratio est, *Quorum precibus meritisque rogamus, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio per eundem Christū*, &c. Quē rogant is ipse haud dubie est, quem hactenus allocuti sunt, Deus scilicet in sæculo benedictus, cujus sunt & Apostoli & Martyres, & omnes denique, Sancti. Ergo vnus Deus hic invocatur; Nemo cœlitum præter hunc unum, invocatur. Vnde omnes intelligunt Bellarminum falso dixisse, tam in hac hodierna Latinorum suorum, quam in veteri Augustinianæ Ecclesiæ oratione invocari, cum planum sit in neutra invocari, non in priori, quod ex ipso Augustini testimonio patet, non in posteriori, vt ex ea perspecta quivis intelligit. Quid ergo (inquies) Bellarmino, viro callidissimo, in mentem venit, vt non modo de veteribus, sed etiam de suis gratis, imo cum damno mentiretur; Ego vero hæc illum, non imprudentem, sed dolo ac fraude callide ita dixisse puto, vt alia quædam Missalis officij loca, in quibus Sancti revera invocantur, hac ratione cum antiquitate saltem apud imperitos conciliaret. In hac enim orationis Missalis parte, si Sanctos *invocari* tametsi fallens, persuaderet, videbat de cæteris partibus, vbi ij revera invocantur, nullam fore dubitationem, quin eæ antiquæ, & ipsæ quoque essent. Sibi autem, viro apud suos amplissimo, affirmanti Sanctos in illa particula invocari, neminem futurum putavit, qui non facile esset crediturus. Eo omnino consilio videtur hæc duo de Augustino, & de illa sui Canonis oratione, tametsi liquido falsa affirmasse, ac pro veris hic venditasse. Scio enim supra

l in hoc ipso libro *invocationem* trifariam dividere. Primo enim ipsam sacrificij oblationem, ejus cui sacrificium offertur, dici vult *invocationem*; cujus tamen locutionis nullum profert ullius probati auctoris exemplum; Tantum negat Ecclesiam suam hoc modo Sanctos invocare in Missa. 2. invocari eos dicit, ad quos precem dirigimus, vt cum *dicimus*, (inquit) *Sancte Petre ora pro me*, & *hoc modo* (inquit) *non invocantur Sancti in Missa, nisi obiter in versiculis post lectionem, idque solum vna vel altera Missa*. Et mox negat *in Missa fidelium, quæ ab oblatione incipit, vnquam ita directe Sanctos invocari*. Tertio denique modo Sanctos vult invocari per preces ad Deum directas, *vt cum* (inquit) *à Deo petimus, ut intercedentibus Sanctis nos juvet; atque hoc modo in Missa, tum in Canone, tum extra invocantur Sancti*. Hujus tertiæ significationis, quam verbo *invocare* ipse tribuit, non magis quam primæ, vllum affert vel è Scripturis, vel è Patribus exemplum. Nos solam hujus vocabuli acceptionem quam ille secundo loco posuit, vt veram & communi cum Scripturæ, tum veterum Ecclesiæ scriptorum vsu tritam admittimus. Duas alias nempe primā & maxime tertiam repudiamus, vt ab vsu Scripturæ & veteris Ecclesiæ alienas. Quis enim vnquam invocare vel verum Deum, vel falsa Paganorum numina dixit, pro sacrificia *iis immolare*, cum quidem simplex & propria est oratio? vel quis suos parentes ab eo *invocari* vel *orari* dixerit, qui Regem orat, ut in eorum gratiam & ob eorum in Remp. merita sibi aliquid beneficij largiatur? Non licet nobis novas & inusitatas vocabulis significationes pro nostra libidine affingere. Alioqui nihil in omni sermone certum ac definitum & contra Sophistarum artes satis tutum remanebit. Debuit ergo Bellarminus duos illos verbi *invocare* sensus vel Scripturæ, vel certe antiquissimorum Ecclesiæ Patrum auctoritate & exemplis confirmare; non tanquam pueris è cathedra dictare, non alio, quam caussæ suæ studio primum enim *invocationis sensum*, siue, ut ipse loquitur *modum* non alia de caussa finxit quam ut allata à nobis Augustini verba eluderet, disertissime negantis *Sanctos à sacerdote qui sacrificat, invocari*. Ita enim paulo post cavillatur *m* per *invocationem* significari ab Augustino *ipsam sacrificij oblationem*. Hanc autem *sacrificij oblationem* ait esse *invocationem*, & quidem efficacissimam; quod nullo alio quam se auctore, confirmat. *Est* inquit, *ut supra diximus, efficacissima invocatio*. Sed præterquam quod sine exemplo, & præter communem legitimi sermonis vsum, fingitur hæc verbi *invocare* significatio, ea certe in his Augustini locum habere non potest. Primo enim; quod Sanctos *invocari* negat ad Eucharistiæ sacrificium, id eo respicit, quod in priori orationis parte dixerat, eas ibidem *nominari*; *Martyres* (inquit) *ad sacrificium nominantur, non ivocantur*. Vult nimirum quod Martyres eo loco memorantur, id non ideo fieri, ut invocentur, sive eam commemorationem non esse invocationem. Iam vero frustra, adeoque absurde moneret Augustinus Martyrum commemorationem non esse sacrificij oblationem. Cum enim *oblatio* siv immolatio

CAPVT XIII.

l Bell. L. 1. de Miss. c. 8 §. Secundo propositio.

m Id. Ibid §. Videt, & in primis

Cap.XIII. immolatio sacrificij actio sit re constans: *commemoratio* pronuntiatio sit quorundam nominum & verborum, nemo tam est fatuus, sensusque communis expers, ut hanc *sacrificij* proprie dicti immolationem esse suspicari possit. Non ergo invocatio hic est Augustino *sacrificij* (quod vult Bellarminus) *immolatio*, sive *oblatio*, sed oratio, qua Sancti invocentur. Sed hoc interpretationis monstrum etiam illa, quæ sequuntur, refellunt. *Martyres* (inquit) *à sacerdote qui sacrificat, non invocantur. Deo quippe; non ipsis sacrificat.* Hæc ultima mera erant ἀδολεσχία, si præcedentia cum Bellarmino interpretemur. Huc enim redibit totius orationis sensus: *Ad sacrificium quod uni Deo immolamus, Martyres nominantur: non tamen iis sacrificium sacerdos, qui sacro operatur, offert vel immolat. Is enim non ipsis, sed Deo sacrificat.* Bella ratio: *Non sacrificat Martyribus: quippe qui ipsis non sacrificat.* Absurdissime. Si id quod vult Bellarminus sensisset Augustinus, nihil opus erat id ipsum quod dixerat, rursum frustra repetere, id est nugari. Satis fuisset his de ipso sacrificio missis, ea quæ sequuntur addere, atque ita rem totam eloqui. *Martyres*, &c. *illic nominantur: non tamen à sacerdote, qui sacrificat, sacrificium iis offertur vel immolatur: quippe qui quamvis in memoria* (id est in monumento) *sacrificet eorum, Dei sacerdos est: non illorum* Nemo non intelligit ita loquuturum fuisse Augustinum, si cum *invocari* Martyres negat, sacrificium iis offerri vel immolari negare vellet. Ille vero non ita instituit: sed ejus, quod negarat, *à sacerdote Martyres invocari*: hanc adfert rationem quia *is Deo, non Martyribus sacrificat.* Optima ratio. Non invocantur in illo sacro: quia neque iis sacrificium offertur. Sunt enim invocatio, & sacrificij oblatio, etsi re & specie inter se distincta, ejusdem tamen cultus religiosi partes; vt qui invocatur, ei quoque sacrificium offerre fas sit, & vicissim cui sacrificium offerri fas est, eum quoque invocari par sit. Nisi hæc ita constitueris, absurda & nugatoria erit hæc omnis Augustini oratio. Ex his illud, quod diximus certum est, eam Sanctorum commemorationem quæ & olim fiebat, & nunc quoque fit apud Latinos in illa Canonis particula, *Quorum meritis precibusque rogamus*, &c nullam re vera esse Sanctorum *invocationem*: vanum adeo esse tertium illum à Bellarmino fictum *invocationis* sensum, vel vt ipse dicit *modum*. In omni sermone divino & humano ea demum *invocatio* vere & est & dicitur, cum quis quem *invocat*, eum præsens veluti præsentem atque audientem appellat vocat, rogat: quod non fit, vt patet, in illa Sanctorum commemoratione quæ est in Canone. Qui enim eos commemorat, Deum, non Sanctos compellat, Deum non Sanctos rogat: Dei non Sanctorum, *protectione & auxilio muniri se petit*; *Rogamus* (inquit) *ut in omnibus protectionis tua muniamur auxilio: Tua*, non Sanctorum tuorum. Hæc ergo Dei *invocatio est*: Sanctorum non magis invocatio, quam sacrificium ullum est. Sed hic tamen (inquis) Sacerdos

quod

quod Deum poscit divinæ protectionis auxilium, eo se rogat muniri *meritis precibusque Sanctorum.* Fateor, inquam: si modo, quod clarum est, *Sanctorum* quæ dicit *preces*, eas accipias, non quas ipse Sanctis fundit (nullas enim hoc quidem in loco fundit) sed quas Sancti ad Deum pro se fundunt. Sed neque abnuo tale quid intellectum ab Augustino, cum Martyras nominatos dicit in sacrificio Eucharistico: nominatos scilicet, ut Deus eorum pro fidelibus adhuc in terra militantibus oratione provocatus, sacerdoti, quam cum poscebat, pacem atque protectionem largiretur. Id in superiori ex opere in Ioannem loco clarius significat, quam ut negari possit. Istic enim primo negat *Martyras sic ad Domini mensam commemorari*, quemadmodum alios fideles defunctos, id est (quod ipse statim addit) *sic commemorari, vt etiam pro eis oretur*; qualiter nimirum pro aliis fidelibus in pace requiescentibus orabatur. Tum his dictis pergens *sic eos commemorari*, dicit, *vt ipsi orent pro nobis, vt eorum vestigiis adhæreamus.* Ex quibus vides sacerdotem Martyras Augustini ævo apud Domini mensam commemorasse, ut sibi ac cæteris fidelibus eam Dominus, illorum quoque apud se prece exoratus gratiam largiretur, qua tritam à Sanctissimis viris fidei ac pietatis viam constanter ipsi calcarent, & ad eandem metam fœliciter pervenirent. Vnde colligere licet illam Martyrum commemorationem, quæ Augustini ævo fiebat apud Domini mensam, vel eandem fuisse cum Missali Latinorum, quæ recitata est, vel certe ejus similem, qua Deus vel *precibus* tantum, vel etiam fortasse *& meritis Sanctorum* rogaretur, vt fideles adstantes eorum vestigiis constanter adhærerent. Hæc quidem, quæ ex illius quinti sæculi monumentis clara sunt, vera esse concedimus. Sed antequam ultra pergamus, quædam hic sunt animadvertenda. Primus est, quod quis ita Deum roget, vt oratione & exemplo Martyrum sibi donet pietatis semitam terere; nequaquam ex eo consequens esse, ut is Martyras ipsos vel invocet, vel invocare jure ac merito possit. Qui enim sic loquitur, significat quidem sibi esse persuasum Martyras in patria Deum pro nobis adhuc in terra constitutis orare ac precari, atque id se cupere, vt ii sibi & suis hoc officium impendant, adeoque Dominum poscere, vt quod cupit, id sibi largiatur. Cæterum non ideo fit, vt ipsos Martyras recta appellandos ritique ac legitime invocandos esse putet. Magnum enim inter hæc discrimen est. Nam existimare, vel certe cupere aliquem amicum longo terrarum spatio à te divisum de te cogitare, ac res tuas curare, atque agere, Deumque precari, vt labori, quem is in tuam gratiam suscipit, benedicat lætumque ac fœlicem ei exitum donet, id inquam, omnes licere confitentur. Neque tamen quisquam credo, negaverit, stulte factu- rum, siquis amicum de quo ita existimat, absentem recta compellet, alloquantur velut præsentem, eique vel res suas commendet, vel probene curatis gratias agat. Nam etiam de absentibus, quæ vera sunt, sentire; quæ

Caput XIII.

quæ justa & vtilia, cupere, & licet, & certe decet; ea ipsa absentibus vel commendare quasi præsentibus & audientibus hominis est vt videtur, amentis, & sensu communi carentis. Lancelotus Andreus, Episcopus Eliensis, refert, *n in Legenda Anglica memoria proditum esse Regem Henricum jactatum aliquando in mari gravi procella in hanc vocem erupisse, O si nunc vigilaret Carthusiensis Hugo, & pro nobis preces funderet.* Hugo autem ille vivebat in terris, & in cella sua procul à Rege in mediis fluctibus periclitante versabatur. Tunc Hugonem ideo dixeris a Rege invocatum fuisse, quod illum Rex vigilare, & pro se Deum precari optaverit? Nemo dixerit. Tu-ne vel hoc inde concluseris, Regi certe licuisse Hugonem compellare absentem & rogare, vt quæ ipse cupiebat, ageret? Tu vero hoc nemini cui quidem sanum sit sinciput, persuaseris. Atqui eadem est caussæ præsentis ratio. Veteres Augustinianæ Christiani plærique credebant Martyras in cœlo versantes nostris rebus affici, quos non nescirent cum variis malis hic in carne positos conflictari; pro nobis adeo communem Dominum deprecari. Qui hæc ita sentiebant, eos non est mirandum preces cupivisse, etiam putasse, pro se apud Deum à Martyribus fieri, Deumque rogasse, vt his sanctissimorum virorum pro se deprecantium votis concederet quod petebant, auxilium. Si hæc ipsorum Martyrum vera & legitima fuit (quod Bellarminus vult) invocatio: nihil absurdi erit fratres, si quos habeamus in terris & pios & amicos, licet absentes, & procul remotos invocare: tamque erit hæc viventium, sed absentium, *invocatio*, quam est Martyrum in cœlis degentium. Sed hæc satis sunt, ut intelligamus, quam vana sit Bellarmini cavillatio, qui à veteribus invocatos fuisse Martyras ex hoc ipso argumentatur, quod eorum in sacra olim synaxi fieret commemoratio. Maneat ergo hoc fixum & ratum, quod nos ex Augustino demonstravimus, eo sæculo (id est quinto) Martyras in celebratione Eucharistiæ *nominatos* quidem, sive *commemoratos* fuisse: non fuisse tamen invocatos. Dixi *in celebratione Eucharistiæ*, solenni ac legitima scilicet: quia fateor jam tum non paucos, ut ex illius temporis Actis & monumentis patet, vltra progredi ausos, Martyras invocasse, sed cultu voluntario, & à prava vulgi superstitione & nonnullorum de Clero exemplis orto: nulla scripturæ auctoritate, nullo veteris ad a. D. trecentesimum Ecclesiæ testimonio, nulla denique ejus, quæ ad quintum sæculum pæne adultum, successit, lege. Sed illa inuocatio toto tempore, quo vixit Augustinus, in privatis hominum studiis ac moribus stetit; neque quicquam quod meminerim, in veris & indubitatis illius ævi libris occurrit, quo eam in sanctuarium jam penetrasse, & in publica sacræ Synaxeos celebratione vsurpatam esse demonstretur.

n L. Andr. Resp. ad Apol. Bell. p. 39.

Sed ne ipsum quidem illum Augustiniani sæculi morem Martyras ad hoc in Eucharistiæ canone nominandi, ut ex eorum apud Deum gratia & precibus celebrans aliquid auxilij vel præsidij à Domino peteret; ne ipsum quidem inquam, illum morem diu ante Augustinum in hunc

publicum

publicum Ecclesiæ cultum irrepsisse verisimillimum videtur. Totis certe CAPVT XIII.
trecentis à Dominico natali annis nullum Sanctos invocandi exemplum, vel in privatis, vel in publicis Christianorum moribus reperitur apud veros illorum temporum scriptores; quod nos fuse alibi *o* demonstravimus. In synaxi vero ne sub initia quidem quarti seculi solenne fuisse *Sanctorum meritis, precibusque Deum rogare* satis constat ex Pseudo-Clementinis Constitutionibus; in quibus cum accuratissime descriptus totus Liturgiæ ordo habeatur, cum precibus quæ in eo sacro usurpari solebant; loca quidem occurrunt, in quibus Deum *per Christum, perque Christi mediationem* rogant, atque obsecrant; nullus vero toto opere locus est, in quo à Domino quicquam per Sanctorum apud eum merita ac preces petant. Diaconus statim initio Canonis; *p* *Flectamus genua quotquot sumus fideles; Rogemus Deum per Christum eius. Omnes intente Deum per Christum eius invocemus.* τὸν θεὸν διὰ χριστοῦ αὐτοῦ παρακαλέσωμεν. Iterum; *Surgamus intente orantes, nosque ipsi & alij alios q viventi per Christum eius commendemus.* Post lectionem Evangelij & orationem prolixam ad Deum Diaconus monet *q* *deprecandum esse Deum, ut munus oblatum suscipiat in cœleste suum altare in odorem suavitatis per mediationem Christi sui.* διὰ τῆς μεσιτείας τοῦ χριστοῦ αὐτοῦ. Sic ubi Episcopus pro grege suo Deum precatur; *r* *Sis* (inquit) *adjutor noster opitulator, defensor per Christum tuum.* Neque unquam aliter. Sanctos vero commemorant quidem illi; sed *eorum meritis, ac precibus*, vel *iis intercedentibus* (quod in prece ultimæ istius Græcanicæ simili dicunt Latini) sibi aliquid à Deo donari nusquam petunt. Episcopus in ea ipsa oratione, qua sacramentum conficit; *s* *Etiam* (inquit) *tibi offerimus pro omnibus, qui à seculo placuerunt tibi Sanctis, Patriarchis, Prophetis, Iustis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Episcopis, Presbyteris, Diaconis Hypodiaconibus, Lectoribus, Cantoribus, Virginibus, Laicis, atque omnibus, quorum tu cognovisti nomina.* Paulo post eadem monet *t* Diaconus; *Sanctorum Martyrum memoriam celebremus* (vel, *mentionem faciamus* μνημονεύωμεν) *ut digni & participes efficiamur certaminis ipsorum.* Quod opportune ex ritu quidem Latino utroque loco dicendum erat, *ut eorum precibus meritisque protectionis tuæ muniamur auxilio*; id inquam, neque hic Diaconus, neque illic Episcopus dixit. Denique ut paucis absolvam nulla est in toto Constitutionum opere, ad Sanctos oratio; id est vere & proprie dicta Sanctorum invocatio. Cumque plurimæ sint in eo opere ad Dominum Deum orationes, nullam reperies in qua apud eum Sanctorum merita, aut preces ad aliquid impetrandum commemorentur & allegentur; adeoque ne ulla quidem istic est Sanctorum Bellarminiana (id est indirecta, tametsi absurde ac præter rationem sic dicta) *invocatio.* Cum ergo hic auctor, quisquis de cætero fuerit, cum cæterorum Ecclesiasticorum cultuum, tum sacri maxime Eucharistici formam ac ritum, quo suo ævo peragebantur, diligentissime ac copiosissime descripserit atque expresserit: omnino confitendum quo is tempore scripsit,

o L. 3. de cult. relig. objecto.
p Const. Apost. L. 8. c. Gr. ed.
q ibid. c. 19.
r ibid.
s Ibid. c. 13. [edit. Gr.] 18. [edit. Lat.]

Caput XIII. scripsit neutram adhuc in sacræ Synaxeos canone in cæteris Ecclesiæ cultibus solennem aut usitatam fuisse Sanctorum invocationem, vel illam quæ vere invocatio dicitur, qua Sancti ipsi compellantur atque orantur, vel hanc quæ à Bellarmino perperam ac falso *invocatio* nuncupatur, qua Deus per Sanctorum merita ac *preces* rogatur, & obsecratur. Itaque cum Constitutionum opus (quod à nobis alibi *u* demonstratum est) circa initia quarti demum sæculi scriptum fuerit: omnino id, quod diximus constituendum est, ne illo quidem ineunte quarto sæculo solenne fuisse Deum *per merita* vel *preces Sanctorum* in sacra synaxi rogari, adeoque novum fuisse & ante paucos annos inventum *id ipsum*, quod Augustinus sua memoria factitatum esse testatur, ut Martyres nimirum sic *ad mensam Dominicam commemorarentur*, vt *ipsi orarent pro fidelibus*.

u In disputat. de Pseudop. Apostol.

Præterea obseruandum est aliud quoddam fuisse discrimen inter illam Sanctorum commemorationem, quæ fiebat Pseudo-Clementini scriptoris ævo, & hanc, quam tradit Augustinus suo tempore fuisse vsitatam. Hic enim sacerdotem Dei negat *x* Sanctos ad mensam Domini sic commemorare, *quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oret*. aliter fiebat tempore Διαταγῶν apud quem Episcopus disertissime profitetur *y se offerre* προσφέρειν *pro sanctis omnibus, qui à sæculo placuerunt Deo, etiam Patriarchis, Apostolis & Martyribus*. Et Diaconus; *Pro iis* (inquit) *qui in fide quieverunt, oremus*. Neque istius duntaxat tempore ita factum est. Eundem morem diutissime, etiam post Augustinum in vtraque Ecclesia servatum fuisse ex veterum Liturgiis, & aliis monumentis patet; in quibus Græcos passim videmus in liturgiis Deum orare *z* vt *orthodoxorum meminerit, qui ab Abele justo ad suam usque ætatem fuerant, eosque requiescere faciat in regno suo*; *a Vt eos, qui prædormierunt in spe resurrectionis vitæ æternæ faciat requiescere, vbi visitat lumen vultus ejus*: *b Pro omnibus iis, qui in Dei communione dormierunt, orthodoxis Patribus & fratribus, ut iis ignoscat*: *c Vt eos requiescere faciat, vbi præsidet lumen vultus ejus*. Neque de Latinis res obscurior est. Nam in Liturgia Gregorij sic orat sacerdos: *d Memento etiam Domine famulorum tuorum CVNCTORVM atque CVNCTARVM, qui nos præcesserunt* (vel *ante nos obierunt*) *in signo fidei & dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij & lucis & pacis vt indulgeas deprecamur per eundem Christum Dominum nostrum*. Quæ oratio, etiam hodie, tota, vt descripsimus, à Latinis in Canone recitatur: si hoc vnum exceperis, quod initio *famulos & cunctas famulas*. Qui & ex Hincmaro discimus, *e* suo adhuc ævo pro Leonis P.R.I. ante a. 400. mortui anima in Missa his verbis supplicatum fuisse: *Annue nobis Domine, vt animæ famuli tui Leonis, hac prosit oblatio, quam immolando totius mundi relaxari tribuisti delicta*. Quæ oratio totidem quoque verbis exstat, in libro Sacramentorum

x Aug. tract. 84. in Ioann.

y Const. L. 8. c. 13 [Lat. 19.

z Lit. Iac. T. 2. Bibl. Patr. Gr. L. p. 17. a. b.

a Ibid. p. 34. D. Lit. Marc.

b Ibid. Lit. Ba. 5. p. 53. 1. d.

c Ibid. Lit. Chrys. p. 62. C.

d Ibid. Lit. Greg. p. 129.

e Hincm. de Prædest. c. 34. p. 297.

f Gregoriano

f Gregoriano, & ab Innocentio P. R. III. in Decretalibus suis memoratur. *g* Sed quia de toto hoc argumento nos alibi *h* fusius ex professo disputavimus, nihil nunc opus est plura ad eā rem demonstrandam addere. Iam cum animadverteret Augustinus ista inter se non cohærere, ut quorū apud Deum meritis, favore & gratia nos exaudiri putamus, pro iisdem Deum nos quoque deprecemur, & *iniuriam esse* putaret (quod ipse alibi scribit) *pro Martyre orare, cuius nos debemus scilicet orationibus commendari*, hanc absurditatem, ut erat acutius, subtili interpretamento dissolvit, orationes illas pro Sanctis, præter manifestam auctorum, à quibus institutæ sunt intentionem, sic accipiens, quasi non pro iis, sed magis pro nobis apud Deum fierent; *ut orent ipsi pro nobis, ut Sanctorum, vestigiis adhæreamus.* Augustini interpretamentum, tametsi ei, ipsæ quibus adaptatur, orationes valide repugnent, Latini tamen sequuntur, nefasque censent pro Martyribus & aliis cœlitibus preces vel oblationes apud Ecclesiam fieri.

CAP. XIV.

f L. Sacr. Greg IV. Kal. Iul.

g Innoc. 3. Decret. De cel. Miss. c. 6. c. 3.

h L. 5. de Pœn. & satisf. c. 8.

Postremo hoc quoque est observandum hanc ipsam Sanctorum in sacra Synaxi à Pseudo Clemente descriptam commemorationem non fuisse ab initio apud Christianos usitatam. Principio altum in divinis litteris de toto hoc ritu silentium est. Non alia istic occurrit in sacra hac Cœna, quam Domini & Dominicæ mortis *memoria, & commemoratio. Hoc facite* (inquit *i* ipse rei auctor) *in meam commemorationem. Hoc facite* (inquit *k* Paulus) *quotiescumque bibetis in Domini commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis; mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Nullius Sancti commemorationem in hoc sacramento fieri videmus, nisi Christi. Certe dignus erat Dominus, digna mors quam pro nobis passus est, cujus unius commemorationi totum hoc sactum impenderetur. Vt in cruce morientis nemo socius fuit; ita neque in hoc mysterio commemorati quemquam esse par fuerat. Quidam Christi injuria est in plures partiri, quod ei uni debetur. Vt ejus mors plane singularis fuit; ita & singularem esse decet nostrām grati in eum animi significationem Eucharistia nullius Apostoli, nullius Martyris res est. Tota Christi est. Qua tu fide Christo in sacro illi uni instituto socios adjungis? Mors Christi hic commemoratur; quæ in Christum unum incubuit. Ea una nos & omnes & toti redempti sumus. Mortis illius unicæ honos est commemoratio, quæ fit in Eucharistia. Quid Petrum & Paulum, & Cosmam & Damianum piorum mentibus in Christi sui memoria defixis molestus interpellator objicis? Quoties ac ubicumque Sol fulget, ibi latent omnes stellæ. Quid præsente Christo alios me circumspectare cogis? Si bene rem putes, Sanctos Christi sui Regis ac Dei honoribus permiscere, & ipsis invidiosum est, & nobis periculosum. Satius ac tutius erat Servatoris instituta pura atq; illibata revereri, neque ultra ejus mandatū sapere. Apostolicæ quidem, & proximæ inde ætati satis fuit unius Domini memoriā in hoc sacro celebrare; merito veritæ, ne siquos alios cum eo in hoc mysterio commemoraret, profiteri,

i Luc. 22. 19.

k 1. Cor. 11. 24. 25. 26.

Cap.XIII. vel certe suggerere videretur se suæ salutis aliquid alij, quam Christo debere. Iustinus totum Eucharistiæ negotium fuse satis & accurate, repetito semel & iterum sermone exsequitur, *l* & quæ sit rei ratio ex Evangeliis apperit. *Commemorationis* non alius meminit, quam ejus quæ à Christo præcipitur, *Hoc facite in mei recordationem.* Non alij quam Deo vel oblatas preces, vel dictas laudes, vel actas gratias, neq; aliud, quam Christi & Spiritus Sancti nomen usurpatum fuisse tradit. Non alia quam hęc nomina in tota actione sonant; Martyrem, Apostolum, Confessorem, Patriarcham, Prophetam nullum in Iustini magis, quam in Protestantium Eucharistia invenies invocatum commemoratum, nominatum. *Sed neq;* tertio seculo quicquam mutatum apparet. Memoriam Martyrum celebratam fateor; sed seorsum, neque in ipso Cœnæ Dominicæ mysterio; non quotidie, sed certo tantum anni die, eo ipso, quo passi erant quemque cujusque *Natalem* dici placuit; non ut eorum precibus & meritis quicquam gratiæ in nos divinæ, id est salutis nostræ, adscriberetur; sed ut eorum fortitudinis ac patientiæ exempla fideles ad pietatis certamen accenderent, Deoque laudes & gratiæ redderentur, quod tam præclaris Athletis Ecclesiam ornare ac ædificare dignatus esset. Seculo demum quarto, cum invecta Reliquiaria religio hominum animos occupasset, magnaque opinione de Martyrum in rebus nostris administrandis cura atque efficaci providentia opplevisset; mos irrepsit, ut in quotidiana Synaxi nominarentur; ac primo quidem, ut suam cum Christo communionem, partim ipsa illa Martyrum commemoratione, partim etiam, eorum apud Deum commendatione testarentur, *dum pro illis* Domino, non modo gratias agerent, sed etiam preces funderent, ut ex Constitutionibus Pseud Apostolicis, & veteribus Liturgiis ostendimus. Dehinc etiam longius à prima institutione, Apostolicoque secundum eam more discessum est, cum gliscente passim opinione de eorum majestate, & quodam in res humanas imperio, visum est tanta gloria indignum, ut pro iis Deus oraretur, quorum potius apud Deum *orationes ac merita* pro nobis essent expetenda & alleganda; ut ex Augustino docuimus, primo, ut videtur hujus subtilitatis auctore; quibus gradibus ad ipsam postremo, vere ac proprie dictam, quam Bellarminus directam vocat Sanctorum invocationem ventum est. Ita factum est, quod Innocentianæ de Leone decretalis glossula non simplicius, quam verius scripsit; *m Olim orabatur pro ipso* (Dicamus in genere, *pro Sanctis*) *Hodie ipse orat,* (ipsi *orant*) *pro nobis: & ita mutatum, Mutatum* sane, & quidem, immaniter mutatum. Neque enim satis fuit, ut crederentur orare pro nobis (quod quodam fortasse sensu recte ac vere dici potest (Eo etiam processum est, ut orarentur à nobis.

l Iustin. Apol. 2. p. 76 an. Fin. 3. ad 77.

m Gloss. in Decret. Iun. 3. tit. de cel. Miss. c. 6 § 3

Ex his nunc satis ni fallor, patet, quam inanis falsaque sit Bellarmini de Sanctorum in Eucharistiæ canone invocatione, ejusque antiquitate spes atque gloriatio. Vt enim illud mittam, quod *Sanctos* in genere antiquissimis temporibus jam invocatos in sacra Synaxi perperam ac falso dicit,

dicit, cum ipse & proximo quidem paragrapho confiteatur solis diu Martyribus id honoris delatum; Confessoribus idem non nisi diu post secutis seculis, non multo ante an. D. 800. datum fuisse; ex iis, quæ diximus, constat primo novum neque ante an. D. fere 300. receptum esse, ut vel ipsi Martyres in Eucharistiæ sacro commemorarentur, nedum ut invocarentur; imo hoc, quo primum ibi commemorari cœperūt tempore, ita commemoratos esse, ut pro iis tamen oraretur, nondum ut ipsi orarentur. 2. Item illud etiam esse recentius, & circa seculi quarti suprema, vel quinti initia exortum, ut Deus *per preces* & merita commemoratorum in sacra Synaxi Martyrum rogaretur. 3. Illud vero, ut sic acciperetur hæc Martyrum in Synaxi commemoratio (quasi pro iis nequaquam oraretur; id inquam novum esse, apud veteres ante Augustinum, inauditum, quodque cum ipsis orationibus apertissime pugnat, quæ etiam pro Martyribus in Liturgiis extant. 4. Denique recentissimum & in nupera Romæ Schola inventum, illud Bellarminianum interpretamentum, quo *Deum meritis precibusque Sanctorum rogare, id* ipsum esse vult, quod *eos invocare*. Vnde postremo colligitur *illam Sanctorum invocationem* ne nunc quidem re vera esse in ea Canonis Latini particula, de qua disputamus, nedum ut jam olim à principio in eo fuerit, somniat Bellarminus.

CAPUT XIV.

Novum esse & tribus primis seculis inusitatum Deo in Eucharistiæ sacro pro mortuis supplicare. Hunc usum seculo demum quarto receptum videri. Sed & illas veterum pro mortuis preces ab his Latinorum diversas esse; quod illæ pro omnibus piis, etiam sanctis fierent; hæ non pro aliis, quam pro purgatorianis animabus fiant.

IAm alterius orationis, quæ in Missa pro defunctis habetur, fateor & Augustinum, & multos alios Patres quod ait Bellarminus (meminisse. Neminem tamen scio secundi, tertiive seculi scriptorem, qui mortuos Deo in sacra Synaxi quotidie fuisse solennibus Ecclesiæ precibus, quod fit apud Latinos, itidem commendatos testetur. Prima ni fallor, ejus rei mentio apud Pseud-Apostolicarum Constitutionum parentem, occurrit. Scio Tertullianum *oblationes* (id est eleemosynas) *pro defunctis, pro natalitiis annua die factas*, jam suo ævo, id est ineunte tertio seculo, memorare. n Scio apud eundem hæc alibi similia de viri Christiani vidua, ejusque in maritum mortuum officiis exstare: o *Enimvero & pro anima eius orat, & refrigerium interim ad postulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis eius.* Sed hic, ut omnes vident nulla sacerdotis in ipso Eucharistiæ officio pro mortuis oratio legitur. Pro anima mortui orat quidem vidua: nullus orat sacerdos: nedum, ut in sacra synaxi oret. Et quas in priore loco dicit *oblationes*,

n Tertull. de Cor. c. 3. p. 121. D.
o Id. de Monog. c. 10. p. 682. A.

Cap.XIV. eas esse non ipsius Eucharistiæ, sed eleemosynarum, aut agaparum *oblationes*, indicat alter locus, in quo eas non sacerdos, unus sacramenti legitimus minister, sed mulier vidua offert; quam Eucharistiam offerre nefas est, eleemosynas & alia dona vel pauperibus, vel Ecclesiæ offerre nulla invidia erat. Neque id Missali pro defuncti preci convenit, quod Tertullianea & oratio & oblatio annua tantum die fieri diserte dicitur, cum precem pro defunctis quotidie, imo interdum sæpius uno eodemque die fieri notum sit, quoties Missa celebratur scilicet. Sed & prior locus adeo non docet oblationem illam, quam dicit, in Synaxi factam fuisse: ut factam extra eam potius arguat. Nam cum eo loco ritus colligat præter Scripturam traditos, quosdamque ex iis edat in Eucharistiæ celebratione solennes; pro mortuis orare, si tum fuisset mos hujus census, id est si hoc in ipso Eucharistiæ sacro factum esset, ibi quoque erat memoraturus. Atqui non ita instituit Tertullianus. Tradita præter Scripturam ad Eucharistiam pertinentia, non alia quam hæc edit, quod *Eucharistiam etiam antelucanis cœtibus sumerent*, quam Scriptura *à Domino in tempore victus celebratam* testatur, & eandem *de una præsidentium manu sumerent*, quam *scriptura omnibus mandatam refert* Quando his potior, & memorari dignior erat Missalis illa pro defunctis oratio, si jam tum in usu fuisset? Nullam istic dixit. Ne dubitaveris, quam diceret, nullam fuisse. Multo etiam minus eam apud Iustinum repereris; qui plane nullam uspiam in suis scripis hujusmodi pro *mortuis* precandi moris mentionem facit. Ac eo quidem loco, in quo totum Eucharistiæ conficiendæ & communicandæ ordinem ac ritum semel atque iterum; haud perfunctorie, quod nuper diximus, describit, nostratum & preces & oblationes disertissime neque semel memorat;

p Iustin. Apol. 2. p. 76. 77. ubi supr.

p Nullas pro *mortuis* neque preces, neque oblationes memorat. Cur eas omisisset, si quæ jam tum erant? quæ nostrorum in ipsos etiam mortuos humanitatem & officia significaturæ, adeoque utiles futuræ erant ad mitigandos Paganorum in Christianismum animos, ob pacem ipsorum quoque in mortuorum pace & fœlicitate procuranda religionem? Ex his satis intelligimus novum, neque Iustini ævo (3. an. D. 150.) adhuc usitatum fuisse, ut pro mortuis Christiani vel sacerdotes, vel Laïci preces facerent; morem illum mature, post Iustini martyrium sic erupisse, ut Tertulliani temporibus, id est initio tertij seculi passim apud nostros obtineret. Sed ne tum quidem publice in Eucharistiæ celebratione factam fuisse ullam pro mortuis precem; id demum, ut ex Constitutionibus observandum diximus, quarto seculo invaluisse. Ita privatæ hominum institutiones ac traditiunculæ paulatim paucorum exemplo commendatæ, ad plures primo, indę ad omnes diffunduntur; postremoque ex privato in publicū transeunt, & in sacros totius Ecclesiæ cultus mutantur. Sed præter hæc, illud quoque animadvertendū est id precum genus, quas hodie Latini se pro mortuis facere profitentur, multū ab iis differre, quæ olim præter Scripturā & Ecclesiæ Apostolicæ usum in morē paulo

ante

ante Tertulliani ævum receptæ fuisse videntur. Veteres enim pro omnibus piis, in fide & gratia Domini, Ecclesiæque communione mortuis, etiam sanctissimis, etiam Martyribus, viris mulieribusque (ut nuper ostendimus) Deum orabant. Nunc vero Latini non pro aliis mortuis orandum docent, quam iis, qui Purgatorij ignotas priscis ante sextum seculum sedes incolunt. Sed quia jam alibi *q* de veterum & recentiorum in genere precibus illis pro mortuis late disseruimus, neque ea res hujus est loci, in quo non de istis precibus in genere, sed de ea pro defunctis oratione proprie tantum quæritur, quæ est à Latinis in suæ Missæ Canonem recepta; hæc in præsentia satis esse videntur. Qui plura de precum istarum negotio desiderat, eum ad aliam illam jampridem à nobis editam de his disputationem amandamus.

CAP. XV.

q L. 5. de Pœn. & Satisf. c 3. ad 13. p. 438. ad 536.

CAPVT XV.

Refelluntur quatuor Bellarmini pro Canonis Missalis antiquitate suspiciones I. à sera Confessorum & Virginum in Missa commemoratione. II. ab observatis Missalium additionum auctoribus. III. à Scriptorum silentio de præcipuarum Canonis partium auctoribus, quos non erant prætermissuri si Papæ eas instituissent. IV. ab ordine quo Apostoli in Canonem recensentur, ab eo diverso, qui apud Matthæum servatur in Evangeliis ab Hieronymo emendatis.

HIs explicatis veterum pro Canonis antiquitate à Bellarmino allatis testimoniis; superest, ut ejusdem quatuor easdem de re conjecturas *r* excutiamus. Prima inde ducta est, quod in toto Missæ Canone nulla sit aliorum sanctorum, quam Martyrum commemoratio; Vnde noster conjector colligit Canonem prius fuisse compositum, quam institutum esset *Confessores* aut Virgines publice in Ecclesia coli. Coli autem eos cœpisse jam ante Moguntinum Concilium, in quo scilicet festa Martini & Remigij memorantur; *s* quos constat non Martyras, sed Confessores tantum fuisse. Sed inanis est tota hæc conjectura. Primo enim non id probat, quod quæritur; quia si adversario quæcumque postulat ac concludit, donavero, nimirum canonem fuisse ante an. D. 813. quo habita est Moguntina Synodus, jam constitutum fuisse; nequaquam eo probatum fuerit Canonem esse antiquum; qui nisi Apostolico seculo extitisse demonstretur, *antiquus* in Christianismo dici non debet; quanto minus id nominis meretur, cujus origo seculum nonum paulo antecessisse tantum ostenditur? Huc accedit quod quæ conjector assumit, ea non omnia vel vera vel certa sunt. Falsum enim est quod ille temere atque inverecunde ponit, *plane ab ipso Ecclesiæ initio Martyras cœpisse publice invocari, & dies festos eorum nominibus coli & basilicas erigi.* Nihil horum ante quartum seculum factum esse apud Christianos alibi *t* demonstratum est. Tertio neque illud verum est, quod Bellarminus fingit tota.

r Bell. L. 2. de Miss. c. 20. §. His accedunt.

s Cōc. Mog. an. 813. Can. 36 T. 2. Cōc. Gall.

t L. 3. de obj. cult. relig.

Cap. XV. Confessores ideo fuisse serius in Canone commemoratos, quod iis cultus & honos minor, quam Martyribus deferretur. Si enim ea ratio vera esset, quo tempore & ipsi invocari, & eorum nominibus festi dies, & basilicæ institui cœperunt; cœpissent eodem quoque loco, quo Martyres in Synaxi nominari. At neque nono seculo, quo habitum est Concilium Moguntinum, neque proximis exinde temporibus eo loco nominati sunt. Ergo hæc conjectura ab omni parte laborat. Vera autem ratio discriminis, quo habiti sunt Martyres præ cæteris Sanctis, ex vetustissimo quodam Christianorum errore repetenda est, quo diu apud nostros creditum est solis Martyribus cœlum ante supremum mundi diem patere; cæteros omnes quantumlibet sanctos, extra velum beatam resurrectionem exspectare.

Altera Bellarmini conjectura inde ducta est, quod *veteres diligenter annotarunt pauca quædam verba, quæ aliqui Pontifices ad canonem adjecerunt; ut Pontificalis auctor, & cæteri scriptores tradunt à Leone ad Canonem addita esse illa verba,* Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam, *& alia ab aliis, quæ infra referentur. Hoc* inquit, *certissimum argumentum est canonem esse antiquiorem Leone, & Gregorio, & habitum semper fuisse in maxima veneratione.* Ad hæc ego primum observo, ne illud quidem quod ille tanquam per se notum ponit, certum esse atque indubitatum, illa scilicet verba quæ à Leone & Gregorio, & aliis adjecta memorantur, *pauca fuisse.* Valafridus enim, quod postea *u* observabitur, *suo jam* ævo fuisse refert, qui putarent non illa paucula verba, *quæ à scriptoribus,* ad indicandum tantum locum ab illis Papis interpolatum recitantur, fuisse ab istis novatoribus addita, sed totas orationes, totasque periochas, in quibus verba illa occurrunt: qualiter solent in omni litterarum genere locorum, quæ ex antiquis scriptoribus laudantur, vel observantur, brevem tantum particulam describere, ex qua prudens lector totum locum indicari facile intelligit. Secundo ex eo, quod quædam à viris, qui sapientissimi fuisse perhibentur, ad Canonem adjecta sint, promptius ac verius erat colligere *eum non semper habitum in maxima veneratione.* Neque enim ejus est maxima veneratio, quod mutilum & imperfectum esse creditur: Tale autem id esse creditur, cui subinde aliquid adjiciendum existimatur: Vt vel ex præsenti Latinorum praxi videre est, qui quod Canonem in maxima veneratione habent, ne unam quidem voculam ei vel addi, vel detrahi patiuntur. Cæterum cui Canoni Leo aliquid adjecit, eum fateor ante Leonem fuisse; Qui ante Leonem fuerit, ideo antiquissimum esse nego. Facile enim fieri potest, ut aliquod Canonis rudimentum paulo ante Leonem effictum fuerit. Neque credibile est Leonem (si ea quidem ejus fuit, quæ vulgo traditur, sapientia atque sanctitas) ei Canoni, quem sciret ab Apostolis conditum, aliquid de suo adjecturum fuisse. Quod autem scriptores annotarunt, quæ Canoni à Leone & Gregorio adjecta sunt, eo nequaquam fit, ut à Scholastico compositum Bellarmino potius neganti, quam

u Infr. c 16. extr. & 17. init. & 18. extr.

Gregorio hoc ipsum, ut supra demonstravimus, disertissime affirmanti credere debeamus. CAP. XV.

Tertiam adversarius conjecturam ex eo ducit, quod auctor præcipuarum partium Canonis ignoretur. *Si enim* (inquit) *ab aliquo Romano Pontifice composita fuissent, certe aliquis historicus id prodidisset. Si enim non omiserunt, quis aliquas particulas addiderit; quanto minus omissuri erant, qui vitas Pontificum scripserunt, quis totum fere Canonem composuerit?* Sed conjectura non una ratione vana est. Primo, quia quod pro ejus fundamento affertur, *ignorari scilicet auctorem præcipuarum partium canonis*; id inquam, liquido falsum esse constat ex Gregorio, qui tradit eam precem, qua vel canon totus, vel certe potissima ejus pars continebatur, fuisse à Scholastico compositum. Itaque stultum est (Bellarmini pace) quod ille deinceps ratiocinatur, qui vitas Romanorum Pontificum scripserunt, eos prodituros fuisse, quæ ab illis compositæ essent præcipuæ Canonis partes; Nihil autem ipsos hujusmodi prodidisse; Ergo Pontifices præcipuas istas preces minime composuisse. Omnia vera sunt, & à Bellarmino ridicule in medium allata. Precum enim istarum præcipuam, à nullo Pontifice, sed ab homine Scholastico compositam fuisse didicimus à gravissimo viro, eodemque Pontifice apud istos laudatissimo, Pontificiisque artibus instructissimo Gregorio. Nihil ergo erat, quod Pontificiarum vitarum scriptores nobis narrarent de præcipuis precibus Canonis à Pontificum aliquo compositis, quæ scilicet non à Pontificibus, sed ab homine scholastico compositæ sunt; cujus vitam nemo, quod sciam scripsit, hominis adeo nunc ignobilis, ut vel ejus proprium nomen nesciatur. Quod vero Bellarminus hic iterum nobis, velut antiquissimas obtrudit preces, *Quam oblationem* &c, *Unde & memores* &c. id jam supra x confutavimus; neque enim eas Ambrosij ævo extitisse inde probari posse, quod in opere de Sacramentis memorentur; quia id opus adeo non constat vere esse Ambrosij, ut contra pæne certum sit id auctoris esse, Ambrosio aliquot seculis recentioris. Ex his patet, quam vanus sit Bellarminus, dum ex his vitro futilioribus conjecturis colligit *sua Missæ canonem omni memoria esse antiquiorem, & ab Apostolis ad nos per manus traditionem pervenisse.* Sed neque tacendum est longe periculosissimam esse atq; fallacissimam eam rationem, quam hic ille sequutus est, nimirum ut quarum rerum in Christianismo auctor ignoratur, eæ continuo Apostolorum esse censeantur. Nam si hæc admittitur disputandi ratio, pro Apostolicis habenda erunt, siqua *homo inimicus noctu*, colonis dormientibus, furtim veniens in Dominica segete superseminaverit zizania; y quorum scilicet quod furtim & noctu seminata sint, auctor & origo ab hominibus ignoretur, nescientibus, unde ea ager Dominicus habeat. Illi quidem sciunt esse zizania; unde sint, nesciunt. Si Bellarminus inter eos judex & arbiter sedisset, tacere omnes jussisset, hæc zizania esse ex ipsa eorum forma judicantes; indubitato credere jussisset ea non zizania esse, sed frumenta, Apostolica manu sata;

x Supr. c. 13.

y Matth. 13. 24. 25. 26. 27.

Cap. XV. sata; Id enim vel hoc ipso doceri atque affirmari, quod eorum auctor nesciatur; quod nemo Ecclesiasticorum scriptor indicaverit ubi, quando, quis ista Pontificum, aut aliorum Præpositorum in agris Dominicis seminaverit. Quicquid vero sophistæ garriant, ac utcumque suis coloribus & pigmentis rerum naturas invertunt, *dicentes malum bonum, & ponentes tenebras lucem, & amarum in dulce*; Dominus aliquando clare exserteque pronuntiabit ista non *lucis*, sed *noctis*, non servorum suorum, sed *inimici hominis* opus fuisse; *a Inimicus* (inquit) *homo hoc fecit.*

z Isai. 5.20.

a Matth. 13. 28.

Quarta, eaque ultima Bellarmini conjectura non est cæteris fœlicior. *Canon* (inquit) *in enumerandis Apostolis eum non servat ordinem, qui est in Evangeliis per Hieronymum emendatis*; Id vero jampridem est a Valafrido itidem observatum. *b* Ergo ista pars *canonis prius fuit composita, quam ab Hieronymo Evangeliorum codices Latini ad vetera exemplaria Græca corrigerentur.* Sed hæc futilia sunt. Fac enim ista ita esse, ut cupit Bellarminus. Habebit Canonem fuisse compositum paulo ante an. Dom. 400. Longe ab eo aberit, quod in proximo paragrapho jactabat *suum Canonem omni esse memoria antiquiorem*, *& ab Apostolis traditum.* Non est enim credo, Hieronymiana codicis Novi testamenti Latini emendatio omni Christianismi memoria antiquior. Huc accedit, quod infirmissimum est ipsum illud argumentum, quo Valafridus & Bellarminus conficiunt antiquiorem esse illo Hieronymi opere suum Canonem. Missalis Canon in prece. *Communicantes & memoriam venerantes* &c. Apostolos hoc ordine recenset, *Petrum*, *Paulum*, *Andream*, *Iacobum*, *Ioannem*, *Thomam*, *Iacobum*, *Philippum*, *Bartholomæum*, *Matthæum*, *Simonem*, *& Thaddæum.* Fateor paulo aliter ordinata esse nomina, quam apud Matthæum. In quinque primis idem ordo; nisi quod *Paulus* hic inter *Petrum & Andream* interjectus est: idque factum non temere, sed necessario, quod Romanis solenne fuerit Petrum & Paulum conjungere. In cæteris leve discrimen est; *Thomam* nimirum, & *Iacobum Alphæi Philippo & Bartholamæo* præposuit Canon, quos illi apud Matthæum sequebantur; tum *Matthæum* ipsum post *Iacobum Alphæi* recensuit, cui in ipso ejus Evangelio præponitur. Denique Thaddæo Simonem præfert; cum hic illi apud Matthæum succenturietur. Ergo (inquit Bellarminus) quo tempore scriptus est Missæ canon, nondum ad eum, quem hodie legimus modum, Evangelij codices emendaverat Hieronymus. Quid ita, inquam? Quia (inquit) canonis auctor Apostolorum nomina, si post emendatos codices vixisset, eodem hic ordine edidisset, quo nos ea hodie legimus. Colorem haberet oratio, si nunquam auctores Apostolorum omnium nomina aliter, quam ex Matthæi libro descripta recenserent. Nunc quis id, vel hodie sequitur? vel olim secutus est? Quam multi dummodo omnia recenseant, nemine prætermisso, de ordine, quo disposita leguntur apud Matthæum securi sunt? Tu vero, si has in disputando leges sequeris, facile ex iis probaveris, vel Marcum, vel etiam ipsum Lucam Evangelia sua scripsisse vel ante Matthæum,

b Valafr. de reb. Eccl. c. 22.

thæum, vel certe quo tempore jam vitiati eius codices scilicet, emendatricem Hieronymi manum expectabant. Nam neuter cum hodierno Matthæi codice, plane eodem, quo hic ordine, Apostolorum nomina disposuit. Nam qui Matthæo, c *Andreas* secundus est, is Marco quartus est; & vicissim, qui Marco secundus tertiusque sunt *Iacobus & Ioannes*, Matthæo sunt tertius & quartus; *Thomas* apud Matthæum septimo loco, apud Marcum octavo nominatur. Ac ne ipse quidem Lucas plane in omnibus cum Matthæo convenit. Sed quid ego in istis immoror? Planum est & Evangelistas & gravissimos quosque scriptores minuta ista contemnere; in iis, quæ sunt alicujus momenti, diligentiam ac religionem præstare; in aliis, quæ nullius operæ pretij sunt, securiores esse. Atqui Canonis Latini auctori ad institutum suum satis fuit hoc loco Apostolos omnes edere, neminem prætermittere. Id præstitit; nisi quod Matthiam, post Christi in cœlum ascensionem electum, tacuit; certo ut opinor, consilio, ne numerum duodenarium excederet; sed & illud, quod ipsi quoque Evangelistæ curasse videntur, studuit, ut Apostolorum facile nobilissimi ac celeberrimi, primi & ante cæteras dicerentur, *Petrus* scilicet, *Paulus*, *Andreas*, *Iacobus*, & *Ioannes*. Cæteros quos certo ordine disponi, præsens eius institutum minime requirebat, recensuit, ut quemque eius calamo memoria suggerebat; nisi forte & subesset alia aliqua ratio, nobis nunc ignota, quæ eum ad singulos, ita ut legimus, disponendos compulerit. Vnde omnes facile jam intelligunt, quam frivola fuerit Valafridi & Bellarmini suspicio, quæ Canonis Missalis antiquitatem ex eo concludit, quod in Apostolis recensendis Canon eorum nomina alio, quam Evangelistæ ordine disposuerit.

CAP. XVI.

c Vid. Matt. 10. 2. 3. 4. Marc. 3. 13. Luc 6. 13.

CAPVT XVI.

Superioribus adduntur aliquot argumenta, quibus Canonis novitas amplius demonstratur. I. Quod Sanctorum commemoratio in eo fiat duobus diversis locis; quorum priorem aliquanto post Iuliani desertoris Augusti mortem compositum fuisse probatur. II. Quod in prima Canonis oratione pro Papa Romano nominatim supplicatur. III. Quod pro Episcopo loci prius, quam pro Rege orant. IV. Quod quædam sint in oratione secunda, quæ à Gregorio adjecta esse constat.

HÆc omnino sunt, quæ Bellarminus de Missæ Latinæ antiquitate in medium attulit; frustra & inutiliter, ut quivis jam, ni fallor, videt. Nunc antequam manum de tabula tollamus, quædam porro perstringenda sunt, quæ Missæ (quæ qualisque hodie est) novitatem arguunt. Canonem cæteris sacrificij partibus nonnihil vetustiorem esse fateor. Ad eum tamen perficiendum, etiã postquam fuit institutus, à diversis multa esse addita, veteres ipsi scriptores nos docent. Valafridus per partes (i. e. nõ simul semelque, sed sensim & paulatim) compositũ esse cõfitetur,

CAP. XVI. d idque *ex eo cognosci maxime* dicit, *quod nomina Sanctorum, quorum ibi communis & societas flagitatur, duobus in locis posita reperiuntur.* Recte quidem ille argumentatur. Quis enim dubitat, quin una futura fuerit tota illa Sanctorum commemoratio, ad rem unam eandemque, nimirum precantium cum iis communionem flagitandam ac testandam instituta, si unus fuisset auctor Canonis, in quo duobus diversis locis posita est? Prior locus est paulo ante consecrationem, in oratione, *Communicantes, & memoriam venerantes, inprimis gloriosæ, semperque Virginis* &c. Posterior est, non longe post consecrationem, in oratione, *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis* &c. *partem aliquam & societatem donare digneris cum tuis Sanctis* &c. Sancti in priori oratione memorantur; primo & eximie præ cæteris *ipsa beatissima Virgo*; tum *Apostoli nominatim omnes*; inde *Martyres non pauci Linus, Cletus, Clemens, Sixtus, Cornelius, Cyprianus, Laurentius, Chrysogonus, Ioannes & Paulus, Cosmas & Damianus*; denique *omnes sancti Dei*. Posteriori vero loco primo memorantur in genere sancti *Apostoli & Martyres*; tum nominatim *Ioannes* (Baptista scilicet) *Stephanus, Matthias, Barnabas, Ignatius, Alexander, Marcellinus, Petrus, Fœlicitas, Perpetua, Agathia, Lucia, Agnes, Cæcilia, Anastasia*, postremoque, ut prius, *omnes Sancti Dei*. Valafridum quorumdam acumen, obtusum profecto & pingue, refellit qui *duos ita institutos esse horum Sanctorum ordines* causabantur, *quod posterius positi nondum coronati fuissent, cum priores in illo Canone ponerentur.* Ille quam crassa, quamque stulta sit hæc exceptio, inde ostendit, quod Ioannes Baptista ipsis Apostolis, non tantum par tempore, verum & prior fuerit, Stephanus vero *par*; *& uterque ante Apostolos coronatus.* Itaque his ipse rejectis; *Unde* (inquit) *constat sequentis Ecclesiæ Doctores antiquis Patrum statutis, quæ congrua visa sunt, addidisse, ut sicut religiosorum aucta est multitudo, ita & religionis crescerent instituta.* In his observandum est prudentissimum scriptorem, non tantum interpolatores *sequentis Ecclesiæ doctores* appellare; sed & primos Canonis auctores Patrum nomine significare; quo apertissime firmat suo testimonio, quod nos contendimus, Canonem Latinum, non Apostolorum, quos nullus hic nominat, sed *Patrum statutum* fuisse; quos ad tempora sua comparatos *antiquos* merito dicit, qui quatuor ante se seculis vixissent; ad Apostolorum vero ævum relatos, recentes haud dubie dicturus erat, qui tribus minimum post Apostolos seculis prima canonis rudimenta instituisse cognoscuntur; idque vel ex his ipsis orationibus, quas Valafridus memorat, non obscure colligitur. Nam harum orationum priorem, quam Valafridus antiquiorem putat, constat ex Martyribus, qui in eo commemorantur, post Iuliani desertoris tempora (id est post an. D. 363.) fuisse compositam. Ioannem enim & Paulum, qui istic inter cæteros Martyras nominantur, scimus sub Iuliano passos esse. Neque excipi potest hos, non à primo precis auctore fuisse memoratos, sed à posteris suo demum tempore prioribus adjunctos; quod in multis aliis locis, ut in

d Valafr. ub. supr. c. 22. p. 683. D.

in Liturgiis & alibi factum esse non negamus. Nam si à posteris hi suo quique tempore fuissent additi, iidem post *Cosmam & Damianum* essent in hac prece locati; quos sub Diocletiano, multis ante Iulianum Augustum annis, martyrium fecisse constat ex tabulis Ecclesiasticis. *e* Ergo necesse est, qui hæc duo paria Martyrum ita digessit, hunc unum eundemque fuisse hominem, id est precis illius auctorem, qui cum utrosque passos quidem sciret, passionis vero certum tempus nesciret, alteros alteris, posteriores Ioannem & Paulum, prioribus Cosmæ & Damiano imprudens anteposuerit; quod non esset ita factum, si singula nominum paria à duobus diversis scriptoribus essent suo quæque tempore in oratione adjecta. Omnes enim vident si ita factum esset, auctorem *Cosmam & Damianum*, Diocletianeis temporibus passos memoraturum primum fuisse; his posteros *Ioannem & Paulum*, post Iuliani imperium adjecturos fuisse. Cum ergo aliter factum sit, patet qui hos quatuor Martyras ita præpostero ordine collocavit, unum eundemque hominem fuisse, ipsum scilicet primum orationis auctorem, eumque post Iuliani tempora, & quidem satis longe ab eius ævo vixisse, cum rerum sub eo gestarum memoria apud homines jam exolescere cœpisset. Nam si ea adhuc recens fuisset, non est credibile quemquam martyrij sua memoria peracti tempus ita ignoraturum fuisse, ut id ante res sub Diocletiano gestas collocaret. Ex quibus postremo intelligimus ipsam illam Canonis orationem, quæ antiquissima creditur diu post Iuliani imperium, id est post an. Dom. 363. compositam fuisse: alteram vero, in qua alij Sancti memorantur, etiam hac esse recentiorem. Hæc illa est scilicet Latini Canonis tantopere jactata antiquitas, quæ vix ac ne vix quidem supra quarti à Christo nato seculi suprema exsurgit.

Cap. XVI.

e Vid. Martyr. Rom. Bar. d. 26. Iun. & d. 27. Sept.

In prima oratione Canonis, *Te igitur clementissime Pater*, &c. Sacerdos Deum orat nominatim pro Papa; *Hæc* (inquit) *sancta sacrificia illibata tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica &c. una cum famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N. & Rege nostro &c.* Cum hæc sit omnium universi orbis Ecclesiarum communis ad celebrandam Eucharistiam formula (ex Latinorum quidem mente) hinc intelligimus eos velle omnes Christianos in singulis synaxibus Deum pro Papa Romano nominatim orare. Hoc vero novum esse patet, & ex Constitutionibus Pseudo-Clementinis, & ex Græcis Liturgiis, in quibus Papæ Latini nomen nullum hoc loco occurrit. Quod vero Bellarminus ex quodam loco Chrysostomeæ Liturgiæ à Leone Tusco Latine redditæ colligit, *f f* etiam Græcos posterioribus temporibus illud Papæ scilicet nomen, addere solitos, suspicio est, sed inanis & fallax, ut sunt plæræque illius viri conjecturæ, non ex vero, sed ex Latinæ causæ studio ut plurimum vaticinantis; *In illa Liturgia* (inquit) *invenitur nomen Nicolai Papæ.* Locus ita habet; *Nicolai sanctissimi & universalis Papæ longa sint tempora; Eleutherij Alexandriæ, Cyrilli Antiochiæ, Leontij Hierosolymorum longa sint tempora.* Mirum est Bellarminum in loco tam facili tam turpiter fuisse

f f Bell. L. 2. de Miss. c. 21. §. Papæ nomen.
g Liturg. Chrysost. à Leon. Tusc. Lat. redd. edit. Par. 1560. p. 70.

Cap. XVI. halluoinatum, ut Nicolaum illum Papam aliquem Latinum fuisse putaverit. Certe addita pro tribus Orientis Patriarchis vota monere hominem poterant non fuisse hic prætermissum Constantinopolitanum, cæterorum in Oriente apicem. Cur enim pro Romano, & pro Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano precarentur; nullam sui Constantinopolitani mentionem facerent, cujus Sedis Chrysostomea Liturgia maxime propria est? Ergo nihil dubitandum est, quin iste *sanctissimus Papa Nicolaus* Constantinopolitanus Antistes fuerit. Id ipsum etiam ex iis quæ sequuntur, intelligimus, cum pro Principe sic precantur; *Et pro imperio in victoria & perseverantia piissimorum & in Christo dilectorum Imperatorum nostrorum N. & N. Alexij Magni Imperatoris & Porphyrogeniti.* Iam sub Alexio Comneno, cujus res gestas Anna Comnena filia litteris tradidit, occurrit Nicolaus cognomento Grammaticus, in Sede Constantinopolitana Eustratio suffectus, undecimo seculo præcipiti, qui annos septem & viginti sedem illam tenuit; ut est apud Zonaram. *b* Anna Comnena etiam meminit, & *in thronum* Ecclesiæ Constantinopolitanæ ascendisse eum dicit * *post Eustratij Garidæ abdicationem.* Alexius porro imperare cœpit an. Dom. 1080. eique an. Dom. 1118. mortuo successit Ioannes filius; quo toto tempore nullus Romæ Papa Nicolaus sedit. Nihil ergo ad Papam Latinum pertinent Liturgiæ à Leone Tusco interpretatæ pro Nicolao preces. Sed ne apud omnes quidem Occidentis Ecclesias pro Romano Episcopo solenne olim fuit nominatim precari. Nullum Bellarminus hujus moris testem edit Vasensi Synodo 2. vetustiorem, quæ eum an. Dom. 529. ex Romanorum imitatione in Gallicanam Ecclesiam induxit; *i Et hoc nobis* (inquit) *justum visum est, ut nomen Domini Papæ, quicunque Sedi Apostolicæ præfuerit, in nostris Ecclesiis recitetur.* Id ergo novum fuit, & apud nostros ante id tempus inusitatum.

b Zon. T. 3. Ann. p. 235-241.
* Ann. Comn. Alex. l. 10.
i Conc. Vas. 2. c. 4. T. 1. Conc. Gal. p. 227.

Hoc quoque, ut pote ab Episcopali modestia alienum, serius invectum fuisse verisimile est, quod in Missa non pro Papa tantum, sed etiam pro cujusvis civitatis Episcopo prius supplicant, quam pro Rege, cujus summa est in rebus humanis potestas ac dignitas.

Iam in secunda oratione, *Hanc igitur oblationem* &c. omnes scriptores consentiunt k à Gregorio P. R. I. appositam fuisse hanc particulam, *diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.* Valafridus quosdam ait velle intelligi *totam ab eo loco Canonis consequentiam usque in finem per illum fuisse compositam.* Quorum sententia si, ut sane videtur, vera est, apparet multo maximam ac potissimam totius Canonis partem, non fuisse ante an. Dom. 590. quo Gregorius ordinatus est, compositam, neque adeo usitatam.

k Berno c. 1. Rupert. l. 2. c. 21. de div. Offic. Valafr. c. 22.

CAPUT

CAPVT XVII.

CAPVT XVII.

V. argumentum novitatis Canonis ex iis, quæ in tertia oratione dicuntur, de Cosma & Damiano sub Diocletiano passis; quo falsi convincuntur, qui Alexandrum P. R. I. eius precis auctorem faciunt. Pontificale Damasi interpretatum; incerta adeo fidei; maxime in decretis, quæ Alexandro ille liber tribuit, apertissime falsis & suppositititiis. Reijcitur Baronij pro his σοφὸν φάρμακον. VI. arg. ex quibusdam, quæ Gregorius P. R. III. Canoni adiecisse noscitur.

IN tertia Canonis prece, *Quam oblationem* &c. volunt iidem Scriptores *l* *l Alexandrum P, R. I. miscuisse passionem Domini in precatione sacerdotum quando Missæ celebrantur.* Valafridus, cujus illa verba sunt, *dubium ait videri, utrum ille eam tantum partem actionis, qua passio Domini commemoratur, ordinaverit, vel totam à capite usque ad ipsum locum*, id est, ut ego quidem interpretor, an precem secundam, *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ &c.* totam usque ad tertiæ orationis finem ordinaverit, an vero illa tantum verba, *Qui pridie quam pateretur, preci inseruerit.* Sed addit *priori æstimationi videri contrarium* (ut est sane) *quod in ea parte* (oratione scilicet tertia extrema) *Sancti nominantur, qui post illius tempora longe fuerunt.* Nam istic revera nominantur Cornelius, Cyprianus, Ioannes & Paulus, Cosmas & Damianus; qui omnes diu post Alexandri tempora martyrium fecerunt. Itaque Valafridus huic dubitationi fortassis ita occurri posse ait, si dicamus eorum, qui post Alexandrum memorati sunt, nomina *non ab ipso sed suis quæque temporibus, ab aliis fuisse superimmissa*; quanquam hoc ipsum effugium non posse consistere jam supra *m* est à nobis demonstratum. Huc accedit, quod id, etiamsi admittatur, satis est, ut nullum hinc de antiquitate hujus particulæ certum dari possit argumentum. Quæ enim in aliqua sui parte vitiata, vel interpolata sunt, eorum ad probandum exigua, imo nulla vis est apud accuratos & cordatos rerum arbitros. Denique tota hæc istorum scriptorum de Alexandro narratio valde suspecta est: quod nulla certi & integri ex antiquitate libri, sed ejus tantum voluminis testimonio nitatur, quod vulgo *Damasi Pontificale* dicitur: ut apparet ex Valafridi verbis, illa quæ de Alexandro hic narrantur, *in Pontificalibus scripta esse* affirmantis. Berno vero Augiensis ipsa Pontificalis verba recitat, quæ etiam hodie in eo leguntur, *De Alexandro* (inquit) *ita legimus, Hic passionem Domini miscuit in precatione sacerdotum.* &c. Hunc auté Pontificalem librum, tametsi Anastasio Bibliothecario noni, & quidé pæne præcipitis seculi homine, multo antiquiorem esse putem, vitiatum tamen & interpolatum plurimis in locis fuisse confiteor: maxime in locis hujus similibus, quibus

l Valafr. c. 22. p 584. A.

m Supr. c. 16.

Caput XVII.

assutæ à posteris istæ de Paparum institutis narrationes ideo mihi videntur, quod de iis nihil apud veros & certos scriptores primæ ad quintum sextumque seculum antiquitatis reperitur, sed apud eos, qui seculo nono vixerunt; cum jam corruptus fuisset Pontificalis liber, è quo illi ut plurimum hauriunt quæcumque tradunt de hujusmodi Paparum constitutionibus. Quo insuper sub initium noni seculi fraus illius impostoris accessit, qui primis Romæ ad Siricium Episcopis epistolas immani impudentia attingere ausus est ineptas & barbaras. Iste enim in supposititiis suis næniis quæ de hoc rerum genere in Pontificali habentur, corrasit omnia, & novis insuper figmentis cumulavit; ut vel ex prima epistola apparet, m quam Alexandro subdidit. In eam enim sedulo transtulit commentis suis abunde locupletata, quæ in Pontificali n habentur Alexandri decreta; non illud modo de passione Domini miscenda in Missali prece; sed alterum etiam multo mirabilius, *de aqua aspersionis cum sale benedicenda in habitaculis hominum.* Ipse Baronius non obscure repudiat, quæ liber Pontificalis de his decretis tradit. Absurdum primo putat, quod hic de instituta ab Alexandro passionis in prece sacerdotali mixtione habetur; o *Nam Domini verbis* (inquit) *mandatum fuit Apostolis, ut quotiescumque facerent &c. in eius memoriam agere deberent; nec aliud significasse Paulus voluit, cum ad Corinthios scribens dixit, p Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Itaque merito visum est Baronio, nihil fuisse, cur rem jam à Domino Christo & à sanctissimo ejus Apostolo constitutam Alexander, veluti novam & hactenus ignotam institueret; quæ ratio nobis quoque idonea videtur. Sed quod Baronius hic, ut fere alias, quoties in similibus angustiis versatur, Pontificalis verba ita accipi velle videtur, ut significent ista ab Alexandro, non recens ac primum instituta fuisse *sed scriptis tantum mandata & decreto roborata*, id inquam, est scriptoris verba, non interpretari, sed plane pervertere ac dissolvere. Quid enim his potest dici disertius, quæ de Alexandro in Pontificali habentur; *Hic* (inquit) *passionem Domini miscuit in precationem*, vel (ut habet codex Mazarinæus *in prædicatione sacerdotum, quando Missæ celebrantur.* Si jam à Pauli temporibus id iste, de quo loquitur, factum fuisse scivit ac putavit, quid eo stultius atque infantius dici potest, quam quod idem hic tradit, Alexandrum *id fecisse*? Tradit enim hoc illum non *scripsisse* aut *roborasse* (quod intelligit Baronius) sed fecisse; *Hic* (inquit) *passionem Domini miscuit* in precatione Missali. Si majores ante Alexandrum miscuerant, plane negatur, qui illum miscuisse notat. Ne ergo dubites hoc, quod est longe absurdissimum, non ipsum Pontificalis auctorem primum scripsisse, sed aliquem de eorum genere inseruisse, qui Papas Romanos rerum Ecclesiasticarum omnium auctores videri cupiunt. A cujus manu illud quoque est, quod continenter subjicitur in Mazarinæo & Thuanæo codicibus; in editis nonnisi post unum versiculum exhibetur; *Hic constituit aquam aspersionis cum sale benedici in* habita-

m Alex. ep. 1.
n Pont Dom. in Alex. 1.
o Bar. an. D. 132. §. 5.
p 1. Cor. 11.

habitaculis hominum. Ne Baronio quidem placet, ut Alexandro auctori aquæ illius cum sale benedicendæ usus tribuatur, quem vult ab ipsis Apostolis institutum, & inde ad posteros propagatum; idque locupletissimi scilicet testis auctoritate probat, Pseudo-Clementis in Pseud-Apostolicis Constitutionibus. *q* Sed si ita est (quod ipse vehementer cupit) fatendum est vel mentitum esse Pontificalis auctorem, vel certe hoc de aqua benedicta additamentum, non auctoris, sed impostoris esse cujus manu id auctoris panno insutum fuit. Solennis enim illa Baroni; glossa, ut res, quæ *constituta* dicitur, non quidem *constituta*, sed tamen *confirmata & roborata* intelligatur, hic locum habere non potest. *Hic* (inquit) *constituit aquam aspersionis cum sale benedici*. Quis Baronium ferat, dictantem tam claris, tamque disertis verbis hoc tantum significari, *aquam cum sale* Alexandrum quidem ipsum nequaquam *constituisse* sed ab Apostolis jam à principio constitutam, & exinde apud omnes solennem atque usitatam approbasse? Et Baronius, & cæteri, qui veterum verbis verum ac genuinum sensum talibus glossematis eripiunt, orbi Christiano palam nullo pudore illudunt. Neque vero putandum est scientem ac prudentem mentitum esse vetustissimum, &, quod arguit constans ejus hoc in opere candor ac simplicitas, valde sincerum auctorem. Ergo relinquitur, ut hæc quoque, æque ac præcedens plagula ejus operi ab impostore eodem, quo diximus, studio immissa fuerit; non quod illam aquæ cum sale benedictionem ab Apostolis jam occupatam ego una cum Baronio sentiam (absit) sed quod ne ab ipso quidem Alexandro, antiquissimo, ac tantum non Apostolici temporis viro proficisci potuisse credam traditionem tam ab Evangelica doctrina alienum. Sunt alia multa in idem Pontificale à mala manu immissa, & infulta, quæ scripto alioqui antiquissimo & non una de causa utili fidem, etiam interdum in veris abrogant. Sed hæc de afficta Alexandro *passionis* in Missali sacerdotis prece admixtione dicta jam plus satis sunt.

Denique hoc etiam de Canone observat Valafridus; *Gregorium P. R. III. cum faceret oratorium in Basilica B. Petri in honorem omniū Sanctorum, & quotidie ibidem officia ac Missas in eorum venerationem constitueret celebrari, pariter instituisse in Canone à sacerdote dicendum*, Quorum solennitas hodie in conspectu tuæ Majestatis celebratur, Domine Deus noster, toto in orbe terrarum; *quod quia* (inquit) *specialiter ad illam pertinet celebritatem, non est Canoni, qui generaliter dicitur adnotatum*. Hæc ille. Sed cum & hoc, tametsi illius celebritatis proprium, ad Missæ tamen Canonem pertineat; confitendum est hanc quoque ejus particulam apud III. ipsos Romanos novam & ante an. D. 731. quo Gregorius 3. ordinatus est urbis Episcopus, ignotam & inauditam fuisse.

CAPUT XVII.

q Const. L. 8. c. 35.

r Valafr. c. 22. p. 684. D. Berno ead. habet. c. 1.

CAPUT.

Caput XVIII.

Caput XVIII.

VII. argum. ex iis, quæ Leo in quarta oratione adiecisse noscitur. VIII. argum. ex eo quod post an. D. 687. à Sergio additum sit, Agnus Dei ante communionem.

In quarta Canonis prece, *Unde & memores*, Valafridus & cæteri pæne omnes Latinæ Missæ expositores, Berno, Rupertus, alij tradunt *s* Leonem, qui an. D. 440. ordinatus est, constituisse, ut diceretur, *Sanctum sacrificium* &c. Valafridus; *De hoc* (inquit) *etiam quæri potest, utrum ab eo loco, quæ sequuntur addiderit, vel ipsa tantum verba, id est*, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam, *eo loco intermiscuerit; quod quia manifeste non legimus, nolumus diffinire.* Sed utrumque se res habeat, certe de istius particulæ, utrolibet modo sumptæ, novitate constat; quæ scilicet non nisi post an. D. 440. in Canonem Ecclesiæ Romanæ recepta est.

s Id. ibid.

Orationem Dominicam, quæ post consecrationem & ante communionem dicitur, eo loco dici, Gregorius ipse supra profitebatur *t* à se primo constitutum esse, idemque ex eo posteri testantur *u* Berno, Rupertus, alij. An auté duas illas, quas Valafridus vocat, *appositiones congruas*, priorem hanc brevem, quæ præmittitur, *Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati audemus dicere*, Pater noster &c. Alterá longiorē, quæ sequitur, Libera nos Domine, ab omnib malis præsentibus, præteritis, & futuris intercedente B. & gloriosa semper Virgine &c. an in quam, duo ista Gregorius ordinaverit, an aliquis postea adjecerit ab eo ordinatis, neque ipse, neque cæteri definiunt. Utcumque sit, negari non potest novum esse, & apud Romanos ante an. D. 590. institutum, ut hæc post Canonem dicantur.

t Greg. L.
u Val. c. 22.
Bern. c. 1.
Rupert. L. 2. de offic. div. c. 21.

Ante communionem dum panis frangitur à sacerdote, interea ter cantatur, ac ter repetitur carmen, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis*; nisi quod tertia vice pro his duobus ultimis verbis, dicitur, *Da nobis pacem.* Id omnes pariter tradunt, *x* ac ipse quoque Anastasius *y* in Vitis Pontificum à Sergio I. fuisse institutum. Ergo & hoc in Missali cultu novum est, & ante an. D. 687. quo Sergius in urbe sedere cœpit, apud ipsos Romanos inusitatum.

x Val. c. 22. Bern. Rup. ubi supr.
y Anast. in Serg.

Atque hæc quidem satis sunt, ut Liturgiæ Latinæ, sive Missæ plæraque omnia nova esse, pauca incertis auctoribus ferri, dubiæ adeo & ipsa antiquitatis, intelligamus. Quin & hinc patet ne Canonem quidem hodiernum plane eundem esse cum Gregoriano.

CAPUT

CAPVT XIX.

X. Novitatis argum. ex actibus sacerdotis Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Thuriferarij inter missificandum; qui plerique recensentur, & à veteris Ecclesiæ ritu alieni fuisse demonstrantur.

SEd sacri Missalis novitas ex ipsis actibus, quibus nunc celebratur, non minus coarguitur, quam ex precibus, hymnis, collectis, & aliis verbis, quibus Liturgia constat. Tanta enim est illorum actuum varietas ac multiplicitas, ut eos vel sola statim inspectio clare admoneat alienos esse ab antiquitatis ingenio, cujus notum est instituta fuisse simplicissima, eademque facillima. Non omnia, quæ huc pertinent, exsequar. Sunt enim tam multa, tamque involuta, tam morosa ac perplexa, ut mirer quemquam reperiri, qui totam Missam valeant plene perfecteque celebrare, absque ullo in regulas apud eos receptos peccato. Sunt enim omnia (quod est in primis observandum) accurate præscripta; ac ut verba omnia concepta sunt sacra, ac definita; ita & actus ipsi quibus singulis Missæ partes ac particulæ peraguntur, omnes etiam minime, certa lege ita constituti sunt, ut eorum nihil a celebrante omitti, immutari, inflective absque peccato queat.

Ex Ritibus celebrandi Missam.

a c.6.§.5.c. 8.§.3.c.10.§. 4.

b c.5.§.1.3.c. 7.§.1.7 c.10. §.6.c.11.§.1. c.12.§.1.

c c.3.§.1.c.6. §.2.c 7.§.5. 7.8.c.8 §.1. c.9.§.1.c.10. §3.

d c.2 §.6.c.3. §.2.3. c.5.§.1. 2.4.c.6.§.1. 3.c.7.§ 1.8.c. 8.§.7.c.11.§. 4.c 6.§.2.c. 2.§.2.c.6.§. 5.c.2.§.c. 10.§.1.2.c.7. §.5.7.c.8.§. 4.

e c.6.§.2.c. 7 §.2.7.8.c. 8.§ 1.

f c.5.§.1.c.6. §.2.§.7.c.8.§. 1.4.

g c.4 §.5.

h c.9.§.2.c. 10.§.11.

i c.1 §3.c.2. §.10.

k c.1.§.1.4. c.4.§ 1.c.5.§. 3.c.7.§.1.c.9. §.1 &c.

l c.10.§.2.

m c.6.§.2.

Itaque sacerdos missificans interdum stat *a* junctis manibus ad cornu altaris, quod *epistolam* vocant; etiam interdum sic quiescens, ut feriari videatur. Crebro locum mutat; stans modo ante medium altare; modo ad alterum ejus cornu, nunc dextrum, nunc sinistrum; vertit se, nonnunquam ad populum, & mox revertitur, ita gressus regens, ut circulum perficiat; *b* quod sæpius facit. Est ubi inclinatus loquitur, & quidem cum hoc discrimine, ut quædam aliquantum, quædam profunde inclinatus loquatur. *c*

Sunt & sua in hoc sacro plærisque corporis partibus officia. Caput, quod alias rectum esse decet, sacerdos sæpe inclinat, modo parcius, modo summissius, ad venerationem *d* crucis, Evangelici codicis, altaris, sacramenti, & cum pronuntiatur nomen Iesu Christi.

Oculorum hic quoque suæ sunt suis locis partes. Eos enim sacerdos interdum levat ad cœlum: *e* interdum ad terram dejicit, *f* & quidem aliquando adeo repente ut eum pœnitere videatur, quod cœlum suspicere ausus sit. Interdum eos in hostiam, *g* interdum ad sacramentum *h* intendit.

Ori, præter vocis officium, aliud etiam est, quod in Missa agat. Nam inter eam agendam sacerdos res non paucas osculatur. Ac crucem *i* quidem primum in amictu, in stolo, in manipulo; Tum altare, *k* neq; semel, neq; perfunctorie, & patenam, *l* & Evāgelij codicem *m* osculatur. Præter hæc sacerdos Diaconū quoq; in Missa solēni ante communionē osculatur

Cap.XIX. (si tamen id osculum vere dici potest.) Non enim fit ore admoto, sed genis utrimque sinistris sibi invicem appropinquantibus, *n* ut ipsi hunc ritum describentes definiunt. Os vero ad vocem linguæ ministerium, idque multiplex sufficit. Multa enim sacerdos secreto dicit, *o* ad quæ pronuntianda labia pæne satis sunt; exiguum est linguæ in iis opus. Alia voce essent nonnihil elata; *p* non pauca sic, ut plane possit intelligi; *q* Sunt & quæ ter; etiam quæ novies repetit. *r* Linguæ id quoque officium est, quod Sacerdos præter ipsas Missæ collectas & preces &c. etiam quædam ex Scripturis descripta legit, in quibus illud singulare est, quod post, *Ite missa est*, id est post Missam peractam, legit *s* Evangelium Ioannis.

Est & cubitorum in hoc sacro usus; quibus interdum sacerdos super altare positis nititur. *t*

Manuum vero tam multa, tamque varia sunt in Missali officio ministeria, ut omnia persequi difficile sit. Manus enim sacerdos ambas sæpe iungit; *u* iunctas nunc elevat, *x* nunc demittit; *y* aliquando tenet, vel ante pectus, *z* vel super altare, *a* vel super oblata, *b* etiam super corporali, *c* vel super librum: *d* quin & aliquando super faciem suam. *e* Interdum etiam iunctis manibus legit. *f* Est ubi una manu: est ubi ambabus agit. *g* Iunctas vero manus super altari, non quovis, sed singulari quodam modo ponit: ita scilicet, *ut digiti parvi dumtaxat frontem seu medium anterioris partis tabulæ seu mensæ altaris tangant; residuo manuum inter se & altare retento, pollice dextro super sinistrum posito. h* Anxia fateor, & vel capta difficilis positurae ratio: sed in qua, ut sunt Latinorum omnia, non est dubitandum quin taceant altissima Romanæ sapientiæ mysteria.

Manu non alibi sacerdos religiosius utitur, quam vel in sacris symbolis tangendis, consecrandis, gestandis, elevandis: vel ad res personasque signandas. Itaque id fit proprio quodam, & Latina sapientia digno modo. Quoties enim hostia tangenda est, vel elevanda ad adorationem, sacerdos pollices & indices extendit, iisque acceptam tenet, *i* reliquis manuum digitis extensis & simul iunctis. Patenam eodem modo, nisi quod eam inter indicem & medium accipit. *k* Calicem vero consecraturus ambabus manibus accipit, & aliquantum elevatum statim deponit: & mox sinistra pedem calicis, dextra vero modum infra cuppam tenet, *l* & consecratum ambabus manibus elevat & ostendit populo adorandum. Sic etiam *communicaturus iunctis pollicibus & indicibus calicem dextra manu infra modum* (*nodum*) *accipit m patenam sinistra manu. n*

Sed & insignis est manuum in cruce signando usus. Multa autem signat sacerdos: neque uno omnia modo: se ipsum primo sic semper, *ut sinistra infra pectus posita vertat ad se palmam manus dextræ, & omnibus aliis digitis iunctis & extensis à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum signum crucis formet.* Si vero alios, vel rem aliquam benedicit, *parvum digitum vertit ei, cui benedicit ac benedicendo totam manũ dextram extendit, omnibus illius digitis pariter iunctis & externis: idq; in omni benedi-*

n c.10.§.8.
o c.3.§.1.7.c.6.§.2.&c.
p c.7.§.7.8.
q c.3 §.2.3.&c
r c.3.§.2.c.10.§.6.
s c.12.§.1:
t c.8.§.5.c.10.§.4.
u c.3.§.2.3.c.5.§.1.4.c.6 §.2.3.c.7.§.7.8.c.8.§.4.c.11.§.1.
x c.3.§.1.c.6.§.3.c.7.§.5 8.c.8.§.1.3 c.12.§.1.
y c.12.§.1.c.8.§.4.
z c.3.§.3.c.4.§.1 c.5.§ 1.4.c.6.§.2.3.c.7.§.5.6.7.c.8.§.14 c.9 §.12.c.10.§.2.c.11.§.1.
a c.3.§.1.c.4.§.1.c.5.§.3.4.c.7.§.5.7.c.9.§.1.c.10.§.1.
b c.8.§.4.
c c.9.§.1.
d c.5.4 c.6.§.1.
e c.10.§ 4.
f c.11.§ 1.
g c 7.§.2.3.5.c.7 §.5.9.10.c.8.§.4.5.c.9 §.1 3 c.10.§.1 2.
h c.3.§.1.c.7.§.1.7.c.9.§.1.
i c.8.§.5.c.7.9.§ 3 c.10.§.2.5.
k c.10.§.1.
l c.8. §.7. m c.10. §.4. n c.9. §.3.

Elione observatur. o Se autem in hoc loco sacro sæpius, atq; subinde signat quoties placuit Missæ Latinæ ordinatoribus. Sed & populo eodē crucis signo benedicit. *p* Item signat quoque Evangelium *q* & altare, *r* & pyxidem, *s* & corporale, *t* & ampullam aquæ, *u* ipsam quoque hostiam & calicem sacrum, non modo ante consecrationem, sed etiam, quod mireris, post eam peractam: ac primo quidem utrumque symbolum simul ac communiter, *x* mox seorsum hostiam, *y* & seorsum calicem. *z* Thus quoque, quod omiseram, cruce signat. *a*

Est & hoc manuum opus, quod sacerdos dextra pectus suum tribus, quatuor vel Missæ locis percutit, *b* & quod tam sæpe, tamque accurate subinde abstergit hostiam: calicem, *d* pollices & indices suos, *e* patenam, *f* corporale, *g* os denique suum. *h* Item quod postquam communicavit, corporale inspiciens *colligit fragmenta, si qua sint in eo: sollicite etiam cavens nequid eorum in pollice & indice* dextræ manus suæ quantumcumque minimum remaneat. *i* Huc quoque pertinet, quod hostiam in tres particulas frangit, quarum unam in calicem immissam postquam una cum vino sacro hausit, se postremo ut loquuntur, *purificat*, *k* item quod post communionem particulas consecratas, quæ remanent, reponit in pyxide. Manu etiam instrumentum pacis Diacono præbet, quod ille communicantibus osculandum porrigit: *m* Idem manu quoque incensum ponit in thuribulum, *n* & oblata non semel incensat: *o* Crucem *p* quoque, & altare *q* accuratissime & reliquias seu imagines Sanctorum. *r* Manus ergo sacerdotis tot tantorumque operum ministras mirari non debemus ad ea conficienda accuratissime neque semel ablui. Ab ipso enim initio antequam calicem & sacra vasa contingat, manus lavat, *s* dicens orationem, *Da Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis & corporis valeam tibi servire.* Neque hoc satis esse visum est, nisi in offertorio cum accedit ad cornu epistolæ, *stans ministro aquam fundente, manus rursum lavaret*, *t* id est (ut illi quidem interpretantur) *extremitates digitorum pollicis & indicis*, dicens Psalmum, *Lavabo inter* innocentes manus meas. Sed & postea initiales Missæ partes exsecutus, prius quam Canonem aggrediatur, bene incensatus ac perfumigatus *iterum de integro lavat u* manus *ministrantibus Acolythis ampullam aquæ cum pelvicula & manutergio*, ut ipsi sua mysteria eloquuntur. Neque hic omiserim (tametsi id alio, quam ad mundandas manus pertinet) quod sacerdos postquam calicem sacrum sumpsit & se purificavit, *vino deinde & aqua abluit pollices & indices* (quibus sacrum scilicet panem contigit) super calicem, eosque abstergit purificatorio, ablutionem sumit, & extergit os & calicem purificatorio, & purificatorium extendit super calicem. His omnes intelligunt id unum ab istis religiose caveri ne qua forte micæ sacræ particella digitis illis duobus adhæserit quos solos fas est hostiam contingere.

Hæc de manuum in Missa sacerdotalium ministerio. Sed ipsis quoque genibus suæ sunt in hoc Latinorum sacro partes. Celebrans enim genua

o c.3.§.5.c.4.§.2.c.6.§.2.3.5.c.7.§.8.c.9.§.1.c.10.§.4.c.12.§.1.
p c.10.§.6.c.12.§.1.
q c.6.c.2.c.12.§ 1.
r c.11.§.10.
s c.12 §.6.
t c.6.§.3.c.7 §.5.
u c.7.§.4.9.
x c.7.§.5.c.8 §.1.4.c.9.§.1.3
y c 8.§.7.c.9.§.1.3.c.10.§.2.
z c.8.§.7.c.9 §.1.3.c.10.§.2.
a c.4.§.4.
b c.9.§.3.c.10.§.2.4.c.11.§.3.
c c.1.§.1.
d c.7.§.3.4.9.c.10.§.6.
e c.8.§.4 7.c.9.§ 3.c.10.§.2.4.
f c.10.§.1.4.
g c.10.§.6.
h c.10.§.5.
i c.10.§.4.5.
k c.10.§.2.5.
l c.10.§.6.
m c.10.§ 3.8.
n c.4.§.4.c.6 §.5.c.7.§.10.c.13.§.4.
o c 4.§.10.
p c.4.§.4.c 7.§.10.
q c.4.§.4.c.7.§.10.
r c.4.§.4.
s c.1.§.1.
u c.10.§.5.

Cap. XIX. ibidem subinde flectit ante locum x sacramenti; item ante ejus tabernaculum, y & versus librum Evangelij; z & ad altare, a & quoties Christus incarnatus legitur vel dicitur. b Ejusdem sensus est quod ibidem sacerdos aliquando legitur facere reverentiam cruci, c imagini, altari. e Huc quoque pertinet illa adoratio, id est *latria* ex Tridentina Synodo quam toties in Missa exhibet Eucharistiæ, quibus locis diserte dicitur vel sacramentum, f vel hostiam, vel calicem jam consecratum adorare. Quin & ibi populum circum stantem, postquam ipse suo exemplo prævivit, hostiam prius, g mox & calicem h in altum attollens utrumque suo ordine sigillatim adorare jubet.

x c.5.§.10. y c.2.§.1. z c.6.§.2. a c.12.§.1. b c.6.§.3. c c.2.§.1.4. c.3.§.1.5. d c.2.§.1.c. 13.1. e c.2.1.7.c.9. §.3.c.10.§.1. 2.5. f c.2.§ 1.7.c. 9.§.3.c.10.§. 1.2.3.c.8.§.5. 6.7. g c.8.5. h c.8.§.7.

Hi sunt præcipui & observata facillimi Sacerdotis in Missa actus. Omnes sigillatim ne uno quidem prætermisso exsequi hominis ni fallor esset, otio suo abutentis. Sed præter ipsos actus, cum ut vel ex iis, quæ diximus apparet, plures continenter repetantur, operæ pretium est observare, quoties id fiat. Fit enim certo numero, eoque pæne semper impari; Verbi gratia signum crucis sacerdos sæpe iterat; sed hujusmodi semper numero. Ita super hostiam & calicem communiter signat ter, i illa dicens, hæc dona, hæc munera, *hæc sancta sacrificia*. Ter quoque super eadem signat communiter illa alia verba dicens, *Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam*; & continuo super hostiam semel seorsum super calicem; ex quibus & tribus proximis super symbola conjunctim factis exsurgit quinarius signorum numerus, ipse quoque impar. *Semel* multis quoque locis signant. k Sed & hic numerus impar est. Est ubi sacerdos pectus semel percutit; Est ubi ter: m Nusquam, quod meminerim, ubi bis vel quater. Sic & verba quædam ter, n quædam novies o repeti notavimus. Quæ bis vel sexies repeterentur, nulla occurrerunt.

i c.9.§.1. k c.4 2.c.6. §. 2. & sic passim. l c.9.§.3. m c.10.§.4. l c.9.§.3.&c. m c.10.§.4. n c.10.§.4.6. c.3.§.2. o c.4.7.c.7. §.11. p c.4.§.7.§. 11.

Iam præter sacerdotem in Missis præsertim solenniotibus suas quoque operas aliquot Ministri ad hoc sacrum adhibent Diaconus, Subdiaconus, Acolythus, Thuriferarius: quorum aliquot saltem nobiliores actus notare operæ pretium videtur. Diaconus & subdiaconus assistunt Sacerdoti: interdum quidem hinc & inde, alter à dextra, alter à sinistra: p interdum ambo ad unum idemque latus, vel in eodem ordine, q vel etiam, alter post alterum. r Diaconus osculatur manum celebrantis: s cochlear, t librum Evangelij: u naviculam ministrat sacerdoti, x jungit manus: y cruce signat se ipsum, z librum: a quædam una cum celebrante dicit: b Genuflectit altari: c Incensat chorum, d librum Evangeliorum, e Subdiaconum, f ipsum quoque Sacerdotem. g Subdiaconus aliquando osculatur celebrantis manum: h Missale & Epistolas portat, i genus flectit altari. k Minister osculatur ampullam vini: l parvam campanulam pulsat: m ostendit linteum communicatur. n Thuriferarius incensat populum, o Acolythos, p Diaconum. q Acolythi vero in ipso introitu *deferunt candelabra cum candelis accensis, quæ deinde collocantur super credentia*: r tametsi Missa non dicatur apud Latinos nisi orto die. Iidem postea eadem candelabra accensa de credentia

q c.4.§.7. r c.4.§.7.c.5. §.5. s c.4.§.4.c. 6 § 5. t c.4.§.4. u c.6.§.2. x c 4 §.4. y c.6.§.5. z c.6.§.5. a Ibid. b c.7.§.9. c c.6.§.9. d c.7.§.10. e c.6.§.5. f c.7.§.10. g c.4.§ 4.c. 6.§.5.c.7.§. 10. h c.6.§ 4.c. 7.§.9. i c.6. §.4.5. k c.6. §.4.

l c.7.§ 4. m c.7.§.8.c.8.§.6. n c.10.§.6. o c.7.§.10. p Ibid q Ibid. r c.2.§.

dentia sumunt; *s* & Sacerdos ad locum Evangelij progressus, inter eos ambos consistens, dicit, *Dominus vobiscum.* Neque duæ illæ candelæ nisi omnibus absolutis, exstinguuntur. *t* Sed in Canone dum Sacerdos elevat hostiam à populo adorandam, *accenditur intortitium*, *u* quod non exstinguitur, nisi communione peracta. In Missa vero solenni, non unum, sed duo saltem intortitia hoc loco accenduntur ab Acolythis; quæ in diebus jejuniorum, & in Missis pro defunctis tenentur accensa usque ad communionem. *x*

CAP. XIX.
s c.6. §.5. c. 12. §.6.
t c.6. §.5. c. 12. §.
u c.8. §.6.
x c.8. §.8.

Iam cum hi omnes istorum Ministrorum, præsertim vero Sacerdotis actus & nutus ad Missæ sacrum rite peragendum requirantur, ideoque libellus ille, in quo summa diligentia explicantur, *Ritus celebrandi Missam*, inscribatur; Bellarminus & alij Theologi Latini debebant eos in hac disputatione afferre, ac demonstrare jam olim ab initio Christianismi in Eucharistia celebranda solennes fuisse, si Missæ suæ eam esse, quam jactitant, antiquitatem Lectoribus persuadere cupiebant. Atqui ex ista pæne immensa actuum Sacerdotalium & Diaconalium Sylva, quos ipsi sacrosanctos ac mysteriis cœlestibus plenos esse existimant, paucissimos attigerunt; cæteros, quorum numerus longe major est, plane indictos & indiscussos prætermiserunt. Quod tam acres, tamque impigri Missæ suæ defensores nihil hac in parte non modo præstiterunt, sed ne conari quidem sunt, quod necessario exigebat susceptæ ab iis causæ defensio, id ipsum clamat eos huius generis actus ritusque, quos intactos prætermiserunt, omni idoneo carere antiquitatis testimonio. Principio certe, si in ipsum Dominicæ institutionis & celebrationis exemplum oculos intendas, nullum istic ministrorum, nullam thuris aut acerræ, signorum vel crucis, vel Sancti alicujus pompam reperies; ne altare quidem vllum, aut vlla eius cornua, vel meditatos ad illa gressus, regressusque, ac circuitus; nulla fixa lapidibus, aut lignis, vel ministris oscula; nullas vel vocis, vel manus, modo elatæ, modo summissæ varietates, nullam sacri panis elevationem, ostentationem, adorationem. Denique summam in Domini mensa gravitatem, modestiam, ac simplicitatem; omnia à morosissimis sacri Latini ambagibus abhorrentia deprehendes. Ne Iustiniana quidem mensa quicquam habet *y* horum, quos recensuimus, actuum simile. Nullus istic Antistiti apparet vel Acolythus, vel Thuriferarius Diaconus ad ministrandum assistit. Thuris nihil fumat; nihil ardet olei, vel ceræ, vel tædæ. Imagines Divorum, cruces vel de materia aliqua stantes, vel erudita manu sexcentis modis in aëre expressas, reverentias, genuflexiones, adorationes ad sacra, ad altare, ad Evangelij codicem vel Epistolarum, totam denique Latinæ missificationis scenam nō magis in istius Eucharistia, quā in Dominica Genevensium cœna offendes. Pseudo-Clementis fateor, haud paulo quā Iustini, auctiorē atque instructiorē esse synaxin. Sacerdos istic cruce signat; *z* sed so unū; sed semel. Cæterorū, quæ dixi, nihil apud hunc, magis quā apud Iustinum occurrit. Ne in Pseud-Areopagitica quidē, circa seculi vel quinti exitum, vel sexti

y Iustin. Apol. 2.
z Constit. Apost. l. 8. c. 15. ad 23. edit. Lat.

Cap.XIX. initium scripta, Synaxi ista cernuntur, a si thus exceperis, quod hic fateor, large adoletur; sed semel, sed ab uno Sacerdote, sed absque ullo numeri mysterio; sed universim ad totum chori ambitũ suffitu purgandum; non ad oblatam, non ad crucem, aram, sancti alicujus reliquias, aut imaginem, vel quicquã aliud seorsum ac sigillatim honorandũ. Cætera apud hunc desiderantur, diligentissimum licet hierophantam, quique ab ipso limine profitetur se quemlibet hujus mysterij ritum exacte consideraturum. Lege. Nullum istic eorum actuum, qui in Missa Latina, tam accurata, tamque anxia religione peraguntur, vestigium reperies.

a Dionys. Hier. Eccl. c.3.

Longum est ire per singulas Græcorum Liturgias, Iacobi, *Marci*, Petri, Basilij ac Chrysostomi nomina præferentes; quas qui sigillatim cum hodierna Latina contulerit, facile animadvertet illarum nullam cum hac, in iis, quos recensuimus, actibus plane penitusque convenire. Nam nequid de cæteris dicam, illud certe clarum est ab omnibus antiquis abesse morosissimam Latinorum in paterna & calice tractandis disciplinam, quæ pollicem ac indicem à cæteris digitis sejungit; abesse & illam tam anxiam Romani Sacerdotis diligentiam, qua pollices & indices vino & aqua post dona oblata abluit; qua hostium, patenam, calicem, corporale post consecrationem & communionem inspicit atque abstergit, ingenti cura ac sollicitudine cavens, ne quæ vel hostiæ micæ, vel calicis guttulæ usquam hæserint, ac remanserint. Hæc inquam, omnis hac in parte religio unius est Latini Sacerdotis. Veteres multo securius hæc tractabant, neque de istis minutiis solliciti, satis habebant sacram ipsam actionem reverenter quod decet, & celebrare & ministrare: ut vel ex iis constat, quæ supra ex Cyrillo Hierosolymitano attulimus b Laïcos, non modo non vetante, sed etiam jubente siquid sacri liquoris post sumptum calicem in labiis superesset, id digitis colligere, eoque frontem contingere. Nimirum nondum illi sciebant in istis quantumvis minutis ac exiguis panis vinique particulis latere Deum, toto corpore ac sanguine suo præsentem; quæ mysteria, cum Paschasij primum subtilitas scrutata apud Latinos esset, ac postremo Papæ urbici oraculum aperuisset, novella fides novos ritus, & priscis multo accuratiores religiones induxit. Nam ne nono quidem, decimo, vel etiam undecimo seculo apud Latinorum majores in usu fuisse illam digitos distinguendi, & aqua vinoque abluendi, & hos cum non paucis aliis abstergendi solertem disciplinam, satis ex illius memoriæ auctoribus constat, qui de sacris Ecclesiæ officiis plures diligentissime scripserunt.

b Cyr. Hier. Catech. Myst.5.

CAPVT XX.

XI. Argumentum, à religione in numerum imparem, quæ à Gregorio 7. constituta est. XII. Argum. ab ipso actuum, qui recensiti sunt, ingenio & usu; quod ex Gotthica quadam & barbara elegantia plærique ad hoc unum inventi fuisse videantur, ut quæ ore dicuntur, ea item ipsi quoque significent. XIII. Argum. ex eo, quod antiquitus ignota fuerit multiplex Missarum divisio in eas, quæ sunt de festo simplici, duplici, semi-duplici; quæ diei Dominicæ, feriæ, vigiliæ, octavæ, votivæ, pro defunctis. Item à colore; ut aliæ sint Albæ, aliæ Nigræ; aliæ Rubeæ, Virides, Violaceæ.

IDem est de Latinorum in numerum imparem religione iudicandum. Nam ex Amalario intelligimus, c quod jampridem est à doctissimo Raynol do nostro observatum, d etiam nono seculo probabile visum esse apud Latinos, ut crucis signa numero pari fierent, *Videtur mihi* (inquit Amalarius) *si semel fuerit facta crux super panem & vinum posse sufficere, quia Dominus semel crucifixus est. Non abs re est, si bis figatur; quia pro duobus populis fixus est Christus.* Sed illam numeri imparis disciplinam ab Hildebrando Papa, qui Gregorius VII. dicitur, sero, id est vndecimo demum seculo & quidem jam præcipiti inventum esse ac constitutum apparet ex auctore Micrologi. Is enim de signis super oblationem disputans ea primo dicit *à diversis diverse fieri*; quibus verbis significat nullam antea de horum numero legem fuisse. Mox vero quædam de Gregorio honorifice præfatus; e *Sicut nos* (inquit) *per ipsum, & per Episcopos, qui eum imitati sunt, accepimus, imparem numerum semper in dispensatione super oblationem observamus, videlicet unam crucem, vel tres, vel quinque faciendo.* Ex his liquet, quod nunc crucis signa, & alij actus numero impari in Missa fiunt & dispensantur, id novum esse, & inter multa Hildebrandini ingenij inventa, quæ neque pauca neque levia sunt, esse apud Latinos censenda. Neque vero obscurum, quibus è lacunis Gregorius hanc in imparem numerum religionem hauserit. Eam enim non alibi, quam in impiis veterum Paganorum sacris observatam deprehendimus. Pythagoram inprimis constat, Ethnicæ sapientiæ nobilissimum principem, à quo ipsum profectum est philosophiæ nomen, numerum imparem coluisse, & pari prætulisse; hunc *indigentem, imperfectum, mortalem, sectioni ac passioni obnoxium* docuisse; illum *plenum, perfectum, immortalem, sectionisque ac passionis expertem*; parem, *fœminam*: imparem, *masculum*: hujus *dextrum*: illius *sinistrum esse initium*: ideoque præcepisse *templa ingredi quidem per loca dextra; egredi vero per sinistra*: Illum *prospera significare, & vivis adscribi*; hunc plane contra se habere; De his & cæteris eiusdem generis videat, qui volet, Ioannem

c Amal. L.3. de Offic.Eccl. c.24. pag. 424.
d Rainold. Coll. cum Hart. c.8. sect.8. p.344.
e Microl. c.14.E.

Cap. XX. Ioannem Meursium libello singulari singulorum fontes indicantem. * Sed ista sive Paganorum Theologi à Pythagora, sive hic, ab illis acceperit, illud quidem certum est, ea apud veteres idololatras, & Magos obtinuisse, vulgoque quod servius refert, † esse creditum, *Deos superos impari, inferos pari numero gaudere.* Quo factum est, ut Marco in † Pharmaceutria, ubi magica quædam ad pervertendam amatoris mentem sacra describit, mulierem, quam his operantem inducit, impari fingat uti numero, etiam addita hujus usus ratione,

* Meurs. in Denar. Pythag. c.2.
† Serv. in Virgil. Eccl. 8.
† Virgil. Eccl.8.
x Theocr. Idyll. 2. Pharmac.

Terna tibi hæc primum duplici diversa colore,
Licia circumdo, terque hæc altaria circum
Effigiem Amatoris scilicet. *duco. Numero Deus impare gaudet*

Sic etiam apud Theocritum, quem Virgilius in Bucolicis imitatur, eadem illa sacra faciens mulier^x, oratione ad *venerandam* Dianam conversa, *ter se libare, terque carmina quædam canere* dicit,

Ἐς τρὶς ἀποσπένδω, καὶ τρὶς τάδε πότνια φωνῶ.

Hos scilicet Hildebrandus suæ in numerum imparem religionis præclaros sane, ex medio Paganismo auctores habuit; Quos ex Dei sancto, seu veteri, seu novo, populo habuerit, nullos in utriusque fœderis monumentis reperio.

Præterea hos, certe plærosque Missalis Sacerdotis à nobis recensitos actus, novitios esse illud mihi persuadet, quod ut plurimum ad id ipsum significandum fieri videntur, quod Sacerdos loquitur. Verbi gratia, ubi commemoratione vivorum facta manus demittit & extendit, id dicens, quod sequitur, *& circumstantium,* f omnino hoc manus actu innuit eos ipsos *circumstantes*, quos ore dicit, à se intelligi. Et mox in prece, *Communicantes*, dum dicens *Iesu Christi*, *caput inclinat cruci*, illa capitis inclinatio eum ipsum Christum dici significat, qui fixus est cruci; ut unam, eandemque rem & lingua & caput (ut sic dicam) loquantur; sed diverso modo; lingua quidem *verbo:* caput vero *nutu*. Sic & ubi hæc ad consecrationem de Christo pronuntiat, g *elevatisque oculis in cœlum*, simul ipse quoque elevat oculos in cœlum; & cum de Christo statim dicens, *tibi gratias agens*, caput aliquantulum inclinat; eo nutu, qui gratias agentium est scilicet, id ipsum quod dicit, sed alio (ut sic dicam) charactere exprimit. Et mox ubi de Christo pronuntians *benedixit*, signum ipse crucis facit, ita benedictionem & linguæ sono, & manus actu repræsentat. Item cum in consecratione legit, h *accipiens & præclarum hunc calicem*, rem & his verbis, & manus actu simul semelque loquitur, quo scilicet momento hæc dicit, eo ipso *ambabus manibus calicem accipiens*. Item consecratione peracta, in oratione sexta; ubi dicens, *Nobis quoque peccatoribus*, dextra manu sibi pectus percutit, idem manus, quod lingua, loquitur. Se enim tangens, quos dicat demonstrat; & *pectoris percussione*, quos dicit, eos *peccatores* fatetur. Vbi vero orationem recitaturus est, ad eam populum lingua simul & manu cohortatur, k Lingua quidem, dicens. *Oremus*; *manu* vero dum simul *jungit manus*, qui scilicet ritus est precantium. Eiusdem est artis, quod in Evangelio Epiphaniæ, ubi illa de Magis recitat,

f Rit. celebr. Miss. c.8. §.4.
g Ibid.
h Ibid. §.7.
i c.9. 3.
k Miss. tit. Rubr. gen. c.17. §.1.

recitat; *l Et procidentes adoraverunt eum*, ipse quoque genu flectit; & feria quarta post Dominicam quartam Quadragesimæ, ad illa, *Et procidens adoravit eum* & Dominica Palmarum, ad hæc Pauli, *in nomine Iesu omne genu flectatur*; ad hæc omnia genu flectit, id ipsum, ut omnes vident, significans. Denique rarus est in tota Missa sermo, alicujus quidem momenti, quem non comitetur aliquis idem significans Sacerdotis actus, ut non alio primum consilio tam multi Sacerdoti missificanti actus præscripti fuisse videantur, quam ut rem eandem duobus his modis, ac duplici (ut ita dicam) sermone, *verbali* scilicet, & *reali* significaret. Putarunt plebem hac arte & res ipsas planius ac facilius intellecturam, & ex hoc eleganti, ut rudi popello videtur, sermonis ornamento voluptatis aliquid percepturam. Iam cum id elegantiæ genus leve ac pæne puerile, non aliis, quam Gotthicis temporibus ac ingeniis placuerit, à veteribus vero pro inepto ac vitioso repudiatum sit; cumque ipsa religionis majestas hæc ludicra respuat; omnino videtur confitendum Missam, quæ his sequiorum temporum deliciis scatet, non ab antiquis, sed à recentioribus, effictam atque institutam esse.

Cap. XX.
l Ibid.

Sed præter hæc, à Bellarmino quoque prætermissa fuisse miramur illa Missarum tam multa hodie apud Latinos genera. Missam enim aliam esse volunt *m de festo Duplici*, vel *semiduplici*; aliam *de simplici*; item de Dominica, vel feria, vel vigilia, vel octava; & extra ordinem aliam esse Votivam, aliam pro defunctis; quæ partitiones plenæ quidem sunt magnæ & singularis subtilitatis ac sapientiæ vere Romanæ; veteribus vero vel omnes, vel certe plæræque ignotæ fuisse videntur. Erat ergo Bellarminianæ solertiæ demonstrare has Missarum differentias à Petro, vel certe ab aliquo Paparum, qui proximi fuerunt Petri successores, constitutam jam inde à Christianismi primordiis fuisse. Fatemur enim nos unam apud eos Synaxin, non plures reperisse. Neque omittendum erat aliud Missarum discrimen, quod à colore *paramentorum* (ut vocant) altaris & celebrantis aliorumque ministrorum, ducitur; *n* unde exsurgit quintuplex Missarum ordo, pro quinque colorum generibus, quibus in iis dicendis utendum putant; aliæ ut *Alba, Nigrave, Virides, Rubea*, vel *Violacea* denique sint ac dicantur; quæ res & amœnitatem atque elegantiam singularem, & multiplicem continet Romanæ sapientiæ demonstrationem. Debuerat ergo Bellarminus, & hanc Missalis suæ disciplinæ haudquaquam profecto ignobilem partem, ostendere, vel à Petro, vel ab aliquo certe Alexandro, aut Telesphoro, vel si hi casci pellitique Patres nimium ei rudes crassique viderentur ab aliquo saltē vel Cœlestino, vel Gregorio excogitatā atque ordinatam fuisse; quod cum neq; iste, neque quisquam, quod sciam, alius ex Latinis scriptor fecerit, omnino cogor suspicari novam quoque esse totam hanc Missarum in tam multa tamque diversa genera distributionem. Debuerat quoque Bellarminus demonstrare Missarum, quas ipsi vulgo *de Sanctis*, vocant, vel nomenclaturam, vel certe usum apud Apostolicam, & Apostolorū proximam

m Missale Rubr. gen. c. 1.

n Ibid. c. 18.

Cap.XXI. Ecclesiam, solennem fuisse. Ego fateor, me neutrum in veterum scriptis animadvertere potuisse. Neque aliud credo, sentiebat Georgius Vicelius, qui Missas *ad certos Divos destinari* usque adeo ægre ferebat, ut id ausus sit scribere o sibi *idololatricum* videri.

o Vicel. Via. reg. c. de Const. hum. p 320.

CAPUT XXI.

XIV. Arg. ex eo quod regulæ Latinorum hodiernæ de panis & vini Eucharistici qualitate, de verborum forma, de celebrantis intentione, dispositione animæ & corporis, vestimentorum, & circa ministerium, ad hoc ut Sacramentum conficiatur, vel certe ut, ne ei quicquam desit; eæ inquam, regulæ antiquis plane ignotæ fuerint, ut Bellarmini de iis silentium fatetur.

Etiam præter superiora, hoc quoque in Bellarmino desidero, quod eius disciplinæ, quæ nunc apud Latinos de defectibus circa Missam occurrentibus accuratissime observatur, antiquitatem nullis vel argumentis, vel veterum testimoniis demonstrare studuerit. Quanti autem ea sit momenti vel hinc æstimari potest, quod ex iis defectibus aliqui sunt, ob quos Sacramentum ipsum confici negant, ut verbi gratia. p Si panis ex quo conficiendum est, *non sit triticeus, vel etiamsi triticeus in tantam tamen quantitate granis alterius generis admixtus sit, ut non maneat triticeus. Item si corruptus sit. Si vero confectus sit de aqua rosacea, vel alterius distillationis:* homines ad unguem sapientes dubium esse definiunt an ex eo sacramentum conficiatur. Dubium ergo pariter est, qui ex hujusmodi pane confectum latria adorat, is-ne idololatra sit, an secus? Si vero is panis *cœperit corrumpi*, nec dum tamen *corruptus sit*; item si *non sit azymus*; *confici* quidem aiunt, q ita tamen, ut sic conficientem graviter peccare pronuntient. Mitto morosissimam diligentiam, qua cavent, nequid horum contingat, quaque id, si forte contigerit, expietur. *Si vero hostia consecrata* (id est, ex ipsorum opinione ipsissimum Christi corpus) disPareat, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo vel ab aliquo animali accepta nequeat reperiri, *alteram consecrari* jubent. r De vino non minor est Latinorum subtilitas, atque solertia. Si enim factum sit penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquæ, ut vinum sit corruptum, negant s sacramentum confici. Post alias quasdam observationum minutias; *si* (inquiunt) *post consecrationem corporis, aut etiam vini deprehenditur defectus alterius speciei altera jam consecrata; tunc si nullo modo haberi possit, procedendum est, & missa absolvenda, ita tamen, ut prætermittantur verba & signa, quæ pertinent ad speciem deficientem.* Atqui hujusmodi Eucharistia sub una specie, non modo, quod illi concedunt, distribuetur vel sumetur, sed etiam (quod videntur vetare) consecrabitur.

p Missale R. Tit. de defect. cir. Miss. c.3. §.1.2.

q Ibid. §.3.

r Ibid. §.7.

s Ibid c 4. §.1.

secrabitur. Iam neque de forma obtusius, aut segnius, quam de materia, philosophantur ac præcipiunt. Formam autem in verbis sacramentalibus (ut loquuntur) sitam esse volunt; quod supra t diximus. Siquis ergo de his verbis aliquid diminueret, vel immutaret, & verba immutata idem non significarent; sacramentum confectum iri negant. u Si vero quis aliquid adderet, quod significationem non mutaret, confici quidem concedunt, sed ita tamen, ut hac forma confitentem gravissime peccare definiant. *Si celebrans* valde probabiliter dubitat se aliquid essentiale omisisse, eum formam iterare saltem sub tacita conditione jubent. Sed hæc quantumvis acuta ac subtilia, superat tamen Latinorum de ipso sacramenti Ministro solertia & ἀκρίβεια. In hoc enim multa primum in genere requirunt, x intentionem, dispositionem animæ, corporis, vestimentorum; denique *dispositionem in ministerio ipso, quod ad ea quæ in ipso sunt, possunt occurrere.* Tum singula particulatim diligenter explicant. Ac primo quidem negant y sacramentum confici, *si celebrans non intendit conficere, sed aliquid delusorie agere.* Item *si aliqua hostia ex oblivione remaneant in altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua hostia lateat, cum non intendat consecrare nisi quas videt.* Item *siquis habeat coram se undecim hostias, & intendat consecrare* solum decem, non determinans, quas decem intendit; *in his* (inquiunt) *casibus, non consecrat; quia requiritur intentio. Secus si putans quidem esse decem, tamen voluit omnes consecrare, quas coram se habebat. Nam tunc omnes erunt consecrata.* Vides ex quam levi momento suspendant actuum sacri ministerij vim atque efficaciam. Mox tamen pro solenni suo acumine distinguunt z intentionem actualem ab habituali, & hanc absque illa satis ad hoc valere decernunt, ut conficiatur sacramentum.

CAP. XXI.

t Supr. L.5. c.12.

u Tit. de Defect. c.5.

x Ibid. c.6. §. unic.

y Ibid. c.7. §.1.

z Ibid. §.4.

De dispositione animi inter cætera decernunt, a Sacerdotem, qui alicujus ex eorum genere peccati, quæ ipsi mortalia vocant, ac censent, sibi conscius, quantumvis alioqui contritus, confessione tamen auriculari, Confessarij copiam habens, minime expiatus fuerit, eum si celebrare ausus fuerit, graviter peccare. De dispositione corporis, illud plane mirabile, sciscunt, b qui post mediam quidem noctem non sit *jejunus jejunio naturali*, eum nefas esse vel celebrare, vel etiam communicare; qui vero cibum & potum, quantumvis exiguo ante mediam noctem intervallo sumpserit, eum libere & communicare & celebrare, tametsi ab eo tempore neque dormierit, neque cibum digesserit.

a Ibid. c.8. §.2.

b Ibid. c.9. §.1.2.

Sed de ministerio & vestitu multo plura decernunt. Defectum enim c iis Missis inesse volunt, quæ celebrantur in loco non consecrato, vel non deputato ab Episcopo, vel in altari non consecrato, vel tribus mappis non cooperto, vel sine luminaribus cereis, vel alio tempore, quam eo, quod est ab aurora ad meridiem, communiter, vel si Sacerdos omittat aliquid ex vestibus sacerdotalibus supra memoratis, vel si illæ vestes mappæque non fuerint ab Episcopo, vel alio hac potestate prædito benedictæ; si calix vel patena ex vitro fuerit, vel ex ære; si cor-

c Ibid. c.10. §.1.

Caput XXII. poralia non sint munda, vel linea, [illegible]icique expertia, vel ab Episcopo aut alio ea potestate prædito, nequaquam benedicta; si non adsit Missale, ex quo Missa recitetur, etiamsi eam, qui celebrat, memoriter teneat.

Harum omnium legum, quæ tam multæ, tamque minutæ, & Iudaïcæ morositatis, quam Christianæ simplicitatis & ἀφελείας propiores sunt, vel nullæ vel certe paucissimæ, in antiquissimæ, etiam in mediæ ad septimi usque seculi initia, Ecclesiæ veris certisque monumentis exstant; quantum equidem memini. De quibusdam jam supra quam id verum sit demonstravimus. De reliquis, ut idem sentiam, facit Bellarmini hac in parte silentium; qui siquid habuisset, quo harum observationum antiquitas, non dico demonstrari, sed vel innui, vel (ut Latini in hujusmodi re loqui solent) *insinuari* posset, id profecto, quo erat in caussam Romanam studio non erat in hac sua tam copiosa disputatione prætermissurus.

CAPUT XXII.

XV. Argum. ex eo, quod hodierna Latinorum cautela circa panem & vinum morosissima nequid eorum vel pereat, vel decidat, ac ut, siquid eorum acciderit, id quodcumque fuerit, accuratissime procuretur & expietur, hæ inquam, cautelæ in veteri ad octavum & ultra seculum Ecclesia inusitatæ fuerunt. An corpus Christi mus rodat, cum hostiam rodit? Negasse olim nonnullos transsubstantiatores; nunc omnes affirmare. Canonem Pio suppositum fuisse, qui eius nomine à Burchardo refertur, ut & alios eidem ab eodem scriptore perperam attributos. Expenduntur alia huc quoque pertinentia decreta à Burchardo ex Beda & Theodori & Romanæ Ecclesiæ Pœnitentiali allata.

ID ipsum dictum volo de cautelis & expiationibus, quas non paucas nunc Latini & diligentissime præcipiunt, & accuratissime observant: d *Si aranea, vel musca, vel aliquid huiusmodi in calicem post consecrationem ceciderit*, jubent *sacerdotem si ei fiat nausea, eam inprimis extrahere & lavare cum vino, finita vero Missa comburere, combustionemque ac lotionem huiusmodi in sacrarium projicere. Si autem ei non fuerit nausea, nec ullum periculum timeat, sumere cum sanguine.* Sequitur alia lex similis; e *Si aliquid venenosum ceciderit in calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum* (inquiunt) *consecratum reponendum est in alio calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum; & finita Missa sanguis repositus in panno lineo; vel stuppa tamdiu servetur, donec species vini fuerint desiccatæ; & tunc stuppa comburatur, & combustio in sacrarium projiciatur.* Paris est solertiæ, quod de sacro pane statim ita præcipiunt; f *Si aliquid* (inquiunt) *venenatum contigerit hostiam, consecratam; tunc alteram con-*

d Ibid. c. 10. §. 5.

e Ibid. §. 6.

f Ibid. § 7.

secrat

secret (Sacerdos) *& sumat modo, quo dictum est, & illa servetur in tabernaculo loco separato, donec species corrumpantur, & corrupta deinde mittantur in sacrarium.* *Hostiam, si ante consecrationem fracta deprehendantur,* consecrari vetant; g *Si populo evidenter fractio appareat, aliam pro ea accipi pracipiunt & offerri.* Fractam, si post oblationem demum fractio apparuerit, sumi jubent post ablutionem. Quid si hiberno tempore *sanguis Domini scilicet congeletur in calice?* *Calix* (inquiunt) h *pannis calfactis involvatur; Si id non proficiat, ponatur in aqua fervent prope altare (dummodo in calicem non intret) donec liquefiat.* Sed & de aliis *Dominici* (ut vocant) sanguinis casibus religiose cavent; i *Si per negligentiam* (inquiunt) *aliquid de sanguine ceciderit, siquidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, & locus ipse radatur, quantum satis est, & abrasio comburatur: cinis vero in sacrarium recondatur. Si vero super lapidem altaris ceciderit, sorbeat sacerdos stillam, & locus bene abluatur, & ablutio in sacrarium projiciatur. Si super linteum altaris, & ad aliud linteum stilla pervenerit; si usque ad tertium; linteamina ter abluantur, ubi stilla ceciderit, & calix supponatur, & aqua ablutionis in sacrarium projiciatur. Quod si in ipso solum corporali, aut si in vestibus ipsis sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, & ablutio in sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur, ut supra.* Quid si contingat *totum sanguinem post consecrationem effundi?* k Tum *vero siquidem aliquid vel parum remansit, illud sumi* jubent, *& de effuso reliquo sanguine, fieri, ut* dictum est. *Si vero nihil omnino remanserit, ponat* (inquiunt) *iterum vinum & aquam, & consecret ab eo loco. Simili modo postquam cœnatum est, facta tamen prius calicis oblatione,* ut supra. Neque hic stetit Latinorum religio. Etiam de hostia jam sumpta cavent, l si forte eam sacerdos evomuerit, de qua causa hanc legem ferunt; *Si* (inquiunt) *species integra appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat. Tunc enim* (id est si nausea fiat) *species consecrata caute separentur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, & postea in sacrarium projiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, & in sacrarium mittatur.* Denique de hostia, quæ consecrata fuerit, si vel tota vel certe aliqua ejus particula *dilabatur in terram,* juxta superiores leges decernunt, m *Vt ipsa reverenter accipiatur, & locus ubi ceciderit, mundetur, & aliquantulum abradatur, & pulvis seu abrasio huiusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa* (inquiunt) *vel linteum huiusmodi diligenter lavetur & lotio ipsa in sacrarium effundatur.*

g Ibid §.7.
h Ibid. §. 12.
i Ibid. §. 12.
k Ibid. §. 13.
l Ibid. §. 14.
m Ibid. §. 15.

Vnam causam omiserunt, quod ea multo sit cæteris, vel dirior, vel rarior; si hostia scilicet ab animalibus voretur. Eam tamen non tacuerunt Theologi. Ac initio quidem, cum quæri cæpisset, quid à mure verbi gratia comedatur, cum sacramentum ab eo corroditur; an ipsum

CAPVT XXII.

Chriſti corpus ſcilicet, an aliud quid; ipſius credo rei horrore deterriti negabant Chriſti corpus corradi; ut Guitmundus, *n* Algerus, *o* Lombardus; *p* qui ultimus rem indeciſam Deo committit. Cum enim negaſſe videretur corpus Chriſti à brutis animalibus ſumi; *Quid ergo* (inquit) *ſumit unus, vel manducat? Deus novat.* Eadem ſequitur ipſe etiam Innocentius P.R.III. *q* Alexander Hallenſis primus, ut videtur, ab ea ſententia diſceſſit, libere *ſe videre* negans, *r ſi canis vel porcus deglutiret hoſtiam conſecratam integram, quare vel quomodo corpus Domini non ſimul cum ſpecie trayceretur in ventrem canis vel porci.* Alexandrum unus diſcipulorum Thomas ſequutus eſt; *s* Alter Bonaventura timidior in alia ivit, *t* ſcribens, *pias aures abhorrere*, quod illi concedebant, *corpus Chriſti in ventrem muris & trayci, & in cloacam deſcendere, & ſi hoc* (inquit) *diceremus hæretici & infideles deciderent nos & irriderent.* Itaque probabile eſſe concludit, *quod ſumptione completa & manducatione, cum iam ſacramentum habuit ſuum finem, propter quem erat, deſinat eſſe ſacramentum.* Sed hæc tametſi antiquior, modeſtiorque, & ad ſolvenda multa Latino de tranſſubſtantiatione dogmati adverſantia commodior ſententia, eſt tamen poſt habita Alexandri & Thomæ opinioni, quam omnis Romanæ Scholæ ſuſcepit; ab eo maxime tempore, quo Gregorius P.R.XI. priorem illam mitiorem ſententiam damnavit; ut ex Nicolai Cymerici Decretorio diſcimus, in quo aſſertiones ab illo Pontifice damnatæ hæ tres habentur. I. *u Quod ſi hoſtia conſecrata cadat ſeu proyciatur in cloacam, lutum, ſeu aliquem turpem locum, quod ſpeciebus remanentibus ſub eis eſſe deſinit corpus Chriſti, & redit ſubſtantia panis.* II. *Quod ſi hoſtia conſecrata corrodatur à mure, ſeu à bruto ſumatur, quod remanentibus dictis ſpeciebus, ſub eis eſſe deſinit corpus Chriſti, redit ſubſtantia panis.* III. *Quod ſi hoſtia conſecrata à iuſto, vel à peccatore ſumatur, quod dum ſpecies dentibus teritur Chriſtus ad cœlum rapitur & in ventrem hominis non traycitur.* Hæc autem acta ſunt circa an. D. 1371. Vaſquez Alexandri & Thomæ ſententiam *ad fidem pertinere* ex Thoma tradit, *x* & hoc Gregorij XI. decretum paulo ante retulerat. Ex his ergo videtur in Miſſali docendum fuiſſe. Si quando contigerit hoſtiam à mure corradi, vel ab alio animali comedi, qua ratione id prodigium expiari debeat.

Eſt & altera cauſa, in qua Miſſalis quoque diligentiam merito, ut videtur, requiras; Nimirum, ſi ob aliquem morbum, puto lyenteriam, ſpecies ſacramenti ab infirmo ſumpti integræ ex alvo in ſeceſſum cum aliis fœcibus effluerent, adeóque etiam corpus Domini ex communi hodie Latinorum ſententia, una in turpem illum locum deſcenderet; quid tum agendum quoque ratione tantum nefas procurandum ſit, Miſſale tacuit. Id autem quod dixi ita fieri poſſe, & re vera interdum contingere, præterquam quod ratio & experientia confirmat, Dominicus à Soto *y* & cæteri conſentiunt, dum defendunt ſacramento in illo loco egeſto verum Chriſti corpus contineri. Sed has duas cauſas Miſſalis auctor etiamſi probe teneret, atque etiam meminiſſet, tacuit tamen, cum quod ea ra-

rius

n Guitm. L. 2. init.
o Alger. L. 2. c. 1.
p Lombard. L. 4. ſent. c. 13.
q Inn. 3. L. 4. de Myſt. Miſſ. c. 11.
r Alex. de Al. L. 4. §. Q. 45. membr. 1. Art. 2.
s Thom. 3. q. 80. c. 3.
t Bon. in 4. d. 13. art. 3. q. 10.
u N Cymer. Dir. Inquis. Part. 1. num. 15. & p. 2. q. 10.
x Vaſq. in 3. Thom. diſp. 195. c. 5. & 5. 50. 55.
y Soto. in 4. d. 12. Q. 1. Art. 3. p. 283. col. 1.

rius occurrant, tum præsertim, quod quæ earum procurandarum sit ratio, facile possit ex iis dijudicari, quæ de cæteris dixit, ac in primis de hostia per vomitum è ventriculo ejecta. CAPUT XXII.

Iam si horum canonum similes veterum regulas Latinos poscas, plane nullas ex primis sex, imo fortasse etiam septem totis primis Christianismi seculis dabunt. Si illam tam anxiam Latinorum in his procurandis & expiandis sollicitudinem in hujus antiquitatis monumentis ipse requiras, nullam invenies. Totum hunc locum tanta religione à Latinis osculum ac purgatum veteres ita contempserunt, ac neglexerunt ut neque de harum legum causis, neque de earum expiandarum ratione ac studio vel cogitasse unquam videantur; adeo nulla extant Latinæ hujus disciplinæ apud eos vestigia. Prima ejus rudimenta apud Burchardum undecimi seculi scriptorem conspiciuntur. Ac ille quidem quæ hodiernæ Latinorum disciplinæ gemina habet, ex Pij Papæ decreto 3. & ex aliis longe se antiquioribus, reperit ac citat. *x* Sed quam sit ejus sublesta in laudandis auctoribus fides, jam non semel diximus. Hoc quidem Pij tertium, quod dicit decretum, nusquam apud veros certosque ad decimum Christianismi seculum scriptores memoratur, ac ne in ipso quidem, tametsi multis locis interpoluto Pontificali; eoque suspectior est canon, quod cætera, quæ eidem Pio alibi adscribit parum sincera videantur. *a* Quale est verbi gratia decretum de Virginibus ante annum ætatis 25. non velandis; quod ipsi Decreti Gratianei editores negant *b inter decreta Pij P. R. inventum esse.* Neque certior ejus fides, quod idem alibi laudat *c* Pij decretum quintum *de non iurando per caput vel capillum Dei*; quod videtur ex verbis Novellæ 77. apud Iulianum Antecessorem exsculptum esse, & fere ex ea, non ex Pio, geminum hujus decretum citatur ab Ivone. *d* Pio item secundum quoddam decretum de pejerantibus, *Qui compulsus* &c. tribuit, *e* quod ab Anselmo ex Pœnitentiali Theodori L. 11. c. 63. citatur, ut est à Gratiani editoribus Romanis nominatim observatum. *f* Neque Pio verius idem affingit *g* caput, ut ipse putat, 26. quo *virum uxoris sine causa interfectorem iubet armis depositis publicam agere pœnitentiam.* Veteres quarti & quinti *seculi scriptores pœnitentiam simpliciter dicerent: Publicæ* elogium adjicere *pœnitentiæ*, ævi est posterioris: sicut & illud *positis armis*, ultimis ante decimum seculis familiare est, antiquioribus inusitatum; nedum ut hæc putemus à Pio secundi seculi Episcopo scripta fuisse. Ejusdem est commatis, quod idem Pio affingit *h* epistolæ particulam *Petistis enim per Hilarium* &c. quæ Gregorij P. R. I. est ad Numidas, libri primi 75. Qui ergo Pio tam multa falso & ex sola animi sui libidine imputat, nemo ei prudens credet hæc quæ ex eodem citat de stillæ vini sacri forte effusæ piaculo, apud omnem illam priorem antiquitatem inaudita, vere Pij fuisse ante an. D. 167. martyrio functi; ut nunc mittam sermonis sordes à Romanus illius ævi Episcopis alienas; ut cum *linguari* jubet, *i* id est *lingi*, lingua abstergi *siquid de calice stillaverit in terram*, & *altare* tam sæpe pro mensa Dominica usurpatum, & qui-

x Burch. L. 5. c. 47.
a Id. L. 8. c. 18.
b ad c. 20. q. 1. c. 15. Virgines non vel.
c Burch. L. 12. c. 15.
d Ivo Part. 12. c. 22.
e Burch. L. 12. c. 4.
f ad 22. Q. 5. c. 1. Qui compulsus.
g Burch. L. 6. c. 27.
h Id. L. 3. c. 124.
i Id. L. 5. c. 47.

Caput XXII. & quidem solidum, intra quod scilicet cinerem combusti loci, in quem stilla de calice effluxerit recondi jubet ; qualiter nunc Latini reliquias intra sua altaria recondunt. Ego vero non dubito, quin hæc & cætera Pij nomen apud hunc, & alios canonum Rhapsodos præferentia, sanctissimo & antiquissimo Martyri posteriori citra octavum seculum ævo ab aliquo impostore ideo fuisse afficta, ut ritus suo tempore in usum Latinorum receptos falsa antiquitatis specie commendaret; simul etiam, ut Paparum Romanorum in Ecclesia potestatem extolleret: quasi illi Christianæ omnis disciplinæ primi atque unici post Apostolos auctores & conditores fuerint.

k Id. L. 5. c. 48. Sed habet k idem quoque Burchardus hoc de Eucharistiæ vomitu ex Bedæ, ut citat, Pœnitentiali decretum: *Siquis per ebrietatem vel voracitatem Eucharistiam evomuerit, quadraginta dies pœniteat: Clerici vel Monachi seu Diaconi 40. dies pœniteant: Presbyter 70 dies: Episcopi 90. Si pro infirmitatis causa & evomuerit, 7. dies pœniteat.* Sed hic observandum est primo librum ex quo hic canon descriptus est, incerti esse auctoris. Bedæ quidem cui tribuitur, esse non posse certum est. In eo enim habetur in principio l *Excerptum de Canonibus Catholicorum Patrum, vel Pœnitentia ad remedium animarum Domini Agberti Archiepiscopi.* Nam Agbertus non est factus Archiepiscopus ante an. D. 735. neque pallio donatus ante an. 745. ut est à Vestmonasteriensi traditum. Atqui Bedam è vivis excessisse constat, si non an. D. 731. ut habet Sigebertus, vel 734 ut certius tradunt Anglicani scriptores: certe ad summum an. 735. d. 8 Kal. Iun. ut doctissimus Spelmannus annotavit m ad hunc ipsum libellum, quem collectioni Synodorum Britannicarum suæ inseruit. Mitto nonnullam libelli, & in Bedæ operibus & in Spelmannianis Synodis excusi à Burchardo in hujus decreti scriptione diversitatem, Titulus canonis apud Bedam & Spelmannum est de *Ebrietate*: ut pœnitentiæ hic memoratæ potius ob causam vomitus, nimirum ebrietatem, quam ob ipsum vomitum infligi videantur. Itaque qui ex infirmitate ventriculi evomuit Eucharistiam, ei canon levissimam pœnitentiam imponit. Præterea nihil hic habetur de excernendis à vomitu speciebus, & quidem reverenter sumendis, si cujus ad hoc valeat stomachus; sin minus, in loco sacro recondendis ex hodierna Latinorum disciplina, ad quam adeo non pertinet hic canon: ut illud quoque mittam non esse magnam hujus Canonis antiquitatem quem post an. D. 745. scriptum fuisse demonstratum est.

l Bed. T. 8. extr. L. de rem peccat. p. 961.

m Spelm. Conc. Brit. p. 288.

Eadem quoque ratio est duorum de Eucharistiæ vomitu Canonum, quos idem Burchardus describit, n priorem ex Theodori alterum ex Romano Pœnitentiali. Prioris initium est: *Qui evomuerit sacrificium & à canibus consumitur, annum unum pœniteat. Sin autem, 40. dies.* Cætera fere eadem, quæ apud falsi nominis Bedam. Neque aliud sane habet o Romani Pœnitentialis canon: nisi quod quæ hic in fine, Theodorus initio decernit, mitiorem tamen imponit vomenti pœnitentiam, si canes vomitum vocaverint. *Si vero canes* (inquit) *lambuerint talem vomitum, centum dies,*

n Burch. L. 5. c. 48.

o Id ibid. c. 49.

qui evomit, pœniteat. Nihil ergo hæc ad disciplinam defectuum Missalium hodiernam. Vt mittam ævum Pœnitentialis hujus Romani adeò incertum esse, ut nesciamus, an Burchardo multo sit vetustius; Theodori vero non valde antiquum esse, quem constat anno septimi seculi 68. factum esse Dorobernensem, id est Cantuariensem Episcopum. Habetur ejus liber Pœnitentialis MS. in Bibliotheca Sancti Benigni Cantabrigiensis; sed nudos canonum ejus titulos exhibuit *p* Spelmannus, quorum 52 sic habet; *De ebrietate & vomitu*; quem cum ipsum esse credibile est, qui à Burchardo citatur.

p Spelm. in Conc. Brit. p. 154. 155.

Ex his liquido patet omnem hanc Latinorum morosissimam circa Missas cautelarum ac expiationum disciplinam novam esse, & post secula Christianismi septem inventum; iis scilicet temporibus, quibus hominum in Eucharistiam religio crescebat, donec ea tandem circa noni seculi initia à Paschasio Radberto aperte deïficata est. Sed cum dogma postremo publicis Paparum Leonis IX. Nicolai II. & Gregorij VII. & Innocentij III. decretis, seculo 11. 12. & 13. plane confirmatum & ab omni Papæ communione receptum esset; tum demum disciplina illa omnibus suis partibus ac numeris perfecta edita est. Nimirum disciplinæ novitatem induxit nova de Sacramenti transsubstantiatione fides; ut necesse sit Ecclesiæ illis temporibus anterioris fidem aliam fuisse; cui scilicet ignota fuit tota hæc disciplina.

CAPUT XXIII.

XVI. De novitate Canonis Missalis argumentum inde petitum, quod Ordo Missæ Gregorianus sero in multis Occidentis ipsius Ecclesiis receptus sit; Mediolanenses Ambrosianum Ordinem à Gregoriano in plurimis valde discrepantem diutissime servasse; Gallias & Hispanias Gallicano à Romano diverso diu usas, ab Hilario, Sidonio, Gregorio Turonico, composito; Gallias circa an. Dom. 754. & 787. Romanum admisisse, Paparum adhortatione, Pippini & Caroli Magni Principum jussu ac imperio; Hispanias anno demum 1076. Alfonsi Regis vi coactos, abdicato Mosarabo, Gregorianum Officium recepisse.

DEnique Missæ Romanæ novitatem hoc quoque non obscure arguit, quod ejus formam atque ordinem ipsæ Occidentis gentes sero susceperint. Nam si verum est, quod Innocentius P. R. I. scribit *q in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores instituerunt Sacerdotes*; dubitandum non est, quin una cum fide sacramentorum quoque ac præsertim Eucharistiæ rationem ac praxin suam his omnibus gentibus illi

q Inn. 1. ep. 1. init.

Caput XXIII. à Romanis scilicet Præsulibus Missi, Christianismi apud eos auctores tradiderint. Notum est, quam illi cupide sua cæteris omnibus semper prætulerint, & apud omnes propagare studuerint. Si ergo jam ab ipsis Christianismi primordiis Romæ à Petro, quod vult Bellarminus, constitutus fixusque erat hic ipse Missæ Canon, qui hodie apud Latinos obtinet; nemo non videt illas gentes eum cum cæteris religionis partibus à suis illis primis Magistris Romanis traditam suscepturas fuisse. Cur enim hi alium illis canonem instituerent, quam suum, sibi ab Apostolorum Principe Petro traditum, nulla neque dici neque excogitari ratio idonea potest. Atqui plane aliter factum videmus, In ipsis pæne Romæ suburbiis ordinem Missæ proprium à Romano diversum Mediolanensis Ecclesia habuit, diuque per multa secula retinuit, quem ab auctore Ambrosianum appellant. Valafridus de his ipsis Ambrosij institutis, r *quæ* (inquit) *usque hodie* in Mediolanensi tenentur Ecclesia, id est ad an. D. circiter 845. Radulphus Tungensis, qui utrumque Ambrosianum & Gregorianum ordinem viderat, *illum* ait *longe præcessisse Romanum*; *& qui videt Ambrosianum, aperte cognoscere, quod cantus Missa, Epistola, & Evangelia, & plures orationes, responsoria & Antiphona & cætera officia recepta sunt ab illo.* Hæc ille; qui & alia multa passim innotat de alterius Ordinis ab altero differentiis. Non est res de nostris Gallis obscurior; Tota Gallia jampridem Christiana erat, cum circa sexti seculi exitum Augustinus Episcopus ab Etherico Arelatensi, ordinatus, Gregorium, à quo erat in Britanniam ad Anglos adhuc Paganos ad Christianismum convertendos missus, inter cætera interrogat, t *Cum una sit fides,* * *sunt* (inquit) *Ecclesiarum diversa consuetudines: & altera consuetudo missarum in sancta Ecclesia Romana, atque altera in Galliarum tenetur.* Ad hæc Augustini Gregorius ita respondet; *Novit* (inquit) *fraternitas tua Romana Ecclesia consuetudinem, in qua se meminit nutritam. Sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in Galliarum, seu in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc ad fidem nova est, institutione præcipua quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. E a singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige, & hæc quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.* Hæc ille vere & prudenter, ut videtur; certe modestius, quam multi ejus & successores, & quod miteris, etiam decessores, aliqui, quorum communis hic fere morbus fuit omnia quo jure, qua injuria ad se trahere, & in ritus moresque suos omnes Ecclesias transformare. Gregorius vero diversam licet à sua Gallicanos Missæ consuetudinem, usque adeo non repudiat, ut etiam ex ea & aliis Augustinum seligere jubeat quæcumque potiora in iis invenerit. Quo apertissime constituuntur, quæ supra de Gregoriana in his mente adversus Bellarminum disputavimus. Gregorius enim si, quo ordine Missa fiebat Romæ, eum

r Vol. de reb. Eccl. c. 22. p. 680. D.

s Radulf. de Canon. observ. Prop. 26. ibid. p. 1153. E.

t Aug. apud Bed L. 1. Hist. Angl c. 27. T. 3. p 19.

* Vheloc Sic legit ex Beda Saxon. & miss p 81. pro quo Beda vulgatus habet, Cur sunt

credidisset

credidisset à Petro institutum; nunquam profectò Augustino auctor erat futurus, ut aliqua à Romanis diversa quarumcumque gentium essent, in usum Anglicanæ Ecclesiæ traduceret, potiusque suasurus erat, ut spreta aliorum quorumvis consuetudine Romanam solam, ut vere Apostolicam, sinceram atque illibatam retineret. Radulphus recitata prima loci [x] Gregoriani parte merito hæc inde colligit; *Non videtur ergo* (inquit) *B. Gregorij fuisse consilium, ut involuntarie per privilegium ad unam arctaremur Ecclesiam secularem in horis Canonicis observandis.* Addendum erat, *Ac ne in ipsa quidem celebranda Missa.* De ea enim loquitur Gregorius ad Augustini de Missarū in Gallia à Romana diversa consuetudine interrogationem. Hanc autē Gallicanæ Ecclesiæ à Romana in Missis diversitatem & fuisse ante Gregorium, & diu post eum mansisse multa nos docent. Gregorius enim Turonensis testatur librum à se conjunctum fuisse de [x] Missis à Sidonio Apollinari Arvernorum in Galliis Episcopo compositis, quem uno tantum non seculo Gregorio Romano vetustiorem fuisse constat. Sed & à seculo quarto jam videtur Gallia sui Hilarij non tantum hymnis, sed etiam Liturgia usa esse; quo Petrus Pithæus refert duos Hilarij ab Hieronymo [y] memoratos libros; *unum Hymnorum*; *alterum mysteriorum.* Merito. Hujus enim posterioris titulus idem plane significare videtur, quod *Sacramentorum liber*, quo nomine, diu postea Gregorius eum librum dixit, quo circulum Missarum suarum annuum complexus est; eoque sensu Pithæus accipit [z] librum de *Cursibus Ecclesiasticis* quem à se Gregorius Turonicus composituris inter alia ingenij sui monumenta testatur; [a] *Cursum Ecclesiasticum* vocat ordinem cultus Ecclesiastici singulis totius anni diebus solenni more decurrentem. *Cursus* autem *Ecclesiasticos* dixit in numero plurium; quod alter sit Monachorum sui Ordinis proprius; alter totius Ecclesiæ communis ac publicus; ut ex Valerici Abbatis vita intelligimus, in qua Valericus traditur [b] *cursum tam Monasterialem, quam Gallicanum magno studio indesinenter celebrasse.* Vixit autem Valerius (ut censet [c] Baronius) an. D. 620. circa ipsius Gregorij tempora. Vnde liquet Gallicanæ Ecclesiæ suum tum fuisse proprium Missæ ordinē à Romano, quod aiebat Augustinus diversum. Iam eundem ordinem diu in Galliis post Gregorij Romani mortem mansisse primo intelligimus ex Concilio Toletano 4. quod an. D. 633. habitum est. [d] Illi enim Patres *hymnos quosdam ab Hilario & Ambrosio compositos* & editos, in Gallia & Hispania celebratos fuisse significant, & in posterum celebrari jubent: excommunicationis pœna in eos lata, qui illos *rejicere ausi fuerint.* Quem Synodi hujus locum Berno Augiensis recitans & expendens: [e] *Ad hæc* (inquit) *potest quis dicere tunc temporis Gallos & Hispanos in Missarum suarum celebritate nondum habuisse usum Romanæ Ecclesiæ, quod & nos non negamus.* Hoc vero ipsum Berno luculentissimo [f] Hilduini testimonio ex ejus ad Ludovicum Pium epistola quædam, quæ adhuc superest, [f] abunde confirmat. Istic enim auctor memorat

CAPUT XXIII.

[x] Radulph. de ear. obs. Proposit. 26. p. 1153. B. T. 10 Bibl. Patr.

[x] Greg. Tur. L. 2. c. 22. Hist.

[y] Hieratal. in Hil.

[z] Pith. Gloss. ad Capit. in Miss. p. 54. b.

[a] Greg Hist. L. 10. c. 19.

[b] Valer. vita c. 4. apud Sug. ad d. 1. Apr.

[c] Bar. Martyr. ad d. 1. Apr.

[d] Conc. Tol. 4. c. 13. T. 4. Conc p. 386.

[e] Berno de reb. ad Miss. &c. c. 2.

[f] Hild. ep. ad Lud Pi. c. 5. p. 118. apud Sur. d. 9. Oct.

CAPVT XXIII. antiquissimos quosdam & nimia vetustate pæne consumptos Missales libros, *continentes* (inquit) *Missæ ordinem MORE GALLICO, qui ab initio receptæ fidei usus in hac Occidentali plaga est habitus, usque quo tenorem, quo nunc utitur, Romanum suscepit.* His Hilduini recitatis sic pergit Berno: *In nostri autem* (inquit) *Monasterij* (Augiensis scilicet) *archivo habetur Missalis longe aliter ordinatus, quam Romanæ Ecclesiæ se habeat usus.* Hæc ille undecimo seculo scribit. Diu antea alij eadem observaverant: in quibus Illustre ipsius primo Caroli Magni testimonium est,

g Car. M. Capit. L. 1. c. 8. g hanc Monachis de cantu sacro legem in Capitulari ferentis: *Monachi* (inquit) *ut cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel gradale officium peragant, secundum quod beatæ memoriæ genitor noster Pippinus Rex decertavit, ut fieret, quando Gallicanum cantum tulit, ob unanimitatem Apostolicæ Sedis, & sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam.* Idem in opere de imaginibus contra Græcos, de Ecclesia Gallicana;

h Id. de im. g. L. 1. c. 6. h *Quæ dum* (inquit) *à primis fidei temporibus cum ea* (Romana) *perstaret in religionis sacræ unione, & ab ea paulo distaret (quod tamen contra fidem non esset) in Officiorum celebratione, venerãda memoria genitoris nostri, illustrissimi Pippini Regis cura & industria, sive adventu in Gallias reverendissimi & sanctissimi viri Stephani, Romanæ urbis Antistitis, est etiã ei in psallendi ordine copulata, ut non esset dispar ordo psallendi quibus erat compar ardor credendi, & quæ unita erant unius sanctæ legis sacra lectione, essent etiam unitæ unius modulationis veneranda traditione, nec seiungeret Officiorum varia celebratio quas coniunxerat unica fidei pia devotio.* Eadem

i Car. Calv. ep. ad Cler. Ravenn. narrat i Magni nepos Carolus Calvus; *Nam* (inquit) *& usque ad tempora ab avi nostri Pippini Gallicanæ Ecclesiæ aliter quam Romana vel Mediolanensis Ecclesia divina officia celebrabant; sicut vidimus & audivimus ab eis, qui ex partibus Toletanæ Ecclesiæ ad nos venientes secundum morem ipsius Ecclesiæ coram nobis officia sacra celebrarunt.* Ex quibus verbis discimus, qui in Ecclesia Toletana Caroli Calvi temporibus servabatur Missarum ordo, cum Gallicanum ipsum fuisse veterem, id est cum, qui in Gallia ante Pippinum solennis erat. Sigebertus in Chronico eadem tra-

k Sigeb. Chron an. D. 751. dit k ad an. D. 751. scribens, *Pippinum Galliarum Regem Ecclesias* (sui scilicet regni) *cantilia Romanæ auctoritatis suo studio melioravisse.* Valafridus,

l Valafr. c. 22. p. 682. E. l qui diem suum sub Calvo obiit, *Galliarum* (inquit) *Ecclesiæ suis* (id est gentis propriis) *precibus utebantur, quæ & adhuc à multis habentur.* Idem in eodem opere, cum de *responsoriis* dixisset, vel ab Ambrosio in-

m Valafr. c. 22 p. 682. E. ventis, vel ab aliis Italis; m *Et quia* (inquit) *Gallicana Ecclesia viris non minus peritissimis instructa, sacrorum Officiorum instrumenta habebat non minima, ex eis aliqua Romanorũ officiis immixta dicuntur, quæ plerique & verbis & sono se à cæteris discernere posse fateantur. Sed privilegio Romanæ Sedis observato, & congruentia rationabili dispositionum apud eam factarum persuadente, factum est, ut consuetudo & magisterium eiusdem Sedis prævaleret; quia non est alia traditio æque sequenda vel in fidei regula, vel in observationum doctrina.* His congruunt, quæ idem jam supra dixerat;

n *Multi*

n *Multi* (inquit) *apud Græcos & Latinos Missæ ordinem ut sibi visum est, statuerunt:* Dubitandum autem non est quin ex illis multis Gallos quoque suos fuisse intellexerit. CAPUT XXIII.

n Ibid. c.22.

Ex his autem non est obscurum quo tempore Galli suum Missæ ordinem Romano suscepto permutarint. Extat enim ea de re in Capitulari Caroli & Ludovici canon disertissimus; o *Ut unusquisque Presbyter Missam ordine Romano cum sandaliis celebret.* Durantis Mimutensis ea de re locus quidam est insignis; p *Legitur* (inquit) *in vita B. Eugenij, quod dum adhuc Officium Ambrosianum, magis quam Gregorianum ab Ecclesia servaretur, Adrianus Papa Concilium convocavit, ubi statutum est, quod Gregorianum deberet universaliter observari; ad quod Carolus Imperator omnes Clericos minis & suppliciis per diversas Provincias cogebat.* Utcumque sit, ex his apparet longe alium Adriani fuisse quam Gregorij spiritum. Gregorius Gallorum propriam in Missis consuetudinem ne digito quidem pubandam putavit, Adrianus Gregorianum Officium ubique solum observari præcipit; Sed & hinc paret, quamvis privilegio Romanæ Sedis, & magna ejus apud omnes auctoritate, quod ait Valafridus, hunc eius in sacris morem admiserint cæteræ Occidentis gentes, rem tamen absque Principum vi & imperio minime peractam fuisse. Id vero satis significat ipse Carolus in opere de Imaginibus, cum post verba à nobis paulo ante descripta, quibus Pipini Patris studium in Romanorum cantu apud nostros instituendo narraverat; q *Quod quidem & nos* (inquit) *collato nobis à Deo Italiæ regno fecimus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ fastigium sublimare cupientes, reverendissimi Papæ Adriani salutaribus exhortationibus parere nitentes, scilicet ut plures illius partis Ecclesiæ, quæ quondam Apostolicæ Sedis traditionem in psallendo suscipere recusabant, nunc eam cum omni diligentia amplectantur, & cui adhæserant fidei munere, adhæreant quoque psallendi ordine. Quod non solum omnium Galliarum provinciæ & Germania sive Italia, sed etiam Saxones, & quædam Aquilonalis plagæ gentes per nos Deo annuente ad vera fidei rudimenta conversæ facere noscuntur.* His liquido narratio confirmatur à Durante ex Eugenij vita descripta; officium mutatum quidem Adriani sententia & adhortatione, Caroli vero opera & imperio, cum initio *plures Galliarum Ecclesiæ Romanum ordinem suscipere recusarent*, eo factum esse, ut Carolum necesse fuerit vim adhibere, & quod ait Eugenianæ vitæ scriptor, *reluctantes per diversas* provincias Clericos ad obsequium *minis & suppliciis cogere.* His nimirum artibus jam tum Roma Occidentis Ecclesias in suas leges, suosque mores ac ritus agebat. Ita satis patet Officium Romanum octavo demum seculo, Pipini primo Regis circa an. Dom. 754. opera, suadente Stephano P.R. III. in Gallias induci cœpisse; postea Caroli eius filij auctoritate, atque imperio, exhortante Adriano Papa I. paulo ante an. Dom. 787. rem confectam fuisse. Ad hæc ergo tempora ignotum in omni Gallia fuerat Officium Romanum; cujus tum suus fuit Missarum Ordo proprius, à Romano distinctus, isque etiam Hispa-

o Capit. Car. & Lud. L.5. c.219.

p Durant. Ration. div. Offic. L.5. c.2.

q Car. M. de Im. L.1. c.6.

Caput XXIII.

niæ cum Gallia communis, ut ex Concilio Toletano 4. nuper intelleximus. Vnde perspicimus Gallicanum Officium in Occidente multo quam Romanum longius ac latius per illa tempora patuisse: Illud enim apud omnem Galliam & Hispaniam, & apud Germanos in usu erat; cum hoc ne in sua quidem Italia vbique solenne esset, Mediolanensi tota Diœcesi Ambrosianum cupidissime retinente. Fateor verisimile videri Bonifacium à Gregorio Papa R. III. in Germaniam missum circa an. Dom. 780. quicquid corripere in iis locis potuit Christiani nominis, id ad Romanum quoque ritum traduxisse. Sed ante hos certe octavi seculi annos manifestum est Officium Gregorianum non alibi, quam Romæ, & in suburbanis si forte provinciis atque insulis celebratum, in reliquo orbe Occidentali ignotum fuisse; neque mirum, cum illud ipsum officium recens esset, neque vel in ipsa urbe ante Gregorium P. R. I. eius conditorem atque ordinatorem usitatum.

Id vero in Hispania multo etiam, quam in Gallia serius, nasci ac celebrari cœpit: officium enim vetus, quod idem cum veteri Gallico fuisse diximus, quodque postea quibusdam si forte adjectis, mutatis, aut interpolatis, *Mosarabum* dictum est, in Hispania mansit ad Gregorij P. R. VII. Pontificatum, id est etiam aliquanto post an Dom. 1073. quo ille Romæ sedere cœpit. Eo enim mortuo, cum Vrbanus P. Romæ sederet abrogato Mosarabo, sive Toletano officio. Gregorianum iisdem, quibus olim in Gallia artibus, tum quoque in Hispanicas Ecclesias inductum est, id est Papæ Romani voluntate, & Regum vi atque imperio. Rem, ut gesta est, sic exsequitur Rodericus Toletanus Archiepiscopus, de iis temporibus verba faciens, quibus Ricardus à Gregorio 7. prius, & tum ab Vrbano 2. missus apud Alfonsum Regem Legatus degebat; r *Clerus* (inquit) *& populus totius Hispaniæ turbatur, eo quod Gallicanum Officium* (id est Gregorianum, quod apud nostros jampridem à Caroli temporibus obtinebat) *suscipere à Legato & Principe cogebantur; & statuto die Rege, Primate, Legato, Cleri & populi maxima multitudine congregatis, fuit diutius altercatum; Clero, militia, & populo firmiter resistentibus, ne Officium mutaretur; Rege à Regina suaso contrarium minis & terroribus intonante. Ad hoc ultimo res pervenit militari pertinacia decernente, ut hæc dissensio duelli certamine sedaretur. Cumque duo milites fuissent electi, unus à Rege, qui pro Officio Gallicano* (id est Gregoriano) *alter à militia & populis, qui pro Toletano pariter decertarent. Miles Regis illico victus fuit, populis exsultantibus, quod victor erat miles officij Toletani. Sed Rex adeo fuit à Regina Constantia stimulatus, quod à proposito non discessit, duellum iudicans ius non esse. Miles autem, qui pugnaverat pro Officio Toletano, fuit de domo Matantiæ prope Pisoricam, cuius hodie genus extat. Cumque super hoc magna seditio in militia & populo oriretur, demum placuit, ut liber Officij Toletani, & Liber Officij Gallicani in magna ignis congerie poneretur. Et indicto omnibus jejunio à Primate, Legato, & Clero, & oratione ab omnibus devote peracta, igne consumitur liber officij Gallicani; & prosiliit super*

r Roder. de reb. Hispan. l. 6. c. 16. p. 107. T. 2. rer. Hisp.

super flammas incendij cunctis videntibus, & Dominum laudantibus liber Officij Toletani illæsus omnino, à combustione incendij alienus. Sed cum Rex esset magnanimus & sua voluntatis pertinax executor, nec miraculo territus, nec supplicatione suasus voluit inclinari, sed mortis supplicia & direptionem minitans resistentibus præcepit, ut Gallicanum Officium in omnibus regni sui finibus servaretur. Et tunc cunctis flentibus & dolentibus implevit proverbium, Quo volunt Reges, vadunt leges. Et ex tunc Gallicanum Officium tam in Psalterio, quam in aliis nunquam ante susceptum, fuit in Hispaniis observatum: licet in aliquibus Monasteriis fuerit aliquanto tempore custoditum, & etiam translatio Psalterij in plurimis Ecclesiis cathedralibus & monasteriis adhuc hodie recitetur. Atque hæc quidem hactenus Rodericus, circa an. Dom. 1230. scribebat, annis post rem gestam haud fere pluribus, quam 164. Ioannes Mariana, vir de sodalitio Iesuitico apprime disertus, illam quidem rei pompam, quam suo credo, Officio intelligebat esse invidiosam, plane penitusque indictam dimisit; cæterum rem ipsam non ausus dissimulare, Alfonsi Regis ad an. Dom. 1076. actus tradens, ita breviter perstrinxit; s *Arragonia exemplo, precandi ritus ex Romano more sanciti. Prisca Gothorum instituta rebus divinis procurandis propitiando numine antiquata.* Ex his omnes intelligunt, quanta sit apud ipsas Occidentis Ecclesias Gregoriani Officij novitas, quod cum in urbe Roma post an. Dom. 594. à Gregorio I. esset ordinatum in Britannia quidem ad an. Dom. 600. & amplius ignotum fuerat, ne tum quidem à Britannis, sed à solis si forte Anglis, Augustini discipulis, receptum, Germanis circa an. Dom. 730. Bonifacij opera fortasse innotuit, à Gallis, sed vi & authoritate regia coactis paulo ante an. Dom. 790. admissum, ut etiam, sed multo serius, ab Hispanis an. Dom. 1076. nequid de Mediolanensi Ecclesia dicam à qua Ambrosiani nominis majestas diutissime hoc Gregorij opus repulit.

CAPVT XXIII.

s Mar. L. 9. c. 11. ibid. p. 471. lin. 26.

CAPVT

CAPUT XXIV.

XVII. Argumentum à diverso Græcorum, Æthiopum & aliorum à Latinis jampridem segregum Synaxeos officio. Papam id officium, ubi licet, suo commutare; ubi res sua aliud poscit., tolerare quidem, sed à se purgatum, ut suis commodis consulat. Magnam initio apud nostros fuisse in Synaxeos forma & ordine libertatem. Veteres Liturgias Iacobi, Marci, Petri, Chrysostomi, Basilij &c. dici, non quod ab illis viris composit æ & quales nunc extant, editæ fuerint, sed quod in earum civitatum Ecclesiis, quibus illi præfuisse perhibentur, puta Hierosolymis, Alexandriæ, Constantinopoli &c. in vsu olim fuerint. Conclusio disputationis de Missæ novitate; quæ in ipsa Synodo Tridentina à Monacho quodam sed frustra, animadversa, & Patribus demonstrata fuit.

CÆterarum Orientis & Austri Ecclesiarum Græcanicæ, Æthiopicæ & aliarum à Latina segregum ritus & Liturgias mitto; in quas Papæ singulis suum morem permittentis liberalitatem frustra nobis Bellarminus prædicat *t* atque ostentat. Docent quid Papa velit, Thomæorum apud Indias Christjanorum sacra à Iesuitis immutata, & ad Latini Officij formam redacta; docet Liturgia Æthiopica, quam illi istic iidem rerum potiti sunt eandem vim passa. Quod ille in ipsa Vrbe fert Chrysostomi, vel Basilij Liturgiam à Græcis suis celebrari; quod etiam à Latinis Ambrosianam Mediolani, Mosarabam Toleti in aliquot sacellis retineri patitur, fucus est ejus solennis. Primo enim hæc sacra, quæ nobis Bellarminus venditat, non plane sincera & integra, sed castigata, & Romano pumice lævigata, & ad Latinum morem accommodata in illis locis haberi sinit, ut Mediolanensibus Ambrosianam, Toletanis Mosarabam, Græcis in vrbe desertoribus Chrysostomæam Missam non tam concedere discendus sit, quam quasdam Ambrosiani, Masarabi, & Chrysostomæi Officij reliquias ad Latinorum arbitrium temperatas, dilutas, atque interpolatas. Sed hæc ipsa, quæ tam parce maligneque pauculis istis locis indulget: quis nescit eum non sponte, sed certo consilio potius dispensare, quam approbare, ne homines his plusculum addictos offendat, & intempestiva severitate à suis partibus abalienatos à sua obedientia discedere cogat? Hoc dolo Græculos inescatos apud Vrbem aliquot retinet, ne in gentem nobilissimam quod in omnem Christianismum sibi arrogat, imperium plane amisisse videatur? Pari fraude Mediolanenses Ambrosiani nominis, Toletanos antiquissimi sui Officij veteri injuria offensos placat. Breviter homines sunt isti non tam benigni, quam callidi, qui ea ferunt scilicet, quæ se absque aliquo rei suæ vel

t Bell. l.2. de Miss. c.18. 58. Neque negamus.

vel detrimento, vel periculo mutare non posse vel intelligunt, vel certe putant. Vbi hic metus abest, notum est quo studio, quibus minis ac pœnis sui officij religionem apud omnes sanciant. Caput XXIV.

Sed ad rem redeo. Hæc ergo tanta tamque multiplex, hominum non modo diversæ sed etiam eiusdem gentis ac linguæ in vno officio diversitas, satis demonstrat nullum horum ab ipsis Apostolis fuisse conditum. Siquod enim horum officiorum fuisset à divinis illis viris institutum ac traditum; quis id si non omnes, certe pleræsque Christiani nominis gentes fuisse sequuturas atque religiose observaturas dubitat? Ita Socrates *ex consuetudine* potius in singulis locis, quam ex vlla Apostolica traditione cœptam esse festi Paschatis observationem, hinc optime, si quid judico, argumentatur, *u* quod earum religionum sive disciplinarum, quæ alioqui in fide consentiunt, nulla esset, quæ eosdem observaret in illo festo celebrando ritus. Eodem modo se res habet in istis Ecclesiasticis Cœnæ Dominicæ adjectis officiis. Ipsa eorum inter se diversitas arguit nulla fuisse hujusmodi ab Apostolis constituta; singula suos hic, & alibi habuisse auctores alios atque alios; quorum pro captu, pro ætate, pro animo, pro temporum & locorum genio diversa fuisse opera non est mirandum. Ergo huc res omnis postremo redit, ut quod initio jam præstruximus, Petrus Romanis (si eorum Ecclesiam condidisse statuatur) nihil aliud tradiderit, quam quod Corinthios Paulus à se accepisse testatur, nudam scilicet ac simplicem Cœnæ Dominicæ, ut apud Evangelistas habetur, institutionem; vel siquid amplius, orationem etiam Dominicam, quod ait Gregorius, vel aliquam aliam brevem & sacramenti argumento congruam atque appositam precem ad ipsam institutionem adjecerit; Cætera, quæ apud Græcos, Latinos, Syros, Æthiopas, alias denique Christiani nominis gentes, in singularum Officiis videmus, alij postea diversis temporibus alia atque alia commentati sint. Quo factum est, ut ipsa quidem Domini institutio apud omnes exstet, quæ scilicet ab Apostolis fuit; reliqua, ut à diversis instituta, ita inter se quoque diversa sint. Quæ ipsissima fuisse videtur Valafridi Strabonis, *x* prudentis, & sæpius à nobis laudati scriptoris, hac de re sententia. Ait enim *primis temporibus* vetustissimos Christianos *præmissa oratione Dominica, & sicut ipse Dominus noster præcepit, commemoratione passionis eius adhibita, corpori Dominico communicasse & sanguini, quos ratio permittebat*; idque se testatur *ex relatione majorum* accepisse.

u Socr. Hist. L. 5. c.22. (Græc.) 21. (Latin.)

x Valafrid. de reb. Eccl. c.22. p.680. B.

Proficiente vero dehinc (inquit) *religione amplius aucta sunt à Christi cultoribus officia Missarum: quod vel pax præstita latius terminos propagavit Ecclesiæ, vel Sanctorum copia vsu facta est convalescente frequentior.* Atque his paulo post idem illa subjicit; *Multi itaque apud Græcos & Latinos Missæ ordinem, ut sibi visum est statuerunt.* Et Romani quidem usum observationum (eum scilicet quem ipse paulo ante oratione Dominica & passionis Dominicæ *ex Evangelio commemoratione* definiverat) à B. Petro principe Apostolorum *accipientes, suis quique temporibus,*

Caput XXIV. *quæ congrua judicata sunt, addiderunt*; ut verbi gratia ij, qui supra sunt à nobis commemorati Damasus, Cælestinus, Leo, Gelasius, Scholasticus, & Gregorius, qui rem totam in eum maxime, quo nunc habetur, ordinem redegisse ac confecisse putatur; ita tamen, ut etiam ex posteris aliqui nonnulla ejus inventis addiderint. Quod vero istis subnectit *y* Valafridus Romanorum morem *in sacris rebus multas gentes esse imitatas*; id inquam, si de Romanorum in sacro Missali more accipi placet, ad tempora Gregorij quæque eum consecuta sunt, referendum est. Ante hunc enim nullam gentem scimus à Romanis suam Eucharistiæ Liturgiam accepisse. Contra vero, ipsum Gregorium quibusdam ævi sui visum esse sua in Missæ ordinatione à Græcis mutuari, ex ipso *z* discimus; idemque fecisse nonnullos Papas alios tradunt scriptores. *Multa* vero in eo ipso officio, quod Gregorianum dicitur, ex Ambrosiano sive à Gregorio, sive ab alio aliquo, *recepta esse* ei qui utrumque officium viderit ac inter se compararit apertissimam fore scribit *z* Radulphus Tungrensis, non vulgaris in istis scrutandis diligentiæ magister. Vivente vero Gregorio fieri potest, ut illud ejus officium Angli ab ejus discipulo Augustino vel omnino, vel saltem partem ejus aliquam acceperint. Post Gregorij sane mortem Romanum morem Bonifacij fortasse discipulos in Germania, Gallos inde, & longo post intervallo Hispanos imitatos esse, ex superioribus clarum est. Sed anterioribus Gregorio temporibus Romanos suis usos esse cum proximis si forte, eorum sedi obnoxiis Provinciis, non equidem negarim; Cæteras vero, etiam Latinas gentes, sibi ipsas consuluisse, & quidem eadem, qua Romani instituerant, ratione, satis ni fallor, demonstratum est. Nam & *Italicis* Ambrosius Ambrosianum Ordinem, & Gallis atque Hispanis Gallicanum Hilarius, Sidonius, Gregorius Turonicus, etiam aliis fortasse alij, tametsi nobis ignoti, suum aliquod Officium composuerunt; plane ut Romanum Damasus, Cælestinus, Gelasius, Scholasticus ille anonymus, ac Gregorius. Neque dubitandum est, quin apud Græcos quoque, quos Latinis conjungit Valafridus, res eodem modo processerit. Instituti nimirum Eucharistici acceptam ab Apostolis simplicitatem ipsi quoque Græci æque ac Latini, fastidierunt; ac ut litteris & ingenij cultu præ Latinis fere floruerunt, facile iis fuit hanc Spartam, etiam quam his, & maturius, & impensius exornare. Inde illa Liturgiarum apud eos, & plurium & antiquiorum, quam apud Latinos, copia, Clementis, Marci, Iacobi, Petri, Dionysij, Cyrilli, Basilij, Chrysostomi; quæ suis singulæ temporibus exortæ varie quoque à posteris locupletatæ sunt. Vani enim sunt, qui nobis persuadere conantur has vere Iacobi & Marci & Clementis & cæterorum esse, quorum nomina præferunt. Quis enim crediderit si Iacobi, vel Marci, vel Petri revera fuisse eas Liturgias constitisset, quæ iis hodie inscribuntur, quemquam ex Patribus futurum, qui istis repudiatis alias ipse instituere, vel ordinare auderet? quasi quiddam ipse melius posset Christianæque rei congruentius iis invenire, quæ divini illi viri,

y Ibid. D.

z Greg. L. 7. ep 63. (al. 64.)

z Radulph. Propos. 26. p. 1153. E.

viri, primi Christi præcones Ecclesiæ tradidissent; quos nemo Christianus dubitat Spiritus Sancti donis largissime fuisse præ suis omnibus posteris locupletatos, & quæ litteris mandarunt ea divinitus inspiratos scripsisse? Iuvat enim hic Valafridi *a* in simili argumento mentem & voces, imitari, & quæ ille quodam loco ad commendandam Benedicti constitutionem vsurpauit, ea ad Apostolorum & Apostolicorum hominum scripto tanto verius ac justius traducere, quanto certius est hos quam illum Dei Christique Spiritu actos fuisse. Multo verisimilius, imo ut ego quidem arbitror, verissimum est ignotos incertosque Liturgiarum primos auctores, iis autem nomina, quæ nunc gerunt, posteros ab iis Ecclesiis indidisse, in quibus ipsas celebrari, ac in vsu publico solenique esse videbant; ita nimirum, ut eam *Iacobi* dicerent, quæ in Ecclesia Hierosolymitana celebrabatur, in qua Iacobus Episcopus primus sederat; Marci, eo qua Ecclesia Alexandrina vtebatur, cujus conditor Marcus fuisse perhibetur. Atque hanc ipsam hujus nomenclaturæ rationem Perronius ita in medium attulit, *b* ut eam ipse neque refellat, neque certe repudiet, neque ei alteram præferat, quam priore loco memoraverat. Ad hoc exemplum eam Liturgiam *Basilij* dici placuit, quæ in Ecclesia Cæsariensi apud Cappadocas, & Chrysostomi, quæ in Constantinopolitana obtinebat; quod omnium Episcoporum, qui vel in hac vel in illa civitate sederant, longe illustrissimi, eloquentissimi, litterarumque ac sapientiæ studiis florentissimi essent Basilius, & Ioannes, ab admirabili orationis eloquentia & copia Chrysostomi nomen nactus. Nihil enim est in omni & veterum & recentiorum sermone familiarius, quam Ecclesias ipsas earumque Sedes, & res pæne omnes, eorum dici, qui eas vel condiderunt, vel maxime ac eximie exornarunt. Sic Petri sedem, morem, institutum, imo & *patrimonium* dicunt, ut hæc Romanæ Ecclesiæ esse, vel fuisse significent. Ita & olim *Marci* dicta esse notum est, quæ proprie erant Ecclesiæ Alexandrinæ Clementis vero & Dionysij *Missas* aliunde dictas esse æque clarum est; ex eo nimirum, quod hæ Missæ in iis libris etiam hodie, habentur & leguntur, qui Clementis & Dionysij nomina, tametsi falso, præferunt; ab auctoribus scilicet eo assumta, ut iis quæ tradunt, magnæ antiquitatis opinionem conciliarent. Sed hæc de Græcis obiter dixisse satis est.

CAPUT XXIV.

a Vide Valafrid. c. 25. p. 68 y. A.

b Perr. l. 2 de Euch. tit. de Liturg. c. 1. p. 8 7.

Neque sane animus est de Latinorum missa, propria institutæ disputationis materia, plura addere; cujus novitatem ita ex omni fere parte patefecisse in iis videmur, quæ hactenus disputata sunt, ut vix quicquam affirmari possit magis à veritate alienum, quam quod Tridentini Patres definire ausi sunt, *c* Missæ suæ, non modo Canonem, sed etiam ritus ac cærimonias, & cætera hujusmodi, ab Ecclesia *ex Apostolica disciplina ac traditione* fuisse in hoc sacro adhibita. Qui error vsque adeo crassus ac manifestus est, ut in ipso illo Tridentinorum, tametsi adversus eam, quam nos tuemur, veritatem conjurato cœtu, nonnemo sit repertus, qui eum palam ac libere in eo Congregatione arguerit, qua die Iulij 28.

c Conc. Trid. Sess. 22. c. 4. & 5.

Caput XXIV. an Dom. 1552. de sex postremis hujus de Missa decreti articulis deliberatum est, docens d *rem esse ex historiis claram singulis olim Ecclesiis suum fuisse proprium Missæ Rituale; Postea usu magis, quam consilio aut decreto paulatim receptum esse, ut Ecclesiæ minores vel Metropolitanis, vel majoribus vicinis cederent, & in earum ritum atque usum transirent; Romanum ritum in gratiam Pontificis in multis provinciis admissum quidem esse, non sic tamen, ut non hodieque in multis Ecclesiis supersint ritus à Romano non parum diversi. Mosarabum nominatim* attigit, *cujus tam immane fuisse* dixit *à Romano discrimen, ut si id officium hodie apud Italos celebretur, quidvis potius aliud, quam Missam visum iri* affirmaret. *Extare adhuc in Italia apud Mediolanenses Ambrosianum ordinem, à Romano, etiam in præcipuis valde discrepantem. Ipsum quinetiam Romanum Officium neque parum, neque leviter mutatum; idque ex antiquis Ordinis Romani libellis facile animadversurum quisquis eos non oscitanter legerit. Sed hoc Officium ab eo esse mutatum, quod antehac apud majores fuit, non modo antiquissimis temporibus, sed etiam proximis retro seculis; Qui enim hodie in ipsa urbe Roma obtinet ac solennis est ritus, eum plane alium esse ab illo, qui ante annos trecentos erat ac dicebatur Romanus, quique nunc apud solos fratres Dominicanos constanter retinetur.* Hæc ille; surdis insuavem frustra canens fabulam. Is autem idem ille frater Antoninus fuit, de valle Telina Dominicanus Monachus; cujus alterum quoque de vestimentorum sacerdotalium novitate apud eandem Synodum perhibitum testimonium supra memoravimus.

d Pietr. Soave Hist. del Conc. Trid. l. 6. p. 533.

Supr. l. 8. c. 13. extr.

FINIS.

ADDEN-

ADDENDA.

Libro 2, qui est de Confirmatione contra Hammondum, cap. 5. pag. 118. lin. 32. à fin. post hæc Alcuini, *custodiat te in vitam æternam. Amen.* adde, Petrus Damiani, vndecimi & ipse seculi scriptor, eadem confirmat; * *Decretales*, inquit, *pagina & sanctorum Patrum instituta decernunt, non esse differendam post baptismum sacramenti hujus* (Confirmationem dicit) *virtutem, ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor, à quo nemo vnquam nocendi inducias extorsit.* Ordo Romanus &c.

* Petrus Dam. Serm. 69. pag. 168. A. col. 1.

Eodem Libro, cap. 18. post hæc lin. vltimâ pag. 192. *aniversa optimi viri fortuna, adde.* Sic ille quidem mecum agit; haud satis amice, ut videtur. Siquid falsi dixi, erat arguendum ratione, non ludibrio. Dixi *baptisma* à Patribus hic sumi *stricte* pro lavacro sive tinctione; non pro toto initiationis mysterio. An putavit Hammondus *baptismatis* nomen nunquam ita à Patribus sumi? Falsus est, si putavit. Hic enim vetus est inter Canones Apostolorum quinquagesimus; εἴτις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσει, ἀλλὰ ἓν βάπτισμα, εἰς τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου διδόμενον, καθαιρείσθω. *Siquis Episcopus aut Presbyter non tria unius initiationis baptismata fecerit, sed unum baptisma, quod in mortem Domini datum, deponatur.* Res meæ salvæ sunt. Amicus qui de iis actum putavit, ne ipse quidem si nunc viveret, negare posset Patribus & μόνον totum esse initiationis mysterium, & *baptisma*, certe aliquando, *tinctionem* sive *immersionem* esse, initiationis partem; tametsi sæpe, ut Zonaræ hoc ipso in loco βάπτισμα sit μόνως totum initiationis sacramentum. Sic enim ad hunc locum Zonaras, *Hic*, inquit, *tria baptismata Canon tres immersiones intelligit in una initiatione, videlicet in uno baptismate.* τρία βαπτίσματα ἐνταῦθα τρεῖς καταδύσεις φησὶν ὁ Κανὼν ἐν μιᾷ μυήσει, ἤτοι ἐν ἑνὶ βαπτίσματι. Nihil ergo à nobis admissum esse videtur quod in nos amici vel nasum vel splenem commovere debuerit; qui, quos quidem Laodiceni Patres τοὺς φωτιζομένους dicunt, eos interpretati sumus *qui initiantur*, non autem *qui initiati sunt* (quod falso & præter rem volebat amicus) quod vero istos jubent *post baptisma vngi*, eos putavimus *post tinctionem*, non post peractam totam initiationem vngendos esse decerni. A page clamores, & verborum ampullas. &c.

Lib. 3. qui est 1. de Eucharistia. c. 1. pag. 286. lin. 17. post hæc verba, *antiquitate dubitaret: adde*, Si Polydorum exceperis, qui id non Christo vel Apostolis, sed Alexandro P. R. I. tribuit; *Ille instituit* (inquit) *ut oblatio ex azymo, non fermentato, ut antea consuevit, pane fieret.* * Neque hoc ille

 impune

impune tulit; Hispaniensium enim Bibliomastigum spongiæ, liberiores illas voculas, *ut antea consuevit*, deleverunt. (* *Polyd. Virgil. de rerum Invent.lib.5.cap.10.p.330.*) Sed bene factum est quod huic *&c.*

Libro 5. cap.4. p.590. lin.15. post hæc, *& Toletana Synodo* 11. *nuper ostendimus*, Adde.

Vita Leufr. cap.17. in Chronol. Lerin.p.204. Fuisse & in Gallia ad octavum seculum inchoatum indicat puer Gripho, Caroli Martelli filius, à sancto Leufredo Abbate, ad quem erat ministrorum manibus delatus, gravissimis febribus liberatus, dieque sequenti tradito *corporis Dominici sacramento* communicatus. Hæc enim Autor gesta esse scribit *Childeberti filio Dagoberto* (2. scilicet) *regnum Francorum tenente*; adeoque post annum Dom.710. quo ille Patri mortuo successit.

